

Asa Unives de
GRANADA
A
40
267

Pa-202

Supl. 14

BIBLIOTECA HOSPITAL REAL
GRANADA
Sala: A
Estante: 40
Numero: 14



92720095

B-11326

ARISTOTELIS
STAGIRITAE
OPERV M

Tomus Secundus.



DE LA LIBRERIA
DEL REAL COLEGIO MAYOR
Reunido de Santa Cruz, y
Santa Catalina.
E. J. C. 21 N. 11.

LVGDVNI,
Apud Ioannem Frellonium,
M. D. XLIX.



Cum priuilegio Regis.

THEODORI GAZAE
THESSALONICENSIS, IN
LIBROS ARISTOTELIS DE
Animalibus, ad Sixtum Quartū
Pontificem Maximum
Præfatio.



LYCVRGVM Lacedæmonium, qui leges ciuibus suis constituit, repræhendunt nonnulli, Pontifex summè Sixte quarte, quòd ita tulerit leges, vt belli potiùs, quàm pacis, rationem habuisse videretur. Numam verò Pompilium regem Romanum laudant maiorem in modum, quòd pacis adeò studiosus fuerit, vt nulla causa moueri ad bellum pateretur. Quorum sententiam etsi aliàs probo, vt debeo (nihil enim pace commodius, nihil sanctius) tamen cùm vita hominum ita ferat, vt bella vitari interdum nequeant, sic censeo præfiniendū, consulendūq;, vt & bellum interdum sit suscipiendum, si res vrget: & pax seruanda sit semper, si fieri potest: nec belli ratio vnquam probanda sit, nisi vt demum rebus compositis, quieto, tranquillòq; animo viuamus. Non enim ad pugnam & homicidia, non ad discordias, & bella nati sumus, sed ad concordiam, & humanitatem. Itaq; principis institutum, atque officium id esse reor, vt pacem summa opera petat, seruet, & colat. Quod cùm Romanos pontifices ferè omnes fecisse quoad potuerint, intelligam, laudo illorum animum, quòd neque ab instituto Naturæ bonæ recesserint, & præceptum authoris diuini seruarint, quòd sapissimè pacem conciliarint, & commendarint. Sed vsum nonnullorum ausim repræhendere. Pace enim, qua vti debuerant ad literarum, & artium bonarum studia, & virtutum officia, illi quidem ad voluptates parum honestas abusi sunt. Quod cùm omni hominum ordini sit turpe, tum pontificis personæ turpissimum est. Fuerunt tamen & qui rectè pace vterentur, & pontificatum magna cum laude gererent, quibus te similem video planè successisse: præstas enim doctrina, & moribus. Quo fit, vt nomen tuum immortalitati mandandum censeas, studio potiùs literarum, quæ nunquàm pereunt, quàm vel ædificiorum, quæ breui tempore delentur, vel thesauri gemmarum, & auri, cuius hæredes inimici plerunque succedunt: vtque voluptates, quæ animi lumen extinguunt, respuas, vnàmq; literarum voluptatem, quæ animum illustrare potest, expetas, atque in ea requiescas. Itaque omnes pontificem talem habuisse lætamur, & quisque siue ciuis, siue peregrinus, studet pro viribus rem afferre, qua & virtutum tuarum laudem, & animi tui voluptatem augeat. Quem enim ob eius merita non solùm veneramur, & obseruamus, sed etiam pèrinde ac patrem amamus, ei perlibenter opera studiorum nostrorum dedicanda putamus. Alii igitur alia: ego tibi libros Aristotelis philosophi, quos de natura animalium scripserat, conuertere in Latinum sermonem vo-

Iui, existimans rem tibi gratam me facturū, si hi libri Latinis literis mea industria mandarentur, & cultius, atque integrius, quàm actum ab aliis adhuc est, exponerentur. Videbam per multa errasse interpretes, tum imperitia linguæ, tum Aristotelicæ disciplinæ inscitia. Itaque officium esse putavi, ut si quid facultatis in me esset, qua præstare hæc possem meliora, rem aggrederer, & pro viribus dignius quicquam efficere conarer. Laboravi equidem hac in re vehementer, quoniam nihil adiuventi ab iis, qui eadem interpretari voluere, capere poteram. Aut enim Græcè illi dixerunt, quæ Latinè audire homines Latini desiderant: aut rerum aliarum nomina aliis improprie tribuerunt, aut noua ipsi ineptè finxerunt. Sententiam verò authoris passim ad eò deprauarunt, ut argumento quidem interpretationis eorum nemo tam indoctus sit, qui non rectius iudicare de rebus Naturæ, quàm Aristoteles posse videatur. Locutionis etiam genus ne tale quidem, quod legi posset, non modò non Aristotelis eloquentia dignum, adhibere potuerunt. Quòd si quid præ sua facillima cognitione peruerti ab omni veritate non potuit, id etiam propter incultum, horridum, & ineptum sermonem interpretis vix intelligi potest. Afferrem hoc loco scripta illorum interpretum, erroresque singulatim enumerando repræhenderè, nisi longior essem in re non dubia, præsertim apud te, princeps doctissime, qui ut antè doctor pro tuo singulari iudicio semper damnasti illorum interpretationem, melioremque desiderasti: sic nunc factus princeps, accuratius agis, ut hæc aliquando explanentur, & vnà cum sui authoris sententia lucem Latinæ linguæ recipiant. Vtinam tantum facultatis in me esset, princeps sapientissime, ut hoc meum interpretandi genus, esse optimum illud, quod quæris, confirmare possem. Sed quoniam hoc plus est, quàm ut vel homo modestus de se polliceri debeat, vel meæ vires attingere possint, nihil ego tale de me: illud verò dicere licet, hanc esse omnibus, quæ adhuc factæ sunt, horum librorum interpretationem, & philosophis ad eloquendum commodiorem, & eloquentibus ad disputandum vtiliorem, & vtrisque ad Aristotelis sensum percipiendum aptiorem. Nec acta equidem egi, sed à malè conuersis primus ego Latinis hominibus aperui, quæ his libris Aristoteles scripserat. Sed illhuc redeo. Me plurimum elaborasse in his libris interpretandis fateor, cum nihil à primis interpretibus illis iuuari possem, sed omnia ex codicibus veterū authorum petere necesse haberem, lectione longa, notationeque varia, Plinium, Cornelium, Columellam, Varronem, Catonem, M. Tullium, Apuleium, Gellium, Senecam, complures alios linguæ Latinæ authores euoluere diligentius oportuit, quorum libros vel semel accuratè legisse laboriosum est, nedum ad vsum interpretandi accommodasse. Non enim ita vsum verborum accipit interpres, ut suo arbitratu rem disponat, mandetque elocutioni: sed totidem ferè verbis sensus alienos accommodatè exprimere cogitur. quod perdifficile est. Accedit ad hæc altera causa laboris, quòd exemplaria Græca, libros hos de animalibus dico, mendosa admodū habemus, vel libroriorū culpa, vel eo casu, quem apud Strabonē geographum legimus. In his enim emendandis elaborare interpres sine dubio debet, ne ipse errasse in conuertendo videatur. Ita enim plerique iudicant, ut si quid bene ab interprete dicitur, id authori operis tribuant: si quid malè, id interpreti vitio ascribant. De iis interpretibus loquor, qui non minus laudis mereantur in conuertendis aliorum libris, quàm illi, qui eos magna cum laude ediderunt: non de iis, qui & sibi, & authori, quem interpretantur, dedecus pariunt. Quid autem? cum uel ipsa Latina exemplaria, quorum ope iuuari nitimur, non minus sint emendan-

da, quàm Græca. Quæ enim vtilitas librorum Plinii satis interpreti afferretur, nisi emendarentur, & corrigerentur? Iam ante ætatem nostram seculis multis iacuit inutile opus eius authoris, quod de historia naturali inscribitur, scilicet propter innumeros libroriorum errores. Quauis enim autoritate, tum scriptoris, tum rerum scriptarum peteretur, & à pluribus scriberetur, tamen legi ne à doctissimis quidem viris poterat, vsque adeo mendosum, corruptumque habebatur. Caruerunt certè diu Latini homines magno fructu eorum librorum: quàm nunc doctrina insigni, singulariq; industria Ioannis Andræ præsulis Halensis, facilis facta est & lectio eorum librorum, & imitatio: hic enim primus hos libros emendauit, atque vtilis reddidit. Quod munus, si in cæteris quoque libris corrigendis hic subiisset, labor fanè aut nullus, aut longè minor scriptoribus interpretibus relinqueretur. Sed quoniam hunc virum alia munera tui felicissimi principatus, & Reipub. à literarum studiis priuatis diuerterent, accidit res cuiq; proculdubio difficilior. Mihi autem vel illa difficultas laborum accumulatur, quæ non ad eos interpretes spectat, qui res difficiles Græcè dicant, faciles verò Latinis verbis impropriis peruertant: sed ad eos, qui ne ea quidè incōsiderata relinquunt, quæ antiqui authores negligentia quadam non facile excusanda prætermiserunt: qualis quæstio de Thoe quadrupede, & Panthera, de Dasypode, de Lynce, de aliis pleriq; occurrit. Sed an ego dignum quicquā vel meo tanto labore, vel tuo desiderio efficere potuerim, tu mihi eris & iudex, & censor. Fuit quidem studium mihi certādi, non cum interpretibus illis, quos vincere nullum negocium est, sed cum Aristotele ipso, ut libros, quos ille Alexandro regi suo principi non minori industria quàm doctrina conscripserat, hos ego tibi principi meo Latinos redderem non deteriores: sed an effecerim quod mihi statueram, tu videris. Habes verò in hoc codice libros duodeviginti: scilicet nouem de historia animalium, quatuor de partibus, quinque de generatione. Historia primum obtinet locum, atque ut nomen ipsum significat, expositionem continet rei, quod est, siue ut sit: quod scholæ philosophorum nostræ ætatis, quia est, dicere solent. Mox libri de partibus, ac de generatione, causam cur ita sit, declarant: alteri finalem præcipuè, alteri agentem. Cum enim rem, cuius causam reddere volumus, exploratam cognitione quod est, habere debeamus, rectè & scribitur historia animalium, & præcedit in edocēdis causis, vndenam, aut quæ ad finem, siue cuius gratia condita quæq; sunt à Natura, præcipuè, inquam, finalem, agentemq; causam. Nam obiter quidem materialis quoque passim pro rei desiderio exponitur, ut simul aut necessitatis, notæ que melioris ratio declaretur: aut ex quo, vndèque consistant quæque, demonstretur. Sed quanquam libris nouem interpretatio hæc historiarum consummatur, tamen qui nonus in exemplari Græco continetur, hunc ego septimum collocaui: nec id temerè factum existimo. Agitur enim in eo de hominis generatione: quam rem Aristoteles continuò à generatione cæterorū animalium pollicetur explicaturum. Itaque cum quinto, & sexto libro cæterorum animalium generationem exposuisset, nulli dubio esse debet, quin ille septimum hunc collocarit. Sed Appellicon Teius, de quo Strabo plura, ut alia permulta in exscribendis Aristotelicis libris deprauauit. sic id permutasse videtur, existimans vltimum esse totius historiæ collocandum: quoniam cum Aristoteles agere de generatione inciperet, vltimo loco de homine dicturum pollicitus est. At ille non vltimo totius historiæ dixit, sed eius loci, quem de generatione tractaret. Quod patet ex iis, quæ in sexto, qui secundus de generatione est, locum eum absoluens,

scribit. Sequitur, inquit, ut pari modo de iis, quæ in terrestrium genere animal pariunt, atque etiam de homine differamus. Tertius igitur à primo de generatione collocandus est: quo fit, ut idem septimus totius ordinis historiae habeatur. Sunt etiam exemplaria tum Græca, tum verò Latina, quæ habeant fragmentum quoddam historiis additum: sed id causas quasdam materiales, agentisque generationis humanæ exponit, non historiam complectitur: itaque non inter historiae libros hoc ego ponendum duxi: sed si collocandum vspiam est, libris de generatione, meo quidem iudicio, coniungendum est. Inspicere singulos hos libros, ac legere velis, summe Princeps, quoad tuæ occupationes patientur: ut & re explorata iudicare, & si quid voluptatis est in legendis Naturæ operibus, oblectari possis. Non enim me offensurum tuas aures puto, quanquam non Græco mihi patrio, sed peregrino vtor sermone. Non quod ab interprete dicitur, id ex Græco exemplari intelligere desiderabis. Ipsa Latina oratio sensum Aristotelis ita explicabit, ut minimè Græcam desideres. Nihil miscet, nihil inculcat, nominat vfu veterum probatissimorum authorum genera animalium. Si quid noui imponit, ita senserit, ut familiare, cognatumque id quoque videri possit. Si quid Græcè appellat, id non durum occurrit: aut enim vfitatum, & ut ita dixerim, vagum Latinis est: quale est nomen Delphini, Cameli, Elephantis, Crocodili, Ichneumonis, Aspidis, Salamandra, & reliquorum generis eiusdem: aut ita sonat, ut non minùs Latinum esse, quàm Græcum videatur. Cur enim Tetricem auem, aut Crecem aut Clerum, non eodem hoc nomine vocem, si non comperio Latinum, cum, quasi Latinum sit, ita congruat? Quis Latacem ambiguam illam belluam, aut Balerum, fluuiatilem piscem ita nominans, peregrinum sonare videbitur? Nec verò contemnendum vulgus interdum est, si quid nondum à literarum professoribus nuncupatum, suo ipsum nomine appellat: ut Brucum genus locustæ terrestris, quod Græci Attelabum vocant: aut Martam genus mustellæ rusticæ, quod Græci Ictida dicunt, quanuis plura eius genera sint. Nec temerè actum dixerim, si quis Viuerræ nomine ea complectitur: planius enim ita docebimus, si id Martam, aut Viuerram vocemus: Mustelæ autem nomen in eo tantum remaneat, quod Græci Galem appellant. eodemque modo, si locustæ illius terrestris alterum genus Locustam, alterum Brucum nuncupemus. Sed enim sufficit lingua Latina singulis Græcæ orationis, siue vocabulis, siue sententiis: quanquam nonnulli, quæ Latinè exprimere nequeunt, hæc inopiæ linguæ tribuunt Latinæ, suamque pauperiem vitio dare linguæ locupletissimæ audent: quos satis conuinci à M. Tullio puto, cum ille linguam Romanam ne copia quidem verborum à Græca superari autumet. Exclamat ille aliquantulum quidem importunè: O inopem interdum linguam Græcam, sed non sine causa, quando nonnulli ita contendunt, ut Græcis nihil deesse, Latinis permulta desiderari pronuntient. Sed de his hæcenus. Aristotelis verò laudem, quanuis mos interpretum sit, eum, quem interpretantur, authorem, vberius laudare, tamen si latius persequar, vereor ne mihi idem obiciatur, quod illi, qui apud Lacedæmonios de Herculis laudibus agere voluit: Quis Herculem vituperet, aut minùs bene de eo sentiat? Quis illum non inter deos immortales enumeret, colat, obseruet, ut tu laudare velis? Lacedæmonii subdiderunt. Tanta est enim Aristotelis existimatio, tanta autoritas iam apud omnes mortales, ut frustra quis prædicet, quo ingenio, qua doctrina hic fuerit, quo artificio rem quancunque explicandam sibi statuerit, tractet: quanta vis in hoc differendi, quanta in cognoscendis, exponendisque rebus diligentia. Hunc &

Latii decus M. Tullius ita laudat, ut excepto Platone, facile philosophorum principem appellet. Excipit ille quem amat, laudat verò quem doctissimum esse iudicat. Missa hæc facio. Librorum, quos interpretatus sum, fructum, quātus sit, explicasse quoad possum, & locus hic patitur, non ab re fuerit fortasse. Omnis enim philosophandi ratio naturalis, vbi à primis illis Naturæ initiis, materiam dico, formam, finem, agens, & motum (ut ita loquar) emerferit, hinc versatur, ac diutissimè immoratur, hinc suas vires exercet, atque multiplicem, variam, & admirabilem rerum constitutionem, amplissimè explicat. Persequitur ordine discrimina omnia, quibus Natura suas animantes differre inter se voluit: colligit summa genera, reliqua singillatim exponit: partitur in species genera, & singula, quæ circiter quingenta numero in his continentur libris, describit: pergit quæque explanans, quemadmodum oriantur, siue terrestria, siue aquatica: quibusnam consent membris, quibus vescantur alimentis, quibus afficiantur rebus, quibus moribus prædita sint, quantum viuendi spatium datum cuique est, quanta corporis magnitudo, quod maximum est, quod minimum est: quæ forma, quis color, quæ vox, quæ ingenia, quæ officia: denique nihil omittit, quod in animalium genere Natura gignat, alat, augeat, & tueatur. Quæ omnia eò spectant, ut (quod sanctissimus quoque author ille, quem Deus sibi veluti suppellectilem quandam pretiosam elegerat, admonet) ex iis, quæ à Natura proueniunt, Deum immortalem, ex quo ipsa pendet Natura, intelligamus, admiremur, atque colamus: quare nihil pulchrius, nihil grauius, nihil dignius homini esse potest. Tantis fructus horum librorum est. Nec audiendi sunt, qui inquit: Multa Aristoteles de Musca, de Apicula, de Vermiculo: pauca de Deo. Permulta enim de Deo is tractat, qui doctrina rerum conditarum exquisitissima, conditorem ipsum declarat. Nec verò musca, nec vermiculus omittendus est, vbi de Naturæ mira solertia agitur. Ut enim artificis cuiusuis, sic Naturæ ingenium in minutissimis potius cōtemplandum est. Quinetiam cum rerum causas cognoscere pulcherrimum sit, (hac enim vna cognitione, homo perfici, absolutique potest, ut Deo immortalis similis, quoad eius fieri potest, euadat) his sanè libris plenè docemur, cur quæque res in animalium genere ita sit: planèque felicitatem assequimur illam nobiliorem, quæ in actione animi consistit: quam sapiens quoque Poeta prædicans. Felix, inquit, qui rerum potuit cognoscere causas. Quid de anima loquar, de qua toties publicè, priuatimque disputatur? Nusquam suorum librorum tam apertè Philosophus hic suam opinionem exponit, quàm in his libris, quid anima sit, vndeque in corpus recipitur. Ad hæc, mores illi, & virtutum officia, quibus virum appellamus bonum, laudèque prosequimur, longè melius hinc accipi possunt, quàm vel à rhetore, quem Græci sophistam vocant, vel à prædicatore, nomine iam trito Latinis auribus: iis enim sæpenumero vita discrepat à præceptis, & melius hortantur alios, quàm ipsi officio fungantur: ut interdum frustra illa virtutis egregia laus recitata sit, prolixaque eorum præceptio vacet, & iaceat, cum exempla desiderentur vitæ præceptoris, & autoritas, quam qui respicit, facilius & mouetur ad virtutem, & in officio tenetur. At verò in contemplandis animalium moribus exempla suppetunt omnium officiorum, & effigies offeruntur virtutum summa cum autoritate Naturæ omnium parentis, non simulatæ, non commentariæ, non inconstantes, & labiles, sed verè ingenuæ, atque perpetuæ. Quis enim tam peruersa natura hostis sui generis est, quin emendetur, & mitigetur, cum nullum animal occidi à sui generis bestia videatur? Quis tam in parentes impius, ne cum ciconiæ

auis, aut Meropis pietatem erga parētes intelligat, pientior efficiatur? Quis adeò
 inhumanus, illiberalisque est, quem ossifragæ benignitas in pullos aquilæ, non fa-
 ciat benigniorem? Quis tam piger, iners, & segnis est, quin excitetur ad vitæ mu-
 nera, cum formicarum, aut apum labores, atque industriam intuetur? Quem non
 pudeat per metum peccare, cum non solum leonis animum inuictum cogitat,
 sed etiam reguli auiculæ, quæ cum aquila pugnat, certatque de Imperio? Quis
 principem bonum non colat, atque obseruet, cum si rex apum in itinere aber-
 rauerit, omnes eum inquirere, odoratūque sagaci persequi, donec inuenerint, co-
 gnitum habeat: gestari etiam regem à plebe, cum volare non potest, & si perie-
 rit, omnes discedere? Nunquid parum exempli ad boni principis siue deside-
 rium, siue obseruantiam datur? Quis princeps non ad clementiam facilè inuite-
 tur, cum reges apum armari quidem aculeo, sed eo nūquam uti intelligat? Quæ
 fides, quis amor in canibus? Quanta in elephantis mansuetudo? Quæ in anserē
 verecundia? Quantum studium ornatus, ac polituræ in pauone? Quanta opera
 vocis amœnæ, suauisq; in luscinia? Quid de iustitia apum dicam, quæ colligunt
 quidem ex iis, quibus aliquid dulcedinis inest, sed sine vlllo fructuum detrimen-
 to? Quid de castitate elephantis, qui quam impleuerit coitu, eam rursus non tan-
 git? Aut columbæ, quæ neque coire cum pluribus patitur, neque coniugium iam-
 inde à primo ortu initum deserit, nisi vidua, aut cælebs? Disciplina autem, & eru-
 ditio elephantis, quem non faciat studiosiorem? Omnino nulla pars vitæ humanæ
 est, quæ non suorum officiorum exempla commodissimè hinc accipiat. Nam, ut
 omittam artes illiberales, quæ & ipsæ ingeniis animalium non parum iuuantur,
 valetudinis exempla, quæso, vnde commodius peti, quàm ex animalibus possint?
 Loca pro temporis conditione solent illa mutare: non plus edunt, aut bibunt,
 quàm sibi salubre sit: non diutiùs dormiunt, quàm ratio valetudinis postulat: mo-
 dum mouendi, quiescendique seruant: nouit sua quodq; medicamenta: viuit sua
 quodque sorte contentum, & gaudet: hæc latè à medicis præcipiuntur. At verò
 exempla, in quibus vis maior, quàm in præceptis est, ab animalibus certiora præ-
 bentur. Adde vtilitatem, quæ in dicendi facultate ex hac animalium ratione af-
 ferri potest. Comparationes enim, assimilationesque illæ, quas Græci parabolas
 vocant, quæ plurimum orationem exornant, auditorè que tenent, hinc variè, co-
 piosè, aptissimè que accipi possunt: ut siue oras, siue communem partiris cum aliis
 sermonem, eloquens, aptus, suauisque esse possis. Poeta verò vndènam pulchriùs
 sua illa rara & mira accipiat, quàm ex his libris, qui Naturæ arcana rimantur,
 enarrant, aperiunt? Medicus autem, quod fatetur se sua inde ordiri, vbi philoso-
 phus desinit, nusquam plenius, quàm hîc, viderit. Quòq; à Galeno medico-
 rum principe traditur, Aristotelem primùm anatomen, hoc est, membrorum dis-
 sectionem scripsisse, hîc agnoscat: & quòd idem & primus, & optimus fuerit au-
 thor, percipiet. Iam & philosophi nostræ ætatis, qui quadrifariam rerum causam
 ex prima illa librorum naturalis auscultationis institutione, accipiunt quidem
 communi quadam ratione: sed quemadmodum his Natura vtatur, in constitu-
 tione, generatione que animalium, parum, authore Aristotele, vident, inopia scili-
 cet exemplaris Aristotelici, quòd legere possint, hîc vidisse aliquando gaudebunt,
 & physici, quos se appellant, dignius de cætero profitebuntur. Rationes enim
ideo quærimus vniuersales, ut demum res particulares, & sensiles teneamus. Ac-
 cedit ad hæc voluptas, qua iuari, ac perfici quamuis actionem Aristoteles ait,
 quam in contemplandis rebus Naturæ audissimè capiamus. Nam si pictor nos
 vehe

hementer oblectat: cum animal scitè pinxerit: quantò vehementiùs natura ipsa af-
 ficiet voluptate, cum eius tam multa, & varia animalia, mira membrorum con-
 uenientia, inauditæque moderatione, & elegantia facta cernamus? Cum hos legi-
 mus libros, contemplamur profectò quàm varius, ac pulcherrimus fructus horum
 librorum, & vtilitas amplior, quàm ut verbis exprimi possit. Sed quorsum hæc?
 Ut si in traducendis his tam necessariis, tamque commodis, & amœnissimis libris,
 satis ego interpretis munere functus sum, tu sententiam feras, princeps doctissime,
 edasq; in vsum publicum opus, quod ego sine tua autoritate edere nec possum,
 nec debeo. Si quid etiam dignum ex meo ingenio exit, quod in ea bibliotheca
 ponatur, quam magnificè consulens hominum cõmuni vtilitati, condere statuisti:
 si quid, inquam, tale effici mea opera potuit, censeas ea ipsa bibliotheca, tanquam
 ciuitate, donari hunc codicem, nondum cognitum, aut vllam in sedem receptum.
 Non ego primus te constituo iudicem: iam pridem consensu omnium doctorum
 virorum habitus es existimator, & architectus eorum, qui in studiis liberalibus e-
 laborant. Facit enim tua illustris doctrina, tuumque summum ingenium, ut nemo
 te vel iudicio grauior, vel autoritate locupletior habeatur. Principem etiam
 summum te nuper quidem habuimus: sed, quod optauimus, talem habemus, ut
 facilè temporibus his tuis sperare possumus publicam illam felicitatem, quam
 Plato vir doctissimus futuram confirmat, cum aut Philosophi regnant, aut Reges
 philosophantur. Tu enim & Philosophus es illustris, & fortuna summi Imperii vir-
 tuti tuæ coniuncta est. Lege igitur, princeps sapientissime, & iudica, an ego rem
 tibi non repudiandam attulerim: & si bene, ut spero, cesserit, age pro tua libera-
 litate, ut pari studio laborem suscipere alterum, pluraque in dies afferre huiusmo-
 di opera possim.

ARISTOTELIS STAGIRITAE de Historia Animalium Liber Primus,

Theodoro Gaza Interprete.

In quibus animalia inter se differant, quibusve conueniant, eorundemque naturæ diuersitas.

Cap. I.



Similares partes quæ.

Dissimilares partes.

ANIMALIUM partes, aut in-cōpositæ sunt, quæ scilicet in similes sibi partes diuiduntur, vt caro in carnes, & ob eam rē similes appellentur: aut in-cōpositæ, quæ aptæ secari in partes dissimiles sunt, non in similes: vt manus, non in manus secatur, aut facies in facies: quæ propter eas dissimilares nominemus. Quo in genere partium sunt, quæ non modò partes, verum etiam membra appellentur: videlicet quæ cum ipsa totius integritate describantur, habeant tamen intra se partes diuersas, sicut generis opificia, vt caput, vt pes, vt manus, vt totum brachium, aut pectus: quippe quæ & ipsa partes sint totæ, & ex partibus constant diuersis. Quæq; autem pars dissimilares ex similibus constat, vt manus ex carne, ossibus, neruis. Habent verò animalia partes, aut easdem sibi omnes, aut diuersas. Partes eadē vel specie intelligi volo, vt hominis nasus, aut oculus, specie cum naso, aut oculo hominis alterius cōuenit, & caro cum carne, & os cum osse. Quod idem de equo, & cæteris, quæ specie inter se cōsentire statuimus, intelligi debet. Vt enim totum se habet ad totum, sic partes singulæ sese ad singulas habeant necesse est. Vel genere, quanquam excessu, defectūve inter se differant. De iis loquor, quorum idem est genus: verbi gratia, auis, aut piscis: id enim vtrunque differentiis consumitur generis. Et species complures tum piscium, tum etiam auium habentur. Differunt verò inter se partes penè plurimæ eorū contraria affectuum qualitate, vt coloris, aut figuræ, eò quòd aliæ magis, aliæ minùs affectū iis ipsis qualitibus sint. Multitudine etiā,

& paucitate, & magnitudine, paruitatēq; & omnino excessu, defectūque discrepant, cum aliis crusta, aliis testa pro tegmine habeatur: & aliis rostrum porrectius sit, vt gruibus: aliis breue. Penna item aliis vberius, aliis parcius data est. Sed tamen in iis quoq; ratio partiū nonnullarum diuersa est, cum alia calcari, aut aliquo armetur aculeo, alia nihil eiusmodi habeant, & aliis apex in capite sit, aliis desit. Sed enim, quod propè dixerim, partes plurimæ, & ex quibus tota moles compacta est, aut eadē sunt, aut ratione contrariorū, & per excessum, defectūq; differunt. Pluris enim, minorisq; rationē, referri ad excessum, defectūq; putauerim oportere. Nō desunt quibus partes nec species sint eadē, neq; excessu, defectūve, sed proportione conueniant: quomodo os cum spina, & unguē cum solida unguila, & manū cum forcipato pedis, & penna cum squama cōuenire animaduertimus. Quod enim penna in auium genere est, idē squama in piscibus habetur. Partes, quas singula animalia habent hunc in modū diuersas, easdemve intelligimus, atq; etiam situ contemplanus. Sunt enim complura, quæ easdem habeant partes, sed non situ eodem: verbi causa, mammæ alia in pectore habent, alia in feminibus. Partes autem similes, aut molles, ac humidæ sunt aut siccæ, & solidæ. Molles, inquam, vel omnino, vel quādiu in sede maneant naturali: vt sanguis, sanies, adeps, seuū, medulla, semen genitale, fel, lac, vbi haberi id potest, caro, & quæ iis proportione respōdeant. Item excrementa omnia, modo tamen diuerso, vt pituita, & sedimenta alui, atq; vesicæ. Siccas, ac solidas intelligi volo, neruū, cutem, venam, pilum, os, cartilaginem, unguem, cornu: æquiuocē enim ad genus appellamus, cum cornutum figura, tū toto, dicimus. Item quæ iis proportione respondent. Animalium verò differentias, aut per vitas, aut per actiones, aut per mores, aut per partes constitui dignum est. Quibus de rebus primū formula quadam agendum, deinde generatim discussione diligentiore differendū censemus. Profectò differentia, quæ in morum, victuū, actionūq; ratione versantur, colligi debent, eò quòd alia sint aquatilia, alia terrestria. Et aquatiliū ordo duplex: alia enim in fluido degunt, victūque petunt ex humore: quem etiam humorem per vices recipiunt, & reddunt,

Aquatiliū differentia.

nec

viuere possunt, nisi versentur in humore: quod plurimæ piscium parti euenire apertum est. Alia degunt quidem in fluido, victūque inde emoliuntur: sed aerem, nō humorē recipiunt, & foris parere solēt. Complura huius generis sunt partim gressilia, vt lutris, latax, crocodilus: partim volucres, vt mergi, vt vrinatrices. Quinetiā quæ nullis pedibus innitātur, vt natrix. Nōnulla cum victū in humore exerceant, nec foris viuere queāt, nihil vel aeris, vel humoris recipiūt, vt vrticæ, vt ostrea. Aquatilis autem generis alia marina, alia fluuialia, alia lacustria, alia palustria, vt rana, vt cordula. Terrestriū verò animalium alia accipiunt, redduntq; aerem, (quæ res spiratio nominatur) vt homo, & quæcunq; terrestria habent pulmonē. Alia, quanuis aerem recipiant, tamen sedem in terra perpetuò tenent, & victum indidem capiunt, vt vespa, apes, & reliqua insecta. Quo nomine ea appello, quorum corpus incisuris præcingitur, aut parte tantum supina, aut etiā prona. Sed cum terrestriū plura, vt dictū est, cibum ab aquis petant, nullū generis aquatilis est, quod & aquā recipiat, & terrā cibi causa petat. Sunt porro quæ primū viuunt in humore, deinde forma immutata, foris vitā incipiant agere, vt culices palustres: ex iis enim affili proueniunt. Ad hæc, alia sede stabili degunt, alia mutabili, & vaga. Sedes stabilis in humore tantūmodo est. Terrestriū nulla statu immutabili liuiūt. At aquatiliū plura saxis affixa vitam omnem traducunt: vt conchæ genera complura. Quinetiam spongia sensum habere aliquē creditur: argumēto, quòd multò difficilius abstrahuntur, nisi clanculū agatur, vt referunt auulfores. Sunt item quæ & adhærere soleant, & quoties libuit, absolui: vt genus quoddam eius, quam vtrīcam vocamus: quippe cum nonnullæ ex iis noctu absolutæ pascantur. Non desunt complura, quæ cum sint absoluta, mouere tamen se nequeant, vt ostrea, & quæ tota simplici, mitioriq; testa operata, vertibula appellantur, & calli, aut tubera. Vis item aliis nādi tributa est, vt piscibus, vt mollibus, vt crustatis, velut locustis. Quædā ambulare possunt, vt genus cancerorū: quippe quod, quanquam suapte natura aquatile est, tamen habet vim ambulandi. Terrestriū verò, alia volucres sunt, vt aues, vt apes, quæ modo inter se quodā alio differunt. Alia pedestria, quorū item alia gressilia, alia reptilia, alia tractilia sunt. Animal, quod volucre tantū sit, vt piscis natatile solūmodo est, nullū nouimus. Nam & quæ panis cuteis volant, ingredi possunt. Vnde vesperilioni etiam pedes sunt, & vitulus marinus pedes habet minutos. Sic nonnullæ aues de pedes sunt, quæ ob eam rem apedes, à paruitate pedum nuncupantur: quod genus auiculæ pennis plurimū valet: sicut cætera quoq; propè similia, vt pennis præualere, sic pedibus degenerare videntur, vt hirundo, & falcula, siue riparia: hæc enim omnia & moribus, & volatu, & specie proxima inter se conspiciuntur. Apparet apes omnibus anni temporibus. Riparia æstate tantū, cum imber incessit: tunc enim & apparet, & capit: denique rara hæc auicula est. At verò quæ gres-

Quæ animalia insecta vocentur.

Animantes immobiles quæ.

Differentia terrestrium animantium.

Aues apedes

filia, eadēmq; natatilia sint, cōplura reperiuntur: necnon differentias illas vitæ, actionēq; animalium continent. Sunt enim alia gregales, alia solitaria: tū volucres, tū nantes, tum etiā pedestres. Vitam alia ancipitem degunt, vt eadē modò societate, modò solitudine gaudeāt. Item alia ciuiles, alia inciuiles, tum ex gregalibus, tum etiā ex solitariis sunt: gregales in volucrum genere, columbi, grues, olores. Nullū, cui unguis adunci, gregatile esse perpendimus. Cōplura etiā inter nantes piscium genera gregatim degere scimus, vt quos cursores vocat, & thūnos, & limosas, & hamias. Hominis naturā ancipitem societatis, ac solitudinis esse, apertū est. Ciuiles appello animantes, quæ labori cōmunicant idem, quarū opus cōmuni efficitur opera, munusq; idē omnibus est: quod nō omnibus gregalibus cōpetit. Ciuilis generis est homo, apes, vespa, formica grus. Quarum alia sub duce degunt, vt grues, vt apes: alia nulli subditæ imperio sunt, vt formicæ, & alia innumera penè genera. Sunt itē tā ex gregalibus, quàm ex solitariis, alia, quæ sedem nunquam mutant: alia, quæ mutare statò tēpore soleant. Et alia quæ carne vescantur, alia, quæ frugibus, alia omnia attingant. Non desunt, quæ cibo sui generis vtantur, vt apes, vt aranei: apes enim melle, & quibusdam aliis dulcibus aluntur: aranei muscarum venatu viuunt. Nonnulla piscibus vesci Natura voluit. Ad hæc, alia aut vim habent venandi, aut ingenio recodendi cibi dotata sunt. Alia nec ad venandum apta, nec ad recondendum. Item alia domicilia sibi parant, vt talpa, mus, formica, musca, apes. Alia nullis se includere casis patiuntur, vt plures tam insecti generis, quàm quadrupedis. Quinetiam locis discrimen aliud existit: quippe cum alia cauernas subeant, vt lacerti, vt serpentes: alia per summa telluris degant, vt canis, vt equus: ac alia foramina sibi excauent, alia nunquam eo munere fungantur, & alia noctu vagantur, vt noctua, vesperilio: alia interdum tantum. Addo etiam, alias esse cicures, alias feras: & alias perpetuò cicures, vt hominem, vt mulum: alias perpetuò feras, vt pantheram, vt lupum: nonnullas etiam facile posse mansuescere, vt elephantos. Sed quin aliter partiendum est. Genera enim quæcunque placida sunt, hæc eadem fera quoq; possunt reperiri: vt sues, equi, homines, oues, capræ, canes, boues. Item alia muta omnino sunt, alia strepitum tantum elidunt, alia vocem etiā formant: quarum alia loqui possunt, alia vocem solā nullis exprimendam literis reddunt. Atq; alia loquaces, alia taciturnæ, alia oscines, aliæ inoscines. Omnium vocalium animalium cōmunis mos est, vt sui inicus tempore potissimū canant, & blaterent. Alia præterea camporū incolæ sunt, vt palumbes: alia montis, vt vrpæ: aliæ cum hominibus degere solent, vt columbi. Item alia copia libidinis gaudent, vt perdicum genus, & gallinaceorum. Alia minùs Venere valent, vt quæ coruinam speciem gerunt: quippe quæ raro soleant coire. Marinarum etiam animalium: alia pelagica, alia litorales, alia saxatiles sunt. Ad hæc, aliis data vis est dimicandi, aliis ingenium

Ciuiles animantes quæ.

Animantes immobiles quæ.

Animantes immobiles quæ.

Differentia morum in animalibus.

Quod animal nobile, quodq; generosum.

Reminiscencia soli homini.

Excrementum animalium duplex.

nium cauendi & euitandi. Viribus pollent, quæ iniuriâ vel inferant aliis, vel illatâ sibi propulserunt, seq; defendât. Cautæ, & prouidæ sunt, quæ aliquid in se ipsis præsidii habent contra inferendâ iniuriâ. Differunt præterea moribus. Nam aliæ mites, remissæ, & minimè peruicaces sunt, vt boues. Aliæ animosæ, peruicaces, brutè omnino, vt fues syluestres. Aliæ ingeniosæ, ac timide, vt cerui, lepores, cuniculi. Aliæ illiberales, perfidæ, insidiosæque, vt serpentes. Aliæ liberales, fortes, & nobiles, vt leones. Aliæ generosæ, feroces, insidiosæ, vt lupi. Nobile enim id est, quod ex bono prodiit genere: generosum autè, quod non à sua natura degenerarit. Et aliæ, astutæ, malitiosæ, callidæ, vt vulpes. Aliæ animosæ, & amatrices, & affèatrices, vt canes. Aliæ mites & mâsuetudini addictæ, vt elephantes. Aliæ verecundæ & cautæ, vt anseres. Aliæ inuide, & ornatus ac polituræ studiose, vt pauones. Homo vnus ex numero animalium omnium vim obtinet cogitandi. Et cum memoriâ, atq; disciplinâ cõplures animantes esse participes possint, nulla tamè præter hominem potest reminisci. Sed de moribus, vitâq; generis cuiusq; diligentius pôst.

Quæ corporis partes animalibus communes, quæ item propriæ sint. Cap. II.

Mnium autè partes cõmunes animalium sunt, qua cibus recipitur, & in quâ deuoratur. Quas quidè partes & easdem esse, & diuersas, nihil prædictis rationibus prohibet. Aut enim specie, aut excessu, aut proportione, aut situ determinandum est. Ab iis aliæ cõmunes plurimorum animalium partes habentur, & qua cibi excrementum emittitur. Non enim hæc omnibus data est. Partè, qua cibus recipitur, os appellamus: in quâ deuoratur, ventriculum. Reliqua pars multiplici nomine significatur. Sed cum duplex sit excrementum, hoc est, siccum, ac humidum: quæ partem illam humidum excrementi capientem habent, hæc siccæ receptaculum continent. Quæ verò hoc habent, non illud etiâ habere omnia nouimus. Quam ob rem quæ vesicam habent, aluum eadem etiam obtinent. At verò quæ aluum habent, non omnia & vesicam possident. Humidi namq; excrementi conceptaculum, vesicam: siccæ, aluum nominamus. Reliquis magna ex parte tum eæ, quas enumerauimus, partes tributæ sunt, tum etiam qua semen genitale mittatur.

Quomodo animalia inter se differant in seminis prolifici emissionem. Cap. III.

Væ modò gignere animal possint, aut in se ipsa semen prolificum mittunt, aut in alterum. Fœmina quod in se mittit, appellatur. Mas, quod in alterum. Sed in nonnullis discrimen id fœminæ & maris non est. Species quoq; partium, quæ ad ipsam pertinent procreationem, diuersa est, cum alia vuluam habeant, alia quod vuluæ proportione respondeat. Partes hæc sunt, quæ necessariæ vel omnibus, vel plurimis datæ animalibus sunt. Omnibus verò sensus vnus tactus inest cõmunis. Itaque pars, qua sentiendi vis ista contineatur,

nomine vacat: aliis enim eadem, aliis ex proportione habetur. Humorem quodq; animal habere, aliter tamen huic, vel illi inesse. Cap. IIII.

Humorem item genus quodq; animalium continet, quo si aut per vim, aut per Naturâ ipsam priuetur, in perniciem agatur necesse est. Habent etiâ id diuersum, in quo humor ille & fiat, & contineatur. Sunt hæc in aliis sanguis, & vena: in aliis, quod iis proportione respondeat: quæ quidè imperfecta sunt, atq; alterum fibra, alterum sanies dicitur. Tactus itaq; in parte corporis similari consistit, vt in carne, aut in aliqua generis eiusdem: denique in parte sanguinea, aut in ea, quæ ex proportione vice illius habeatur. Omnibus tamè parte similari sensum hunc contineri certum est: sicut è contrario potèntias agentes partibus dissimilibus tributas esse apertum est: vt ori, ciborum cõfectione: pedibus, aut alis, aut quibusuis proportione accommodatis, officium incedendi. Ad hæc, animalium alia sanguinè habent, vt homo, equus: deniq; omnia, quæ aut perfecta pedibus carent, aut binis, quaternisue pedibus cõstant. Alia exanguia sunt, vt apes, vt vespæ: atq; inter marinâ, sepia, locusta: denique omnia, quæ pedibus plus, quàm quaternis, innitantur.

Quæ animalia perfectum animal, quæ oua, quæ vermem gignunt, quò ve ritu quæque incedant. Cap. V.

Tem alia animal gignunt perfectum, alia ouum, alia vermem. Procreant animal, homo, equus, vitulus marinus, & reliqua, quæ pilis integuntur: atq; in genere aquatili, quæ cete appellamus: vt delphini: & quæ cartilaginea vocantur. Quorum alteris fistulâ data est, branchiæ defunt, vt delphinis, & balænis. Habent delphini fistulam à dorso, balæna à fronte. Alteris branchiæ detectæ, vt mustelo, raia, reliquisq; generis eiusdem. Ouum id ex fœtibus perfectis vocamus, cuius ex parte principio animal consistit: reliquum verò alimentum ei, quod gignitur, est. Vermis id est, ex quo toto animal totum per subiecti fœtus formationem, incrementumq; gignitur. Animalium ergo, quæ animal generant, aut oua intra se prius conficiunt, vt cartilaginea: aut illico animal intra se formant, vt homo, vt equus. At verò in lucem fœtu perfecto, aut animal editur, aut ouum, aut vermis. Ouum ipsum, aut putamine continetur testaceo, & bicolor est, quale auium esse videmus: aut cute molli obducitur, vnicolorque est, quale cartilaginea, vermescque pariunt. Vermes item, aut continuò mobiles sunt, aut immobiles. Sed de his accuratius pôst, cum de generatione agetur, differemus. Nunc animalium reliquas differentias addimus. Enimuero alii pedes Natura dedit, aliis negauit. Et quæ obtinent pedes, aut binos hæc habent, vt homines, atq; aues, duo hæc tantummodo genera. Aut quaternos, vt lacerti, vt canes. Aut plures, vt centipedes, & apes. Verum quæcunque ambulant, omnia pedes pari numero possident. Quæ autem in genere

Quaratione numero pedum animalia variant.

ephemerum animal

nere natante pedibus carent, hæc aut pinnis natant, vt pisces: (quorum alii quaternas, binas scilicet parte prona, & binas supina habent, vt aurata, vt lupus: alii binas tantum, qui longi, lauesq; sunt, vt anguilla, vt congrei) aut nullas omnino habent, vt maræna: sed ita mari vtutur, vt terra serpentes, modòq; simili repunt in humore. Cartilaginei quoq; generis aliqua pinnis carèt, vide licet quæ plana sunt, & caudâ habent, vt raia, & pastinaca, suâq; ipsa latitudine natât. Raia tamè pinnas habere videmus, & quæcûq; suâ latitudinè nõ colligunt in mucrone. Quæ autè pedes habere putantur, vt mollia, tum pedibus ipsis, tum pinnis natant, & quidem his celerius, iners autè alueus ducitur: vt sepia, loligo: polypus potest, sepia, & loligo nequeunt. Crusta intectâ, vt locustæ, suis caudis natât, celerrimèq; retrorsum, pinnarum caudâ adiunctarum beneficio. Cordula etiâ pedibus natat, & cauda, quâ similem siluro habet, quoad paruû magno licet conferre. Volucrum autem alia penna volât, vt aquila, vt accipiter: alia membrana sicca, vt apes, vt scarabei: alia cute, vt vulpecula, vesperilio. Volant pennis aut cute, quæ habent sanguinè. Membranis siccis, quæ sanguine carent, vt insecta. Sunt porrò quæ vel pennis, vel membranis volant, omnia bipeda, aut apeda. Angues enim circa Aethiopiâ tales volare narrantur. Genus pennatû, auem appellamus: reliqua duo genera nomine carent cõmuni. Volucris autem generis exanguis, aliis pennarum tutelæ crusta superuenit, vt vaginipenes possint nuncupari: velut scarabei: aliis penna nulla crusta integuntur, quorum alia bipenes sunt, alia quadripennes. Gerunt pennas quaternas, quæ aut grandiora sunt, aut aculeo in aluo armantur. Vaginipennis illius ordinis nullus est, quod aculeum gerat. Bipeda anteriore parte aculeos gerunt, vt musca, tabanus, asilus, culex. Omnia, quæ sanguine carent, minùs, quàm quæ habent sanguinem, adolefcunt, paucis marinis exceptis, vt mollium nonnullis: quæ quidem genera grandiora locis tepidis redduntur, & maripotiùs, aut dulcibus aquis, quàm terra. Omnia, quæ se mouet, aut quaternis notis mouentur, aut pluribus. Quaternis tantum, quæ habent sanguinem: vt homines binis manibus, binisq; pedibus: aues binis alis, & binis pedibus: quadripedes pedibus quaternis pisces pinnis quaternis. Nam & quæ pinnis, aut non ampliùs binis, aut nullis, vt serpentes, vtuntur, quaternis ea quoq; notis nihilò minùs mouentur: flexus enim quaterni his aguntur, aut binum cum pinnis binis. At verò quæ sanguine vacua pedibus se pluribus moueant, siue volucres sunt, seu pedestres, iis certè motus per notas plures exercetur: vt animal, quod à vita die vno describenda ephemerum appellatû est, pedibus quatuor, pennisq; totidem mouetur: quippe quod non solum vitæ suæ ratione proprium id meritò habeat, sed etiâ cum quadrupes sit, volucre quoque est. Omnia porrò tam quadruda, quàm multipeda, modo simili moueri solita sunt: cunctis enim motus per diametrum agitur. Verum cum cætera ducibus binis pedibus incedant, cancer vnus quaternis regi solitus est.

Quæ animalia habeant sanguinem, quæ ve eodem careant. de ordi Cap. VI. ne dicendi in huius libri

Semma verò animalium genera, in quæ singula digerantur, rediganturq; animalia, quibus scilicet illa cõsummantur, & constant hæc sunt: auis, piscis, cetus: quæ quidè omnia habent sanguinè. Ad hæc genus testa intectum est, quod ostreum, siue cõchæ appellamus: & crusta inclusum aliud, quod nomine vacat communi, vt locustarum, & cancrorum, & gammarorum genera: aliud item molle, vt loligines, vt lolii, vt sepiæ. Adde genus insectum: quæ omnia genera sanguine carent. Et quorum natura pedes habere patitur, multis hæc pedibus constant. Sed insectorum vel aliqua volucres esse apertum est. Reliquorum animantium genera nulla præterea ampla intelliguntur. Vnum enim, quod plura genera contineat, nullum est: sed aut simplex est, nullis ipsum specificis euarians discriminibus, vt homo: aut diuidi quidè potest in species, sed nullis nominibus distinctas. Quæ enim genere quadripede nõ pennato continentur, sanguinè quidem omnia habent: sed alia animal pariunt, alia ouum. Dixerim hæc ouipara, illa viuipara. Quæ igitur animal generat, pilos non omnia habent: quæ autem oua pariunt, cortice omnia muniuntur. Cortex hic loco squamæ similis potest appellari. Pedestre sanguineum, quod pedibus careat ex natura, genus serpentum est: idque intectum cortice est. Verum cum ceteri serpentes oua pariant, vipera vna animal gignit. Non enim pilos omnia habent, quæ animal generant, quippe cum nonnulli ex piscibus animal procreent. Quæ tamen pilos sortita sunt, animal progignunt. Nam pilos quoq; effigie aculei spiculatoros, genus quoddam esse pilorum putandum est, quales herinacei, atque histrices gerunt: vicem enim villorem, non pedum, vt echinorum aculei præstant. Generis quadripedum, quæ animal gignunt, plures quidem species intelliguntur, sed nullis ferè notatæ nominibus. Singulorum enim nomina habentur, vt hominis leonis, equi, cerui, canis, reliquorumque ad hunc modum. Nullis ferè inquam, quoniam genus vnum, vel super iis omnibus, quæ iumenta nominamus, est, vt equo, asino, mulo, gino, inno & mulis, quas terra Syria fert, quæ similitudine quadam nomen mularum acceperunt, quantum non omnino eadem, qua mularum specie continentur. Coeunt enim, & mutua inter se ratione progenerant. Naturam itaque eorum, quæ minùs genere certo continentur, seorsum singillatim consideremus necesse est. Hæc ita impræsentiarum formula exposuisse quadam prægustandi gratia placuit, videlicet, vt quibus de rebus tractandum, & quatenus esset persequendum intelligeretur: pôst accuratius de iisdem differemus, vt primum differentias, atque accidentia, quæ iuncta cuique sunt, accipiamus: deinde ad eorum comperendas causas enitatur. Ita enim effici potest, vt via, rationeque docendi vtamur Naturæ congrua, cum commentario singulorum antecedit. Hinc enim aperitur,

Demulsum mularum generatio.

Demonstratio, veraque docendi via.

peritur, quibusnam de rebus, & ex quibus effici demonstrationem oporteat. Primum itaque partes animalium, ex quibus constant, enumerasse par est. His enim potissimum, atque in primis tota quoque ipsa inter se differunt: videlicet, aut eod quod alia habeant, alia careant: aut situ, & ordine, aut differentiis, quas antehac exposuimus, id est, specie, excessu, proportione, & affectuum contrarietate. Sed primum partes hominis explicare debemus. Ut enim numeros ad id, quod sibi quisque exploratum, certumque habeat, probare solet: ita ceteris quoque in rebus agendum est. At homo animalium maxime omnium notum nobis, necessario est. Partes igitur hominis exteriores, etsi non sensum effugiunt, tamen ne sequela, & series continuanda doctrinae prætermittatur, atque etiam ut sensum ratio comitetur, partes primum enumerabimus officiales, siue instrumentales, deinde simularium ordinem prosequemur.

De summis in hominis corpore partibus, & quid caput, quid item thorax sit. Cap. VII.



Summa igitur partes, in quas primas totum diuiditur corpus, hæ sunt: caput, collum, thorax, brachium duplex, crus duplex. Thorax eam partem appello, quæ à collo ad pudenda usque; trunca pertendit. Capitis autem pars, quæ capillis intacta est, calua appellatur: cuius pars prior sinciput, no uissimè consistere solita: omnium enim ossium corporis ultimum id concreuit, & induratur. Posterior, occiput est. Media inter occiput, & sinciput, vertex. Cerebrum sincipiti subditum est: occiput inane. Calua ipsa sanè tota, os rarum, rotundum, cute gracilentum obductum est. Habet suturas, quæ mulieris est, unam in orbem: quæ autem uirum, tres in idem magna ex parte coeunt. Iam uisum etiam sine ulla futura caput uiri est. Verticem caluæ, medium discrimen, & æquamentum capillorum uocamus: quod nonnullis geminum est. Sunt enim qui facti à Natura biuertice sint, uerum non osse, sed capillorum æquamento.

Quid facies in homine. Cap. VIII.



Faciem, partem eam nominamus duntaxat in homine, quæ caluæ subiecta est. Nam piscis, aut bouis faciem dicere non solemus. Partes faciei, frons: quæ sub sincipite posita, inter id ipsum, & oculos est. Quibus hæc magna, segnes: quibus parua, mobiles: quibus lata, mente moueri idonei: quibus rotunda, iracundi.

De supercilijs, oculis, palpebris, cilijs, pupilla, nigro, candido, angulis: & de ijs animalibus, quæ oculis careant. Cap. IX.



Vpercilia sub fronte bipartito distincta, quæ si in rectum porriguntur, mollem subesse animam significant: si iuxta nasum inflexa sunt, austerum notant, & acerbum: sed si iuxta tempora inflectuntur, derisorem, dissimulatoremque; indicant: si uerò in totum demissa, notam inuidiæ habent. Oculi his subiacent duo, legitimo scilicet Naturæ officio: quorum partes superius, inferiusque tegentes, palpebræ appellantur. Pilos, qui extre-

mo palpebrarum ambitui adhærent, ciliu nominamus. Humor oculi interior, quo uidemus, pupilla est: quod eam ambit, nigrum dicitur: quod postremo nigrum circumdat, candidum, siue albugo. Pars comunis superioris, inferiorisque; palpebræ, angulus est: quem duplicem uterque; oculus habet, alterum iuxta nasum, alterum iuxta tempora. Qui si iusto sunt longiores, notam morum maleficorum præbent: si carnosum more pectunculo sunt, qui naribus iunguntur, malitiam præferunt. Habent profecto oculos, tum cætera animalium genera omnia, præterquam testa intacta, & si quid imperfectum aliud est: tum ea, quæ animal generant, omnia, præter talpam, quæ modo quodam habere dixerim, cum tamen omnino habere negem: quippe cum omnino quidem nec uideat, nec perspicuos habeat oculos: uerum si quis prætentam membranam detrahit, locus oculorum apparet, & pars nigra eorundem: situs denique, & descriptio eadem, quam legitimam conspiciu oculi obtinent: utpote cum obducta cute oculi pressi, confusi, oblesiq; essent, dum crearentur.

De oculorum uarietate in quibusque animalibus. Cap. X.



Andidum oculi magna ex parte simile in omnibus est. At quod nigrum dicitur, uariat: aliis enim atrum, aliis admodum cæsum, aliis fuluum, aliis caprinum, quod morum optimorum indicium est, & ad cernendi claritatem primatum obtinet. Solus ergo potissimum animalium homo numero sa oculorum uarietate notatur, cum cæteris in suo singulis genere, color sit idem, equis exceptis, qui interdum oculis proueniunt cæsiis. Sunt oculorum, alii gradiores, alii parui, alii modici, qui optimi habentur: item alii nimium prominentes, alii conditi, alii modicè siti. Qui conditi sunt, clarissimè cernere in genere quoque; brutorum animalium possunt. Modicus tamè situs, nota morum est optimorum. Et, aut nimium conuiuent, aut rigidi, intentiq; constant, aut modicè nutant. Notam morum laudabilium habent, qui mediocriter conuiuent. Reliquorum alteri impudentiæ, alteri inconstantia indices sunt.

De aure, naso, temporibus, maxillis, labris, gingiuis, dentibus, lingua, palato, columella, eorumque in quibusque animalibus differentijs. Cap. XI.



Auris, pars capitis, qua audimus, est, ita ut nulla spiratio desideretur. Errat enim Alcmaon, qui capras spirare per aures credidit. Auris pars exterior, cui nomen auriculæ, parte constat superiore, pinna: inferiore, fibra. Tota autem ipsa ex cartilagine, carneque constituta est. At pars inferior forma anfractui cochleæ similis desinit in os, quod auriculam planè imitatur, in quod quasi nouissimum vasculum strepitus deuenit. Hinc meatus ad cerebrum nullus est. At in oris palatum usque semita pertendit, & uena de cerebro descendit eodem. Oculi quoque in cerebro finium, & uterque positus super uenula est. Aures homini tantum immobiles: nam eorum, quæ sensum

sum obtinent audiendi, aliis auriculæ sunt, aliis defunt, meatusque patent ipsi audiendi, ut iis, quæ penna, aut cortice, squamave integuntur. At ea, quæ animal generant, omnia auriculas habent, excepto vitulo marino, & delphino, & reliquis ita ceterariis. Nam & quæ cartilaginea appellauimus, animal pariunt. Verum homo vnus, aurem non mouet. Vitulus ergo marinus meatus continet manifestos, quæ audit: at delphinus audit quidè, sed nullis cauernis, quæ uicem præstent aurium. Cætera suas auriculas omnia mouent. Situm aures hominis eundem in orbe, quo oculi, obtinent: non ut quadrupedum nonnullis posita superius sunt. Aurium alia læues, alia pilosæ, alia medium tenent, quæ quidem ad audiendum aptissima sunt. Morum hinc præscita nulla habentur. Item alia maiores, alia paruæ, alia mediocres, & aut nimium, aut parum, aut mediocriter arrectæ. Notam morum optimorum habent quæ mediocres: at quæ magnæ, arrectæque ultra modum, stultitiæ indices sunt, aut loquacitatis. Partem inter utrumlibet oculum & aurem, & uerticem positam, tempora appellamus. Item pars faciei nasus, quæ meatum præbet spiritui: aerem enim ea parte reddimus, & accipimus. Sternutamentum quoque eadem agitur parte: quod flatus uiuersi eruptio est, signum augurale, & vnus ex spirituum omnium generibus sanctum, & sacrum. Tum etiam spiritum trahi in pectus, & inde reddi necesse est: quod fieri non potest, nisi naribus spiremus, cum reciprocatio spiritus de pectore per gurgulionem, non de capite parte aliqua actetur: sed datur uiuendi facultas, etiam si desit spiratio. Olfactus quoque, id est, sensus odoris, hac eadem parte subministratur. Mobiles esse nares Natura uoluit, nec sicut aures immobiles sua compage. Pars nasi, quæ cartilaginea nares discriminat, interseptum uocamus: meatum uerò utrunque, inane: nasus enim bipartito distinctus est tramite. Elephantis prolixa, ualidaque naris augetur: eiusque usus idem, qui manus: ea namque cibos tam siccos, quam humidos colligunt, capiunt, & in os admouent soli animantium omnium. Est præterea maxilla duplex, cuius pars prior mentum, posterior mandibula est. Mouent animalia omnia maxillam inferiorem, crocodilo fluuiatili excepto: is enim vnus superiorè mouet. Labra mox à naso habentur, caro permobilis. Quod autem intra maxillas & labra describitur, os est: cuius partes, palatum, & fauces. Inest pars sentiens saporem, lingua: vim istam sentiendi præcipuè obtinens parte sui primore: nam si interiore tangat, minus sentiet. Omnia præterea, quæ caro sentire potest, lingua etiam potest: ut durum, calidum, frigidum, sua quauis parte, sicut & saporem. Hæc aut lata est, aut angusta, aut mediocris, quæ quidem optima & explanatissima est. Item aut absoluta, aut constricta, qualis tortorum, balborumque est. Carne soluta, rara, fungosa, lingua constat. Eius pars quædam ligula est. Bifida oris compago, tonsillæ: multifida, gingiuæ appellantur: carne hæc constant, intusque dentes ossei cohærent. Parte uerò penitior, particula pendet, alia uigera, uenæ applicata, columella nomine, quæ si immodicè humefacta intumescat, inflammeturque, nomine uæ uocatur, & strangulat.

Aurium differentia.

Præscita morum ex auribus.

Nares spiritum aerem recipiunt & expellunt.

Soli homini uarietas oculorum.

Elephantis usus naris quis sit.

Os, eiusque partes.

Quare primum de partibus animalium differet.

namque lapianum de pectore latanem abesta y permissima

Caput sine futura

Animi indicia ex supercilijs.

Loquellamano & sifentor

De collo, pectore, eorumque partibus. Cap. XII.



Ollum, quod inter pectus, & faciem est, cuius pars prior guttur, posterior gula: quantumque colli ipsius cartilagineum priorem obtinens situm, uocem transmittit & halitum, id arteria nominatum est. At uerò quantum interius spinæ præiacet, gula dicitur. Pars autem posterior colli extrema, ceruix appellata est. Partes thorace tenus dispositæ hæ sunt. Thorax ipse parte priore, posteriorèque; constat. Mox à collo pectus priorem obtinet situm bipartitum, in mammam parte sui utraque extuberans. Mammis laxior contextus corporis est, iuncta papilla, per quam foeminis lac transmissum elicitur. In maribus etiam lac fieri potest: uerum caro iis spilla, mulieribus fungosa, foraminulenta que est.

De ventre, inferioribusque, usque ad feminale membrum. Cap. XIII.



Venter infra pectus est parte priore, eiusque radix umbilicus est. Cui radici pars subiecta in latus utrunque, ilia dicitur. Quæ autem rectè subiungitur, fumen est, siue abdomen: cuius postremum, aqualiculus: Sed super umbilicum hypochondrium est, à cartilagine quasi subcartilagium denominatum. Cauum autem commune subcartilagii, & ilium, cholago est. Partem posteriorem lumbi pari structura præcingunt, unde nomen osphys inditum est. Partis uerò excretoriæ, quod subditum quasi stragulum est, nates appellatur. In quo autem femur uersatur, coxa, & acetabulum. Pars foeminae propria, uterus, aut uulua est. Maris, penis, foras postremo thorace propedens: parte sui prima, carne propemodum constans, & æquabili facie turbinata. Nomen à glande pars hæc mutuata est: quam quæ integit cutis, uacat nomine: quæ uulnere obducto coalescere nequit: sicut nec genæ, aut palpebræ præcisæ reduci ad unitatem queunt. Totum tamen, quod ex ea cute, glandèque constat, præputium est. Reliqua pars cartilaginea est, & augeri ampliter potest, & ingredi, atque egredi contra, quam iumentorum. Subiacent membro genitali testes gemini, cute obducti, quod ferotum nominamus. Testes ipsi nec eiusdem naturæ sunt, cuius caro, nec multum à carne disident. Sed quemadmodum hæc se habeant, ac omnino de cæteris huiusmodi partibus, postea accuratiùs differemus.

De uarietate seminalis membri, uiri, & mulieris. Cap. XIII.



Mulieris autè genitale contra quam uiri formatum est. Cauum enim subditum pubi est: non sicut maris propensum, ac prominens. Ceruix ab utero effertur, accessum prolifico maris femini præbens. Exitum humidi excrementi suo sexus uterque; genitali habet subministrandum. Communis colli & pectoris pars, iugulum est. Costæ, brachii, & humeri, ala. Femoris, & imi uentris, inguen. Pars item interior femoris &

Partes quarum vnitas soluta coalescere nequit.

& natis communis, coles: exterior, subnatale. Thoracis iam partes omnes primores diximus.

De dorso, cæterisque partibus posterioribus.

Cap. XV.



Orsum ponè pectus est, cuius partes, scapula, & spina: infraque è regione vètris, lumbi habentur. Communes autem partes superioris, inferiorisque, costæ octo nã. Nam de hominibus gentis Turdulorum, quos septenis costis ferunt creari, nullius idonei auctoris testimonio constat. Habet sanè homo suas partes ita dispositas, vt in eo & superius sit, & inferius, & prius & posterius, & dextrum & sinistrum. Constat sanè, dextrum & sinistrum ex similibus ferè partibus, atque eisdem. Verùm sinistra omnia sunt imbecilliora. At posteriora prioribus, & superiora inferioribus discrepant: præterquã quòd inferiora similitudinem superiorum præferre ea dixerim ratione, qua venter imus respòdere assolet faciei, in corpulentia, vel gracilitate: & crura cum brachiis communem ineunt rationem. Itaque quibus cubiti breues, iis etiam femora magna ex parte breuia sunt: & quibus pedes exigui, iis manus quoque parua habentur. Membri verò superioris bipartitã compactionem, brachium, siue vtram appellamus. Cuius partes, lacertus agilis, gibber, cubitus, manus. Partes manus, palma, & digiti quinque numero. Digiti pars, quæ se inflectit, nodus, siue articulus est: quæ rigida constat, internodium dicitur. Digiti pollex nuncupatus, vno inflectitur nodo, cæteri binis adducuntur. Inflexus verò tum brachii, tum digitorum omnium, agitur in interiora. Brachium ad gibberum appellatum inflectitur. Nodus, quo cum brachio manus iungitur, coarctaturque, brachiale vocamus. Pars interior manus vola dicitur: carnosa est, & scissuris vitæ indicibus distincta: longioris scilicet vitæ, singulis aut binis ductis per totam breuioris binis, quæ non longitudinem totam designent. Exterior neruosa est, & nomine carès. Membri inferioris bipartita compactio, crus est: huius femur, quod biceps. Mola, quod locum orbiculatam foris adiectum habet. Tibia, quod gemino osse subiacet: cuius pars prior crea, posterior sura, caro neruosa, venosave, aliis retracta à poplite, quibus nates sunt pleniores: aliis detracta, quibus graciliores. Postremum cruris, malleolus geminus vtrique partitus lateri est. Pes autem, quod multiplici osse constat: cuius pars posterior calx, prior discreta in digitos quinq; est: media plantæ nomine explicatur, cuius quod carnosum inferius, solum attingit. Vestigium est, quod superius pronam conficit partem, neruosum: & nominis adhuc indigum est. Hæret summis digitis vnguis, & nodus interuenit: sed non nisi vno inflexu adducitur. Quibus pars interior plantæ non caua, sed ita pleniusscula est, vt solum toto attingat vestigio, ii versuti sunt, & fraudulententi. Commune femoris, & tibiæ, genu, poplèsque est. Partes maris ac foeminae communes hæ sunt: quarum situs quemadmodum ad superius, inferius, prius, posterius, sinistrum, dextrum, se habeat, tametsi per corporis summa visu exploratur, ac patet, describendus tamen is quoque, recitandusque est, eadem illa de causa, qua superiora enumerauimus omnia, scilicet

Partium humani corporis dispositio

Nota

Scissuris in vola longitudo vitæ indicari.

Animi signum ex pedum vestigio.

vt series commentandi seruetur perpetua, dum ordinem persequimur omnium, quò minus lateant ea, quæ non modo eodem homines, quo cætera animalia possident. Ergo superiora, inferioraq; hominem omnium maximè animalium habere, ratione locorum naturalium intelligimus. Eius enim partes tam superiores, quàm interiores, ad situm orbis vniuersi superiorem, inferioremq; dispositæ sunt. Itidem quæ priores, posterioresque, atq; etiam dextra, sinistraq; habentur: cum cæterorum animalium genus, vel omnino respectu eiusmodi careat, vel confusius ita constet. Caput itaq; cæteris omnibus superiorem obtinet situm, corporis sui ratione. At homo, quoniam (vt modò diximus) ad vniuersi orbis habitum institutus est, idcirco partem etiam istam habet respondentem parti sublimi vniuersi. Caput, ceruices, & collum, excipiunt tum pectus, & dorsum. Alterum prius, alterum posterius est. Subiacent iis, venter, & lumbi, genitale, & nates: mox femur, & tibia: postremò pedes. Crura verò anteflectunt, eòdem scilicet, quò & incedunt. Pedis etiam pars mobilior eòdem se flectit. Calx è tergo positus est. Malleoli, situm imitantur aurium: quippe qui latera teneat imi cruris, quomodo aures iunctæ lateribus capitis habentur. Brachia ex latere corporis sinistro, dextroque dependent, atq; se introflectunt, ita vt homini potissimum deuexa crurum, & brachiorum aduersa inter se sint. Sen sus autè, partèsq; eorum sensorias, oculos dico, nares, linguam, eòdem, scilicet priorem in partem spectantes habemus. At auditum, eiusque partem sensoriam, id est, aures, à latere, eodem in orbe, quo oculos. Distant oculi hominis sibi interuallo, proportionem magnitudinis respectu cæterorum animalium, minimo. Tactus è sensibus homini exquisitissimus, deinde gustus & tactus: reliquis superatur à multis. Itaque partes exteriore collocatæ, atque dispositæ sunt, nominanturque præcipuè, & cognitæ per vsum, situmque euidètior habentur.

Cum quibus animantibus hominis cerebrum, gula, arteria, & venter, conueniant.

Cap. XVI.



T verò interiores cõtra: sunt enim hominum id primis incertæ, atque incognitæ. Quam ob rem ad cæterorum animalium partes, quarum similes sint humanæ, referentes, eas cõtemplari debemus. Primùm igitur cerebrum capitis priorem obtinet situm, non modò in homine, verùm in cæteris etiam animalibus, quibus ea pars data est. Omnibus autem in iis est, quæ sanguinem obtinent, & ob eam rem sanguinea appellantur: atque etiam quæ mollia nomine speciali nuncupantur. Sed homo plurimum cerebri proportionem magnitudinis, ac humidissimum habet. Continent id membranæ duræ: altera osi adhærens, valida: altera ipsum cerebrum attingens, infirmior. Bipartitum omnium cerebrum est, postremumque iungitur, quod cerebellum appellatur, quod certè & tactu, & specie formam habet diuersam. Pars verò posterior capitis, inanis, & caua omnibus est, prout in singulis magnitudine variatur. Quibusdam enim caput grande, facies

Gustus & tactus exquisitiores homini.

Cerebrum hominum maximum.

Nota

Ventriculus hominis qualis.

facies subiecta capiti parua, vt quæ rotunda sunt facie. Aliis caput paruum, maxilla longæ, velut generi omni iumentorum. Cerebrum omnibus priuatim sanguine est, nec venam intra se vllam continet, & ad tactum frigidum per naturam est. Habet suo in medio plerisque omnibus cauum quoddam exiguum membrana obhærente venosa, cuticularique obducitur. Osse postremò continetur tenuissimo, infirmissimoque omnium capitis ossium, cui nomè occipiti. Meatus ab oculis terni ad cerebrum pertinent, ita vt maximi, & mediocres ad cerebellum tendant, minimi ipsum cerebrum adeant. Minimi ii sunt, qui propiores naribus oriuntur: maximi porrò illi æqui distat, nec vsquam coire possunt. Mediocres coeunt: quod præcipuè in genere piscium patet: & cerebrum sunt ii propiores, quàm magni. Minimi perquam laxo inter se distant interuallo, & nunquam ob eam rem possunt coire. Gula intra collum est, ab angustia & longitudine nuncupata: cui comes arteria iungitur, priorem obtinens situm in omnibus iis, quæ eam habere Naturæ placuerat. Habent autem omnia, quibus pulmo est. Natura cartilaginis arteria constat, & sanguinis perquam exigui compos est, venulis complexa tenuibus. Quod ad superiora, id est, oris habitum pertinet, è regione posita est foraminibus narium, quæ in oris partem patefuit. Vnde fit, vt quoties inter bibendum humor retrahitur, effluat ex ore per nares. Iungitur lingua postremæ, quæ ligula nominata est, posita inter ea, quæ modò dixi, foramina: videlicet apta, quæ per vices arteriæ foramentum, quod ad os spectat, operiat. Arteria altero sui extremo, cum lingua ima coniungitur, altero ad pulmonis inter capedinem descendit, tum in vtranque finditur partem pulmonis. Esse nanque bipartitus pulmo omnium expetit. Verùm in iis, quæ animal generant, distinctio nõ æquè apparet, minimeq; in homine. Est præterea hominis pulmo simplicior, nec ita multifidus, vt nonnullorum animal procreantiu est: nec læuis, sed inæquabilis est. At in ouiparo genere, vt aubus, & quadrupedibus, quorum partus ouis primordium inchoari solitus est, pars altera pulmonis multum discissa ab altera est, ita vt binos habere pulmones videantur. Atque à singulari arteria partes in vtranque pulmonis latus duæ dependent. Venæ quoque maiori, ac alteri, cui nomè est aortæ, pulmo connectitur. Spiritus verò, quoties inflatur arteria, caua subit pulmonis. Hæc mucronata specie cartilagineis diducuntur corpusculis, de quibus foramina quoquouersus per diminutiones, arctioribus subinde ampliora excipientibus, transmittuntur. Cor etiam arteriæ iungitur, obesis, cartilagineis, fibrosisque vinculis: & quæ annectitur, cauum est. Spiritus, dum arteria inflatur, an subeat cor, minus in nonnullis constat, scilicet minutis. At in grandioribus animalium, spiritum cor subire ipsum, apertum est. Arteria ita se habet: & accipiendi, reddendique tantummodo spiritus officio fungitur. Nihil etenim aliud vel siccum, vel humidum pari ipsa videtur: sed vbi in eam tale quid deerrauerit, tandiu torquetur, dū excutiat quod delapsum est. Gula ab ore & ipsa dependet, continua tum spinæ, tum arteriæ nexu fibrarum: & per septum transversum in ventriculum finit, carnis speciem referens, & pariter distendi in longum, latumq; habilis. Ventriculus autem huma-

nus canino similis est, quippe qui non multò amplior sit, quàm intestinum, sed quasi intestino similis ampliori. Tum intestinum simplex flexuosis orbibus est, à quo proximum intestinum admodum amplum. Alius autè ipsa suilla similis est, quippe quæ & ampla sit, & quod vsque in sedem porrigitur, breue id, corpulentumque transmittat. Omentum medio à ventre dependet, quod non nisi pinguis membrana est: sicut etiam in cæteris animantibus, quæ vnum continent ventrem, & vtraque parte oris dentata sunt. Lactes super intestina positi sunt, qui & ipsi latiore constant membrana, & pinguescunt: pendunt ex vena maiore, atque aorta, venasque permultas frequenti concursu deferunt ex pari illo venarum grandium ad intestina, de summis ad ima vsq; spargentes. Gula, arteria, venter, ita se habent.

De corde hominis, cæterorumque animalium, & eius sede. Cap. XVII.



Or sinum triplicem continet: iacet paulò à pulmone superius ad arteriæ fissuram, opertum membranæ inuolucro pingui, & corpulento, quæ venæ maiori adnectitur, & aortæ. Iungitur cum aorta suo mucronato turbine, in pectusque parte eadè vergit omnium pariter, quæ pectus fortiuntur. Omnibus verò tam pectore constitutis, quàm ea ipsa parte carentibus, cor æquè suo mucrone in partem vergit priorem: verùm latere sapius potest, quoniam dissecto animalante dimoueat. At parte sui ampliore, & gibba, superiora corporis spectat. Habet maiorem partem sui mucronis carnosam, & spissam, & neruulos suis in cauis continet. Situm cæteris animalibus in medio pectore est, in quibus scilicet pectus inest. Homini tantum in partem sinistram potius vergit, paulò à mammarum distinctione ad læuam inclinans papillam pectoris parte superiore: nec magnum est, & specie tota non oblongum, sed rotundius. Parte tamen extrema in acutum se colligit, exitque penè in mucrone. Habet, vt modò exposui, sinum triplicem: maximum dextro in latere, minimum in sinistro, medium magnitudine inter sinistrum & dextrum. Omnes ad pulmonem foraminibus peruii redduntur, quæ res in vno tantum pepsicua est. Inferius verò à nexu suo, maximo sinu venæ coniungitur maiori, ad quæ lactes etiam sunt. Sinu autè medio aortæ annexum est. Quinetiam ad pulmonem meatus à corde ducuntur perpetui, findunturque eodem, quo arteria, modo, in omnes pulmonis partes: & meatus, qui eodè ab arteria tendunt, sequuntur. Verùm hi superiorem obtinent situm, neq; vllò communi foramine commeant, sed sua ipsi copulatione spiritum, quem cordi transmittant, recipiunt, pertinet enim alter ad cauum dextrum, alter ad sinistrum. De vena maiore, ac de aorta separatim ratione communi post disseremus. Sanguinis autem plurimum pulmo ex cæteris continet membris, quæ animal pulmonis compos, idemque viuiparum intus, forisve constituunt: quippe qui totus inanis sit, & fungosus, ac riuulos venæ maioris singulis suis fistulis excipiat. Errant enim, qui sanguinis vacuum pulmonem esse arbitrantur, decepti scilicet conspectu eorum pulmonum, quos dissectis detraxerint animalibus, quorum sanguis illico effluit vniuersus. Cor vnum ex reliquis visceribus

Cordis sinus tres.

Sanguinis plurimum in pulmone.

bus sanguinem habet. Et cum pulmo non intra se, sed in venis contineat sanguinem, cor eundem intra se, sed in venis contineat sanguinem, cor eundem intra se continere apertum est: singulis enim suis finibus sanguinem tenet, verum tenuissimū medio.

Septum trā-
uerfum. Sub pulmone septum transversum pectoris est, quæ præcordia, & cinctum appellant, costis, & subcartilagineis, & spinæ annexum, parte media tenue, membranaeque exilitate contextum. Venas etiam per se continet porrectas. Sunt porro hominis venæ crassæ proportionem humani corporis.

De iecinore, liene, felle, renibus, & vesica.

Cap. XVIII.

LEcur supra septum positum à dextro latere est. Lien à lauo æquè in omnibus quæ membra ista disposita habent per Naturam, non prodigiosè. Iam enim legitimum illum locum in nonnullis quadrupedum lienem cum iecinore permutasse visum est. Ventri lien annectitur, quæ omentum obducit. Est hominis lien suillo similis, sed specie angusta, & longa. Iecur magna ex parte, maximèque animalium numero felle caret. Verum in nonnullis id habere sibi adnexum videtur. Rotundum iecur hominis est, ac simile bubulo. Felle priuationem vel in victimis non nusquam percipi certum est: quippe cum parte quadam agri Chalcidici Euboicæ fel nullum pecori sit: an in Naxo omnibus ferme quadrupedibus adeo grande, ut qui sacra fecerint aduenæ stupefcant, rem scilicet prodigii loco sibi arbitantes, non talem esse naturam terræ illius quadrupedum. Iecur venæ maiori adnexum est, nulla ex parte aortam attingens. Vena enim, quæ à maiore proficiscitur, iecur transigit, quæ portæ appellatæ iecoris habentur. Lien quoque venæ vni maiori adnexus est: vena enim inde ad lienem pertendit. Renes post hæc iuxta spinam ipsam adhærēt, bubulis similes. Dexter in omnibus quibus sunt renes, animalibus, superiorem obtinet locum, minusque pingui obducitur, & sicior est: quod vel in omnibus æquè liquidò manifestatur. Pertinent ad renes meatus tam ex vena maiore, quàm ex aorta, sed non ad cauum: quod alii amplius, alii arctius sua media parte continent, præterquam in vitulo marino, cuius sanè renes, quantumvis bubulis similes sint, tamen omnium solidissimi visuntur. Mea-

Fel non omnibus animalibus.

Renum dexter superior in omnibus.

tus verò, qui eò pertinent, omnes in renum corpus absumuntur: cuius rei argumētum est, quòd sanguine carent, nec intra se quicquam concrefcere ostendunt. Habent igitur, ut modò dixi, sinum exiguum, à quo meatus duo insignes ad vesicam deueniunt. Alii etiam ex aorta frequentes ac validi eòdem pertendunt. Ex medio autem renum singulorum venæ singulæ, cauæ, nervosæ dependent, spinam prætereūtes ipsam angusto itinere: tum in vtranque abolētur coxam, ac denuo ibi porrectæ apparent, demumque in vesicam descendunt: hæc enim loco ultimo posita est, meatibus annexa illis porrectis à renibus ad ceruicem, vrinarium producentem meatum, & ferè circumundique extenuatis in fibras membranulis proximis, quodam modo septo illi transverso pectoris deligata. Est profectò vesica hominis proportione, quàm cæterorum, amplior.

De genitali membro, & testibus: quibusve corporis partibus mas à femina differat. Cap. XIX.

GENITALE ceruici vesicæ adnectitur, foramine foras directo peruium: sed paulò inferius altero intra eandem semitam conuio deductum. Quorum foraminū alterum ad testes, alterum ad vesicam, nervosum, cartilaginofumque tendit. Testes ex eo maribus pendent: de quibus postea partium communi examine, quemadmodum se habeāt, differemus. Hac eodem modo vel in sexu foemineo omnia Natura conformauit, atque disposuit. Nulla enim parte interiore sexus inter se differunt, nisi vtero: cuius forma qualisnam sit, ex confectionum descriptione petèdum, expectandūque est. Situs eius ad intestina infra aluum à parte priore: tum vesica iuncta supra vterum est. Sed de vteris quoque pariter omnibus differendum postea est. Neque enim similes dati omnibus sunt, nec forma simili constituti, si vterus cæterorum quoque animalium vulua dicenda est. Partes hominis tum interiores, tum exteriores, has, talesque, & ad hunc modum haberi perfectum est.

De Historia Animalium Libri Primi,

FINIS.

ARIST

ARISTOTELIS STAGIRITAE

de Historia Animalium Liber Secundus,

Theodoro Gaza Interprete.

Quæ animalia in quibusdam conueniant, in quibusdam autem differant.

Cap. I.

Qua ratione animalium partes eadem & diuersæ.



QUÆTERORVM animalium partes, aut communes omnium sunt, ut superiore volumine explicatum est, aut aliquorum generum propria. Eadem autem, diuersæve inter se sunt, eo modo, quo superius dictum est: quippe cum omnia ferè animalia genere diuersa, partium quoque suarum plurimas specie habeant diuersas: & aut proportione tantum easdè, genere autè diuersas: aut genere tantum easdè, specie autè diuersas. Sunt etiã complures, quæ aliis datæ, aliis denegatæ sunt. Ergo quadrupedes, quæ animal generat, caput, collū, & omnes capitis partes sortiuntur: verum ipsæ singulæ partes forma inter se differunt. Iam leoni ceruix osse vno rigida constat, nec vertebris vllis iungitur: interiora autem omnia canibus similia continentur. Habēt quadrupedes, quæ animal generant, omnes vice brachiorū crura priora: sed præcipuè, quæ multifidæ sunt, hæc manibus suo digitato pede respondēt: hoc enim ad plura, quasi manu, vtuntur. Partem etiam leuam minus, quàm homo, absolutam habēt, & agilem: excepto elephanto, qui digitos numero quinque indiuisos, leuiterque discretos, crura priora multò posterioribus longiora, & malleolos posterioribus imis cruribus possidet. Habet prætereà talem, tantamque narem, ut ea manus vice vtatur: quippe qui non nisi ad os illam admouens, & bibat, & edat: suo etiam rectori eam erigit, atque offert: & arbores quoque eadem prosternit, & quoties immersus per aquam ingreditur, ea ipsa edita in sublime, reflat, atque respirat. Ad uncuscula parte sui postrema, naris hæc est, sed flecti non potest: cartilaginea enim, & pròinde rigidiuscula est. Solus etiam animalium homo ambidexter, hoc est, dexter manu vtraque nascitur. Pectus animalia omnia humano proportionatum pectori habere visuntur, verum non simile: latum enim pectus humanum est, cætera angusta. Nullum est enim, quod, præter hominem, mammas parte gerat priora. Elephantus mammas duas quidem, sed non in pectore habet, sed paulò citra. Flectunt autem crura priora contrà, atque posteriora: & è contrario, quàm homo, membra inflectunt, excepto elephanto. Qua-

Quomodo artus flectantur animalantes.

drupedes enim, quæ animal generant, genua ante se flectunt, suffragines in auersum: aduersaque inter se habent cõuexa curuaturæ crurum suorum. Elephas non, ut aliqui retulerunt, agit: sed confidendo crura inflectit, nequit tamen præ nimio pondere vtrunque in latus æquilibrio quodam vergere: sed aut lauo incubat, aut dextro, atque eo ipso habitu requiescit. Flectit hic certè suos posteriores poplites modo hominis. At ouiparis quadrupedibus, ut crocodilo, lacertæ, & reliquis generis eiusdem, crura tum priora, tum etiam posteriora retroflectuntur, paulum in latus vergentia. Nec secus in cæteris multipedibus agitur, nisi quòd medii pedes subinde ambigui amplius in latus flectuntur. Homo inflexum membrorum suorum eodem è contrario agit: quippe qui brachia retrorsum flectat, quanquam ita, ut paulum vergant in latera exteriora, crura autè contrahat rectè. Sed quod antè tam priora quam posteriora inflectat, nullum est. Omnibus verò humeri, armive contrà, quàm cubiti, aut crura priora flectuntur. Coxæ etiam contrà, quàm suffragines. Cum itaque homo contrà, quàm magna pars cæterorum animalium, flectat, sit, ut si qua alia membris huiusmodi constant, ea quoque è contrario flectant. Aues etiam suos inflexus similes quadrupedibus agunt: crura enim quæ bina habent, in posteriora curuant: alas, quas vice brachiorum, aut crurum priorum obtinent, in priora. Vitulus marinus tanquam læsa, imperfectaque quadrupes est: quippe qui continuo à scapulis pedes habeat manibus similes, modo vsu: in quinos enim finduntur digitos, qui singuli ternis articulis flectantur, & vnguibus muniantur non magnis. Pedes quoque posteriores quinis discretos digitis habet, & curuatura, & vnguibus cum primis conuenientes verum forma proximos piscium caudis. Motus animalium quadrupedum, ac multipedum, per diametrum agitur: quo modo subsistere etiam solent. Initium autem incedendi omnibus à dextris partibus. Gradiuntur pedatim leones: & genus camelorum vtrunque, Bactrianum dico, atque Arabium, pedatim incedit, cum pes sinister non transit dextrum, sed subsequitur. Partes, quas homo habet priores, quadrupedes infra habent supinas. Quas autem ille posteriores, hæc priores. Magna item quadrupedum pars caudam habet: nam vitulo quoque marino cauda inest, quamvis exigua, cerui modo. De genere simiarum postea dicemus. Omnia ferè quadrupeda, eademque viuipara,

Motus animalium per diametrum.

sunt pilosa: nec hominis modo lævia esse nouimus. Homo certe paucissimis, exiguisque integitur pilis, nisi in capite, qua quidem parte hirtissimus omnium ipse est. Cæteris, quæ pilis vestiuntur, partes pronæ pilosiores sunt, supinæ aut glabræ omnino, aut minùs pilosæ habentur. At homo contrà. Cilium etiam homini vtrique in palpebra, & alæ oppletæ pilis, & pubes: quod cæteris abest: carent enim cilio palpebræ inferioris, sed paulò inferiùs pili rari nonnullis exeunt. Ipsorum autem quadrupedum pilis interiorum, aliis corporis totum est hirtum, vt sui, vrsæ, cani. Aliis collum hirtius pari vndique modo, vt leoni, & reliquis iubatis. Aliis pronæ tantum cervicis, à capite ad summos armos villi geruntur, vt equo, vt mulo, & reliquis capronatis: quo in genere bonasus quoque è syluestribus cornigeris enumerandus est. Quinetiam hippelaphus fati: iubæ summis continet armis, qui à forma equi, & cerui, quam habet compositam, nomen accepit, quasi equicervus dici meruisset. Necnon fera, quæ & ipsa ab equo Hippardium nominata est, capronas parte gerit eadem. Sed vtrunque id genus tenuissimum iubæ ordine à capite ad summos armos crinescit. Proprium equicervu villus, qui eius gutturi, modo barbæ, dependet. Gerit cornua vtrunque, excepta femina equicervuini generis: & pedes habet bifulcos. Magnitudo equicervu non disidet à ceruo. Gignitur apud Arachotas: vbi etiam boues syluestres sunt, qui differunt ab vrbanis, quantum inter suos vrbanos & syluestres interest. Sunt colore atro, corpore robusto, rictu leuiter adunco, cornua gerunt resupinatoria. Equicervu cornua sunt capræ proxima. Elefantus in quadrupedum genere hirtus minimè est. Caudæ etiam animalium pili corporis modum imitantur, dummodo cauda nota aliqua auctiore dependeat: est enim nonnullis tam exigua, vt vix dignosci à sensu possit. Camelus proprium inter cæteras quadrupedes habet in dorso, quod tuber appellat: sed ita vt Bactrianæ ab Arabiis differant: alteris enim bina, alteris singula tubera habentur. Sunt etiam omnibus singula parte ima, quale in dorso, tubera, quibus incumbat reliquum corpus, & firmetur, quoties in genua inclinantur. Papillas quatuor modo vaccæ habet camelus, caudam asino similem, genitale retro. Genua singula in singulis cruribus sunt, & flexus arcuum, non vt quidam perhibent, plures, sed propter alui intervallum plures esse videntur. Habet etiam talum similem bubulo: clunes proportionem magnitudinis paruos. Bifulcum id animal est, nec vtrunque dentatum. Sed bifulcum sic est, vt pes parte superiore scissus paululum sit ad flexum digiti secundum: parte autè priore summa, quadriparatitò findatur discrimine paruo, quantum primo tenus digiti inflexu, & quiddam inter fissuras, pèrinde vt in anserum pedibus adiectum contextat. Pes vestigio est carnosus, vt vrsæ: qua de causa eas, quæ per exercitum longiore itinere fatiscunt, calceant carbatinis. Omnium quadrupedum crura, osse, neruoque abundant, carne deficient. Quinetiam nullum, quod pedibus constet, excepto homine, pedes habere carnosos perspectum est. Coxarum etiam carne exuberante, in clunes vacant: quod in genere auium conspici apertius potest. At homo contrà: quippe qui nullam ferè sui

Hippelaphi forma.

Caudæ animalium.

Crura animalium non carnosæ.

corporis partem tam carnosam habeat, quam nates, femora, tibias. Quas enim furas vocamus, non nisi carnis copia, parte tibiæ posteriore complentur. Quadrupedum autem, quæ sanguine constant, eadèmq; animal generant, aliæ multifidæ sunt, quales hominis manus, pedesque habentur. Sunt enim, quæ multiplici pedum fissura digitentur, vt canis, leo, panthera. Aliæ bifulcæ sunt, quæ forcipem pro vngula habeant, vt oues, capræ, cerui, equi fluuiatiles, Aliæ infisso sunt pede, vt quæ solipedes nominantur, vt equus, mulus. Genus sanè suillum ambiguum est. Nam & in terra Illyriorum, & in Pæonia, & nonnullis aliis locis sues solipedes gignuntur. Bifulca igitur binis fissuris vtrunque, id est, à parte priore, posteriorèque diducuntur. Solipeda eam partem continentem ex toto habent. Sunt item animalium alia cornigera, alia mutila. Quæ cornua gerunt, bifulca magna ex parte per Naturam sunt, vt bos, ceruus, capra. Quod autem idem & solipes, & bicorne sit, nullum est, quod nos adhuc norimus. At solipes, idèmq; vnicorne est, quaquam rarum: vt asinus Indicus: ille enim & vnicornis, & solipes est. Vnicornis verò, idèmq; bifulcus, oryx est. Talum etiam asinus ille Indicus solus in solipedum genere possidet. Sus enim, vt modò dixi, ambiguum est: quo fit etiam, vt talo careat probiore. Per multa ex bifulcorum numero talum habent. At verò multifidum nullum adhuc talum eiusmodi habere cognitum est, vt ne hominem quidem habere certum est. Sed lynxi femitalo simile quiddam: leoni autem tortuosum in anfractum est, quale effingit. Omnia verò, quibus datus est talus, cruribus eum posterioribus continent, ita vt erectus in suffragine parte sui prona foras, supina introrsum spectet, & quæ venere vocantur, intus aduersæ sibi positæ sint: quæ canes, foris: quæ antennæ, supra habeantur. Situs talorum omnium talis est. Sunt nonnulla, quæ simul bifulca sint, & iubam habeant, & cornua bina, orbem inflexu mutuo colligentia gerant, vt bonasus, qui in Pæonia terra, & Medica gignitur. Quæ autem cornuta sunt, eadè omnino quadrupeda esse certum est, nisi quid per translationem cornu habere dicatur: quemadmodum Aegyptii de colubris Thebanis perhibent, quasi aliquid illis veluti vestigium cornus extuberet. Ceruo ex cornigeris vni cornua tota solida, cæteris caua quodam tenus, & mucrone demum concreta sunt. Pars caua ex cute potius oritur, quam solidum quiddam osse enascens subit: impletque totam: quomodo cornua bouum constare videmus. Soli etiam ceruo cornua omnibus annis decidua, initio à bimatu: cæteris perpetua, nisi per vim aliquam amittat. Mammæ item haberi variè certum est. Nam & inter se ipsæ quadrupedes, & ab homine mammarum differunt ratione. Membrorum etiam, quæ ad venereum coitum accommodata habentur, discrimen planè est. Patet ratio varia mammarum, cum aliis mammæ parte priore, hoc est, in pectore, aut iuxta pectus sint binæ, binisque papillis, vt homini, vt elephanto sub armis duæ, tam mari, quam femina, perquam exigua, nec pro corporis vastitate, ita vt eas à latere conspiciere propèmodum nequeas. Vrsæ mammæ habent quaternas. Aliis mammæ inter femina binæ, papillæque binæ, vt ouibus. Aliis papillæ qua

Solipedes sunt in Illyria.

Mammarum varietas.

Genitalis animalium numerosa varietas.

Partium differentia in crescendo.

læ quaternæ, vt vaccis. Quibusdam nec in pectore, nec in feminibus mammæ, sed in ventre habentur, & quidem plures, verum non omnes pares: vt canibus, vt suibus. Cum itaque cætera id genus habeant plures, pantheræ quaternas ventre medio gerunt. Camelus quoque in ventre mammæ duas cum papillis quatuor habet, vt bos. Leæna etiam duas in ventre. Maribus solipedis generis, nullæ sunt mammæ, nisi iis, qui matri similes prodierunt: quod in equorum genere euenit. Genitale marium aliis foris est, vt homini, equo, & aliis multis: aliis intus, vt delphino. Quibus foris est, iis aut antè habetur, vt homini, & reliquis, quæ modò dixi: aut retro. Quin etiam iis, quæ antè gerunt, aut & penis, & testes absoluti pendunt, vt homini: aut alio adhærent, & aut plus, aut minùs absoluuntur. Non enim pariter apro, & equo membrum hoc absolutum est. Elefantus etiam genitale equo simile habet, sed paruum, nec pro corporis magnitudine. Testes idem non foris conspicuos, sed intus circa renes conditos habet. Quocirca initum celerius agit. Aliis itaque testes absoluti, vt equo: aliis non absoluti, vt apro. Sus femina, genitale ea continet parte, qua pecoris vbera habentur: & cum per libidinem turget, ac prurit ad coitum, sursum tantisper hoc retrahit, vertitque foras, vt inde mari coitus sit facilius: recissum id longè productus, & dehiscens amplius est. Genitale maxima animalium parte ita se habet. Nonnulla ex auerfo mingunt, vt lynx, leo, camelus, lepus. Mares igitur ita inter se discrepant, vt expositum est. Feminae omnes ex auerfo mingunt: quippe cum etiam femina elephantorum genitale, vt cæteræ, inter femora habeat. Genitalis verò ipsius differentia numerosa est. Aliis enim cartilagosum, carnosumque est, vt homini: quod vt parte carnosâ inflari nequit, sic cartilagosâ intumescit, excrescitque. Aliis neruosum, vt camelo, vt ceruo. Aliis osseum, vt lupi, vulpi, mustellæ icetidi, id est, mustellæ rusticæ, quæ viuerrâ interpretor: nam is quoque osseum gerit. Ad hæc, homo, cum ad iusta incrementa peruenit, partem superiorem habet minorem, quam inferiorem, contrà atque cætera animalia, quæ sanguine constant. Partem superiorem intelligi volo, quantum de capite ad eam pertendit partem, qua exitus pater excrementis. Inferiorem autem, quantum ab ea ipsa subsequitur reliquum corporis. Animalibus ergo, quæ pedibus inniti Natura voluit, crura posteriora partem complent inferiorem. Quæ autem pedibus carent, iis cauda, & quicquid vice caudæ, simileque habetur, pro parte inferiore est. Tales perfectis iam incrementis animantes euadunt. Discrimen autem in crescendo est. Homo enim prius, quam adultior sit, partem superiorem corporis habet maiorem, quam inferiorem: & quo per ætatem amplius augeatur, eò contrà euenit, vt inferiora sint superioribus longiora. Quam ob rem vnus ipse non modo eodem ingredi solet infirma adhuc ætate, quo iam firma ingreditur: sed primùm dum infans est, quadrupedes reptat, deinde se erigit, bipèdque incedit. Sunt quæ ex proportione incrementa partis vtriusque capere soleant, vt canis. Nonnulla primùm parte superiore minora sunt, post maiora cum creuerint, eadem parte euadunt, vt iumenta: nullum enim ex iis addita ætate auctius redditur ea parte, quæ ab vngula ad clu

nem porrecta est. Dentes etiam cæterorum animalium multiplici differentia, tum inter se, tum hominis ratione euariant. Habent enim dentes omnia, quæ quadrupeda, sanguinea, viuipara sunt, sed variè. Sunt enim alia vtrinque dentata, alia altero dentium ordine carent. Quæ enim cornua gerunt, hæc non dentata vtrinque sunt, quippe quæ primoribus maxillæ superioris careant dentibus. Quamquam sunt nonnulla, quæ & cornibus vacent, & vtrinque dentata non sint, vt cameli. Item alia dentes habent exertos, velut aper: alia sine iis sunt. Et aliis dentes ferrati, vt leoni, pantheræ, cani. Aliis continui, vt equo, vt boui. Sunt enim dentibus ferratis, quorum series acutorum dentium mutua insertionem pectinatim se consipat. Quod autem simul & dentem exertum, & cornu habeat, nullum est: nec verò quod simul & ferratis dentibus sit, & alterutrum habeat illorum, hoc est, vel cornu, vel dentem exertum. Primores maxima ex parte habent acutos, interiores planos. Vitulus marinus ferratis omnibus est, vt generi piscium affinis: piscibus enim ferè omnibus ferrati sunt dentes. Genus autem, quod duplicem dentium ordinem habeat, nullum nostro in orbe est: verum apud indos (si Ctesia credendum est) bel Manthicozæa gignitur (vt ille scribit) qui nomen mantichora, dentes triplici vtrinque ordine, magnitudo, hirtitudo, & pedes leonis, facies & aures hominis, oculi cæsi, color rubricæ, cauda scorpionis modo terrestris, aculeo armata, spiculæque agnata iaculans, vox fistulæ, tubæve non ab similibus, cursus non minoris pernicitatis, quam ceruis: feritas tanta, vt nunquam possit mitescere, appetitus præcipue carnis humanæ. Mutantur dentes, tum homini, tum etiam quibusdam aliis animalibus, vt equo, mulo, asino. Homini primores mutantur. Maxillares autem nullum animal mutat. Sus nullum omnino dentem amittit.

Multiplex dentium discrimen.

Manthicozæa belluæ descriptio.

An canes mutant dentes, quòve modo vetustiores à recentioribus dignoscantur.

Cap. II.



Et canibus diuersa sententia est, quippe cum alii nullum iis decidere detem opinentur, alii caninos tantum appellatos mutare velint, quos etiam homo amittit: verum hoc latere, propterea, quia non ante mutant, quam pares intus enascantur. Quod idem vel in cæteris scilicet feris euenire verisimile est. Et quidem caninos tantum mutare perhibetur. Aetas vetustiorum, recentiorumque canum, dentibus iudicatur. Iuuenibus enim detes candidi, & acuti: ætate prouectis, nigri, obtusique.

Dentes equorum in senectute candidiores fieri, pluresque mares, quam feminas habere dentes.

Cap. III.



Gitur certe in equis contra, atque in cæteris animalibus: cum enim cæteris senectute dentes nigrescant, equo candidiores redduntur. Planos ab acutis determinant, qui canini appellantur, formæ vtrorumque participes: quippe qui infra latiusculi, supra

acutiusculi sint. Maribus dentes plures, quam fœminis, vt in genere hominum, ouium, suum, caprarum patet. In cæteris nondum exploratum est. Quibus plures, hæc viuaciora magna ex parte sunt. Quibus pauciores, & rariores, hæc magna ex parte vitæ sunt breuioris.

Hominibus circiter vicesimum annum genuinos dentes gigni.

Cap. IIII.

Homini nouissimi maxillares, quos genuinos vocamus, circiter vicesimum annum gignuntur, & viris, & mulieribus. Iam verò quibusdam mulieribus anno etiam octogesimo maxillares illi nouissimi non sine dolore exierunt. Viris quoque idem euenisse accepimus: quod certè iis accidit, quibus in iuuentute ipsi genuini nati non fuerint.

Elephantes mares a fœminis distare in ordine dentium.

Cap. V.

Lephanto dentes vtrinque quatuor, quibus conficit cibum, atque in farinae speciem molit. Duo præterea prominentes grandes, quos mares grandiores, refimatorisque habent: fœminæ minores, & contra quam mares: vergunt enim deorsum, pronique deuiant. Statim cum natus est elephatus, dentes habet, quam grandes illos, non illico perspicuos obtinet.

Exiguam esse elephantis linguam.

Cap. VI.

Linguam perquam exiguam habet, atque interius positam, quam in cæteris sit, ita vt vix eam videre possis.

Quæ animalia in oris magnitudine discrepent, ibique de equo fluuiali Aegyptio.

Cap. VII.

Ris etiam magnitudine discrimen existere animalibus planum est: aliis enim os rescissum, vt cani, leoni, denique omnibus, quibus dentes ferrati. Aliis paruum, vt homini. Aliis mediocre, vt generi suum, equo fluuiatili, quem gignit Aegyptus. Iuba equi, vngula qualis bubus, rostrum refimum. Talis etiam inest bisulcorum modo: dentes exerti, sed leuiter: cauda apri, vox equi, magnitudo asini, tergoris: crassitudo tanta, vt ex venabula faciât: interiora omnia, equi, & asini similia.

De genere simiarum, quod partim hominem, partim quadrupedes imitatur.

Cap. VIII.

Sunt quæ natura ancipite, partim hominem, partim quadrupedem imitentur: velut simiæ, cæbi, canicipites. Sic enim cyanocephalos appello. Cæbus, simia gerens caudam est. Caniceps etiam eadem forma, qua simia est, sed maior, validiorque, & facie caninæ simili-

lior, vnde & nomen accepit: ad hæc moribus ferocioribus est, & dente robustiore, caninoque propiore. Simia tam parte sui corporis prona pilosa est, vt pote quadrupes, quam supina, vt speciem gerens hominis, qui contra, atque quadrupes, obtinet pilum, vt dictum iam est. Sed crassiore pilo simiæ vestiuntur, longèque hirtiores parte vtraque sunt. Conueniunt cum homine plurimum sua facie, quippe quæ nares, aures, dentes, tam primores, quam maxillares hominis more habeant. Cilium etiam, cum cæteræ quadrupes non in vtraque palpebra habeat, simiæ habent, quam prætenue, ac prolixius, potissimum in inferiore. Cæteræ enim quadrupes inferioribus carent ciliis. Habent simiæ in pectore binas mammarum papillas, & bachia hominis modo, sed hirtiuscula, quæ & ipsa, & pedes, vt homo, inflectunt, hoc est, ita vt circumferentiæ membrorum vtrorumque obuersæ inter se adducantur. Ad hæc, manus, digitos, vngues homini similes, verum omnia rudiora, efferatioraque. Pedes sui generis habent: sunt enim velut manus maiusculæ, & digitis vt manus constant, medio longiore. Vestigium etiam manui simile est, nisi quod in longum se porrigat, & volam referens tendat ad postrema. Callosius hoc altera sui parte extrema est, & calcem inepetè atque exiliter imitatur. Pedum officium duplex est: iis enim & vt pedibus, & vt manibus vtuntur, inflectuntque eosdem perinde, ac manus. Lacertos, & femora habent breuia pro portione cubitorum, & tibiæ. Umbilicum, qui emineat, nullum habent: sed durum quiddam continetur loco umbilici. Partem corporis superiorem multò maiorem habent, quam inferiorem, videlicet more quadrupedum: quinarii enim ferè ad ternarium ratione constant. Degenerant ergo, tum ea de causa, tum etiam quod pedes manibus habeant similes, & quasi ex manu, pedesque constitutos. Calcis enim postremum ad pedem, reliquæ autem particule ad manum facile referuntur, digiti nanque volæ speciem gerunt. Degunt plus temporis pronæ, quadrupedum more, quam erectæ. Carent natibus, vt pote quadrupes. Priuatæ cauda sunt, vt pote bipedes. Exigua enim omnino cauda inest, quatenus nota solum habeatur. Genitale etiam fœminæ, mulieris est: mari potius canis, quam hominis.

Quibus simia cum homine conueniat.

Pedum vsus, miis duplex.

De cæbis. Cap. IX.

Aebi (vt superius dixi) omnes caudam habent. Partes verò interiores humanis similes, genera hæc omnia continent. Partes animalium viuiparorum exteriores ita se habent.

Viuipara quadrupeda, quibus cum cæteris quadrupedibus conueniant, & dissentiant.

Cap. X.

Vadrupes, quæ oua pariunt, eademque sanguinem habent (Terrestre autem, ac sanguinis particeps oua edit, quin idem aut quadrupes sit, aut pedibus careat omnino) omnes caput, collum, dorsum, prona, atque supina corporis possident: pedes etiam priores, posterioresque, & quod pectori proportionetur, modo viuipari quadrupedum generis. Caudam quoque habent lon-

Quipara forte melius. Nam & in Græco ἰορῖνα pro ἰορῖνα legi corruptè videtur.

gentiorem, exceptis paucis. Sed hæc omnia pedes in plures digitos habent discretos. Ad hæc, omnibus his sensus totidem, quot cæteris quadrupedibus sunt: & lingua omnibus data est, excepto, quem Aegyptus fert, crocodilo: nã ille similis quibusdam piscibus est. Cum enim pisces omnino spineam, nec absolutam continet linguam, tum vel maximè nonnulli adeò læuem, indiscretumque eum ipsum linguæ tributum locum sortiuntur, vt nisi ad modum labrum diduxeris, ne vestigium quidè linguæ inspicere queas. Auriculis tamen hæc omnia carent, meatusque tantum habent audiendi. Carent etiam mammis. Nec genitale, aut testes foris obtinent manifestos, sed intus conditos. Nec pilo, sed cortice omnia tecta sunt. Dentibus etiam ferratis sunt omnia. Crocodilo fluuiatili oculi sunt suis, dentes magni, exertique, vngues robusti, cutis corticosa, contra omnem idum inuicta, visus in aqua hebes, extrà acerrimus. Dies itaque in terra parte maxima agit, noctes in aqua, teporis ratione: tepidiorè enim aquam experitur, quam aerem.

De chameleone, & eius cum cæteris similitudine.

Cap. XI.

Hamæleo figura totius corporis lacertam planè repræsentat. Latera deorsum ducta ventri iunguntur, vt piscibus: & spina modo piscium eminet: rostrum simiæ porcatæ simillimum, cauda prælonga, in tenue desinens, & longis implicata in se orbibus lori modo permultis. Elatior à terra est, quam lacerta: inflexus crurum perinde vt lacertæ. Pedes singuli bipartitò secantur, partisque talem inter se habet situm, qualem pollex ad manus reliquam partem obiectam. Sed ipsæ etiam reliquæ partes paulatenus in digitos quosdam funduntur: videlicet primores, triplici fissura interiùs, duplici interiùs: posteriores interiùs duplici, interiùs triplici. Unguiculi adunci. Corpus asperum totum, vt crocodilo. Oculi in recessu cauo intus recepti, prægrandes, rotundi, cute simili, atque reliquum corpus, obducti, media sui parte perquam exigua detecti, qua videant. Quæ quidem videndi sedes nunquam cute operitur, nec pupillæ motu: sed totius oculi versatione in orbem, mutationeq; quoquoersus aspicit, quæ velit. Mutat suum colorem inflatus. Verum & niger non longè dissimilis crocodilo est: & pallidus, vt lacertæ: maculis distinctus, vt pardus, nigris. Mutatur color toto in corpore: nã & oculi concolores reliquo corpori redduntur, & cauda eundem colorem accipit. Motus ei piger admodum, vt testudinis est: pallefcit cum moritur, de functusque colorem eundem seruat. Gulam, atque arteriam situ eodem continet, quo lacerta. Carnem nusquam, nisi in capite, & maxillis, & postremo caudæ admodum exiguam possidet: nec alibi sanguinè, quam in corde, & oculis, & loco à corde superiore, & venulis hinc tendentibus. Verum nec in iis quidem vlla copia, sed paucillum habetur sanguinis. Cerebrum paulò superius oculis positum est, & propè iis contiguum. Cute autem exteriori detracta oculis, quiddam lucens veluti anulus æneus tenuis, nulla pelle interceptus cingit. Membrana in omnes ferè corporis partes multæ, ac validæ, longèque firmiores, quam in cæteris, tendunt. Dissectus hic to-

Quibus partibus careat ouipara.

tus, spirare præterea diu potest, motu admodum exiguo adhuc circa cordis sedem extante. Et cum omnes corporis partes contrahit, tum vel maximè costas cogere, atque adducere potest. Lienem conspicuum nusquam continet. Subit cavernas, & latitat more lacertarum.

De auium natura, & quibus cum cæteris terra animalibus conueniant.

Cap. XII.

Auibus etiam partes nonnullæ similes, atque in iis, quæ exposui, animalibus habentur. Omnibus enim caput inest, & collum, & dorsum, & supina pars corporis, & quod pectori proportionetur. Crura etiam bina, hominis modo, sed quæ in auersum flectantur eodem ritu, quo quadrupes faciunt, vt dictum iam est. Carent manibus, pedibusque prioribus. Peculiarè inter cætera animalia alas possident, & clunem femori similem longiore, ventremque medio tenuis porrectum, cohesione perpetua, ita vt ipsum diuulsum femur esse quæ videatur. sed enim femur parte alia iunctum tibiæ est. Sunt femora sanè maxima iis auibus, quæ vngues habent aduncos, & pectus, quam cæteris, robustius. Copia omnibus auibus vnguium est. Multifidæ etiam omnes quodam modo sunt, quippe cum pars maxima digitata sit, & nantes quanuis planipedes, tamen & ipsæ digitos perfectos, distinctosque habeant. Omnibus, quæ se efferrunt, quaterni digiti dati sunt, terni in priore parte, singuli in posteriore maxima ex parte pro calce. Paucis quibusdam vtrinque bini, vt auiculæ, quam Iyngem vocant. Hæc paulò maior, quam fringilla est, colore vario. Habet sibi propriam digitorum quam modò dixi, dispositionem, & linguam serpentibus similem: quippe quam in longitudinem mensura quatuor digitorum porrigat, rursusque contrahat intra rostrum. Collum etiã circumagitur in auersum, reliquo quiescente corpore, modo serpentum: vnde torquilla vulgò appellata est, quæquam turbo ab antiquis. Vngues ei grandes, & similes vt mone dulis exeunt: voce autem stridet. Os sibi proprium Rostrum os volucres possident: non enim labra, non dentes, sed auium.

Iyngis auiculæ forma.

rostrum habent. Auriculis etiam carent, & naribus, meatusque odorandi in rostro continent, audiendi in capite. Oculi omnibus, sicut cæteris animalibus, bini, sine ciliis. Grauiore palpebra inferiore conueniunt. Nictantur omnes, ab angulo obeunte membrana. At verò quæ speciem noctuæ gerunt, superiore etiam palpebra conueniunt. Hoc idem cortice interfecta animalia quoque faciunt, vt lacertæ, & reliqua generis eiusdem. Conueniunt enim palpebra inferiore omnia: quanquam non more auium nictantur. Volucres item non pilis, non squama, non cortice, sed pennis teguntur. Pennæ omnes caule constant. Cauda etiam tali, qualis data quadrupedibus est, volucres carent: sed pennis conditam gerunt: breuè, quæ longipedes, ac planipedes sunt: maiorem autè, quæ è contrario constant, quæ vel contractis ad ventrem pedibus volant, cum illæ caudæ pusillæ gerulæ, porrectis in caudam cruribus feratur. Lingua omnibus auibus lin-

Quibusdam auibus lingua apta ad proferendas literas.

unt, videlicet ea præcipue, quibus lingua latior est. Linguam autem illam minorem operiedi ministrâ, nullum ex iis, quæ oua pariunt, super impositam suæ arteriæ continet: sed meatum ipsum modò trahunt, modò laxant, pro sui commodi desiderio: atque ita efficitur, ne quid ponderis in pulmonem delabatur. Sunt nonnulla ex auibus genera, quibus Natura calcar etiam dederit: sed nulli datum hoc est, cui vngues adunci sint. Volaces porro notantur, quæ vngues habent aduncos: calcarigeræ, quæ præ sua gravitate sint ad volandum ineptiores. Ad hæc, auium nonnullis crista addita est: quam cum cæteræ pennarum eminentia quadam extructam gerant, gallinæcus vnus peculiarem sibi fortitus est: sic enim institutam, vt nec caro sit, nec à natura carnis omnino aliena.

De genere piscium, eiusque differentiis. Cap. XIII.

Piscium genus inter ea, quæ aquas incolunt, vni distingui à cæteris iure potest, cum forma euariet numerosiore. Habet id caput, & prona, & supina. Parte, qua venter, & viscera continentur, supina habet. Caudam continuam, indiuisamq; parte gerit posteriore varrie. Piscium nulli ceruix, nulli manus, aut pedes, nulli testes, nulli mammae. Sed mamma cæteris quoq; negata est omnibus, quæ animal nequeant generare. Nec verò viuiparis omnino data est, sed iis tantum, quæ protinus intra se animal formant, nec primum ouum, deinde animal. Vnde fit, vt delphinus etiam mamas habeat: animal enim concipit illico, & creat. Continet hic suas mammæ non parte superiore, sed prope genitale. Nec modo quadrupedum papillas conspicuas habet, sed velut alucolos quosdã humoris duos, vtroque de latere singularem, è quibus lac fluit, quod ore catulorum sectantium parentem excipiatur: idque iam à nonnullis perspectum est. Pisces igitur (vt modò dixi) nec mammæ habent, neque meatum genitalium vllum intus conspicuum.

Quibus mamma negata.

Branchiæ Pinnæ.

Branchiæ aut rem habent peculiarem, quibus humorem, quem ore acceperint, reddunt: atque etiam pinnas, quas magna ex parte quaternas gerunt. Atta men longis, vt anguilla, binæ iuxta branchiæ hærent. Mugilibus etiam, quos lacus Sipharum gignit, binæ, atque etiam ei, quam vittam appellant. Nonnullis è longis nullæ omnino sunt pinnæ, vt murænæ: nec branchiæ integræ, vt cæteris piscibus habentur. Qui autem branchiæ habent, aut inteetas continent eas, aut detectas, vt cartilaginea genera omnia. Qui inteetas habent, iis in obliquum vtroque latere tenentur. Quæ tegumento carent, cartilaginea dico, iis, si plana sunt, parte inferiore, supinaque habentur: vt torpedini, vt raia. Sed si oblonga sunt, eorum lateribus adherent, vt in quouis mustelino genere cernitur. Raia tamen si deductas in latera habet branchiæ, tamen non spineo inteetas operimeto, vt quæ non cartilaginea sunt, sed cuticulari. Item branchiarum ipsorum aliis simplices branchiæ sunt, aliis duplices: omnibus tamen simplex, quæ nouissima corpori admota est: & aliis paucæ, aliis multæ: verum in vtrunque latus æquè partita omnibus sunt. Habent, quibus paucissimæ sunt, singulas branchiæ vtrunque, easque duplices, vt aper. Aliis binæ vtrin-

que, alteræ simplices, alteræ duplices, vt congruo, vt sacro. Aliis quaternæ vtrinque, simplices, vt accipenferi, dentici, murænæ, anguilla. Aliis quaternæ duplici ordine, nouissima excepta. vt turdo, percæ, siluro, cyprino. Musteligenis etiam duplices, & quinque vtraque; ex parte sunt. Gladio, à rostri mucrone ita appellato, octonæ duplices. Ita brachiarum colligitur numerus. Sed præter branchiarum discrimen, pisces à cæteris animalibus differunt, eò quod non pilis, vt terrestria, quæ animal generant: non cortice, vt nonnullæ oua parientes quadrupedes: non penna, vt genus auium, integuntur: sed plurimi squamosi sunt, pauci quidam scabri, paucissimi læues. Ergo cartilagineorum alia aspera, alia læuia sunt. Congri etiam, & anguilla, & thunni, læues sunt. Dentes omnia piscium genera habent serratos, pectinatimque coeutes, excepto scaro, ac omnia ferie dentium acuta, atque multiplici fulciuntur. in lingua etiã dentes nonnullis. Linguam autem ipsam durã, & penè spineam habet, & ita adherentem, vt interdum carere lingua videantur. Os rescissum, vt nonnullis ouiparis quadrupedibus est. Partes audiendi, odorandi, denique sentiendi nullæ conspicuæ, præterquam oculi habentur. Latent etiã meatus, quibus sentire necesse sit. Oculi omnibus sine palpebris, sed non duri. Est omne sanè piscium genus sanguinis particeps. Discrimine autem partus sic discrepant, vt alii oua pariant, alii animal. Pariunt oua omnes, qui squama conteguntur: animal omnes qui genere cartilagineo continentur, excepta rana.

De genere serpentum. Cap. XIII.

Reliquum ex iis, quæ sanguinem habent, animalibus, genus serpentum est, quod commune ambobus superioribus esse potest. Sunt enim alii terrestres, alii aquatiles: quanquam maxima pars sit terrestris, exigua verò aquatilis, scilicet fluminum incola. Sunt etiã maris indigenæ serpentes, terrestribus similes, nisi quod caput habeant congrui. Et quidem genera eorum complura sunt, colore numerosa varietatis. Nasci eos non in altissimis gurgitibus certum est. Scolopendras etiam, quas centipedes voco, maris incolas esse nouimus, specie terrestribus similes, magnitudine paulò minores, colore rubentiores, numero pedum copiosiores, & crurum tenuitate graciliores. Nasci locis saxosis solent, & modo serpentum, non magna altitudine gurgitum. Carè pedibus genus omne serpentum, vt pisces. Nam remoram errore nonnulli pedes habere prodiderunt, expes enim omnino est. Sed quoniam pinnas habeat pedibus similes, hinc fit vt pedibus instare videatur. Pisciculus quidã hæc est, saxis assuetus, in cibos non admittendus, nomen à remorandis nauibus adeptus, vt illic ad iudiciorum causas, & amatoria veneficia, vt aliqui volunt. Partes exteriores sanguineorum animalium quænam sint, & quot numero, & quibus inter se differentiis dissonent explicatum iam est.

Quæ membra quodque animalium genus interiora sortiatur. Cap. XV.

Nunc interiorum ordinem persequemur, & primum in eo genere, quod sanguine constat: hac enim ratione summa genera à cæteris differunt, quod hæc sanguinea sunt,

Quæ animalia sanguinea sunt.

sunt, illa exanguia. Sanguine prædita sunt, homo, & quadrupedes, quæ animal, ouimve pariunt: atque etiam aues, pisces, cete: & si quid aliud vacans nomine, quoniam genus non sit, sed species simplex in singulis intelligatur, vt serpens, vt crocodilus. Igitur quæ quadrupedes viuiparæ sunt, iis gula, atque arteria omnibus est, & eodem situ, quo homini. Ouiparis etiam quadrupedibus, atque auibus eadem illa adiuncta videmus, sed discrimen species affert earum partium. Denique omnia, quæ aerem accipiunt, & reddunt, habent pulmonem, arteriam, gulam, & situm gulæ, atque arteriam similem, quanquam eas partes dissimiles: pulmonem autem ne situ quidem simili continent. Cor item omnibus est, quibus sanguis, & septum transversum, quod præcordia, & cinctus appellatur: verum hoc in minutis præ sua tenuitate, exiguitateque, non æquè spectari potest, nisi in corde. Peculiare est, quod de nonnullis bubus proditum est: genus enim quoddam bouum suo in corde ossiculum continere aiunt. At verò pulmo non omnibus datus est: pisces enim, & omnino quæ branchiæ habent, carent pulmone. Iecur in omnibus est, in quibus sanguis. Lien magna ex parte omnibus, quibus sanguis: sed magna parti eorum, quæ non animal, sed oua pariunt, lien vsque adeo exiguus est, vt propemodum sensum effugiat: quod magna in parte auium experimur: verbi causa, in columbis, miluis, accipitribus, noctuis. Capriceps auis liene omnino caret. In quadrupedibus etiam ouiparis similis ratio est: nam ea quoque admodum exiguum habent lienem: vt testudo, mus aquatilis, rubeta, lacerta, crocodilus, rana. Fel aliis adnectitur iecori, aliis minimè. Ex genere enim quadrupedum, quæ animal generat, ceruo, & damæ deesse notatum est: atque etiam equo, mulo, asino, vitulo marino, & murium nonnullis. Ceruis Achainis cognomine, fel contineri in cauda creditur. Est, quod ibi contineri aiunt, colore quidè simile felli, sed non ita vt fel humidum, sed lieni simile parte interiore. Vermes tamè cerui continent omnes suo in capite viuos, qui nasci solent sub lingua in cõcauo circiter vertebram, quæ ceruici innectitur caput, magnitudine haud minores iis vermibus, quos maximos carnes putres ediderint. Gigni vniuersi, atque contigui solent numero adeò circiter viginti. Sed ceruus felle (vt dictum est) vacat: quanquam eius intestinum amarum adeò est, vt ne à canibus quidem attingatur, nisi ceruus præpinguis sit. Elephantum etiam iecur sine felle: incisò tamen parte, quæ fel adherere solet, humor felleus effluit plus, minus. Delphinus inter ea, quæ mare excipiunt, pulmonemque habent, vnus felle priuatus est. Aues, piscesque, omnes fel habent: & quadrupedes, quæ oua pariunt, dixerim in vniuersum, omnes aut plus, aut minus fellis sortiuntur. Sed piscium aliis in iecore positum est, vt musteligenis, & siluro, & squatinæ, leuiraiæ, torpedini: atque ex longis, anguilla, acui, libellæ. Pulchro etiam in iecore inest proportione corporis maximè omnium copiosum. Aliis intestino annexum est, dependens à iecore, meatibus quibusdam perpetuis summè tenuitatis. Ergo hamia suo intestino pari processu obductum habet, sæpe etiam replicatum, reditque aliquatenus: reliquis collectim intestinis commissum est, aut semotius à iecore, aut propius: vt raia,

Quæ pulmone careant.

Quibus lien sit.

Differètiæ piscium ex parte.

Scolopendras maris incolas.

acipenferi, dentici, murænæ, gladio. Sæpe etiam genus idem vtrunque patitur situm, vt conger: aliis enim ad iecur, aliis infra sepositum adheret, quod etiam in auibus pari modo perspectum est: aliis enim ventri, aliis intestino iungitur, vt columbæ, coruo, coturnici, hirundini, passerii, aliis iecori simul, & ventri, vt capricipiti, aliis iecori simul, & intestino, vt accipitri, miluo.

Quæ animalia renibus, & vesica carent. Cap. XVI.

Renes, atque vesicam omnes, quæ animal generant, quadrupedes possident. At verò ex iis, quæ oua pariunt, aues, piscesque, non habent. Quadrupedum vna testudo marina habet magnitudinem ad cæterarum partium rationem. Similes bubulis renes ei omnino adherent, quasi ex multis exiguis constituti. Bonasus etiam interiora omnia bubus similia continet. Situs idem earum partium est omnibus, quæ ex iis constant.

Quam corporis partem in quibusque animalibus cor, iecur, pulmo, lien, felle, & venter obtineant. Cap. XVII.

Or prorsus in medio pectore omnibus, præterquam in homine, est: huic enim parti potius læuæ commissum est, vt antè exposui. Tendit omnibus priorè in partem, suo turbinato mucrone, præterquam piscibus: iis enim non ita esse videri potest, cum eorum cor suum mucronem non ad pectus spectantem, sed ad os habeat, extremumque inde pendens, quæ branchiæ dextræ, atque sinistræ inter se coeunt, copulanturque. Sunt etiã meatus alii de corde ad brachias tendentes singulas, pro desiderio magnitudinis: hoc est, maioribus laxiores, minoribus arctiores: inter quos crassa admodum, & cãdida fistula est, quæ de cordis extremo oritur. Gula paucis in piscibus inest, vt congro, anguilla, iisq; exigua. Et iecur qui habet, si non fissum est, dextro latere totum continetur: sin fissum à principio vsque, dextro maior pars applicata est. Quibusdam enim partes sepositæ sunt, nec eadem certa origine continentur, vt inter pisces mustelino generi, & inter quadrupedes leporum generi cuidam, quod tum alibi, tum etiam in Sycino agro circiter Bolbam lacu gignitur: quippe quos bina habere iecinora credideris, quoniã meatus procul admodum coeant: quod idem vel in pulmone spectare auium licet. Lien etiam parti sinistræ adnectitur iecori aduersus, situmque; valet iusto naturæ. Quod si qua dissecta quadrupede, lienem latere contineri dextro, iecur sinistro, visum est, prodigiosè id euenisse putandum. Tendit arteria omnibus ad pulmonem, quem admodum post explicabimus. Gula ad ventrem fertur, tan siens septum transversum, scilicet in iis, quæ habeat gulam: pisces enim magna ex parte gula carent, vt dictum est, vt qui annexum statim ori ventrem habeant. Quocirca sæpius euenit grandibus nonnullis, vt dum per impetum insectantur minores, ventriculus in os procidat. Habent omnia, quæ adhuc enumeravi, ventrem situ consimili: septo enim transversò continuo subest, intestinumque; de eo prorectum finit ad exitum cibi, & eã partem, quæ pedes dicitur.

Locus iecoris in animalibus.

Ventris animalium dissimilitudo.

tur. Sed ventris dissimilitudo primùm, quòd quadrupes viui paræ, cornigeræ, altera maxilla dentatæ, quaternos eiusmodi habent sinus: quæ quidem & ruminare dicuntur. Gula enim incipiens ab ore deorsum tendit ad pulmonem, septumq; transfuersum: hinc se ad ventrem applicat maiorem, qui parte interiore asper, interceptusque est, ac prope gulæ commissuram sinum sibi adnexum habet, quem ex argumento reticulum vocat: est enim ventri extrinsecus similis, intus reticulis mulierum implexis, magnitudine multò, quàm veter, minor. Hunc excipit omasum parte interiore asperum, cæcellatum, crustatum, magnitudine reticuli: ab omasum venter ab eo alius iungitur, magnitudine amplior omaso, forma oblongior, cancellis intus, & crustis multis magnis, & læuibus innormatus, mox intestinum iam sequitur. Cornigera altera maxilla dentata, omnia ad huc modum suum habere ventrem certum est. Sed differunt inter se magnitudine, aut figura, atq; etiam quòd gula, vel in medium ventris tendat, vel in latus vergat. At verò omnia dentata maxilla vtraque ventres singulos habent, vt homo, canis, sus, vrsus, leo, lupus. Quinetiã thos, quem lupum ceruarium appellem, interna omnia lupi similia habet. Iis igitur omnibus simplex ventriculus est, quem excipit intestinum: verùm aliis amplior, vt sui, vt vrsus: & suillo quidem crustæ læues pauciores sunt. Aliis arctior, nec multò amplior intestino, vt cani, leoni, homini. Cæterorum etiam species omnium, respectu eorum, quos modò enumeravi, distinguuntur. Aliis enim venter suillo similis, aliis canino, tam in maiore, quàm in minore animalium genere. Sed discrimen in iis quoque magnitudine, figura, corpulentia, exilitateve oritur: atque etiam situ gulæ, quo meatum ad ventrem ducat, & conuio iungatur foramini. Intestinorum etiam natura vtrique, illi animalium generi, hoc est, vtraque, dentato, & altera maxilla dentato, sibi differt magnitudine, crassitudine, replicamentis. Sunt certè maiora omnia intestina non vtrinque dentata: nec immeritò, nam ipsa ita dentata omnia sunt auctiora: pauca enim parua eo in genere habentur. Admodum paruum inter cornigera nullum est. Quibusdam etiam appendices sunt intestinorum. Rectum autem intestinum nulli est, cui non parte vtraque, dentes. Elephantum intestinum ita est sinuosum, vt aluos habere quatuor videatur. In hoc etiam cibus recipitur: nullum enim conceptaculum cibi aliud separatim ad est. Extra quoque eidem suillis proxima, sed maiora: iecur enim quadruplo maius bubulo est, & reliqua pari ratione, excepto liene: hic enim minor ex proportione est. Hæc eadem ratio ventris, intestinorumque, vel in ouiparis quadrupedibus est, vt in testudine, tum terrestri, tum etiam marina, in lacerto, crocodile vtroque: omnibus denique generis eiusdem. Simplicem enim, vnumque, habent ventrem, aut canino, aut suillo similem. Genus serpentum nulla euariat ratione: & omnia ferè proxima lacertis ex terrestri ouiparo genere habere spectes, si pedes iis demas, longitudinem addas: quippe quod intestinum cortice fit, & prona, supinaque perinde, atque lacerti habet, sed testibus caret. Nec alio modo quàm pisces meatus duos coeuntes in idem, & vuluam longam ac bifidam habet. Cætera interna eadem ser-

Intestinorum differentia.

Serpentibus ferè omnia interna cum lacertis similia.

pentibus sunt, quæ lacertis. Verùm omnia earum viscera, propter longitudinem, & angustiam corporis, longa, arctaque habentur, ita vt dignosci præ suæ figuræ dissimilitudine non queant. Arteria namque longa admodum est, atque etiam gula longior. Arteriæ origo ita iuxta os ipsum posita est, vt esse sub lingua videatur: & quidem videtur linguæ præminere, quoniam lingua contrahitur, nec vt cæteris manet. Lingua autem ipsa tenuis, longa, & atricoloris est, atq; si extrahas, porrigi longius potest. Peculiare, præter cæterorum linguas, serpentibus, & lacertis est, vt summa eorum lingua bifida sit: sed præcipuè serpentum, quippe quæ tenuissimis quibusdam quasi capillamentis discreta vibretur. Vitulò etiam marino lingua scissa est. Ventriculus serpentis, velut intestinum laxius habet, canino similem: tum intestinum longum, tenue, & ad exitum vsq; vniiforme. Cor arteriæ postremæ adhæret exiguum, sed longum, & renum speciè referens: quam ob rem videri interdum potest minùs mucronem suum dirigere ad pectus. Pulmo deinde adnectitur simplex, fibrosus, fistulosus, prælongus, longèque à corde sepositus. Iecur item longum, & simplex. Sed lien exiguus, rotundusque, vt lacertis. Fel similiter atq; in piscibus habetur: natricibus enim adnexum iecori est, cæteris intestino magna ex parte adhæret. Dentes exerti omnibus sunt. Costæ totidem, quot dies mensẽ integrum complèt: singulis enim tricena. Euenire serpentibus idem, quod pullis hirundinum nonnulli aiunt: oculis enim serpentum laceratis, subnasci alios referunt. Caudæ etiam lacertis, atque serpentibus amputatæ renascuntur. Hæc eadem ratio intestinorum, & ventris piscium quoque est. Venter enim iis vnus, & simplex, sed figura varia est: nonnullis enim diuersa omnino species ventris est, vt ei, quem scarum vocant, qui & ruminare solus piscium creditur. Intestinum etiam simplex replicans se, quod in vnum, cõtinuumque resoluatur. Peculiare piscibus, & magna ex parte auibus, appendicum agnatio est: sed auibus subter, & paucæ, piscibus supernè circa ventriculum exeunt: & nonnullis cõplures, vt gobioni, mustelo, perca, scorpionis, fidiculæ, mullo, scaro, mugili: cui parte altera plures exeunt, altera vna tantum: aliis paucæ, vt iecorino, glauco. Auratæ etiã paucæ. Tum autè ipsi eiusdem speciei consortes inter se differunt. Auratarum enim aliis plures, aliis pauciores. Sunt etiã, quibus nullæ omnino sint, vt magnæ cartilagineorum parti: cæteris ita, vt aliis paucæ, aliis vel plurimæ habeantur. Omnes tamen pisces ad ipsum ventrem eas appendices continent. Aues & inter se ipsas differre, & à cæteris discrepare animalibus, interiorum partium ratione, apertum est. Aliis enim ingluuies præposita ventriculo est, vt gallinaceo, palumbo, columbo, perdici. Ingluuies, cutis in amplum sinuata est, qua primùm cibus ingestus continetur in coctus. Hæc parte, qua iungitur gulæ, angustior est, mox amplior, tum qua desinit in ventriculum, arctior. Ventriculus parti plurimæ carnosus, callosusque est, cutis intus robusta, crustatisque, facillè detrahi integra potest. Aliis ingluuies deest, sed eius vice gula pertinet latior, & patetior, vel tota, vel quæ propius ventriculū adit, vt monedulæ, coruo, cornici. Quinetiã coturnici gula amplior infra, & capricipiti pars inferior

Lingua serpentum.

Auium quæ peculiare, quæque ab aliis differretes partes.

inferior

inferior paulò latior est, atque etiam noctuæ. At anati, anseri, gauræ, cataractæ, tardæ, gula tota ampla, & lata est. Multis etiam aliis auibus gulam huiusmodi esse perfectum est. Nec desunt, quibus ventriculus ipse similis sit ingluuiei, vt tinuculo. Sunt item quibus neque gula, neque ingluuies amplior sit, sed ventriculus longior, scilicet auiculis omnibus, qualis passer, aut hirundo est. Sunt etiam, quauis paucæ, quæ ingluuiei, gulæque amplitudine careant, longitudine autem admodum prolixa vtantur, videlicet quæ longa, angustaque colla habent, vt porphyrio: quæ ferè omnes alui excrementum humidius, quàm cæteræ solent, re-

iciunt. Coturnici præ cæteris hæc propria habentur, vt & ingluuies, & gulam prope ventriculum amplam, & latam habeat. Distat ingluuies à parte gulæ propinqua ventriculo multum, pro magnitudinis proportione. Tenue quoque intestinum parti plurimæ auium est, & simplex resolui potest. Appendices autem illæ paucæ in auibus sunt, vt dictum est: nec supra, vt in piscibus, sed infra, quæ desinit intestinum. Habent eas non omnes, sed plurimæ, vt gallinaceus, perdix, anas, ciconia, ascalaphus, anser, olor, tarda, noctua. Minoris etiam generis nonnullæ habent, sed perexiguè, vt passer.

ARISTOTELIS STAGIRITAE de Historia Animalium Liber Tertius,

Theodoro Gaza Interprete.

De situ, & forma genitalium membrorum omnium animalium, eorumque differentijs.

Cap. I.



Quales, quoque, loco, animalium testes sunt.

DE cæteris interioribus partibus, quòtnam, aut quales sint, & quas inter se habeant differentias, dictum iam est. Restat vt de iis, quæ ad generationem ministrant, differamus. Ergo & sceminis omnibus intus cõditæ habentur: maribus autem multiplices differentia euariant. Nam inter animalia sanguinei generis, aliis testes nulli omnino sunt: aliis sunt quidem, sed intus. Et iis, quæ intus continent, aut lumbis adhærent circiter sedem renum, aut aluo crediti sunt. Aliis foris dependent, quibus genitale aut aluo annexum sustinetur, aut demissum pendet cum testibus. Nec verò modo eodem ad aluū omnibus continetur, sed aliter iis, qui ex aduerso mingunt, aliter iis, qui ex auerso. Piscium igitur nulli sunt testes, nec cæteris, quibus branchiæ, neque vlli serpentum, nulli denique, quod pedibus careat, nisi intra se formare animal possit. Auibus testes dati omnibus sunt, non tamen qui foris pendeant, sed qui intus adhæreant lumbis, quo modo quadrupedibus quoque ouiparis habentur, vt lacerto, testudini, crocodile, & inter ea, quæ animal generant, herinaceo. Quæ autem intus continent, iis ad aluū neantur, vt delphino ex iis, quæ pedibus vacant: vt elephanto, ex iis, quæ quadrupedes viui paræ sunt. Cæteris cõspicuos esse testes Natura voluit. Discrimen autem eorum, qui ad aluū, aut locum proximū positi in propatulo sunt, diximus. Aut enim hærent annexi retrò, nec tremuli pendet, vt suibus: aut antè

propensi, demissique geruntur, vt homini. Pisces, vt modò dixi, & serpentes, testibus carent: sed meatus continent binos, qui de septo exorti, latus spinæ vtrunq; perrepent, coeantque supernè in vnū, atque ita ad ostium excrementi finiant: quod enim ad spinam est, id superius nomino. Pleni hi meatus humoris foetifici redduntur tempore coitus, attritque: mutuo semen effluit genitale candidum. Sed quibusnam ipsi inter se differentijs discrepent, in dissertationibus speculari oportet. Nos etiam diligentius post exponemus, cum sua singulis reddiderimus. Omnibus autem, quæ oua edunt, siue bipeda, siue quadrupeda sunt, testes lumbis innexi infra septum continentur, vel candidiores, vel pallidiores, venulis admodum tenuibus circumdati. Meatus de singulis singuli pertinent, eodemque coeunt supra ostium excrementi, sicut agi in piscibus dictum est: isque meatus, qui ex coitu amborum consistit, genitale est, quod in minoribus later: in maioribus verò, anserè dico, & reliqua huiusmodi, euidentius est, cum recens inierint. Meatus autem tam iis, quàm piscibus, lumbis adhærent, subter aluū, ventrem, & intestina, inter venam maiorem, de qua meatus ad testem pertinent vtrunque. Sed vt piscibus, lentor ille prolificus tempore initus haberi sentitur, meatusque latissimè patent: vbi verò id tempus præterit, incerti vel meatus ipsi interdum redduntur: sic auium testes prius, quàm coire incipiant, aliis exigui, aliis omnino obscuri sunt: at verò cum Venere exercent, insigni tantisper magnitudine augentur. Quod apertissimè palumbis, & perdicibus euenit, atque ita, vt hybernis mensibus ne vllos quidem testes in iis haberi nonnulli arbitrentur. Quibus autem parti priori testes commisi sunt, iis aut intus iuxta aluū conduntur, vt delphino: aut foris

in

in aperto vltima aluo positi sunt. Quibus vtrisque cum cætera sint eadem, vnum illud discrimen existit, quod quæ intus continent suos testes, nulla cute habent obductos: quæ autem foris, hæc cõiectos in cõceptaculum, quod scrotum vocamus, gerunt. Testes verò ipsi omnibus gressilibus viuiparis sunt ad hunc modum. Meatus duo venales ad capita testium de vena aorta pertendunt, & alii totidem à renibus eòdem deueniunt: sed hi sanguinolenti, illi, quos mittit aorta, exangues sunt. A capite autem ipsorum testium meatus excipit spissior illo superiore, atque nervosior: qui progressus per testem flecit sese inde, & caput eiusdem repetit: vnde rursus in idem coeunt, & in parte priore subeunt genitale. Qui caput repetunt, ipsi tam continua membrana obuelantur cum iis, qui resident, testibus, vt vnus esse meatus videantur, nisi membranæ diuortium feceris. Humorem adhuc sanguineum continet is, qui residet, sed minùs, quàm illi superiores. At verò qui reuersi ceruicem subeunt genitalis, humorem iam habet candicantem. Quinetiam de vesica meatus perfertur, & se ad ceruicem applicat, quem veluti putamen canaliculatum ambit id, quod penem vocamus. Specta ea, quæ dixi, descriptione hac: Sit α initium meatuum, qui de aorta proficiscuntur: κ meatus descendentes ad capita testium: ω qui ab iis absident testibus: β qui repetunt, scilicet quibus humor candicans continetur: δ genitale: ϵ vesica: ζ testes. Excisus, detrahiturque testibus, meatus sursum se retrahunt. Castrandi animaliamodo di duo: Vularum discrimen.

bus membrana conspectior est, & per ceruicem inflata extollitur, atque sinuatur. At in minoribus obscuriora hæc omnia habentur. Quadrupedum quoque onipararum hæc eadem ratio vuluæ est, vt testudinis, lacertæ, ranæ, & reliquorum generis eiusdem. Enimuero ceruix vna in vno, & carnulentior est: fissura autem, & oua proxima septo sustentur. Necnon ea, quæ in genere pedibus priuato animal edunt in lucem, posteaquã oua inter se pepererunt, vt musteli, & reliqua cartilaginea dicta, (quicquid enim inter marinâ pedibus orbatum, & branchias habens animal generat, sub eo nomine intelligitur) iis vulua partita, pertinensque ad septum, quomodo auibus, est. Atque etiam de medio sui bipartiti sinus, arctior ad septum vsque pertendit: ac oua tam hinc, quàm supra ad septi originem consistunt: mox prolapsa in spatium latius foetus animales excludunt. Sed eorum ipsorum differentia vuluæ, quæ tum inter se, tum verò à cæteris piscibus discrepent, accuratiùs per dissectiones spectari figuris singulis potest. Serpentes etiam tam ab iis supra dictis, quàm inter se differre apertum est. Vipera enim animal edit, postquam intra se oua peperit, cum cætera serpentum omnia genera oua edant in lucem. Quo fit, vt viperæ vni vulua similis vt cartilagineis sit. Tendit porrò serpentibus vulua prolixior, modo corporis exorsa inferius, vno cõtinaua meatu, diductaque in latus spinæ vtriusque, quasi duplex meatus vsque ad septum: in qua oua ordinatim gignuntur, & edi inde non singulatim, sed serie cõtinente solent. Vulua omnibus, quæ & intra se, & foras animal generant, supra aluum posita est: quæ oua pariunt, iis infra, lumbis adhæret. Quæ animal edunt in lucem, cum intra se oua generarunt, iis anceps ratio est: nam & infra lumbis adiungitur ea pars vuluæ, quæ oua continentur, & supra intestina ostiũ eius sustentur. Ad hæc discrimen vularum est, quod cornigera, & vna parte dentata, acetabula habet vuluæ, dum partum gerunt: atque etiam parte vtraque dentatorum, lepus, mus, vespertilio, eadem illa acetabula suis continent locis. At cætera vtrinq; dentata animalis fecunda, pedibus prædita, vuluam læuè omnia habent, & partus ipsi vuluæ, nõ acetabulis adhæret. Partes dissimilares animalium interiores, exteriorisque, hunc in modum haberi cognitum est.

De partibus animalium similaribus, ibique Syennesis Cyprij, Diogenisque Apolloniatae opiniones de sanguine, & venis. Cap. II.

Similariū sanguis potissimùm communis animalibus sanguineis omnibus est: nec minùs communis ea pars est, qua sanguis continetur, quæ vena dicitur. Locum autem communitatis secundum obtinent ea, quæ iis proportionentur, hoc est, sanies, & fibra, atque etiam caro, quod præcipuè corpus animalium inest. Os item, & quod vice fungitur ossis, vt spina, & cartilago. Adde communitati eiusmodi, cutem, membranam, nervos, vngues, pilos, & quæ iis ex proportione respondeant. Ad hæc, adipem, sebum, atque excrementa, stercus dico, pituitam, bilem tum flauam, tum etiam atram. Sed cum natura sanguinis, venarumque, princip

principium esse videatur, primùm de iis differendum est: præferim cum auctores nonnullos ex iis, qui res eas tractarint, minùs rectè dixisse intelligã. Causa verò ignorationis, occultioni earum partium, ac perdifficili contuitui tribuenda est: nam in animalibus mortuis natura venarum principaliorum aboletur, propterea quod ipsæ in primis effluente sanguine languescant, & collabantur. Ex iis enim quali vase, vniuersus sanguis effunditur: quippe qui omnis in venis contineatur, præter exiguum, qui in corde est. In viuus autem fieri non potest, vt quemadmodum habeat, cernantur: intus enim natura earum occultatur. Itaque alii cum in cadaueribus dissectis inspicerent, summa principia cernere nequiverunt. Alii in hominibus admodum extenuatis, per ea, quæ extrinsecus videretur, interna venarum principia definiere. Syennesis medicus Cyprius ita scribit: Venæ corporis crassiores oriuntur ad hunc modum, & tendunt de oculo propter supercilium, per dorsum ad pulmonem sub mammis: altera de latere dextro ad sinistrum, altera de sinistro in dextrum: & altera per iecur in renem, ac testem, altera ad lienem, & renem, & testem, postremò ad genitale perfertur. Diogenes Apolloniata hæc: Venas hominis constare ad hunc modum nouimus: duæ maximæ habentur, quæ per ventriculum propter dorsi spinam pertendunt, altera dextrorsum, altera sinistrorsum, vtraque ad pedem sibi subiectum: & in caput eadem per iugulum propter humeros efferuntur: hinc sparsa ramorum serie, aliæ minores membris omnibus sanguinem riuant, de dextra dextrorsum, de sinistra sinistrorsum. Maximè autem illæ duæ cor adeunt, circa ipsam spinam dorsi: altera item duæ paulò superius per pectus sub ala vtraque in manum dispensatæ pertendunt, quarum altera lienaria, altera iecoraria vocatur. Harum postrema ita scinduntur, vt parte pollicem adeant, parte volam: tamen ex iis ramorum tenuiorum frequentia in digitos, manumque spargitur totam. Propagines tenuiores à primis venis mittuntur, à dextra ad iecur, à sinistra ad lienem, & renes. Quæ autem pertinent ad pedes, scinduntur quæ femur iungitur, tenduntque per totum femur: quarum maxima femur ex auerso perrepat, crassaque apparet: altera paulò interius minùs crassa procedit per femur: tum propter genu tendit ad crus, pedemque, imum, quo modo ad manus: hinc subeunt plantam, & se spargunt in digitos. Complures etiam tenues de eisdem illis ad ventrem & costas sparsæ obrepunt, quæ porrectæ per iugulum petunt caput, apparentque crassiusculæ in ceruice: quarum extrema fissura multiplici permeant per caput, dextra dextrorsum, sinistra sinistrorsum: atque vtraque ad aurem definiunt. Sunt præterea venæ collo commissæ iuxta maiorem, paulò minores, vtroque ex latere transeunt, ad quas plurima illarum capitis pars tendit: quæ immersæ per iugulum mittunt alias ad scapulas, & manus. Apud lienariam etiam, & iecorariam, aliæ paulò minores apparent, quibus adigere cultellum solemus, quoties aliquid sub cute affligit. At si quid circa ventrem infestat, sanguinem ex iecoraria & lienaria mittimus. Quinetiã ad mammas hinc aliæ pertinent. Sunt item quæ de vtraque perferantur ad testes, per dorsi medullam, tenues:

Quare venarum cognitio sit difficilis.

De venis variæ opinionum auctorum.

Sola ex serpentibus vipera animalædit.

atque etiam aliæ, quæ subditæ cuti tendant per carnem ad renes, cessentque ad testes viris, ad vterum mulieribus. Prodeunt primæ à ventriculo ampliores: tum attenuantur, dum de parte dextra in læuam, indeque transeant ad dextram, quæ feminariæ nominantur. Sanguis crassior à carne ebibitur: sed cum ad loca deuenierit, tenuis redditur, & calidior, & spumofus. Syennesis ac Diogenes ita.

Polybij sententia de venarum ordine, ibique falsarum opinionum refutatio. Cap. III.

Polybius hæc: Venarum paria quatuor habentur: primùm, quod à sincipite ortum tendit per ceruicem, summa perreptans latera spinæ, ad clunes, & crura: deinde per tibias ad malleolos exteriores, & pedes: quam ob rem doloribus dorsi, & coxarum, de poplitibus, malleolisve exteris sanguinem mitti solitum est. Secundum venarum par de capite circum aures per ceruicem, quæ iugulariæ dictæ sunt, intus propter spinam, & lumbos, ad testes, & femora perfertur: atque per poplites, & tibias, tendit ad interiores malleolos, & plantas: quapropter doloribus lumborum, & testium, sanguinem ex poplitibus, aut malleolis mittimus. Tertium par venarum à temporibus per ceruicem sub scapulis porrigitur ad pulmones: & altera de parte dextra in sinistram pergens, mammam subit, & ad lienem, renemque descendit: altera de sinistra in dextram procedens, à pulmonibus mammam subit, mox iecur petit, & renem: vtraque postremò ad testes definit. Quartum par ortum parte priore capitis, de sede oculorum per ceruicem ad humerum clauiculas deuenit: vnde per lacertos ad agilem, mox per cubitos ad volam & digitos, ad malas etiam de humero propaginem mittit, quæ costas perrepat, dum altera ad lienem, altera ad iecur perueniat, deinde vtraque eminens per ventrem ad genitale definit. Hæc ferè sunt, quæ à cæteris medicinarum auctoribus dicta accepimus. Nec desunt Naturæ interpretes, qui tametsi accuratiùs perinde, vt medici, non tractarunt de venis, tamen omnes earum ortum à capite, atque cerebro deducunt: quod error est. Cum itaque perdifficile sit venarum examen, solis in strangulatis animalibus iam antè extenuatis effici potest, vt factis percipiat, cui hæc res curæ sit. Sedenim natura venarum ita se habet: Duæ intra pectus venæ continentur spinæ appositæ, altera maior, altera minor: maior partem priorem adit, minor posteriorem: & maior dextram potius sedem obtinet, minor sinistram, quam aortam nonnulli vocant, eò quod nervosa eius pars conspici vel in mortuis potuit. Ambæ ex corde originem ducunt: transigunt enim totæ cætera viscera, per quæ tendunt, suam seruantes naturam, vt nihil contrahant detrimenti, quò minùs & sint venæ, & appellentur. Sed cor non eodem permeant modo, verùm ei, tanquam suæ parti, continuantur, magisque ea, quæ prior, & maior est. Situ autem tali oriuntur, vt altera supra, altera infra sit, & cor inter se positum amplectantur. Habent intra se corda

In testium & lumborum doloribus quæ venæ incidenda.

Argumentum quo putat Aristoteles venas originè ex corde ducere. Tres cordis sinus.

Meatus duo ad capita testium tendentes.

Castrandi animaliamodo di duo.

Vularum discrimen.

corda omnia sinum triplicem, sed magnitudine varia. Minutissimorum enim animalium sinus arctiores sunt, ita, ut vnus, qui amplior est, vix conspici possit, reliqui sensum effugiant. Mediocrium animalium secundus etiã conspicuus est: maximorum perspicui omnes possunt. Et cum priorẽ in partem cor suo mucrone spectet, ut dictũ est, sinus, qui amplissimus est, dextrum, supremũq; recipit situm, minimus sinistrum, mediocrius medium. Qui autem maximus inter eos est, hic longè reliquis ambobus amplior est: omnes tamen ad pulmonem foramine spectant perpetuo, sed propter exiguitatem meatuum latent, præterquam in vno. Oritur ex eo amplissimo, supremoque sinu vena maior, sedemque dextram tenet, mox per mediũ sinum formam recipit venæ, utpote cum ipse ventriculus cordis venæ particula sit, in qua sanguis restagnet. Aorta de sinu medio exit, non eodem modo, sed per fistulam multo arctiorem in init societatem, & tendit à latere cordis, cum vena maior sua radice cor transigat, cum se promit. Vena item ipsa maior, membrana, & cute constat. Aorta arctior est, & vehementer nervosa, deductaq; longius, hoc est, ad caput, aut imas partes, in angustum admodum coarctatur, ac nervi naturam ex toto accipit. Pars prima venæ maioris sursum à corde proueniens, scinditur bipartitò. Adit alterum membrum pulmones, alterũ spinam, & vertebram colli nouissimam. Rursus membrum, quod pulmonem adierit, bipartitò se scindit, quia pulmo in duas partes discretus sit: deinde singulas fistulas, singulaq; foramina subit, amplius ampliora, arctius arctiora, ita, ut pars nulla sit sine foramento, & venula: quanquam postrema diminutionum præ sua exiguitate visum effugiunt: quo fit, ut pulmo omni ex parte refertus sanguine videatur. Hos autem venæ meatus induci supra fistulas ex arteria pertinentes, certum est. Membrum alterum, quod ad spinam, & colli vertebram diximus tendere, per spinam ipsam porrigitur. Quam venam Homerus notat, cum ait:

- Venamque inciderat omnem,

Quæ per dorsa means, ceruices fertur ad imas. Hinc venulæ singulæ ad singulas costas, & vertebrae feruntur. Finditur etiam bipartitò hæc eadem vena iuxta vertebram, quæ supra renes posita est. Ita hæc membra venæ maioris, in ramos sparguntur: sed rursus parte superiore, qua ex corde protedit scissa numerosiore venarum propagine, duo petit loca: quippe quæ alias in latera, & humeros mittat, quæ mox per alas homini ad manus feruntur, quadrupedi ad pedes priores, auibus ad alas, piscibus ad pinnas, quæ parte prona continentur. Quarum venarum capita iugulares, quæ primũ scinduntur, appellamus: sed quæ scissæ ceruicæ subeunt, iuxta pulmonum arteriam tendunt. Quibus interdum foris apprehensis corruunt homines sensibus ereptis, & palpebris compressis: ita porrectæ, amplexæque arteriam, ad interuallum aurium feruntur, quæ maxillæ faucibus coeunt. Denuò inde scinduntur in venas quatuor, quarum vna remeans per collum, & humerum descendit, & cum priore propagine ad flexum brachii copulatur. Secunda ad palmam, & digitos cessat. Tertia de vtraque sede aurium ad cerebrum pertinet, atque in multos prætenues ramu-

los spargitur, itaque membranam custodem cerebri subit. Cerebrum autem ipsum omnium expers sanguinis est, nec aliquid venæ, vel auctioris, vel minoris in id cessat. Reliqui rami, qui ab eadem vena mittuntur, partim ambiunt caput, partim ad sedes sensuum, dentisque, gracili venularum serie terminantur.

De aorta vena minore, eiusque sede.

Cap. IIII.



Ena etiam minor, quam aortam diximus nominari, eodem spargitur modo in ramos, qui partes venæ maioris consequuntur: verum meatus eius, & venulæ multo minores sunt, quam venæ maioris. Locis à corde superioribus venas hunc in modum haberi nouimus. Pars autem maioris venæ cordi subiecta, fertur elatior, per septũque applicata, tum ad aortam, tum etiam ad spinam membraneis, flaccidisque meatibus continetur: mox vena ad iecur ab ea mittitur breuis, sed lata: de qua multæ, ac tenues sparsæ in iecur obliterantur. Rami inde ab ipsa iecur transigente duo procurrunt, quorum alter ad septum, & præcordia dicta cessat: alter supera repetit, ductusque per alam ad lacertum brachii dextri se porrigit, quæ cæteris venis se applicat iuxta flexum anteriorem. Quam ob rem sanguine hinc misso, dolores iecoris quidam leuari possunt. Pars altera venæ eiusdem breuis quidem, sed crassa, latus petit sinistrum, pergitque ad lienem, quæ sparsa in ramulos subit, itaque aboletur. Quinetiam ab eadem maiore propago pari modo ad lacertũ sinistri brachii mittitur: sed quæ ab brachium dextrum procedit, eadem, quæ pertingit ad iecur, est. Hæc verò diuersa ab ea, quæ ad lienem pertinet, est. Aliæ item à vena maiore duæ propagantur, quarum altera ad omentũ, altera ad id, quod à carne pancreum appellatum est, de qua, venarum frequentia per lactes tendunt, quæ omnes in vnam desinunt venam grandem, per totum intestinum, & ventriculum, ad gulam vsque porrectam, quæ & ipsa ramos de iis, quas perreptat, partibus spargit complures. Vtraque igitur, tam maior, quam aorta, renem tenuis vna atque perpetua tendit. Hæc capitibus renem potius adhærescunt, findunturque bipartitò, velut in litteram A lambda, aut V litteram inuersam: vergitque magis in partem posteriorem corporis vena maior, quam aorta. Spinæ annecti aortam, potissimum circa cor, venulis prætenuis, & nervosis, notum est. Ducitur eadem de corde nimirum amplitudine insigni, sed procedens arctior, atque nervosior euadit. Mittit ea quoque ad lactes ramos, quemadmodum maior, verum longè minores: per angustos enim, & fibris proximis, quippe quos extenuatos, in fibras, cauas tamen, cessare aduerterimus. Ad iecur, aut lienem, nulla ab aorta pertinet vena. Rami autem illi, in quos venam scindi vtranque dixi, ad coxam vtranque proficiscuntur, atque os ipsum attingunt. Ad renes etiam à maiore, aortaque venæ deueniunt: sed cauum non subeunt renem, verum in corpus eorũ absumuntur. Necnon alii duo meatus ab aorta validi, & perpetui ad vesicam procedunt: atque etiam alii de cauo renem eodem veniunt, qui nihil commune cum vena maiore sortiuntur.

Sing

Singulis itẽ renibus de medio venæ exorsæ, caua, nervosæque, iuxta spinam ipsam per venas se porrigit: mox in coxam vtranque conduntur, ac delitescunt: deinde denuò porrectæ in clunes apparèt: quarum & ipsarũ postrema, ut in sexu virili ad vesicam, genitalæque coniiciuntur, sic in femineo ad vuluam, aut vterum pertinent. Nullam sanè venam de maiore vuluã adire videmus, cum de aorta multæ, frequentesque veniant. Ramis etiam tum aortæ, tum etiam maioris, aliæ mittuntur propagine: quæ primũ ad inguina ampliusculæ, cauaque accedunt, deinde per femora, cruræque, in plantas, & digitos finiunt. Atque etiam duæ aliæ per inguina, & femora commutatis vicibus perferuntur: altera de parte dextra in sinistram, altera de sinistra in dextram, ac cæteris venis circa poplites se cõiungunt. Quemadmodũ venæ se habeant, & vndenam suam originem ducant, apertum iam est. Continet autem genus animantium omne sanguinis compos, venarum initia, & genera summa, eo, quo exposuimus, modo: nam reliqua copia venarum nõ simili ratione in omnibus est. Neque enim partes eodem modo, aut eadem in omnibus habentur: nec verò æquè in omnibus patet venarum series, sed potissimum iis constat, quibus sanguinis copia, & præcipua magnitudo est. Nam in minutis, & sanguinisve inopibus, vel per naturam, vel per immodicam corporis obesitatem, haud æquè inspicere possunt. Alteris enim meatus quasi alueoli quidam multo intersepti limo permiscuntur: alteris paucæ, eademque fibræ potius, quam venæ, continentur. Vna tamen, quam maiorem ex præcipua magnitudine cognominamus, potissimum euidentem in omnibus etiam minutis animalibus est.

De nervis, eorumque origine. Cap. V.



Nervorum mox ordinem persequemur. Origo eorum quoque in corde est: id enim neruulos suo ampliore ventriculo cõtinet. Et vena aorta appellata, nervosa est, & quidem postrema eius nervo omnino constant: quippe quæ nullo intus cauo distinguantur, tendanturque modo neruorum, quæ desinunt, applicata ad nodos ossium lubricos. Cæterum natura neruorum nõ more venarum continua de eodem initio procedit. Venæ enim, ut in depictis canalibus, hoc est, fontibus riuo multiplici sparsis patet, figuram totius corporis distribuunt, ita, ut corporibus admodum extenuatis, partes omnes venulis refertæ cõspiciantur. Locus enim idem venulis in macilentis, carne in corpulentis redundat. Sed nervi diducti, distractique passim ad artus, & flexus ossium applicantur. Quod inde etiã percipi potest: nam si eorum natura esset continua, latè iam in extenuatis corporibus contentia omnium pateret. Summæ neruorum partes, quæ membrũ ad salendum accommodatum cõtinet, poples dictæ: & quæ se geminam porrigit, tendo nomine: & quæ ad vires corporis iuuat, attendo, & humerarius: reliquæ, quibus ossiũ nodi deligantur, nomine vacant. Nam ossa omnia siue foris vicissim tanguntur, siue alterum inseritur alteri, nervis ligantur: & circiter ossa quæuis neruorum copia ducitur, capite excepto: id enim non nervis, sed futuris ipsorum ossium con-

Venæ per totum corpus sparsæ.

tinetur. Nervus natura fissilis in longitudinem tendit: scindi per latitudinem non potest: intendique vehementer idonea est. Humor circa nervos mucori similis, albidus, glutinosusque consistit, quo ipsos nervos & nasci, & ali certũ est. Nervus ignem non patitur, cum vena patitur: & incisus solidari non potest. Pars corporis nulla stupore tentatur, quæ nervo caret. Nervis plurimis pedes, manus, & scapula continentur: atque etiam ceruices, & lacerti. Quibus datus est sanguis, iisdẽ omnibus nervi adiuncti sunt. Sed quæ nullos habet articulos, priuatq; pedibus, & manibus sunt, iis prætenues, incertique habentur. Quapropter in piscibus, qui iuxta pinnas positi sunt, si præcipuè veniunt in conspectũ.

De fibris. Cap. VI.



Ibræ inter nervum, & venam, suam habent naturam: & nonnullæ humorẽ faniem appellatum continent: tendunt à nervis ad venas, ac inde ad nervos. Secundum etiam genus fibrarum est, quod consistere in sanguine solet: quanquam non cuiusq; animalis. Spissari autem sanguis non potest, si id genus fibrarum detrahatur: spissatur verò, si non detrahatur. Genus id ergo fibrarum tametsi maiore ex parte in sanguine animalium inest, tamẽ cerui, damæ, bubali, & aliorum quorundam sanguini deest: quocirca eorum sanguis non similiter, atque cæterorum, conrescit. Sed ceruorum perinde, ut leporum, solet spissari, videlicet nõ coitu firmiore, ut cæterorum, sed fluido, quale lac est, quod sine coagulo sponte coierit. Bubali sanguis aliquantulo amplius spissatur: quippe qui proximè ouillo, aut paulò minus consistat. Vena, nervus, & fibra ita se habent.

De ossibus, eorumque differentijs.

Cap. VII.



Ossa alia ab aliis nexa, & omnia inter se apta, vnam cõtinuant seriem modo venarum, nec est vllum os, quod scõrsum ipsum per se maneat. Initium verò in omnibus, quæ ossibus constant, spina est: quæ compacta ex vertebrae à capite ad coxas porrigitur. Vertebrae omnes foramine medio peruiæ sibi iunguntur. Extat os capitis continuũ, nouissimis superimpositum vertebrae, quod calua dicitur. Eius pars ser rata, suturæ nomine significatur. Pars hæc nõ simili modo in quoq; genere animalium habetur. Aliis enim osse continuo calua perficitur, ut cani: aliis compacto, ut homini, eiusq; feminae futura circulariter est. Mari tres in summũ verticem ascendunt futurae, coeuntque in figuræ triangulæ speciem. Sed iam & viri caput visum sine vlla sutura est. Constat sanè caput non quatuor ossibus, sed sex, quorũ duo exigua, scilicet reliquorũ comparatione, circa aures posita sunt. Maxillæ à capite proteduntur ossa duo: quarum inferiorem animalia omnia mouent, excepto fluuiatili crocodilo: hic enim vnus nõ inferiorem, sed superiorẽ mouet. Maxillis dentium genus inhetret. Os partim cauum, partim solidum, & adeò firmum, ut solum inter ossa, ferri aciem respuat. Oritur à spina, fibula, iugale, & ordo costarum. Petus etiam costis impositũ est: quæ quidem aduersæ inter se coeunt, cum reliquæ breuiores sint, quam

Caput quot ossibus constat.

vt facere idem queant. Nullum enim animal est, quod circa ventrem os habeat. Sunt item ossa humerorum, & quæ scapulæ appellantur, & quæ iis annexa dependent, brachia, & manus. Modus idem compaginum vel in iis est, quæ crura habent priora. Acetabulum infra, quæ spina definit, à coxa est: & ossa iam crurum oriuntur, quibus femora, & tibiæ constant, pernæ, aut culinæ nomine: quorum pars malleolus est, & malleoli calcar: videlicet in iis, quæ habent malleolos, ab iis ossa pedis minuta, & plura subiacent. Quæ igitur ex sanguineis pedestribus animal generant, hæc ossa non multò diuersa habent, sed ad proportionem tantummodo duritia, mollitiè, magnitudine discrepant. Ossium item animalis eiusdem, alia medullam intra se continent, alia minimè. Sunt nonnulla, quæ suis ossibus nullam omnino habere medullam videantur, vt leo: quòd admodum exigua, ac tenuem habeat, eamque in paucis ossibus: solis enim inferioribus, atque brachiis. Constat profectò leo præcipuè omnium animalium ossibus solidis: sunt enim adeò dura, vt ex eis concussis, ignis velut à filice elidatur. Delphinus etiam ossa habeat, non spinas. Cæterorum animalium sanguineorum ossa, aut paulò inter se differunt, vt auium: aut proportionem eadem sunt, vt piscium. Qui enim inter eos animal generant, cartilagineam pro spina habent: vt ea, quæ cartilaginea appellauimus. Qui autem oua pariunt, spinam continent: quæ perinde vt dorsum in quadrupedum ordine habetur. Sed proprium in piscibus est, quod nonnullis spinulæ quædam prætenues separatim per carnem inhærent. Serpentibus etiam dorsum piscium more compleri apertum est. At verò ea, quæ inter quadrupedes oua pariunt, os aut spinam pro suæ magnitudinis modo meruerunt: maiora enim ossis naturam potiùs obtinent, minora spina potiùs in ossis vicem fulciuntur. Omnia prorsus animalia, quæ sanguinem habent, dorso constant, aut osseo, aut spineo: cætera ossa aliis insunt, aliis desunt. Vt enim partes corporis quæque habentur, ita ossa quoque ad partes accommodata habentur. Quibus enim crura, & brachia desunt, iis pernæ, aut culinæ prædictæ etiã desunt. Nec verò iis, quibus partes, eadem quidem, sed dissimiles sunt, eadem ossium ratio seruat, sed aut pluris, minorisve modo differunt, aut proportionem. Ossia igitur ita se habent.

Leonis ossa dura & sine medulla.

De cartilagine, eiusque cum osse differentia. Cap. VIII.



Artifago differt ab osse pluris, minorisve ratione, cum aliàs natura eadem, qua ossa, constet. Et quemadmodum os præcisum nunquam recrescit, ita & cartilago rupta nunquam reparatur. Terrestrium, quæ & animal gignunt, & sanguinem habent, cartilago nullo foramine hincit, nec ossium more medullam continet. At verò aquatilium cartilagineis, quod per dorsum proportionatum ossibus tendit, cartilago est, humorem in medullæ speciem continens. Gressilium, quæ animal gignunt, auriculæ, nares, extremaque ossium nonnulla cartilagine constant.

De vngue, vngula, cornu, & dentibus, eorumque cum osse conuenientia. Cap. IX.



Vnt item alia partium genera, quæ naturam nec eandem habent, quam ea, quæ exposita sunt, nec longè ab iis remotam, vt vngues, vngulæ, cornua: præterea rostrum, quale datum auibus est. Hæc enim & flexilia, & fissilia sunt, cum nullum os vel flexi, vel fin-di possit, sed fragile quodq; habeatur. Colores cornuum, vnguium, vngularum, pro cutis, pilorumque colore sequuntur. Etenim cutis nigræ, cornua nigra, & vngulæ nigræ oriuntur, & candidæ pari modo in colore respòdent & cornua, & vngues, & vngulæ: mediis etiam medium eadem colorem præferunt. At dentes naturam ossium æmulatur: quam ob rem hominum nigrorum, vt Aethiopum atque similibus, dentes, & ossa candent: vngues nigri modo suæ cutis apparent. Cornua parte plurima caua sunt ab radice, quatenus ambiunt os, quod ortum à capite cauo cornu inseritur, totumque implet: in mucronem tamen solidum exeunt, & simplici parte extrema constant. Ceruis tantummodo tota solida, & sparsa in ramos, & omnibus annis decidua, nisi castrètur: cum ex cæteris cornigeris nullum cornua amittat. De castratis autem postea differemus. Adhærent cornua cuti potiùs, quàm ossi. Vnde fit, vt in Phrygia, & alibi, boues sint, qui cornua perinde, vt auriculas, moueant. Quæ habent vngues, (habent autem, quibus digiti: digiti verò iis sunt, quibus pedes, excepto elephantò, huic enim digiti indiuisi, ac leuiter formati, nec vngues omnino sunt) hæc ergo, aut rectis vnguibus sunt, vt homo: aut aduncis, vt inter pedestria leo, inter volatia, aquilia.

De pilis, & iis, quæ pilorum vice funguntur. Cap. X.



E pilis, atque de iis, quæ vicem pilorum suppetunt, & ob eam rem pili proportionalia dicuntur, atque etiam de cute, res ita se habent. Pilos habent quæ pedestria, eademque viuipara sunt. Cortice autem integuntur, quæ ouipara sunt pedestria. Squama verò pisces tantum, qui ouum arenidum illud pariunt. Nam ex longis conger, tale ouum non edit, nec muræna: anguilla verò nullum omnino ouum generat. Crassitudinis, tenuitatis, copiar, & magnitudinis pilorum discrimina, pro partium, quibus adhærent, conditione, atque pro cutis qualitate proueniunt. Fit enim magna ex parte, vt pili & duriores, & crassiores cuti crassiori enascantur: plures autem longiores humidioribus locis, atq; cauationibus (dummodo sint ad gignendù pilum idonei) prodeunt. Hoc idem de genere quoque tam squama munito, quàm cortice, intelligi licet. Quæ igitur molles suapte natura pilos habere solèt, hæc per vsum pabuli melioris, duriores incipiunt gere-re: contra autem molliores, paucioresque, ea, quæ duros, copiososque habuerint, eadem illa scilicet ratione. Regionum etiam tempore, aut frigore differentia est, vt pili hominum locis calidis duri, frigidis molles oriuntur. Sunt molles, qui promissi, & simplices: duri, qui crispi.

Cornuum & vnguium colorem respondere coloris cutis.

Pilorum differentia pro qualitate cutis.

De

De pilis, & cute, & iis, quibus pili, & cutis. Cap. XI.



Natura omnium pilorum fissilis est: sed pluris, minorisve ratione inter se differunt. Nonnulli paulatim adeò duritate degenerant, vt non pilis præterea, sed spinis similes esse videantur, vt pili herinaceorum. Quod idè vnguibus etiam euenit: quippe cum in nonnullis animalium, genus vnguium præ nimia duritudine, nihilò ab ossibus differat. Cutis homini proportionem magnitudinis tenuissima est. Inest in cute omnium lentor quidam mucosus, verum aliis minus, aliis magis: vt in tergore bubulo, ex quo glutinù facere solent. Quinetiam è piscibus glutinù à nonnullis excoquitur. Sensu cutem ipsam carere constat, maximèq; in capite, quoniam ibi nulla interposita carne ossi adhæreat. Vbiunq; cutis per se, ac sine carne est, vulnerata non coit: vt in gena, bucca, præputio, palpebra. Contextu perpetuo cutis in omnibus animalibus, continuatur: nec alibi interpellatur, quæ vbi naturales meatus solent euaporare, atq; etiã in ore, & vnguibus. Cutem omnia habet, quibus est sanguis: pilos non omnia, sed sicut distinctum iam est. Mutatur color pilorum in senectute, candidisq; pili efficiuntur in hominibus, quod vel cæteris animalibus accidit, sed non satis apertò, præterquam in equo. Candescunt pili à parte sui postrema. Plurimus tamen canorum numerus can-dicans illico existit: qua ex re patet, canitiè non ariditate committi, vt quidam volunt: nihil enim illico aridum gigni solet. Cutis autem vitio, quod vitiliginè appellamus, pilos omnes produci canos apertum est. Iam nonnullis pili dum ægrotarèt, incanuerunt: quibus in bonâ valetudinem restitutis, nigri enati sunt, canis defluxis. Canescere pilos oculus oportos, quàm defectos distaròsq;, aduertimus. Tempora hominum, & partes primores, quàm posteriores, celerius canitiem sentiunt. Pubes nouissimè canescit. Pili in homine animalium omnium vno partim simul, partim postea per ætates gignuntur. Congeniti sunt pili capitis, & superciliarum, & palpebrarum: post geniti, pubis primùm, mox alarum, postremò menti. Loca enim, quibus pili proueniunt, totidè sunt congenitis deputata, quot post genitis. Deficiunt, ac desluunt, maximè primisq; per ætatem pili capitis, non tamè omnes, sed tantum priores: parte nanq; posteriore caluus nemo efficitur. Ergo capitis læuitatem, caluitium nuncupamus: quam rem in superciliis salitiu appellamus, quoad melius vocabulù inuenerimus. Neutrù eorù prius, quàm coeptus coitus Veneris sit, accidere nouimus. Caluitii mulieres esse immunes, & pueros, & spadones, apertum est. Pili post geniti, iis, qui ante pubertatem castrati sunt, non exeunt: & post pubertatè excisis, soli decidunt, præterquam pubis. Pili in mento mulieris non prodeunt, nisi interdum pauci, cum menstrui cursus subsisterunt: & vt in terra Caria mulieribus sacerdotibus euenire aiunt, quod diuinationis indicium interpretantur. Reliqui pili, qui postea gigni solent, mulieribus quoq; proueniunt, sed parcius.

Qualis cutis animalium.

Canitiei causa.

Caluitium.

Salitium.

Fieri potest, vt homo, tum mas, tum etiã fœmina, pilis post genitis careat, iam inde ab ortu naturæ vitio contracto: & nisi vt pubescant, contingat, steriles in gignèdo sunt. Crescunt cæteri pilis plus, minorisve, prout singulorum ratio postulat, maximè in capite, mox in barba, & præcipuè quibus pili tenuiores. Nonnullis etiã supercilia per senectutè adeò hirsuta redduntur, vt tondendum sit: quod propterea euenit, quia coherioni apposita sint ossi, quæ senescente ætate laxantur, & inde plus humoris transmitti patiuntur. At verò pili palpebrarum nunquã plus iustò excre-scunt: desluunt rebus Veneris incæptis, eoque magis, quòd vsus Veneris fuerit amplior: eosdem etiã lentissimè omnium canescere clarum est. Pili euulsi subnasci denuò possunt, dum citra ætatis florem degitur, nec ulterius. Habet autem genus quodq; pilorum ad suã radicem lentum quædam humorè, quo protinus, vbi euulsum est, si qua leuiuscula tangat, adhæret, vt ea trahere possit tenaciùs. Quibus verò animalibus versicolores sunt pili, eisdem etiã in cute varius ille color habetur, atq; etiã in lingua. Barba non pari modo effunditur omnibus, sed aliis tam maxillæ, quàm mustax, & mentu pilorum frequentia integuntur: aliis mentu læue, & mustax, maxillæ pilosæ cer-nuntur. Caluescere minus solent, qui mæto sunt bipartito. Crescunt etiã pili quibusdã in morbis, vt præcipuè in tabificis. Quinetiam in senectute & defuncto augetur, durioresq; redduntur: quod idè vnguibus quoq; euenit. Libidinosi pili congeniti maturius desluunt: post geniti, celerius sese promunt. Minus, qui varices habent, caluescunt. Et si calui habere incæperint, pilos nonnulli producant. Pili præcisi non ab incisura augetur, sed inferius ab radice exeunt: atq; ita euadunt longiores. Piscibus quoq; extenuatis, ac senescètib, squamæ duriores, crassioresq; efficiuntur. Quadrupedum etiam villi, lanæve, senectute prolixius augetur, quanquam rarefiant, fiãntq; pauciores. Et vngulæ quoque maiores in senectate redduntur: quod idem rostris etiam auium euenit. Incrementum vngularum idem, quod vnguium est.

Barbæ discrimen.

De penis auium, & earum mutatione, aliorumque animalium, è potu quorundam fluminum. Cap. XII.



Penes auium nullæ per ætates mutantur, præterquam gruù, quas nigrescere in senectate perspectum est. At verò per affectus temporarios, quoties frigora vrgent acriora, penne volucrum unicolores interdum nigrescunt, aut nigriusculis, albidisve, in albas trans-eunt: vt corui, passeris, hirundinis. Cuius rei contrarium, vt quicquam ex genere albo veniret in nigrum, nunquam visum est. Temporù quoq; vicissitudine bona pars auium ita colore immutatur, vt quæ sint, latere possint, nisi re peritiùs noueris. Aquarum itè diuersarum vsu, nonnulla suos immutant colores: alibi enim candida, alibi nigra redduntur. Sunt etiã aquæ multis in locis, quas cum oues biberint, moxq; inierint, nigros generet agnos: vt in terra Assyritide agri Chal-

Aquis quibusdam, vis immutandi colores animalium.

cidici Thraciæ facit amnis, quæ præ nimia frigiditate Pſychrú vocant. Et in Antandria quoq; duo sunt fluvii, quorum alter candoré, alter nigritiam pecoribus facit. Scamander etiã amnis flauas reddere oues creditur: quã ob rem Xanthum pro Scamandro nuncupatum ab Homero autumant. Lepori vni pili & in bucca intus, & sub pedibus sunt: cum cætera animalia nec intra os habeant pilos, nec parte pedum resupina, sed prona. Musculus etiã piscis pilos in ore intus habet vice dentium, quibus omnino caret, suillis similes. Sed pili, vt dictũ est, præfecti augeri ab radice possunt, supernè non possunt: penna autem nec ab radice, neque supernè ab incitura possunt reparari, sed cadant necesse est. Nec penna apum, aut quæuis infissa renasci potest, cum etulsa est. Aculeo etiam apibus detracto, nullus subnascitur alius: imò breui moriantur, necesse est.

De membranis in sanguineis animalibus.

Cap. XIII.

Sunt & membranæ in sanguineis animalibus, quæ quidem pars similis cuti prætenui, spissãq; est. Sed diuersum sanè genus id est, quippe quod nec fissile, nec euulsile sit. Ambit singula, tum ossa, tum etiam viscera membrana, tam in maiore, quam in minore animalium genere: verum in minore sensum effugit, quoniã admodũ tenuis, atq; exigua sit. Maximè inter membranas duæ sunt illæ, quibus cerebrum opertũ munitur: altera supra adhæret ossi, quæ firmior, & crassior est: altera infra contigua cerebro: mox quæ operit cor, magna habetur. Præcisa mēbrana ipsa syncera non coit: & ossa suis dispoliata mēbranis syderantur.

De omento. Cap. XIII.

Omentum quoq; non nisi mēbrana est: quod omnia habent, quæ sanguine nõ carent, sed alia pingue, alia macilentum. Oritur id, & depēdet in iis, quæ animal generant: eadēmq; dentata parte vtraq; sunt, à medio ventre, quæ veluti quædam futura ducitur. Nec secus in iis, quæ altero dentium ordine carent, à maiore ventre dependet.

De vesica, & quomodo generentur calculi.

Cap. XV.

Vesica etiam membrana est: sed genus id aliud membranæ est, quippe quod tendi ingenuè possit. Non omnibus data vesica est, sed iis tantum, quæ animal generant. Ovipari autem generis nulli, præter testudinem, data est. Nec vesica præcisa coire potest, nisi ad ipsum exordium suæ ceruicis. Quamquam nõ ignoro ita aliquando cõtigisse, vt vulnerata vesica solidesceret. Sed quod admodum rarò contingit, parum id obseruandũ censeo. Defunctis nihil humoris in vesicam transmittitur. At viuus non solum humor, sed etiam sicca quædam, & concreta descendunt, ex quibus calculi conficiuntur. Iam nonnullis talia in vesica contiterunt, quæ nihilo differre à cochylis viderentur. Ergo de venis, neruis, fibris, eute, membranis, atq; etiam de pilis, vnguibus,

vngulis, cornibus, dentibus, rostro, cartilagine, ossibus, eorumque proportionalibus, itatuendũ ad hunc modum est.

De carne. Cap. XVI.

Carni autem hæc, & quod carni simile, in genere sanguineo, est omnibus inter cutem & ossa, aut quæ ossium proportionem continentur. Vt enim se habet spina ad os, ita carnis æmulum illud ad carnem. Diuisibilis vndique caro est, nec venarum, aut neruorum more in longum secari tantum idonea. Aboletur, & in venas, fibrãq; trãsit, quoties animal extenuatur, & gracilescit. Vertitur item in pingue, quoties pabuli copia suppetit. Quibus multum est carnis, iis venæ arctiores, & sanguis rubetior, & vèter, ac viscera parua. Quibus parum, iis venæ ampliores, sanguis atrior, viscera maiora, & venter auctior. Pinguescunt intra carnem, quibus paruus est venter.

De adipe, & sebo: & quæ animalia adipe, quæ sebo pinguescant. Cap. XVII.

Adeps autè, & sebum differunt inter se, cum sebum fragile vsquequaq; sit, & cum refrixit, concrescat: adeps liquidus sit, minimèq; aptus durari. Iura enim sebo opimorum concrescunt, vt ouis, vt capræ. Adipe pinguiũ liquida resistunt frigori: vt equi, vt suis: locis etiã discrepant. Adeps enim inter carnem, cutemq; solet consistere: sebum in fine carnis semper est. Omentũ quoq; adipe pinguescentibus adipeum est, sebo obesius sebale. Quæ parte vtraq; dentata sunt, adipe pinguescunt: quæ vna, sebo. Iecur è visceribus adipeũ nonnullis consistit, vt inter aquatilia cartilagineis: quorum iecinoribus colliquatis oleũ facimus. Ipsa tamen cartilaginea nullo discreto adipe carni, ventrivi adhærente pinguescunt. Piscium sebum adipem præ se fert, nec cõcrescere solet. Animalia quæuis aut intra carnem, aut seorsum pinguescunt. E quibus autem pingue sepatatũ non est, ea minus per ventrem, omentumque pinguescunt: vt anguillæ: pauci enim est eis sebum in omento. Plurima tamen pars animalium ventre pinguescit, & præcipuè quæ parũ se moueant. Cerebrũ, vt adipe pinguescentium, pinguiusculũ est, velut suis: sic sebo obesorum, squallidiusculum sentitur, vt ouis. Renes ex visceribus maximè pinguescunt: verum dexter minus semper, quam sinister: & quauis vehementer fuerint pingues, tamen aliquid semper mediis deest. Quæ sebo pinguescunt, magis, quam quæ adipe, in renibus opimandis luxuriant, ac omnium præcipuè oues, quippe quæ renibus pingui vndiq; obductis intereant. Quod vbertate pabuli fit, vt in Sicilia agro Leontino fieri cõstat. Quocirca sero diei agere oues ad pascua pastores loci illius solent, quò minus capiant pabuli.

Pupillas omnibus animantibus easdem esse.

Cap. XVIII.

Omnium verò animalium commune pupillæ institutio est. Omnibus enim, quæ partem hanc possident, nec duris oculis sunt, sebo constat. Minus esse

esse fecunda, quæ adipe pinguescunt, siue mares, siue fœminæ, notum est. Omnia ætate prouecta potius, quam nouella pinguescunt: sed præcipuè, cum iam suæ longitudinis, ac latitudinis modũ adeptæ, augeri in profundum incipiunt.

Sanguinem omnibus & communem, & necessarium esse animantibus sanguineis: deque sanguinum varietate.

Cap. XIX.

Sanguis in primis necessarius, communisq; sanguineis omnibus animalibus est: nec aduentitius suppetit, sed vernaculus, atq; intimus in omnibus integris, atq; imputidis habetur. Venas hic vasa sibi, & conceptacula habet: nec in vlllo alio, nisi in corde, præter venas continetur. Tactum nullo in genere sentit: sicut excrementa quoque in alio contenta, sensu carere certum est. Quinetiam cerebrum, & medulla tactum nõ sentiunt. Effluit sanguis quancunq; partem incideris carnis viuæ, ac incorruptæ. Si sanguis integer est, rubet, & dulcis saporis est: sed si vel natura, vel morbo sit vitiatu, atrior cernitur. Nec verò admodum crassus, aut admodũ tenuis, est qui optimo habitu cõstet humidus & calidus semper est, quandiu in corpore animalis continetur. At vbi effluerit, concrescit omnium præterquã ceruorum, & dumarum, & si quid aliud natura eiusmodi sit. Itaq; cæterorum omnium sanguis spissari solet, nisi fibræ, quibus refertus est, eximantur: sed celerrimè omnium sanguis taurorum coit, durefcitq;. Copia sanguinis in primis animalibus, iis, quæ animal & intra se formant, & in lucem edunt: mox iis sanguineis, quæ pariũt oua. Quæ autè vel Natura, vel arte, bono habitu sunt, iis nec multum admodum sanguinis est, velut iis, quæ per aliquam potionem recentem sanguine exundant: nec parum, velut iis, quæ nimium sunt obesa: quippe cum præpinguia omnia sanguinem, quauis purum, tamen paucum habeant: & quò plus pinguedinis, eò minus possideant sanguinis. pingue enim omne exanguie est. Obesa item sanguinem habent imputidum, quancquam sanguis, & quæ sanguinea sunt, facillè putrent: ac præcipuè quæ ad ossa propius applicantur. Homini sanguis tenuissimus, ac mūdissimus: tauro, & asino interea, quæ animal generant, crassissimus, & nigerrimus: parte etiã inferiore crassior, & atrior est, quàm superiore. Palpat intra venas sanguis omnium animalium, pulsusq; simul vndiq; mouetur: solusq; omnium humorũ sparsus per totũ corpus animalium est. Et semper quãdiu vita seruatur, sanguis vnus animatur, & feruet. Oritur primũ in corde, antè, quàm totum corpus formetur. Si multum sanguinis affluat, anima deficit: si nimium, vita interit. Si sanguis immodicè humescit, morbus infestat: sic enim in speciem sanie diluitur, & adeo ferescit, vt iam nonnulli sudore cruento exundarint. Idem etiã interdum causæ est, vt qui effluerit, aut omnino concrescere nequeat, aut incomptè, particulatimq; spissetur. Dormientibus porrò sanguinis copia partes exteriores deserit, subitq; inte

riores, ita vt adacto cultello non aquè effluere possit. Fit per concoctionem ex sanie sanguis, ex sanguine adeps. Vitiatu, excrecentèque sanguine, profluuium vel è naribus, vel per infera mariscis mouetur, aut varices fiunt. Idem putrescens pus redditur, quod demum concalescente porus, id est, tofus lapis consistit. Fœminis sanguis nigrior, & crassior, quàm maribus est, dummodo cætera adsint pariter, quæ vel ab ætate, vel à sanitate proficiscuntur. Et minus sanguinis per summa corporis fœminarum est: plus enim parte interiore continetur. Sed omnium fœminarum maximè mulier sanguine abudat. Et quæ menstrua appellamus, plurima fieri in mulieribus solent: quod genus sanguinis vitiatũ, ægrotrãnsq; fluit immodicè, atq; profluuium ob eam rem dictũ est. Cæteris morbis sanguinis minus mulieres infestantur, quàm viri. Paucis item mulieribus fiunt mariscæ, aut varices, aut è naribus profusio sanguinis. Et si quid eorũ acciderit, detrimentum in mēstrua decumbit. Aetatum etiã ratione sanguis discrimen, tum in modo, tum in genere recipit. Etenim in ætate admodum iuuenili saniem trahit, & largior est: in senectute autem crassus, niger, & paucus. Medium tenet in media, firmãque ætate. Concrefcit etiam facillè senũ vel in corpore sanguis, qui per summa est: quod idem nunquam iuuenibus euenit. Saniem sanguis incoctus est: aut quia concoctus nondũ est, aut quia in serum degenerauerit.

De medullis, lacte, sero, & caseo.

Cap. XX.

Medullæ rationem iis addere debemus: nam ea quoq; humidis annumerandã generibus in nonnullis sanguineis animalibus est. Omnia verò, quæ suapte natura humida in corpore sunt, conceptaculis quibusdã, tanquam vasculis, continentur: vt sanguis in venis, medulla in ossibus: alia in membranis, aut cutibus, aut ventribus. Nouellis adhuc animalibus, medulla cruenta admodum est: ætate prouectis, vt adipe pinguescentibus, adipè trahit: sic sebo deputatis generibus, sebum præ se fert. Sed quancquam medulla non nisi inclusa ossibus est, tamen nõ ossa omnia medullam intra se continent, sed ea tantum, quæ caua habentur, tametsi ne ipsa quidem omnia continent. Ossa enim leonis partim nullam, partim admodum exiguã habent: quam ob rem nullã omnino medullam leones habere nonnulli putarunt, vt dictũ est. In suillis etiam ossibus minus medullæ est, & nonnullis omnino deest. Hæc ferè semper in animalibus natia & cõgenita humidi genera habentur. Adnata autè, posterioraque sunt, lac, & genitura: quorũ alterum nõ eodem modo in omnibus est, sed quibusdam pro genitura thoris genitale virus sui generis habetur, vt piscibus. Quæ verò lac habent omnia, mammis id continent. Mammæ autem datæ iis sunt, quæ animal & intra se concipiunt, & in lucem edunt: vt ea, quæ pilis integuntur, velut homo, & equus. Cete etiam in aquatili genere: vt delphinus, vitulus marinus, balæna, hæc enim mam-

Symptomata corrupti sanguinis.

Sanguis mēstruus.

Sanies.

Medullæ differentia quæ ex ætate est.

Quibus māmæ.

Partes, differentiæque la-
tis.

mas habent, & lac. At ea, quæ ova pariunt, aut ouo intus concepto, animal post in lucem excludunt, hæc & mammis carent, & lacte: vt pisces, vt aues. Genus autem vnumquodque lactis habet tum saniem dilutam, quod serum vocamus: tum corpulentum quiddam, qui caseus dicitur. Plus casei lac illud habere videmus, quod crassius est. Coit lac eorum, quæ non vtrinque dentata sunt. Quapropter caseus ex iis fit, quæ inter vrbana, dentium ordine carent superiore. Eorum autem, quæ vtrinque dentata sunt, lac coire non potest, sicut nec pingue, & tenue, dulcèque est. Tenuissimum cameli est, mox equæ, tum asinæ: crassissimum bubulum est. Nullum lac coit frigore, sed serum potius trahit. Igne nimirum omne spissatur, & crassescit. Nulli ferè animalium lac fieri solet antè, quàm vterum ferat: nec dum ferunt vtile omne est, sed primùm, nouissimumque inutile. Non prægnantibus aliquid, sed rarò, edulsi quibusdam efficitur vt latefcat. Etiam quibusdam mulieribus natu maioribus, suctu frequentiore lac prodiit, & copia tanta, vt infantem enutrire potuerint. Vbera etiam caprarum, quæ coitum non patiuntur, pastores montis Oetæ vrtica perfricant vehementer, vt dolorem infligant. Itaque primùm cruentum humorem eliciunt, mox purulentum, postremò lac non minus, quàm ex iis, quæ Venerem patiantur. Maribus magna ex parte, nec bestiis, nec hominibus gignitur lac. Fieri, tamen potest, vt aliquibus interdum gignatur. Nam & in Lemno insula capro ex mammis, quas geminas iuxta genitale gerit, tantum lactis emulgebatur, vt colostrâ inde conficerent. Quod idem etiam proli masculæ capri illius euenisse accepimus. Sed hæc ostentis annumeranda potius ducunt. Nam & Lemnio illi pecoris domino consulenti, Deus amplius incrementum peculii futurum respondit. Viris post pubem exiguum nonnullis exprimitur: veruntamen per suctum frequentiore, vel multum prodisse aliquibus, traditum est. Lacti inest pinguedo, quæ etiam concreto oleum propè trahit. Caprinum lac miscere cum ouillo Siculi, & quibuscunque sit copia caprini, consueuerunt. Coit, spissaturque potissimum, non modò quod plurimum habet caseum, verùm etiam quod squallidiorum. Lactis copia quibusdam maior, quàm ad fœtus alendos satis sit. Commodum ad conficiendum, reponendumque caseum præcipuè ouillum, caprinumque est: mox bubulum. Equinum, ac asinum miscent ad phrygium caseum conficiendum. Eubulum fertilius caseo est, quàm caprinum. Cum enim ex amphora lactis caprini formagines obolæ vnde viginti conficiantur, bubulum eadem mensura triginta facit, vt pastores confirmant. Quibusdam quantum satis ad fœtum sit, tantum gignitur: nec vlla copia, aut ad reponendum commoditas suppetit: vt quibus mammæ plures, quàm binæ. Nulli enim in eo genere lac, vel copiosum, vel caseo vtile. Cogitur lac succo ficulno, & coagulo. Succus lana exceptus pauillo lacte abluatur, quod iniectum lactis copiam densat, atque collostrat.

De coagulo, & pabuli genere, quod lactis copiam extinguat, quòdque idè augeat.
Cap. XXI.



Coagulum, lactis substantia est: quippe quod in eorum vetriculo, quæ adhuc lactent, contineatur. Est ergo coagulum lac, ignem habens intra se, quod cum animalis tepore concoqueretur, caseum traxerit. Habent coagulum omnia ruminantia: & inter dentata vtrinque lepus. Quò vetustius coagulum est, eò præstâtius. Tale profluuiò alui mederi præcipuè potest: atque etiam quod leporis est: sed laudatissimum hinnuli. Plus, minùsve emulgeri, discrimen aut pabuli, aut magnitudinis animalium efficit. Nam pusillæ buculæ, quas Phasiana regio fert, singulæ abundè beneficio pabuli mulgentur. Et Epiroticæ vaccæ præ sua præcipua magnitudine, amphoras singulas singulæ implent lactis, mensuræque eius dimidium mammis duabus præstant. Erectus qui mulget, aut paululum se inclinat: quoniam sedendo vbera contingere nequeat. Cæteras etiam quadrupedes magnas terra eadem Epirus gignit, excepto asino: sed præcipuè boues, & canes. Pastu opus est grandibus largiore: quem terram illam abundè præbere, & loca singulis anni temporibus accommodata habere certum est. Boues igitur egregia magnitudine ibi sunt: atque etiam oues Pyrrhicæ, à Pyrrho rege ita cognominatæ. Pabuli genus aliud copiam lactis extinguit: vt medica herba, & præcipuè ruminantibus. Aliud auget: vt cytissus, vt eruum. Sed cytissus dum floret, incommodus est: vrit enim tantisper, atque extinguit. Eruum prægnantibus non prodest: facit enim partum difficiliorem omnino. Quæ in quadrupedum genere sunt edaciora, eadem vt ad possidendum, meliora, ita ad lactis etiam copiam esse fœcundiora, videlicet dum alimenti copiam habeant, planum est. Nonnulla etiam flatuosa, pastu exhibita, copiam efficiunt lactis: vt fabæ largiùs datæ ouibus, capris, bubus, capellis: faciunt enim vt vbera demittantur. Indicum autem futuræ copiam lactis, cum ante partum vbera spectant deorsum. Edurat diu lac omnibus, si non coeant, nec pastu careant copioso. Sed omnium maximè quadrupedum, ouibus: quippe quibus mulstra mensuram octo spatium continetur. Denique ruminantibus lac & copiosus, & caseo vtilius emulgetur. Boues circa Toronam, paucis ante partum diebus lacte carent, reliquo tempore habent perpetuò. Mulierum lac commodius lactentibus est, quod liuorem trahit, quàm quod candidum est: & fuscæ salubrius habent, quàm candidæ. Est porrò ad alendum validius, in quo plus casei est: sed infantibus salubrius, quod minus casei contrahat.

In epiroticæ vaccæ præcipua magnitudinis quæ drupedes.

Fabarum quoque lac augeri.

De semine genitale, & eius natura.
Cap. XXII.



Semen genitale omnia emittunt, quæ habet sanguinem. Quid, & quemadmodum conferat hoc ad generationem, suo loco dicitur. Plurimum verò proportiõe corporis homo emittit. Pilos habentium semen lentum est: cæterorum nullam habet lentitiam. Album omnium est. Nec audiendus Herodotus, qui Aethiopes genituram colore nigro promere scripserat. Exit profectò

femen hoc genitale, album, & crassum, si integrum est: sed foris tenue totum redditur, & nigrum. Nunquam id gelu concrefcit: imò admodum extenuatur, & aquæ tum colorem, tum etiã substantiam trahit: calore autem coit, & crassescit. Et quod de vulua efluxerit, aliquandiu in ea iã immoratum, id crassius prodit. Nonnunquam etiam siccū, contortumque. Delabitur in aqua quod fœcundum est, atq; subsidit: quod autè infœcundum est, diffunditur, atque exolefcit. Falsum etiam est, quod Ctesias de genitura elephantorum scriptum reliquit.

A R I S T O T E L I S S T A G I R I T A E
de Historia Animalium,
Liber Quartus,

Theodoro Gaza Interprete.

De animalibus, quæ sanguine careant, quatuorque eorum generibus.
Cap. I.



Animantium genera quæ sanguine careant.

De partibus animalium habentium sanguinem, quas cõmunes, quasve proprias singula habent genera: atque etiam de iis, quas similes, dissimilaresq; appellauimus: deniq; de omnibus, tã interioribus, quàm exterioribus partibus, dictū iam est. Nunc ordinem animalium, quæ sanguine carent, persequemur. Genera in hoc ordine plura sunt. Primum, quæ mollia appellauimus, hoc est, quæ sanguine carent, & foris carne molli obducta, solidum intus, modo sanguinei generis continent: quale sepia est. Secundum, quæ crustis tenuibus operiuntur, hoc est, quæ partem solidam foris, mollem, carnosamque intus continent. Durum illud eorum tegmen, nõ fragile, sed collisile est: quale cancerorum genus, & locustarum. Tertiū, quæ silicea testa cõclusa muniuntur, hoc est, quibus pars carnea intus, solida foris, fragilis, atque ruptilis, non collisilis: quale genus concharum, & ostrearū est. Quartum, insecta omnia. Quod quidem genus multas, & varias cõplectitur species animalium. Sunt porrò insecta, quæ, vt nomen ipsum declarat, incisuras parte sui vel supina, vel prona, vel etiam vtraq; habent: nec osseum quicquam discretum, aut carneū, sed quiddam inter hæc ipsa medium continent: quippe quæ corpore pariter intus, forisq; duro consistent. Sunt alia impennata, vt iuli, vt centipedæ. Alia pennata, vt apes, vespæ, scarabei. Alia vtroque modo, vt formicæ. Est enim pars formicarum pennata, pars impennis. Quod idem vel in iis, quas cicindelas vocant, licet contemplari. Partes eorum, quæ mollia nominauimus,

exterioribus, pedes vulgari nomine, siue brachia: & iis continuum caput: tum alueus, siue sinus continens interiora, quem pinnulæ ambiunt in orbem: caput enim nonnulli minus rectè appellarunt. Euenit in mollibus sanè omnibus, vt caput inter pedes, & ventrem habeatur. Brachia tergo octona omnibus binis acetabulorum ordinibus, ductu perpetuo omnibus, excepto genere vno polyporum. Sepiæ, lolligines, & lollii, peculiare binas sortiuntur promuscides longas, acetabulo parte extima bino asperiusculas, quibus capiunt, & ad ora admouent cibos. Iis etiã quoties tempestatas vrgēt, ad saxa aliqua adherentes se veluti anchoris iactis stabiliunt: pinnulis autem, quibus alueum circūdari diximus, natant. Polypus ergo suis brachiis, vt pedibus, ac manibus vtitur: quippe qui duobus supra os positus cibum admoueat. Vltimo verò, quod & acutius, & solum albicans est, & parte sui extrema bifurcatum, dorsòque adnexum. (Dorsum autem partem læuam appellant, à qua acetabulorum ordo inchoatur) hoc vltimo, inquã, brachio in coitu vtitur. Fistulam idem ante alueū positam supra brachia gerit cauã, qua mare trãmittit: quantum suo admiserit alueo, quoties aliquid ore capit: eamque modò in dexteram partem transfert, modò in sinistram. Hac eadem fistula suum quoque atramentum fundere assollet. Natat obliquus, pedes in eam porrigens partem, quod capitis nomine appellatum est. Atq; ita efficitur, vt cum natat, prospiciat in aduersum (nam oculi supra sunt constituti) & os habeat ex aduerso. Caput illud polypis, quandiu viuunt, prædurum, & quasi in flatum est. Tangunt, ac tenent brachiis supinis, membranamque interiectam totam extendunt: in arenam tamen elapsis facultas apprehendendi, retinendique nulla est. Differunt polypi à cæteris, quæ modò enumeravi, mollibus, eò quòd alueus po-

Partes mollium exteriores.

Polypi quid differet ab aliis mollibus.

lyporum parvus, & crura prælonga: cæteris è diuerso, alueus amplus, crura breuia, ita vt potest nulla sit ingrediendi. Ipsa autem inter se discrepant, quatenus lolligo longior, sepia latior est. Lolligine verò longè grandior, qui lollius nominatur: quippe qui vel in cubita quinque excrescat. Sepias quoque aliquas in bina augeri cubita notum est. Brachia etiam polyporum tantundem, atque etiam plus magnitudinis capiunt. Sed lolliorum genus pusillum admodum est, & facie quoque à lolligine disidens. Pars enim lollii, quæ exit in acutum, latior est. Pinnula etiam circūdantes illæ totum in lollio alueum ambiunt, cum in lolligine partem aliquam relinquunt. Pelagius tamen, lollius non alio modo, quam lolligo consistit. Caput omnibus inter crura, quæ & brachia, & barbæ, & cirri appellantur. Eius pars oris habitus est, in quo dentes duo, supra quos oculi totidem grandiusculi, quibus discrimen exigua quædam præstat cartilago continens cerebellum. Inest etiam in ore caro quædam exigua, qua vice linguæ vtuntur. Lingua enim nullis hoc in genere data est. Alueus à capite amplioris capacitatis propensus, cuius caro fissilis est, verum non per directum, sed in orbem, eutèq; omnibus intacta est. Os gula excipit angusta, & longa, quam guttur sequitur ampliusculum, neque absumile auibus: cui iungitur venter, tanquam omasum, facie clauiculæ buccinorum. Intestinum ab eo tenue, partem repetens superiorem ad os fertur, quod laxius, quam gula, est. Viscera mollium nullis: sed habent, quam mutem appellant: atrumq; illum humorem, cui nomen atramentum, quod plurimum in sepia est. Effundunt suum id atramentum omnia metu percussa, sed præcipuè sepia. Mutis ergo sub ore est, & gula per eam tendit. At verò atramentum infra continetur, quæ intestinum petere incipit superiora: foramenque suum eadem obuolutum habet membrana, qua intestinum. Atque idem meatus emittendi atramenti, excrementique est. Capillamenta etiam quædam in corpore omnium habentur. Sepiæ, lolligini, & lollio, partes duræ, ac solidæ intus per dorsum & corporis prona continentur, quas non eodem appellant nomine: sed quod insertum sepiis est, sepium vocat: quod lolliginibus, id gladiolum. Differunt enim, quod sepium robustum, latumque est, inter spinam & os mediam præ se ferens naturam, fungosam intra se complectens, & friabilem corpulentiam. Gladiolum arctior, & cartilaginiosior est. Forma etiam discrepat, videlicet pro alueorum modo, quibus ipse insertus continetur. Polypus nihil solidum intus, sed caput cartilagine propè constat, quæ senescentibus maiorem in modum indurescit. Differunt fœminæ à maribus, quia in mare meatus ille subditus gulæ à cerebello in ima aluei pertendit, idque ipsum, ad quod fertur, speciem mammæ imitatur. In fœmina duplex idem illud, supraque habetur. Vtroque tamen in sexu corpuscula quædam rubentia parti eiusmodi subiuncta spectantur. Ouum polypi vnum incomptum foris, & grande, intus humorem candicantem concolorem totum, atq; æqua-

Quando molli-
lia suū atra-
mentum ef-
fundant.

Ouum polypi.

bilem continens. Tanta est eius oui vbertas, vt vas impleat amplius capite polypi ipsius. Sepiæ alueus bipartitus est, oua candicantia grandini similia complectens permulta. Sed quisnam situs singularum, quas enumerauimus, partium sit, ex descriptione dissectionum cōtemplare. Cum verò mares in hoc genere à fœminis differunt, tum vel maximè sepia id probant. Mas enim prono sui corporis nigriora supinis potius, partisque omnes asperiores habet, quam fœmina, & lineis interuenientibus variis: caudam etiam acutiorem. Sed polyporum genera plura sunt: est enim quod & conspectius, & maximū est, cuius terreni maiores, quam pelagii, sunt: & quod corpore exiguo, variòque est, cibo ineptum: & quod eledonam vocat, crurum prolixitate diuersum: & quod vnum ex mollium numero simplicem acetabulorum ordinem agat: cætera namque omnia duplici caliculantur. Ad hæc, quod alii bolitanam, alii ossolem appellant. Duo itè visuntur genera cōchis indita, quorum alterum nautam aliqui vocant, alterum pompilum, siue ouum polypi. Testa iis vt pectunculis concava, simplex tamen, nec ita destinata, vt ei inhæreant. Sæpius ii iuxta terram pascuntur: vnde euenit, vt fluctibus iactati in aridam elidantur, & testa dilapsa nudi capiantur, aut in terra anima extinguantur. Constant exiguo corpore, facie similes bolitanis. Est etiam qui cochlearum more siliceo tegmine ita muniatur, vt nunquam egredi so-
leat, suaque interdum brachia exerat. Sed de generibus mollium fati dictum iam est.

10

20

30

40

50

Polyporum
nera plura.

Plin. nau-
lium & pe-
piliū eu-
dem facit.

Discrimen
inter marem
locustam &
fœminam.

Gammarus.

Cancrorum
nus multi-
plex.

De animalibus, quæ crusta integuntur.
Cap. II.



Rusta autem interiorum genus primum locusta: cui proximum genus alterum est, quem gammarum vocant. Differt is à locusta brachiis, quæ denticulatis forcipibus protendit: atque etiã quibusdam aliis discriminibus, quanquam non multis. Tertium genus squilla est. Quartum, cæcer: quorum sanè plura habentur genera. Squillarum enim genere continentur gibbæ, crangines, & parvæ, quæ maiores nunquam effici possunt. Cancrorum etiam genus multiplex est, nec facile enumerandum. Maximum, quas maias appellant. Secundum, paguri, & quos heracleoticos vocant. Tertium, fluuiales. Cæteri minutiores, & nullis penè nominibus annotati. Genus cancerum litorale Phœnice fert, tantè velocitatis, vt vix consequi sit: vnde hippeas, hoc est, equites illos appellarunt. Iis nihil ferè intus propter inopiam pabuli. Genus item aliud est, quod magnitudine crancrum non excedat, facie gammaris simile: sed iis omnibus (vt antè dixi) pars dura, & testacea foris pro cute est, mollis & carnea intus: supina corporis planiora, & tabellatiora sunt, quibus & oua deponunt cum pariunt. Pedes locustis vtroque ex latere quini, vltimis annumeratis, qui in forcipem exeunt denticulatum. Cancris etiam omnes denti cum forcipibus sunt. Squillarum generi, quas gibbas vocamus,

mus, quini vtrinque, situ, quo cæteris: quorum proximi capiti acutiores, & quini vtrinque alii ventri subiuncti, quorum extrema latiuscula sunt. Tabellæ iis nullæ parte supina: prona similis locustarum est. Cancris è diuerso: quippe quibus primi vtrinque quaterni, tum terni alii, ordinem eodem modo explentes. Reliqua bona pars corporis pedibus caret. Flectuntur omnium crura in obliquum, sicut & insectorum. Brachia forcipata quibus sunt, introrsum se flectunt. Locustis & cauda est, & pinnæ quinquæ adfunt. Squillis etiam gibbis cauda, & pinnæ quaternæ. Cranginis quoque lateri caudæ vtrinque; pinnæ adnexæ sunt: quarum pinnarum media vtroque, in genere spinulis horrent. Verum in crangine latiora, in gibbis acutiora sunt. Cancris ex crustaceis solis cauda deest, & corpus rotundum est, cum locustis, squillisq; longum sit. Differt mas locusta à fœmina, quod fœminæ primus pes duplex, mari simplex. Pinnæ etiam parti supinæ adnexæ, fœminæ maiores, & quæ collo proximè sunt, minores habentur. Mari omnes æquè minores, nec vsquam per diminutionem dissimiles. Ad hæc, mari in nouissimis cruribus, velut calcaria maiuscula prominent acuta, quæ fœmina parua habet, & læuora. Vtrique tamen cornua ante oculos bina, longa, & aspera, quibus alia minuta & læuora cornicula subiaceant. Oculi iis omnibus duri & apti, tum intrò, tum foras, tum etiam in obliquum moueri: quales etiam sunt parti plurimæ cancerorum, imò verò mobiliores. Gammaro color, quod ex toto dixerim, nitet, nigrisque maculis dispersis euariat: pedes inferiores ad grandes vsq; dispositi octo: tum grandes ipsi longè maiores, extremaque parte latiores, quam locustæ habentur: sed non specie eadem. Dexter enim suum extremum, latum, & oblongum, & tenue habet: sinister crassum, & rotundum: vterque tamen scissus in extremo, perinde vt maxilla tam infra, quam supra dentatus est. Verum dexter pusillos, serratosq; dentes continet omnes: leuus primos serratos, intimos velut maxillares, scilicet parte inferiore quatuor, & continuos: superiore tres non continuos. Vterque tamè partem mouet superiorem, ad inferiorèmq; adstringit. Blesus item vterque situ inferiore tanquam nati ad capiendum, premendumque. Duo supra eos grandes habentur: alii hirtiusculi, paulò ab ore inferiores. Mos branchiæ os circumdant, non sine hirsutia frequentes, quas assiduè mouet. Flectit, atque in os adducit duos illos hirtiusculos pedes. Surculi etiam graciles geruntur à pedibus, qui ori proximi habentur. Dentes huic quoque duo, vt locustæ: supra quos cornua breuiora, tenuioraq; quam locustæ. Quatuor item alia adfunt cornua, specie quidem duobus illis similia: sed tenuiora, & breuiora. Super hæc oculi constituti sunt parui, crassiusculi, non vt locustæ, maiusculi: frons quasi quædam acuta, & aspera supra oculos extat latior, quam locustæ. Denique facies acutior, & pectus latius, quam locustæ, totumque corpus mollius, & carbofius. Pedum autem octo numero, pars scissa in extremo bifurcata, pars desinit indiuisa: quatuor enim bifurces

sunt, reliqui quatuor simplices ex toto pertendunt. Quod autem collum appellant, quinque partium foris est: & sextum latius illud situm loco nouissimo habetur, tabellis continuatum quinq;. Interiora verò, in quibus fœminæ prius pariunt, quam fœtum edant, hirtiuscula quædam quatuor continentur, quibus singulis spinæ singulæ breues, arrectæque eminent ad exteriora. Pectus, corpusque totum læue est, non more locustarum aculeatum, & asperum. Verum in pedibus magnis aculeos partis exterioris maiores esse, manifestum est. Fœminam hoc in genere nullum discrimen à mari distinguit. Nam & mari, & fœminæ forceps alteruter grandior more incerto est, parem verò vtrinque neuter vnquam habere visus est: mares omnia eius generis ore excipiunt. Sed cancri parte oris exigua adducta respuunt: locustæ suas ad branchias transmittunt, quas ipsæ plures, quam cætera, habent: communis enim omnibus brachiarum adnexus est. Dentes omnibus bini. Locustis enim duo primores, & in ore caruncula quædam constituta pro lingua est. Tum venter os protinus excipit, præterquam locustis: iis enim gula ante ventrem exigua. Mox à ventre intestinum, quod locustis, & squillis, & gammaris rectè in caudâ finit, qua excrementa emittunt, & oua pariunt. Cancris autem, qua applicatum illud operculum geritur medio applicaminis ipsius: verum iis quoque parte exteriori, qua oua pariunt, desinit. Fœminis itè huius generis locus ouis deputatus iuxta intestinum omnibus est. Et quam mutem, siue papauer appellarunt, amplius, parciusve habet hæc omnia genera. Discrimina propria contemplari in singulis congruū est. Locustis igitur, vt modò dixi, dentes bini maiusculi, & veter, quo humor similis muti continetur. Caruncula etiam inter dentes linguæ representans effigiem: & gula ab ore breuis, quam venter membraneus excipit: cuius ostio tres denticuli inhaerent: duo vterque, reliquus infra. Intestinum verò à ventris latere simplex pari crassamento ad excrementum vsque ostium fertur. Hæc locustæ, & gammaris, & cancri sortiuntur: sed locustis meatus quoque à pectore pendens, ad excrementi exitum pertinet: qui fœminis pro vulua est, maribus genitalis feminis receptaculum sufficit. Meatus hic iuxta cauum carnis continetur, ita vt media caro interiaceat: intestinum enim deuexum pertingit: meatus verò cauo applicatur. Nec secus, quam in quadrupedum genere hæc habentur. Nulla maris meatum ac fœminæ differentia distinguit: quippe cum vterque tenuis sit, & albidus, & humorem intra se continens pallentem: vterque etiam ex pectore pender. Squillas etiã ouum, clauiculasque, similem in modum habere certum est. Maribus sanè præ fœminis propria in pectoris carne bina quædam candicantia constant, discreta à cæteris partibus colore, formaque promuscidi, sepiarum proxima: verum hæc torta in vertiginem more buccinorum papaueris, quorum origo ab acetabulis, quæ subdita pedibus nouissimis ordinantur. Caro in iis quoque est colore sanguinis rubra, & tactu lento, nec si-

milis carni. Ab hoc, pectori anfractus alter strue buccinea, crassitudine lineæ sese porrigit: sub quo duo quædam arenæ conditioni similia, semini genitili accommodata, intestino adnectuntur: hæc in mare. Fœmina autem ouum rubidum parit, membranæque obuolutum prætenui, ventri, laterique vtriq; intestini annexum, atque ad carnem vsque adhærens. Partes has habent interiores, atque exteriores.

De partibus animantium crustatorum, quibusve cum iis, quæ sanguinem habent, conueniant.

Cap. III.



Ed cum animalia quæque sanguinea, partes tum interiores, tum etiam exteriores, suis quasque appellatas nominibus habeant, genus, quod sanguine caret, pluribus vacat. Iam enim viscera, quæ cuique sanguineo insunt omnia, nullum exangue quod habeat, nouimus: sed communes generi vtriq; partes, gula, venter, intestinum. Cancris autem forcipes, pedesque haberi, & ii quales essent, dictum iam est. Omnibus verò magna ex parte grandior, ac validior forceps dexter, quam læuus est. Quinetiam de oculis diximus, visum parti plurimæ esse in obliquum. Alueus verò totius corporis indistinctus est: nec enim caput distinctum, nec aliud quicquam. Oculi non eodem situ omnibus positi, sed aliis è latere supra, continuo sub pronno, amplo distantes discrimine: aliis in medio breui discrimine, vt Heracleoticis, aut mais. Os oculis subditum, in quo dentes duo, vt locustis verum non rotundi, sed longi. Tegmina dentes operiunt duo, inter quæ talia interiacent quædam, qualia locustarum dentibus adnecti exposui. Humorem igitur ore accipit, tegminibus illis depellendo: emittitque meatu oris superiore, obductis meatibus, quæ interfuxit. Duplex ille meatus sub oculis est. Quoties ergo aquam acceperit, vtroque tegumento os obrurat, atque respuit humorem. Gula post dentes breuis admodum est, ita vt protinus venter os excipere videatur. Venter bifidus gulæ subiungitur, cuius ex medio intestinum simplex, & tenue procedit, quod sub applicato exteriori operculo desinit, vt dictum est. Quod autem inter tegumenta interiaceret, huius, sicuti locustarum, dentibus adnectitur. Humor inus in alueo pallidus, & minuta quædam oblonga, albida continentur. Rufa etiam alia, maculis dispersis. Differt à fœmina mas, magnitudine, crassitudine, & operculo: id enim amplius in fœmina est, & distantius, & hirsutius, & opacius, quale etiam fœminæ locustarum fortiuntur. Partes crusta insecti generis ita se habent.

Quæ partes generis sanguinei & exanguis communes.

vide continuo, & nullo medio.

De animalibus, quæ testa integuntur, eorumque inter se differentiis.

Cap. IIII.



Væ verò testa operiuntur animalia, vt vmbilici, cochleæ, purpure, & omnia, quæ ostrei, aut conchæ nomine appellamus, atq; etiam echinorum genus, carnem quæcunq; habent, similiter atq; crustata habent: quippe quæ intus eam cõtineant, testaq; foris claudatur, nec intra se durû habeant quicquam. Sed ipsa inter sese numerosa discrepant differentia, tum testæ, tum carnis interioris ratione. Aliis enim in eo genere nulla est caro, vt echinis: aliis est, sed penitus inclusa, nec vlla ex parte conspecta, excepto capite, vt terrestrium limacibus, & iis, quæ cocalia quidam appellarunt, & aquatiliu purpuris, buccinis, cochleis, & reliquis omnibus turbinatis. Cætera aut duplici constant valuula, aut simplici, vt genus alterum bialue, alterû vniualue possit nũcupari. Bialue appello, quod gemina testa cõtinetur: vniualue, quod testa singulari clauditur. Sunt item quibus altera pars superficiem detecta, carnem ostendat, vt patellæ. Bialuis generis pars clusilis est, vt pectunculi & mitili. Eiusmodi nanq; omnia parte altera ligata, altera soluta cõtiant, vt & cõdi possunt, & aperiri. Alia binis quidem cõclusa valuulis sunt, verum vtroq; latere connexa: vt vngues, siue digiti. Nõ desunt quæ testa tota occultentur, vt nulla ex parte carnem detectam habeant: vt quæ vertibula, siue tubera, & callos appellamus. Ipsarum etiam testarum magna varietas: nam alia læues, vt vngues, mitili, & cõcharum quædam, quas aliqui galadas appellat. Alia scabra, vt ostrea, pinna, & conchæ nonnullæ, & buccina. Quædam etiã pectinatim diuisæ, vt pectunculi, & concharum nonnullæ. Crassitudine quoq; differunt, & tenuitate, tum totius, tum partis: velut laboru. Aliis enim labra tenuia, vt mitilis: aliis crassa, vt ostreis. Item alia se mouent, vt pectines, quos etiã volare nonnulli aiunt: nã & de ferramento, quo capiuntur, sæpe exiliunt. Alia item natura immobili sunt, vt nõquã, sedem, in qua hærent, sponte ipsa mutare valeant: vt pinna. Omne sanè turbinatoru genus mouetur, & serpit. Patella etiam saxis absolui, in partemq; ferri solita est. Cõmune autem & iis, quæ adhuc enumeravi, & cæteris testacei generis, vt testa intus æqualis, læuisq; habeatur. Caro bialuis, & vniualuis generis ita testæ adhæret, vt nisi per vim nequeat detrahi. At turbinati laxior cõtinetur & absolutior: cui generi peculiare est, vt testæ postrema à capite intorqueantur. Operculum etiã eadem iam inde ab ortu Naturæ omnia gerunt. Mouentur item eadẽ omnia parte dextra, non ad vertiginẽ, siue clauiculam, sed in aduersum. Partes exteriores eius generis differentiis iis variantur. Interiorum natura similis quodam modo in omnibus est, maximèq; in turbinatis. Differunt enim inter se magnitudinis, excessusq; affectu. Nec verò multum vniualue, ac bialue genus cõclusile sibi dissident, quippe quæ parû differentia inter se asserant: quãquam longè

Caro inter testæ.

Turbinatoru discriminè.

Papauer quibus horu generum init.

longè ab immobilibus discrepent, quod latius postea patebit. Natura ergo turbinatorum similis cõstat, nec nisi magnitudine variat, vt modò dixi. Aliis enim partes maiores, atq; euidetiores: aliis minores, obscuriorèque sunt. Ad hæc discrimen illud duritia, mollitia, cæterarumq; generis eiusdẽ affectionum. Caro enim prima in ore testæ, quam omnia torosiusculã habent, aliis magis talis, aliis minùs. Caput eius medio partis prominulum iungitur, & cornicula duo, quæ magnitudine animantis plus minus capiunt incrementi. Exerunt caput more omnia eodem, idemq; per motu retrahunt intrò. Nonnullis etiam os, & dentes acuti, breues, & tenues, vt cochleis. Promuscidas item gerunt modo muscarum: quod quidẽ membrum linguæ effigie præ se fert. Habent hoc idem & purpuræ, & buccina firmum, & torosum, quo similiter vt asili, atque tabani, quadrupedû tergora penetrat: imò longè validius: testas enim escarû possunt perforare. Venter os protinus excipit, similis in vmbilicis gutturi auiû: habentq; parte inferiore duo quædam albida, torosa, mammis similia, cuiusmodi carunculas vel in sepiis esse aduertimus: sed hæc torosiora. Gula à ventre duplex longa porrigit se vsq; ad papauer, quod postremû, fundo cõmissum est. Hæc ergo, vt in purpuris, & buccinis conspicua, in clauicula testæ continentur. Quod autem gula subiungitur, intestinû est, gula ipsi continuâ, simplèxq; ex toto, vsq; ad exitum: cuius initium circa anfractum papaueris est, quæ & laxius hæret. Quod enim papauer appellamus, quasi materia vacans, atque excrementitia, magna sui parte in omnibus testaceis generibus inest. Hinc sursum versus replicans, carnis repetit sedem, finitq; ad caput: vnde eiicitur excrementum, pariter in omnibus turbinatis generibus, tam aquaticis quàm terrestribus. Membrana in grandiusculis vmbilicis à ventre gulæ atexitur continua, per quam meatus prolixior albicans colore, similis superioribus illis mammillantibus carniculis tendit. Habet etiam incisuras, quales in ouo locustarum habentur: verum hoc albidum, illud rubidum est. Nullus exitus huic, nullum foramen postremû patet, sed prætenui membrana cauo perductus angusto continetur. Tendunt ab intestino ad imum nigrantia quædam aspera, atque continua, qualia vel in testudine visuntur, sed minùs nigra. Cæteri quoq; vmbilici hæc habent eadem: sed quò minores, eò minutiora. Vniualue autem, & bialue genus partim iis simile est, partim diuersum. Caput enim, & cornicula, & os obtinent, atq; etiã quod linguæ speciem gerat: verum hæc in minutioribus sensum præ sua exiguitate effugiunt. Nonnulla etiã in exanimatis, aut non mouentibus percipi nequeunt. Papauer illud, quod etiam mutem appellamus, omnia habent, sed nõ loco eodem, nec par, nec ex æquo manifestû, sed patellæ in imo, bialuia verò ad partem, qua mutuo testaru complexu cõtinentur. Capillamentis etiã illis hæc omnia circundantur: & quod ouû appellat, tempore, quo gigni solet, ambitu alterius lateris oræ continetur, videlicet iis, quibus datû

id à Natura est, sicut etiam albugo vmbilicis: id enim illis iuctum simile intelligimus. Sed eiusmodi partes, vt dixi, cum cõspicua in magnis habeantur, in paruis tamẽ aut nullo pacto, aut vix sentiuntur: quam ob rem in magnis pectunculis præcipuè patent, quod genus id est, cui altera valuularum latior, velut tegmen superposita est. Ostium excrementi cæteris à latere est. Foramen enim, quo egerant, omnia habent: quippe cum papauer illud, vt dictum iam est, excrementitium quiddã omnia mēbrana contentu fortiatur. At illi, quod ouum appellant, foramen, nullo in genere tributum videmus, sed carni ipsi intumescit: nec eadem, qua intestinû, parte cõtinetur, sed dextera, cum intestinum habeat sinistra. Cæteris ergo talis excrementi exitus est. At verò patellæ ferè, quam marinam aurem quidam appellant, parte ima testæ excernitur, qua foramen habetur. Ventrem etiam post os esse, in hoc eodem patellæ genere constat, atq; etiam ouis illa similia. Sed quis eorum cuiq; situs sit, diligentius ex dissectionibus petendum est. Quem autem cancellum appellant, cõmunis ferè socius crustatorum, & testatorum generu est: quippe qui specie locustis similis spectetur, nasciq; seorsum per se solitus sit. Verum quod testæ deinde petit, quam ingressus vitã traducat, hinc similis testa contentis animantibus est: quapropter is in ancipiti esse, genûsq; sibi vendicare vtrunq; videtur. Forama tamen (quod simplicius dixerim) similis araneis est, nisi quòd partem capiti, & pectori subditam ampliore, quàm aranei habeat. Cornicula duo rufa tenuia gerit, quibus oculi totidem subiacent, qui nunquã intrò recedant, vt cancrorum, sed semper eminentes appareant. Os sub iis est, quod velut capillamentis quibusdã pluribus circundatur. Iis pedes subiuncti duo bifurces, quibus cibum ori admoueat. Bini item vtriq; adherent lateri, & tertius paruus. Thoracis pars inferior mollis tota est, disiectoque sinu pallidû intus cernitur. Meatus ab ore ad ventrem pergit. Foramen excrementi perspicui nullum potest. Pedes, ac thorax duritiem præ se ferunt, sed minùs, quàm cancri. Nexu nullo testis adhæret, purpurarum modo, & buccinaru, sed absolutus, libèrque vagatur. Oblõgior est, qui turbinẽ subit, quàm qui neritem, quæ naticem interpretamur. Genus enim diuersum est, quod in naticæ degit, cætera quidem nõ ab simile: sex dextrum bifurculatum pedem paruû habens, cum læuum grandiusculum habeat, & ingredi eodem ipso grandiore potissimum solet. Tale profectò genus, vel intra conchas, quarû adhesio similis cæteris est, reperitur: quod & squillam paruam appellat. Natex testa læui, ampla, & rotunda, forma buccinis proxima est: papauere tamen non nigro, vt illa, sed rubro: testæ adnexum corpus medium eius firmiter est. Pascuntur hæc mari tranquillo, absoluta saxis. At quoties flatus vrgent, cancelli hospites illi sese in saxa recipiunt, atq; latibulis tutantur. Natice saxis adhærescunt more patellarum, & muricum, ac cæterorû generis eiusdẽ: nec nisi tegmine dimoto adhæret, quod velut operculum sibi possident. Vsum enim,

Cancellus qualis.

Natex.

quem biualibus pars vtraque administrat, eundem altera exhibet turbinatis. Caro intus, quæ oris habitus. Modus hic idem muricibus, purpuris, atque omnibus generis eiusdem. Quibus vero sinister pes grandior est, ii nunquam cum turbinatis hospitantur, sed cum naticibus tantum in-eunt societatem, ut dictum est. Sunt inter cochleas, quæ intra se bestiolas habeant similes gammaris pusillis, qui vel in flumine gignuntur: sed ea differentia, ut præmollem intra suam testam carunculam habent. Forma qualisnam sint, ex dissectionibus contemplare.

De Echinorum genere.

Cap. V.



Chinis caro negata est, idque ipsum habent peculiare, ut nullam intus carnem contineant. Nigra quædam in omnibus vice carnis spectamus. Genera echinorum plurima. Primum, quod cibo idoneum est, in quo quæ oua appellant, magna, esculentaque consistunt, pariter in maiore corpore & minore: nam nouelli adhuc, paruique; pleniუსculi illis constant. Secundum, ac tertium, spatagi, & brissi, quæ genera pelagia sunt, raraque; inuentu. Ad hæc, quæ echinometra appellantur, quasi matrem, aut matricem dixeris echinorum: quæ quidem omnes magnitudine excedit. Genus ite aliud est minutum, spinis longis, prædurisque, gigni in alto gurgite solitum, quo nonnulli ad destillationes vrinæ medicamento videntur. Circa Toronem echini nascuntur candidi & testa, & spina, & ouo: augeri forma productiore, quam ceteri soliti. Spina iis parua, nec rigida, sed mollior. Nigra autem illa ori applicata, plura, & ad foramen exterius coeuntia habentur, sed disiecta inter sese, quibus quasi interuentu liminum discriminantur. Mouentur agilius, & frequentius, qui sunt cibo idonei: cuius rei argumentum, quod semper aliquid algæ suis spinis implexum gerant. Sunt ergo omnibus oua, sed nonnullis exigua, nec cibo apta. Euenit autem, ut quod caput appellant, & os, versus in terram sit. Quod vero ad excrementi exitum deputatum est, id supra habeatur. Quod idem omnibus turbinatis, patellisque; euenit: passus enim de imis peratur, necesse est. Vnde fit, ut os inuersum ad partem sit, excrementum vero superius parte pronata testæ contineatur. Dentem quini echinis omnibus sunt, caui intrinsecus: inter quos caruncula quædam interiacens linguæ officio fungitur, mox iungitur gula, deinde veter in partes quinque distinctus, plenus excrementi: cuius meatus omnes in exitu excrementi coeunt, quæ testa forata est. Venti autem subdita sunt, quæ oua appellant, membrana obducta diuersa, eodem in omnibus impari quinario numero: quorum quod nigricat, parti creditum est superiori, ex dentium origine pendens, amarum, nec esculentum, quale in multis inesse animaduertimus, aut certe eius proportionale. Nam & in testudine, & in rubeta, & in rana, atque; etiam in turbinato genere, & in molli: sed colore diuerso, & aut omnino ingustabili, aut magis ab visu cibario alieno. Corpus echinis priore, atque nouissima parte spif-

Echinorum dentes.

sum, & continens: cætera vero non continuam, sed simile laternæ, cui non obducta membrana est. Spinis suis echini videntur perinde, ac pedibus: iis enim nitibundi mouentur, sedemque; permutant.

De vertibulis, & vrticis, deque eorum animantium natura. Cap. VI.



Væ autem vertibula, siue callos speciali nomine à tegminis qualitate appellamus, naturam inter hæc genera peculiariter fortiri notum est: iis enim solis corpus totum tegmento includitur, cuius durities inter testam & corium est: quæ ob rem modo præduri bubuli tergoris secatur. Adhæret ergo id genus saxi sua testa, duorum; seposita inter se foramina exigua admodum habet, & visum vix patientia, quibus humor accipit, & reddit. Excrementum enim nullum in eo spectatur, quale in ceteris ostreis, vel echinam, vel quod appellant papauer, continetur. Dissectis, primum membrana nervosa, crusta ambiente obtenta ostenditur, qua vertibuli caro ipsa continetur, nulli è ceteris similis, in omnibus tamen sui generis eadem. Adhæret hæc vtroque; ex latere membranae circumdanti, & corio: & quæ adhæret, arctius in partem vtramque; est, videlicet quæ tendit ad meatus ductos foras per crustam, quibus redditur, & accipitur cibus, & humor, quasi alterum sit os, alterum ossium excrementis delegatum. Nec modus idem, sed alterum crassius, alterum tenuius est, cauumque; intus vtrumque;, exiguo quodam interueniente continuo, humorque; in altero cauo consistere solitus est. Pars vero alia, quæ vel instrumentalis, vel sensualis sit, nulla omnino percipitur: neque; excrementum quicquam (ut dictum iam est) quo in ceteris more continetur. Color vertibulis, aut pallidus, aut rubidus est. Vrticæ etiam sui generis cernitur: quippe quæ & adhæreat saxi, more nonnullorum insectorum testa: & interdum saxi abiuncta vegetur. Nulla huic testa, sed corpus omni ex parte carnem præ se fert. Sentit, & manum admotam corripit, adhærescitque; perinde, ac polypus, suis brachiis, ita ut caro intumescat. Os medio in corpore continet, & de saxo quasi de testa viuunt, & prænatantes pisciculos excipit, retinetque; sicut manu admota hominis agi dictum est, deuoratque; in hunc modum quæcunq; nacta est esculenta. Absoluti etiam saxi genus quoddam vrticæ (ut modò dixi) notatum est, quod & echinos, & pedunculos, in quos offenderit, corrodit. Excrementum nulla in vrticæ esse videtur, sed hac re similis stirpibus est. Duplex genus percipitur vrticarum: alterum corpore paruo, quod cibo aptius est: alterum maiusculum, duriorque; quale circa Euboiam. Chalcidem gigni scimus. Sunt omnes hybernis mensibus carne constante, atque; rigidiuscula, quæ ob rem per id tempus capiuntur, cibiorque; idoneæ sunt. At æstate rarefcunt, & resoluuntur: præmadent enim; & marcent, ut, si tetigeris, facile discerpantur, atque; dispereant. Denique nulla tantisper euelli integra potest, ac æstus impatientia saxa subire interius solent. Partes iam exposui mollium, & vel crusta, vel testa insectorum, tam exteriores, quam interiores.

De insectis

De insectis, eorumque varietatibus, & natura.

Cap. VII.



Vnde de insectis pari ratione tractandum est. Continet genus vel species plures: quarum nonnullis, quauis cognatis, nonnullum commune est inditum, ut apes, crabroni, vespa, cæterisque; generis eiusdem. Item quibus pennæ vagina inclusa continentur, ut galleruæ, fulloni, pilulario, & reliquis generis eiusdem. Omnium ergo partes communes tres illas haberi constat, caput, aluum, & quod inter hæc situm est: quale in ceteris pectus, dorsumque; habetur: vnum, id quod interioret, magna ex parte est. Quæ tamen sunt longa, & multipeda, iis ferè totidem sunt, quæ interioret, quot incisuræ. Insecta diuisa etiam viuere possunt omnia, exceptis iis, quæ vel admodum frigeant, vel præ sua exiguitate quam primum refrigerentur. Nam vespis quoque diuisis, non deest viuacitas. Viuit ergo cum pectore, tum caput, tum etiam aluus: at sine eo caput auulsum viuere non potest. Diutius ea viuunt diuisa, quibus corpus longum, pedesque; multi: & pars, quæ abscissa est, in vtrumque; se mouet extremum: nam & caput versus ingreditur, & in caudam: ut in iis, quas vocat centipedas, moueri videmus. Oculi in omnibus patent: sed nulla ex ceteris partibus sensorii manifesta est, præterquam lingua in nonnullis, quæ vel testa insectis omnibus data est, qua & gustant, & cibum attrahunt. Hæc aliis mollis, infirmaque; est: aliis dura, & valida, ut purpuris, tabanis, asilis, atque; aliis plurimis. Omnia enim, quibus non in aluo aculeus est, linguam eiusmodi veluti arma gerunt: nec dentes habent, quibus iunctum id est, exceptis quibusdam paucis. Nam & muscæ eo ipso pertingentes, cruorem mouent: & culices eodem acrius pungunt. Habent aculeos item pleraque; insectorum, vel intus conditos, ut apes, & vespa: vel extraprominètes, ut scorpio: qui etiam vnus inter insecta longo spiculo armatur. Is brachia quinque bifurcis dentata forcipibus habet. Atque; etiam bestiola, quæ in libris similis scorpionum creatur. Quæ autem in eo genere volucrum sortiuntur naturam, iis præter cætera membra pennis adnexa, aliis binæ, ut muscis, aliis quaternæ, ut apibus. Nullis binæ, quibus in aluo aculeus. Item ex volucris ipsis, alia pennas crusta superueniente, quasi vagina inclusas gerunt, ut scarabei: alia detectas habent, ut apes. Nullis volatus regitur gubernaculo caudæ: & penna ipsa nullo caule constat, nulla scissura discernitur. Ad hæc, antennæ nonnullis ante oculos prætenduntur, ut papilioni, & fulloni. Quæ vero ex iis salienti, hæc vel crura posteriora habent longiora, vel gubernaculis quibusdam saltui accommodatis fulciuntur retrò curuatis, ut crura quadrupedum. Omnibus partes corporis pronæ differunt à supinis, sicut vel in ceteris animantibus est. Quod autem pro carne in iis habetur, id nec testam imitatur, neque; quod in testaceis genus carnis continetur: sed mediâ quandam inter hæc refert naturam: quam ob rem his non spinam, non os, non aliquid sepio simile, non testam ambientem Natura de-

Insectorum sensoria.

Vrticæ & malis natura.

Quæ, & quæ parte aculeos habent.

dit: ipsum enim corpus se sua duritia tueri potest, & seruare: nec est quod aliunde muniri desideret. Cute omnia circumdatur, sed admodum tenui. Partes insectorum exteriores has esse, atque; in hunc modum se habere constat. Intra sinum ab ore intestinum pluribus directum, ac simplex vsque; ad exitum fertur: paucis id est replicatum. Viscus nullum in iis, nullum pingue, sicut neque; in ceteris, quæ sanguine carent. Ventrem etiam nonnulla habere aduertimus, à quo reliquum intestinum vel simplex, vel replicatum proficiscitur: ut locustas. Cicada inter hæc, & omnino in animalium genere vna ore caret: prolixum quiddam compactum, indiuisumque; gerit, simile ei, quod linguæ speciem refert, in iis, quibus aculeus in ore: eoque; ipso rorem haurit, alimentum vnum, & peculiare. Excrementum cicadidis nullum in aluo reperitur. Plura earum sunt genera, quæ magnitudinis modo differunt: atque; etiam quod aliis corpus sub transverso septo præcinctum distinguitur, membranamque; liquidò refert: ut iis, quas ab argutiolo sono, achetas appellant: aliis non ita est, ut cicadastris. Sunt vel in mari nonnulla animalia effigie insolenni, & sui generis: quæ quoniam rara inuentu sint, constitui in genus non decet. Iam enim piscatores vidisse se retulerunt quædam trabunculis proxima, pullo colore, tereti figura, pari ex toto crassamento. Item alia scutorum effigie, colore rubro, pinnulis crebris. Ad hæc alia, quæ genitale viri imitarentur, tum specie, tum magnitudine, sed pennis subnexis binis loco testium, eique; veretile nomen inditum est: exceptumque; est aliquando genus tale hamorum frequentia visitata. Partes animalium omnium interiores exterioresque; generatim, tum propriæ, tum communes, ita se habent.

Cicada quale insectum.

Quibus animalibus insit sentiendi vis.

Cap. VIII.



Vnde de sensibus differendum est. Non enim pariter in omnibus vis inest sentiendi: sed aliis sensus omnes, aliis pauciores dedit Natura. Sunt sanè sensus, qui plurimi habeantur, & supra quos nullum adesse alium generis sui nouerimus, numero quinque: visus, auditus, olfactus, gustus, tactus. Homo igitur, & quæcunq; terrestrium animal generant, atque; etiam quæ & sanguine habent, & animal pariunt, omnia hos omnes habere sensus videmus nisi quid lesum, lacesitumque; sit: quale genus talparum, cui visus deest: non enim oculos in aperto id habet: cute tamen detecta, quæ crassiuscula obtenta sedè luminis opacat, oculi intus lacesiti, imperfectique; visuntur: sed ita, ut partes easdem habeant omnes, quibus oculi integri constant. Habent enim nigricantem illum orbiculum, & quod intra eum continetur, quæ vocat pupillam, atque; etiam portiois albidæ ambitione: sed non tam liquidò, quam oculi, conspecti, & eminentes. Nec in partem exteriorè apparere hæc possunt, propter cutis obductæ corpulentiam, utpote cum natura inter generandum lædatur, atque; ita opus inchoatum relinquatur. Pertinent enim à cerebro, quæ cum neruo coniungitur, meatus duo neruosi validi ad ipsas oculorum sedes, qui in dentes superiores finiunt.

Sensus quinque.

Talpis oculi imperfecti.

finiunt. Cætera igitur & colores, & sonos sentiunt, atque etiam odores, saporésque. Quintum autem sensum, quem tactum appellamus, omnia habent animalium genera. Ergo in nonnullis vel ipsæ sensoria partes latissimè patent, ac præcipuè videndi. Nam visui sedes certa, descriptaq; est, atque etiam auditui: cum aliis auriculæ promineant, aliis foramina pateant meatus audiendi. Olfactus item pari modo constitutum est diuersorium. Nam auium generi foramina tantum sunt odorandi, cum aliis permultis nares etiam habeantur. Similis & linguæ, partis saporis percipiendorum ministræ, ratio est. Aquatiliam tamen generi, quos pisces vocamus, data quidem est lingua, sed imperfecta, incertaq; ossæ enim, nec absoluta. Sed palatum nonnullis carnosum pro lingua est, velut inter fluuiales cyprino, ita ut nisi diligenter inspexeris, lingua id esse videatur. Pisces autem sensum gustus habere constat, eò quod multi suis quibusdã saporibus gaudet, & escam in primis ex pisce amia expetunt, & piscium pingue, ut qui gustatu eiusmodi delectentur, voluptatèque ex eo genere esculenti capiunt. Auditus verò, olfactusve nullum continet membrum manifestum. Quod enim tale videri potest per loca narium, id nõ ad cerebrum vsq; transeat, sed partim obseptum & cæcum mox desinit, partim ad branchias fertur. Audire tamen, aque olfacere pisces palam est: sonos enim immodicos, ut triremium remigia, fugere visuntur. Itaque fit, ut facillè intra sua stabula capiuntur. Nam etsi externus strepitus parvus est, iis tamen, qui demersum in humore suum auditum habent, æquè omnibus ingens, molestus, grauisque occurrit, quod certè vel in delphinorum captura euenit. Cum enim piscatores repente alieis vniuersum circumdederint gregem delphinorum, inde obstrepentes in mare, efficiunt ut territi erumpant vniuersi in litora, capianturq; tentato, grauatòque capite, præ strepitus inflati nimietate: quanquã ne in delphinis quidem pars vlla est manifesta, quæ sensum ministret audiendi. Ad hæc, inter piscandum quam maximè cauent, ne vel remo, vel retibus moueant strepitum: sed cum aliquo in loco gregatim pisces stabulari intellexerint, certo interuallo coniectantes retia dimittunt, ut neque remo, neque impetu cymbæ, strepitus ad locum deueniat piscium: & omnibus præcipitur nautis silentio quam maximo nauigent, dum gregem circundant. Nonnunquam vbi aggregare pisces placuerit, idem faciunt quod in delphinorum captura: obstrepunt enim iactis lapidibus, ut deterriti in arctius coeant, atque ita vniuersi irretiantur: & antè, quam circumueniant, omnem, ut modò dixi, strepitum vetant: at cum circumdatum iam est, clamandum, obstrependumque iubent: strepitum enim, tumultumque sentientes perterriti compelluntur, interrumpuntque incauti. Item vbi piscatores è longinquo pisces agminatim pascetes, ac per tranquilli, serenique maris summa oberrantes apexere, libuitque magnitudinem, genusque cognoscere, si silentio, sensimque accesserint, latent, supernatantèsq; adhuc compe-

riunt. At si quem prius, quam occuparint, strepitum citarint, fugam inde planè arripere videntur. Adde etiam pisciculos fluuiatiles cottos nomine, qui sub faxis stabulantur. Capiuntur enim à nonnullis saxo percusso, sub quo latent: protinus enim inde exturbantur, ut qui audiât, & caput per strepitum tententur. Pisces igitur audire, iis, ac aliis eiusmodi documētis constat. Sunt autem qui vel maximè animalium piscum auditu valere arbitrentur, videlicet hominū experimento, qui assiduè in mari versantur, remq; piscatoriam percillant. Sunt verò qui liquidius inter pisces audiant, mugilis, chromis, lupus, salpa, & reliqui id genus. Cætera piscium genera minus audiunt: quam ob rem imis gurgitibus versari potius solent. Olfactus quoque similis inteligitur ratio: escam enim non recentem attingere pars plurima piscium recusat: nec eisdem escarum generibus omnes capiuntur, sed variis, scilicet sui agnitione odoris: quippe cum vel fetida nonnullis accommodentur, ut salpæ sterco. Complures item piscium in speluncis latentes, quoties euocare captum piscator voluit, fauces specus odoribus illinunt cetariis, itaq; protinus excitant. Anguillam item hoc eodem capi modo palam est. Vas enim salsamentarium ponit, obstaculo in eius os indit, quod colum vocat. Nidores deniq; potius genera quæq; piscium appetunt: vnde etiam cariculas sepiarum deustas, odoris gratia escam hamis affigit: ita enim fit, ut pisces auidius accedant. Polypos etiam affatos, non nisi nidoris causa nasis inditos dimitti asseuerant. Quinetiã flutæ quoties vel piscium lotura, vel nauis sentina eiecta est, fugiunt, ut odorem sentientes. Sanguinem quoque suum sagaciter pisces odorari dicuntur. Quæ res eo patet argumento, quod quoties sanguis effusus piscium est, fugiunt, & loca petunt longinqua. Omnino ut esca putrida nasis iniecta, nunquam subire, aut appropinquare patiuntur: sic recente, nidorulentaq; protinus vel è longinquo festinantes irrumpunt. Constant hæc eadem in delphinorum genere latius: cum enim nullam partem auditui deputatam apertè delphini habent, tamen capiuntur per strepitum capite aggrauato, ut dictum iam est. Et cum olfactus quoque partem nullam sensoriam habeant manifestam, tamen sagaciter odorantur. His igitur in animalibus sensus inesse omnes, apertum iam est. Reliquus animantium ordo, qui quadripartitò diuiditur, hoc est, molli, crustato, testato, insecto, quæ admodum se habeat videamus. Ergo mollia, & quæ vel crusta, vel testa operiuntur, atq; etiã insecta, sensibus prædita esse omnibus constat: nã & visu, & olfactu, & gustu. Insecta enim tam pennata, quam non pennata, procul sentiunt, ut mel apes, & culices dicti muliones. Quod nisi odore agnoscerent, nunquam è longinquo sentirent. Sulphuris item odore genera insectorum multa intereunt. Ad hæc formicæ, origani, sulphurisque puluisculo insperso, suas relinquunt cavernas, aliòque migrant. Cornus præterea ceruini factò incensu, plurima insectorum pars fugiunt: sed præcipuè styracis suffitu. Iam sepiæ,

Olfactus
scibus est

Grati
bus nidore

Insectorum
sensus.

Insectorum
sonus.

sepiæ, polypi, gammari, odore escarum allectati capiuntur: & polypi quidè ita adhærescunt, ut auelli inde non possint, sed truncari potius patientur. At verò pulicaria herba admota, protinus ab odore eius resiliere dicuntur. Gustus etiam similis ratio: interdum enim cibum persequuntur diuersum, nec eisdem saporibus omnia delectantur. Nam apes nullam ad rem putidam solent aduolare, sed dulcia petunt: culices nulla dulcia gestiunt, sed acida. Tactu verò sentire (quod etiã antè dixi) omnibus datū animantibus est. Quæ autem filiceo tegmine operiuntur, olfactum, gustumq; habere constat, argumento escarum. Purpuris enim escas putidas purpurarii emolliuntur, & accedunt ipsæ ad eiusmodi escam à longè, utpote odorantes. Sensus item saporis iis inesse, eisdem illis rationibus patet: sapore enim rerum earumdem quæq; delectantur, ad quas veniunt odoribus inuitata, quos gratos senserunt, & discreuerunt. Adde quod quæcunque os obtinent, iis & voluptas per saporum attractionem euenit, & dolor. De visu, & auditu quanquam nihil certi, manifestiq; habemus, vngues tamen ad strepitum se subtrahere, inferiusque subsidere cernuntur, quoties ferramentum sentiunt admoueri. Exiguos nanque extant, reliquo autem toto corpore perinde, ac in cubili, occultantur. Pectines quoque admoto digito dehiscunt, mox comprimunt se ut cernentes. Natices item qui capiunt, non aduerso flatu, sed secundo adeunt, quoties esca persequuntur: nec voce vlla, sed silentio agunt, utpote cum & olfaciât, & audiant. Nec fieri posse aiunt, quin subterfugiant, si vox proferatur. Echinus inter testacea genera, quibus facultas ingrediendi est: vertibula, glandesq; inter immobilia eiusdem generis, olfactum minimè habere videntur. Sensus ad hunc modum animalium generi Natura dispensauit, & tribuit.

Quæ animalia vocem, quæ sonum, quæ murmur edant, quæ item loquantur.

Cap. IX.



Ox quemadmodum vox se habeat, differemus. Differt proculcubio vox à sono, & tertia his adnumeranda res est, locutio. Gutturæ parte vna vox agitur: quocirca quibus pulmo deest, iis nulla vocis emittendæ facultas est. Locutio non nisi vocis per linguam explanatio est. Vocales igitur literæ, à voce, & gutture, consonantes lingua, & labris proferuntur: quibus literis omnè locutionem confici nulli dubium est. Quam ob re quibus animalium lingua libera, absolutaq; nõ est, ea neque vocem emittunt, neq; sermocinatur: at sonus elidi vel aliis partibus potest. Ergo insectis animalibus, neq; vocis, neq; locutionis vlla facultas: sonusq; iis spiritu interiore mouetur, non exteriori. Nullum enim ex iis spirat, sed alia murmur edunt, ut apes: alia canere dicuntur, ut cicadæ. Omnia verò in eo genere membrana, septo transuerso subdita, qua præcinctum corpus distinguitur, sonant: ut genus cicadarum attritus spiritus. Muscæ etiã, apes, & reliqua iis similia, cum volant, sese attollunt, & contrahunt. Sonus enim

attritus interioris spiritus est. Locustæ suis gubernaculis atterentes sonant: nullum molle, nullum crustatum, vel vocem, vel sonum aliquem mittit naturalem. Pisces vocis quidem expertes sunt: quippe qui neq; pulmonem, neq; arteriam, aut guttur obtineat: sed sonos quosdam, stridorésq; mouent, qui vocales esse existimantur, ut lyra, ut chromis: his enim quasi grunnitus quidam emittitur. Aper etiã piscis, quæ amnis Achelous gignit, vocalis habitus est, & erica, & cuculus. Alter enim quodam modo stridet, alter perinde ut cuculus auis obstrepit, vnde nomè accepit. Quæ omnia creditam illam vocem emittunt, aut attritu branchiarum, quas horridiusculas continent, aut suis interioribus, quæ circa ventrem habentur: spiritus enim inclusus in his est, quem dum atterunt, atq; agitant, sonos illos elidunt. Nec nõ cartilaginei generis nonnulla stridere videntur: verum ab his vocem emitti vllà: rectè dici non potest: at sonum, siue strepitum reddi, verius dixeris. Nam & pectines quoties per summa humoris nitibundi feruntur, quod volitare dicunt, stridere sentiuntur, atq; etiam marinæ hirundines, quæ sublimes volitant, haudquaquam mare attingentes: sunt enim iis pennæ latæ, & longæ. Ut igitur per volatū auium strepitus, quem alæ excutiunt, nulla vox est: ita nec eiusmodi sonorū aliquis vlla iure appelleretur. Delphinus item stridet, ac mutit, efferens se in aerem: sed non quæ admodum ea, quæ superius enumerauimus. Hic enim & pulmonem, & arteriam habet, proindeque non nihil vocis potest promouere: lingua tamè libera, absolutaque caret, & labris, quibus vocis aliquem possit articulum efformare. At vorò quæ & linguam habent, & pulmonem, si quadrupes, aut omnino pedestres ouiparæ sunt, vocem quidem emittunt, sed exilem. Et alia longum sibilum edunt, ut serpentes: alia abruptum, & perexiguum, ut testudines: alia vocem exilem, atque imbecillum. Ranis lingua sui generis est. Pars enim prima, quæ cæteris absoluta est, iis cohæret, modo quo tota ferè piscium: intima verò absoluta ad guttur applicatur, quæ suam vocem solent emittere. Et quidem genus illud vlulatus, quam ololyginem nominant, mares intra aquam reddunt, ut cieant ad coitum fœminas. Sunt enim singulis animalium voces propriæ ad initum, & venereum coitum: ut & suibus, & capris, & ouibus. Reddunt ranæ suam ololyginem illam, maxillæ inferioris labro demisso pari libra, cum aqua modicè recepta in fauces, superiorèque intenta. Flagrant tantisper oculi modo lucernæ, cum sinus buccarum maxillis distentis interluceat. Coitum enim noctu magna ex parte agere visuntur. Genus auium vocem mittere potest: iisque præcipuè facta cultas conficiendæ locutionis, quibus lingua mediocriter lata, vel tenuis. Mares, ac fœminæ partim vocem reddunt eandem, partim diuersam. Garrulæ, linguaciorésque sunt auium minores: & circa coitum maximè talem effici vnanquanque auem moris est. Aliis in pugna vox, ut conturnicibus: aliis ante pugnam, ut perdicibus, dum suos aduersarios prouocant: aliis cum

Pisces vocis
expertes quo
modo sonent.

Ranarum lin-
gua & vox.

Auibus qua-
ta lingua facta
cultas.

Saporibus
suis pisces
gaudere.

Delphini
quomodo
capiantur.

cùm vicere, vt gallinaceis. Canunt item nonnulli mares pèrinde vt suæ fœminæ: sicut in lusciniarum genere patet. Fœmina tamen cessat cantu, cùm incubat, pullôsque educat. Sed in nonnullis generibus cantus maribus tantùm datus est, vt gallinaceis, vt coturnicibus. Quadrupedum autem genus, quod animal procreat, vocem variè mittit: neque est quod loqui possit, sed proprium id hominis est. Quibus enim locutio, iis etiã vox: at quibus vox, non iis omnibus & locutio est. Qui surdi iam inde ab ortu Naturæ sunt, iidem etiam muti: vocem ergo emittere possunt, locutione autem nullam. Pueri vt cætera sua membra cõtinere, ac regere nequeunt, sic etiam linguæ sunt impotetes, & quidem imperfecti, & ferius lingua absoluuntur: itaque magna ex parte balbutiunt, tortique lingua sunt. Differunt tum voces, tum etiam locutiones, tractus ratione, & regionis. Vox igitur acumine, grauitatèque maximè notescit: nec species discrepant generis eiusdem. At vox explanata, quam esse quasi locutionem vel brutorum dixeris, differt & cæterorum animalium, & eorum, quæ genere eodem continentur loci ratione. Verbi gratia: perdicum alii caccabant, alii strident. Et auicularum nonnullæ haud vocem eadem mittunt, quam sui parentes, si præreptæ paterna caruerint educatione, moribusque, & cantibus cæterarum auium insueuerint. Iam verò luscinia modulus suos pullos docere, versûsque, quos imitentur, tradere visa est: vt pote cùm non perinde locutio vt vox per Naturam proueniret, sed acquiri posset per disciplinam, & studium. Vnde homines quoque locutione vtuntur varia, cùm vocem omnes reddant eandem. Elephantus citra nares ore ipso vocem elidit spirantem, quemadmodum cùm homo simul & spiritum reddit, & loquitur. At per nares simile tubarum raucitati sonat.

Elephantus
vox.

*De somno, & vigilia animalium,
multaque præter hominem
animalia somniare.*

Cap. X.



DE somno, & vigilia animantium, nulla quæstionis obscuritas est. Nam omnia pedestria, & prædita sanguine, dormire, ac vigilare, sensu ipso percipiuntur. Quibus enim palpebræ adiunctæ sunt, conuiuendo obdormiscunt. Item somniare non solum homines, sed etiam equos, & canes, & boves palam est: atque etiam oues, & capras: denique genus omne quadrupedum, idemque animalis fœcundum. Declarant id canes suo latratu, quem per quietem agunt. Quanquam de iis, quæ oua pariunt, incertum hoc est: sed dormire ea, item certum. Aquatiliū quoque somnus apparet, vt piscium mollium, & crusta operorum, locustarum, inquam, & cæterorum generis eiusdem. Sunt autem isthæc omnia somno exiguo contenta: dormire tamen videntur. Argumentum verò quantis nullum deduci ab oculis potest, quia palpebris carent: ipsa tamen quiete

Genus omne
vini palpebrarum
somnia re.
Aquatiliū
somnia.

cernuntur placida, ceu soporata. Pisces enim vel manu facile caperentur, dum dormiunt, nisi pediculis, & pulcibus appellatis sollicitarentur: nunc verò si somno dati immorentur, noctu ab innumera multitudine illarum bestiolarum occupati absumentur. Gignuntur hæc in profundo maris tanta fœcunditate, vt etiam escam de pisce emolitam, si diu in vno manserint, totam corrodant, atque absument. Et quidem sæpenu-mero piscator escam demissam glomeratis vndique his bestiolis, pèrinde vt pilâ recipit. Sed enim pisces dormire argumentis potiùs huiusmodi arbitrari licet. Sæpius enim piscator adorsus pisces vsque adeò latet, vt possit etiam manu tollere, aut certè fuscina nullo indice sensu ferire. Quiescunt tantisper ex toto: neque parte alia, quam cauda leuiter mouentur. Constat hoc idem vel ipso impetu, quem faciunt, si dum quiescunt, motum aliquid fuerit: expauescentes enim velut somno exturbati feruntur. Quinetiam in petris stabulantes capiuntur, videlicet propter somnum. Et sæpe thunnarii circumreunt thunnos dormientes, quod argumento constat, quia admodum quiescentes, leuiterque pendentes albida oculorum capiuntur. Noctu potiùs, quam interdiu dormiunt, ita sopiti, vt ne iacta quidem fuscina moueantur. Et magna ex parte vel ad arenam, vel ad terram, vel ad lapidem aliquem procumbentes quiescunt imis gurgitibus, vel sub saxo, aut litore abditi. Plani autem piscium arena sese occultant. Deprehenduntur situ ipsius arenæ, tollunturque fuscina percussis. Lupi quoque, & aurata, & mugiles, & id genus alii, fuscina interdiu sæpenu-mero dormientes capiuntur: alioqui ex iis nullus fuscina posse capi existimatur. Cartilaginea verò ita interdum dormiunt, vt vel manu tollantur. Nam delphini, balænæ, & quæcunque fistulam gerunt, edita per summa æquoris fistula, dormiunt: qua etiam spirant, pinnas suas mouendo leuiter. Iam delphinum stertentem etiam nonnulli audire. Mollia quoque ad morem similem dormiunt, vt pisces, nec secus quæ crusta operiuntur. Insecta etiam animalium dormire argumentum, quod requiem capiunt, motuque omni proculdubio cessant. Quod præcipue patet in apibus: quiescunt enim noctu, & conticescunt, vt nullus omnino bombus sentiatur. Constat hoc idem vel argumèto eorum, quæ maximè in conspectu nostro, & intra nostros parietes versantur. Non enim modò quia clare non videant, idcirco noctu quiescunt (nã omnia, quibus oculi duri, exiliter vident) sed etiam ad lucernarum lucem nihilò minus quiescere videntur. Homo maximè animalium somniat. Editis nuper in lucem, & infantibus, adhuc, nullum penitus contrahitur somnium: sed plurimis anno circiter quarto, aut quinto ætatis visa incipiunt. Produunt tamen & viri, & mulieres, qui nunquam quicquam somniant. Quorum nonnullis in processu ætatis accidit, vt viso somnio mutaretur habitus sui corporis, vel in mortem, vel in morbum. De sensu, de vigilia, de somno res ita se habet.

De sexu

*De sexu masculino, fœmineoque, eorumque
in animantibus differentiis.*

Cap. VI.



SEXUS autem masculinus, fœmininifque, non in omnibus animantibus est. Sunt enim quibus id desit, ac similitudine quadam & parere dicatur, & ferre vterum. Sexus ergo discrimen in animalibus, quæ vitam stabilem viuunt, aut omnino in iis, quæ testa integuntur, nullum omnino est. At in mollibus, & crusta operis mas habetur, & fœmina. In pedestribus quoque, tum bipedibus, tum quadrupedibus, sexus vterque est: atque etiam in iis, quæ animal per coitum generant, aut ouum, aut vermem. Cæteris igitur in generibus simplici rationis modo, aut est, aut deest: verbi causa, vt in quadrupedibus omnibus, alterum mas, alterum fœmina est: sic in testa operis, sexus deest discrimen: sed quemadmodum in genere stirpium, aliæ fructum ferunt, aliæ sterilem sortiuntur naturam, ita etiam in iis est. At verò in genere insectorum, & piscium, sunt quæ omnino sexus hoc discrimen alterutram in partem non habeant. Nam anguilla neque mas, neque fœmina est, neque prolem ex se aliquam potest procreare: sed qui eam capillamentis, & lumbricis quædam similia interdum adnexa sibi gerentem vidisse aiunt, incõsideratè id asserunt, antè, quam aduertant, qua parte illa gerantur. Neque enim aliquid eiusmodi est, quod animal creet, nisi prius generarit ouum: quod in nulla anguilla visum est. Et quæ animal gignunt, suo in vtero fœtum continent, non in ventriculo. Ita enim non secus, quam cibus, concoquerentur primordia genitura. Quam autem differentiam maris, & fœminæ anguillæ notarunt, scilicet alteram caput habere amplius, atque oblongius: alteram, hoc est, fœminam, repandius: hæc non maris, ac fœminæ differentia est, sed generis. Sunt enim piscium nonnulli epitragæ, ab hirci sterilitate appellati: quo in genere carini, & balagri ex amnicis annotantur, qui nec ouum, nec semen vllum prolificum vnquam habeant: sed qui solidiores, pinguiorèsq; in eo genere sunt, iis intestinum

In quo animalium genere nullum sexus discrimen, in quoque sit.

Anguillam non generare.

Quæ naturæ doctores maribus quæque fœminis potiores & elegantiores.

paruum est, & laus præcipua in pastu. Ad hæc, in testaceis, atq; in stirpibus, quod pariat, & generet, est: quod autè maris fungatur officio, deest. Sic etiam inter pisces genus passerum est, & rubellionum, & hiatarum: oua enim in iis omnibus reperiuntur. Sed in pedestribus sanguineis non ouiparis, maxima ex parte maiores, lógiorisque vitæ sunt mares, quam fœminæ: præterquam in genere mullorum: eius enim fœminæ & maiores sunt, & viuaciores, quam mares. At in iis, quæ aut ouum pariunt, aut vermem, vt piscibus, atq; insectis, fœminæ maiores suis maribus euadunt, vt serpentes, phalangia, stelliones, ranæ, & inter pisces pusilli cartilaginei generis, & pars plurima gregalium, & genus omne saxatile. Fœminas autem piscium maribus esse viuaciores constat, eò quòd fœminæ vetustiores, quam mares capiuntur. Partes superiores, prioresque in quocunq; animalium genere, maribus sunt potiores, validiores, & aptiores. Quæ autè dici possunt inferiores, posteriorèsq; eas fœminæ habent robustiores, tum in hominibus, tum in cæteris animalibus omnibus, quæ pedestria sunt, atq; animal generant. Quod tamen omnino dixerim, fœmina infirmior, atque infirmior est: pilum etiam habet tenuiorem, quam mas: aut quod vice pili ad proportionem haberi Natura statuerat. Caro quoque humidior est fœminæ, quam maris, & genua pleniora, & crura tenuiora: sed pedes elegantiores, videlicet quocunq; in genere hæ partes habentur, Vox item fœminis omnibus tenuior, & acutior, boue excepto: bubus etenim fœminis vox grauior, quam maribus est. Partes autem, quas velut arma Natura animalibus dedit, vt dentes, cornua, calcaria, & cætera generis eiusdem, eas certè in nonnullis generibus omnino vt mares habent, sic fœminæ non habent: velut generis ceruini, fœmina cornuum inops, mutilaque est: & auium nonnullarum, quibus data calcaria sunt, fœminæ omnino iis carent: pari modo, vt fœminæ dentibus vacant exertis. At in nonnullis generibus sunt quidem hæc sexui vtrique, sed maribus potiora: vt cornua tauris robustiora, quam vaccis.

ARISTO.

ARISTOTELIS STAGIRITAE de Historia Animalium, Liber Quintus,

Theodoro Gaza Interprete.

Omnium animantium generis partitio. Cap. I.



F X P O S V I partes animalium omnium, tum interiores, tum exteriores: atque etiam de sensibus, de voce, de somno, & quae feminae, marisve sint, satis iam explicasse existimo. Restat, ut eorundem generationes persequamur: exorsique; item a primis, ordine apto, & comodo differamus. Sunt porro generationes animalium multae, ac variae: partim dissimiles, partim quodam modo similes. Sed cum genera ante, ut res exigit, digesserimus, nunc quoque eodem modo tractare tentemus, praeterquam quod initium tunc ab homine, cum de partibus ageremus, sumendum censuimus: nunc de eo nouissimè differere placet, quoniam plurima ipse de se afferat explicanda. Ergo ordiendum ab iis est, quae testa integuntur: mox de iis, quae crusta ambit, agendum. Et reliqua deinceps ad hunc modum exponenda sunt, hoc est, mollia, & insecta. Deinde piscium genus duplex, ouiparum dico, atque viuiparum. Tum auium genus. Ad postremum de pedestri dicendum est: quo in genere quae animal generent, quae oua pariant, praetermittenda non sunt. Euenit ut commune

Animantium generatio multiplex.

animalia cum stirpibus habeant, quod alia semine, alia sponte Naturae oriantur. Ut enim stirpes aut semine stirpium aliarum proueniunt, aut sponte erumpunt, primordio quodam contracto ad ortum idoneo, quarum aliae ex terra alimentum sibi hauriunt, aliae in stirpibus aliis & nasci, & augeri solent, ut in libris de stirpibus siue plantis exposuimus: sic animalia nasci alia ex animalibus solent per formae cognitionem, alia sponte, nullo cognitionis semine antecedente, creantur. Quorum alia humo, aut stirpe putrescente consistunt, ut complura insecta generantur: alia in animalibus ipsis, excrementisque partium gignuntur. Quae igitur nisi sui cognati semine nunquam procreantur, iis omnibus ortus per coitum est, dummodo sexus discrimen id habeant, quod marem, ac foeminam describere potest. Nam in piscium genere, nonnulla nec mares, nec foeminae gignuntur: quae licet genus idem cum aliis fortiantur, tamen specie differunt. Quaedam etiam sui generis omnino consistunt. Nec desunt quae mare vidua, sexu vno foemineo formentur: quae perinde, ut aues, pariunt, quae vento oua concipiunt: quibus ab

argumento conceptus, nomen hypenemia, quasi subuentanea inditum est. Verum ea, quae aues concipiunt, omnia sunt infaecunda. Ita enim eorum natura nihil ultra ouum creare potest, nisi quo alio modo maris opera contingat. Sed de his diligentius post differemus. Piscium vero nonnullis cum spontanea ediderint oua, euenit ut ex iis animal progeneretur. Sed alia ex se ipsa id faciunt, alia non sine opera maris: ut de his quoque sequenti disputatione commentabimur planius. Simile enim ferè & in genere auium existit. Quae autem per se, vel in animali, vel in terra, vel in stirpe, vel etiam in eorum ipsorum partibus creantur, eademque maris, ac foeminae sexu distincta sunt, iis coeuntibus gignitur quidè aliquid, sed ex quo nihil amplius gigni possit: verbi gratia, coitu pediculorum, lendes dictae procreantur: muscarum, vermiculi: pulicum, genus vermiculorum oui speciem referens, ex quibus nec ea, quae generarint, proueniunt, nec aliud vllum animal, sed id, quod sunt, sordes tantum persistunt. Primum igitur de iis, quae solent coire, dicendum est: mox de caeteris ex ordine, quae vel singulatim, vel ex communi accidunt ratione exponemus.

Quomodo quaeque animalia generatim coeant.

Cap. II.



C OITUS nec similes omnium sunt, nec similem in modum aguntur. Quae enim ex sanguineis pedestria viuipara sunt, eorum omnibus masculis datum quidè est membrum ad officium generationis aptum. Verum non omnia simili modo coniunguntur: sed quae retrò urinam mittunt, auersa coeunt, ut leones, lepores, lynces: leporum etià foemina saepenumero mare prior superuenit. Caeterorum magna ex parte modus coeundi idem est. Plurimae enim quadrupedes more coeunt iusto, foeminam scilicet mare supergrediente. Genus quoque; auium omne eodem illo ac simplici more coniungitur. Differentias autem vel in auibus has annotamus, ut aliae foemina confidente humi, mare superueniente coeant, ut gallinae: aliae non confidente foemina, sed stante, ut grues. Et quae ita coeunt, rem quam celerrimè peragunt: mas enim superfiliens citò, ut passeris, perficit. Quadrupedum vrsae demissis cruribus, quemadmodum caetera, quae pedibus innitendo exercent Venerem, admota parte maris supina, ad dorsum foeminae coeunt. Herinaceis coitus erectis partibus, supinis

nis haerentibus sibi aduersis. Inter ea, quae animal generant, augenturque; magnitudine insigni, nec ceruae mares suos pariunt, nisi raro: nec vaccae tauros, propter rigorem genitalis, nimiamque; tentiginem, sed clunibus subsidentibus semen recipiunt genitale. Sic in ceruis mansuetis fieri visum est. Lupi eodem coeunt modo, quo canes. Feles non parte posteriore se iungunt, sed mas stat, foemina subiacet. Sunt porro in eo genere foeminae ipsae natura libidinosa, & salaces: itaque; mares ad coitum ipsae frequentes alliciunt, inuiant, cogunt: puniunt etiam, nisi pareant. Camelis sedente foemina coeunt, nec auersi, sed completente mare, ut caeterae quadrupedes agunt, & coitum toto die exercent. Perunt recessuum solitudines, cum libet coire, nec aliquis eò potest tuto accedere, praeterquam pastor armenti. Genitale camelis neruo ita constat, ut vel ex eo confici possit, quo arcus fidissimè intendatur. Elephantis etiam solitudines petunt coituri: sed praecipue secus flumina, & quae pasci consueuerunt. Subsedit foemina, clunibusque; submissis insistit pedibus, ac innititur. Mas superueniens comprimit, atque ita munere Venereo fungitur. Vituli marini modo animalium retrò mingentium coeunt, & diu ligati in coitu cohaerent, ut canes. Genitale iis maribus grande est.

Quomodo quadrupeda ouipara coeant.

Cap. III.



Q VINETIAM pedestrium quadrupedes, quae oua pariunt, eodem coeunt modo, quo ea, quae animal generant, mare superueniente: ut testudo tam aquaticilis, quam terrestris. Habent verò in quod meatus contingant, & quo per coitum adhaereant, ut rana, & pastinaca, & reliqua generis eiusdem.

De coitu eorum, quae pedibus carent, longoque sunt corpore, id est, serpentum.

Cap. IIII.



Q VAE autem pedibus carent, & longo sunt corpore, ut serpentes, ut murenae, iis coitus circumplexu mutuo supinum partium agitur. Et quidem serpentes ita circumuolutae sibi ipsae cohaerent, ut vnus serpentis bicipitis corpus, totum esse videatur. Hoc eodem modo lacertarum etiam genus complexu simili coit.

De coitu piscium. Cap. V.



P ISCES omnes, exceptis planis cartilaginei generis, admotis inuicem partibus supinis copulantur. Planis autè eius generis, iidemque habentes caudam, ut raia, pastinaca, & reliqua huiusmodi, non solum admotis supinis, sed etiam tergo foeminarum supinis marium superpositis, modo cauda impedimento nullo ob crassitudinem sit, coeunt. At squatinae, & quibuscunq; plenior cauda est, his attritu mutuo tantum partium supinarum coitus agitur. Sunt qui se vidisse confirmant, nonnulla ex cartilagineis auersa modo canum terrestrium cohaerere. Foemina in omni cartilagineo genere maior, quam mas est, quod idem ferè vel in caeteris generibus piscium esse constat.

Foemina in piscium genere maior mare.

Cartilaginea verò, praeter ea, quae enumerauimus, sunt bos, lamia, aquila, corpedo, rana, omneque genus mustelorum. Sed omnia cartilaginea hunc in modum coire apertius notatum a pluribus est: morantur enim in coeundo diutius omnia, quae animal generant, quam quae oua. Delphinis quoque, omnique cetario generi hic idem modus est coeundi: planis enim admotis partibus agunt: nec parum, multumve temporis, sed mediocre in coitu ipso consumunt. Differunt nonnulli mares cartilaginei generis a suis foeminis, eò quod maribus bina quaedam circa excrementi ostium pendent, quibus foeminae careant, ut perspicui in genere mustelorum potest: in his enim, quod dixi, omnibus est. Testes igitur nec pisces habent, nec vllum aliud genus, quod careat pedibus: sed binos meatus, tum serpentes, tum etiam pisces masculi continent, qui foetifico semine, cum coeundi est tempus, implentur, & lacteum omnes emittunt humorem. Colligunt hi sese in vnum caput, quemadmodum in auium genere vnitur quod subeat. Continent enim aues intus suos testes, ac caetera animalia, quae & pedes habent, & oua pariunt. Hoc ergo inseritur, atque in locos, & receptaculum tenditur foeminarum. Pedestribus viuiparis idem meatus foris extat, & seminis, & excrementitii humoris. Alter intus meatus ducitur, ut dixi, cum partium differentias explicarem. Sed quibus vesica deest, iis idem meatus sicco etiam excremento pertinet foris: intusque alter iuxta habetur. Quae quidem similiter tam in foeminis eorum, quam in maribus sunt. Carent enim vesica, praeter testudines, quarum foeminae singularem habent meatum, quamquam vesicam obtineant. Sed testudo in eorum, quae oua pariunt, genere est. Piscium oua parientium coitus minus patet: quam ob rem complures foeminas prolificum maris vorando impleri crediderunt. Id enim fieri saepius cernitur: nam tempore coitus foeminae mares sequentes id faciunt, ventremque eorum suis percutiunt rostris. Quo etiam fit, ut mares semen & celerius fundant, & largiantur. Tempore autem partus mares foeminas sequentes, quae illae oua ediderint, ipsi mordicus vorant: pisces verò ex iis, quae remanserint, oriuntur. Circa Phoenicem pisces vel mutuo sexuum aspectu capi accipimus: mugiles enim mares a piscatore subducuntur, quorum aspectu foeminae congregantur, atque ita obretiuntur: versa vice mares capiuntur subductis foeminis. Sed deuoratio illa foeminae genitalis, quia saepius cernitur, argumentum coitus talis ementitur. Faciunt hoc idem quadrupedes quoque. Tempore enim coitus non nihil humoris suo genitali, tum mares, tum etiam foeminae emittunt, atque admotis ad genitalia naribus odorantur. Perdices, si aduersè maribus steterint, ventisque inde afflet ubi mares stant, concipiunt, & maritantur. Plerumque etiam voce marium vtero ingrauescunt, si gestiunt, ac libidine turgent. Volatu quoque supernè marium effici idem potest, videlicet dum mas ipse in foeminam foetificum spiritum demittit. Ore hiantes, exertaque lingua, & mares, & foeminae coeunt, d d

Testibus carere quibus desunt pedes.

Quomodo perdices concipiant.

At verò piscium ouiparorum coitus rarò cernitur, quoniam congressionem quàm primùm digressio sequatur: fieri tamè ita eorum coitum, visum est.

De coitu mollis generis piscium.

Cap. VI.



Ollia, vt polypi, vt sepia, lolligines, modo eodem omnia coeunt: oribus enim inuicem admotis, complexuq; mutuo brachiorum libidinè explent. Ergo polypis coitus, cum alter capite vulgò appellato in terram verso, nitibundòq; explicat, porrigitque sua brachia, alter superuenit, passis- que brachiis singulis ad singula subiacentis acetabulorù conceptu mutuo adhærescit. Marem etiam nonnulli aiunt gerere, quod genitalis speciem referat suo brachio, in quo duo amplissima acetabula habentur. Neruo id quasi constare porrectum ad medium vsque brachium confirmant, totumque nari fœminæ annecti. Sepiæ, ac lolligines ora applicantes, & brachia inter se componentes, natantésque, in aduersum coeunt. Narem etiam dictâ in narem inferunt. Natatus alteri retrorsum, alteri anteuersus in os agitur. Pariunt ea sui corporis parte, quæ fistula dicitur, qua & coire eas nonnulli arbitrantur.

De coitu piscium crusta opertorum.

Cap. VII.



Genera crusta operta, vt locustæ, gammari, squillæ, & huiusmodi reliqua, more quadrupedum retro mingentiù coeunt, scilicet vt fœmina caudam supinam exponat, mas suam superponat, & applicet. Coire solent ineunte vere iuxta terram. Iam enim coitus omnium id genus exploratus est. Interdum etiam cum ficus maturefcunt, coire incipiunt. Hoc eodem modo gammari quoque, & squillæ coeunt. Cancræ parte priore copulantur, sua opercula loculosa illa, rugosâq; mutua confertione componentes. Primùm cancer minor ab auerso superuenire solet, tum maior, vbi ille superuenerit, vertit se in latus. Nulla re differt fœmina à mare, nisi quod operculum applicabile illud amplius, & distantiùs, & hirsutius fœminæ gerant, in quo oua pariunt, & quæ egerunt excrementum. Membri autem, quod mas in fœminam inserat, nullum omnino habetur.

De coitu insectorum, quò ve tempore Venereus stimulus magis animalia quæq; excitet. Cap. VIII.



Insecta auersa coeunt: deinde quod minus est, superuenit maius, hoc est, mas fœminam. Næc mas in fœminâ genitale vllum inferit membrum motu animalium ceterorum: sed fœmina sursum in maris receptum, caudæ vltimum suæ meatum quendam producens reflectit: qui in nonnullis maior, quàm proportione totius corporis esse videtur, cum ipsa parua admodum sint. Sed sunt etiam, in quibus minus incòueniens æstimeretur. Planum hoc fuerit, si muscas coitu Venereo copulatas diuiseris. Tardo etiam, quæ coiuerint, seiunguntur digressu: diu nanq; eorum copula-

tio durat: quod in iis, quæ in nostro conspectu versantur, facillè patet: verbi causa, in muscis, in scarabeis. Omnia enim ad hunc modum coeunt, videlicet muscæ, scarabei, verticilla, phalangia, & si quid aliud generis eiusdem coire solet. Phalangis, quæ texunt, coitus agitur hoc modo: Cum fœmina deductam araneam traxerit, mas eandem mutuo trahit: quod vbi sepius fecerint, coeunt, & auersis clunibus copulantur: nam propter aluum orbiculatam modus hic coniungendi iis congruit. Coitum omnium animaliu fieri ad hunc modum apertum est. Tempora autem coitus descripta, & ætates certas ad Venereum finem animalium Natura fixit, & statuit. Ergo plurimorum animantium natura vult quidem rem Veneream per id tempus, cum hyemis cessante sæuitia, ætatis clementia oritur: quod sanè tempus veris est, quo plurima & volatilia, & pedestria, & natantia ad coitum excitantur. Sed sunt quæ per autumnum etiam, & hyemem coeant, atque pariant, vt nonnulla cum aquatiliu, tum volucrum genera. Homini maximè temporibus omnibus opportunus est: atque etiam alia plura pedestris generis, quæ cum homine viuunt, coitum nullo tempore aspernantur, videlicet propter teporem, & pabuli vbertatem. Quorù tempus etiam gerendi vteri breue est, vt suis, vt canis, & volucrum, quæ sepius pariunt. Complura etiam educationi suorum partuum consulendo, non nisi commodo tempore coeunt. Stimulatur ad Venereum mas hominum magis tempore hyberno, fœmina æstiuo. Genus autem auium (vt dictum est) parte plurima Vere, ac ineunte æstate coit, & parit, excepta alcyone, quæ circa brumam parere solita est. Quam ob rem quoties bruma serena existit, dies alcyonei appellantur, septem ante brumam, & septem à bruma, vt Simonides quoque suo carmine tradidit, vt:

-Cum per mensem hybernum

Iuppiter bis septem molitur dies teporis. Clementiam hanc temporis nutriceam sacram variæ & pietæ alcyonis mortales dixere. Tranquillum verò tantisper tēpus efficitur, si ita euenit, vt bruma austrina Vergiliis Aquilonis fiat. Septem primis diebus nidium conficere auem hanc fertur, reliquis septem parere, educareque. Dies alcyoneos fieri circa brumam, non semper nostris locis contingit: at in Siculo mari penè semper id euenit. Parit alcyon circiter quinque oua.

Quæ animalia semel, quæue pluries, in anno pariant. Cap. IX.



Mergi, & gaudiæ saxi maritimis oua bina, ternave pariunt: sed gaudiæ æstate, mergi à bruma ineunte Vere: & incubat cæterarum auium more, sed neutra earum auium conditur. Omnium rarissimum vidisse alcyonem est: ferè enim circa Vergiliarum occasum, brumamque ipsam apparet: & vbi primùm per portum non plus quàm nauem circunuolarit, statim abit, vt nusquam prætereà videatur: quomodo Stesichorum quoque eius meminisse, notum est. Luscinia etiam parit æstate

Tempora coitus animalibus à natura fixa.

Quæ ante omnia temporibus vtantur.

Murena diuersa à Murro.

Piscium genus ferè omne celeri incremento adolefcere.

æstate

æstate quinque, aut sex oua. Conditur ab autumnò vsq; ad vernos dies. Insecta hyberno quoque tempore coeunt, & serenis, austrinisq; diebus nascuntur ea, quæ se abdere non solent, vt muscæ, formicæ. Semel anno magna pars syluestrium animalium parit, quæ scilicet non, vt lepores, superfœtant. Pisces plurimi etiam semel pariunt: vt ii, quos fusaneos, ex argumento cognominant, quia fusim retibus capiuntur, vt thunni, limariæ, mugiles, spuriæ, monedule, chromes, passeris, & reliqua generis eiusdem, excepto lupo, huic enim soli ex eo genere partus bis anno exercetur: sed posterior infirmior est. Sarda quoque, & saxatilis bis, excepto mullo: hic enim solus ter parit, quod ex fœtu ipso, staturaq; intelligitur. Ter enim aliquibus in locis partus appareret. Scorpio bis, & fargus Vere, ac autumnò: Salpa semel autumnò. Thunna etiã semel: sed quoniam partem præmaturè, partem serò producat, hinc fœtificare bis creditur. Edit primam partem circa mensem Decembrem à bruma, alterã Vere. Differt mas thunnus à fœmina, eò quòd fœminæ pinnula iuncta sub ventre est, amphareus nuncupata, quæ mari deest.

Quoties, quibusve anni temporibus cartilaginea pariant. Cap. X.



Artilagineorum squatina vna bis parit: nam & incipiente autumnò, & circa Vergiliarum occasum: sed per autumnum felicitiùs. Singulis verò fœturis partus septeni, aut octoni proueniunt. Nonnulli ex mustelorum genere bis mense putantur parere, videlicet qui stellati appellantur, quod ideo videtur, quia oua eorum non simul perficiuntur. Non desunt quæ omnibus anni temporibus pariant, vt muræna: cuius partus & numerosior est. Et quæ prodierint ex paruo, celeri incremento adolefcunt, vt & equifelis: nam eius etiã partus de minimo in maximum celerrimè augetur. Sed muræna omnibus anni temporibus parit, equifelis Vere tantum. Murus non idè, quod muræna est: quippe cum muræna sit varia, atque infirmior: murus vnicolor, & robustus, colore la rici arbori similis. Dentes etiã tam intus, quàm foris, possidet. Sexus discrimine perinde, ac in cæteris volunt, vt alterum mas sit, alterum fœmina. Exeunt hæc in terram, & sæpe in ea capiuntur.

Fit vt pisces omnes celeri incremento perficiantur: sed præcipuè graculus inter minora. Solet hic parere iuxta litora, algosis, densisque locis. Cernua etiam breui ex paruo insignem magnitudinem accipit. Limariæ, ac thunni in ponto pariunt: nec vsquam alibi. Mugiles, auratæ, lupi, locis iis maximè edunt, qua flumina exeunt. Orcinæ, scorpionis, & multa alia genera in alto fœtificant.

Quibus mensibus pisces pariant, maiori ex parte. Cap. XI.



Pariunt pisces plurima sui parte mensibus his tribus, Martio, Aprili, Maio: autumnò pauci, vt salpa, fargus: & nonnulla alia generis eiusdem, paulò ante æquinoctium. Adde iis torpedinem, &

squatina. Sunt certè quæ vel per hyemem, æstatemve, suos edant partus, vt dictum est. Per hyemem lupus, mugilis, acus, per æstatem mense Iunio thunna circa solstitium parit. Hæc folliculo quiddam simile, in quo oua exigua, multaque consistunt. Spargi etiam per æstatem pariunt, mugilum labeones, fargones, mucones, capitones, grauescere verò mense Decembri incipiunt, geruntque diebus tricenis. Mugiles aliquos non coitu, sed limo, arenave nasci constat. Conceptus igitur piscium magna ex parte verno agitur tempore: sed tamen, quod dictum est, & æstate, & autumnò, & hyeme, nonnulla coitu implentur. Verùm nec pariter omnibus, aut simpliciter, aut generatim id euenit: nec plurimæ parti, vt verno tempore. Nec verò cæteris illis temporibus tam numeroso partu fœtificatur, quàm Vere. Denique latere nõ decet, vt stirpium, & quadrupedum animantium generi plurimum interesse ex regione, non solum ad cæteram corporis felicitatem, sed etiam ad coitum, partumque ampliorem: sic in piscium quoque ratione locis ipsis discrimen plurimum, oritur, non ad magnitudinem tantum, habitumq; vegetiorem, verùm ad coitum etiam & partum, vt eadem alibi pluries generent, alibi minùs.

Molle genus piscium verno tempore parere, sepiam verò omnibus anni temporibus. Cap. XII.



Ollia quoq; verno tempore pariunt, & sepia in primis. Parit hæc omnibus anni temporibus, perseveratque in edendo ouorù numero dies quindecim. Quoties autem ediderit, mas è vestigio sequens, atramentum ouis superinfundit, atque ita efficitur vt solidescat. Incedere coniugatim solent. Mas varius magis, quàm fœmina, dorsoque atriore est. Polypus hyberno tempore coit, verno parit: latet circiter menses duos. Ouum veluti cirrum edit, fructui populi albæ simile. Perquam fœcundum hoc animal est: nam de eo quod ediderit, copia innumera prouenit. Discerpit mas à fœmina, eò quòd capite est productiore, & quod genitale piscatores appellant, albidu suo in brachio continet. Fouet polypus oua, quæ ediderit: quam ob rem deterrimi tantisper efficiuntur: haud enim in partum prodire patiuntur. Quinetiam purpuræ Vere generantur, & buccina hyeme abeunte. Genus denique omne, quod testa operitur, verno, autumnaliq; tempore habere cernuntur ea, quæ oua appellant, exceptis echinis cibo idoneis: quippe quibus etiã per ea tempora præcipuè vbertas ouorum est, tamen nullo tempore committitur, vt ouis omnino careant: sed maximè pleniluniis, diebus que tepidis restituntur, redduntque pleniores, præterquam ii, quos Pyreus fert Euripus: nam illi hybernis mensibus meliores sunt, parui quidem, sed pleni ouorù. Ad hæc vmbilici pariter omnes, hoc eodè tempore sua oua habere visuntur.

Temperies regionis quid in animalibus possit.

De auium foetura, & quoties, quibusve anni temporibus hirundo, merula, columba, & gallina pariant. Cap. XIII.



Vium syluestres, vt dixi, semel magna ex parte coeunt, atq; pariunt. Verum hirundo bis parit, & merula: sed eius primi partus intereunt frigore hyberno: omnium nanque auium prima hæc parit: posteriori autem partum educat, & feliciter ducit ad finem. At verò quæ aut vrbana sunt, aut traduci possunt ad mores mitiores, hæc sapius generant, vt columbæ, quæ tota æstate foetant. Gallinæ etiam ineunt, & pariunt omnibus anni temporibus, exceptis brumalibus diebus. Columbae verò generis plures species sunt: est enim liuia dicta à liuore, diuersum certè à colūba genus, quippe quæ minor, quàm columba sit, & minus patiens mansuescere. Luet etiam plumis, & penè nigricat, & pedibus rubidis, scabrosissq; est: quas ob res nullus id genus cellare alit. Maximò inter hæc genera corpore sunt palumbes. Secundum magnitudinis locum vinago obtinet, paulò maior, quàm columbus est. Minimum ex iis turtur est. Pariunt columbæ omnibus anni temporibus, pullòsque educant, si locum apricū habeant, & cibum: sin minus, æstate tantummodo foetant. Sed proles præstantior vere, quàm autumnò est: deterrima æstate, & omnino tempore calidiore.

Colūbaceū genus multi plex.

Cellare, id est, in cella.

De foetura viuiparorum animantium, & quo ætatis tempore incipiat, quòve desinat.

Cap. XIII.



Etate etiam differunt ad coitum animalia: primùm enim magnæ eorum parti semen nõ simul incipit & excerni, posse generare: sed vis illa prolifica postea accedit. Nouellorum enim in omnibus animalium generibus, prima emissio seminis, aut infœcunda est, aut, si fœcunda sit, imbecilliora tamen generat, & pauciora. Quod potissimùm in hominum, & quadrupedum animalium genere, atque etiam auium patet: alterum enim prolem paucioram procreat, alterum qua edit pauciora. Aetas verò accommodata ad coitum quæque suo in genere plurima ex parte ferè tepus idem sortitur: nisi quid præmaturet, & aut aliquam ob rem monstrosam, aut ex detrimento naturæ, & vitio anticipet. Res igitur homini innotescit, tum vocis mutatione, tum etiã testium, non magnitudine tantùm, verùm etiam specie, quemadmodum mammis etiam declaratur: sed præcipuè ortu pilorum pubis. Semen autem ferè incipit circiter annos bis septem: sed vim genitalem recipit circa annos ter septem. Cæteris animalibus denegata pubertas est, Aliis enim nulli omnino dati sunt pili, aliis supina in parte nulli, aut pauciores, quàm in prona, At vocem immutari nonnullis apertum est. Aliis partes corporis aliæ quædam significant semen iam initum, virèsq; prolificas sibi trahere. Vox fœ-

Quibus signis intelligatur hominem ad Venere matum.

minæ magna ex parte acutior, & iunioribus, quàm vetustioribus, acutior est. Nam ceruini etiam generis mares vocem grauiorem, quàm fœminæ mittunt. Vox autem maribus in hoc genere, cum tempus coeundi est: fœminis autem cum metuerint. Breuis vox fœminæ est, maris productior, canibus item senescentibus vox grauior redditur. Equorum etiam voces differre palàm est. Fœminæ enim simul ac natæ sunt, vocem exiguam mittunt, ac tenuem: mares exiguam quidem & ipsi, sed plenioram tamè, & grauiorè, quàm fœminæ, & in dies maiorem reddunt. Bimus cum est, atque inire incipit, vocem magnam, grauemque mas mittit: fœmina maiorè, quàm antè, & elariorem vsque ad vigesimum ætatis annum magna ex parte: sed ab hoc tempore imbecillioram tam mares quàm fœminæ reddunt. magna igitur ex parte, vt dixi, vox marium, fœminarumque differt, eò quòd mares grauius sonant quàm fœminæ, quorum scilicet vox aliqua cum productione emittitur. Verùm non in omnium animalium genere ita agitur. Sunt enim in quibus è contrario fit, vt in bubus. Nam boi fœmina grauiorem, quàm mas, agit vocem: & vitullis grauior, quàm adultis, perfectisq;: quam ob rem his castratis vox è contrario mutatur: transeunt enim quæ castrantur in fœminam. Tempora autem coitus ad hunc modum per ætates Natura suis animalibus statuit. Oues & capræ anniculæ coeunt, atque vterum ferunt: sed capræ potius. Mares quoque in iis ipsis generibus eodem illo tempore ineunt: sed proles differt, quatenus præstantior ea est, quam senescentes mares & fœminæ procrearint. Sues tum mares, tum fœminæ coire incipiunt mense suæ ætatis octauo: quanquàm mas antè, quàm sit anniculus, prolem generat vitiosam: fœmina annicula parit: sic enim tempus gerendi vteri exigit. Sed nõ omnibus locis eadem ætatis ratio est, vt dixi: iam enim sues, nõ nusquã tam mares, quàm fœminæ quarto coeunt mense: sexto tamen ita, vt vel progenerare & educare possint. Nonnusquam apri mense decimo inire incipiunt. Valent ii coitu ad triennium. Canes tam mares, quàm fœminæ anniculi, magna ex parte coeunt: sed nonnunquàm vel mense octauo: quod magis fœminæ euenit, quàm mari. Gerit vterum diebus sexaginta & vno, aut duobus, aut ad summum tribus: nec minùs quàm sexaginta diebus. Quòd si quid celerius prodierit, educari, ac perfici nequit. Cum peperit, rursus sexto post mense, nec prius coitu impletur. Equus inire tam mas, quàm fœmina incipit biennis, ita vt valeat procreare. Proles tamen per id, tempus minor, & imbecillior est. At verò (quod ex more plurimo agitur) in trimatu coeunt, & proficiunt subinde in generando, vt proles præstantior adusq; annos viginti procreetur. Coeunt mares ad annos tricenos ternos, fœminæ ad quadragenos: ita vt per totam ferè vitam coitum equis seruari eueniat. Viuit enim magna ex parte mas annos circiter quinque & triginta, fœmina plus quàm quadraginta. Iam & quinque & sexaginta annos vixisse equum proditum est. Asinus tam-

Quid maris & fœminæ dicitur.

Aetas animalium matura ad coitum.

Quandiu homo possit procreare.

Porcorum foetura.

Quandiu canes sint habitabiles ad gignendum.

mas, quàm fœmina mense tricesimo coit: sed magna ex parte nequeunt generare: verùm in bimatu, aut trimatu, & semisse. Sed iam vel anniculam ventrem gessisse asellam aiunt, ita vt quod pepererat, aducari, ac perfici potuerit. Bos etiã annicula peperit, vt educari, augerique quantum genus exigeret, licuerit. Primordia generationis horum animalium ita se habere perpensum est. Homo mas, ad annum vsq; septuagesimum, videlicet termino vltimo potest generare: fœmina vsque ad quinquagesimum, verùm id rarò. Paucis enim proles in eo ætatis tempore procreata est. Sed magna ex parte maribus quintus & sexagesimus annus finis prognerandi est: fœminis, quintus & quadagesimus. Oues parere vsque ad annum octauum possunt: & si bene currentur, vel in vndecimum facultas pariendi protrahitur. Et quidem fieri potest, vt etiam per totam ferè vitam coeant tam mares, quàm fœminæ. Hirci pingues minùs fœcundi sunt: quorum argumento vites, quoties per nimiam alimenti copiam luxuriantes fructum non ferunt, hircescere rustici dicunt. Verùm cura extenuandi adhibita, efficitur vt coeant, atque procreent. Arietes primùm vetustiores fœminas ineunt: nouellas enim minùs persequuntur. Pariunt, vt dixi, iuniores pauciora, quàm vetustiores. Apro ad triennium probitas coeundi edurat. Vetustioribus proles deterior gignitur. Nullus enim præterea profectus ei accedit, nulla virium recreatio. Solet inire pabulo satiatus, & cum alteram non subegerit, vel initus breuior agitur, & fœtus corpore minore creatur. Paucissima sus edit prima partione, viget secunda, nec senescens copia fœtus deficitur, quanquàm lentius coit. Vbi verò quintumdecimum annum natæ est, non præterea generat, sed efferatur. Si pinguet, ocyus & iuuenis, & senescens mouetur ad coitum. Si grauida admodum pinguescat, efficitur vt fœta minùs habeat lactis. Proles, quod ad ætatem attinet optima est, cum vigent parentes. Quod ad tempora, præstantior quæ hyemis initio gignitur: deterrima, quæ æstate: quippe quæ parua, exilis, & perhumida sit. Mas si pinguet, inire omnibus anni temporibus potest, nec solum interdium, sed etiam noctu, aut certè matutino potissimùm tempore. Senescens autem minùs subinde agit, vt dictum est. Sæpe qui vel per ætatem, vel per infirmitatem suæ naturæ nequeant expedite coire, quum fœmina impotens sustinendi maris fessa clunes demittat, cubantes vnà cum fœmina coeunt. Concipit præcipuè sus, cum præ libidine gestiente pruriens auriculas flaccidas demittit: aliter semè à vulua respuitur, relapsumque euanescit. Canes non per totam coeunt vitam, sed vsque ad quendam ætatis vigorem: ad annos enim duodecim magna ex parte & coeunt, & implentur. Verùm iam aliquibus, tum fœminis, tum maribus, vel annum octauum & decimum, atque etiam vigesimum natæ, facultas non defuit prolifici coitus. Nam iis quoque senectus vim generandi, pariendique vt & cæteris, tollit. Camelus ab auerso vrinam reddit, sed coit quemadmodum dictum iam est.

Tempus coeundi in terra Arabia, mense Septembri: fert ventrem menses duodecim: parit singulos: viuiparum nanque est. Incipit & mas & fœmina coire in trimatu. Fœmina post partum vno interposito anno coit. Elephantus fœminæ incipit coire anno aut duodecimo, cum elerrimè: aut quintodecimo, cum lentissimè. Mas quinque, aut sex annos natus, superuenit ineunte Vere: coitum triennio interposito repetit. Quam grauidam reddidit, eandem præterea tan gere nunquàm patitur. Vterum biennio gerit: parit singulos: viuiparum nanque est. Fœtum magnitudine bimestris, aut trimestris vituli edit. Coitum animalium, quæ non nisi coeundo progenerent, ad hunc modum habere se, intelligimus.

De ijs, quæ silicea integuntur testa, quæ coitus omnino expertes sunt. Cap. XV.



Ox de generatione eorum, quæ vel coeant, vel non coeunt, commentabimur: & primùm de iis, quæ siliceo tegmine operiuntur: hoc enim vnum ferè genus totum expers coitus est. Purpuræ vero tempore eundem in locum sese colligentes condunt, quam fauaginem nominant, quæ velut fauus est apum: verùm non ita elegans, sed quasi è putaminibus cicerum alborum, multa inter se composita, struem vnã sua cohesionem coagmentarint. Nullum iis patet foramen, neque ex iis purpuræ enascuntur, sed cum purpuræ, tum etiã reliqua testis inclusa, è limo ferè, & materia putrescente oriuntur. Illa verò coagmentatio fauo Purpurarum similis, tanquã purgamentum, tam iis, quàm bucci generatio. nis euenit: nam buccinis quoq; fauificare in more est. Itaque ne ea quidem, quæ ex testaceis fauos saluuant, alio modo, quàm cætera testis inclusa generantur. Verùm melius, atque vberius quoties præfunt, quæ eiusdem sunt generis. Emittere enim, cum suos ordiuntur fauos, mucorem quandam, ex quo putamineæ cellulae illæ consistunt. Hæc ergo rupta, diffusaque omnia, humorem, quem continebant, in terram dimittunt: mox eo, quo effuderint, loco gignuntur purpuralæ, exordio admodum exiguo consistentes, quas sibi annexas gerunt, quæ grandes capluntur. Nonnullæ etiam forma nondum distincta cernuntur, si fortè prius, quàm pepererint, capiuntur. Fœtus interdum per crates, & tegetes, nõ qualibet elidunt, sed congregatæ eodem, vt fauiscere in mari solent. Itaq; per angustiam, veluti vuz specie fœtus conformatur. Genera purpurarum plura, & nonnullæ magnitudine augentur insigni, vt quæ ad Sigæum, & Lectum Idæ promontoria gignuntur. Aliæ parua, vt quas Eurippus fert, & Caria. Pelagiæ magnæ, scabræq; sunt, quarum flos magna ex parte niger: sed nonnullis rubidus pusillum. Nonnullas ex magnis, vel ad pretium minæ euadere nouimus. Paruæ ad litora, & oras reperiuntur flore rubro. Partes item Ad d 3

quiloniæ nigras, Austrinæ rubras magna ex parte ferunt. Capiuntur tempore verno, cum fauos extruunt. Caniculæ tempore nullæ ferè capiuntur: non enim tantisper pascuntur, sed se abscondunt, & latent. Florem suum inter papauer dictum, & collum continent, textu spissiore, aspectu veluti membranæ candicantis, quam detrahunt. Tingit hæc pressa, & inficit manum. Pertinet eadem suo situ, pèrinde vt vena, idque flos ille celebèr putatur: reliquum contextus quasi alumen est. Cum fauificant purpuræ, tunc deterrimum habent florem. Paruas tundunt cum testis: non enim detrahère facillè est. Maiorù florem testa ablata detrahunt: quam ob rem euenit, vt collum à papauere separetur. Flos enim positus inter hæc est, supra eam partem, quam ventrem appellant. Itaque detractò flore diuidantur partes istæ, necesse est. Dant operâ vt viâ frangantur: nam si priùs, quàm fregeris, expirarint, florem omnem cum vita euomunt. Quapropter solent eas asseruare in nassis, dum ipsæ se colligant, atq; requiescant. Veteres nassam escæ adiunctam demittere non solebant: itaque sæpe accidebat, vt purpura iam extracta decideret. At homines nostræ ætatis adiungunt nassas, ne si decidat, absoluatur. Quod tunc potissimum euenit, cum plena est. Nam si inanis sit, difficilè se euellere potest: hæc propria eueniunt purpuris. Buccinis etiam modus idem ginendi, qui purpuris, tempusque idem est: operculum item oris idem tam huic vtrique generi adhæret natiuum, quàm cæteris turbinatis omnibus. Pasci quoque exerta lingua appellata sub illo operculo solèr. Longior digito lingua hæc purpuris est, qua pascitur: & tum conchulas, tum etiam sui generis testam perforare potest. Tempus viuendi & purpuris, & buccinis longum: annos enim circiter sex purpuræ viuunt, & singulis annis incrementum earum patet per orbes, quibus totidè quot annos habent, testa intorta cuniculatim in crepidinem definit. Mituli etiam fauificare soliti sunt. Ostreis quæ cœnù, ibi origo consistit. Conchæ, chamæ, vngues, pectines, locis arenosis sui ortus initia capiunt. Pinnæ erectæ locis arenosis, cœnossisque, ex bysso, id est, villo siue lana illa pinnali proueniunt: quæ custodem intra se continent, aut squillam paruam, aut cancellum: quo quidem custode priuatæ pereunt breui tempore. Testacea denique omnia sponte naturæ in limo diuersa, pro differentia limi oriuntur: nam in cœnoso ostreæ, in arenoso cõchæ, & reliqua, quæ modò enumeravi. Rimis, cauernisque saxorum vertibula generantur, & glandes, & quæ per summâ adhærent, vt patellæ, vt natices. Omnia id genus, celeri incremento augentur: sed præcipuè purpuræ, atque pectines, quippe quæ anno perfici possint. Cancris colore albedo, corpore admodum parui, in nonnullis testa operati generis nascuntur: & plurimi quidem in mitulis foliatis: mox in pinnis, quos pinnotheras vocant. Quinetiam in pectunculis, atque ostreis. Verùm in nullum conspicuum capiunt incrementum. Piscatores caneros eiusmodi nasci confirmant, vna cum illis, quorum testam inhabitant. Latet

aliquandiu in arena pectines, sicut etiam purpuræ. Nascitur ergo concharum genus quemadmodum expositum est, sed locis variis: nam alia vadis, alia gurgite, alia duris locis, atque asperis, alia arenosis: & alia sedem mutant, alia stabiliter degunt. Pinnæ, ex iis, quæ sedem nunquã mutare solent, radice innituntur. Vngues, & conchæ nulla innitentes radice permanēt: euulsæ viuere præterea nequeunt pinnæ. Quæ stella vocatur, adeò natura calida est, vt omnia contacta protinus decoquat. Detrimeto etiã summo echinis Euripi, Pyrrheni eandem esse confirmant. Forma eius stellis, quæ pinguntur, similis est. Quinetiam qui pulmones appellantur, sponte proueniunt. Concha, quæ pictoribus vsui est, crassitudine plurimum excedit, & florem illum non intra testam, sed foris habet. Comperiri id genus locis Cariæ potissimum nouimus. Cancellus ille concharum hospes, principio ex terra, limoque consistit, mox conchulas ingreditur vacuas: vbi cum excreuerit, transit in concham amplio-rem, videlicet aut naticis, aut turbinis, aut alicuius similis. Sæpe etiam parua buccina subit, ingressusque amplio-rem illam gerit pari modo, & viuunt in domicilio capaciore, rursusque excre- scens aliam petit amplio-rem.

De vriticis, & spongiarum genere, quòve modo gignantur. Cap. XVI.

Modus idem ginendi iis etiã est, quæ nulla testa integuntur, vt vriticis, & spongiis, qui testa inclusis: per rimas enim, & cauernas, & fauces saxorum oriuntur. Genus duplex vriticæ est: alia enim sinuosis adhærent, quæ nunquã à saxis absoluuntur: alia plana, & litora amant, quæ suis abiunctæ sedibus vagantur. Patellæ quoque absolui solèr, aliòque transire. Nasci etiam in cubilibus spongiarum nouimus bestiolam aranei similem, nomen pinnothera mutuantes. Degit hæc intra spongiarum cubile: & aperiendo, claudendoque pisciculos capit. Aperit antè, quàm ingrediantur: claudit, & contrahit, cum ingressi sunt. Genus spongiarum triplex statuitur: nam alia rare, alia spissæ, alia, quas nominant achilleas. Tenissimum genus id tertium, & spississimum, & validissimum est, quod galeis, ocreisque inseritur: eoque minùs ciere strepitum posse notatum est. Genus hoc inuentu perquam rarum est. Quæ autem in genere illo spisso prædure sunt, atque asperæ, nomine hirci nuncupantur: quæ quidem omnes aut ad saxa nascuntur, aut iuxta litus, lutoque aluntur. Cuius rei argumentum est, quod captæ, limo refertæ omnes cernuntur. Quod certè indicat, cæteris quoque adhærentibus, cibum per ipsum annexum hauriri. Imbecilliores propterea sunt spissæ, quàm raræ, quia minùs alto radicis hæsu innituntur. Sensus etiam spongiis esse aiunt, argumento, quod ad euulsoris accessum contrahuntur, ita vt euelli difficile sit. Quod idem etiam faciunt, quoties flatus, tempestasque, viget, ne sua de sede pellantur. Sed sunt qui

Spongiarum varietas & tura.

qui de hoc dubitent, vt qui Toronam incolunt. Narrant tamen proculdubio bestiolas quasdam, velut tineas, lumbricosve, & eiusmodi alias consistere intra spongas, atque ali: quas & euulsis spongiis pisciculi saxatiles deuorant, qui vel radices absument totas, quæ inhærentes saxi remanserint. Si euenit fortè vt spongia abrum-patur, residuo item renascitur, & completur. Magnitudine amplissima solutæ illæ, & raræ spongiæ augentur plurimæ, quæ circa Lyciam sunt. Sed mollissimæ, quæ spissæ: nam achilleæ torosiores iis constant. Omnino quæ altis, tranquillisque insunt gurgitibus, mollissimæ sunt: flatus enim, ac tempestates, spongas quoque, vt cætera altilia, reddunt duriores, & incrementum impediunt. Quam ob rem spongiæ Hellepontis spissæ, ac duræ sunt, & omnino, quas mare ultra Maleam promontorium, citraque fert, differunt inter se mollitie, duritateque. Nec calorem immo dicum spongiæ patiuntur: fit enim eo, vt more pullulantium putrescât. Quocirca optimæ iuxta oras comperiuntur spogæ, si gurgite alto demersæ sunt: commodè enim temperantur propter altitudinem gurgitis. Color illotis, viuissque nigricans est. Adhærent nec parte, nec toto: intersunt enim fistulæ quædã inanes: sed pluribus passim particulis hæsitant, & quasi membrana extenta subesse radicibus earum videtur: supernè autem cæteri meatus concreti propemodum latent. At verò quaterni, aut quini patent, per quos pasci existimantur. Genus item aliud est, quod nomen aplysiæ inde accepit, quia nunquã lauetur, quasi illotariam voces. Habet hoc ampliores illos meatus, sed reliquo toto corpore densum est: nihilò tamen densius, quàm quæ antè enumerauimus genera, quanquàm lentius, & ex toto pulmone similius cernitur. Sensus id genus habere, diuque viuere inter omnes præcipuè conuenit. Cognosci præ cæteris spongiis eo facillè potest documento, quod cum illæ albicet limo subsidente, id semper nigrorem ostendit. Quod ad spongas, & testatorum generationem pertinet, res ita se habet.

De locustis, & earum partus tempore, deque cæteris crusta operatis.

Cap. XVII.

Locustarum oua & piscium, quo loco deponantur, & accrescant.

Locustæ inter crustata, quæ per coitum conceperunt, oua gerunt vterotribus mensibus his, Maio, Iunio, Iulio: tum deinde sub aluo in rugas deponunt, qua oua more vermium augentur. Quod idem de mollibus etiam, ac de piscibus ouiparis intelligitur: ouum enim omnium ita accrescit. Fit igitur locustarum ouum arenidum in partes octo diductum: singulis enim operimentis, quæ de latere extant, singula quædam cartilaginea iunguntur, quibus oua adhærent: totumque quasi species vna consistit: vnumquodque enim illorù cartilagineorù in plura scinditur: quæ si diuersis patet, sin aspicias, tantum compositum quiddam apparet. Fiunt maxima, nõ quæ iuxta meatum, sed quæ media sita sunt: minimæque nouissima continentur. Magnitudo minimis, quæta gra-

nis ficuum est. Nec meatum ipsum vlla contingunt, sed per medium hærent: vtraque enim ex parte, caudam dico, & aluum, bino maximè distinguitur interuallo: sic enim operimenta quoque disposita sunt. Sed quoniam latera ipsa complecti satis non possint, addito extremo cuncta teguntur, idque velut operculum obturat. Videtur prorsus locusta cartilaginosis illis particulis mandare oua, cum enitur, caudam adducens, & protinus comprimens, inflectensque sese, parere. Cartilagineæ verò illæ appendices per id tempus augentur, atque ouorù capaces redduntur. Partus enim in iis recipitur, vt sepiarum in farnentis, & qualibet colluuiue collocatur. Locustæ ad hunc pariunt modum: mox vbi ea sui corporis parte intra diem maximè vigesimum oua concoxerint, abigunt vniuersa, conglomeratæque ita in idem, vt & foris congesta appareant. Tum ex eo locustæ proueniunt intra diem maximè decimum quintum: & sæpe minores, quàm vt digiti magnitudinem expleant, capiuntur. Excludunt igitur oua ante arcturum: abigunt iam concocta, atque absoluunt ab arcturo. Squillæ gibbæ veterum menses circiter quatuor ferunt. Locustæ asperis, saxosisque locis proueniunt: gammari leuioribus, ac terrenis. Neutrum genus limosa amat: vnde fit, vt gammari apud Hellepontum, & circa Thasum gignantur: locustæ circa Sigæum, & Athon. Coniectantur loca aspera, limosa ve piscatores oris litoralibus, atque aliis libet exercere. Litora potius vernis, hybernisque temporibus expetunt. Conferunt se in altum, æstate videlicet, cum aliàs calorem, aliàs frigus persequuntur. Is etiam, quas nomine vrsæ arctos appellant, idè pariendi tempus Natura statuit, quod locustis: quocirca per hyemem & vere priùs, quàm oua excludant, cibo laudantur: cum excluderint, deterrimæ fiunt. Crusta sua & locustæ, & cancri, tam nuper nati, quàm post, exuuntur per ver, quemadmodum angues membrana vernationis, quam senectutem appellant. Locustis omnibus vita diuturnior data est.

De polypo, sepiâ, lolligine, cæterisque mollibus ouiparis, deque eorum foetura, & partu.

Cap. XVIII.

Quale ouum, & quo loco edat polypus.

Mollia copulatione, ac venereo coitu, ouum concipiunt candidum, quod in dies arenidum, quale illud crustati generis, euadit. Edit polypus suum ouum, vel in cubilibus, vel in figulino, vel in quo alio cauo, simile labruscæ florētis racemulis, aut fructui arboris populi albæ, vt iam dictum est. Pendent vtiq; per cubile oua tanta fecunditate, vt collectis vas impleatur longè amplius, quàm caput sit, quo continebantur. Polyporum itaque ouis diebus post quinquaginta maximè ruptis, polypuli modo araneorum perquam multi exerpunt, quorù natura figillatim nondum conspicua est, quanquàm forma satis tota apparet: sed ob exiguitatem, imbecillitatèmq; copia interit. Iam nonnulli adeò spectantur exigui, vt nulla partium constent distinctione, quanuis ad

Sepiæ oua, tactum moucantur. Oua, quæ sepiæ edunt, magnitudinem myrtoꝝ capiunt, & nigrescunt. Emissio enim atramento parentis infunduntur, atque ita inficiuntur. Cohærent inter se ad speciem racemi cuncta vni obducta cuidam nexui: nec facile detrahi alterum ab altero potest. Mas enim humorem quendam mucoris mittit, cuius lentore tenaciter oua sibi cohærescunt, ac crescunt. Etiam hæc & cum primùm edita candida sunt, atq; exigua, mox atramento perfusa, nigra maioræque redduntur. Cùmq; sepiola iam intus constiterit, videlicet tota ex candido oui interno concrefcens, tum rupta oui mēbranula proles exit: primùm pars illa interior candida, veluti grando consistit, cùm fœmina suum atramentum asperferit. Nascitur enim sepiola ex ipso candicante corpusculo versa in caput, modo auuium ventre annexo. Sed qualisnam sit in his annexus vmbilici, nondum exploratum habemus. Constat tamen candidum illud subinde diminui, dum sepiola augetur: & ad postremum, ut luteum auibus, sic candidū his aboleri. Primùm oculi grandes in his quoq; p̄inde vt in cæteris, apparēt. Sit a ouum, b c oculi, d sepiola ipsa, e hoc ipsum. Ferunt vterum sepiæ verno tempore. Pariunt intra diem decimum quintum. Mox oua edita crassitudinē acinorum vna minorū, intra diem item decimum quintū capiunt, quibus obruptis sepiolæ excluduntur. Quæ, si quis prius, prole iam perfecta obsiderit oui mēbranam, stercoꝝculum mittunt, suūq; præ metu colorem immutant ex candicante in rubriusculū. Sed cùm genus omne crustatum sibi iuncta contereant ouat, itaq; foueat, polypus, & sepiæ, & reliqua generis eiusdem, oua, quæ pepererint, absoluta fouent, & præcipuè sepiæ: quippe cuius sepe numero alueus iuxta terram, dum hoc facit, appareat. Polypus fœmina modò incubat ouis, modò in ore sui cubilis assidens, brachium super ouis exporrectum tenet. Sepia parit iuxta terram inter algas, & arundines, & si quod aggestum tale iniectum sit, vt sarmenta, aut lapides, aut quælibet alia materie congeries. Et quidē piscatores de industria fasces sarmentorū disponunt. Hæc perlibenter in eis loculamentis parit prolixam illam, continentemque seriem ouorum, qualis cirri muliebris species est. Enititur, aluum per interualla reprimens, inspergitque atramentum, interposita quiete: utpote cùm non nisi cum labore emittat. Lolligines in alto pariunt: confertum iis quoque ouum, quale sepiis est. Viuendi spatium tam sepiæ, quam lolligini breue: nam exceptis paucis bimatum non complent. Polypis etiam tantundem temporis ad viuendum datum est. Prodeunt è singulis sepiarum ouis sepiolæ singulæ: quod idem in genere etiam lolliginum fit. Inter lolliginem marē, & fœminam hoc interest, quod fœmina intestina continet duo, veluti mammas: quæ si aluo directæ inspectes, facillè videris. Mas omnino iis caret. Sepia tum hoc idem discrimen habet, tū verò quòd mas varius plus, quam fœmina est, vt exposui,

De ijs insectorum generibus, quæ aut ex erucis, aut ex vermibus, aut ex fimo gignuntur. Cap. XIX.

Insecti generis mares fœminis esse minores, ac superuentu coire, vixq; absolui, dictū iam est. Breui a coitu pariunt, maxima sui parte, quæ solent coire. Vermem autem omnia faciunt, excepto genere quodam papilionum, quod durum quiddam simile cartamo, id est, cnicici femini producit, sed intus fluidum. Vermibus verò ipsis non parte aliqua, sicut in ouis animal creatur, sed totus vermis accrescit, & particulatim discretus formatur in specie destinati animalis. Procreatur porro infecta, aut ex animalibus generis eiusdem, vt phalangia, & aranei. Ex phalangiis, & araneis, vt bruci, locustæ, cicadæ. Aut non ex animalibus, sed sponte: alia ex rore, qui frōdibus infudat, videlicet verno tempore, vt natura fert. Sæpe tamen & hyberno, quoties tranquillum, australēque tempus diutiùs consistit. Item alia ex cœno, aut fimo putrescente oriuntur: alia in lignis aut stirpium, aut cæsis: alia in animalium pilis: alia in excrementis, aut iam excretis, aut adhuc intra animantem contētis, vt quæ tineæ, siue lumbrici appellantur, quorum genera tria sunt, latum, teres, & quod ascarida appellatū est, ex quo nihil procreari aliud potest. Latum autem illud solum intestino adhærens, parit simile cucumeris semini, quo indicio medici genus id lumbrici inesse intelligunt. Nascuntur papilioes ex erucis: erucæ ex virentibus foliis, maximèque ex brassicæ. Primùm minus quid milio consistit in folio, mox vermiculi inde contrahuntur, & accrescunt, tum intra triduum erucilæ afformantur: quæ auctæ motu cessant, suæque forma immutantur, appellanturque tantisper chrysalides, quasi aurelias dixeris. Duro insectæ putamine sunt, ad tactum mobiles, meatibus araneosis obductæ. Non os, non aliud ex membris, quod conspicuum sit, possident. Longo post tempore putamine obrupto euolant inde animalia pennigera, quos papilioes vocamus. Itaque primùm dum erucæ sunt, cibo aluntur, atque excrementum emittunt. At verò cùm in aurelias dictas transferint, nihil vel gustant, vel excernunt. Hæc eadem generandi ratio cæterorum etiam est, quæ ex vermibus consistant, siue ex coitu animalium vermes, seu sine coitu prodire. Nā & apiū, & crabronū, & vesparum vermes, quandiu recentes sunt, & aluntur, tantisper & stercoꝝ emittunt videntur: at cùm formæ liniamenta receperint, sub qua facie nymphæ appellantur, iam neque cibum prætereā capiunt, neque vllum reddunt alui excrementum, sed coerciti, & contracti quiescunt, nec vlllo pacto mouere se patiuntur, vsque dum species destinata perficiatur: quo factò euoluat proles, rupto, quo cōtinebatur, folliculo. Quinetiam superæ, & aciæ dictæ quibusdam eiusmodi aliis generantur erucis, quæ vident ingressu: parte enim innitentes priore contrahunt sese, adducunt posteriorem, arcuatimque incedunt.



Scarabei taurivnde proueniunt.

Hermol. red dit blattas in brassicis.

Typulæ.

Triplet: bricorū cics.

Erucæ papilioes de nascit.

Gallerucæ.

Muscarum generatio.

incedunt. Verùm quæque orta, sibi colorem à sua eruca trahunt. Fit ex quodam verme grandiore, qui veluti cornua gemina protēdit, fuscq; generis est, primùm toto immutato, eruca: deinde quæ bombyx appellatur: ex quo necydalus, inualidam dixerim, quæ varia formarum successio, in semestri temporis spatio completur. Ex hoc animalis genere bombycia illa mulieres nonnullæ retorquēdo in filum deducunt, deinde textunt. Prima texisse in Co insula, Pamphila Platis filia dicitur. Eodē modo scarabei tauri gignuntur ex vermibus, qui in lignis aridis nascuntur. Primùm enim vermes ipsi immobiles fiunt, mox disrupto putamine id scarabei genus exit. Blattas in alueariis gigni apertum est, quæ & ipsæ pennatæ sunt. Asilus latiusculis quibusdā bestiolis, quæ in fluuiis supernant, enascitur: quam ob rem magna asilorum copia circa aquas, vbi id genus bestiolarum est. Erucis quibusdam corpore piloso, non grandi primùm, cicindelæ à elunium fulgore nomine indito, fiunt non volucres: quibus deinde mutatis, pennigera animalia gignuntur, quos cirros vocant. Culices multionis ex ascaridis, hoc est, tipulis generantur. Tipulæ ferè in puteis, & vbi cunque aqua fe coligit, terrena subsidente concretionē, oriuntur. Fit vt principio sæ ipsa putrescens colorē candicantem trahat, mox nigricantem, postremò cruentum. Talis cùm fuerit minutissima quædam, & rubra specie algulæ prodeunt: quæ ad tempus hærentia suæ origini mouentur, deinde absoluuntur, itaque feruntur per aquam, tipulæ nuncupatæ: tum paucis post diebus erigunt se super aqua duræ, atque immobiles: mox disrupto putamine, culex emergit, ac insidet, donec vel sole, vel flatu moueantur, & volet. Commune omnium vermium est, & eorum, quæ ex vermibus proueniunt, animalium, vt primordium generationis, aut à sole, aut à spiritu præstetur. Sed copiosius, ac celerius fiunt tipulæ in aquis, quarum sedimētum varium, ac promiscuum sit, quale in agro Megarico in operis solet misceri: putrescit enim hoc facilius, & autūno quoq; vberius generatur: minus enim humoris esse tunc accidit. Rediuii gramine oriuntur. Scarabei virides, gallerucæ iam vocari incipientes, vermibus fimo bouis aut iumēti creatis gignuntur. Scarabei pilularii in fimo quem voluunt, conduntur per hyemem, paruosque vermiculos pariunt, ex quibus ipsi procreantur. Quinetiam leguminum vermiculis pennata animalia ratione simili prodeunt. Muscæ ex vermiculis fimi digesti in partes gignuntur: quam ob rem qui eo funguntur munere, contendunt reliquum fimi promiscui discernere: etiam confectum, concoctumq; esse fimum confirmant. Principiū autem vermiculorum ipsorum exiguum est, quod primùm rubescit, atque ex immobili quasi hærens adhuc fibris moueri incipit: mox vermiculus immobilis redditur: qui cùm postea motus est, rursus immobilis fit: demumq; generat muscam, quæ flatus aut Solis beneficio moueatur. Tabani ex ligno nascuntur. Orsodagnæ, quas mordellas appellem, ex vermiculis immutatis,

qui in brassicæ caule creantur. Cantharidæ ex erucis fici, piri, pini, atque etiam sentis caninæ oriuntur: fiunt enim in his omnibus vermes. Petit genus id animalis fœtida, quoniam ex tali materia constitutum est. Vinarii culices ex vermiculis, qui sæpe vini acescente gignuntur, originem trahūt. Quinetiam in iis, quæ putredinē nullam posse recipere existimantur, nasci animalia nouimus, vt vermes in niue vetustiore, qui hirti sunt pilis, & rubidi, quoniā & ipsa niue vetustate rubescit. Sed in niue mediæ terræ candidi & grandiores inueniuntur. Torpēt omnes, ac difficulter mouentur. In Cypro insula, arariis fornacibus, vbi chalcites lapis ingestus copuribus diebus crematur, bestiolæ in medio igne nascuntur pennatæ, paulò muscis grandibus maiores, quæ per ignem saliant, atque ambulent. Emoritur & hoc genus, & illud niuis alumnus, cùm alterum ab igne, alterum à niue dimotum est. Nonnulla corpora esse animalium, quæ igne non absumantur, salamandra claro documento est: quæ, vt aiunt, ignem, inambulans per eum, extinguit. Hypanis fluuius apud Cimmerium Bosphorum sub solstitio deserti veluti folliculos acinis maiores, quibus quadrupes volucres erumpunt: quod genus animalis in postmeridianum vsque diei tempus viuunt, & volat: mox descendente Sole macrescit, & languet: deinde occidente emoritur, vita non ultra vnum diem peracta: vnde ephemerum, id est diarium appellatum est. Quæ ex erucis, aut vermibus gignuntur aranea inuoluta, magna ex parte principio exeunt hæc ita.

De Vesparum generatione, & eius tempore: quando etiam insectorum genera quam plurima pereant. Cap. XX.



Vespa autem ichneumones nuncupatæ, quæ minores quam cætera sunt, phalangia perimunt, occisq; ferunt in parietinas, aut aliquid tale foramine peruium: deinde illiniunt luto, atq; ex iis incubando suum procreant genus. Nonnulla ex iis, quorum pēnis crusta superuenit, & ex minutis; quæ nomine carent, nidos sibi è luto paruos, aut ad sepulcra, aut ad parietinas configunt, atq; in iis, vermiculos pariunt. Tempus generationis à principio ad finem, maximè ferè parti septenariis ternis describitur, aut quaternis. Culicum & vermiformis generis parti plurimæ ter septeni attributi sunt. Ouiparis quater septeni magna ex parte: septem ex iis ab initu, concretio & consummatio oui vendicat sibi: reliquis tribus septenis incubant: atque excludunt, ea scilicet, quæ suo procreant fœtu: vt araneus, aut aliquid generis eiusdem. Mutationes verò, & transitus in figuras alias, trinis aut quadrinis diebus, parti maximæ peraguntur: sicut in morbis quoque dies decretorius euenit. Talis insectorum generatio est. Pereunt striatis, contortisque membris, vt senectute genus maiorum animalium moritur. Quæ pennata ex iis sunt, pennis etiam conuulsis autūno ferè moriuntur. Tabani quidē vel aqua intercute oculorum cæci intereunt.

De coitu, & generatione apum, varia opinio- nes. Cap. XXI.

DE generatione apum varia sententia est. Alii enim eas parere, & coire negant, sed deportare foeturam existimant. Nec vnde portent, constat inter omnes: sed alii ex flore cerinthi, alii ex flore arūdinis, alii ex flore olei aiunt: argumentūq; afferunt, quod cum oliuarum prouentus fit largior, tunc plura examina prodeant. Sunt qui fu- 10 corum quidem foeturam comportari ab aliquo ex iis, quæ modò dixi, arbitrentur: sed apum ge- neri ortum præstari à ducibus. Quorū duo sunt genera, alterū fuluum, quod præstantius est: alte- rum nigrum, magisq; varium. Magnitudo iis du- plo, q̄ cæteris frugi apibus, auctior est. Pars à præcincto inferior proportionem sesquialtera a- deò longitudinis habetur. Vocantur à nonnul- lis matres, utpote originis authores. Argumen- to referunt, quod fucorum foetus editur etiam 20 sine duce, apum nunquam. Aliqui per coitū agi opinantur, marēsq; esse fucos, foeminas verò apes esse cōtendunt. Cætera in concavis, imisq; fauorū proueniunt. Duces subter ad fauū pen- dentes oriuntur separatim sex, aut septem, con- trā quam cæteræ turmæ foeturæ, adhærētēs. Acu- leum apes possident, fuci eo carent. Reges, du- cēsque habent, sed non vruntur: quocirca eos ca- rere aculeo nonnullis existimant.

Apum duces

De apum generibus, & earum ducibus, & eta- te, deq; fauorum confectioe, & Scha- donibus, id est, apum sobole. Cap. XXII.

GENERA apum plura: optimū, quæ bre- ues, variæ, & in rotunditatem com- pactiles sunt. Secundum, quæ longæ, & vespis similes, Tertiū, qui fur nun- cupatur: grandis hic, & aluo est ampliōre. Quar- tum, fucus præcipua magnitudine, sed nullo ar- matus aculeo, & ignauus: quam ob rem alueis aliquid intexunt, quo apes subire possint: fuci autem vt grandiores nequeāt. Ducum duo sunt genera, vt dictum iam est. Nec vnus in quoque examine dux tātummodo est, sed plures: peritq; ipsum examen, si duces vel non satis habeantur (quod nō tam principis desiderio, quàm ortus, vt aiunt, ad quem illi necessarij sunt, incidit) vel plures quàm satis: distrahūt enim examen. Pro- 50 uenit foetus apum parciū vere serotino, squal- lore, rubigine. Augent porrò mella ficcitates, so- bolem imbres. Vnde fit, vt simul oliuæ, & exa- minū copia sit. Fauos primū cōficiunt, mox col- locant foetū ore emittētes suo, vt iis placet, qui cēsant aliunde prolis primordia conuehi. Dein de cibi causa mellificant, tam æstate, quàm au- tumno, sed melius mel autūnale est. Construunt fauos è floribus, ceram ex lacryma arborum fin- gunt, mella ex rore aeris, syderum exortu potis- simū, & arcus cælestis incubitu contrahunt. 60 Omnino ante Vergiliarum exortum mel non fit. Fauos itaque, vt dictum est, floribus faciunt: mel autem non ipsas facere apes, sed rorem can-

Apum inte- ritus causa.

dentem deferre, argumento est, quod vno aut al- tero die cellas melle repletas inueniunt apiarii. Item autumno mel, posteaquàm detractum est, non reparatur, cum tamen illo etiam tempo- re flores proueniant. Sublato itaque melle, & cibo aut nullo extante, aut exiguo, repeterent certè apes munus mellis conficiendi, si ex floribus possent accipere. Crassescit autē mel con- coctum iam tempore: initio enim vt aqua dilu- tū est, & primis diebus sine crassitudine cernit- ur. Quod si exemptū eo tēpore sit, crassitudine caret: tum vicesimo maximè die spissatur. Indi- cium perfectionis in sapore potissimū est: dul- cius enim, quod crassius. Colligunt apes ex om- nibus, quæ florem caliculatum ferunt, atq; etiā ex cæteris, in quibus dulcedo est: & lingua susce- ptum genus id saporis deportant, sine vllō fru- ctuum detrimento. Vindemiantur initio capri- fici aluei: tunc enim mellationis terminus est. 10 Schadones autem (sobolem dico) optimæ fiunt, cum mellificatur. Aggerunt suis cruribus ce- ram, atque erithacam. Mel ore euomunt in cel- las. Foetu posito incubant auium more. Exclu- sus inde vermiculus, dum paruus est, iacet in fauo obliquus: post deinde sua ipsa facultate se erigit, cibūq; capit: & fauo ita adhæret, vt re- tineri videatur. Foetus apum, & fucorum candi- dus est: ex quo vermiculi fiunt, qui in apes, fu- cōsque transeant. Primordiū regum colore cer- nitur fuluo, corpulentia mellis crassioris, ma- gnitudine illico proxima suæ futuræ soboli. 20 Nec primū ex eo vermiculus gignitur, sed sta- tim apis, vt aiunt. Qua autem parte foetus con- stitutus sit, mel ibi è regione cōficitur. Schado- nes, si foetus oppressus intercipiatur, truncatæ si- ne pennis & cruribus prodeunt. Sed si liberè ad finem generationis venerunt, rupta, qua cingun- tur, membrana, euolant. Stercus quandiu fit ver- mis, emittit: postmodū non, nisi perfectè (vt mo- do dixi) prodierint. Si quis capita iis demat priusquam pennas habeant, pro pabulo nimi- rum apibus sunt. Et si fucum ademptis pennis in alueum reicias, ipsæ reliquorum pennas ero- dunt. Vita apum anni sex. Nonnullæ etiam se- ptem possunt complere. Quod si examen no- uem, aut decem annos durauerit, prosperè ac- tum esse existimatur. Genus quoddam apum in Ponto est candidum valde, quod bis mense mellificet. Apud Themiscyram circa Thermo- doontem amnem, apes tam in terra, quàm in alueis faciunt fauos, qui parum admodum ce- ræ contineant, & mel crassius reddant. Fauus ipse leuis atque æquabilis est, quem non sem- per, sed hybernis temporibus tantum constru- unt. Copia enim in eo tractu est hederæ, quæ hyeme floreat, vnde apes mel capiant. Ad Ami- sum vrbem conuehitur à locis superioribus mel candidum, crassūque maiorem in mo- dum, quod apes faciunt arboribus sine fauo, quale etiam fieri in Ponto cognitum est. Sunt etiam apes, quæ fauos sub terra triplici ordine faciunt: in quibus mel est, vermis nullus. Sed nec faui omnes eiusmodi sunt, nec apes ita om- nes confingunt.

Quo tēp. castrand. uearia.

Erithacæ, quæ & fane- raca appellat- tur, & à Di- scoride & rāthemosa arborum fu- co gūmi mo- do genita, & verno tot, vnde verni- gini vulgi- nomen.

Quandiu & pupi examer- daret. Cadidæ apes in Ponto.

De

De foetura Crabronum, & Vesparum. Cap. XXIII.

CRABRONES, & vespa, si duce amisso a- berrauerint, fauos suæ proli consti- tuūt, in sublimi & foraminibus: Cra- bronum in sublimi, vespæ in forami- nibus. Sed si habeāt ducem, sub terra nidificāt. Cellis sexangulis fauos extruunt omnes, vt a- pes: sed ex materia corticea quadā, & araneosa. Longè tamen lautior fauus crabronum, quàm 10 vesparum est. Foeturam modo apum instillant ad latus cellarum faui, & parietibus adiuuent. Verū non in omnibus cellis inest æqualis fo- tus, sed aliis iam grandiusculus, vt vel queat vo- lare: aliis in nympa est, aliis adhuc in vermicu- lo. Excrementum vermiculis tantum, vt & in apum genere est. Manet foetus immobilis, cum in nympa est, & membrana velatur. Paululum mellis quātum gutta, in cellis crabronum è re- gione proli paratur. Schadones huius generis non vere, sed autumno fiunt, & crescunt maxi- mē plenilunio. Hæret & foetus, & vermiculus non in imo cellæ, sed lateri.

De partu nonnullorum ex genere Bombycum. Cap. XXIII.

NONNULLA ex bombycū genere, nidos in acutum exeuntes è luto quasi illi- tos, vitri specie affigūt lapidi, aut ali- cui tali, tam crassos, durōsque, vt spi- culo perforari vix possint. Pariunt in iis, & ver- miculos producunt candidos, membrana obuo- lutos nigra, seorsūmq; à membrana cerā in luto faciunt, quæ multò pallidior sit, q̄ cera apum.

De coitu, & partu Formicarum. Cap. XXV.

OEUNT & formicæ, & vermiculum pa- riunt nulli annexum: qui accrescens ex minutulo, & rotūdo longiusculus fit, formamque accepit debitam. Or- tus eorum verno tempore agitur.

De partu terrestrium Scorpionum. Cap. XXVI.

VIN & scorpiones terrestres vermi- culos ouorum specie pariūt complu- res, & incubant. Mox vt prolem per- fecerunt, pelluntur ab ea ipsa, sicut & araneis accidit, & interimūt à suis liberis ma- gno numero: sapius enim vndenos pariunt.

De generibus Araneorum, & eorum partu. Cap. XXVII.

ARANEI verò coeunt modo, quo dictū est. Pariunt vermiculos, qui non ex parte, sed toti in aranei formam im- mutātur: nā & rotūdi iam inde à pri- mo ortu proueniunt. Cum pepererint, incubāt, & triduo peragunt. Pariunt omnes in tela, sed alii in subtili & breui, alii in crassiore, & alii om- nino in sinu orbiculato: alii ita, vt aliquate- nus obducta proles muniatur. Proles autē ipsa non vniuersa producitur: vt tamen quisque exi- iit, protinus salit, filūque mittit. Humor si-

Scorpiones à sua prole interimūtur.

milis in vermiculis infrictu percipitur, atque in araneis ipsis recens natis, hoc est crassus, & can- didus. Præterfens aranei in tela pariunt, cuius di- midium applicatū ipsis matribus est, reliquum foris recipit partum: & incubant eadem in tela, atque viuificāt. Phalangii in rete, quod crassum confecerint, pariunt, atque incubant. Cæteris lautioribus illis partus minoris numeri est: at- verò phalangis admodum numerosus. Cūmq; ipsa proles increuerit, matrem amplexa consu- mit, & eiicit. Sepe etiam patrem si ceperint: ad- iuuat enim foeminam in cubitu. Pariuntur in- terdum & trecenti eodem vtero. Consumman- tur aranei, & iusta sibi recipiunt incrementa diebus quater septenis, à paruo sui ortus initio ad finem.

De coitu, & partu Locustarum, earumq; ætate. Cap. XXVIII.

OCUSTA eodem coeunt modo, quo cætera insecta, scilicet minore super- ueniente maius. Sunt enim in eo ge- nere mares minores, quàm foemina. Pariunt in terra fixo cauliculo, quo mares va- cant: ac vniuersæ, & loco eodem foetum depo- nunt, ita vt quasi fauus esse videatur. Hinc ver- miculi speciem oui gerentes oriuntur, qui ter- ra quadam prætenui, tanquam membranula am- biuntur: qua dissecta emergunt locustæ, ac euo- lant. Tam mollis foetura hæc est, vt ad tactum le- uissimum dilabatur, & pereat. Non summæ tel- luri partus committitur, sed paulò altiūs. Hic concoctioe peracta exeunt ex illo terreno ami- culo parua locustæ, & nigrates: deinde cute ob- rupta, maiores statim efficiuntur. Pariunt exitu veris, & statim à partu moriūtur, vermiculis cir- ca collum innascētibus tempore partus, qui eas strangulent. Mares quoque eodem tempore ob- eunt. Vere terra emergunt. Locis montanis, aut tenuibus locustæ nō fiunt, sed planis, rimosisq;: Pariunt enim in rimis sua oua, quæ durant hye- me: in terra ineunte æstate proueniunt ex foetu anni superioris locustæ.

De Brucis, & eorum foetura. Cap. XXIX.

ARI modo & quos brucos appellant, pariunt: & cum pepererint, moriun- tur. Intereunt oua eorum aquis au- tumnalibus, cum nimis inceserint. At sicco autumno largior prouentus brucorum est, quoniā minū oua intereāt. Innormis enim esse videtur eorū quidem interitus: quinetiam ortus nulla certa agitur ratione.

De generibus Cicadarum, & earum coitu. Cap. XXX.

CICADARUM duo sunt genera: alię enim minores, quæ primæ prodeunt, & no- uissimè pereunt: aliæ maiores quæ ca- nunt, eadēmq; nouissimæ prodeunt, & primæ intereūt. Sunt quæ canūt præcinctu di- uiduæ, siue minores, siue maiores sunt. Quæ au- tem non canunt, indiuiduæ constant. Vocantur quæq; mutæ. nonnul-

Quæ cicada- rum argutæ, quæq; mutæ.

nonnulli grandiores illas & canentes, argutas: minores, mutas. Sed canere vel in secundo hoc genere possunt paululum, quæ præcinctæ prodierint. Nasci non possunt cicadæ, ubi arbores desunt: quocirca apud Cyrenam nullæ in campo sunt, cum circa oppidum ipsum multæ proueniant. Oleas maximè amant, ut minùs vmbrosas. Loca enim frigidiora aspernantur: quam ob rem in opacis nemoribus esse nequeunt. Coeunt tam maiores, quam minores, supinæ complexu mutuo: mäsque inserit in fœminam, sicut & cætera insecta agunt. Genitale fœmina habet rescissum, quo recipit id, quod à mare iniicitur.

Quibus locis cicadæ pariunt.

Pariunt in aruis cessantibus, excauantes asperitate præacuta, quam parte habent posteriore: quomodo bruci etiã solo eiusmodi pariunt: quapropter in Cyrenensi agro copia est. Quinetiã in arundinibus, quo adminiculo vites eriguntur, nidum fœturæ excauant. Et in caulibus squillæ herbæ interdum pariunt: sed hic fœtus facilè in terram dilabitur. Proueniunt largè copia imbrü. Crescit primò in terra vermiculus: deinde fit ex eo, quæ tettigometra vocatur, parentis nomine: quo tempore gustu suauissimè sunt, antequam cortex rumpatur. Postmodum circa solstitia noctu exeunt, statimque rupto cortice, prodeat cicadæ ex matrice illa cicada, quam modò tettigometram dixi, nigræ protinus, & duriusculæ, & maiusculæ: atque incipiunt canere. Mares utroque in genere canunt: fœminæ silent. Et ante coitum mares suauiores sunt: à coitu fœminæ, quippe quæ oua candida, gustu habeant grata. Excitata cum subuolant, quendam reddunt humorem modo aquæ, quo rustici eas mingere, & excremento non carere, rorèque ali asseuerat. Si quis digitum contrahens, ac remittens subinde appropinquet, magis expectant, quam si illico extendat: & quidem transire in digitum alliguntur: quod enim oculis hebetes sunt, quasi frons aliqua moueatur, digitum ita admotum conscendunt.

De coitu, & generibus Pediculorum, Culicum, Cimicum, quæ de animantium genera hi infestent. Cap. XXXI.



Væ ex numero insectorum non carne viuunt, sed carnis viuæ humore aluntur, ut pediculi, pulices, cimices, hæc per coitum generant ea, quæ len des vocantur: ex quibus nihil præterea nasci potest. Illorum autem generatio talis est: Pulices minima quadam putredine gignuntur, sedemque sui ortus sordes obtinent aridas. Cimices ex humore, qui per summa corporis animalium consistit. Pediculi ex carne: quibus futuris, emergunt ceu postulæ quadam sine pure exiguæ: quas si pungas, pediculi exeunt. Accidit morbus hic nonnullis hominibus præ nimio corporis humore. Et quidem aliquos fœditate obisse proditum est, ut Alcmanem poetam, & Pherecydem Syrium. Quibusdam item morborum generibus copia nascitur pediculorum. Genus pediculi ferum vocatū, est durius eo, quod magna ex parte prouenit, & corpori detrahitur difficilius

Pueris pediculi in capillo magis, viris minùs. Omnino fœminæ magis, quam mares, pediculolum sentiunt. Minùs laborat eorum capita, quibus pediculus in capillo est. Quin & ex cæteris animalibus complura pediculo infestantur: ut aues. Et phasianæ quidem intereunt, nisi se puluerent. Omnino quibus penna caulæ constat, iis pediculus gignitur. Nec ea, quibus pilus est, carent eodem, excepto asino, qui non pediculo tantum, verum etiam rediuo immunis est. Boues utrunque id habent. Oues, & capræ rediuos habent, pediculis vacant. Suibus quoddam pediculi genus, grande, ac durum familiare est. Canibus proprium ricinus, qui ab eodem animali nomen cynoraistæ accepit. Genus autem vnumquodque pediculi ex corpore ipso sui animalis enascitur. Proueniunt largiùs pediculi mutatione aquarum, quibus lauare se solent ea, quorum natura pediculum patitur. In mari etiã pisces hoc malum infestat: verum non in piscibus ipsis, sed limo gignitur simile multipedibus affellis, nisi quod caudam hoc ampliusculam habeat. Genus pediculi marinum simplex, vnumque est, ubique proueniens: sed maximè in foraminibus, & cauernis. Insecta hæc omnia sunt, & multipeda, & exanguia. Asillus thunnorum sub pinna oritur, specie scorpionis, aranei magnitudine. Maris, quod à Cyrena in Aegyptum panditur, piscis, pediculus nomine circa delphinum est, qui omnium pinguisimus fit pabuli copia, quæ delphini opera suppeditatur.

De genere tinearum, quod in lanis procreatur: deq; xylophthoro, quod in lignis: necnon de ficarijs culicibus, quos caprificus generat. Cap. XXXII.



Vinetiam aliæ generantur bestiolæ, ut dictum est, tum in lanis, & quibusuis lanificio confectis: ut tineæ, quæ lanis puluerulentis præcipuè oriuntur: atque etiam magis si araneus vnà includatur. Si quid enim humoris inest, hic absorbens ampliat siccitatè. Nascitur & in tunicis hoc idem vermiculi genus. Tum verò in cera vetusta, ut in ligno, animal gignitur candidum, quod omnium animalium esse minimum existimatur, nomine acari. Necnon alia in chartis, aut iis proxima, quæ in veste, aut scorpionis, sed sine cauda generatur perquam exigua. Omnibus propè dixerim, vel siccis humescentibus, vel humidis siccescentibus, creari animal potest. Nascitur & vermiculus quidam, cui nomen à corrumpendis lignis, xylophthoro, ac si ligniperdi appelles, nullo minùs absurdum: caput enim suo putamine exerit varium, pedes in postremo habet, ut alii vermes: reliquum corpus tunica araneosa integitur, suoque tegumento herentes festucas gerit, ita ut fortè eas, castusque sibi contraxisse, dum ambularet, videretur: verum ipsæ natiuæ inhærent tunicæ: & ut limacibus testa, sic totum id vermiculo huic adhæret: nec decidit vnquam, sed euellitur, ut natiuum, quod si hanc eius tunicam detrahas, expirat, pariq; modo, atque limax, testa detracta hebetescit.

Acari minimum animalium.

Gallarum fecunditas.

scit. Processu utiq; temporis id quoque in aureliam transit, ut eruca, atque immobile viuut. Sed quidnam ex eo animalis pennati oriatur, compertum non adhuc est. Ficarios culices caprificus generat suis pomis: fit primùm vermiculus, mox rupta cute euolat culex, mutatæque sede, petit ficus immaturas: quibus se insinuans, facit ne decidant. Quam ob rem agricolæ appendere ficis caprifici ficus, & iuxta easdem caprificos serere assolent.

De fœtura quadrupedum Ouiparorum. Cap. XXXIII.



Vadripedes autem sanguinei ouipari generis ortus verno tempore quidem agitur, sed coitus non tempore eodem. Alia enim vere, alia æstate, alia circa autumnum coeunt, ut cuncte singulis tempus sequens ad prolem commodius est. Testudo oua durioris testæ, & bicolora edit, quale ouum auium est: eaque defossa, & cooperta terra, ac pauita, & complanata incubat, crebriùs repetens: fœtumque sequente anno excludit. Mus aquatilis, siue testudo lutaria in terra scrobe effossa doli amplitudine parit oua, quæ deserit terra obruta, dièque tricesimo repetit, refossaque aperit, fœtumque continuò ducit in aquam. Testudines etiam marinæ egressæ in terram, pariunt oua auium cortaliū ouis similia: & defossa, co-

Testudinis fœtus.

peritque; incubant noctibus. Ouorum numerus maximus est, nam ad centena pariunt oua. Quin & lacertæ, & crocodili tam terrestres, quam fluuiales, sua oua terræ gremio committunt. Lacertarum oua sponte in terra aperiuntur: vitam enim earum annum non complere, sed semestri finire aiunt. Crocodilus fluuiatilis oua sexaginta complurimum parit, viuutque diu, maximumque animal minima hac origine euadit.

Lacertæ & crocodili oua.

De Vipera, cæterarumque serpentium fœtura: Cap. XXXIII.



Ipera è serpentibus vna animal edit, cum intra se oua primùm pepererit. Ouum hoc vnus coloris, & molle, ut piscium est. Fœtus supernè consistit: nec cortice continetur, sicut nec piscium quidem. Parit catulos obuolutos membranis, quæ tertia die rumpantur. Euenit interdum, ut qui in in vtero adhuc sunt, abrosis membranis prorumpant: singulos, diebus singulis parit, plures quam viginti. Cæteræ serpentes oua pariunt foris contexta ad monilis, hoc est, ornamenti mulierum, quod ambit collum, similitudinè. Incubant quæ pepererint in terra, & fœtum sequente excludunt anno.

30

ARISTOTELIS STAGIRITAE

de Historia Animalium Liber Sextus,

Theodoro Gaza Interprete.

Aues omnes oua parere, diuersis tamen anni temporibus, nec in ouorum numero omnes conuenire. Cap. I.



Serpentium, & insectorum, atque etiam quadrupedum oua parientium generationes fieri ad hunc modum animaduertimus. Aues autem oua pariunt omnes: sed tempus coeundi, pariendive, non idem omnibus est: quippe cum aliæ coeant & pariant omni ferè tempore, ut gallinæ, ut colubæ. Gallina enim toto anno, præterquam duobus mensibus brumalibus, parit. Magna etiam generosorum nonnullis fecunditas, quando vel sexaginta edunt ante incubitum: quæquam ipsæ minùs fecundæ, quam ignobiles sunt. Item hadrianæ paruo quidè sunt corpore, sed quotidie pariunt: ferociunt tamen, & pullos saepe interimunt. Color his varius. Nonnullæ etiam è cortalibus bis die pariunt. Iam aliquæ in tantum copiam prou-

nerunt, ut effætæ breui morerentur. Sed gallinæ, ut dictum est, perpetuò pariunt. Columbæ autè, palubes, turtur, vinago, bina pariunt. Sed columba vel decies anno: aliæ semel anno, & parcius generant. Agitur maximo auium numero partus verno tempore. Sed aliis aliq; fecundius pariunt. Quod bifariam fit: aut enim quia crebriùs, ut columbæ: aut quia numerosius, ut gallinæ. Omnes quibus vngues adunci, parcius generant, excepto tinunculo, qui plurima in aduco genere parit: iam enim quatuor eius reperti sunt pulli. Sed plures etiã posse procreari apertum est. Pariunt cæteræ in nidis: quæ autè minùs volant, ut perdices, ut coturnices, non nidis, sed cõdenso frutice prolem muniunt. Sic & alauda, & tetrix. Sed hæc suum nidum patere auræ cupiunt. Quæ verò Bœoti meropen vocant, hic vnus subiens terræ cauernas, facit cunabula. Turdi nidos ex luto, ut hirudines, faciunt in excelsis arboribus, ita deinceps continuato opere, ut quasi catena quadam nidorum contexta videatur. Vpupa vna suo in genere non nidificat, sed stipites

Quam variè nidificant aues.

pites arborum subiens, parit sine villo strameto in cauis. Cuculus saxa, & domicilia petit, in quibus nidificet. Tetrax, quam Athenienses vragem vocant, nec terræ, nec arbori suum nidum committit, sed frutici.

De natura, & diuersitate ouorum omnium auium, semineq; genitali, & incubandi officio. Cap. II.



Vum æquè omnium volucrum duro putamine constat, si modò non deprauetur, sed lege consummetur Naturæ. Gallinæ enim nonnulla parit molli vitio. Et bicolor quoq; ouum auium intus est, luteum interius, album exterius. Sed differunt oua aquaticarum à terrestribus, quòd multò plus lutei, quàm albi, ex proportione contineant. Differunt & colore inter se oua auium. Sunt enim alia candida, vt columbarum, & perdici: alia pallida, vt pallustrium: alia punctis distincta, vt meleagridum, & phasianarum. Rubrum tinunculi est modo minii. Quin & ipsum ouum in se solum habet discrimen, quippe quod parte sui acutum, parte latius sit: qua quidem parte latiore exit, cum gignitur. Quæ oblonga sunt oua, & fastigio cacuminata, foemina adunt: quæ autè rotundiora, & parte sui acutiore obtusa, orbiculum habent, marem gignunt. Incubitu auium, foetum excludi, Naturæ ratio est, non tamen ita solum oua aperiuntur, sed etiã sponte in terra, vt in Aegypto obruta fimo pulliciem procreant. Et Syracusis potator quidam, ouis sub stria in terra positis, tandiu potabat, donec oua aderent foetum. Iam verò, & cum in vasis quibusdam tepidis essent coiecta, sponte oua pullos prompsere. Semen genitale volucrum omnium album, vt cæterorum animalium est. Concipit foemina quæ coerit, ouum superius ad septum transuersum: quod ouum primo minutum, & candidum cernitur: mox rubrum, eruentumq;: deinde increfcens, luteum, & flauum efficitur totum. Iam amplius auctum discernitur, ita vt intus pars lutea sit, foris candida ambiat. Vbi perfectum est, absoluitur, atq; exit putamine, dum paritur, molli, sed protinus durefcens, quibuscumq; emergit portionibus, nisi vitio vultus defecerit. Iam quale certo tempore est, tale aliquando prodiit luteum totum, qualis postea pullus est. Gallina etiã discissa, talia sub septo, quo loco foemina oua adherent, reperta sunt, colore luteo tota magnitudine oui perfecti: quod pro ostento augures capiunt. Nec audiendi sunt, qui oua hypenemia dicta à vento, quasi subuentanea dixeris, reliquias esse partus, quem coitus fecerit, arbitrantur. Iam enim aliquas gallinarum, & anserum iuencas expertes adhuc coitus parere hypenemia visum sapius est. Sunt hæc sterilia, & minora, ac minus iucundi saporis, & magis humida, quàm ea, quæ foecunda gignuntur, sed plura numero. Humor eorum crassefcere incubatione auis non potest, sed tam candida, quàm lutea pars similis sibi perseuerat. Pariunt genus id oui plures aues, vt gallinæ, perdices, columbæ, pauones, anseres, & quæ ab anseris & vulpe composito nomine chenalopeces, id

est, vulpanferes dictæ sunt. Excludunt celerius incubantes æstate, quàm hyeme. Ideo æstate gallinæ duodeuigesimo die foetum excludunt, hyeme aliquando vigesimo quinto. Discrimen tamen & auium est, quod alia magis aliis fungi officio incubandi possunt. Si incubante gallina, tonuit, oua pereunt. Quæ autè canicularia, & vrina à nonnullis vocatur, æstate magis cõsistunt. Sunt qui hypenemia, hoc est subuentaneos illos partus zephyria nominet, eò quod verno tempore aues flatus illos foecundos ex Fauonio recipere videantur. Sed idem faciunt, etiã si digito in genitale palpetur. Redditur certè ouum subuentaneum illud foecundum, & quod iam conceptum per coitum est, transit in genus diuersum, si prius coeat: quæ vel subuentaneum, vel semine maris diuersi conceptum fert, quàm ouum ipsum à lutea in candidam ambientem partem proficiat. Ita enim fit, vt subuentanea oua foecunda reddantur: & quæ inchoata à mare priore sunt, specie posterioris proueniunt. At si iam candidum accepterunt humorem, fieri non potest, vt vel subuentanea in foecunda mutantur, vel quæ per coitum concepta gestantur, transeant in genus maris, qui secundus coerit. Incepta quoq;, si adhuc paruis desierit coitus, non accrescunt: sed si continetur, celeriter incrementum augentur, iustamq; magnitudinem implent. Naturam vitellus oui, & albumen habent contrariam, non tantum colore, verum etiã virtute. Vitellus enim spissatur frigore albumen non, sed amplius humet. Contrà, albumen spissatur igne, vitellus non, sed mollis persistit, nisi peruratur: magisq; in aqua feruente, quàm ad ignem cogitur, atq; induratur. Membrana hæc inter se discernuntur. Grandines autè dictæ, quæ initio vitelli adherent, nil ad generationem conferunt: quanquam aliqui ita non existimant. Has duas esse certum est, alteram parti superiori iunctam, alteram inferiori. Euenit etiam, vt si quis rupto putamine oua plura in patinam coniecit excreta, & coquit igne molli, & continente, vitelli omnes in medium coeant: albumina autem circumdant, & se in oras constituunt. Gallinarum iuencæ pariunt primam statim vere ineunte: & plura quàm veteres, sed minora. Deniq; aues, nisi pariant, laborant morbo, atq; intereunt. Inhorrescunt à coitu, ac se excutiunt. Saepè etiam festuca aliqua sese lustrant: quod idem & adito ouo interdum faciunt. Columbæ caudam distendunt, anseres sese aquis ingurgitant. Celeriter magna pars auium & impletur, & oua subuentanea illa concipit. Quod vel in perdice percipi potest, eo, quo libidine incitatur, tempore. Nam si contra mare steterit foemina, aura ab eo flante, fit prægnans, atque exemplo inutilis accipit. Olfactum enim esse exquisitum perdici creditur. Qui generatio ab initio, & pulli rursus ouo concocto prouentus, non parit tempore spatio euenit omnibus: sed pro magnitudine generantis interest. Ouum gallinæ consistit à coitu, & perficitur decem diebus magna ex parte: columbæ paucioribus. Facultas columbis retinendi oui, etiam tempore parituri est. Nam si ab aliquo vexetur, aut pen-

Vitello & albumine contraria natura

Quid peculiariter columbis in concipiendo ouo

na in nido euulsa, vel quauis alia simili re infestetur, aut etiã sponte morosius habeat, ouum per tristitiam retinet, partumq; differt. Peculiariter columbis illud etiam est, vt in coitu, nisi ante mutuo osculentur, mas non ascendat. Sed iunior sit, an senior, interest: senior enim primum coitum osculo exorditur: sequentem & sine osculo agit. At iunior quoties libet coire, toties osculatur. Igitur hic ritus columbarum proprius est, atque etiam ille, vt foemina saliat, ac supergressu mutuo agant, si mas non sit, & cum osculo, vt mares: & quauis nihil altera emittat, in alteram, tamen plura sic oua, quàm ex maris coitu, pariunt. Verum nullus his enascitur pullus, sed sunt omnia irrita. Generatio verò ex ouo omnibus volucris euenit, modo quidem eodem: sed tempora differunt, vt dictum iam est.

Quot dierum spatio pullus in ouo generetur, de quo eius creationis ordine. Cap. III.



Allinis porrò tertia die, ac nocte, postquam coepere incubare, indicium prestare incipiunt. At maiorum auium generi plus prætereatur temporis, necesse: minori autè minus sufficit. Effertur per id tempus luteus humor ad cacumen, quod principium oui est: atq; ouum detegitur ea parte, & cor quasi punctum sanguineum in candido liquore consistit: quod punctum salit iam, & mouetur, vt animal. Tendunt ex eo meatus venales sanguiferi duo tortuosi ad tunicam, ambientem vtranq; dum augetur. Membrana etiã fibris distincta sanguineis, iam album liquorè per id tempus circūdat, à meatibus illis venarum oriens. Paulo autè post, & corpus iam pulli discernitur, exiguum admodum primum & candidum, conspicuum capite, & maxime oculis inflatis, quibus ita permanet diu: serò enim decrefcunt oculi, & se ad ratam contrahunt proportionem. Pars autè inferior corporis, nullo membro à superiore distingui, inter initia cernitur. Meatum, quos ex corde tendere diximus, alter ad ambiendum album liquorè fertur, alter ad luteum, velut vmbilicus. Origo itaq; pulli in albumine est, cibus per vmbilicum ex luteo petitur. Die iam decimo pullus totus perspicuus est, & membra omnia patent. Caput gradus toto corpore est. Oculi capite grandiores hærent: quippe qui fabis maiores per id tempus emineant nigri, nondum cum pupilla. Quibus si cutis detrahas, nihil solidi videris, sed humorè candidum, rigidumq; admodum fulgentem ad lucem, nec quicquam aliud, ita oculi, & caput. Iam verò & viscera eo tempore patent, & alui, intestinorumq; natura perspicua est. Venæ etiã illæ à corde proficiscentes, iam sese iuxta vmbilicum cõstituunt. Ab ipso autè vmbilico vena oritur duplex: altera tendens ad membranam ambientem vitellum, qui eo tempore humet, & largior, quàm secundum naturam est: altera permeans ad membranam, ambientem eam, qua pullus operitur, & eam, quæ vitellum, humoremque interiectum continet. Dum enim pullus paulatim increfcit, vitellus seorsum in duas partes secatur: quarum altera locum tenet superiorem, altera inferiorè: & medius humor candi-

duus continetur. Nec partem inferiorè à vitello liquor deserit albus, qualis antè habebatur. Decimo die albumen exiguum iam, & lentum, crassum, pallidulum nouissimè inest. Sunt enim quæque locata hoc ordine: Prima, postremaq; ad testam oui membrana posita est, non testæ ipsius natua, sed altera illi subiecta. Liquor in ea candidus est. Deinde pullus continetur obuolutus membrana, ne in humore maneat. Mox pullo vitellus subiacet, in quem alteram ex venis prorepere dictum est, cum altera albumen ambiens petat. Cuncta autem ambit membrana cum humore, specie saniei. Tum verò membrana alia circa ipsum foetum, vt dictum est, ducitur, arcens humorem: sub qua vitellus, alia obuolutus membrana: in quem vmbilicus à corde, ac vena maiore oriens pertinet: atque ita efficitur, ne foetus alterutro humore attingatur. Vicesimo die iam pullus, si quis putamine secto solliciter, mouet intus sese, pipitq; aliquantulum: & iam ab eodem die plumescit, quoties ultra vicesimum exclusio protelatur. Ita positus est, vt caput super crura dextrum admotum ilibus, alam super caput positam habeat. Quinetiam membrana, quæ pro secundis habetur, post vltimam testam membranam, ad quam alter vmbilicus pertendit, euides per id tempus est, pullusq; in eadem iam totus locatur. Et altera quoq; membrana, quæ & ipsa vicem secundarum præstat, vitellumque ambit, ad quem alter vmbilicus procedit, latius patet. Oritur vmbilicus vterq; à corde, & vena maiore, vt dictum est. Fit autem per id tempus, vt vmbilicus alter, qui in secundas exteriores fertur, compresso iam animante absoluitur: alter, qui edit vitellum, ad pulli tenue intestinum annectatur. Iam & pullum ipsum multum humoris lutei subit: atque in eius aluo facis aliquid subsidit luteum. Excrementum etiã album eodem tempore pullus emittit, & in aluo quiddam album consistit. Demum vitellus paulatim absumentur totus membrorum haustu, ita vt si pullo decimo die post exclusio rescindas aluum, non nihil adhuc vitelli comperias. Vmbilico verò absoluitur pullus (nec quicquam prætereatur haurit. Totus enim humor, qui in medio cõtinebatur, absumentur iam est.) Tempore autem supra dicto pullus dormit quidem, sed non perpetuo, quippe qui excitetur interdum, & mouens sese respiciat, atque pipat. Cor etiam eius cum vmbilico, vt spirantis refat, & palpitat. Sed auium ortus ad hunc modum ex ouo agitur. Pariunt autem oua nonnulla infœcunda, vel ex iis ipsis, quæ conceperint coitu. Nullus enim prouenit foetus, quauis incubitu foueatur, quod maxime in columbis notatum est. Oua gemina binis constant vitellis: quæ ne inuicem confundantur, facit in nonnullis prætenue quoddam sepium albuminis medium: aliis vitelli contactu mutuo sine villo discrimine iunguntur. Sunt in genere gallinarum, quæ pariunt gemina omnia, in quibus animaduersum est quod de vitello exposui. Quædam enim duodeuiginti peperit gemina, exclusitq;, præterquam, si qua essent (vt fit) irrita. Cæteris itaq; foetus prodiit: sed ita gemini exclud

Quo ordine quæque disposita sint in ouo antè, quæ excludatur pullus.

Non vna solum ratione ex ouis foetum excludi.

Hypenemia oua qualia,

2. Zupicium in iad.

excluduntur, vt alter sit maior, alter minor: & tandem in monstrum degeneret, qui minor nouissimè prouenit.

Genus columbaceum bina oua, vel terna ad summum parere, deq; eius fertificationis ordine. Cap. IIIII.

Pariunt magna ex parte bina oua, quæ specie columbacea continentur omnia, vt palumbes, vt turtur: sed copulatum terna palumbes, & turtur. Columba omni tempore, vt dictum est, pariunt. Turtur, & palumbes vere, nec plus, quam bis: atque ita, si prior fetus corruptus est. Frangunt enim oua mares auium complures. Sed quauis tria interdum pepererint oua, nunquam plus duobus pullis educunt: nonnunquam etiam vnum tantum: reliquum ouum semper irritum est, quod vrinum vocant. Aues magna ex parte annicula nequeunt generare. Omnes vero cum parere incipere, semper ferè oua continent: quanquam in nonnullis facile ob exilitatem videri non possunt. Columba magna ex parte marem & foeminam generat: priorem marem, posteriorem foeminam: & cum pepererint primum ouum, vno interposito die secundum pariunt. Incubant ambo vicissim, interdum mas, noctu foemina. Concoquunt, atque aperiunt citra diem vicissimum ouum, quod prius ediderint. Perforant ouum prius die eius diei, quo pullum excludunt: & fouent prolem ambo ad certum tempus, eodem modo, quo oua. Foemina in opere sobolis acerbiore est, vt cæteris quoque à partu euenit animalibus. Pariunt decies anno: nonnullæ etiam vnde decies: Aegyptiæ verò & duodecies. Coeunt intra annum columba, quippe quæ semestres noster incipiunt venerem. Palumbes, & turtures etiam trimestres coire, fertificationeque aliqui referunt, argumento quod larga eorum copia est. Gerunt vterum decem & quatuor diebus, ac totidè aliis incubant, & totidè aliis fetus ita voluerit fit, atque perficitur, vt vix possit apprehendi. Vita palumbium vel ad quadraginta annos durare existimatur: perdicum amplius, quam ad sexdecim. Columba citra dies triginta prole expedita superiore, parit.

De nidificatione, & foetura vulturis, & hirundinis. Cap. V.

Vltur nidificat in excelsissimis rupibus: vnde fit, vt raro nidus, & pulli vulturis cernantur. Quocirca Herodotus Brysonis rhetoris pater, vultures ex diuerso orbe nobis incognito aduolare putauit, argumento, quod nemo nidum vidisset vulturis, & quod multi exercitum sequentes repente appareant. Sed quanquam difficile nidum eius alitis videris, tamen visus aliquando est. Pariunt vultures oua bina. Cætera, quæ carne vescuntur, non plus quam semel anno parere exploratum est. Hirundo vna bis anno nidificat. Pullorum hirundinis adhuc recentium oculi, si quis stimulo eos vexarit, resanescunt, & cernendi vim postea planè recipiunt.

Oculos pul-
lorum hiru-
dinis lætos,
sanitati re-
stitui.

De Aquilarum genere, & foetu: deq; Anseris, Accipitris, Milui, & Corui partu.

Cap. VI.

Aquilæ oua pariunt terna: sed pullos binos excludunt, vt ex versu, quæ ad Musæum referunt authorem, constat: Excludit binos, edit terna, educat vnum. Sed quanuis magna ex parte sic fiat, tamen & tres visi aliquando sunt pulli. Alterum in educando expellunt tædio nutriendi: nam & degenerare, ac hebetescere aquila dicitur eo tempore, vt fetus ferarum rapere non queat: noménq; hinc exacti, hoc est, degeneratis aquilæ, accipit. Vngues etiam eius inuertuntur diebus paucis, & pennæ albescunt, vt meritò suos oderit partus. Sed pullum eiectione osi fraga expicit, atque educat. Incubat aquila tricenis diebus. Et cæteris quoque magnis alitibus tempus incubandi tantundem à Natura statutum est, vt anseri, vt tardæ. Mediocribus viceni perficiunt incubationem, vt accipitri, vt miluo. Pariunt milui bina magna ex parte: interdum tamen & terna, totidèmq; excludunt pullos: sed qui tertius nuncupatur, vel quaternos aliquando excludit. Coruus quoque non modò bina, vt aliqui volunt, parit, verum etiam plura. Incubat autè viginti diebus, & pullos nido expellit. Quod idem & aliæ complures volucres faciunt. Quibus enim partus numerosior est, vnum sepe eiciunt. Genera aquilarum non æquè omnia prolem fastidiunt: sed difficilior in alendo vna, cui nomen pygargò cauda albicans dederat: benignior, quæ tota nigricat colore. Nam omnes ferè alites, quibus vngues adunci, pullos cum primùm prouolandi facultas fuerit, nido expellunt: percipientesque cogunt discedere. Et cætera quoque aues maxima ferè sui parte, vt dictum est, idem hoc faciunt. Cùmque enutrierint, nihil præterea adhibent curæ, excepta cornice, quæ aliquandiu prouidet: quippe quæ volantes iam suos pullos pascens ipsa comitetur.

De Cuculi natura, & eius partu. Cap. VII.

Cuculus ex accipitre fieri, immutata figura, à nonnullis putatur: quoniam quo tempore is apparet, accipiter ille, cui similis est, non aspicitur. Sed ita ferè euenit, vt ne cæteri quidem accipitres item cernantur, cum primùm vocem emisit cuculus, nisi per quàm paucis diebus. Ipse autem breui tempore ætatis visus, hyeme non cernitur. Est hic neque aduncis vnguibus, vt accipiter, neque capite accipitri similis: sed ea vtraque parte columbum potius, quam accipitrem representat: nec alio, quam colore imitatur accipitrem, nisi quod accipiter maculis distinguitur, ceu lineis: cuculus velut punctis. Magnitudo, atque volatus similis accipitrum minimo, qui magna ex parte per id tempus non cernitur, quo cuculus apparet: nam vel ambo vnà visi aliquando sunt. Quinetiam ab accipitre interim cuculus visus est: quod nulla auis suo in genere solet facere. Pullos cuculli nemo se ait vidisse.

Verum
lus ex
pitre,
m
figura.

Parit

In alienis nidi parere cuculum.

Parit tamen, verum non in nido, quem ipse fecerit, sed interdum in nidis minorum auium: & oua, quæ aliena repererit, edit. Maximè verò nidos palumbium petit, quorum & ipsorum oua esu absumens, sua relinquit. Parit maiore ex parte singula oua, raro bina. Curucæ quoq; in nido parit. Fouet illa, & excludit, & educat. Quo quidem præcipuè tempore & pinguis, & grati saporis pullus cuculli est. Pulli etiam accipitrum suaves valde, pinguesque efficiuntur. Genus eorum quoddam nidos facere procul in petris excelsis, præruptisque assolet.

De auium incubitu, quò ve tempore mas, quo item foemina incubet.

Cap. VIII.

Munus incubandi foemellam, & masculum inter se mutuo partiri.

Incubat magna auium pars (vt de columbis reuli) foeminae mare succedente. Aliqui mares incubandi munus tantisper subeunt, dum foeminae intermissio incubitu cibum querunt. Anserum foemina tantum incubant: quæ vt coeperunt, nunquam intermittunt, sed perpetuo fouent incubitu. Aquaticæ omnes iuxta paludes, & locis herbam habentibus, nidos faciunt: quo fit, vt vel occupatæ negotio incubandi, possint sumere cibum, nec omnino inedia laborent. Cornicum etiam foeminae tantum incubant, assidueque in opere perseverant. Mares his cibum suggerunt, pascuntque incubantes. Palumbium foemina incubat à pomeridiano incipiens, totaque nocte, & vsque ad tempus ientaculi perseverans: reliquo tempore munus idem mas subit. Perdices bina ouorum receptacula faciunt: in altero foemina incubat, in altero mas: excluditque sua vterque, & educat. Pulli etiam ipsi subiunguntur à mare statim cum procedunt.

De pauone, & eius foetu, quotiesque in anno pariat: deque auium restibus, qui coitus tempore grandiores efficiantur.

Cap. IX.

Gallarum incubitu pauonia oua excludi.

Pauo viuunt annos viginti quinque. Parit maximè à trimatu, & colores pennarum varios recipit. Excludit diebus tricenis, aut paulò tardius. Semel tantummodo anno parit oua duodecim, aut paulò pauciora: nec continuatis diebus, sed binis, ternisve interpositis. Primiparæ octona maximè edunt. Irrita, & subuentanea illa pauones etiam pariunt. Coeunt vere: & partus breui à coitu agitur. Amittit pennas cum primis arborum frondibus: recipit cum germine earundem. Gallinis subiiciuntur incubanda oua pauonia, quoniam mas, dum foemina incubat, aduolans ea frangat. Quam ob causam & syluestres nonnullæ aues pariunt fugientes marem, & incubant. Subiiciuntur maximè bina, cum plura suo incubitu nequeant aperire. Curaque adhibetur vt cibum assit, ne desiderio eius discedens gallina, intermittat fouendi operam. Testes auium grandiores effici tempore coitus certum est: sed salaciorum conspectiores sunt, vt gallinaceorum, & perdicum: temperantiorum minus. Aues ad hunc modum coeunt, gestant, & pariunt.

De piscium foetu, eiusdemque inter eos diuersitate, & vuluæ formæ.

Cap. X.



Pisces haud omnes parere oua dictum iam est. Genus enim cartilagineum animal generat: reliqua oua pariunt. Sed nec cartilagineis quidem fetus sine ouo: pariunt enim intra se oua, & augent, atque excludunt, præterquam raia. Vuluas etiam pisces habet diuersas, vt dictum est. Nam qui pariunt oua, bifurcatas habent, atque inferius politas. Cartilaginea verò ea specie potius habent, qua aues: sed interest, quod oua non iuxta præcordia omnibus, sed infra nonnullis per spinam consistunt: vnde aucta in alium transferuntur locum. Ouum piscium non bicolor, vt auium, sed unicolor omnium est, & plus albi trahens, quam lutei, tam antè, quam postea, cum fetus insidet. Differt piscium generatio ex ouo, ab auium generatione, eò quod altero caret vmbilico, qui ad membranam testæ subditam tendit: alterum enim tantum, qui auibus ad vitellum fertur, habet meatum. Cætera idem ortus ex ouo auium, & piscium est: quippe cum & fetus in extremo ouo nascatur, & venæ similes ex corde inter initia proficiunt: & caput, oculi, denique partes superiores principio fiant prægrandes: in crescente etià foetu, humor pari modo subinde absumitur: demumque nihil superest, quod non foetum subierit, sicut de vitello auium positum est. Quinetiam vmbilicus paulò à ventre inferius hæret, qui recens natis longior fit, crescentibus paulatim breuior reddatur, demumque se totum intra foetum recodit, vt dictum de auibus est. Membrana quoque eadem ouum & foetum continet: cui membrana altera foetum per se continens subiacet, humor autem inter membranas positus est. Ad hæc, cibus in alio suggeritur, eodem modo pisciculis albus, quo auium pullis luteus. Figura vuluæ ex dissectione petenda est. Discrimen autem inter se ipsi pisces ostendunt, vt mustelini, qui tum inter se, tum etiam à planis ratione vteri differunt. Nonnullis enim medio vuluæ circa spinam oua adhærent, quemadmodum dictum est, vt caniculis: quæ cum accreuerint, absoluta feruntur per vuluam bifurcæ, annexamque ad præcordia, quomodo & cæteris generis eiusdem in vtranque partem transferuntur. Habet tam eorum, quam cæterorum mustelini generis vulua paulò à præcordiis inferius, veluti mammas albidas, quæ non nisi gravidis habeantur. Caniculæ, & raia testacea quædam gerunt, in quibus humor ad oui similitudinem consistit. Figura eius testæ similis tibiariu ligulis est: meatusque, fiunt capillamentorum specie in testis. Sed caniculis, quas aliqui ab hinnulo, nebrios mustelos appellant, foetus rupta, dilapsaque illa testa proueniunt. Raiis, cum pepere rint, rupta testa excluditur foetus: spinaces verò musteli, sic à spina, quam habet, nuncupati, oua ad præcordia continent super mammas: quibus vt descenderint, iam absolutis, foetus innascitur. Idem hic generandi modus & vulpeculis est. Musteli autem leues vocati, oua per vuluam mediâ, vt caniculæ gestant, quæ postea in vtranque vteri sinu descendunt. Mox animal gignitur vmbilico hærente ad vuluam, ita vt ouo absumpto, partus non aliter, quam in qua-

Piscium generationi ex ouo quid differunt, quidq; commune cum auium procreatione.

ee

drupede contineri videatur. Adhæret vmbilicus ille proluxus, capite altero ad partem vulvæ inferiori, veluti ex acetabulo annexus: altero ad mediū foetum, qua in parte iecur est. Cibum si refecit, foetum ad ovi similitudinē videris, etiam si non præterea ouum habeat. Secundæ, membranæq; singulæ foetus singulos modo quadrupedum continent. Caput prolis in vtero nouæ adhuc partem spectat superiorem: auctioris iam, & perfectioris inferiorē versus transfertur. Mares in læua, foemina in dextra ingenerantur: atq; etiam parte eadem vnâ foeminae, & mares. Viscera etiâ foetus habet, vt iecur: perinde atque in quadrupede magna, cruentaque refecto cernuntur. Omnia cartilaginea simul & oua parte superiore circa præcordia continent complura, alia maiora, alia minora, & inferiore animalia iam exclusa. Vnde fit, vt genus id piscium sæpius mensis & pariat, & coeat: quippe quod non vniuersa edere solet quæ conceperit, sed particulatim repetens sæpe, & diu peragens, vt dum superius oua contrahit, inferiori coquat, atq; perficiat. Cæteri musteli foetus suos & emittunt, & recipiunt intra se ipsos. Quod idem & squatina, & torpedines faciunt. Et quidem iam visa torpedo est grandis, quæ foetus intra se citius octoginta habet. Sed spinax vnus ex mustelis recipere prolem spinax impedimento nõ potest. Neque verò pastinaca, & raia ex planis recipiunt propter caudæ asperitatem. Raia etiam suam non recipit sobolē, tum capitis magnitudine, tum aculeorum impedimento. Nam ne animal quidem vnâ hæc parit, vt dictum est. Discrimen, quo hæc inter se ipsa discrepent, & generatio ex ouo ad hunc modum est.

De affluentia genitalis seminis in piscibus maribus foetus tempore, quomodoque differant genitales meatus maris & foeminae: deque cartilagineorum partu.
Cap. XI.

Mares autem piscium tempore coitus, meatus plenos seminis genitalis ita habent, vt attritu facile semen ipsum effluat candidū. Meatus hi a præcordiis, venaq; maiore oriuntur bifurces: patētq; eo tempore etiam imperitis, scilicet incrementō seminis, & turgentis fastu libidinis. Interdum enim, ac nonnullis admodum incerti redduntur, vt de testibus in auium genere expositum est. Differunt inter se meatus genitales maris & foeminae, tum aliis rebus, tum etiâ quod maris lumbis inhærent firmius: foeminae mobiles sunt, & membrana tenui continentur. Sed hæc quemadmodum se habeant, ex descriptione dissectionum consideranda sunt. Superfoecant cartilaginea genera, & ferunt vterum mensibus complurimum senis: sed sæpissimè qui ex mustelis stellares vocantur, quippe qui mensis bis pariant. Initium autem coitus mensis Septembri est. Cæteri musteli bis anno pariant, excepta canicula, quæ semel. omnia in vere hæc pariant. Squatina etiam autumnno, occasu Vergiliarum, qui partus secundus est. Primus enim verno fit tempore: sed secundus felicior est. Torpedo circa autumnum. Repetunt cartilaginea litus & vada, pelago, & alto relicto gurgite, cum tempus pariendi instat, vt neque tepore ca-

Mustelini generis foeturæ tepus.

reant, & progeniem tutius collocent. Piscium cæterorum diuersa genera coire visum a nemine est. Squatinam solam, & raiam hoc facere creditur, argumento piscis cuiusdam, qui nomen ex vtroque compositum trahit rhinobati, quasi squatinoraiam appelles. Est enim parte prioris raia similis, posteriore squatina, tanquam ex eo vtroque proueniens genere. Musteli igitur, genusq; omne mustelinum, vt vulpecula, vt canis: & plani, vt torpedo, raia, leuiraia, pastinaca, modo, quo diximus, gignunt animal, cum intra se oua pepererint.

De partu, & pullorum numero piscium viuiparorum, delphino, balena, vitulo marino, & reliquis, quæ cete appellantur.
Cap. XII.

Delphini, balenæ, & reliqua cete, quæ non branchias, sed fistulam habent, animal generant. Additur iis pristis, & bos. Nullum ex iis enim oua habere cernitur: sed itatum foetum, ex quo redacto in formam animal constat: quemadmodum homo, & quadrupedes, quæ animal pariant. Delphini singulos: magna ex parte edunt: interdum tamen & binos. Balenæ vel binos complurimum, magnaq; ex parte vel singulos procreant. Idem & phocænæ, id est tirsioni, partus, qui delphino similis est, nascens in Ponto. Sed interest, quod minor tirsio est, dorso ampliore, colore cæruleo. Complures eum genus esse delphini opinantur. Spirant, quæ fistulam habent, omnia, & recipiunt aerem: haud enim carent pulmone. Et quidem visus delphinus est dormire, rostro emerso, ac stertere. Lac & delphinus habet, & tirsio, quo suos nutriunt foetus: gestantq; eosdem infirmos infantia. Adolefcit celerius proles delphini, quippe quæ annis decem ad summam perueniat magnitudinem. Gestatur vtero decem mensibus. Partus delphinis æstate, nec vlllo tempore alio. Fit etiam vt delphini tricenis diebus occultentur, & lateant circa ortum canis syderis. Adultos etiâ foetus diu comitantur. Magna erga gnatos charitas in hoc animali est: viuit annis compluribus. Constitit enim nonnullos vixisse annis viginti quinque, alios etiam triginta. Quod cognitum est, præcisa a piscatoribus cauda, vt quos ita reddidissent mari, captos item agnoscerent, & temporis spatium scirent. Vitulus marinus generis ambigui est: nam & mari degit, quantum humorem nõ recipit, sed spirat, ac dormit, & egressus in terram parit in litorē, vt terrestre. Sed quoniam plus temporis mari, quam terræ immoretur, cibumq; ex humore petat, ideo in aquaticis de eo narrandum est. Ergo hic animal & concipit statim intra se, & parit: secundas quoque emittit, & lac reddit modo pecudum. Parit singulos, aut geminos, & complurimum tres. Mammis, quas geminas habet, educat foetum ritu quadrupedum. Parit vt homo omni tempore: sed maxime cum primis capris. Prolem circa duodecimū diem a partu deducit in mare, subinde assuefaciens. Illa declinis fertur, nec ambulat, cum nondum innitit suis pedibus valeat. Colligere se ipse vitulus, & contrahere potest: carne enim abundat, mollisque est, atq; ossibus cartilaginosis constat. Interficitur difficulter, nisi elisis temporibus capitis: corpus enim totum carnosum est.

Delphini partes totiusque vitæ & morum naturæ.

Qui pisces qua pariant.

Vtroque sexu pisces distinguuntur.

Pisces locorum quibus edant oua, delectum habere.

est. Mugitus ei in somno. Genitale foeminae simile raia est. Omnia verò id genus muliebris sexus similitudinem referunt. Generatio, partusque aquaticorum, quæ animal vel intra se, vel foris pariant, ita agitur.

De partu piscium ouiparorum, deque sexus foeminae, & maris discrimine.
Cap. XIII.

Pisces autem, qui oua pariant, vuluam bifurcam, ac inferius positam habent, vt dictum est. Pariant oua omnes, qui squamis teguntur, vt lupus, mugilis, etelis, & qui candidi appellantur, & qui læues, præterquam anguilla. Ouum ipsum arenidum est. Quod est vtero continetur, tamen detectū, & per se ipsum constare videtur, quia tota vulua ouis referta est. Itaq; fit, vt in paruis quidem pisciculis oua tantum modo gemina esse videantur: nam ob tenuitatem exiguitatemq; vulua incerta in iis est. De coitu piscium satis dictum iam est. Sexu autem eos quoque distingui apertum est. Pars enim piscium maxima, consummatur mare, & foemina. De rubelione, & hiatula ambigitur: omnes enim grauidæ capiuntur. Consistunt itaq; oua per coitum, in iis, qui Venerem norunt: sed non coitu tantum, verum etiam sine coitu. Quod argumento constat nonnullorum fluuiatilium: nam phoxini statim, propè dixerim, cum nati sunt, & admodum parui adhuc, oua habent. Spargunt sua oua omnes, & magnâ ouorum partem (vt narratur) mares deuorant: alia pereunt in humore. Quæ autem locis opportunis edita sint, hæc seruantur. Nam si omnia seruarentur, nimia cuiusq; generis esset copia. Nec verò hæc omnia foecunda locantur, sed ea certè, quibus editis mas semen asperferit genitale. Sub partu enim mas sequens, semen ouis aspergit: & quæ vitale id virus contigerit, iis pisciculi enascuntur: cæteris, prout fors tulit, euenit. Hoc idem & in mollium genere fit. Mas enim sepiæ, oua, quæ foemina ediderit, persequitur, suum semen aspergens. Quod vel in reliquis eiusdem generis fieri, ratio est. Verum nõ nisi in sepiis hoc visum adhuc est. Pariant iuxta litora gobiones, suaq; oua lapidum amplexibus madant, latiuscula, & arenida. Idem & cæteri faciunt, quoniam litora & tepidiora sunt, & tutiora, ne foetus a maioribus absumantur. Cibum etiam præbent vberius: vnde fit, vt in Ponto circa Thermoodontem amnem plurimi pariant: est enim is locus tranquillus, tepidus, & aquarum dulcium copiosus. Pisces, qui oua edunt, semel pariant anno: præter phucas pusillas, quæ bis pariant anno. Differt hoc in genere mas a foemina, quod nigrior, & squamis amplioribus est. Cæteri pisces oua eodē foramine vulvæ edunt. Qui autem acus vocatur, vnus tempore pariendi vtero dehiscente oua emittit. Habet enim hic rimam quandam sub ventre imo, vt cæcilia serpentes. A partu autem viuit, & vulnus callefcit. Generatio ex ouo simili agitur modo, siue intus, siue foris est ouum. Summo nanque ouo innascitur foetus membrana obducta. Oculi primùm patent grandes, & in globi speciem afformati. Quare constat, non similiter gigni, atq; ex vermibus, vt quidam putarunt. Contrà enim in illis euenit, vt pars inferior maior inter

initia sit, oculi, & caput postea augeantur. Quo autem rupto, foetus velut nucleus constat, qui primùm nullum accipit cibum, sed oui humore iam hausto incrementum, post nutriuntur aquis dulcibus fluuiorum, vsq; dum satis augeantur. Defertur ex Ponto in Hellespontum purgamentum quoddam illius maris, quod algæ nomine phycos appellant, colore pallidum. Florem algæ id esse alii volunt, atque ex eo fucariam algam prouenire. Fit hoc ætatis initio, eoque tum ostrea, tum etiâ pisciculi eius loci aluntur. Purpuram quoque suam florem hinc trahere nonnulli existimant.

De partu, & generatione piscium lacustrium, fluuiatiliumque.
Cap. XIII.

Acustres, & fluuiatiles pisces quinto suæ ætatis mensis vterum gestare magna ex parte incipiunt. Pariant omnes intra annum, nec semen generationis simul omne emittunt, sed modo marinorum. Hic quoq; semper intra se aliquid plus minus foeminae ouorum, mares liquoris prolifici retinent. Pariant temporibus ætatis. Cyprini quinquies, aut sexies anno, partumq; syderum ratione potissimum faciunt. Erica ter, reliqui semel edunt oua, in stagnis fluuiorum, & arundinetis lacuum, vt phoxini, & perca. Siluri, & perca continentem emittunt suum foetum, vt ranæ. Aded enim foetus ipse continui filo sibi cohereret, vt perca quidem, quoniam latior est, piscatores in lacu arundine glomerent. Pariant siluri grandiores stagno altiore, quippe cum nonnulli vel trium passuum altitudine pariant. Minores breuiore contenti sunt gurgite, præcipue ad radices salicis, aut cuiusvis arboris. Atq; etiam inter arundines, & algas, & muscosam congeriem, non solum pares cum paribus, sed etiam admodum grandes cum paruis veniunt: admotisq; meatibus, quos aliqui vmbilicos vocant, foemina ouum, mas liquorem venerem depromit: & oua, quæ liquor ille vitalis contigerit, candidiora extemplo cernuntur, maioraq; reddi eodem die propemodum dixerim. Paulò autem post oculi foetus existunt conspicui, qui in quouis piscium genere perinde, vt in cæteris animalibus, statim patefcunt, prægrandesq; apparent, quæ ex ouis nõ attingerit liquor masculi ille vitalis, hæc sterilescent, & superuacua sunt: vt in marino etiam genere incidit. Foecundis iam ouis, pisciculo incrementum, detrahitur velut putamen, quod membrana est ouum ambiens, & pisciculum. Oua tacta a foetifico maris semine, admodum glutinosa redduntur, ad cæspites coeuntia, aut vbi pepererint. Mas oua, quæ edita sunt, custodit: foemina abit, cum pepererit. Tardissimum siluri incrementum ex ouo est: quam ob rem mas sæpe vel quadraginta, & quinquaginta diebus assidet, custodiens oua, ne a piscibus occurrentibus absumatur. Secundæ est tarditatis generatio cyprinorum: parique modo oua edita a mare seruantur. At minorum nonnulla vel tertio die specie pisciculi capiunt. Augentur oua, quæ semen maris attingerit, vt dictum est, & eodem die, & post. Fit ouum siluri, quatum eruum, cyprini, & reliquorum generis eiusdem, magnitudine milii. Hæc ad hunc modum pariant, atq; generant. Erica gregatim sua oua gur-

giti altiori mandat congesta. Contrà, quem fullo-
nem appellant, is litora petit tranquilliora: sed is
quoq; gregalis est. Cyprinus, balerus, & cæteri ferè
omnes vadis intrudunt sese, cum parturiunt: ac sæ-
penumero singulas fœminas mares tredecim, &
quatuordecim persequuntur. Mox fœmina oua pro-
cedendo emittit, mares sectantes, semen suum ouis
respergunt: verùm plurima pereunt: quod enim fœ-
mina non stabilis, sed mutans continuè parit, dissi-
pari oua necesse est, videlicet ea, quæ non in mate-
riem inciderint aliquam, sed excepta ab vnda feran-
tur. Neque est enim, qui sua oua custodiat, excepto
siluro, & cyprino: sed cyprinus tunc ea custodit, cum
congesta repererit. Habent mares omnes semen ge-
nitale, præter anguillam, quæ neutrum, neq; ouum,
neque semen sortita est. Ascendunt de mari in lacus,
& fluuios mugiles. Contrà, anguillæ inde in
mare veniunt. Pisces maxima quidem ex parte ouo
gignuntur, vt dictum iam est.

De generibus piscium, quæ vel limo, vel arena, vel spuma maris ex imbre excitata procreantur.

Cap. XV.



Ed sunt qui & limo, & arena proueniant, etiam ex iis generibus, quæ per coitum, & oui primordio generentur. Quod tum aliis locis palustribus, tum verò apud Gnidum factum olim memoratur. Stagnis enim sub canis ortu resiccatis, & limo iam arido, vbi primum imbribus restagnare loca inciperent, pisciculi nascebantur generis mugilum, quod per coitum procreatur, magnitudine haleculæ parum: nec in his aliquid vel oui, vel seminis cõtinebatur. Quinetiã in nonnullis Asiæ annibus, quæ effluunt in mare, pisciculi quidam magnitudine naricarum modo eodem proueniunt. Sunt qui omne mugilum genus sponte oriri opinentur: sed nõ rectè: nam & oua, eorũ fœminæ, & semen genitale mares habere cernuntur. Verùm genus quoddam eorũ est, quod nõ coitu, sed ex limo, arenaue enascatur. Sed nonnulla vel sponte generare, ex iis, quæ per coitum prodeant, satis ex iis constat. Quæ autè nec ouum, nec animal pariant, iis ortus vel ex limo, vel ex arena, & per summa facta putredine agitur: qualis etiam apuæ origo, spuma nuncupata, ex terra arenosa consistit. Quod quidem apuæ genus nec incrementum capit, nec prolem affert, & tẽporis longioris spatio perit, sed denuò nascitur. Vnde fit, vt breui quodã tempore excepto, omnibus ferè anni temporibus generetur: quippe cum spuma illa ab arcturo autumnali ad ver vsq; eduret. Efferrè id pisciculi genus funditus de terra, argumentũ est, quod nisi tempore tepido non capiatur, vt pote quod de humo ad summa, teporis gratia veniat. Quin & solo agitato, detractaque eius colluione, copiosior, & melior exit. Cætera apuæ genera deteriora propterea sunt, quia citò augetur. Fiunt locis vmbrosis, apricisve, quoties temporis beneficio solũ tepescit: vt in Attica terra apud Salaminẽ, & iuxta Themistocleũ, & in Marathone. Locis enim huiuscemodi spuma illa consistit, & tempore tali apparet: sed nonnusquam vel cum aqua de celo incessit. Oritur pisciculus hic in spuma, quæ imbre admissio caluerit, vnde no-

Mugilum genus ex limo ortum.

Naricæ, id est, naricarum. heptæri à Plinio.

Apuæ, hoc est, spuma piscis origo.

men spumæ accepit. Ferturq; interdum per summa maris, cum calum tepidum est, & in spuma fluitante, perinde, ac in fimo vermiculus, voluitur. Quam ob rem in loca cõplura genus id aquæ ad fertur ex alto, & copiosè quoque generatur, & capitur anno quieto, & humido. Reliqua apuæ fœtura pisciũ est. Quæ enim gobionaria dicitur, gobiones paruos ignobiles, qui terrã subeunt, creat. Quam verò phalericam vocat, membradas gignit: ex quibus sardinæ, ex sardinis sardæ oriuntur. Genus apuæ, quod in portu Atheniensium nascitur, t encraulos dicitur progenerat. Quinetiam genus aliud apuæ est, quod alecum, & mugilum sit fœtura. Spuma autem altera illa sterilis humida est, breuèq; (vt dictum est) tempus edurat: mox capita, & oculi restant. Sed iam piscatores quemadmodum deportare possent, inuenerunt. Sale enim aspersa, plus temporis asseruari potest.

De procreatione anguillarum.

Cap. XVI.



Anguillæ nec per coitum procreatur, nec parit oua: nec verò capta vnquam aliqua est, quæ aut semẽ genitale, aut oua haberet. Meatus quoq; vel semini, vel vuluæ accommodatos, nulla rescissa ostendit. Sed hoc vnũ inter sanguinea genus totum sine coitu, sine ouo procreatur. Quod ita esse argumentò constat, quod in nonnullis fœculentis stagnis aqua omni exhausta, & limo detractò, anguillæ denuò generantur, vbi aqua accesserit pluuia: nam siccis temporibus gigni nequeunt, etiã in lacu perenni: quippe quæ imbre & viuant, & alantur. Sed hoc genus nõ coitu, non ouo creari, apertum est. Videntur tamen nonnullæ habere facultatem gignendi, quod in aliquibus lumbriculi fiant: his enim generari anguillas creditur, quod error est. Sed certè ex his prodeunt, quæ terræ intestina vocantur, quæ sponte in luto, humescentq; humo proueniunt. Iam aliæ absolui ex his visæ sunt, aliæ scalptis, disceptisq; intus apparuerunt. Oriuntur hæc intestina dicta, tum in mari, tum etiã in fluuiis, stagnisque, putredinis maximè ratione: sed in mari, quæ algæ sunt: in stagnis autem, & fluuiis iuxta ripas. Calor enim amplius eas subiens partes, facit vt putreant. Talis generatio anguillarum est.

De vtero, & tempore partus aquatiliũ, quomodoque alterum ab altero in fœtibus emittendis differat.

Cap. XVII.



Partus autem piscium neq; eodem tempore, nec simili modo omnium fit: nec pari temporis spatio geritur vterus. Greges ante coitum marium, & fœminarum consistunt: sed sub coitu, & partu cõiugia aguntur. Vterum verò alii diebus amplius tricenis ferunt, alii minus. Omnes tamẽ spatium numeris distinguendum septennariis sortiuntur. Plurimum temporis datur iis, quos nonnulli appellant marinos. Sargus coit mense Decembri, fert vterum dies triginta. Quinetiam in mugilũ genere, qui labeo à nonnullis vocatur, & mucro, eodẽ, quo sargus, tempore coeunt, & tantũdem temporis ferunt. Laborat omnes per id tempus, quo gerunt vterum: vnde fit, vt tunc potiss

Terræ infima vnde oriantur.

Quando precipue pisci incitati in terrã ruant.

Tempora pariendi piscibus diuersa.

Alii diuersa.

Theodoros pro pelamyde & thinnide reddit limariã, & scitè, ex Plinio.

potissimum ruant in terram, atq; excidant. Feruntur porrò graui stimulo agitati in terrã, atq; omnino id tẽporis motu perpetuo incitantur, donec pariant. Sed omnium maximè mugilẽ ita sollicitari certum est. Requiescunt à partu continuo. Exitus pariendi piscium compluribus est, vbi vermiculi nati in ventre fuerint. Innascuntur enim minuta quædam animalia vermiculi specie, quæ partũ expellunt. Parit solitariũ genus in vere. Plurimis deniq; partus circa æquinoctium vernum agitur. Ceteris non eadem anni tẽpestas accommodata est: sed aliis æstas, aliis autumnale æquinoctium attribuitur. Parit prima hoc in genere antherina, quam aristam appello, & iuxta terram. Capito autem vltimus est. Constat id, cum fœtus ariste primũ, capitoni notissimè appareat. Mugilis etiã inter primos partum accelerat, & salpa æstatis initio locis plurimis, nonnusquam enim autumnò. Quinetiam facer æstate parit, mox aurata, lupus, mormur, molaris: denique omnes, qui cursiones vocantur. Vltimi gregaliũ, nullus, & graculus pariunt autumnò. Mullus sua oua limo committit, vnde fit vt serò pariat: diutiũ enim frigus continetur in limo. Graculus post nullũ fœtificat inter algas, vt pote qui locis saxosis degat. Fert vterum longo temporis spatio. Aleces bruma pariunt: ceteri, qui pelagici sunt, æstate magna ex parte. Cuius rei argumentũ est, quod minimè per id tempus capiuntur. Fœcundissima omnium piscium alec esse videtur. Raia inter cartilaginea fœtificat numerosius. Verum quod de facili pereunt, hinc efficitur vt appareant pauca. Edit hæc oua t diuersa, & iuxta terram. Omnino genus cartilagineũ minus fœtificat, quia animal gignit: feruari tamen sua potissimum magnitudine potest. Acus etiã appellata, serò fœtificat. Compluresque eius generis disrupto, ac dehiscente vtero pariunt, nõ tam multitudine ouorum, quàm magnitudine. Et modo phalangiorum, proles parente offusa circumdat: quippe quam discere statim prolis amor non sinat. & si tegeris, fugiunt. Arista atterens alium arenã, parit. Thunni etiam præ nimia pinguedine dehiscunt, nec plus, quàm biennio, possunt viuere. Cuius rei argumentum piscatores inde deducunt, quod cum aliquando limariæ anno superiore defecissent, thunni sequenti anno defecerint. Limariis enim thunni prouectiores ætate anno esse putantur vno. Coeunt thunni & scombri mense Febuario post Idus: pariunt Iunio ante Nonas: edunt sua oua cõdita quasi vtriculo: incrementũ autè partus præcipua sumit celeritate. Cum enim thunni in Ponto pepererint, prodeunt ex ouo, quas alii scordulas vocant, Byzantii auxumas nominant, quia diebus paucis adolescunt: quæ exeunt Ponto autumnò fœtas comitantes, eodem autem redeunt verno tẽpore, iam adeptæ eam magnitudinẽ, qualimariæ nomẽ accipiunt. Profectò omne pisciũ genus celeriter adolefcit, & præcipuè in Ponto: quippe cum ibi incrementũ singulis diebus planè intelligatur: sed amari longè conspectius. Omnino ita existimandũ, vt eisdem piscibus, non eisdem locis degentibus, nec coeundi, ferendive tempus esse idẽ, nec fœtificandi, aut proficiendi: nam & qui graculi appellantur, nonnusquam mense tritici pariunt. Verum ita hæc nos exponimus, vt magna ex parte res euenit. Congri etiã fœtura intra

se continent: sed nõ omnibus locis æquè id cõstat. Nec ipsa fœtura satis patet in vtero pingui obeso: inest tamen serie quadã prolixiuscula, vt in serpentibus: quod certè ignis periculo innotescit. Pingue enim absumitur, atq; euaporatur: oua autè crepant, & extrusa dissiliunt. Adhuc si palpites, & atteras digitis pingue, læue utiq; senseris, ouum autem duriusculum. Congri itaq; alii pingue habent, ouum nullum: alii contrã, pingue nullũ, ouum autem quale modo exposui possident. Sed de coitu, vtero, & eiusmodi reliquis cæterorũ animantium omnium, tum aquatiliũ, tum volucrum, atque etiam terrestrium, quæ oua pariunt, dictum iam est.

De coitu, eiusque tempore, & libidine quadrupedum, quæ animal pariunt.

Cap. XVIII.



Equitur vt pari modo de iis, quæ in terrestrium genere animal pariunt, atq; etiam de homine differamus. Coitum & priuatim, & publicè omnium diximus. Commune autem omnium animalium est, vt cupidine, voluptatèq; rei Venereæ maximè gestiant, atq; incitentur. Ferociunt fœminæ à partu, mares tẽpore coitus. Iam equi equos mordent, sternunt equitem, atq; insequuntur. Sues quoq; feri acerrimè feruiunt, quãquam per id tempus imbecilles ex coitu reddantur. Dimicant inter se mirum in modum armantes sese, & cutem quàm crassissimã præparantes, indurantèsq; attritu arborũ. Sæpe etiã luto obducto, ac resiccato, tergus inuictum cõtra ictus efficiunt. Pugnans ad eò acri certamine, grege relicto, vt sæpenumero mortem vterq; aduersarius obeat. Simili modo & tauri efferantur, & arietes, & hirci. Qui enim superiore tempore focii, iugi concordia pascerentur, coitus tempore dissident, & alter alterum libidinis rabie inuadit. Camelus etiã mas senit tempore coitus, siue homo, siue camelus accedat: nam equis quidẽ odio naturali aduersantur. Idem feris quoq; euenire apertum est. Nam vrsi, lupi, leones, acrius per id tempus in eos, qui accesserint, ferunt: inter se tamẽ minus hæc dimicant, videlicet ob eam rem, quia nullũ ex iis gregale est. Quinetiã vrsæ à suis catulis vehementer ferociunt, vt canes à catellis. Et elephanti quoque ad coitum efferari solent: quam ob rem apud Indos iis haudquaquã permitti inuitũ aiunt. Libidinis enim rabie agitati, casus prosternunt malè conditas, plurãq; alia incõmoda faciunt. Mitigari pabuli copia narrantur. Plagis etiã temperant, adductis aliis, quibus ferire præcipiant. Quæ autem non vno tempore, sed sæpius anno coeunt, vt ea, quæ cum homine degunt, verbi gratia, canes, sues, vt minus efferentur, facit coitus copia. Incenditur libidine ex fœminis equè potissimum, mox vacca. Equæ itaq; equiunt: vnde vocabulum id ab hoc vno animali trahitur, maledictio in mulie res libidinofas. Necnon euentari per id tempus equæ dicuntur: quapropter in Creta insula equos admiffarios minimè à fœminis semouendos censent. Cum verò ita affectæ fuerint, currunt relicta societate. Simile hoc vitium est, vt quod subare in suis dicitur. Currunt non Orientem, aut Occidentem versus, sed ex aduerso Aquilonis, aut Austri: nec appropinquare quenquam patiuntur, do-

Quo tempore animates maxime ferociant.

nec vel defatigata desistat, vel ad mare deueniant. Tum aliquid emittunt, quod hippomanes appellatur, eodem, quo illud, quod nascitur, nomine. Tale hoc sane est, quale suis illud, quod apria vocant: sed hoc præcipue ad amoris veneficia petitur. Equæ tempore coitus colligunt sese, & societate magis, quam antea, gaudent. Istant caudam crebrius, vocem immutant, humoré emittunt suis genitalibus similem genituræ, sed multo tenuiore, quam mares, quæ hippomanes nonnulli appellant, non quod pullis nascentibus adhæret. Accipi cum humorem difficile esse aiunt, quod paulatim admodum labitur. Mingunt etiâ pluries, atq; inter se ludunt, cum equiunt, hæc de equis. Vaccæ tauriunt, & libidine adeo incenduntur, vt bubulci eas tenere, aut capere nequeant. Indicium tum equæ, tum vaccæ suæ libidinis præstant, genitalis specie prominētiore. Vaccæ etiam mingunt crebrius more equarum. Adhæc, vaccæ tauros superueniunt, & sequuntur sedulo, & assisunt. Turgent ad coitum prius minores natu, quam maiores, tum in equorum genere, tum in boum. Temporis etiâ beneficio, & corporis valetudine propensiora redduntur ad Venerem animalia. Equarum libido extinguitur magis iuba tonfa, & frons tristior redditur. Mares in hoc genere fœminas sibi societate cõiunctas dignoscunt olfactu, etsi paucis antè diebus vnà fuerint. Quod si fœminæ diuersæ permiscætur, mares alienas mordendo expellunt, suâsq; singuli seorsum habentes pascuntur. Tricenæ, aut paulo plures singulis datur. Quoties mas accesserit aliquis, confestim in eum maritus conuertitur, & currens gyro aggreditur pugna: & fœminâ, si quâ se mouerit, mortu reuocat. Taurus tempore coitus tantum cum fœminis pascitur, cæterosque oppugnat mares. Temporibus cæteris mares inter se cõuersantur: quod coarmentari dicitur. Iam Epiri prouinciæ tauri sæpius trimestri temporis spatio nō apparent. Omnino fera omnia, aut certe plurima, nō antè cum fœminis ad commune pascuū veniunt, quam tempus sit coeundi. Sed cum iam per ætatem licuerit, segregantur mares à fœminis, seorsumq; pascuntur. Sues fœminæ, cum libidine excitantur, quod subare dicitur, vel homines aggrediuntur. Canes eodem illo modo affectæ, canire dicuntur. Prominet genitale in fœminis, cum ad coitum stimulantur, & locus humescit. Equabus humoris aliquid ibi defluit per id tempus. Purgatio menstruorū fit quidē & cæteris, sed nulli æquè ac mulieri. Oui, & capræ tempore coeundi indicantur, quod idem post coitū etiam fit ad tempus, mox desistit, donec parturiat: tum denuo indicatur: quare pastores proximū esse partum intelligūt. A partu autem purgatio sequitur abundè: primū leuiter cruenta, postmodum valde. Vaccæ, asinæ, equæ, modo quidem ampliore, quam supra, dictis, emittitur, vt pote magnitudine excedentibus, sed multo ex proportione minus. Bos itaq; fœmina, cum coitū affectat, leuiter purgatur, quantū hemina dimidiū, aut paulo plus. Tempus autem coeundi tunc potissimum est, cum purgatur. Equa facillimè omnium quadrupedum parit. Vacat admodum purgamentis, minimūq; emittit profluuium sanguinis, videlicet pro corporis magnitudine. Cõceptus indicium maximè in vaccis, equabusque, cum menses

Quot equabus vnus admistarius sufficiat.

Menstruorū purgatio quibus fiat.

cessarunt, spatio temporis bimestri, trimestri, quadrimestri, semestri. Sed id percipere difficile est, nisi quis iam dudum secutus, assuetusq; admodum sit. Quam ob rem nō defunt, qui menses in his animalibus negent. Mulabus menses nulli mouentur, sed earum vrina crassior, quam marium est. Omnino excrementum vesicæ quadrupedum crassius, quam hominum est. Inter eas tamen quadrupedes, oues fœminæ, & capræ, crassiorē reddunt vrinam, quam mares. Asinæ contrā, tenuiorem, quam mares, & vaccæ accriorem. A partu vrina quadrupedum omnium crassior redditur, & magis eorum, quæ minus purgantur. Lac fieri incipit ad speciē puris initio coitus, sed vtile postea est, cum pepererint. Pinguescunt tam oues, quam capræ, cum gerunt partū, eduntq; ampliū. Quod idem de bubus etiâ, ac cæteris quadrupedibus affirmandum. Sunt porro animalia propensiora ad coitū, propè dixerim, omnia, verno tempore. Sed sunt tamen quæ nō eo tempore coeāt, verūm prout quæq; alere suos fœtus commodiū possunt, ita tempus sibi cõueniens habeāt. Sues cicures vterū ferunt menses quatuor. Numerus partus plurimū ad vicanos. Si tamen multos pepererint, educare omnes non queunt. Senescentes etiam pariunt quidem simili modo, sed tardiū coeunt. Implentur vno coitu: sæpius tamen superuentum patiuntur, ea de causa, quod post coitum, humorem, quem apriam nonnulli appellant, emittunt, quod quidem commune omnibus incidit: sed aliqua vnà cum hoc, semè etiam admissum eiicit. Fœtus, qui in vtero læsus, minutusque fuerit, metachærum dicitur, quasi posthumum voces, quod in parte qualibet vuluæ accidere potest. Cum scrofa peperit, primam mammā porco, qui primus in lucem prodiit, præbet. Cauendum ne primâ subatione ante aures flaccidas coitus fiat, frustra etenim fuerit. At si plena iam auiditate, ac desiderio libidinis turgido admissura fiat, vnus (vt modò dixi) initus satis fit. Prodest apro coeunti hordeū apponere pabulo: quod idem & scrofa fœtæ commodum est, sed elixum. Sunt è scrofis aliæ statim prolis fœcundæ laudabilis, aliæ increscentes melius generant. Suem altero oculo amisso breui extingui magna ex parte nonnulli existimant. Plurimis vita ad annos quindecim, aliquibus etiam propè ad vicanos.

Quibus crassior vrina.

Suum factura.

De coitu, fœtūque ouium, & caprarum. Cap. XIX.



Ves, & capræ terno, aut quaterno coitu implentur: & si à coitu imber accessit, abortum infert. Pariūt maxima ex parte singulos, sed aliquando & binos, & ternos, & quaternos. Ferunt quinq; mensibus, tum oues, tum capræ. Vnde fit vt locis nonnullis, quibus cæli clementia, & pabuli copia est, bis pariant. Vita capris ad octonos complurimum annos, ouibus ad denos: sed magna ex parte ad pauciores. Duces pecoris tamen vel ad quindenos protrahunt vitam. Singulis ouilibus singuli duces constituuntur, qui quoties suo nomine à pastore vocantur, antecedunt: quod ab incunte ætate facere assuescunt. Oues Aethiopicæ vel ad duodecim, & tredecim annos vitam agunt: capræ etiam ad decem, & vndecim. Coeunt tam oues, quam capræ, quadiu viuunt. Pariunt

Quot annorum vita caprarum & ouium.

Pariunt geminos, tum pabuli beneficio, tum si pater, aut mater, vim eam geminandi per naturā obtineat. Mares autem, aut fœminæ generantur vt tum aquarum, tum admissariorū. Nam & aquæ faciunt, vt fœminæ, marésve concipiuntur. Adhæc, Aquilonis flatu mares potiū concipiuntur, Austri fœminæ. Vis tanta est Aquilonis, vt vel ea, quæ non nisi fœminas pariant, immutet ad prolis masculæ procreationem. Spectare ad Aquilonem oportet cum coeunt fœminæ. Quæ manè iniri solent, mares, si ferò diei admiseris, non patiuntur. Candidi, nigrive efficiuntur fœtus, si sub lingua arietis venæ nigræ, aut candidæ habentur. Cuius enim coloris sunt venæ, eiusdem & vellus est. Varium etiam, si plures venarum colores sunt. Quæ aquam falsiusculam bibunt, maturiū coeunt: nec solūm antè coitum, sed etiam à coitu salendum est: atque etiam verno tempore. Capris nullū ducem pastores constituant, quia earum natura non stabilis, sed lubrica, atq; mobilis est. In grege ouium, si maiores natu tempestiuè libidine incitantur, annum esse felicem gregi pastores confirmant: sed si minores, infelicem.

Vnde proueniunt varii ouium colores.

De coitu, & fœtura canum, eorumque vitæ longitudine. Cap. XX.



Anum genera plura sunt. Coit Laconicum mense suæ ætatis octauo. Et crus iam circa id tēpus attollentes nonnulli vrinam reddunt. Impletur canis vno initu, quod in furtitiis maximè constat initibus: implent enim qui semel inierint. Gerunt Laconicæ vterū parte sexta anni, hoc est, sexagenis diebus, aut vno, vel altero plus, minūsvē. Catelli cæci gignuntur, nec ante duodecimum diem visum accipiunt. Coeunt canes postea, quam pepererūt, sexto mense, nec citiū. Sunt quæ parte quinta anni vterum ferāt, hoc est, duobus & sexaginta diebus: quarum catelli duodecim diebus luce carent. Nonnullæ quarta parte anni, hoc est, tribus mensibus ferūt: quarum catelli diebus decem & septem luce carent. Tantundem temporis canire etiam fœminæ putantur. Menstrua huius animalis diebus septē mouentur: si mūlque euenit, vt genitale promineat. Verūm nondum per id temporis coitum patiuntur, sed sequentibus septem diebus. Tempus enim, quo toto canis libidine tenetur, diebus quatuordecim magna ex parte describitur. Verūm nonnullæ etiam ad sextumdecimum pruriunt. Purgatio autem, quæ coniuncta partui est, vnà cum catellis nascentibus prouenit, crasso pituitosoque humore. Redduntur etiam tenuiores à partu: & lac antè diebus quinq;, quam pariant, habent magna ex parte. Verūm nonnullis etiam septem, aut quatuor diebus anticipat. Vtile statim, vt pepererint, est. Genus Laconicum, post coitum diebus triginta, habere lac incipit. Crassum inter initia omnium est: deinde processu temporis tenuius redditur. Crassius canum, quam cæterorum animalium, lac est, excepto scrofa, ac leporis. Indicium in mammis etiam apparet, cum ætatem coeundi iam habent. Fit enim périnde, ac in hominibus, tumor in papillis mammarū, & cartilago quædam consistit. Sed difficile id perceperis,

Canes ferè quatuordecim dies canire.

nisi habeas vsū rei: carent enim hæc indicia magnitudine. Hoc igitur fœminæ euenire certum est: mari nihil eiusmodi accidit. Crus mares tollentes mingunt, magna ex parte quidem sexto mense ætatis, sed nonnulli vel ferius, octauo scilicet mense id faciunt: atque etiam maturiū, quam sexto. Quod autem simpliciter dixerim, cum coire incipiūt, tollunt. Fœminæ omnes confidentes mingunt. Verūm in hoc etiam sexu nonnullæ cruce elato minxerunt. Parit canis duodecim cõplurimum, sed magna ex parte quinque aut sex. Vnum etiam aliquam peperisse certū est. Laconicæ magna ex parte octo pariunt. Coeunt quadiu viuunt, & mares, & fœminæ. Peculiare generis Laconici est, vt cum laborant, coire meliū, quam per otium, possint. Viuit in hoc eodem genere mas ad annos decem, fœmina ad duodecim. Cæteri canes maxima quidem ex parte ad annos quatuordecim, sed nonnulli vel ad viginti protrahūt vitam. Quam ob rem rectè apud Homerum, canem Vlyssis vicesimo anno mori alii qui iudicant. Laconici sanè generis fœminæ, quia minus laborant, quam mares, viuaciores maribus sunt. At verò in cæteris, etsi non latè admodum constat, tamè mares viuaciores sunt. Dentes canes non mutant, præterquam eos, quos vocāt caninos, eosq; quarto ætatis mense tam fœminæ, quam mares. Vnde fit, vt diuersa sit authorum sententia. Alii enim quod duos tantummodo mutant, negant omnino illos mutari, cum eos patricos reperire difficile sit: alii cum hos viderint, cæteros quoque pari ratione mutari existimant. Aetatis iudicium ex dentibus sumitur: quippe cum iuniores candidos habeant, & acutos: seniores, nigros, & hebetes.

Quos dentes canes mutant.

Aetas canū vnde cognoscatur.

De coitu, & partu boum, deque maris, & fœminæ ætate. Cap. XXI.



Os vno initu implet, agitq; vehementer, ita, vt fœmina vix tolerans succumbat. Si fortè cõceptio pererrauerit, vicesimo post die marè fœmina recipit. Seniores tauri nec sæpius quidem fœminam eandem, eodem superueniūt die, nisi ex interuallo. At iuniores & eandē sæpius cogunt, & pluries petunt, ac superueniunt vigore suæ ætatis. Salax minimè inter mares bos est. Coit qui vicerit. Cūmq; is Venerè iam debilitatus languerit, aggreditur victus ille languentem, & plerunq; superat. Coire tum mares tum fœminæ anno ætatis primo peracto incipiunt, quoad facultas sit procreandi: verūm, quod magna ex parte fit, vel anniculi, vel nacti octauum mensem Venerem adeunt. Sedenim, quod maximè vacas biconfessum habemus, bimatu generant. Ferunt vterum menses nouem, decimo pariunt. Sunt qui decem totos menses, exceptis paucis diebus, affirmēt. Quod autem in lucem præcurrerit hæc tempora, id abortiuum est, vitalèq; minimè, etiam si paulo maturauerit partum: præmolli nanque, imperfectaque vngula prodit. Pariunt singulos, geminos rarò. Quadiu viuunt, & coire solent, & parere. Viuunt magna ex parte fœminæ annos quindecim, atque etiam mares excisi. Nonnullis ætas vel ad viginti annos, atque etiam plures, si corpore bene habitato sint. Nam excisos assuefaciunt, & duces cõstituunt

bouni, vt ouium, qui plus temporis, quàm cæteri, viuunt vsu exercitii, & copia pabuli. Vigent quinquennes maximè. Quocirca Homerù quidam re- cte dixisse aiunt, Quinquennem taurum, & bouis lustro florentis. Idem nanq; significari arbitrantur. Dentes bimus emittit bos, nec vnuerfos, vt equus. Vngulas, cum dolore articulorù laborat, non amittit: sed pedes tantummodo intumescunt vehementer. Lac à partu vtile est. Antè, quàm peperit, caret lacte. Quantum lactis prouenerit primùm, concre- scens pèrinde vt lapis durefcit. Quod ita accidit, nisi aqua admisceatur. Iuuenca recentior, quàm an- nacula, nō patitur Venerem, nisi ostento. Iam enim vel quarto ætatis mense coisse perspectum est. Ini- tium coitus plurimis quidè mense Aprili, & Maio: sed nonnullæ etiam ad autumnum vsq; tempus co- eundi deducunt. Cum plures grauidæ sunt, & facilè initum patiuntur, nimirum pro signo hyemis, & imbrium id accipitur. Menses & vaccis fiunt, vt equabus, sed minis.

*De coitu, & partu equorum, de amissio-
ne dentium, deque maris, & foeminae
æate. Cap. XXII.*



Quos coire incipit bimus, tam mas, quàm foemina: sed hoc in paucis fit, pullique eorum ipsorum minores, im- becillioresque sunt. Quod autem plu- rimū, trimatu tam mares quàm foeminae incipiunt, & proficiunt subinde ad prolis præstantiam, in vi- celimum vsque annum. Fert vterum equa menses vndecim: parit duodecimo mense. Equus non cer- to dierum numero implet, sed aliquando vno, aut duobus, tribusve, aliquando pluribus. Serius certè, quàm asinus, equam superueniens implet. Coitus non tam laboriosus equis, quàm bubus est. Salacis- simum omnium, tum foeminarum, tum marium, equus est, homine excepto. Iuniorum coitus præ- ter ætatem contingit pabuli bonitate, & copia. Pa- riunt magna ex parte equæ singulos: sed gemellos quoque aliquando complurimum procreant. Mula etiam gemellos peperit, quæ quidem pro ostento accipiuntur. Coire itaque incipit equus vel tricesi- mo mense, sed quoad dignè procreare possit, tunc tempus est, cum dentibus mittendis cessauit. Verùm iam nonnullos etiam cum mutant, implere potuis- se aiunt: idque fieri ita confirmant, nisi natura steri- les sint. Equo dentes quadraginta numero sunt, quorum primores quatuor, mense tricesimo mutan- tur, bini vtrinque, supra dico, & subter: tum vbi præ- terea annum compleuerit, quatuor item modo co- dem mittuntur, duo superius, totidemque inferius: rursumq; anno altero peracto, simili modo quatuor alii mutantur. Quibus iam præteritis annis quatuor, & mensibus sex, nullus præterea mittitur: quãquam euenisse in aliquo certū est, vt cum primis omnes amitterentur: atque etiam in alio, vt cum vltimis omnes, sed hæc rarò. Fit itaque vt equo ferè tem- pus idoneum maximè sit ad procreandum, cum an- num quartum, & sex menses compleuerit. Seniores equi profectò foecundiores sunt, tam foemina, quàm mares. Equi vel suas matres, & filias super- ueniunt, atq; tunc perfectum esse armentum vide- tur, cum parentes suam ineunt prolem. Scythæ

Quoto æta-
tis anno e-
quus ido-
neus ad ge-
nerandum sit.

equabus grauibus equitant, cum primùm se moue- rit foetus: & nimirum eas proficere ad partus faci- litatem arbitrantur. Cæteræ quadrupedes iacentes parere solent: quo fit, vt foetus obliqui omnium ex- eant. At verò equa cum tempus iam edendi appro- pinquarit, erigit se, stansque emittit partum. Vita equorum plurimis ad decimum octauum, atque etiã vicesimum annum: sed nonnulli etiam quinque & viginti, atque triginta egerunt. Et si cura diligenter adhibeatur, vel ad quinquaginta protrahitur ætas. Longissima tamen vita in pluribus ad tricesimum annum, quod magna ex parte fieri norimus. Foemi- na magna quidem parte quinq; & viginti annos vi- uere potest: sed iam nonnullæ etiã quadraginta vi- xere. Minus temporis mares viuunt, quàm foemi- næ, propter coitum: & qui domi aluntur, minus, quàm gregarii. Foemina quinquennio finem, tum longitudinis, tum etiã proceritatis sui corporis re- cipit: sed mas sexennio: post, annis sequentibus to- tidem crescit in corpulentiam, & ad viginti vsque annos pergit proficiens. Verùm celerius foemina, quàm mares, perficiuntur: quanquam in vtero ma- res, quàm foemina, citius, quemadmodum etiã ho- mines. Quod idem vel in cæteris animalibus, quæ pariant plura, fieri solet. Lactare mulum semestre temporis spatium referunt, mox fugi non pati: vi- nanq; humorem trahi, & cum dolore. Equo autem plus temporis tribuunt. Viget & equus, & mulus à dentium ortu: cumq; prodierint omnes, non facilè ætatem dignoueris. Quam ob rem dici solet, certa sub ortu, incerta ab ortu. Deniq; post dentium or- tum, eo maximè declaratur ætas, quem caninū vo- camus: breuior enim hic septennibus est, propter fræni attritum, quod ad eum iniicitur: non septen- nibus maior quidè, sed non vertice extans adactio- re. Iunioribus acutior & procerior est. Mas omni- bus temporibus init, nec cessat, quandiu viuunt. Foemina etiam, quandiu viuunt, inquit, nec tempus vllum certum libidinem aufert: sed ingenium ho- minis arcet, aut vinculo, aut aliquo huiusmodi impedimento: nō tamen quouis tempore facto ini- tu, facultas enutriendi quod pepererint, datur. Equum apud Opunta gregarium fuisse accepimus, qui annos quadraginta natus posset coire: sed adiu- mentum quoad sui pedes priores attolerentur, de- siderabat. Coeundi initium equis in vere. Non statim à partu equa impletur, sed intermisso tem- pore: & melius quarto, aut quinto anno interpo- sito procreat. Omnino, si nihil plus detur, vnum tamen interponere annum, & quasi nouale facere necesse est. Equa igitur interposito tempore, vt dictum est, parit: at asina continuè parere potest. Fit etiam in equorum genere, vt alia omnino steriles sint: alia concipiant quidem, sed edere ne- queant. Cuius rei indicium aiunt, quod foetus circum renes alia quædam, specie propèmodum renum, ita continet, vt rescissus quatuor renes habere videatur. Cum equa peperit, statim secun- das deuorat, atque etiam quod pulli nascentis fron- ti adhæret, hippomanes dictum, magnitudine mi- nus carica parua, specie latiusculum, orbiculatum, nigrum: hoc si quis prærupto odorem moueat, equa excitatur, furitque agnito eo odore. Quapropter id à veneficis petitur, & percipitur mulierculis.

Si

Quam lon-
ga equi vi-
ta.

Ætas equi
cognitu-
facilis pot-
est ab-
lutos.

Quod equi-
nae cupidini
similem mor-
talibus amo-
rem accedat.
Columella.

Si cum equa ex equo prægnante coierit asinus, fo- etus iam conceptus corrumpitur. Equorum ducem, vt boum, nullum constituunt: quoniam equorum na- tura non stabilis, sed mobilis, procaxque est.

*De coitu asini, & asinae partu, marisque,
& foeminae æate.*

Cap. XXIII.



Sinus tum mas, tum foemina, tricesimo mense coire incipit, eodemque tempo- re dentes mittit priores: secundus autem sexto mense, atque etiam tertius, quar- toque eodem. Gnomonas hos quartos à diuidian- da ætate nuncupant. Sed iam vel annicula asina con- cepit, vt perfici proles, ac adolescere posset, Reicit semen à coitu nisi interpellatur. Quam ob rem sta- tim post coitum verberant, insectanturque. Parit duodecimo mense. Singulatim magna ex parte pro- creat prolem. Ea nanque natura est, vt vnum pariat: sed nonnunquam gemellos etiam edit. Asinus qui- dem equi genituram corrumpit, vt dictum est: sed equus asini minimè, cum equa iam asini initu con- ceperit. Lac grauida habet mense decimo. A partu die septimo mari iungitur, eoque die iuncta maxi- mè recipit initum, sed postmodum etiam patitur. Solet hæc, nisi prius, quàm gnomonem amittat, pe- perit, nunquam postea initum recipere. Parere vel in conspectu hominis, vel in luce nolit, sed in tene- bras ducitur cum parturit. Si prius, quàm gno- monem dimississet, pepererit, parere tota sua ætate po- test. Vita asinis amplior annis triginta, & foemina viuacior mare est. Cum vel equus cum asina, vel asi- nus cum equa inierit, multò magis abortus conse- quitur, quàm cum vnigenæ inter se iungantur: ver- bi gratia, equa cum equo, aut asina cum asino. Eue- nit etiam tempus gerendi vteri, cum equus cum asi- no coierit, maris norma: id est, vt quãto spatio tem- poris mas perficitur suo in genere, tanto etiam fo- etus, quem ipse procreat, absoluat. At magnitudi- ne corporis, specie, & viribus, magis foemina, quàm mari simile euadit quod nascitur. Si frequenter co- eant, neque vllò interposito tempore cessent, quæ ita iunguntur, breui foemina sterilefcit. Qua de causa non frequenter ita coniungunt, qui curam huic ad- hibent rei, sed tempus aliquod interponunt. Non asi- num equa, vt asina equum, recipit, nisi asinus sit, qui equam suxerit. Admittunt de industria quos hippo- thelas vocant, ac si equimulgos cognomines, qui in pascuis modo equorum viribus bonis superantes coeant.

De mulo, & eius coitu, & æate.

Cap. XXIII.



Vlus superuenire, coireque incipit mis- sis dentibus primis: sed septennis imple- re potest, etiam cum equa coiunctus gin- num procreauit: post deinde superueni- re non solet. Mula quoque iam facta grauida est, sed non quoad perficeret, atque ederet prolem. In terra Syria super Phœnicem mulæ & coeunt, & pa- riunt omnes: sed id genus diuersum est, quanquam simile. Prodeunt, quos ginnos vocant, ex equa, cum in gerendo vtero ægrotauit, more pumilionum in ordine hominum, aut porcorum deprauatorum in genere suum, quos posthuc nuncupauit. & quidè

vt pumilio, sic ginnus modum suo genitali excedit. Vita mulis ad annos multos: iam quidam vel octo- gesimum annum potuit agere, vt Athenis cum tem- plum ædificaretur, qui quauis dimissus iam munc- re per senectam, tamen ac obiens iu- menta exhortabatur ad opus: quam ob rem decreto à nemine eum arceri à frumentorum aceruis sanciu- tum est. Serius foemina senescit, quàm mas. Non- nulli foeminam profluuiò vrinae purgari aiunt: ma- rem olfactu vrinae prius senescere. ortus eorum ani- malium talis est.

Quam lon-
gavi muli.
Plin. sic: Con-
nitendo, co-
mittit adque
accedebat iu-
meta ad opus

Indicium ætatis quadrupedum.

Cap. XXV.



Ætatem dignosci quadrupedum confir- mant, qui in earum cura sunt constitu- ti, si cutis prætenta maxillis, detracta, mox relaxata, illico in suum redeat lo- cum. Hoc enim indicium recentioris quadrupedis est: veteris contrà, si diutiùs rugata maneat cutis.

De vtero, & æate cameli.

Cap. XXVI.



Amelus fert vterum menses decem: pa- rit semper vnum tantummodo: vnipara nanque est. Separant prolem à parente anniculam. Viuit diu: plus enim, quàm quinquaginta annos. Parit in vere, & lac suum vsq; eò seruat, quò iam conceperit. Tum lac, tum caro cameli suauissima omnium est. Bibitur eius lac ad vnam mensuram, duabus, aut tribus aquæ admistis.

*De elephantorum coitu, deque tempore, quo
vterus fertur, & eorum pullis.*

Cap. XXVII.



Elephantus tam mas, quàm foemina in- cipit coire anno ætatis vigesimo. Feren- di vteri tempus alii annum & sex men- ses, alii triennium statuunt. Causa quam ob rem incertum hoc sit, quod non pateat coitus. Parit enitens posterioribus cruribus, & subsidens cum dolore. Pullus editus ore fugit, non promusci- de: & statim, cum natus est, cernit, & ambulat.

De coitu suum, & eius tempore.

Cap. XXVIII.



Ves feræ principio hyemis coeunt, vere pariunt, petentes maximè inuia, prærup- ta, angusta, & opaca. Mas cum foeminis conuersari dies triginta magna ex parte solet. Numerus partus, & tempus ferendi idem, atq; in vrbanis suis est. Vox etiam similis: sed foemina vocalior est, mas rarò vocem emittit. Mares castra- ti, maiores, feracioresque euadunt, vt scitè Home- rus fingit, cum dicat:

Nutriit exeum syluis horrentibus aprum.

Instar non bruti, sed dorsi montis opaci.

Castrantur, quò recentibus adhuc morbus pruriēs incumbit in testes, quo atterentes eam partem ad ar- bores, testes extinguunt.

De ceruorum coitu, partu, & natura.

Cap. XXIX.



Erva plurimùm subsidens coit, vt di- ctum iam est: marem enim sustinere nō potest, ob eius contētissimum impetū. Veruntamen aliquando etiam sustinent

modo ouium, & socias declinant, cum turgente iam Venere coitum appetunt. Mas non in eadem immoratur, sed mutat: breuique interposito tempore, aliam atque aliam supergreditur. Coitus ab arturo mense Augusto, & Septembri. Implentur pan-
 cis diebus, & ab eodem multæ. Vterum ferunt octo menses. Pariunt magna ex parte vnum, sed nonnulli etiam geminos peperisse pfectum est. Parere iuxta vias maximè solent, metu belluarum. Incrementum hinnuli celere. Purgatio cæteris temporibus nulla euenit ceruæ: cum autem parit, pituitoso quodam humore purgatur. Ducere suum hinnulum ad stabula consuevit. Quem locum sibi habet refugium, petra disrupta est vno aditu, vnde defendere se, repugnarèque solet iis, qui inuadunt. Vita esse perquam longa hoc animal fertur, sed nihil certi ex iis, quæ narrantur, videmus: nec gestatio, aut incrementum hinnuli ita euenit, quasi vita esset prælonga. Monte Asia Elapho nomine apud Arginussam, quo loco Alcibiades mortem obiit, ceruæ omnes scissa aure sunt, qua nota vel alibi, si loca mutarint, dignoscuntur. Et quidem fœtus iam inde à primo ortu in vtero idem contrahit signum. Quaterna vbera fœminis, vt vaccis. Cum mares impleuerint fœminas, separantur per se ipsi, & propter libidinis graueolentiam quisque solitarius scrobas fodit. Fœtent vt hirci. Facies quoque eorum nigrescit aspergine, vt hircorum. Degunt ita quousque imber accedat, tum pascua reperunt. Hæc ideo ceruo accidunt, quia salex animal suapte natura est, atque quia pingui abundat. Pinguescunt enim æstate supra modum, quam ob rem nec currere quidem possunt: sed secundo, aut tertio cursu capiuntur ab iis, qui pedibus insectantur. Fugiant etiam in aquas propter æstum, atque anhelitum. Caro eorum libidinis tempore vitiat, & fœtet pèrinde, quasi hircorum. Hyeme itaque extenuantur, debilitanturque: vere autem vigent maximè ad cursum. Cum fugiunt, requiem inter currendum aliquam faciunt, consistentesque manent, dum qui insequitur, appropinquet, tum fugam item arripiunt. Quod ideo facere videntur, quia interiora laborant. Intestinum enim tenue, imbecillèque habent, vt etiam si leuiter percusseris, possit rumpi, cute adhuc integra.

Plinius habet. Elatitæ.

Quo tempore ceruorum caro fœtat.

Intestinum ceruis imbecille.

De vrsi coitu, partu, & pullis, deque hystricis natura.

Cap. XXX.

Vrsi coeunt, vt dictum est, non superuenientes, sed humi strati. Fere vterum vrsi sa dies triginta. Parit tum vnum, tum etiam duos: sed complurimum quinque. Fœtum minimum pro sui corporis magnitudine edit: quippe quæ minorem catto, maiorem mure parere solet. Nudum item, & cæcum, & cruribus propemodum, membrisque aliis plurimis indiscretum & rudem. Coit mense Februario: parit eo tempore, quo latet. Pinguescit per id tempus tam mas, quam fœmina vehementer. Cum prolem enutrierit, exit à mense iam veris tertio. Hystrix etiam latet, totidemque diebus fert vterum, & reliqua facit pèrinde vt vrsa. Grauidam capi vrsam, difficile est.

De partu leonum, & pullorum numero, deque dentium mutatione.

Cap. XXXI.

Leonem auersum coire, vrinamque retrò reddere dictum iam est. Coit, & parit, non omni tempore: singulis tamen annis, vere parit, & magna ex parte geminos, sed cum plurimos, sex catulos: nonnunquam etiam vnum. Quod de leæna fertur, vuluam cum partu emittere, delira fabula est, facta ex ea causa, quòd rarum genus hoc animalis est: nec rationem cur ita esset, comperire author ille fabulæ poterat. Rarum hoc enim est, nec multis nascitur locis: sed Europæ totius, ea parte solùm, quæ inter Acheloum amnem, & Nessum est. Parit leæna quoque adeò paruos, vt vix post secundum mensem incipiant ingredi. Leones terræ Syriæ quinquies vita pariunt: primùm quinque, post vno subinde pauciores, deinde steriles degunt. Caret leæna iuba: maris hæc propria est. Dentem eos tantùm modo mutat leo, qui canini vocantur quatuor, duos superiùs, totidemque inferiùs, idque sexto mense ætatis fit.

De hyænæ natura, meatibusque genitalibus maris, & fœminæ.

Cap. XXXII.

Hyæna colore lupi propè est, sed hirsutior, & iuba per totum dorsum prædita est. Quod autem de ea fertur, genitale simul & maris, & fœminæ eandem habere, commentitium est: sed virile similiter atque in lupis, & canibus habetur. Quod verò fœmineum esse videtur, sub cauda positum est, figura simile genitali fœminæ, sed sine vlllo meatu. Sub hoc meatu excrementorum est. Quinetiam fœmina hyæna, præter suum illud, etiam simile vt mas habet sub cauda sine vlllo meatu: à quo excrementorum meatu est, atque sub eo genitale verum cõtinetur. Vuluam etiam hyæna fœmina, vt cæteræ huiuscemodî fœminæ animantes, habet. Sed rarò hyæna fœmina capitur. Iam inter vndecim numero, vnam tantum cepisse venator reulit quidam.

De coitu, & fœtura leporum.

Cap. XXXIII.

Lepores auersi coeunt, vt expositum est. retrò enim vrinam reddunt. Coeant, & pariunt quoquo tempore, dumque vterro ferunt superfœtant, & singulis mensibus generant: sed fœtus edunt non vniuersos. Interpositis enim diebus quot res tulerit, peragunt partionem. Habet fœmina lac priùsquàm pariat, & à partu continuò repetit coitum, & lactans adhuc cõcipit fœtum. Lac suillo simile sua crassitudine est. Partum non, vt maior didipedum pars, cæcum edit.

De coitu, & partu vulpis.

Cap. XXXIIII.

Vlpes superueniens coit. Parit cæcos, vt vrsa, atque atiam infirmiores. Parturiens ita secedit, vt rarò grauida capiat. Cum partum ediderit, lingua lambendo refouet, & concoquit. Parit, cum plurimos, quatuor.

De partu

De partu luporum, felis, ichneumonis, lupi canarij, & lupi ceruarij.

Cap. XXXV.

Lvpus fert, & parit vt canis, tum tempore, tum etiam fœtus numero. Cæcos etiam generat canis modo. Coit vno tempore tantùm: parit ineunte æstate. Fertur de eius partu ad fabulam proximè, lupos omnes intra duodecim dies parere. Cuius rei causam proferunt fabulose, quod Latonam oberrantem totidem diebus ex Hyperboreis Delum deduxerint sub specie lupæ, propter metum Iunonis. Sed an tempus hoc parienti sit, nondum exploratum habemus. Fertur quidem sic vulgò, sed verum minimè esse videtur. quale vel illud ferunt, lupos semel in vita parere. Feles, & ichneumones tot numero pariunt, quot canes, vescunturque eisdem. Viuunt circiter annos sex. Lupus item canarius cæcos parit lupporum ritu, numero complurimum quatuor. Quinetiam lupus ceruarius coitu vt canes impletur, & cæcos generat, numero duos, aut tres, aut quatuor. Corpore longior, & cauda porrectior est, sed proceritate breuior. Celeritate æquè præstat, quantum crura habeat breuiora: mollis enim & agilis est, profilirèque longiùs ob eam rem potest.

De mulis quos terra Syria fert.

Cap. XXXVI.

Sunt in Syria, quos mulos appellant, genus diuersum ab eo, quod coitu equæ, & asini procreatur, sed simile facie, quo modo asini syluestres, similitudine quadam nomen vibanorum acceperunt. Et quidem vt asini illi feri, sic muli præstant celeritate. Procreant eiusmodi mulæ suo in genere. Cuius rei argumento illæ sunt, quæ tempore Pharnacæ patris Phanaba-

zi in terram Phrygiam venerunt, quæ adhuc extat. Tres tamen ex nouem, quot numero olim fuisse aiunt, seruantur hoc tempore.

De natura, & varijs generibus murium, deque pullorum numerositate.

Cap. XXXVII.

Murium generatio mirabilis præter cætera animalia maiorem in modum est, tum numero, tum celeritate. Iam enim fœmina prægnante in vase milliario aliquando occupata, paulò post referato vase, musculi numero viginti & centum reperti sunt. Mirum etiam percipimus ortum redundantis agrestis murium generis. Locis enim compluribus agri, tam inaudito modo oriri solent, vt parum ex vniuerso frumento relinquatur. Tam citò absumitur, vt nonnulli mediocres agricolæ, cum pridie metendum statuerint, postridie mane cum messoribus accedentes ad segetem, absumptam inueniant totam. Interitus autem minimè euenit ratione. Paucis enim diebus omnino abolentur, quanquam superiore tempore homines vincere vel suffiendo, vel fues, vt latibula effoderent, admittendo, non possent. Quinetiam vulpes eos venantur, & catti syluestres in primis: sed tamen superare copiam, & celeritatem proventus nequeunt: nec aliud quicquam omnium vincit, nisi imbres: iis enim quam primùm intereunt. Terræ Persicæ parte quadam mure fœmina rescissa, fœtus fœmini prægnantes comperiuntur. Sunt qui vehementer confirmant, mures, si salem lambant, impleri sine coitu. Aegyptiis muribus prædurus, ferè vt herinaceis, pilus est. Sunt etiam alii, qui erecti bipedes ambulant: habent enim crura posteriora longa, priora breuia. Ortus eorum quoque numerosus est. Sunt vel alia genera murium plura. Sed de iis hæcenus.

10

20

30

Mirabilis murium fœcunditas.

Repentini murium interitus causa.

ARISTO

ARISTOTELIS STAGIRITAE

de Historia Animalium

Liber Septimus,

Theodoro Gaza Interprete.

De signis, quae puerorum seminis emissionem, puellarumque viripotentiam praeveniunt.

Cap. I.



DE hominis generatione, tum prima in utero, tum posteriore in luce, & usque in senectutem, quemadmodum se habeant, quae suae naturae ratione eveniant, loco hoc dicimus. Quae inter marem & foeminam differetia sit, & quibusnam partibus constet, ante expositum est. Mas autem primum semen genitale magna ex parte incipit ferre anno peracto bis septimo: simul etiam pubescere incipit eo tempore, ut stirpes semen larvas primum florere Alcmeon Crotoniata ait. Vox item per id tempus mutari in sonum asperiorē, in aequabiliorēque incipit, quamquam nondum graue. Neque enim acuta praeterea est, neque tota aequabilis: sed similis fidibus incōtentis & asperis, quod capere denominant. Idque potissimum incidit iis, qui rem Veneream incipiunt agere. Iis enim vox transit in sonum virilem. Abstinentibus vero e contrario fit: & si curam adhibeant (quod aliqui faciunt ex iis, qui choreis indulgent) vel longo seruari tempore si ne magna mutatione potest. Mammae etiam extuberrant: & genitale non solum magnitudine, sed etiam specie proficit. Evenit porro id temporis, qui iam fricari, contractarique per libidinē coeperint, ut cum semen emittunt, non modo voluptate, verum dolore quoque afficiantur. Foeminis etiam per id tempus exurgit vbera, quod fratrate dicitur: & quae menstrua vocantur, erumpunt: quod sanguis quasi recens occisi animalis est. Quae autem alba dicuntur, admodum etiam puellis eveniunt, & magis si cibo vitur humidiori. Haec incrementum impediunt corporis, & puellam extenuant. Sed menses tunc plurimis fiunt, cum iam vbera ad duos digitos prominēt: & vox eodem tempore puellarum mutatur in grauiorē. Denique cum mulier vocis acutioris, quam vir, sit, tum natu minores acutiūs, quam maiores sonāt: ut & pueri, quam viri, acutiūs. Sed vox foeminae acutior est, quam maris, & fistula puellarum acutior, quam puerorum est. Fit etiam, ut per id tempus custodiri praecipue debent: maximē enim ad usum rei Venereae incitantur, cum haec incipiunt. Quod si iam inde nihil plus commouere temperent, quam corpora ipsa nullo adhuc usu Venereo, sed sponte mutantur, sequi, seruarique temperantia solet per aetates superiores. Nam & quae admodum puellae concumbunt, libidinoso

Quibus aetatis annis vox homini mutetur.

Quando primum puellis menses apparent.

res euadunt: & mares siue altera parte, siue utraque; minus cauerint, propensiores eodem efficiuntur. Meatus enim laxatur, redduntque eo corpus lubricum, & simul voluptatis, qua olim gestirent, memores, desiderio mouetur praeteritae contractationis. Prodeunt nonnulli iam inde a primo ortu Naturae impubes, infecundique, propterea quod parte sui genitalis fuerint deprauati. Mulieres etiam simili modo impubes a nativitate possunt creari. Habitus quoque tum marium, tum foeminarum mutatur, ut sint vel sanitati, vel morbo habiliores: & vel graciles, vel pleni, beneque vegeti. Nam a pube ex macilentis crassescunt, euaduntque saniores: alii contra, quod pari modo puellis etiam evenit. Qui enim pueri, aut quae puellae excrementis antea corporis redudabant, cum ea ipsa excrementa vna cum semine, aut mensibus fecernantur, saniores ob eam rem corpore efficiuntur, atque vegetiore. Iam enim ea, quae sanitati, alimētumque obstat, exest. At vero quibus contra antecesserit, iis corpora graciliora, & morbis opportuniora redduntur. Excernitur enim de ipsa natura & bene habitis, cum aut semē, aut menses prodeunt. In puellis ite diuersitas vberum est: aliis enim admodum magna, aliis exigua sunt. Evenit sane, ut corpora immodice crescant, cum puellae excrementis redundat. Futuris enim adhuc & nondum profuētibus mensibus, quod plus continetur humoris, eodem magis efferrī, sursumque impelli necesse est, donec infra erumpat. Itaque quod interim incrementum mammae acceperint, seruat postea. Maribus etiam mammae conspectiores, & foeminae, tum iunioribus, tum senioribus efficiuntur, qui humidiores, lauioribus, nec venulenti sunt: eorumque ipsorum iis magis, qui fusci, quam qui candidi sunt. Semē profecto infecundum usque, ad tertium annum est, mox prolificum quidem est, sed exigua, imperfectaque; generat iuniores, & mares, & foeminae, ut in ceterorum quoque; animalium genere plurimis evenit. Concipiunt quidem facilius natu minores, sed laborant in puerperio vehementius. Corpore etiam minus magna ex parte perficiuntur: & senescunt celerius mares salaces, & mulieres, quae frequentius pariant: nam ne incrementum quidem post tertium partum effici posse videtur. Sed autem temperanturque melius, quae in rei Venereae usum luxuriat, cum partum multoties exercuerint. Sed post annum tertium septimum mulieribus quidem opportunē iam procreatio est. Sed viris ite accedere aliquid potest ad prolem perfectiorem. Semina infecunda sunt, quae tenuia: foecunda, quae grandinis speciem referunt: eademque potius marem foeticant: contra tenuia, nec globulenta, foeminam gignunt. Mentum etiam maris ea aetate pilis integitur.

Salaces celerius senescunt.

Quale semē marem, quale foeminam gignat.

De mensuris mulieris.

Cap. II.

Decremente Luna potissimum mulieres purgari.



PROfluuium autem mensium decrease Luna contingit: quam ob rem nonnulli cauillo sexum foemineum Lunae tribuunt, quoniam simul ut illa decrescat, & mulier purgetur, moxque repleantur ambae, eueniat. Paucis menstrua singulis mensibus mouentur: sed vno intermisso plurimis. Facilius agitur cum iis, quibus breui tempore, hoc est, bido, aut trido profluunt. sed quibus longum protrahitur, difficilius: laborant enim id temporis. Aliis nanque vniuersum haec purgatio fit, aliis paulatim. Attamen omnibus corpus grauat, quandiu effluat humor. Multis etiam cum menstrua citantur, & eruptioni propinqua sunt, strangulationes vuluarum sequuntur, & crepitus, donec erumpant. Conceptus mulieribus a profluuiio mensurorum sua natura contingit: & quae iis carent, steriles magna ex parte existunt. Verum fieri potest, ut aliqua etiam sine eorum profluuiio concipiant, videlicet quibus tantum humoris colligitur, quantum iis, quae purgantur, restare solet: quamquam non tanta copia, ut & foras possint profluere. Nonnullae etiam dum profluunt menses, concipiunt, postea concipere nequeunt: quibus vulua statim a purgatione comprimitur. Sunt quibus praegnantibus etiam menstrua usque in postremum gerendi tempus eueniant: quibus accidit, ut parua pariant, & proles aut minus vitalis, aut infirma procreetur. Multis etiam desiderio coitus (quo vel iuue nilis aetatis ratione, vel quia longo tempore abstinerint, tenentur) descendunt vteri: & menstrua saepe ter in mense citantur, donec concipiant: quo facto ascendunt, & suo situ constituuntur. Nonnunquam etsi caetera bene se habet vterus, humidus tamen est. Respuit semen genitale, si humidus sit. Omnium autem animalium (ut ante dixi) mulieribus inter foeminas plurima haec purgatio euenit. Nam iis, quae non pariunt animal, nihil tale mouetur, propterea quod hoc materiae superuacuum, vertitur in corporis alimentum. Sunt enim nonnulla maribus suis maiora: atque etiam aliis in corticem, aliis in squamam, aliis in frequentiam pennarum absumitur. Terrestribus quoque animal parientibus, in pilos, & corpulentiam transit: homo enim lauior caeteris est: atque etiam in vrinam diuertitur, plurima enim ex caeteris largius mingunt, & crassius. At mulieribus vice eorum, quae dixi, omnium, quantum superuacuum sit, in purgationem mensium vertitur. Quod in maribus quoque simili fieri modo percipimus, seminis genitalis ratione. Plurimum enim omnium animalium emittit, comparatione dico magnitudinis suae: & verò inter ipsos mares, qui humidiores natura sunt, nec valde carnosus, plus reddunt: atque etiam plus candidiores, quam fusci. Nec fecus in mulieribus fit: corpulentis enim multum menstrui excrementi in corporis alimentum transit. Et in usu quoque rei Venereae candidiores sua natura plus, quam fuscae, euaporant. Preparatum hoc amplius usu ciborum humidorum & acrium.

De indicijs conceptionis, & quot dierum spatios, quot item foemina in utero mouetur: deque abortionibus.

Cap. III.



INDICIUM mulierem iam cocepisse, cum statim a coitu locus siccescit. Fit certe, ut si oris, quo concipitur, labra sunt lauia, inepta sunt ad conceptum: labitur enim, & effluit semen. Nec verò si crassa sunt, commodè usum praestant. Sed si ad digiti tactum asperiuscula, & haeretia sunt, atque etiam si tenuiora, ita commodè ad conceptionem habent. Talis igitur praeparandus est vterus, qui concipiat. Quod si facere ne concipiat, placet, contra agendum est: nam si labra sint lauiora, concipere nequeat. Quam ob rem nonnullae ut semen incidat, ante vuluam extoleo iuniperino, aut ex cerusa, turēve, excipientes oleo, illiunt. Sed si in septimum diem intus permanerit, conceptum iam esse certum est: nam quae effluxiones vocantur, intra tot numero dies fieri solent. Purgationes autem accedunt plurimis, cum concepterint, ad tempus quoddam, scilicet triginta dierum, maximè si cocepta foemina est: quadraginta, si mas. A partu etiam purgationes eodem dierum numero consequi volunt, quamquam non aequè ita diligenter eueniunt. At verò post conceptum, & dies, quos modo dixi, non item secundum naturam inferius agitur, sed in vbera transit, & lac efficitur. Cuius nota inter initia exiguo quodam, & araneae propemodum specie apparet in manibus. Cum iam concepterint, sentiunt praecipue suis ilibus: haec enim nonnullis statim pleniora efficiuntur. quod iis, quae graciliores sunt, euidentius accidit. Inguina etiam sentiunt, & conceptui argumento esse possunt. Mares foetus magna ex parte circa quadagesimum diem, dextro potius latere mouentur, foemina sinistra, circiter nonagesimum. Nihil tamen certi in his affirmari licet: multis enim ferentibus foeminam, motus agitur in dextros, & contra in sinistros, gerentibus marem. Sed enim haec, & reliqua huiusmodi, ut differunt, eo quo magna ex parte, & magis minusve accidit, si accepimus. Finditur etiam foetus hoc eodem tempore, cum ante caruncula informis constaret. Effluxiones vocantur, quae intra septimum diem corruptiones incidunt. Abortiones autem, quae intra quadagesimum. Et quidem plurimi foetus intra tot numero dies deprauantur. Mas, qui quadagesimo die exierit, si in quoduis aliud mittatur, diffunditur atque aboletur: sed si in aqua frigidam, cogitur, consistitque, veluti in membrana, qua rupta, foetus ipse apparet magnitudine formicae maiusculae, & membra iam inde discreta, tum caetera omnia, tum genitalia constant: & oculi, quemadmodum in caeteris animalibus, praegrandes. Sed foemina, quae intra tertium mensem eruperit, indistincta est: quae autem quartum adeptae est mensem, finditur, & reliquam distinctionis effigiem breui tempore accipit. Cum itaque foetus in utero formatur, foemina tardius, quam mas, perfectionem quarumque partium recipit, & saepius in decimum mensem, quam mas, protrahitur. Sed cum in lucem prodierit, foemina ocyus, quam mas, & accrescit, & aetate floret, & senectute maceratur, & magis quae pluries pariunt, ut dictum iam est.

De ijs, quæ à conceptione ad partum vsque mulieribus eueniunt, quò ve tempore pariant quòtque vno partu parere possit.

Cap. IIII.



Vm semen conceperit vterus, statim se contrahit, donec ad septimum mensum ventum sit. Octauo iam adaperitur, atq; dehiscit. Et partus, si viuunt, descendit, nec vterus per id tempus dehiscit: idque indicium facit, foetum haudquaquam esse vitale. Euenit profecto vt mulieres à conceptu corpus totum grauentur, & oculorum caligines, & dolores capitis moueantur. Quæ aliis maturius, & ferè die decimo accidunt, aliis serius, prout magis, minusve ex materia superuacua tentantur. Nausea item, & vomitus plurimas capiunt, & præcipuè quibus purgationes constiterint, necdum ad vbera transeant. Aliquæ igitur principio magis laborant, aliæ post, cum iam foetus pleniùs creuerit. Sæpe etiam multis destillatio vrinæ ad postremum infestat: sed magna ex parte, quæ matrem ferunt, faciliùs exigunt, minusque pallent: contra, quæ foeminam: sunt enim pallidiores, & grauiùs degunt. Multis etiam tumores, exuberationesque; carnis in cruribus incidunt: sed tamen contra etiã non nullis cõtingit. Solent appetitus varii grauidis euenire, citòque commutari, quod picare quidam à pica aut denominant: & nimirum, cum foetus sexus foeminei ferunt, auidius appetunt, minusque re frui iam præsentem, quam cupierint, possunt: fastidiunt enim statim, quod modò vehementer appetierant. Paucis contigit vt meliùs habeant, cum vterum gerunt, sed præcipuè tunc fastidiunt, tardiùsque fatiscunt, cum foetui capillus oriri incipit. Pili congeniti grauidis desluunt, paucioresque redduntur. Contra, qua parte pilos minimè habere solebant, ea magis accipiunt. Plus etiam motus magna ex parte in vtero infert, quam foemina, & celerius prodit. Foemina enim partus tardior est. Dolor etiam ex foemina continuus, sed obtusior: ex mare acer, & longè molestior. Quæ paulò ante partum concumbunt, faciliùs pariunt. Parturire interdum mulieres videtur, cum tamen tempus non sit: sed quoniam foetus inuertit suum caput, ideo initium hoc esse parturienti videtur. Sed cum cætera animalia omnia singulari, ac simplici modo partum suum perficiant (vnum enim pariendi tempus statutum omnibus est) homini vni multiplex datum est: nam & septimo mense, & octauo, & nono parere potest, & quod plurimum decimo, nonnullæ etiam vndecimum tangunt. Foetus, qui maturius, quam septimo mense prodeat, nullo pacto vitalis est. Qui septimo, vitalis quidè hic primus exit, sed magna ex parte infirmior: quam obrem cunabulis ex lana eum obuoluunt, & fasciis alligant. Meatus etiam nonnulli iussu, vt aurium, aut narium, sæpenumero generantur: sed accrescenti articulatur infanti, & demum suam formam recipiunt: & plerique de his quoque septimo natis viuere atque adolescere possunt. Qui autem mense octauo nascitur, viuere, ac adolescere in terra Aegypto possunt, & quibusdam aliis in locis, vbi mulieres fertiliores sunt, multosque simul faciliè & ferunt, & pariunt, etiam si monstrosi sint. Sed locis Græciæ multum intereunt, nec nisi perpauca seruantur. Vnde fit, vt si quis seruetur, non octauo mense natus existimetur, sed mulierem sui conceptus initium latuisse. Infestantur maximè mulieres mense quarto, octauoque. Et si vel quarto, vel octauo foetus perierit, ipsæ quoque magna ex parte intereunt. Itaque fit, ne solum mense octauo nati non viuant, sed etiam ipsi emortuis, periculum, quæ pariunt, subeant. Simili modo & qui diuturniores, quam vndecimo mense nasci videntur, latere putantur. Latet enim mulieres conceptus initium, si cum antè inflatus fuerit vterus, vt sæpe accidit, post coierint, atque conceperint. Hoc enim principium esse sui conceptus existimant, quod simile indicium attulit. Ita multiplex perficiendi tempus, pariendique diuersum homini datum est. Et cum alia singulos pariant, alia plures, genus humanam in ancipiti est. Nam quod plurimum, & locis plurimis agitur, mulieres singulos singulæ pariunt. Sed sæpe & locis plerisque geminos etiam, vt in terra quoque Aegypto fieri certum est. Pariunt etiam tres, & quatuor. Et quidem locis nonnullis valde ita fit, quod dictum iam est, sed quinque complurimum nascuntur. Iam enim hoc pluribus euenisse conspectum est. Et quædam viginti, partibus quatuor edidit: quinos enim singulis partibus enixa est, maiorque eorum pars enutriti, & adolescere potuit. Et cum in cæteris animalibus gemini nati, etiam si mas, & foemina sint, nihilò minus enutriantur, seruenturque, quam si mares ambo, aut foeminae sint: in genere certè humano pauci gemini seruantur, si alter mas sit, alter foemina. Mulier, & equa omnium maximè animalium grauidæ coitum patiuntur: cætera vbi grauida fuerint, fugiunt mares, ea scilicet, quorum natura superfoetare more leporis recusat: verum equa nunquam superfoetata, sed magna ex parte vnum tantummodo generat. At verò in muliere rarò quidem euenit vt superfoetata, sed factum tamen aliquando est. Qui itaque longo post tempore sint concepti, nihilo perfici possunt: sed præmaturius dolorem, quo ipsi & primus foetus intereat, mouent. Iam incidit, vt facta corruptione duodecim superfoetata puerperia egererentur. At verò si proximè à primo conceptu secundus sit factus, absolui, edisque potest, quod superfoetata, vt quasi gemini nasci videantur: quomodo Herculem, & Iphiclem procreatos esse fabulantur. Nam id etiam constitit adultera quadam, quæ alterum suo marito, alterum adultero similem peperit. Iam & cum geminos quædam ferret, tertium superfoetatauit: & cum tempus pariendi iustum iam esset, primos vitales peperit, secundum quinto mense elisit, qui statim mortuus est. Altera cum primum septimo peperisset, qui mortuus est, mox duos iusto mensum numero edidit, qui vixerunt. Quædam etiam sub abortu conceperant, atque alterum abegerunt, alterum continuerunt, pertuleruntque ad partum. Plurimis si concubuerint mense octauo, infans mucore oppletus exit. Esculentorum etiam, quæ mater comederit, sæpe genitalis venit in lucem: & si sale immo-dicè vsa est, ipse sine vnguibus nascitur.

Quæ mulieribus à conceptu accidat

Causa mulieribus quando conceptus inflatur

Quando etiã mul superfoetatur

Quid perierit si sit, si prægnantes obuo mense concubuerint

Soli mulieri tempus pariendi incertum

60

De lactis bonitate, & malignitate, deque menstruorum mulieribus sine.

Cap. V.



Ac, quod ante septimum mensum tractum est, inutile est: sed simul infans natalis est, & lac esse vitale incipit: priùs autem falsum etiam est, vt pecoris. Vino præcipuè cum vterum ferunt plurimæ infestantur: dissoluuntur enim, si biberint, atque debilitantur. Principium, & finis mulieribus prolis recipiendæ, maribus præbendæ, seminis, & menstruorum emissio est. Sed neque cum incipiunt statim prolifica sunt, neque cum desinunt, & iam pauciora sunt, & infirmiora. Quanam ætate incipiant menstrua, & semen, dictum iam est. Sed desinunt plurimis menstrua circa quadagesimum annum: quod tempus quæ excesserint, iis ad quinquagesimum seruatur. Etiam nonnullæ eo tempore pepererunt: sed vltra hoc tempus nulla potest protrahere.

Vsquequo maribus sit generandi facultas, & de prolis similitudine cum parentibus, vel cum aliis.

Cap. VI.



Mares plurimi ad sexagesimum generant: quem si excesserint, ad septuagesimum vsque procedunt. Et iam quidam annos septuaginta nati genuerunt. Euenit sanè multis & mulieribus, & viris, vt qui coniuncti inter se nequeant procreare, vbi dissociati se iuxerint cum aliis, queant. Quod idem in maribus quoque, aut foeminae procreatione nimirum euenire certum est. Plerumque enim tum mulieres, tum viri, quandiu cum eisdem iunguntur, foeminam tantum, marève procreant, seiuncti autem contra. A etatis etiam ratione immutantur, vt iuuenes inter se foeminas generant, seniores facti mares, aut contra. Ratio quoque generandi omnino discrimen hoc idem recipit, vt iuuenes nihil procreent, seniores iam incipiant generare. Aut contra, vt qui antè possent, post nihil possint foetificare. Sunt etiam aliquæ mulieres, quæ vix concipiant: sed si conceperint, perficiant, atque edant. Aliæ contra, faciliè quidem concipiunt, sed seruare non possunt. Sunt & viri, qui non nisi foeminam procreent, & mulieres, quæ non nisi marem: & contra: vt de Hercule fabulantur, qui inter duos & septuaginta liberos, foeminam vnam tantummodo genuit. Quæ concipere nequeant, si vel cura adhibita, aut aliquo casu conceperint, foeminam magna ex parte pariunt potius, quam marem. Multis etiam viris euenit, vt cum antè possent generare, post nequeant, deinde rursus facultatem recipiant generandi. Gignuntur læsi quoque ex læsis, verbi causa, claudi ex claudis, & cæci ex cæcis. Denique similes sæpenumero in re, quæ præter naturam comitetur, & signa habentes sibi cognata hæreditaria. Vt verrucas, vt naeuos, aut cicatrices, aut quid aliud generis eiusdem. Iam tale quid vel tertia prole post regeneratum est, vt cum quidam suo in brachio puncti notam haberet, filius non id retulit, sed nepos ea

Quam variè di. Gignuntur læsi quoque ex læsis, verbi causa, claudi ex claudis, & cæci ex cæcis. Denique similes sæpenumero in re, quæ præter naturam comitetur, & signa habentes sibi cognata hæreditaria. Vt verrucas, vt naeuos, aut cicatrices, aut quid aliud generis eiusdem. Iam tale quid vel tertia prole post regeneratum est, vt cum quidam suo in brachio puncti notam haberet, filius non id retulit, sed nepos ea

corporis parte nigritiem quandam habens confusam prodiit. Sed rarò hæc eueniunt. Integri autem ex mancis ne gignantur, nulla res obstat, & sæpissimè ita agitur. Similes etiam aliqui parentibus, aut auis, suisque maioribus generantur: aliqui similitudinis nihil referunt. Redditur etiam vel post plures eiusdem profapie: vt in Sicilia, eius, quæ adulterium cum Aethiope commiserat, filia non colorem patris ethiopsis retulit, sed qui natus ex hac est, is auum Aethiopem regenerauit. Foemina magna ex parte matri, mares patri proueniunt similes: sed fit etiam è diuerso, vt foeminae patri, mares matri similes procreentur. Particulatim etiam similes fiunt, vt alia corporis parte similes sint patri, alia matri. Gemini vel dissimiles inter se nati iam sunt, sed plurimi magna ex parte similes prodeunt. Nam & quædam cum septimo die à partu conuenisset, concepissetque, peperit similem superiori quasi geminum. Naturæ etiam ratione aliæ sibi, aliæ suo marito similes generant, vt equa Pharsalia cognomine Iusta.

Quomodo semen genitale informetur.

Cap. VII.



Vm semen genitale exit, spiritus antecedit, & quidem ipso exitu cõstat agi cum spiritu: nihil enim procul sine violentia spiritali proici potest. Tum insinuat in vtero, diuque contentum, membrana obducitur: quippe quod antè, quam discernatur, exeat velut ouum in sua membranula contentum, detractò putamine: membrana autè ipsa venis referta est. Omnia verò natatilia, tum pedestria, tum etiam volatilia, siue animalis, siue oui forma proueniunt, simili modo gignuntur, nisi quod alia vmbilicum habeant vuluæ adhærentem, videlicet quæ animalis forma enascuntur, alia ouo, alia vtroque modo, vt in quodam piscium genere: & alia quasi membranis continentur, alia secundis. Primum intra vltimum inuolucrum animal gignitur, mox altera membrana obueolat, plurima quidem sui parte vuluæ adhærens, sed parte etiam seiuncta, & aquam continens. Humor autem inter has cruentus, aquosusque est, quem mulieres proferum vocant.

De alimento animalis in vtero existentis, deque hominis statu in eodem.

Cap. VIII.



Vgetur animalia omnia, quibus est vmbilicus, per ipsum vmbilicum. Hic acetabulis vuluæ adhæret, si sunt: sed si læuis sit vulua, ipsi vuluæ adhæret vena subiecta. Situs in vtero quadrupedum omnium expeditus est: expeditus autem obliquus: vt piscium bipedum verò inflexus contractusque: vt auium. Homo etiam in semet conglobatus sic gestatur, vt natus inter genua, oculos super genua, aures extra genua habeat. Omnibus æquè animalibus caput primum superius est: sed cum creuerint, & iam exitu appetant, deorsum deducitur. Ita fit, vt omnibus partus secundum Naturam in caput, contra Naturam

Situs animalium in vtero.

ram in pedes, aut inflexo, circumactoque corpore agatur. Quadrupedes vel excrementum iam inde habent & alui, & vesicæ, alterum in postremo intestini, alterum in ipsa vesica. Quibus in vulua acetabula sunt, foetu accrescente, acetabula ipsa subinde minuuntur, postremo abolentur omnia. Umbilicus autem velut putamen est circa venas, quarum origo ab utero est, aut acetabulis, si habentur, aut venæ commissa est. Sunt foetui maiori, ut boui, quatuor venæ, minori duæ, minimo una, ut auibus. Pertinent duæ ad foetum per iecur, quæ, portas appellat, ortæ à vena maiori: reliquæ duæ aorta, qua finditur, & duæ de una efficiuntur. Vtrunque venarum par membranulæ ambiunt, & membranulas ipsas ambit velut putamen umbilicis. Collabuntur subinde venæ, & quod foetus amplius creuerit, eo adductius ipsæ contrahuntur. Foetus autem grandescens caua vteri subit, ubi palpitans iam sentitur, & circa genitale parentis interdum voluitur.

De doloribus mulierum in partu, & quæ facile, quæve difficulter pariant.

Cap. IX.



Utmulieres partutiunt, dolores multas quidem in partes incumbunt, sed plurimas ad alterutrum femur. Cæterum quibus aluum tormina vehementer exercent, ocysimè pariunt. Quæ lumbos dolent, vix pariunt: quæ imum ventrem, expeditius. Si mas nascitur, profluit sanies diluta pallidiuscula: sed si femina, cruenta: verum ea quoque præhamida est. Sed fieri quoque potest nonnullis, ut eorum neutrum accidat. Cæteris animalibus partus non laboriosi eueniunt: minus enim, cum parturiunt, infestari videntur. At mulieribus dolores vehementissimi incidunt, & præcipuè stabilibus, & sellulariis, & quibus non bona latera sunt, neque facultas retinendi spiritus superpetit. Difficilius etiã edunt, si interea dum per vim retinent, coactæ eruperint respirationem. Primum aqua illa subter cutem fusa, per foetus motionem, ruptis membranis effluit: deinde foetus in uerfo vterio, & secundis interna euoluentibus, foras venit in lucem.

Otiotas&sellularias mulieres difficilius parere.

De obstetricis cura, & de infantis exitu, de tarditate ossium, & dentium amissione.

Cap. X.



Am verò & obstetricis officium, pars ingenii, perspicacisque intelligentiæ est. Non solum enim difficultati partus opportunè, expediteque succurrèdum est, sed etiam contra ea quæ accidant, protinus agendū ingeniose: & in secando, deligandoque, umbilico infantis, prudentia requiritur, & peritia. Nam si simul secunda quoque exciderint, vellere umbilicus cum secundis alligatur, superiusque præciditur. Quæ autem deligatio est, cohærescit, & pars continua decidit. Si copula, amentumque dissoluatur, foetus sanguine effuso emoritur. Sed si secunda non statim cum foetu exierint, dum intus ipsæ, foris autem infans est, deligato umbilico secantur. Sape visus est puer mortuus nasci, cum ei infirmo prius, quam

deligaretur umbilicus, sanguis in umbilicum, & circa efflueret. Sed iam aliquæ obstetrices factæ peritiores, reprimunt intro de umbilico sanguinem, quo facto statim infans, qui modò exanguis deficiebat, recreatur: vitæque restituitur. Nascuntur, ut dictum est, secundum Naturam cætera etiam animalia versa in caput: sed pueri manus quoque ad costas porrectas, extensasque habent. Qui cum exierint, vocem statim emittunt, & manus in os admovent. Excrementum etiam reddunt, alii statim, alii breui, sed omnes intra diem: quod excrementum pluris, quam pro infantis magnitudine est. Papauerulum hoc mulieres vocant, colore cruentum, atque admodum nigrum, & piceum est, mox lacteum, iam & albidum redditur. Sugit enim confestim vbera infans. Vocem antè, quam egrediatur, nunquam emittit, etiam si cum difficulter egreditur, caput extet, corpus intus sit totum. Quibus purgationes partum anticiparint, difficilius liberantur: sed si à partu purgationes parcius sequantur, nec largius, quam primæ, neque ad quadragesimum diem perseverauerint, efficitur ut mulier validior sit, & celerius possit concipere. Infantes autem primis quadraginta diebus neque rident cum vigilant, neque lacrymantur: sed noctu, & per quietem vtrunque interdum faciunt. Nec verò sentiunt magna ex parte, cum scalpūtur. Plurimam huius temporis partem dormiunt. Cæterum in dies quò subinde auctiores fuerint, eò magis ad vigilandum immutantur. Somnare etiam eos constat, sed serò meminisse possunt imaginū. Cæteris quidem animalibus discrimen ossium nullum est, sed omnia perfecta iam inde à natiuitate proueniunt. At pueris sinciput molle est, seroque duratur: & cum cætera animalia nascantur cum dentibus, pueri septimo mense dentire incipiunt. Primum edunt primores, alii superiores prius, alii inferiores. Denique omnes maturius dentiunt, quorum nutrices lac habent calidius.

De aduentu lactis in muliere, & malo pilari, deque lactis duratione.

Cap. XI.



Post partum, purgationesque, lactis copia excitatur, & nonnullis effluit non solum de papillis, sed etiam passim per vbera, aliquibus etiam per alas, edurantque in potterum globuli, quoties humor non coquatur, nec exeat, sed redundet. Vbera enim tota fungosa ita sunt, ut si in poculo pilum fortè hauserit mulier, dolor moueatur in mammis, quod malum pilare appellant, nec sedatur, donec pilus vel pressus exeat sponte, vel cum lacte exugatur. Seruatur lac donec mulier concipiat, tum desinit, atque extinguitur, tam in homine, quam in quadrupedum viuiparo genere. Quandiu lac emanat, purgationes magna ex parte non fiunt: magna, inquam, ex parte, quoniam iam quibusdam lactantibus facta purgatio est. Sed enim Natura ita fert, ne humor locis pluribus simul erumpere soleat. Nam & marifcas habenti, deteriores accedunt purgationes: & quod in nonnullis accidit, cum delapsus humor à lumbis per anum excernitur, antè, quam vterum subeat, idem euenit. Quibus dum etiam purgationes non fiunt, incidit vomitus, securius exigunt.

Fungositas marum est situtio.

Pueros

Pueros ut plurimum ante septimum diem conuulsione interire.

Cap. XII.

Que puero- rum neruis nocent.



Solent pueri plurimi conuulsione excipi, & præcipuè corpulentiores, & lacte vescentes copiosiore, crassiorèque, & nutricem lactentes succi plenam, & corpulentam. Nocet etiam ad hoc morbi genus vinum,

magisque nigrum, quam album, & quod minus dilutum est. Atque etiam ex cibis, qui inflent, plurimi obsunt: & si alius substiterit, nocuum est. Plurimi ante septimum diem intereunt. Vnde fit, ut nomina septimo die imponantur, tanquam saluam pueri magis credamus. Plenilunio etiam infestantur hoc malo periculosius. Et si à scapulis conuulsio oriatur, in angusto spes est.

ARISTOTELIS STAGIRITAE de Historia Animalium Liber Octauus,

Theodoro Gaza Interprete.

De varietate actionum, & victus omnium animantium. Cap. I.



Affectuum morumque in animalibus varietas.

Eneratio, & reliqua animalium natura ita se habet. Actiones autem, & vitæ, pro moribus, victusque differunt. Sunt enim vel in plurimis ceterorum animalium, vestigia morum animi humani: quanquam hæc apertius in homine discernantur. Inest urbanitas, feritas, clementia, acerbitas, fortitudo, ignauia, metus, fidentia, ira, malitia. Atque etiam prudentiæ imago inest in multis, quemadmodum, cum de partibus docerem, exposui. Alia enim eò quod magis, minusve habeant, comparatione hominis differunt: homoque ipse cum multis aliis animalibus ita dissidet: quippe cum aliqua ex his magis in homine habeantur, aliqua in cæteris animalibus latius: alia verò differant proportionem. Ut enim in homine ars, sapientia, prudentia: sic in nonnullis brutis inest vis quædam eiusmodi altera naturalis. Constat hoc ita esse planè argumento puerilis ætatis, in qua futurorum habitum quasi vestigia & semina videris: & tamen nihil per id tempus animam hominis differre à belluarum anima propè dixerim. Itaque nihil remotum à ratione est, si partim eadè, partim similia, partim ex proportionem in cæteris animalibus habetur. Sed adeò de inanimatis paulatim, sensimque, ad animata Natura transit, ut continuatione ipsa lateat eorum confinium, & medium, vtriusque sit extremi. Iam ab animantium genere primum genus plantarum est, earumque alia ab alia differt, eò quod magis vitæ particeps esse videtur. Vniuersum autem genus respectu corporum ceterorum, quæ anima vacat, ipsum quasi animal est: at respectu animalis, inanime esse videtur. Sed enim digressus hinc ad animalia continuus (ut modò dixi) procedit. Sunt enim maris nonnulla, quæ ambigebat animalne sint, an planta: hærent enim, & detra-

cta complura id genus intereunt. Verbi gratia, pinnæ adherent, vngues euulsi viuere nequeunt: denique genus vniuersum eorum, quæ testa integuntur, plantæ simile respectu gradientium animalium est. Quin & vis sentiendi ita habetur, ut aliqua nullum eius indicium præbeant, alia leuiter, & perobscure sentire videantur. Nonnullorum natura corporis carnosa est, ut eorum, quæ tubera appellantur, aut vrticæ. At verò spongia omnino similis plantis est. Cæterum paruo quodam discrimine subinde alia præ aliis iam adipisci vitam, motumque videntur. Quod idem in muneribus etiam vitæ percipere licet. Plantarum enim nullum aliud munus esse videtur, nisi quoad similem quæque sibi faciant alteram, videlicet quæ semine oriantur. Sic animalium etiam quorundam nihil muneris præter generationem acceperis. Vnde fit, ut eiusmodi actiones sint omnium communes, sed procedete sensu, iam Veneri coitus voluptate vitæ eorum discrepat, atque etiam partus, nutriendæque prolis ratione. Itaque alia simpliciter, perinde ut plântæ, officio procreandi funguntur suis temporibus: alia in eputrienda etiam prole laborant: sed cum perfecerint, desistunt, nec ullam insuper seruant societatem. Alia, quæ prudentiora sunt, & plus memoriæ fortiuntur, ciuilius agunt cum prole. Prima igitur pars vitæ animalium in officio procreandi consistit, altera in alendo. In his enim duobus studium omnium, vitæque versatur. Cibi autem differunt, potissimum ratione materiæ, ex qua ipsa, quæ aluntur, consistunt. Incrementum enim quibusque secundum naturam ex eadem, qua cõsisterint, materia fit. Quod autem secundum naturam est, id suaue contingit: sequunturque omnia eam voluptatem, quæ secundum naturam est. Degunt igitur animalia locis disiuicta: alia namque terrestria, alia aquatilia sunt. Quam differentiam trifariam intelligimus. Aut enim recipiendi aeris, aut aquæ ratione, altera terrestria, altera aquatilia dicimus: aut quod apta natura sunt, seruari temperamento alterutro, quanquam aerem,

Cuilibet animalis, alimentum suæ naturæ simile, suaue esse.

ff

aquãve non recipiant: aut etiam quòd cibum pe-
rant, versenturque vtrouque diutius. Complura
enim cum recipiant aerem, partusque faciant in
terra, cibum tamen à locis madidis petunt, versan-
turque in humore partem maximam temporis: quæ
sola vitam ambiguum agere videntur, quippe quæ
eamdem & velut pedestria, & velut aquatica statui
possint.

De victu aquatiliu animantium.
Cap. II.



Atorum, quæ humorem recipiunt, nul-
lum vel pedestre, vel volatile est, nec ci-
bum sibi ex terra petit: quanquam mul-
ta spirabilis, pedestrisque generis hu-
more gaudent, & ita nonnulla, vt ne viuere quidem
disclusa ab aquæ natura valeant: vt que marinæ tes-
tudines appellatur, & crocodili, & fluuiatiles equi,
& vituli marini, atque etiam ex minori genere tes-
tudines lutariæ, siue mures aquatiles dicti, & ranæ:
hæc enim omnia, nisi aliquandiu spiræt, intereunt,
& parere, educarèq; solèt in sicco. Natura omnium
maximè animalium superflua, peculiarisque delphi-
no, & si quid aliud tale, vel in cetaceo genere, vel
in reliquo aquatili sit, vt balæna, & quæcunque fi-
stulam gerunt: hoc enim genus nec terrefre tan-
tum, neque aquaticum facillè dixerim. Siquidem
terrefre, quod aerem recipit: aquatile, quod aquã,
secundum naturam est: particeps nanque est vtriuf-
que, cum & mare accipiat, reddatque per fistulam,
& aerem per pulmonem: habent enim hoc mem-
brum, & spirant. Quam ob rem delphinus retibus
apprehensus, breui tempore strangulatur, vt qui spi-
randi facultatem amiserit: foris verò diutius viue-
re potest mutiens, & anhelans modo cæterorū spi-
rantium: quinetiam dormiens rostrum exerit supra
mare, vt spiret. Sed in vtraque diuisionis tam con-
trariorum parte collocari hoc genus absurdum est.
Quam ob rem aquatile genus amplius distinguen-
dum videtur, vt alia accipiant, reddantque aquam,
eã causã, qua spirantia aerem, quo refrigerentur: alia
propter cibum. Cum enim in humore cibum acci-
piunt, fieri non potest, quin simul aliquid humoris
admittatur: quod admissum, quo emittant, instru-
mentum habeant necesse est. Quæ igitur propor-
tione spirationis humore vtuntur, brachias habet:
quibus autem per cibum humor illabatur, iis fistula
in sanguineo genere data est. Mollibus etiã, & cru-
staceis hoc idem adhibitum est: nam ea quoque hu-
morem propter cibum accipere coguntur. Sed al-
tero illo modo aquatilia sunt, temperationem cor-
poris dico, & victum, vt quæ accipiant quidem ae-
rem, sed in humore atatem degant: aut quæ acci-
piant quidem humorem, & branchias habeant, sed
terram petant, vnde cibum accipiant: quale vnum
adhuc tantummodo nouimus, cordulum nomine:
hic enim non pulmonè, sed branchias habet, egres-
susque cibum petit in terra: & quadrupes idem est,
vt ad ambulandum idoneus. Horum autem omniũ
natura quasi peruersa videtur, sicut marium nonnul-
lorum natura fœminam refert, fœminarum marè.
Exiguus enim quibusdam partibus suis naaura ani-
malium immutata, plurimum toto in corpore dif-
ferre videtur: quod latissimè in excisis patet. Parti-

10
20
30
40
50
60

cula enim quadam oblata, totum animal in fœmi-
nam vertitur. Quapropter in prima etiã ortus con-
stitutione minimæ magnitudinis quoquam immu-
tato, dummodo sit principale, efficitur vt alterum
mas, alterum fœmina reddatur: atque si omnino tol-
latur, neutrum prodeat. Itaque terrefre etiam &
aquatile esse modo vtroque prædicto, parte anima-
lis exigua immutata, potest, vt alia terreftria, alia
aquatilia procreentur: & alia vitam simplicè agant,
alia ambiguum, propterea quòd generatione suæ
constitutionis materia tali participarint, qualè sibi
in cibo assumunt. Charum enim cuiq; suauèq; est,
quod per naturã habetur, vt superius diximus. Sed
cum animalia trifariã in aquatile, & terrefre di-
uidantur: aut enim recipiendi aeris, aquæve neces-
situdine, aut corporis temperatione, aut tertio victus
ratione: vitæ prorsus discrimen pro his diuisionum
membris consequetur. Alia enim temperandi cor-
poris gratia, & victus ratione, atq; etiam recipiendi
aeris, aut aquæ necessitate ita degent: alia tempera-
menti, victusque causa tantum. Igitur eorum, quæ
testa operiuntur, nonnulla immota aluntur humore
dulci, & potulento, qui per spissa transmittitur,
cum tenuior ipse mari cõcocto eliciatur, quemad-
modum & primo Naturæ ortu instituuntur. Dulcè
autem contineri humorem in mari, atque ita trans-
mitti, & percolari cõstat eo experimento, quo si ex
cera vas tenui latere finxeris, idque annexa lineã in
mare demittas inane die, ac nocte vna, humoris co-
piam dulcis intra se colliget. Vrticæ pisciculis fortè
incidentibus vescuntur. Os in medio habent, quod
in maioribus euidentius est. Meatũ etiam vt ostreæ,
quo excrementum secedat, habent parte superiore.
Vrtica enim ipsa quasi ostreorum caro esse videtur
inclusa saxo, perinde vt testa. Patellæ etiã secedunt
absoluentes sese, vt vescantur. Quæ autem mobilia,
eademq; carne vescuntur sunt, iis victus ex piscicu-
lis est, vt purpuris: sunt enim carniuoræ, & quidem
esca huiusmodi capiuntur, quãquam iis etiam, quæ
mari pullulant, alliciuntur. Testudines marinæ con-
chulas petunt, habent enim os omnium robustissi-
mum: quicquid nanq; in os ceperint, siue lapidem,
siue quoduis aliud, perfringunt, ac deuorant. Exeunt
etiam in terram, & pascunt herbam. Laborant ple-
runque, & intereunt, quoties innatantes siccantur
Sole: deferri enim in gurgitem facillè nequeunt. Hic
idem vescendi modus crustaceis est: nam ea quoq;
omniuora sunt, quippe quæ & lapillos, & limum, &
algam deuorent, atq; etiam sterces, vt cancri saxatiles:
Carnes etiam nimirum appetunt. Locustæ vel
piscis maidres conuincere possunt. Euenit vsu, vt
locustis polypi superiores sint, & adeo, vt si eisdem
in retibus senserit locusta polypum, præ metu emo-
riatur. Congros locustæ conuicunt: nam elabi non
queunt propter crustæ asperitatem. Cõgri polypos
superant, sed edere nõ possunt: læue enim & lapsum
polypi corpus vsu hostis effugit. Mollia verò car-
niuora omnia sunt, Pascuntur locustæ venatu pisci-
culorum circa sua cubilia, quæ in alto locis asperis,
saxosis, cauernosisque faciunt. Quicquid ceperint,
ori admovent suo forcipe, vt cancri. Incedit locu-
sta sua natura antè, cum nihil metuit, demissis in la-
tera cornibus: at vbi metuit, fugit retro, longèq; sua
cornua porrigit. Dimicant inter se more arietũ cor-
nibus

Testa testu-
rum victu
ratio.

Dulcem hu-
morem in ma-
ri contineri.

Crustacea
quibus ves-
cantur.

Quo genere
victus vtan-
tur mollia.

Scarus pi-
scium solus
ruminat.

Anguillæ
quam victus
rationem &
curam exi-
gant.

nibus, quæ extollentes, vibrantesque feriunt aduer-
sarium: sed vniuersæ etiam plerunque tanquam gre-
gis collegium visuntur. Talis vidèdi modus eorum
est, quæ crusta operiuntur. In mollium genere lollig-
ines, atque sepiæ, pisces vel maiores euincunt. Po-
lypi conchulis maximè extringentes caruculas ves-
cuntur. Vnde fit, vt eorum cubilia cognoscant qui
venantur, cõgerie testarum. Quod autem nonnulli
aiunt, polypum se ipsum esse, falsum est, sed aliqui
sua brachia corrosa habet à congris. Pisces omnes
fœturam suo tempore deuorant. Reliqua victus ra-
tio non eadem omnibus est. Alii enim carniuori
tatum sunt, vt cartilaginei, vt congri, hiatule, thun-
ni, murænæ, lupi, dentices, amia, cernuæ. Mulli ve-
rò & carne vescuntur, & alga, & concha, & cœno:
capitones cœno, dasquilli cœno, & stercore: scarus,
& oculata, alga: salpa stercore & alga: porrum etiam
petit, & cucurbita capitur, quod ei ex omnibus vni-
euenit. Alter etiam alterũ sui generis edit, excepto
mugile, sed maximè congri. Capito, & mugilis soli
carne omnino abstinent. Cuius rei argumētum est,
quòd neque in ventre tale quid vnquam habentes
capiunt, neq; esca in eos ex carne vtuntur, sed offa
panis. Vescitur mugilis vnusquisq; alga, atq; arena.
Capito, quem aliqui labeonè vocant, litoribus gau-
det. Alter generis eiusdem trãslitoranus est, qui nõ
nisi mucore vescitur suo, quam ob rem semper ipse
ieiunus est. Pascuntur limo omnes capitones: quo
fit, vt graues, & sordidi sint. Piscè ipsi nullũ omni-
no edunt: & quoniam versari in limo solent, efferunt
se, vrinanturq; sepe, vt corporis sordes abluat. Oua,
fœtusq; eorũ à nulla bellua violantur, quapropter
copiose existunt: sed cum adoleuerint, tunc à cæte-
ris piscibus corripuntur, maximèq; ab archano. Gu-
losus omnium maximè mugilis est, atq; insatiabilis
quocirca vêtre distèto grauescit, & nisi ieiunus sit,
hæret iners. Cum hic metuerit, caput abscondit,
quasi corpus totum occultet. Dentex etiam (vt di-
ctum est) carne vescitur, & mollia appetit. Euenit
plerunq; & huic, & hiatula, vt cum pisces minores
insequantur, vter prociat, propterea quòd pisciũ
venter iuxta os positus est, nec gula subest. Alia igitur
(vt dixi carniuora tatum sunt, vt delphinus, den-
tex, aurata, vt cartilaginea, vt mollia: alia magna ex
parte luto viuunt, & alga, & musco, & eo, quod cau-
lium vocant, & enascente materiæ: vt phuca, gobio,
omnes saxatiles. Phuca quanquam cætera abstinet
carne, tamen squillas sepe numero appetunt. Sed al-
ter etiam inuadit (vt dictum est) alterũ, maiorumq;
minores sunt præda. Argumētum, vt carne vescan-
tur, est, quòd esca huiusmodi capiuntur. Amia,
thunnus, & lupus magna ex parte carne aluntur, sed
algam etiam tangunt. Sargus nulli reliquias sequi-
tur: nã vbi ille luto excitato abiit, (fodere enim po-
test) hic descendit, & pascitur, imbecillioresque ne
eodem adnatent, arcet. Scarus vnus inter pisces ru-
minare quadrupedũ ritu videtur. Cæteris piscibus
captura minorũ à fronte agitur ore, vt solèt meare:
at cartilaginei, & delphini, & omnes ceracei generis
resupinati corripunt: habent enim os subter: vn-
de fit, vt periculum minores facilius possint eua-
dere, alioqui pauci admodum seruarentur: quippe
cum delphini celeritas, atque edendi facultas, mira
esse videatur. Anguillæ pauca quædam, certisq; lo-

cis vescuntur limo, atq; edulis, si quis apponat: sed
plurimè dulci humore viuunt. Idq; qui viuariis an-
guillariis dant operã, seruant, vt quàm maximè pu-
ra, sinceraque sit aqua, affluens semper, & effluens
per ripas, vbi viuaria extruunt. Nã nisi aqua sit cla-
ra, breui strangulatæ intereunt: branchias enim ha-
bent exiguas. Hinc turbare aquã soliti sunt, qui eas
piscantur. Et quidem in Strymone amne circa Ver-
gilia capiuntur: tunc enim aqua, & lutum aduersis
flatibus inturbatur: alioqui satius est quiescere. An-
guille non superfluitant mortuæ, nec sursum, vt cæ-
teri pisces, maxima parte efferuntur: sunt enim ven-
tre exiguo. Pingue in paucis inest: plurimæ eo ca-
rent. Viuere exemptæ aquis, vel ad diem quintum,
sextumque possunt: & Aquilone plures diutius du-
rant, Austro minus. Et si æstate de lacu in piscinam
transferuntur, viuere nequeunt. sed si hyeme, facillè
sedis mutationem patiuntur. Nullam denique ve-
hementem mutationem tolerant: & quidem æstate,
etiam si in frigidam aquã transfers, omnes plerun-
que intereunt. Quin & si exigua in aqua stabulètur,
pereunt. Quod idè & cæteris piscibus euenit: fran-
gulantur enim: si semper eadem in aqua exigua ver-
santur: quomodo spirantia animalia intereunt, si in
aere exiguo claudantur. Vita anguillis nonnullis vel
ad septem, octoque annos protrahitur. Victus flu-
uialibus etiam tum ex mutua sui generis præda, tũ
ex herba, radice, & si quid in cœno comperiant.
Nocte potius pascere, interdum secedere in altum
soliti sunt. Talis piscium victus est.

*De victu auium, & quæ carniuoræ, quæ fru-
giuoræ, quæve omniuoræ sunt: quæ item
cibum e terra, quæ ex aquis petant.*
Cap. III.



Maium genere, quibus vngues adun-
ci, omnes carniuoræ sunt. Fruges autem
ipsæ, etiam si in os indideris, nequeunt
deuorare: vt genera aquilarum omnia,
milui, accipitres ambo, id est, palumbarius, & frin-
gillarius, qui multum inter se magnitudine diffe-
runt: atq; etiam buteo, qui miluo æquiparatur ma-
gnitudine, semperq; ipse cernitur: adhæc ofsifraga,
& vultur. Est ofsifragæ magnitudo maior, quàm
aquilæ, color ex cinere albicans. Vulturum duo ge-
nera sunt, alterum paruum, & albicantius: alterum
maius, ac multiformius. Nocturnarum etiam non-
nullæ aduncis vnguibus sunt, vt cicuma, noctua, bu-
bo. Specie similis noctuæ bubo est, sed magnitudi-
ne non minor, quàm aquila. Item aluco, vlula, asio.
Aluco maior gallinaceo est, vlula compar. Picas
vtriq; venantur. Asio minor, quàm noctua est. Hæc
tria simili specie cõstant, & carne viuunt. Sunt etiã
in genere non adunco, quæ carne vescantur: vt hi-
rundo. Aliqua vermiculos petunt, vt fringilla, pas-
ser, rubetra, luteola, parus, cuius genera tria sunt:
fringillago, quæ maior est, quippe quæ fringillam
æquet. Alter monticola cognomine est, quoniam
in montibus degat, cui cauda longior. Tertius ma-
gnitudine sui exigui corporis discrepat, quanquam
cætera similis est. Item ficedula, atricapilla, rubicil-
la, rubecula, siluia, curuca, asilus, tyrannus, cui cor-
pus non multo amplius, quàm locustæ, crista rutila
ex pluma elatiuscula, & cætera elegans, cantuque

Vulturum
duo genera.

Pari tres spe-
cies.

μυλαγνί-
ος, id est,
atricapilla,
quam eandè
putant cum
ficedula.

suavis hæc auicula est. Adhæc florus, cui magnitudo quanta fringillæ: & montifringilla, quæ fringillæ similis, & magnitudine proxima est, sed collo cæruleo, & in montibus degit, vnde nomen accepit: tum etiam regulus, & frugilega. Hæc, & reliqua id genus, vermiculis partim ex toto, partim magna ex parte aluntur. Spinam appetunt illa, spinus, siue ligurinus, carduelus, item quæ auriuittis appellatur: hæc enim omnia viſitant in spinis. Vermem autem, & quoduis aliud animal aspernatur. Dormiunt hæc, & pascuntur eodē in loco. Alia culicibus gaudent, nec alio magis, quàm venatu culicum viuunt, vt pipo, tum maior, tum minor. Vtrunque picum martium vocant. Similes inter se sunt, vocemque similem emittunt: sed maiorem, qui maior est. Pascuntur ad maceriem aduolates. Item galgulus, cui magnitudo quanta turturi ferè est, color luteus. Lignipeta hic admodum est, magnaque ex parte macerie pascitur, vocem emittit magnam. Incola maximè Peloponnesi auis hæc est. Tum verò enumerandus inter hæc est culicilega dictus, magnitudine parua, quata spinus, colore cinereus, distinctus maculis, voce parua, qui & ipse lignipeta est. Alia frugibus viuunt, vt palumbes, columbus, vinago turtur. Visuntur semper columbi, atque palumbes, sed turtur æstate tantum: hyeme se condit: latitat enim suo tēpore. Vinago autūno potissimū & conspicitur, & capitur, cui magnitudo maior columbo, minor, quàm palumbi, est. Modus maximè capiendi eam, dum se in aquam bibendo propendit. Veniunt ad nostra loca, cum iam fecerint prolem. Cætera verò omnia, quæ æstate accedunt, nidulantur apud nos, & carne magna ex parte suos enutriunt pullos, excepto columbaceo genere. Omnium ferè auium aliæ victum à terra petunt, aliæ à fluuio, aliæ à lacu, aliæ à mari: sed palmipedes in ipsa aqua partem maximam temporis versantur, & aliquæ ingurgitantes se, quærunt quod comedant. Fidipedes circa aquam: earumque nonnullæ terra contentis altilibus vescuntur, quæ scilicet carnem non tangunt. Petit lacus, & fluuios ardeola, & albardeola, quæ magnitudine minor est, rostro lato, porrectoque. Item ciconia, & gavia, cui color cinereus. Adhæc, iunco, cinchilus, albicula, tringa, quæ inter minora hæc maiuscula est: turdo enim æquiparatur. Omnibus his cauda motitat: quinetiam calidris, cui cinereus color distinctus variè. Præterea genus alcedonum aquas adamat, quod duplex est: alterum vocale, arundinibus insidēs: alterum mutum, quod ampliore corpore est: vtrique dorsum cæruleum. Trochilus etiam hoc loco ponendus est. Sed apud mare alcedo quoque versatur, & carulus: necnon cornices litora petunt, & quæ vnda eiecerit animalia, tangunt: nam & his natura omniuora est. Tum etiam gavia alba, & fulica, mergus, & rupex, viſitant apud mare. Palmipedum grauiores circa lacus, & amnes versantur: vt anas, olor, phalaris, vrinatrix. Adhæc bosca similis anati, sed minor: & qui coruus appellatus est, cui magnitudo, quanta ciconiæ, sed crura breuiora: palmipes, natansque est, colore niger: insidet arboribus, & nidulatur in iis, hic vnus ex hoc genere. Item anser maior, anser minor, qui gregatilis est, vulpanfer, capella, penelops, aquila dicta marina, & mare adit, & lacum. Multæ etiam

herbis vescuntur. Alites vnæ tum cætera, quæ superare possunt, animalia, tum aues aggrediuntur, sed non sui generis: carniuoræ sunt, modo piscium, qui plerunque sibi cognatos rapiunt. Genus auium cum omne potu exiguo contentum sit, tum aduicis nullus omnino vnus bibendi est, præterquam paucissimis quibusdam, quæ & ipsæ rarò vtuntur: qualis potissimū tinunculus est. Miluus etiam vnus est bibere, quanquam rarò.

De victu serpentum, cæterorumque animalium cortice inteſtorum.

Cap. IIII.



Genus animalium cortice inteſtum, vt lacerti, & reliquæ huiuscemodi quadrupes, atque etiam serpentes, omnium est: nam & carnem edunt, & herbã. Serpentes omnium maximè animalium vel cupiditæ dediti sunt: sed deliderium iis quoque bibendi exiguum, & reliquis, quibus pulmo fungosus est, qualem omnia habent, quæ oua pariunt, & quibus parum sanguinis est. Serpentes vini incontinentes etiam sunt: pròinde viperas aliqui vino cum fictilibus ad sepes disposito venantur: ebrizæ enim capiuntur. Sed cum serpentes carniuoræ sint, quicquid ceperint, succo exucto, reliquum totum per meatum sui successus emittunt. Quod idem omnia ferè id genus animalia faciunt, vt aranei: sed his foris surgendo euaporare mos est, serpentibus intus in ventre. Accipit serpens vndelibet quod datur, siue auis, siue bellua est. Oua etiam deuorat, sed cum acceperit, reducit, & vsque eò retractat, quoad partem natum postremam è directo constituat, tum colligit se, in breuèque contrahit, vt quod inditum supra tenetur, in vnum extēto corpore deducatur. Quod propterea ita facit, quia gulam tenuem habet, & longam. Diu & serpentes, & phalangia viuere possunt sine cibo: quod ex iis, quæ pharmacopolæ, id est, pigmentarii alunt, perpendi potest.

De victu lupi, vrsi, leonis, eorumque quadrupedum, quæ ex lacubus, fluuiisque victum petunt.

Cap. V.



Vadrupedum, quæ animal generant, syluestres, eadēmq; ferratæ dentibus, carne omnes vescuntur: nisi quod lupos aiunt terram quandam, cum esuriunt, edere. Hoc igitur peculiare luporum sit. Herbas autem non alio tempore tangunt, nisi cum morbo laborant: quomodo & canes herba ingesta, euomunt, atque ita purgantur. Lupi hominem illi potiùs petunt, qui inertes, & vnipetæ quidem sunt, quàm qui venatores. Quam autem alii glanum, alii hyænam appellant, corpore non minore, quàm lupus, est: iuba qua equus, sed seta duriore, longiorèque, & per totum dorsum porrecta. Molitur hæc insidias homini. Canes etiam (vomitionem hominis imitando) capit, & sepulcra effodit, humanæ auida carnis, ac eruit. Vrsus animal omniuorum est, quippe qui & fructus arborum, quas conscendit corpore lubrico, edat, & legumina, & apes, perfringens alueos, & cancos, & formicas. Carne etiam vescitur: viribus enim suis confidens, inuadit non solum ceruos, sed etiam sues feros, si clam, repentèq; potuerit agere.

Cibus vrsi.

Qua arte vnus taurum proſternat.

Inediz patiens leo.

Taurum aperto Marte aggreditur: conferta iam pugna, sternit se resupinum, dumq; taurus ferire conatur, ipse suis brachiis amplectitur cornua, ore morsum armis defigit, proſternitq; aduersarium. Ingressi vel duobus innitens pedibus erectus aliquandiu potest. Carnes omnes præmaceras, & propemodum putres, comedit. Leo vescitur quidem carne, ritu cæterorum syluestrium ferratorum, sed cibo incontinenter admodum vitur, multaq; deuorat solida, sine vllo disſectu. Mox nihil triduo, aut certè biduo edit: ferre enim inediam potest, vt qui iam ad multam satietatem repletus est. Parum cibit, excrementum rarò emittit, tertio die, vel vtrunque accidit, egerit, idq; durum, aridum, & simile vt canis. Flatum etiam alui acerrimum emittit, & vrinã grauius olentem: vnde fit, vt canes arbores odorentur. Mingit enim crure elato, vt canes, ad stipites. Foedum quoq; odorem in cibo relinquit ex suo habitu: proſcisso nanq; leone, interiora grauius olent. Sunt inter quadrupes, feræq; quæ victum ex lacu & fluuiis petant. At verò à mari nullum, præterquam vitulus marinus. Sunt etiam in hoc genere fiber, faterium, satyrium, lutris, latex, quæ latior lutre est, dentèque habet robustos, quippe quæ noctu plerunque egrediens, virgulta proxima suis dentibus, vt ferro, præcidat. Lutris etiam hominem mordet, nec desistit, (vt ferunt) nisi fracti ossis crepitum senserit. Lataci pilus durus, specie inter pilum vituli marini, & cerui.

Quæ animalia lambendo, quæ sorbendo, quæ mordendo bibant: quibusque rebus cornigera omnia pascantur, necnon de victu suis.

Cap. VI.



libunt, quibus dentes ferrati, animalia lambendo: atq; etiam nonnulla ex non ferratis, vt mures. Quibus autem contui, sorbendo: vt equi, & boues: vrsus neque sorbendo, neq; lambendo, sed morsu: auium cæteræ, sorptu. Sed quibus collum est longum, intermittunt, caputq; resupinant. Porphyrio vnus, morsu. Cornigera animalia, tam fera, quàm vrbana, & quibus dentes ferrati non sunt, omnia fruge, herbæque vescuntur, nisi vehementer esuriant, siue excepto, qui minimè herbæ, frugumve appetens est, sed radicum maximè ex omnibus animalibus, quoniã ritu aptissimo ad id negotii est. Facillimè etiam omnium idem hoc animal ad quoduis pabulum assuescit, & celerrimè quoq; in pinguedinem proficit pro sui corporis magnitudine: Sexaginta enim diebus pinguescit. Quantum autem profecerit, si cognoscunt, quibus ea res curæ est, vbi ieiunium ad faginam constituerint. Pinguescit fame præfatigatus triduo. Et cætera quoq; omnia ferè meliùs præfatigata fame pinguescunt. Saginant à triduo iam qui sues obesant. Thraces per faginam, cum primo die potum præbuerint, post interposito vno die præbent, tum duobus, deinde triduo, atque ita subinde augendo numerum vsq; in septimum, curant. Pinguescit hoc animal hordeo, milio, ficu, glande, pyro, cucumere. Sed maximè tum hoc, tum cætera, quibus venter calidus est, quiete, immotioneq; pin-

Celerrimè suem pinguescere.

guescunt. Cæterum sues pinguiorè redduntur, etiã cum in luto se volutant. Pascere gregatim pro ætate velle videntur. Lupo etiam suis obſistere, repugnareque potest. Sexta pars ponderis quantū poterit viuus, absumitur occiso, in pilos, sanguinè, & reliqua id genus. Tã sues, quàm cætera animalia omnia solent, cum lactantur, extenuari. Hæc ita se habent.

Quibus rebus pascantur boues, & de eorum incremento.

Cap. VII.



Oues & fruge, & herba vescuntur. Pinguescunt iis, quæ flatum cient, vt eruo, & faba fresca, atq; etiam ipsa fabarum herba. Et seniores, si cute incisa spiritum adigas, deinde præbeas pabulum, pingues facies. Adhæc hordeo vel integro, vel pinſito, & à gluma separato pinguescunt, & dulcibus, vt ficu, & passa: vino etiã, & frondibus vlmis: sed præcipuè Sole, & lotione calidæ aquæ. Cornua iuniorum tepesacta in cera ſectuntur, ducunturq; facillè, quo volueris. Nec pedum dolores sentiunt, si eorum cornua illinantur cera, aut oleo, aut pice. Laborant armenta vehementiùs pruina sollicitata, quàm niue. Augentur iuuentæ amplius, cum plus temporis expertes Veneris degunt. Quam ob rem terræ Epiri incolæ, quas pyrrhicas vocant, annis nouem intactas Venere seruant, vt incrementum ampliter capiant, & feturas iuuentæ senuncupant. Has numero quadringentas esse, & pro-prias regis accipimus, nec posse viuere locis aliis, quanquam tentatum ab aliquibus est.

De pastu, & potu equi, muli, & asini.

Cap. VIII.



Qui, muli, & asini, fruge, herbæque vescuntur, sed maximè potu pinguescunt. Iumenta enim pro aqua, quam bibant, vsu, suo fruuntur pabulo: & quod minus potum aspernatur, id appetentius pabuli est, & plenius obesatur. Farrago pilum ex polit, cum frugibus grauida est: sed duris iam horrens arſtis inuutilis est. Herbæ medicæ prima falx vitio datur, & cum foetida aqua rigatur, incommoda est. Boues claram bibere gestiunt. At equi, vt cameli, turbulenti, & crassam suauis bibunt: quippe quæ ne ex fluuio quidem prius hauriant, quàm pede inturbent. Possunt vel ad quatuor dies tolerare sine potu, mox bibunt quàm multum.

De pastu, & portione elephantis, de quæ ætate eiusdem, & cameli.

Cap. IX.



Elephantus eodem pastu modios Macedonicos nouè, quod plurimum edere potest. Sed tantum dare periculosum est. Sex aut septem dedisse modios, in vsu frequenti satis est. Sed farinæ non plus, quàm quinque, vini etiam quinque mares, quæ mensura heminas continet sex. Iam quidam amphoras aquæ mensuræ Macedonicæ quatuordecim eodē haurit potu, & rursus à meridie eiusdem diei octo. Viuit

magna pars camelorum annos triginta , sed multò plures nonnullæ : nam vel ad centesimum annum facultatem viuendi protrahunt. Elephantem alii annos ducentos viuere aiunt, alii trecentos.

Quibus herbis oues, & capræ vescantur, & de causa impinguationis earundem.

Cap. X.



Ves & capræ herba vescuntur. Pascere oues sedula, atq; stabiles solent. Capræ loca crebrò permutant, summaque tantùm contingunt. Pinguescit potissimum ouis ex potu: quam ob rem æstate salem dare die quinto soliti sunt, singulis ceteris singulos modios. Sic enim pecus incolume, atq; pinguius redditur. Frequens igitur salis vsus eò pertinet, quando & paleis copia salis admiscetur, ut sitibunda plus aquæ hauriant: & autumnò cucurbitam sale contactam afferunt: quod lac etiã auget. Et agitatz quoq; meridie, plus postmeridianis bibunt. Fœtis distenta vbera pendent, quibus salis abunde est. Opimat pecus olea, oleaster, aphaca, palea, herba, quæ omnia efficaciora sunt ex salugine respersa. Pinguescunt & hæc plenius præfatigata inedia triduo. Aqua ouibus autumnò commodior Aquilonia, quam Austrina est: & pasca ad Solis occasum spectantia profunt. Itinera, & labores extenuant. Iudicant pastores ouem validiorem, cum hybernis temporibus pruinam, quam susceperit, seruat. Nam quibus virium minus, parum præ sua imbecillitate constantes, discutiant suo motu quantum susceperint. Caro cuiusque quadrupedis deterior est, cum locis palustribus, quam editioribus, nascit. Sunt porrò frigoribus patientiores, quibus cauda amplior, quam quibus porrectior, & glabræ exutiores, quam vestitiore. Crispe etiã alioris impatientes sunt. Valent meliùs oues, quam capræ: sed robustiores capræ, quam oues, sunt. Ouium, quas lupo occiderit, pelles, ac vellera, & facta ex his vestis, longè, quam cætera, aptiora sunt ad pediculos procreandos.

De pastione, & potu insectorum.

Cap. XI.



Nsecta animalia, quibus dentes, omniora sunt: quibus autem lingua, tantum humore vndique liquando sua lingua vescuntur: quorum alia omniora. Sunt, quibus guttus omnium saporum est, ut muscæ: alia languuora, ut tabani, & alii: alia succis plantarum, & fructuum viuunt. Apis vna nullis putidis assidet, nec vitur alio cibo, quam dulci. Aquam etiam libentissimè inde hauriunt, quam synceri, clarissimi que fontes scaturiunt. Talis animalium victus est.

De actionibus animalium, & rebu, in quibus eadem versantur.

Cap. XII.



Actio autem, & omne eorum negotium in coitu, procreatione, atque victus solertia versatur: necnò ad frigora, æstus, mutationes denique temporum pertinet. Inest enim omnibus sensus natiuus mutationis factæ, frigore, aut calore. Itaq; ut homines alii domicilia heme repetunt, alii qui amplioris prouinciaz principes sunt, sedem pro tempore mutant, vt moram ætate locis frigidis, heme tepidis trahat:

sic bruta, quæ loca possunt permutare, faciunt. Atq; alia subsidium in ipsis consuetis sibi locis comperiunt, alia peregrè proficiscuntur. Iam ab autumnali æquinoctio ex Ponto, locisque frigidis fugiunt hyemem futuram. A verno autem ex tepida regione, ad frigidam sese conferunt, æstus metu futuri: & alia de locis vicinis discedunt, alia de vltimis, propè dixerim, vt grues faciunt, quæ ex Scythicis campis ad paludes Aegypto superiores, vnde Nilus profluit, veniunt, quo in loco pugnare cum Pygmæis dicuntur. Non enim id fabula est, sed certè genus tum hominum, tum etiam equorum pusillum (vt dicitur) est, deguntque in cauernis, vnde nomè Troglodytæ à subeundis cauernis accepere. Plateæ etiam migrant, & de Strymone amne ad Istrum aduolant, prolémque ibi faciunt. Abeunt vniuersæ, ac priores expectant posteriores, propterea quòd vbi montem superarint, videri priores à posterioribus nequeant. Quinetiam pisces modo eodem, alii ex Ponto, aut in Pontum tranant, alii per hyemem ex alto in litora teporis gratia veniunt: contra æstate ex litore in altum vitantes æstum discedunt. Aues quoque imbecilliores hyberno, & gelido tempore discedunt in campos, vt tepore potiantur: æstiuo autem repetunt montes, vt æstu careant. Semper quæ imbecilliora sunt, priùs vtrius ratione discedunt. Iam scombri antè, quam thunni, coturnices antè, quam grues: altera enim Augusto, altera Septembri mense incipiunt. Sunt profectò omnia pinguiora, quæ de locis discedunt frigidis, quam quæ de calidis: vt coturnices autumnò, quam vere sunt pinguiore. Fit enim vt simul de locis frigidis, & tempore calido discedatur. Sunt etiam Veneris appetentiora verno tempore, cumque ex tepido discesserunt. Sed auium, grues, vt dictum est, ex vltimis in vltima abeunt. Volant flatu sequendo. Quod de lapide narrant, falsum est. Lapidem enim eas tenere fulcimento, quem, vbi deciderit, accipi vtilem ad auri probationem aiunt. Palumbes etiam discedunt, & liuiaz, nec hybernare apud nos patiuntur: atque etiam turtures, & hirundines: sed columbæ manent. Coturnices quoque discedunt, nisi pauca locis apricis remanserint: quod & turtures faciunt. Volant gregatim, tum palumbes, tum turtures, cum accedunt, & cum suo tempore abeunt. Coturnices cum ceciderint, si serenum sit, aut Aquilonium tempus, sociantur, & prosperè degunt: sed si Austrinum, molestè, propterea quòd parum volant: humidus enim, grauisque Auster est. Quam ob re qui aucupantur, Austrum, non Aquilonem obseruant. Omnino ægrè propter sui corporis pondus volant. Sunt enim corpore grandiore, quam suis pennis deferri possint, vociferantesque ob eam rem volant: laborant enim quasi oppressæ onere. Cum hæc adeunt loca, sine ducibus pergunt: at cum hinc abeunt, ducibus lingulaca, oto, & matrice proficiscuntur, atq; etiam cynchramo, à quo etiam reuocantur noctu, cuius vocem cum senserint aucupes, intelligunt parari discessum. Matrix forma pèrinde, ac aues lacustres est: atque etiam lingulaca, quæ quæ linguam exeret prælongam, vnde ei nomen. Otus noctuæ similis est, pinnulis circiter aures eminentibus præditus, vnde nomen accipit, quali auritum dicas. Nonnulli vlulam eum appellat,

Quæ de Pygmæis feruntur, non fabulam.

Piscesque mutantur.

Pinguetia causa fit.

καταφορηθισουσι, ambiguous scilicet, an litorales an pelagii.

Coturnicibus ducet.

ἐξο γὰρ ποταμίου νεοδηφίνο, δειψίνο, δειψίνο, δειψίνο, δειψίνο. Plinius sic: Sed in Pontum nulla intrat bestia piscibus malefica, præter vitulos, et paruos delphinos.

pellant, alii alionem. Blatero hic est, & hallucinator, & planipes: saltantes enim imitantur. Capitur intentus in altero aucupe, altero circumueunte, vt noctua. Omnes denique aues vnæ, breui sunt collo, & lingua lata, aptæque ad imitandum. Nam & Indica auis, cui nomen psittacæ, quam loqui aiunt, talis est, & loquacior cum biberit vinum redditur. Gregales ex auibus sunt, grus, olor, platea, anser minor.

Aues gregales quæ.

De actionibus piscium, quorundamque terrestrium, in fugiendis aduersis.

Cap. XIII.



Piscium alii, vt dictum est, discedunt ab alto ad litus, & contra de litore in altum, fugientes exuperantias caloris, & frigoris. Sed præstant pelagicis litorales: quippe qui cibo copiosiore, melioreque potiantur. Qua enim Soli ingruit, plura exeunt, vt fit in hortis: nam & lituus niger propius terram oritur, alter similis erraticis est. Tum etiam bene ex calido, frigidoque temperata sunt loca maris terrena. Quo fit, vt & caro eorum piscium magis constet, cum pelagiorum humida, mollis, solutaque sit. Litorales sunt dentex, scarabeus, cernua, aurata, mugilis, mulus, turdus, draco, pulcher, gobio, atque omne saxatile genus. Pelagii sunt pastinaca, genulque omne cartilagineum, & congrorum albicanium genus, & hiatula, rubelio, glaucus: Pagri autem, scorpiones, congru nigrantes, muræna, cuculi, ambiunt. Sed discrimen horum, diuersitate etiam locorum, ac temporum existere potest: vt apud Cretam insulam gobiones, omnèque saxatile genus satis pinguescit. Thunus etiam post Arcturum melior est: iam enim eo tempore ab infestantis asili agitatione requiescit, quæ facit, vt fit in æstate deterior. Quinetiam maritimis lacubus genera plura piscium marinarum gigni aptum est, vt salpam, auratam, mulum, alios ferè plurimos. Amias etiam in Alopeconneso reperies: & in Bistonide lacu plurima genera habentur. Monedula magna ex parte non subeunt Pontum, sed in Propontide trahunt æstatem, & pariunt: hyemem in Aegæo. Sed thunni, limariæ, amiaz subeunt Pontum vere, æstatemque ibi traducunt: & reliqui ferè plurimi fusanei, & gregatilis generis eodem transeunt. Est sanè plurima piscium pars gregatilis, nec vlus grex caret duce. Petunt autem Pontum passus gratia, qui vberior, & commodior ibi, propter aquarum dulcium admisionem, suppeditatur. Belluæ quoque magnæ pauciores ibidem sunt: nã excepto delphino, & phocæna, quam tursionem interpretor, nihil in Ponto maleficum est. Nec delphinus hic magnus est, quanquam extrà vbi aliquantum processeris, magni habeatur. Tum itaq; victus, tum etiam partus gratia Pontum subeunt. Sunt enim ibi loca ad partionem aptiora, & humor dulcior, ac putulentior factum meliùs educat. Sed cum pepererint, & proles iam adoleuerit, exeunt post Vergilias statim: & si hys Austrina fit, tardiùs: si Aquilonia, citiùs, propter sequundi flatus commoditatem: prolesque adhuc parua apud Byzantium capitur, vt pote cum longior mora in Ponto non fuerit, sed de cæteris & cum adeunt, & cum exeant, constat. Sarda autem vna, cum adit, vi-

detur, & capitur: sed exiens nusquam visa adhuc est. Quòd si qua apud Byzantium aliquando capiat, piscatores sua retia lustrant, propter exitus insolentiam: cuius rei causa est, quò solæ ipsæ subeunt Istrum anem, vnde fisso flumine per abditum terræ meatum desluunt in Adiam sinum. Argumento est, quòd ibi contra euenit, quam in Ponto: exeuntes enim semper capiuntur, subeuntes nunquam. Thunni dextrorsum terram contingentes subeunt, sed remeant contra: læuum enim in latus se admovent. Quod propterea facere dicitur, quia dextro oculo clariùs vident sua natura, læuo hebetiùs. Fusanei, de quibus loquor, interdiu meare, noctu quiescere in more est. Pascuntur etiam nocte, nisi luceat. Ita enim faciunt iter, nec volunt quiescere. Quidam vsu periti rei marinæ nihilo eos moueri, sed quiescere à bruma ad æquinoctiu vernum, vbi cumque id temporis sint, asseuerant. Monedula subeuntes Pontum capiuntur, exeuntes autem minus. Optimæ in Propontide sunt antè, quam pariant. At cæteri fusanei exeuntes potius capiuntur, & optimi per id temporis sunt. Cum verò adeunt Pontum, proximè Aegæum pinguisissimi capiuntur. Quò subinde ascenderit magis, eò macilentiores fiunt, sæpe etiam flatu Austrino vehementius occurrente fit, vt cum monedulis & scombris exeant, ac mari inferiore magis, quam circa Byzantium capiuntur. Discessum, sedis que mutationem hoc modo faciunt. Hic idem affectus terrestribus etiam euenit, cum se abdunt, & latent: hyeme enim latebras subeunt, tempore iam tepidiore exeunt. Ratio verò & latendi, & parandi communis animalium ea est, vt sibi contra vtriusque exuperantiam temporis opitulentur. Latet aliquorum genus totum, aliquorum partim latet, partim non latet. Testa enim intecta omnia latent, vt in mari purpura, buccinum, omnèque id genus. Sed absolutorum latibulum euidentiùs est: conduntur enim secessu, vt peccines facere visuntur. Aliqua leuiore quodam tegmine superimposito delitescunt, vt cochlear terrestres, id est limaces: & adherentium mutatione incerta est. Non tamè eodem tempore omnia latent, sed limaces hyeme. Purpura, & buccina canis exortu dies circiter tricenot conduntur: peccines etiam tempore eodem. Sed eorum plurima sanè latent, & algore vrgente, & æstu.

Ratio latendi & parandi animalibus quæ.

Quo tempore insectorum genera sese abscondant, aut æstus, aut hyemis impetu.

Cap. XIII.



Nsecta penè omnia conduntur, præter ea, quæ vitam in domiciliis cum hominibus agant, quæque priùs intereant, quam annum tempus excedant. Latent hæc hyeme, alia diutiùs, alia quando algor vehemens est, vt apes: nam ipsæ etiam cessant, & latent. Cuius rei argumentum, quod minimè cibum sibi appositum gustare videntur, & si quæ erepserit, ieiuna spectatur, ventre translucente, nullòque penitus contento, quod manifestum sit. Quiescunt ab occasu Vergiliarum vsque ad ver. Conduntur autem quæque locis apricis abdita, & vbi sibi cubile constituere tutius solent.

Apes etiam latere.

Quare pecori tal frequenter præbentur.

Græci exemplar habent: αἰγίς, id est, capræ.

καταφορηθισουσι, liquando, exugendo.

Causæ loci mutandi animalibus quæ.

De genere serpentum, quod hyeme abditur: deque nonnullis piscibus, qui hyeme frigoris causa conduntur, quiq; æstate propter calorem.
 Cap. XV.



Anguinei quoque generis multa se condunt, vt ea, quæ intacta cortice sunt, serpentes dico, lacertos, stelliones, crocodilos fluuiatiles. Mensibus quatuor frigidissimis hæc latent, nec per id tempus quicquam comedit. Cæteræ quidem serpentes cauernas subeunt terræ, sed viperæ sub saxis conduntur. Piscium etiam complures latere nouimus, sed apertissimè hippurum, quem equiselem nominavi: & coruulum, siue graculum, per hyemem. Nam hi soli nunquam capiuntur, nisi certis quibusdam temporibus, eisdemque semper, cum cæteri omnes ferè semper capiuntur. Muræna etiam latet, & cernua, & conger. Saxatiles verò con-

Serpentum latibula.

Qui ex piscium genere conduntur.

Primada quæ do se abdit, quandoque prodeat.

jugatim mares cum fœminis conduntur, quomodo & fœtificare solent: vt turdi, merula, perca. Thunni etiam latent præaltis gurgitibus hyeme, pinguescuntque à latibulo maiorem in modum. Capi incipiunt Vergiliarum ab ortu ad Arcturi occasum vltimum, reliquo tempore quiescunt latentes. Capiuntur nonnulli ex his, ceterisque latentibus, tempore sui secessus, cum se moueant locis tepidis, aut si temporis insolitæ quietes contingant. Prodeunt enim aliquantulo de suo cubili partum, & præcipuè plenilunio. Sunt magna ex parte suauissimi, cum latent. Primada in cœno se abdunt: cuius rei argumentum est, quod neque eo tempore capiuntur, & dorso fæculento, pinnisque adductis, oppressisque spectantur. Verno autem tempore prodeunt, & appropinquant ad terram coeutes, parientisque: quo tempore fœtu grauidæ capiuntur, tempestiuæque tantisper esse putantur. Autumno verò & hyeme deteriores sunt. Simul etiam mares pleni semine genitili, lacte appellato, per id tempus cernuntur: itaque præstant ad usum. Prole adhuc parua difficilè capiuntur: adultiore, iam larga captura propter infesti asili stimulum est. Latent alia in arena, alia in luto, ore tantum detecto. Plurima tempore conduntur solum hyberno, vt crustata, & pisces saxatiles, & raia, omnèque cartilagineum genus, diebus scilicet frigidissimis. Quod ita esse eo argumento constat, quod minimè, cum algor est, capiuntur: sed piscium nonnulli æstate etiam latent, vt glaucus: hic enim per id tempus se abdit circiter dies sexaginta. Afellus etiam latet, & aurata plurimum temporis. Afellum latere indicio esse videtur, quod longo interposito tempore capiat. Pisces vel æstate latere documento illo probatur, quod temporibus syderum fiant capturæ, & præcipuè Caniculæ: mare enim per id tempus euer titur: quod latissimè apud Bosphorum patet. Limus enim in summa effertur, piscisque innatant. Aiuunt etiam, si gurgitum ima sapius terantur, plures eadem sagena capi secundo iactu, quam primo. Tum etiam magnis imbris multa apparent animalium genera, quæ antè vel nunquam, vel raro visa fuerint.

Imbris magnis infusa animalia apparere.

De auibus, quæ hyeme occultantur.
 Cap. XVI.



Vium etiam complures conduntur, non vt aliqui putant, paucè: nec omnes ad loca tepidiora abeunt, sed quibus loca eiusmodi sunt vicina, solitæ sedi, (alii, solidæ) iis eò secedere libet: vt & miluos, & hirundines agere animaduersum est. Quæ autem procul locis eiusmodi morantur, non mutant sedem, sed se ibidem condunt. Iam enim visæ sunt multæ hirundines in angustiis conuallium nudæ, atque omnino deplumes. Milui etiam de huiusmodi locis euolasse, cum primùm apparerent, visi sunt. Latibulo genera distingui vel adunca, vel retinguia non possunt. Nam & ciconia latet, & merula, & turtur, & alauda. De turture quidem maximè omnium constat: nemo enim, propè dixerim, vidisse per hyemem vsquam turturem dicitur. Latere autem incipit præpinguis, & quaquàm pennas in latebra dimittit, tamen pinguedinem seruat. Palumborum aliqui latent, aliqui non latent, sed cum hirundinibus abeunt. Turdus etiam latet, & sturnus, & ex genere vnco miluus, paucis quibusdam diebus, & noctua.

Aues multæ se abdere, aliud cætu petere.

De quadrupedibus, quæ hyeme lateant, deque ijs, quæ senectutem exuunt.
 Cap. XVII.



Vadrupedum, quæ animal generant, hystrices conduntur, & vrsi: sed vtrum propter frigus, an alia de causa, ambigitur. Pinguescunt vrsi per id tempus, tum mares, tum fœminæ vehementer, vt mouere sese faciliè nequeant. Parit etiam fœmina eo tempore, & tandiu latet, quoad tempus sit, vt suos catulos in apertum producat: quod verno tempore mense à bruma tertio facit. Sed quod minimum, dies circiter quadraginta latet: ex quibus bis septem ita sopitur, vt se nihilo moueat. Reliquis postea pluribus latet quidem, sed mouetur, & surgit. Fœtu grauida vrsa, vel à nemine, vel à paucissimis capta est. Tempore sui latibuli hoc animal nihil edere certum est: quippe quod neque exeat, & captum ventre, intestinoque inani videatur. Narrant eius intestinum per inediam ita conuiuere, vt adductum propè cohæreat. Itaque vrsum latebram egressum, primùm herbam arum dictam degustare, vt intestinum laxetur, & hiet. Glites etiam latent in ipsis arboribus, pinguescuntque per id tempus vehementer. Itidem mures Pontici generis. Nonnulla ex iis, quæ conduntur, exeunt id, quod senectus vocatur: quod cutis vltima est, & primi ortus operculum. Sed in pedestri viuiparo genere de vrsu, qua de causa lateat, ambigitur, vt dictum iam est. Cortice intacta maxima ferè sui parte secessus suo tempore latent: & exuunt senectutem ea, quibus cutis mollis, nec prædura, & testacea quidem est, qualis testudini (nam & testudo inter cortice intacta enumeranda est, & mus aquatilis) sed qualis stellioni, lacerto, & præcipuè serpentibus est. Exuunt enim hæc omnia, tum vere cum egrediuntur, tum etiam autumno. Viperæ etiam exiit tan vere, quam autumno. Cum serpens exuere incipit, ab oculis primùm detrahi aiunt, ita vt obcæcari videantur iis, qui rem non intelli-

Quomodo serpens exuat senectutem.

gunt: tum caput exiit: glabrum enim hoc omnium antè, quam reliquum corpus, apparet: atque vna ferè nocte & die senectus tota exiit, à capite orsa ad caudam, & cute altera intus subnascente ipsa remouetur. Vt enim fœtus inuolucro secundarum, quo contentus prodierit, exiit: sic ista senectute detracta renouatur. Insecta enim eodem modo exuunt senectutem, quibus hoc solitum est: vt silpha, & culex, & ea, quorum pennæ vagina continentur, vt scarabei: sed omnia facta iam quod gigni debuerit, exuunt: nam vt partui viuiparo secundæ, sic vermiculariæ proli operculum circumruptur. Aequè & apibus, & locustis. Cicadæ vbi eruperunt, oleis aut arundinibus insidunt: & cum rupto operculo exeunt, paruam quiddam in eo relinquunt humoris, nec multò post volant, & incipiunt canere. Locustæ inter marinæ, & gammari exuunt, aut vere, aut autumno post partum. Iam captæ aliquæ sunt locustæ, mollem habentes partem superiorem, quod crusta iam circumrupta, detractaque esset: inferiorem autem duram, quia nondum esset disrupta. Non enim similis in his, atque in anguibus, exutio fit. Latent locustæ menses circiter quinque. Cancris etiam exuunt senectutem, molliores quidem perspicuè: sed etiam duriores exuere aiunt, vt maias. Cum verò exuunt, mollis admodum crusta subnascitur: & quidem cancri præ teneritate non satis ambulare possunt. Exuunt hæc sapius anno. Sed quænam lateant, & quo modo, & tempore, atque etiam quæ, & quo tempore exuant senectutem, iam dictum est.

Plinius vt extra fiat mēbranæ, quod fuerat intus.

Non omnia animalia omni tempore prosperè valere, quod de tempore auibus conducatur.

Cap. XVIII.



Iuunt autem animalia prosperè non eisdem temporibus, nec omnibus æquè exuperantiis. Valetudines etiam, & morbi per tempora pro generum diuersitate variè accidunt, & in totum non eadem omnibus valetudo existit. Iam auibus profunt squalores, tum ad cæteram sanitatem, tum etiam ad partum, & præcipuè palumbis. At verò piscibus, exceptis quibusdam paucis, imbres conducunt. Incommodi contra auibus anni pluuii sunt, piscibus sicci: quippe cum auium talis natura sit, vt ne bibere quidem largiùs possint sine detrimento. Adunca igitur aues, vt dictum est, viuunt, propè dixerim, sine vilo potu: quod Hesiodus nesciuit: facit enim in narratione obfessionis Nini, aquilam augurii præsidem bibentem. Cæteræ aues bibunt quidem, sed parum. Nec aliud vllum potioni indulget, quod pulmonem fungosum habeat, aut pariat oum. Cum aues ægrotant, plumæ indicium proferunt: turbantur enim, nec posituram eandem seruant, quam habent, cum rectè valent.

Siccum cælium auibus, pluuiofum piscibus conuenire.

Quæ animantia pluuia gaudeant, quibusve noceat.

Cap. XIX.



Piscium genus maxima ex parte annis pluuiis bene (vt dictum est) viuunt: ita enim non modò plus cibi nanciscitur, verùm etiam omnino pluuio humore

iuuatur, vt ea, quæ terra gignuntur. Olera enim quantum rigentur, tamen non tantum proficiunt, quantum imbre. Quod inde aridibus etiam lacu prognatis euenit: nihil enim ferè accrescunt, nisi aquæ pluuiæ incidant: Indicium vel inde accipi potest, quod piscis plurimi petant Pontum, vt in eo traducant æstatem: facit enim copia annuum loci illius, vt mare sit dulcius, & cibus largior habeatur, quem iidè stuii deferant. Subeunt etiam fluuios genera piscium complura, & præstant in fluentis, & lacubus, vt amia, mugilis. Gobiones etiã pinguescunt in fluuiis. Deniq; loca prædita lacus commoditate, pisces possident optimos. Ex pluuiis autem ipsis æstiu imbres commodiores sunt parti maximæ piscium, & præcipuè cum ver, æstas, & autumnus imbris abundant, hyems contrà ferentior fuerit. Ad summam propè dixerim, cum bene hominibus annus cedit, tunc & piscibus feliciter degere contingit. Locis autem frigidis parum vigent. Maximè infestantur algore, qui lapidè in capite habent, vt chromis, lupus, phager, umbra: facit enim lapidis rigor, vt per algorem gelentur, & excidat. Sed cum plurimis piscium generibus imbres conducant, mugili tamen, & capitoni, & ei, qui à nonnullis murinus vocatur, nocent. Fit enim vt pluuiis multi ex his de facili excæcet, si modum aqua excefferit. Solet enim per hyemè potius capito ita affici: nã oculi eius albescunt, & macilètus per id temporis capitur, atq; ad postremum malo eodè interit: quod non magis imbrum copia, quam algore accidere videtur. Iam enim cum alibi, tum in Nauplio agro terræ Argiæ, in vadis multi capti sunt cæci, cum hyems fuisset asperissima: multi etiam albos habentes oculos capti sunt. Aurata quoq; hyeme laborat: sed archanas æstate, eoque tempore extenuatur. Prodest coruulis fermè, præter cæteros pisces, annus squallens, quod his quoque ob eam rem commodior est, quia per siccitatè potius tepor accidit. Loca pro sua natura genera quæq; sibi habet ad incolumitatè commodiora. Quod enim natura litorale, aut pelagiū est, huic suo loco pro naturæ desiderio versari commodius est: quod autè ambigit, id eodè vtroq; degere potest. Sed sunt etiã loca quæ dā singulis propria, in quibus rectiùs valeat. Commodiora (quod simpliciter dixerim) loca sunt ea, quæ algarū copia scatet: pinguiore enim locis his capiuntur, qui multis, & variis locis solent pabulari. Nã & quibus alga in cibo est, abundè pascuntur: & quibus caro appetitur, plures pisces sibi reperiunt. Interest etiã, Aquilonia sint, an Austrina. Genus enim longum Aquiloniis melius viget: & quidem æstate loco eodè, in Aquiloniis plures logi, quam lati, capiuntur. Thunni, & gladii agitantur asilo, canis exortu: habent enim vtrique per id tempus sub pinna ceu vermiculum, quem alilum vocant, effigie scorpionis, magnitudine aranei. Infestat hoc tanto dolore, vt non minus interdum gladius, quam delphinus exciliat: vnde fit, vt vel in nauigia sæpè numero incidat. Thunni omnium maximè piscium gaudent tempore, & ob eam rem arenam, & litora adeunt: per summa etiam maris innatant, quo teporis patiantur. Pisciculi autem seruari propterea possunt, quia spernuntur: maiora enim magni sequuntur. Sed ouorum & prolis pars magna pròinde absuntur: cum enim pisces desiderio teporis loca fœtura

Quantope re platea imbre iuuetur.

Qualis temperies anni & cali piscibus salutaris

ambigit, vitã degit ambiguum.

Animalium differentia pro locorum varietate. Cap. XXVIII.

Diuersitate etiã locorum differentia oritur. Vt enim locis nonnullis gigni omnino aliqua nequeunt, sic aliis generantur quidem, sed pauciora, & vita breuiore, nec prospera. Locis etiam vicinis discrimẽ huiusmodi existit: vt agri Mileſii locis sibi propinquis cadæ alteris gignuntur, alteris non. Amnis in Cæphallenia insula dirimit, cuius citra alterũ latus cicadarum copia est, vltra alterum nullæ. In Pordoselena, via interiacet, cuius vltra alterum latus gignitur cattus, citra alterũ gigni nõ potest. Terræ Bœotia in Orchomenio agro talpæ habentur multæ: at in Lebadico vicino nullæ sunt, neq; si aliunde portatæ eõ fuerint, volũt infodere. In Ithaca insula lepores si aliunde illati dimittantur, viuere nequeunt: sed eõdem reuerſi, vnde maris introierint insulam, moriuntur. In Sicilia formicæ, quæ equites appellantur, non sunt. In Cyrenensi agro ranæ vocales præterito tempore deerant. In Africa non aper, nõ ceruus, non capra syluestris est. India, teste Ctesia, quanquam non fide digno, suẽ nec ferum, nec manſuetum habet. Quæ autem sanguine carent, & quæ secessus tempore conduntur, grandiora nimirũ illa possidet. In Ponto neque mollia sunt, neq; testata, nisi locis quibusdam pauca. In mari rubro testata omnia mira quadam magnitudine augentur. In Syria oues sunt cauda lata ad cubiti mensuram. Capræ auriculis mēſura palmari, & dodrãtali, ac nonnullæ demissis, ita vt spectent ad terrã. Boues nodos scapularum flectunt, vt cameli. In Cilicia capræ tondentur, vt alibi oues. In Africa arietes statim cornigeri generantur, nec solũ mares, vt Homerus scribit, sed etiam fœminæ. Contrã, in Ponto per pro-uinciam Scythicam nullis cornua enascuntur. In Aegypto aliqua maiora, quàm in Græcia fiunt, vt boues, & oues: aliqua minora, vt canes, lupi, lepores, vulpes, corui, accipitres: aliqua magnitudine pari, vt cornices & capræ. Cuius rei causam attribuunt cibo, qui aliis largè, aliis parcè sit, vt lupis, & accipitribus. Carniuoris enim parum cibi suppeditatur, propter raptus, quo viuunt, penuriam: aues enim minores paucæ ibi habentur. Lepori verò, omnique non carniuro generi, victus ieiunior ob eam rem est, quòd neq; nuges, nec poma sunt diurniora. Tum etiam multis locis, cæli, & situs conditio causæ est: vt in terra Illyrica, & Thracia, & in Epiro, alini parui habentur: in Scythica, & Gallica nulli, propter immodicum frigus. In Arabia lacerti magnitudine cubitum excedunt. Mures etiã multò foricibus auctiores, quibus crura priora vel palmi mensura posteriora ad primum digiti nodũ habentur. In Africa magnitudo anguiũ mira, sicut & fertur. Iam enim nonnulli vbi triremi applicuissent, ossa bouum multorum vidisse narrant, quos absumptos esse ab anguib; non dubitaret, cum triremes productas in altum, quàm primũ angues insectarentur, & nonnulli aggressi triremem euerterent. Item leones in Europa potius sunt, & ea Europæ parte, quæ inter Acheloum amnem, & Nessum est. Pantheræ in Asia, in Europa autem nullæ. Bestiæ deniq; omnes ferè efferatioris in Asia sunt, fortio-

res in Europa, multiformiores in Africa. Vnde prouerbio quodam dicitur: Semper aliquid noui Africam afferre. Facit enim illius situs aquarũ penuria, vt feræ eõdem cõcurrant bibendi causa: quo quidem loco etiam quæ alienigenæ sunt, coeunt, & generant. Quorum tempora eadẽ ferèdi vteri sint, & magnitudines non multò inter se discrepent. Redduntur mitiores inter se desiderio fluiui: nam enim hyberno magis, quàm æstiuo. Insuetum namque his est bibere æstate, propterea quòd imbres fieri per id tempus non soleant: & mures quidem, cum biberint, moriuntur. Sed vel alibi coitu alienigenarum procreari apertum est: vt in Cyrenensi agro, lupi cum canibus coeunt, & Laconici canes ex vulpe & cane generantur. Indicos etiam canes ex tigride & cane gigni confirmant: verũ nõ statim, sed tertio coitu: primo enim bellunos adhuc catulos procreari aiunt. Alligantur canes locis desertis, & nisi bellua incensa libidine sit, sæpe lacerantur.

Mores etiam animalium pro locorum qualitate differre, venenæque serpentum, vel mitiora, vel asperiora effici. Cap. XXIX.

Morum etiam diuersitatem loca efficiunt: vt montana, & aspera suas bestias reddunt & aspectu efferatioris, & viribus robustiores, quàm plana, & molliora. Argumento vel sues Athi montis acceperim, quorum ne fœminas quidem spectare mares situs inferioris audent. Morsus etiam belluarum ex locorum diuersitate plurimũ differunt: vt in Pharo, locisque aliis, scorpiones nõ lædunt: at aliis, & præcipuè in Scythia, multi, & magni, & nocui sunt. Et si vel hominem, vel quamuis bestiam percusserint, interimunt. Nec sues euadere possunt, quanquam cæteros virulentos ictus minimè sentiunt: & nigri eorum potissimũ interimuntur. Quisque tamen celerimè interit, si ictus adierit aquã. Anguiũ quoq; ictus per loca plurimũ differunt. Asp̄is enim anguis, ex quo medicamentum putrificum illud componunt, in Africa gignitur, cuius ictu nullum remedium est. Nascitur eodem in agro, in quo laser, serpens quidam pusillus, cuius remedium lapis est, quẽ ex sepulcro cuiusdam regis antiqui accipiunt, eõq; perfuso ex vino bibunt. Italiae locis quibusdã morsus etiam stellionum exitiales sunt. Sed omnium venenatorum morsus grauiores sunt, si alterum ederit alterum, vt scorpionum deuorari à vipera certũ est. Plurimis verò eorum aduersatur salua hominis. Serpens quidam minutus est, quem aliqui sarrum appellant, quem angues præmagni fugiunt. Magnitudo huic ad cubitũ, species hirsuta. Quicquid momorderit, continuo circiter putrescit. Est præterea in Indica regione serpens paruus, cuius vnus remedio carent incolæ.

Quo tempore piscium genera præstantiora in cibum reddantur. Cap. XXX.

Discrimen animalium vt prosperè, contrarè exigant, vel vtero pleno, existere nouimus. Testa enim intecta, vt peccinæ, omnèque ostrearium, siue concharium

Quare multiformes bestiae in Africa.

Quæ genera piscium grauida, cibo optima sint.

Pro smaride reddit cærrũ.

σκηλην βριτικον, εν δεσ à Celli

Hominiſtaliua vis aduersus venena.

Intelligentia brutorum.

Morum diuersitas inter fœminã & marem.

rium genus, atque etiam crusta intecta, tunc optima sunt, cum grauida, vt latè in locustis, & reliquis huiusmodi patet. Sed quanquam testa intecta grauida dicimus, tamen nullum eorum vel coitum, vel partum videmus. Crusta intecta nimirum & coire, & parere percipiuntur. Mollia etiam præstant, cum grauida sunt: vt lolligines, sepiæ, polypi. Pisces, cum impleri incipiunt coitu, boni omnes ferè sunt: sed procedente vteri tempore, alii præstant, alii nõ. Alec, siue mænæ, vtero grauis melior est: forma rotundior fœminæ, porrectior mari, & latior. Euenit vt cum foetu impleri fœmina incipit, maris color in nigriorem, plurisque varietatis mutetur, & caro deterrima cibo efficiatur. Vocantur à nonnullis per id tempus hirci. Mutantur pisces, qui merulæ, & qui turdi appellantur, atque etiam squillæ: vere enim nigrescunt, post ver albedinem suã recipiunt. Phuca etiam mutat colorem: cum enim cæteris temporibus candida sit, verno varia redditur. Solam hanc ex marinis piscibus nidum sibi consternere, atq; in stragula parere aiunt. Alec etiam mutatur, vt dixi, & t cærrus, vt ex albedine rursus æstate ad nigredi-

nem redeant: quod maximè suis pinnis, & brachiis declarant. Coruulus etiã cum vtero fert, optimus est, perinde vt alec: mugilis verò, & lupus, & reliqui ferè omnes squama intecti, deteriores sunt, cum ferunt. Similes sibi, ferentes, & non ferentes pauci sunt, vt glaucus. Vitiantur etiam senectute pisces, & quidem thunni, vel ad rem falsamentariam senes improbi sunt: multũ enim carnis absumentur: quod idem vel in cæteris piscibus euenit. Declaratur eorum senectus duritie, magnitudinèque squamarum. Iam captus est thunnus senex, cuius pondus erat ad talenta quindecim, & caudæ interuallũ ad cubitũ quinque, & palmum. Fluuitiales, & lacustres pisces optimi sunt post partum, & feminis genitalis emissionem. Sed nonnulli etiam, cum ferunt, commendantur, vt saperdis: alii damnantur, vt silurus: cum cæteri omnes mares suis fœminis sint præstantiores. Silurus fœmina præstat suo mari: & in genere anguillarum quoque meliores sunt, quas fœminas nominant: quæ nomen fœminæ temerè acceperunt: non sunt enim fœminæ, sed quia aspectu à cæteris discrepant, fœminæ appellantur.

Qui pisces prægnantes deteriores sint.

duo.

ARISTOTELIS STAGIRITAE DE HISTORIA ANIMALIUM LIBER NONVS,

Theodoro Gaza Interprete.

De affectibus animorum omnium animalium, deque ijs, quæ perpetuas inter se inimicitias gerunt, & earum causis. Cap. I.

MORES animalium obscuriorum, parumq; viuentium temporis, minus sensu percipiuntur: viuaciorum euidentiores sunt. Habere enim vim quandam naturalem animantes in quavis animi affectione videntur, hoc est, prudẽtia, stultitia, fortitudine, ignauia, clementia, acerbitate, & reliquis habitibus generis eiusdem. In nonnullis etiam commune aliquid disciplinæ, eruditionisque habetur. Alia enim vicissim inter se, alia ab homine (quæ scilicet auditu nõ carent) non modò strepenti, verũ etiam significandi differentias possunt dignoscere. In omnibus verò, quorum procreatio est, fœminam, & marem simili ferè modo Natura distinxit moribus, quibus mas differt à fœmina: quod præcipuè tum in homine, tum etiam in iis, quæ magnitudine præsent, & quadrupedes viuiparæ sint, percipitur. Sunt enim fœminæ moribus mollioribus, mitescunt celerius, & malum facilius patiuntur. Discunt etiam, imitanturq; ingeniosius: vt in genere canũ Laconico, fœminas esse sagaciores, quàm mares, apertũ est. Mo-

loticũ etiã genus venaticũ, nihilo à cæteris discrepat. At pecuariũ lógè & magnitudine, & fortitudine contra belluas præstat. Insignes verò animo, & industria, qui ex vtroq; Moloticũ dico, & Laconicum, prodierint. Sed fœminæ omnes minus, quàm mares, sunt animosæ, excepta panthera, & vrsã: fœminæ enim in his generibus esse videntur animosiores, cum in cæteris sint proculdubio molliores: verũ malitiosiores, astutiores, insidiosiores fœminæ sunt, atq; in enutriẽda prole sollicitiores. Mares cõtrã animosiores, ferociores, simpliciores, minusque insidiosi. Quorum vestigia morum cum in Mulieris, & omnibus ferè insunt, tũ vel maximè in perfectioribus, & præcipuè in homine: hic enim natura perfectissima est, & ob eã rẽ habitus isti conspectiores in eo ipso continentur: ita quòd mulier misericors magis, & ad lacrymas propensior, quàm vir, est: inuidat itè magis, & querula, & maledicetior, & mordacior: præterea anxia, & desperas magis, quàm mas, atque impudentior, & mendacior: quinetiam facilius decipi, meminissetq; aptior: adhæc vigilantior, segnior, immobilior deniq; est, & minus cibi desiderans: mas verò iuuatior, vt modò dixi, & fortior est. Nam & in mollium genere, cum sepiã icã est tridente, mas fœminam adiuuat, fœmina mare percusso fugam arripit. Pugnat inter se ipsa animalia, quæ loca eadem incolunt, atque eidem vescuntur cibis. Nam si victus penuria sit, fit certè ob eam rem, vt vel eiusdem generis animantes pugnam inter

vir mores differentes.

Quæ animalia inter se pugnant.

in Gallica, in celtica.

Immanitas anguium in Africa.

Coniectura augurum.

qui

Coniugia inter pisces.

Olor ob deorat.

Sanguine ægithi & ri non potest mittere.

Qua ratio ne elephantos res capiant & doment.

inter se conferant. Et quidem marinos vitulos situs eiusdem pugnare inuicem aiunt, & marem cum mare, & foeminam cum foemina, donec alter ab altero vel occidatur, vel eiiciatur. Idemque eorum catulos facere. Carniuora etiam & oppugnantur à ceteris omnibus, & ipsa cum cæteris pugnant: quoniam victus his ab animalibus est. Vnde augures sua diffidia, & confidia colligunt. Dissidio bella, omnemque discordiam statuunt, confidio pacem, omnemque concordiam. Quod si cibi copia suppetat, haud scio an ea, quæ nunc metuunt, & ferociunt, inter se eant, mansuetæque cum inter se eunt, cum homine etiam agant. Cuius rei indicium facit cura, quam Aegyptii animantibus impendunt. Quod enim apud illos cibo non caret, sed copiose alitur, ideo collegio vel ipsa efferatissima degunt: mansuescunt enim sui commodi ratione. Quale se genus crocodili exhibet sacerdoti locis quibusdam, propter cibi curam, quæ ibi infumitur. Quod idem fieri cæteris etiam locis intelligi licet. Dissidet aquila cum dracone: vescitur enim aquila anguibus. Ichneumo cum phalange: venatur enim phalanges ichneumo. Anium variæ diætæ, cum alaudis. Pipo cum lucea: oua enim inuicem exedunt. Cornix cum noctua: cornix enim meridie oua surripens noctuæ, absumit, cum non clarè interdum noctua videat. Noctua contra, oua cornicis noctu exedit: estque altera interdum, altera noctu potentior. Item noctua cum orchilo: nam is quoque oua exedit noctuæ. Sed die vel cæteræ auiculæ omnes noctuam nimirum circunvolant: Quod mirari vocatur, aduolantæque percutiunt. Quapropter aucupes ea constituta, auicularum genera multa & varia capiunt. Quinetiam qui rex auium appellatur, priuatas contra eandem inimicitias gerit. Mustela inimicus cornicis est, quippe qui eius oua, & pullos violet. Turtur cum ignaria pugnat: locus enim pascendi, victusque idem eorum est. Galgulus cum lybio, miluus cum coruo: eripit enim miluus à coruo quicquid tenet, vt qui & vnguibus sit præstantior, & volatu. Ita fit, vt eos quoque victus ratio faciat inimicos. Adhæc, inter ea, quæ cibum sibi à mari petunt, anas, gavia, & harpa, inuicem dissident. Buteo in alio genere hostis ranæ, & rubetæ, & anguis est: rapit enim eos, atque exedit. Turtur, & luteus pugnant. Occiditur à luteo turtur, & à cornice tympanus nomine. Colarem vlula, cæterique adunci rapiunt, vnde his oritur bellum. Inter stellionem etiam, & araneum, bellum est: deorantur enim aranei à stellione. Pipo inimica ardeolæ est: oua enim, & pulli ardeolæ violantur à pipone. Salo prælium cum asino est, propterea quod asinus spinetis sua vlcera scabendi causa atterat: tum igitur ob eam rem, tum etiam quod si vocem rudentis audierit, oua abigat per abortum pulli etiam metu labantur in terram. Itaque ob eam iniuriam aduolans, vlcera eius rostro excauat. Lupus asino, tauro, & vulpi est hostis. Cum enim carne ipsa alatur, boues inuadit, & asinos, & vulpes. Hac eadem de causa, & cum circo accipitre vulpi inimicitia sunt: circus enim, quia vnguibus est aduncis, & carne viuic, vulpem inuadit, ac vulnerat. Coruus tauro, & asino aduersarius est, quippe qui aduolans feriat, & eorum oculos laceret. Aquila etiam cum ardeola pugnat, vnguibus etenim valēs

aggreditur: hæc autem repugnaudo emoritur. Aesalo cum vulture: crex cum galgulo, & merula, & vi-reone, quem ex flagratione procreatum quidam fabulantur: nocet enim his, & eorum pullis. Sitta, & trochilus cum aquila: sitta enim oua aquilæ frangit: aquila tum ob eam rem, tum etiam quod carniuora est, aduersatur. Florus odio equum habet: pellitur enim ab equo pabulo herbæ, qua vescitur. Nubeculans hic, nec valens acie oculorum est, quippe qui vocem quidem equi imitetur, atque aduolans equum fuget: sed interdum excipitur, occidaturque ab equo. Colit hic paludes, & ripas. Coloris est pulchri, & victus facilis. Colotæ hostis asinus est: dormit enim colota in præsepibus, & narem subies asini, ne comedat, impedit. Ardeolarum tria sunt genera, pella, alba, stellaris, piger cognomine. Pella coitus difficilis est: vociferatur enim, & sanguinem ex oculis, vt aiunt, emittit cum coit. Parit etiam ægrè, summòque cum dolore. Prælium cum iis inuit, à quibus læditur, hoc est, cum aquila, à qua rapitur: cum vulpe, à qua noctu capitur: cum alauda, à qua oua eius diripiuntur. Serpens mustelæ, suisque aduersarius est: mustelæ, quod eadem in domo versatur: victus enim ex eisdem appetatur necesse est: suis verò, quia ab ea deuoratur. Aesalo vulpi est inimicus: ferit enim, pilosque eius euellit, occiditque catulos, vncis nanque vnguibus est. Coruus vulpi amicus est, pugnat enim cum aesalone: vnde fit, vt huic, cum ab illo percutitur, auxilietur. Vultur etiam, & aesalo inuicem inimici sunt: vngues enim vtrique vnci habetur. Aquilæ etiam pugnat vultur & olor, nutritque eam sæpius olor. Oloribus verò vt alter alterum deuoret, in more est, maxime in volucrum genere. Sunt porro alia semper inter se infesta, alia hominum ritu, cum res ita tulerit. Asinus item, & spinus inimici inter se sunt: victus enim spino à vepribus, quas asinus tenellas adhuc pascit. Florus, spinus, ægithus, quem salum voco, odium inter se exercent: & nimirum sanguinem ægithi & flori misceri non posse dicitur. Amici cornix, & ardeola, iunco & alauda, galgulus & lædus. Colit enim galgulus fruteta, & nemora, lædus saxa, & montes: suisque locis vterque contētus degit pacificè. Amici etiam pifex, harpa, miluus. Vulpes etiā cum serpente amicè viuic: ambo enim cauernis gaudent: & merula quoque turturem amat. Leo, & lupus certarius inimici sunt: cum enim carne alantur, victum ex eisdem petant necesse est. Elephantis etiam pugnant inter se vehementer, & dentibus alter alterum ferit. Qui autem victus fuerit, adeo animum amittit, vt ne vocem quidem victoris toleret. Differunt inter se elephantis mirum in modum robore, atque animo. Sunt apud Indos in vsu rei bellicæ non solum mares, sed etiam foemina: veruntamen foemina pauciores sunt, & longè timidiores. Euertit ædificia elephantus, dentes ad mouens magnos. Palmas verò sua fronte impellit, donec declinet, tum pedibus inculcans prosternit in terram. Venatio talis elephantorum est: Conscendunt mites aliquos, animososque elephantos qui venantur, cursuque insequuntur feros: quos cum occuparint, ferire præcipiunt suis, dum fatigent, viresque dissoluant. Tum rector in defatigatum illum inilit, regitque falce: post breui tempore fera mite-

scit, atque obtemperat. Quandiu insidat rector, mitem se quisque exhibet: cum descenderit, alii mansuetudinem seruant, alii suam repetunt feritatem. Itaque immitescentium crura priora præpediunt vinculis, vt quiescant. Capiuntur & natu iam grandes, & pulli. Sed amicitia, atque inimicitia in his belluis, victus, vitæque ratione, ita existunt.

De iis piscibus, qui gregatim, amicæque viuunt, qui ve non gregatim, inimicive sunt.

Cap. II.

Piscium autem alii gregatim degunt, amicæque sunt: alii non gregatim, inimicique viuunt. Qui amici sunt, congregantur, partim cum vtero ferunt, partim cum foetum adiderint. Gregales denique sunt thunni, aleces, gobiones, voce, lacerti, coruuli, siue graculi, detices, mulli, malleoli, elegini, sacri, aristulæ, fargiaci, lollii, papaueres, iulix, limariæ, scobri, monedulæ: horum nonnulli non modò gregales sunt, verum etiā coniugales. Reliqui omnes coniugia agunt quidem, sed greges statim temporibus, vt modò dixi, constituunt, scilicet aut cum vterum gerunt, aut post partum. Lupus, & mugilis, quamquam inimici sunt capitales, tamen statim tempore congregantur: coeunt enim in gregem sæpius, non solum quæ eiusdem generis sunt, sed etiam quibus idem, aut similis pastus appetitur, dummodo sit abundè cibarii. Sæpe mugiles cauda abscissa viuunt, atque etiam congrimeatu tenuis excrementario. Abscinditur mugilis cauda à lupo, congrimeatu à muræna. Ineunt prælium maiores contra minores: maior enim quisque, atque robustior, minorem, inferiorémque deuorat. Sed de marinis generibus satis.

De genere ouili amente, & stulto.

Cap. III.

Mores autem animalium, vt dictum iam est, differunt inter se fortitudine, ignauia, mansuetudine, ferocitate, mente, dementia. Iam enim genus ouile amens, & moribus, vt dici solet, stultissimum est, quippe quod omnium quadrupedum ineptissimum sit. Repit in deserta sine causa. Hyeme obstante ipsum sepe egreditur stabulo: occupatum à niue, nisi pastor compulerit, abire non vult, sed perit desistens, nisi mares à pastore ducantur: ita enim reliquus grex consequitur. Caprarum ex grege si quis vnam villemento dependente, quem aruncum vocant, apprehenderit, cæteræ stant velut stupidæ, suos in vnam illam oculos conicietes. Cubant difficiliter oues, quam capræ: magis enim capræ quiescunt, acceduntque ad hominem familiariter: sed sunt frigidiores impatientiores, quam oues. Docent pastores suas oues gregari, facto strepitu. Nam si cum tonuerit aliqua relinquatur, quæ non concurrerit, abortum, si est grauidæ, facit. Vnde fit, vt si quem domi strepitum moueris, omnes concurrant, propter consuetudinem. Cubant oues, capræque vniuersæ per cognationem. Cum primum Sol conuersus desiterit, capras non aduersis præterea inter se oculis, sed auerlis cubare accepimus.

De societate bouum, equarumque multo inter se amore.

Cap. IIII.

Oues & pascunt per societates, atque consuetudines, & si vnus aberrarit, reliqui sequuntur. Quapropter boarii nisi præuenerint, totum armentum requirant, necesse est. Equæ societate coniunguntur, si altera fortè perierit, altera pullum parente orbatum enutrit. Equarum denique genus miro quodam amore proli teneri putatur: cuius rei indicium est, quod sæpius steriles auferunt pullos à matribus, quos ipsæ amore prosequentes tueantur: sed quoniã lacte careant, deprauant eos, quos diligunt.

Equarum amor erga prolem suã.

De ceruæ prudentia in pullis edendis, deque maris cornuum amissionem & reparatione.

Cap. V.

Erarum quadrupedum cerua maxime prudentia præstare videtur, tum quia circa semitas pariat, quò scilicet belluæ propter homines minus accedunt: tum etiam, quia cum peperit, inuolucrum primum exedit, mox sese herbam petit, quam cum ediderit, redit ad prolem. Præterea hinnulum ducens in stabula, asluefacit, quò refugere debeat. Saxum hoc est abrutum, vno aditu, quo loco eam si quis inuadit, expectare, repugnareque affirmant. Mas item cum pinguerit, quod valde tempore fructuum fit, nusquam apparet, sed longè secedit, vt qui pondere suæ corpulentia capi se posse facilius sentiat. Cornua etiam locis difficilibus amittit, & quæ inueniri nequeant: vnde illud prouerbum ortum: Quæ cerui amittunt cornua. Quasi enim sua amiserit arma, cauet ne inermis reperiatur. Cornu sinistrum comperit esse à nemine adhuc fertur: occultit enim id, tanquam quoddam medicamento præditum. Anniculis nondum cornua nascuntur, nisi quoad indicii gratia sit initium quoddam præuberans, quod breue, hirtumque est. Bimis cornua primum oriuntur simplicia, & recta, ad subularum similitudinem, quam ob rem subulones per id temporis eos vocant. Trimis bifida exeunt, quadrimis trifida, atque deinceps ad hunc modum procedit numerus vsque ad annum sextum. Ab hoc similia semper prodeunt, ita, ne sit dignoscere ætatem ramorum numero. Sed senes cognoscimus maxime indicio duplici illo: dentes enim aut nullos, aut paucos habent, atque adminiculis carent. Vocantur adminicula rami, qui imis cornibus prominent ante frontem, quibus in pugna vtuntur iuniores: senes autem carent. Amittunt singulis annis cornua mensè Aprili, quæ cum amiserint, occultant sese interdum, vt superius dixi, idque opacis faciunt locis, vt muscarum tædio vacent. Pascuntur per id tempus noctu, donec recipiant cornua, quæ primum quasi cute vestita, & hirtiuscula emittunt: sed cum creuerint, soli exponunt, vt excoquantur, & sicceant. Vbi iam nihil attritu arborum, cum ea scalpant, indolent, tunc ea relinquunt loca, consili habere iam quo repugnare possint, cum res exigit. Captus iam ceruus est, hederam suis enatam cornibus gerens viridem, quæ cornu adhuc tenello fortè inserta, quasi ligno viridi coalescit. Cerui morfi vel à phalangio, vel à quouis generis

Ceruam pinguiorem factam, secessu sibi consulere ne capiat.

Signa quibus ætas ceruorum cognoscitur.

generis eiusdem, cancos edunt: quod idem homini etiam prodesse putatur, sed non caret fastidio. Cernæ statim à partu exedunt inuolucrum, vt dictum est: nec fieri potest, vt id accipias. Prius enim, quàm in terram demittant, ipsæ arripiunt. Vis in eo medica esse creditur. Cerui fibilo, & cantu venantium capiuntur: mulcentur enim, alliciunturque ea voluptate. Itaque alter venantium cantat palam, aut sibilat, alter clam ferit à tergo, vbi focius tempus iam esse significarit. Sed si ceruus erectas auriculas teneat, acerrimè sentit, nec latèrè insidiæ possunt: sin demissas, facillè interimitur.

De quibusdam animalibus, quæ prudentia quadam Natura instituit.

Cap. VI.



VRSÆ cum fugiunt, suos catulos propellant, susceptosque portant: cum ab insectante iam occupantur, arbores scandunt. Solent vrsi arum herbam comedere, cum è latibulo egrediuntur, vt dictum est. Ligna etiam manducant, quasi dentiant. Sed ex cæteris quoque quadrupedibus multæ prudenter sibi opitulari videntur. Nam & in Creta insula capras sylvestres sagitta transfixas dictamnum herbâ quæ-
rere aiunt: hoc enim spicula ex corpore eiici. Canes etiam ægroscentes herba quadam comesta vomitât. Panthera cum venenum, pardalianches dictum ab angore, ederit, quo leones etiam intereunt, stercus hominis quærit: eo enim ipso iuuatur. Quocirca venatores stercus ibi propinquum suspendunt ex arbore aliqua, ne procul bellua abeat, petens suum medicamentum. Itaque insiliens ibidem, & spe capiendi persuerans, in se efferenda emoritur. Eandem sese abscondentem venari ferunt, propterea quod suo odore belluas delectari intelligat. Propius enim ita accedunt, quas corripit. Ichneumo Aegypti, vbi aspidem anguem suum hostem aspexerit, non prius aggreditur, quàm socios vocet, & limo obducto, contra ictus, morsusque sese loriket. Modus armandi, vt primùm madefaciat corpus, & in terra se volutet. Crocodilis hiantibus trochili aues inuolantes depurgant dentes, quo munere & ipsi aluntur: & crocodilus sentiens secum commodè agi, nihil nocet, sed cum egredi ànem vult, ceruices mouet, ne comprimat. Testudo cum viperam ederit, mox cunilam edit. Quod cum ita sapius factum animaduertisset quidam, vt gustata cunila viperam testudo repeteret, herbam euulsi, quo facto testudo interiit. Mustela quoties dimicatura cum serpente est, rutam comedit: odor etenim eius herbæ infestus serpētibus est. Draco cum per vsu pomorum nausea infestatur, succum syluestris lactucæ exorbet: quod ita facere visus sapius est. Canes cum lumbricis infestantur, herbam tritici comedunt. Ciconiæ, cæteræque aues cum vulnus per pugnâ acceperint, cunilam plagæ apponunt. Locustam etiam complures videntur, quoties cum serpente pugnat, collum eius præhendere. Quin & mustela prudenter capere aues videtur: iugulat enim quas ceperit, vt lupo ouem. Serpētē quoque impugnat, eum præcipuè, qui mures venatur, videlicet ea causa, quia ipsa etiam mures persequitur. De herinaceorum sensu locis multis perpensum est, vt

Quadrupes ipsæ suis morbis medentur.

Græcè interferitur, ἰν ἀγγείο, id est, in vasculo: & Plinius habet, in vase aliquo.

δρίγρον, cunilam bubulâ vocat Plinius.

ωρίγρον, id est, syluestris lactucæ, in tybi agrestis.

qui in cauernis sunt, commutent sua cubilia, Aquilonum, & Austrorum mutatione: qui autem intra tecta aluntur, ad parietes discedunt. Quod ita fieri cum bizantii quidam animaduertisset, consecutus existimationem est, vt tempus futurum posset præfagire. Ictis genus mustelæ rusticæ, quod viueram interpretor, magnitudine est, quàm melitenis catellus, minor: sed pilo, forma, albedine partis inferioris, & morum asturia, mustelæ similis. Mansuetus scit maiorem in modum. Officit aluearibus: mellis enim auida est. Aues etiam petit, vt felis. Genitale eius osseum est, vt antè dixi, & medicamento vrinæ stillationibus esse putatur. Datur per ramenta ex vino.

De ea intelligentiæ parte, qua animalia quadam hominum rationem representant, vt hirundines, & omne columbaceum genus: deque etate columbarum, perdicum, & passerum.

Cap. VII.



MINIMO ratio brutorum magnam refert vitæ humanæ similitudinem, magisque in minore genere, quàm in maiore videris intelligentiæ rationem. Quod primùm in auium genere hirundo in effingendo, constitutendoque nido ostendit. Conspicit implicito luto festucis, ad normam lutariæ paleationis: & si quando luti inopia est, se ipsa madefaciens volutat in puluere omnibus pennis. Stragulum sibi etiam more hominum facit, duriora primùm subiiciens, & modicè totum consternens pro sui corporis magnitudine: atque in enutrienda prole mira tam mas, quàm fœmina, æquitate laborat. Impartit pullis singulis cibum, obseruans consuetudine quadam, ne qui acceperit, bis accipiat. Excrementa etiam pulorum parentes eiiciunt: post adultiores iam natos circumagi, forasque ipsos egerere edocent. Adhæc, columbi pleraque contemplationis huiusmodi afferunt: neque enim cum pluribus adolefcere, aut coire patiuntur, neque coniugium iam inde à primo ortu inritum deserunt, nisi cælebs, aut vidua. Quin etiam fœminæ parturienti mas adest, & cultu, omnique officio fungitur. Sæpe etiam fœminam pigrius euntem ad nidum propter partus laborem mas percutit, cogitque intrare. Exclusis iam pullis terram falsuginosam potissimùm præmanducatam in eorum os, inserens suum, ingerit, atque ita præparat ad cibum recipiendum. Adultos iam, cum tempus prodeundi ex nido est, mas tibi subigit. Ita magna ex parte columbæ mutuo degunt amore. Sed interdum nonnullæ etiam ex maritatis cum aliis coeunt. Pugnax hoc animal est: alter alterum infestat, nidumque alter alterius subit, sed rarò. Nam etsi ex longinquo minùs, tamen apud ipsum nidum summo certamine dimicatur. Proprium columbarum, & palumbium, & turturum esse videtur, ne collum, cum bibunt, resupinent, nisi satis hauserint. Mare vno contenta, & turtur, & palumbes viuunt, nec alterum recipit. Incubant ambo, & mas & fœmina. Dignosci mâne, an fœmina sit, haud facile est, nisi interiorum aspectu. Vita palumbibus longa: nam ad vigesimum quintum, & ad trigessimum annum protrahitur. Nonnullas quadraginta etiam annos compleuisse

ναύηται, alleatrici, & sic dicuntur columbæ aut aues, quæ i retibus seruantur ad alias allicientes.

Hic inge. natur. dicitur.

Colt. gener. tura.

dydona. git.

pleuisse exploratum habetur. Aetate autè pro- uectis vngues accrescunt, quos recidere solent, qui alunt. Nihil, quo lædantur apertè, aliud his senescentibus accidit. Turtures, & columbæ vel ad annum octauum viuunt, scilicet quæ excæcatur alleatrici aluntur. Perdices vita ad quinque, & viginti annos. Nidulantur & palumbes, & turtures semper locis eisdem. Et cum mares in totum diuturniores, quàm fœminæ sint, in his marem prius, quàm fœminam, mori nonnulli aiunt, videlicet documeto earum, quæ domi alleatrici aluntur. Sunt qui passerum etiã mares anno diutiùs durare non posse arbitrentur, argumeto quod veris initio nulli mentum habere nigrum spectentur, sed postea, tanquam nullus anni superioris seruetur. Fœminas verò hoc in genere esse viuaciores volunt: capi enim has cum nouellis, cognoscique laborum callo afseuerant. Degunt ætate turtures locis frigidis, hyeme tepidis: fringillæ contrà, ætate tepidis, hyeme frigidis.

De iis auiibus, quæ nidum non ædificant, deque Perdices astutia. Cap. VIII.



AVES grauiore nidos sibi non faciunt, vt coturnices, vt perdices, & reliquæ generis eiusdem. Quibus enim volandi facultas deest, iis nidos non prodest, sed facta in aprico area, (alibi enim nusquam pariunt) atque materia, vt vepribus quibusdam congestis, quoad accipitrum, & aquilarum iniuriam deuitare possint, oua edunt, & incubant. Mox cum excluderint, protinus pullos educunt, propterea quod nequeunt suo volatu iis cibum administrare. Resouent suos pullos sub se ipsa ducendo, more gallinarum, & coturnices, & perdices: nec in eodem loco & pariunt, & incubant, ne quis locum percipiat longioris temporis mora. Cum ad nidum quis venando accesserit, pro- uoluit sese perdix ante pedes venantis, quasi iam possit capi, atque ita allicit ad se capiendâ hominem, eousque dum pulli effugiant: tum ipsa auolat, & reuocat prolem. Parit oua non pauciora quàm decem, sed sapius sedecim. Malitiosa, asturâque, auis hæc est, vt dixi. Secernuntur vero tempore de grege per cantum, & pugnam, coniugatim mares cum fœminis, quacumque sibi quisque fortè acceperit. Oua mares quæ compererint peruoluunt, & frangunt præ sua falacitate, ne fœmina incubet. Quod ne accidat fœmina emolliens, clanculùm diffugiens parit. Sed fit sapius, vt præ turgore parturiendi quolibet loco edat, & mare præsentem: verum vt oua feruentur, nunquam ex eo, quo peperit, loco discedit. Et si ab homine visa est, ita se abouis astutè quemadmodum à pullis, subtrahit, labans ante hominis pedes, dum dimoueat. Sed cum diffugerit fœmina vt incubet, mares tumultuant, clamitant, pugnamque inter se conferunt, quos cælibes vocant. Qui autem victus in pugna fuerit, sequitur, victoris Venerem patiens, nec ab alio, nisi à suo victore subigitur. Sed si à comite principis, aut quouis vulgari vincatur, clam à principe, ac furtò subigitur. Verum hoc

non ita fieri semper, sed certo tempore anni, planum est. Hoc idem à coturnicibus quoque agi animaduertimus. Gallinacei etiã idem interdum faciunt. In templis enim, vbi sine fœminis munerarii, dicatiq; versantur, non temerè eum, qui nuper dicatus accesserit, omnes subigunt. Nec non perdices mansueti iam, & domestici subigunt feros, & spernunt, contumeliosèque tractant. Perdices venatorem dux syluestrium primus inuadit, pugnamque obuam cõferit, quo capto compage, alter occurrit, tum alius, atque ita singulis dimicatur, si mas sit, qui venatur: sed si fœmina est, vbi dux ad eius vocem occurrerit, cæteræ vniuersæ eum inuadunt, feriunt, fugant ab ea fœmina, inuidentes quod non sibi, sed illi accesserit. Hic tacitus ob eam rem sepe accedit, ne voce percepta oppugnetur. Nonnunquã marem adeuntem efficere, vt fœmina obmutescat, nec re cognita pugnare cum cæteris maribus cogatur, periti referunt. Perdices non modò canunt, verum etiam strident, & voces alias quasdã emittunt. Sæpe & fœmina incubans exurgit, cum marè fœminæ venatrici attendere senserit, occurrènsque se ipsa præbet libidini maris, vt satiatus negligat venatricem. Vsq; adeo tum perdicum, tum etiam coturnicis copia libidinis gaudet, vt in aucupantes corruant, & sapenunero capitibus eorum residant. Talis perdicum coitus, & morum astutia est. Nidulantur humi, vt dixi, tum coturnices, tum perdices, atque etiã aliæ quædam eiusdem parum volantis generis. Ex his item alaуда, & gallinago, & coturnix nunquam in arbore consistunt, sed humi.

Inexhausta perdicum coturnicumque libido.

De Pico martio, et tribus generibus eiusdem. Cap. IX.



CONTRÀ atque martius picus, qui humi nunquam consistere patitur: tundit his quercus vermium, & culicū causa, quod exeat. Recipit enim egressus lingua sua, quam maiusculâ, & latiusculâ habet. Scandit per arborem omnibus modis: nam vel resupinus more stellionum ingreditur. Vngues etiam habet comodiores, quàm monedula, ad tuiorem arborum reptationem: his enim affixis ascēdit. Sunt pici, martii cognomine, tria genera, vñ minus, quàm merula, cui rubidæ aliquid plumæ inest: alterū maius, quàm merula: tertium non multò minùs, quàm gallina. Nidulatur (vt dictum est) in arboribus, cum aliis, tum oleis. Pascitur formicis, & t cossis. Cum cossos venatur, tam vehemèter excauare, vt sternat arbores, dicitur. Iam verò mitescēs quidã amygdalū, quod rimæ inferuisset ligni, vt fixum cõstanter ictum reciperet, tertio ictu pertudit, & nucleum edit.

οκάλυκτος οὗ id est, cossi, quos venatur picus martius.

De prudentia Gruum. Cap. X.



RUES etiam multa prudenter faciunt: loca enim longinqua petunt, sui comodi gratia, & volant altè, vt procul prospicere possint. Et si nubes, tēpe statemque viderint, conferunt se in terrâ, & humi quiescunt. Ducem etiam habent, & eos, qui clamant, dispositi in extremo agmine, vt vox percipi possit. Cum consistunt, cæteræ dormiunt,

Plateam fluuiatilem coequere conchas.

capite subter alam cõdito, alternis pedibus insistentes. Dux detecto capite prospicit, & quod senserit voce significat. Platea fluuiatilis conchas maiusculas, læuésque deuorat: quas vbi sua ingluuie coxerit, euomit, vt hiantibus iam, legat, testis exuens, atque edat.

De Domicilijs agrestium volucrum. Cap. XI.



Omicilia verò agrestes volucres aptissimè ad victum, & prolis salutem moliuntur. Sunt aliæ parentes feliciores, & suorum gnatorum diligentiores, aliæ minùs: & aliis ingenium ad victum acutius, aliis obtusius est. Colunt aliæ loca fragosa, & saxa, & cauernas: vt quæ à præruptis torrentium alueis charadriũ appellamus, quasi hiatulam dixeris. Praua hæc auis, & colore, & voce: & noctu apparet, die aufugit. Accipiter etiã locis saxosis, & arduis nidulatur. Auĩũ quas ceperit, cor nunquã edit. Idq; nonnulli in coturnice, & turdo, alii in aliis obseruarũt. Quinetiã venandi differentia adnotatur, ne simili modo æstate, vt hyeme rapiat. Vulturis vel pullũ, vel nidum à nemine visum adhuc, nonnulli aiunt. Et nimirũ ob eã rem Herodotus Brysonis rhoris pater, aliunde situ eminẽtiore quodã venire dixit: argumentũmq; afferebat, quod breui tẽpore multi apparerẽt, & tamen vnde, cõstaret nemini. Sed causa huius rei est, quod rupibus inaccessibleis pariat: neq; locorũ plurium incola auis hæc est. Edit non plus quã vnum ouum, aut duo complurimũ. Sunt quæ montes colant, & syluas, vt vpupa, & brenthus: cui & victus probus, & vox sonora est. Trochilus & fruteta incolit, & foramina: capi difficile potest. Fugax, atq; infirmis moribus est, sed victus probitate, & ingenii solertia præditus. Vocatur idem & senator, & rex: quam ob rem aquilam pugnare cum eo referunt.

Charadrium auis.

Vulturũ nec pullos nec nidus ab illo visos.

Trochilus auis, senator & rex nominata.

De generibus auium, quæ apud aquas degunt, deq; chalcide aue, & eius natura, nec non de cõcertatione eiusdem cum aquila, et gruũ pugnã. Cap. XII.



Vnt aliæ, quæ vitam apud mare traducant, vt cinclus, qui astutus, & capi difficilis est, sed captus omnium maximè mitefcit. Læsus hic est: incontinens enim parte sui posteriore. Viuunt apud mare, & fluuios, & lacus palmipedes omnes. Natura enim ipsa quærit, quod sibi cõmodius sit. Sed multæ etiã fidipedes circa aquas, paludésq; degunt: vt florus apud amnes, cui color pulcher, & vita comoda. Cataracta mari videtur, & cum se alto ingurgitarit, manet nõ minus temporis, quã quo spatiũ transierit ingeri. Minor quã accipiter auis hæc est. Olores etiã palmipedes sunt, & apud lacus, paludésq; viuunt: nec probitate victus, morũ, prolis, senectutis vacãt. Aquilam, si pugnam cõperit, repugnãtes vincunt: ipsi autẽ nunquã, nisi prouocati, inferũt pugnam. Canere soliti sunt, & præcipuè iamiam morituri. Volant etiã in pelagus longius. Et iam quidã cum in mari Africo nauigarent, multos canẽtes

Aues palmipedes vbi solita sunt degere.

Olores.

voce flebili, & mori nõnullos cõspexere. Chalcis rarò apparet: montes etenim incolit. Nigro colore est, magnitudine accipitris, quem palumbarium nominant, forma longa, ac tenui. Iones cymindem eam appellant. Cuius Homerus etiã meminit in Iliade, cum dicit:

Chalcida dii perhibet, hoies dixere cymindẽ. Sunt qui eandem hanc auem non aliam esse, ac ptyngem, velint. Interdiu minũs apparet, quia non clarè videt, sed noctu venatur more aquilæ: & pugnat verò cum aquila adeò acriter, vt sepius ambæ implexæ deferantur in terram, & viuæ à pastoribus capiuntur. Parit hæc ova duo, & saxis, speluncisq; nidulatur. Grues etiam pugnant inter se tam vehementer, vt dimicantes capiuntur: hominem expectare potiũs, quã pugna desistere, patiuntur. Pariunt ova non amplius quã bina.

De partu, & nidificatione Picarũ, Meropis, Luteæ, Argathylis, & Cinnamomi Arabici, deq; Ciconiarũ, & Meropũ prudentia in alendis parvũtibus. Cap. XIII.



Ica voces plurimas cõmutat: singulis enim ferè diebus diuersã emittit vocẽ. Parit ova circiter nouẽ numero. Nidum in arboribus facit ex pilis, & lana. Glandes, cum deficiunt, colligit, & in repositorio abditas referuat. Ciconias genitorũ senectutem inuicem educare inuulgatũ est. Sed sunt qui meropes quoq; idem facere cõfirmet, vicẽmq; reddi: vt parentes non modò senescentes, verũm etiã statim, cum iam datur facultas, alantur opera liberorũ: nec matrem, aut patrem exire, sed in cubili manentes pasci labore eorũ, quos ipsi genuerunt, enutrierunt, educarũt. Penne huius auis inferiores pallidæ sunt, superiores cæreuleæ, vt halcyonis: postremæ pinnulæ rubræ habentur. Parit sex, aut septem æstate in præcipitiis mollioribus, intrò vel ad quatuor cubita subiens. Lutea dicta à colore partis suæ inferioris pallido, magnitudine alaude est. Parit quatuor, aut quinque. Nidum sibi ex alo herba euulso stirpitis facit: sed stragulũ subiicit ex villo & lana. Hoc idem & merula facit, & pica, interioraq; nidis ex eisdem cõsternunt. Solerti porò ingenio argathylis in ripariarum genere suũ instruit nidum: filis enim intexit lineis specie pilæ, aditu arcto. In Arabia cinnamomus auis appellatur, quam surculos cinnamomi portare, ac nidum ex his conficere aiunt. Nidificat excel sis arboribus, & ramis: sed incolæ sagittis plumbatis nidum petunt, atque ita discusso in terram cinnamomum legunt.

Merularũ agrestium faciem cum anserino mutari.

De specie, nidulatione, & partu Alcedonum. Cap. XIII.



Lcedo nõ multò amplior passere est, colore tum cæreuleo, tum viridi, tum etiã leuiter purpureo insignis: videlicet non particulatim colore ita distincta, sed ex indiscreto variè resurgens corpore toto, & alis, & collo: rostrum subuiride, longũ & tenue: talis species eius est. Nidus marinæ similis pilæ, & iis, quæ à flore maris halosachnæ dicantur.

dicantur, sed colore leuiter ruffo: figura proxima cucurbitis medicinalibus, iis quibus collũ porrectus est: magnitudo maximis amplior, quã spongiæ: sunt enim alii maiores, alii minores. Conseptus, stipatũsque vndiq; est, & crebro tum inani, tum solido cõstat. Renititur feramento acuto, vt vix possit discindi: sed si vnã & ferro tundis, & manu collidis, facile perinde vt flos aridus maris (halosachnam dico) confringitur. Os eius angustum, quoad sit exiguus aditus, vt etiam si vertatur mare, influere nequeat. Habet sua inania proxima cauis spongiarũ. Ambigitur ex quanam materia cõponatur, videtur tamen è spinis potiũs acus piscis constitui: piscibus enim alcedo viuunt. Sed amnes etiã subit, ascendens longius. Partus huic ouis maximè quinque consumitur. Fœtificat toto suæ ætatis tempore. Parere nata menses quatuor incipit.

De partu, & nidificatione Vpupæ, Paris, Atricapillæ, Salis, & Vireonis. Cap. XV.



Pupa nidum potissimè è stercore hominis facit. Mutat faciẽ tẽpore æstatis, & hyemis, sicut ceterarum quoq; agrestium plurimæ. Parus ova plurima edit, vt aiunt. Atricapillam etiã plurima edere aliqui referunt, sed post Africam struthionẽ. Iam vel decem, & septem ova atricapillæ reperita sunt: sed plura etiã quã viginti parit, & numero impari semper, vt narrant. Nidificat ea quoq; in arboribus, & vermiculis alitur. Proprium huius, & lusciniæ, præter ceteras aues, vt linguæ summæ acumine careãt. Salus vitæ cõmoditate, & partus numero commendatur: sed alterius pedis clauditate cedit. Vireo docilis, & ad vitæ munera ingeniosus notatur, sed malè volat, nec grati coloris est.

De Velia aue, & eius colore, & statura. Cap. XVI.



Elia cum primis vitæ cõmoditate nota est. Consistit æstate in vmbra, & aura: hyeme in Sole, & apricis. Inspeciat paludes ab arũdinibus summis. Paruo corpore est, sed voce proba, colore etiã pulchro, nec nõ ingenio valet in vitæ officiis, & speciẽ præ se fert decorã. Peregrina hæc auis esse videtur, quippe quæ rarò nostris locis appareat.

De moribus & natura Cregis, Sittæ, Vlulæ, Cerethiæ, & Ligurini. Cap. XVII.



Rex moribus pugnacibus est, ingenio valens ad victum, sed cætera infelix. Sunt & ei, quæ sitta dicitur, mores pugnaces, sed animus hilaris, cõcinnus, compos vitæ facilioris. Rem maleficam ei tribuunt, quia rerum callet cognitione. Prolem hæc numerosam, felicẽmq; progignit. Viuit maceriem cõtundens. Vlula nocte vagatur, ac pascitur: die rarò apparet. Colit hæc etiã saxa, & speluncas: victus enim gemini est. Pollet ingenio, ac industria in vitæ muneribus. Nouimus auiculam quandam exiguam nomine cerethiam, cui mores audaces, domicilium apud arbores, victus ex cõsis, ingenium sagax in vitæ officiis, vox clara. Ligurini, & vita, & colore

ignobiles sunt, sed valent vocis amœnitate. De tribus ardeolarum generibus, & earum vita, deq; Phoicis natura. Cap. XVIII.



Ardeolarum pella difficulter coit, vt dictum est, sed sagax, & cœnæ gerula est, & operosa. Agere interdiu solet. Colore tamen est prauo, & aluo humida. Reliquarum duarum (tria enim sunt genera) cãdida, colore est pulchro, & coit, & nidulatur, & parit probẽ. Pascitur paludibus, lacu, campis, & pratis. Sed stellaris piger cognominata, (in fabula est vt olim è seruo in auem trãsierit) atq; vt cognomen sonat, iners, otiosaq; est. Talis ardeolarũ vita est. Phoici appellatæ peculiare præ cæteris est, vt oculos potissimũ appetat. Inimica est harpæ: victus enim earũ similis est.

De duobus Merularum generibus. Cap. XIX.



Merularum duo sunt genera, alterum nigrum, & vulgare, alterũ candidũ: magnitudine quidem compari, & voce simili: sed circa Cyllenam Arcadiæ familiare, nec vsquam alibi nascens. Est enim ex hoc genere, quæ similis nigre sit, sed fusca colore, & magnitudine paulò minor. Versari hæc in saxis, & tectis solita est: nec rostrum utilium, vt merula habet.

De tribus Turdortũ generibus. Cap. XX.



Turdorum tria sunt genera, vnum visciuosorum, quod nisi visco, atq; resina non vescitur, & magnitudine picæ est. Alterum pilare, quod sonat acutè, & magnitudine merulæ est. Tertium, quod iliacum quidem vocant, minimum inter hæc, minũsque maculis distinctum.

De aue Cæreuleo nomine, & eius forma. Cap. XXI.




Nouimus & saxatilem auiculam quandam, cui nomen cæreuleo, quæ maximè in Scyro colit, saxa amas, magnitudine minor, quã merula, maior paulò, quã fringilla. Pede magno est, scanditq; saxa: colore cæreuleo, rostro tenui, & longo: crure breui similiter vt pipo est.

De Vireone, & Mollicipite auibus. Cap. XXII.



Vireo totus viridans ex obscuro est. Hyeme hic non videtur, sed æstiuo solstitio potissimũ venit in cõspectum. Discedit ex ortu Arcturi syderis. Magnitudine turturis est. Molliceps eodẽ in loco semper sibi statuit sedem, atq; ibidem capitur. Grandi, & cartilagineo capite est, magnitudine paulò minor, quã turdus, ore firmo, paruo, rotundo: colore totus cinereo. Depes, & pennis inualens est. Capitur maximè noctu.

De Pardalo, & Collurione, deq; auibus cæteris, quæ semper conspicuæ sunt. Cap. XXIII.



Ardalus etiam auicula quãdam perhibetur, quæ magna ex parte gregatim volat, nec singularem hæc videtur. Colore tota cinereo est, magnitudine proxima superiori: sed pennis, ac pedibus

bonis. Vocem frequentem nec grauem emittit. Collurio eisdem, quibus merula, vescitur. Magnitudo eius quoque eadem, quæ superioribus est. Capitur hyberno potius tempore. Hæc omnia semper apparent, atque etiam ea, quæ in urbibus solent præcipuè viuere, vt coruus, vt cornix: nam ea quoque semper conspicua sunt, nec loca mutant, aut latent.

De tribus generibus Monedularum.

Cap. XXXIII.

Monedularum tria sunt genera: vnū, quod graculus vocatur, magnitudine quanta cornix, rostro rotundo, rutilo. Alterum, lupus cognominatum paruum, & scurra. Tertium, quod familiare Lydiæ, ac Phrygiæ terræ, idemq; palmipes est.

De duobus Alaudarum generibus.

Cap. XXXV.

Alaudarum duo sunt genera: alterum, terrenum, cristatum, galerita à crista appellatur: alterum gregale, nec singulare, more alterius, verum colore simile, quamquam magnitudine minus, & galero carens: cibo verò idoneum.

De Gallinagine, & Sturno, earumq; forma.

Cap. XXXVI.

Allinago dicta, per sepes hortorū capitur, magnitudine quanta gallina est, rostro lōgo, colore attagenæ. Currit celeriter, & hominem mirè diligit. Sturnus niger, albis distinctus maculis est, magnitudine merulæ.

De Ibe, & duobus eorum generibus.

Cap. XXXVII.

Ibes Aegypti duplici genere distinguuntur, sunt enim aliæ candidæ, aliæ nigræ. Candidæ apud Pelusium tantum non sunt, cum in reliqua tota Aegypto habeantur. Nigræ contra, apud Pelusium tantum, in cætera Aegypto nullæ.

De duobus Asionum generibus.

Cap. XXXVIII.

Asiones aliqui omnibus anni temporibus patent, & ob eam rem perennes: & semper asiones vocabulo composito appellantur. Qui esui non sunt, propter vitiū carnis. Aliqui autumnino interdū apparent, nec plus vno, aut altero die immorantur: qui & esui sunt, & valde probantur. Differūt hī nullo ferè alio à perennibus illis, nisi corpulētia pingui, & q̄ vox his deest, illis nō deest. De generatione eorum, quænam sit, nihil adhuc exploratum habemus, nisi quòd Fauoniis flatibus apparent. Certum enim hoc est.

De Cuculi fœtu, & eius prudentia.

Cap. XXXIX.

Cuculus, vt antea dictum est, non nidificat, sed in nidis parit alienis, & præcipuè in palumbium, & curucæ, & alaudæ, humi atq; etiā in nido luteolæ appellatæ super arborem. Parit hic vnum ouum, nec ipse incubat, sed auis, in cuius nido pepererit, ea incubat, excludit, atq; enutrit: quæ

cum ipse alienigena pullus accreuerit, suos eicere dicitur, ita vt pereant. Alii eos à genitrice occidi, & dari in cibo cuculli pullo aiunt, videlicet improbatos propter speciē cuculi elegantiorē. Sed quamquam plurima ex iis vidisse nonnulli cōfirmant, tamen de pullorum interitu non cōuenit inter omnes. Alii enim cucullū ipsum repetere nidum, cui suū ouum mandarit, pullōsq; deuorare nutricis volunt: alii pullū cuculi, quòd magnitudine præstet, posse percipere cibum omnē oblatum, atq; ita cæteros fame perire autumant: alii ipsum vt fortiorem, cæteros partus cōsortes occidere, authores sunt. Sed prudenter sanè prolis suæ procreationem moliri videtur cuculus. Cum enim se ignauū, minimèq; opitulandi potentē nouerit, facit quasi suppositios suos pullos, quòd seruari possint. Timiditate enim hæc auis excedit, quippe quæ ab auiculis vellatur, & præ metu earum fugiat.

De Apodum nidulatione, & Caprimulgi forma.

Cap. XXXX.

Apodum, quos aliqui cypsellos appellant, similes esse hirundinum, dictum iam est. Haud enim discerni ab hirundine possunt, nisi quòd tibiis sunt hirsutis. Nidū speciē cistellæ productæ longiūs, fictæ ex luto, vno aditu dato arctissimo, faciunt: idq; locis angustis intra saxa & specus, vt & beluas deuitare possint, & homines. Quem caprimulgum appellant, auis montana est, magnitudine paulò maior, quam merula, minor quam cuculus, moribus mollior. Parit oua duo, aut tria cum plurima. Sugit caprarum vbera aduolans, vnde nomen accepit. Cum suxerit, vber extingui, capramq; excæcari aiunt. Parum clarè interdū videt, sed noctu perspicax est.

De Coruorum nidificatione, & fœtu.

Cap. XXXXI.

Coruus locis arctioribus, & vbi non satis cibi pluribus sit, duo tantum incidunt: & suos pullos, cum iam potestas volandi est, primū nido eiiciunt, deinde regione tota expellūt. Parit coruus quatuor, & quinque. Tempore, quo apud Pharsala hospites Mediæ periire, corui locis Athenarū, Peloponnesiq; defuerunt, quasi sensum haberēt aliquem, quo inter se rerum euenta significarent, & mouerentur.

De sex Aquilarum generibus, earumq; nidulatione, & venatione. Cap. XXXXII.

Aquilarum plura sunt genera: vnum, quod pygargus ab albicæte cauda dicitur, ac si albicillam nomines. Gaudet hæc planis, & lucis, & oppidis. Hinularia à nonnullis vocata cognomine est. Montes etiam, sylvamq; suis freta viribus petit. Reliqua genera rarò plana, & lucos adeunt. Alterū genus magnitudine secundū, & viribus planga, aut clānga nomine, saltus, & conualles, & lacus incolere solitum, cognomine anataria, & morphna à macula pēnæ, quasi naviam dixeris: cuius Homerus etiam meminerat in exitu Priami. Tertium genus colore nigricans, vnde nomen

Præstans, & generosum aquilarū genus.

nomen accepit, vt pulla, & fulua vocetur. Magnitudine minima, sed viribus omnium præstantissima hæc est. Colit montes, ac sylvas, & leporaria cognominatur. Vna hæc fœtus suos alit, atq; educit: pernix, concinna, polita, apta, intrepida, strenua, liberalis, non inuida est: modesta etiam, nec petulans, quippe quæ non clangat, neq; lippiat, aut murmuret. Quartū genus percnopterus ab alarū notis appellatū: capite albicante, corpore maiore, quam ceteræ adhuc dictæ hæc est: sed breuioribus alis, cauda lōgiore. Vulturis speciē hæc refert: subaquila, & montana ciconia cognominatur. Incolit lucos degener, nec vitiis cæterarū caret, & bonorū, quæ illæ obtinet, expers est: quippe quæ à coruo, cæterisq; id genus alitibus verberetur, fugetur, capiatur. Grauis est enim, victu iners, exanimata fert corpora. Famelica semper est, & querula, clamat, & clangit. Quintum genus est, quod halæetus, hoc est, marina vocatur, ceruice magna, & crassa, alis curuantibus, cauda lata. Moratur hæc in litoribus, & oris: accidit huic sæpius, vt cum ferre quod ceperit nequeat, in gurgitē demergatur. Sextum genus gnesium, id est, verum, germanūq; appellant. Vnū hoc ex omni auium genere esse veri, incorruptiq; ortus creditur. Cetera enim genera, & aquilarū, & accipitrū, & minutarum etiam auium, promiscua, adulterināq; inuicem procreant. Maxima aquilarum omnium hæc est, maior etiā, quam ossifraga: sed cæteras aquilas vel sesquialtera portione excedit. Colore est rufa, conspectu rara, more eius, quam cy mindem vocari diximus. Tempus aquilæ operandi, volandiq; à prædiao ad meridianum. Manè enim quiescit vsquedum forum frequens, & prandendum iam sit. Senescentibus aquilis, rostrum superiūs accrescit, incuruatūq; subinde magis, magisq; vt demum fame intereant. Cui rei data est fabula, vt hoc ita accidat aquilæ, quoniam cum olim homo esset, hospiti iniuriā intulerit. Cōdunt, reseruāntq; suo in nido quantum cibi pullis supersit. Quod enim diē quaq; facultas venandi non datur, fit interdū ne, quod portent, extrinsecus habeant: si quem deprehenderit violentem nidum, verberant suis alis, & vnguibus lacerant. Nidulantur locis non planis, sed celsis, præcipuè quidem arduis saxis, & præcipitibus, sed arboribus etiā. Alunt suos pullos, donec potestas volandi fiat: tum nido eos expellunt: post regione, quam ipsi genitores incolunt, tota exterminant. Tenent enim singula aquilarum paria longū tractum: vnde fit, ne villo pacto vicinos habere patientur. Venantur locis non suo nido propinquis, sed longè distillantibus. Rapta non protinus ferunt, sed cum corripuerint, & sustulerint, deponūt, expertaq; iam pondus requiescunt. Leporem etiam non statim rapiunt, sed expectant dum prodeat in plana. Nec protinus de alto in terram ruunt, sed paulatim descendunt. Quæ ideo faciunt, vt tutiores ab insidiis sint. Considunt etiam locis editioribus, quia difficulter à terra tolluntur. Volant sublimes, vt per quàm maximè procul aspiciant: quapropter homines solum auium om-

Aquilas fastidium interire.

Singula aquilarum paria, suam regionē occupāt.

nium aquilam esse diuinam perhibent. Omnes profectò, quibus vngues adunci, minimè in saxis cōsistunt, quoniam saxi durities impedimento curuaturæ vnguiam est. Venatur aquila lepores, hinnulos, vulpes, & reliqua quæ vincere valeat. Viuit tempore longo, quod diuturnitate nidi eiusdem declaratur.

De aue quadam Scythica, & eius nidificatione.

Cap. XXXXIII.

Scythiæ terræ incolæ auis est, magnitudine otidis, hoc est, auis tardæ, quæ duos procreat pullos: & quæ peperit oua non incubitu fouet, sed condita in leporina, aut vulpina pelle relinquit, atq; ita obuoluta in summa arbore collocat. Cūq; à venatione vacat, custodit. Et si quis scādīt, impugnat, & verberat alis, perinde vt aquilæ faciūt.

De Noctua, Cicunia, & Ossifraga.

Cap. XXXXIII.

Noctua, cicunia, & reliqua quæ interdū nequeunt cernere, noctu venando cibum cibi acquirunt. Verum nō tota nocte id faciunt, sed vespertino, & matutino. Venantur autem mures, lacertas, verticillos, & eiusmodi alias quasdam bestiolas. Quæ ossifraga appellatur, probè & fœtificat, & viuit. Cœnæ gerula, & benigna est. Nutricat bene & suos pullos, & aquilæ: cum enim illa suos nido eiecerit, hæc recipit eos, ac educat. Mittit nanq; suos aquila antè, quàm tēpus sit, adhuc parentis operā desiderantes, nec volandi adeptos facultatē: quod per inuidiā ita facere creditur. Natura enim inuida, & famelica est, nec copiosa venationis. Magnū tamen quid nāciscitur, cum venatur. Inuidet igitur suis liberis iam maiusculis, atq; edaciusculis, & ob eā rem vnguibus secat. Pulli etiā ipsi inter se pugnare incipiunt de sede, ac partu: itaq; à parēte eiiciuntur, & pulsantur: deiecti vociferantur, periclitantūq; sed ossifraga recipit eos benignè, & tuetur, & alit, dum quantū satis sit adulescant. Parum hæc oculis valet: nubecula enim oculos habet læfos. At verò marina illa clarissima oculorū acie est, ac pullos adhuc implumes cogit aduersos intueri Solē. Percutit eū, qui recuset, & vertit ad Solem: tum cuius oculi prius lacrymarint, hūc occidit, reliquū educat. Vagatur hæc per mare, & litora, vnde nomen accepit: viuitq; auium marinarū venatu, vt dictum est. Aggreditur singulas, cum emergentē obseruarit, refugit: auis, vt euolans vidit aquilā, metu percussa se rursus ingurgitat, vt in diuersa prolapsa emergat: sed hæc acie oculorū valens, sedulo aduolat, donec vel strangulet in humore, vel per summa corripiat. Vniuersas nunquam inuadit: arcent enim frequentes, respersentq; suis alis repellunt.

Fulicarum aucupatio. Cap. XXXV.

Flicæ spuma capiūtur, appetūt enim eam auidius. Quocirca spuma insperfa eas veneri in vsu est. Caro earum probi odoris est, excepta parte posteriore vltima, quæ sola lituum olet. Pinguescunt satis, & esui sunt.

De Accipitrum generibus numero decem.

Cap. XXXVI.



Accipitrum genus præcipuum buteo est, triorchia à numero testiū nuncupatus. Secundum, æsalo. Tertium, circus. Stellaris autem, palumbarius, & pernix, differunt. Appellatur subbuteones, qui latiores sunt: alii perçæ, & fringillarii vocantur: alii leues, & rubetarii, qui abundè viuunt, atque Accipitrū dihumiuolæ sunt. Genera nō pauciora, quàm decem, esse accipitrū, aliqui prodiderunt: quæ modo quoq; venandi inter se dissident. Alii enim columbā humi confidentē rapiunt, volantē non appetunt. Alii super arborem, aut tale quid conscendentem venantur: sin humi est, aut volat, nō inuadunt. Alii neq; humi, neq; in sublimi manentem aggrediuntur, sed volantē capere conantur. Fertur etiā à columbis quodq; accipitrum genus cognosci. Itaq; cūm accipiter prouolat, si sublimipeta est, manent quo constiterint loco: sed si humipeta, qui prouolat, est, non manent, sed continuò auolant. Thraciæ parte, quæ olim Cedropolis vocabatur, homines societate accipitrum per paludes aucupantur. Cūm enim ipsi lignis, quæ tenent, arundines, & fruteta mouerunt, quo aues euolarent, accipitres desuper insistantur: quorum metu aues percussæ terram repetunt: mox homines percutiunt baculis, itaq; capiunt, tum partem earū, quas ceperint, auium accipitribus impartuntur. Quinetiā apud Mæotidem paludem lupos esse piscatorum familiares, aiunt: & nisi partem suam à piscatoribus acceperint, retia cūm in terra expansa rescicātur, lacerare. Ratio auium talis est.

De ingenio marinorum, & fluuiatilium piscium pro ratione commodioris vitæ.

Cap. XXXVII.



Rana piscatrix ingenuum.

Torpedo qua arte pisces capiat.

Ed in marinis quoque animantibus permulta intelligi possunt, nō sine sortis ingenio effici ratione vitæ commodioris. Nam & inuulgata illa de rana, quæ piscatrix cognominata est, & quæ de torpedine, vera omnino, certaque sunt. Rana enim his, quæ gemina ante oculos suos dependent, quorum fila capilli speciem referunt, sed postrema rotundis quibusdā præpilantur, quasi escæ causa auditis: his, inquam, vbi locis arenosis, aut sæculentis obturbato solo se abscondit, piscatur, attollens illa sibi pendentia fila. Dum enim pisciuli occurrūt, & capita machinamenti pensillis pulsant, ipsa subtrahens fila, allicit, donec eos suum in os adducat. Torpedo pisces, quos appetit, afficit ea ipsa, quam suo in corpore cōtinet, facultate torpendi: atq; ita retardos præ stupore capit, & vescitur. Abdit se in arena, & limo, tum pisces, qui adnatantes obtorpue- rint, corripit: quam rem pleriq; conspectam à se retulerunt. Pastinaca etiā se ipsam occultat, sed non simili modo. Argumentū sic viuere hos pisces adduci potest, quod sæpius habentes in ventre mugilem capiuntur, velocissimū piscē, cūm tardissimi ipsi sint. Tum etiā rana, quæ caruerit præpilatis villorū illis capitibus, macilētiore ca-

pitur. Torpedinem autem vel hominibus inspirare torporem certū est. Obruunt arena sese & aselli, & raia, & passeris, & squatina: cūmque nullam sui corporis partē intactā reliquerint, verberant radiolis sui oris, quos piscatores virgulas vocant, quas pisciculi cū aspexerint, adnatant quasi ad algas, quibus vesci soliti sunt. Quo in loco Anthias sit, nullam ibi belluā esse, confessum est. Quo iam indicio securè spōgiatores vrinantur, & sacrum hunc piscem ob eam rē nominant. Sed id casu sic euenire dixerim, quomodo & vbi sit limax, neq; sus est, neq; per dix: omnes enim limaces ab his eduntur. Serpēs marina colore, & corpore congro proxima, est sed obscurior, atq; acrior. Hæc si capta dimittatur foris, in arenā rostro quàm primū adacto terebrat, subitq; tota. Est ore acutiore hæc, quàm terrestres. Qui autē cētipeda appellatur, vbi hamum deuorarit, euomit foras sua interiora, donec hamū eiiciat: tum recipit intro, ac valet eadem, qua antè, salubritate. Appetitus his quoq; nidorulentorū, vt terrestribus, est. Mordent nō ore, sed tactu totius corporis similiter, vt quæ vriticæ vocantur. Pisces, qui vulpes nuncupantur, cūm se deglutisse hamum senserint, sibi opitulantur, vt centipedæ. Longiūs nanque sese effe- rentes hami lineā abrodūt. Capiuntur enim locis nōnullis hamo multiplici, gurgite præalto, & fluctuoso. Quinetiam amia, cūm belluā viderint aliquā, colligunt sese: & quæ magnitudine præstant: lustrantes gregē circunvallant: & si qua violatur, defendunt. Dentes his validi: & iam cūm aliq; belluæ, tum lamia aggressa, vulnera accepisse acrius visa est. Fluuiatilium silurus mas plurimum curæ proli impendit: scæmina, vt peperit, abit. Sed mas quo in loco plurimus fœtus constiterit, perseuerans oua custodit: nec alium præbet vsum, nisi vt pisciculos ne diripiant fœtum, arceat: idq; vel ad quadragesimum, & quin- quagesimum diem facit, donec satis iam aucta soboles, se tueri à ceteris piscibus valeat. Præ- henditur sæpe à piscatoribus, vbi oua custodit. Dum enim arcet pisciculos, quatit, profilit, & ictum, sonūmq; mouet. Manet apud oua tam ar- dente animo, vt cūm sæpe à piscatoribus oua, si præaltis gurgitibus subsidunt, educantur, quoad magis fieri potest, in vadum, ipse tamen eodem studio fœtum sequatur, neq; deserere vnquā pa- tiatur: tunc si minor sit natu, minūque vsu exer- citatus, facilè hamo capitur: sed si peritus, & hamifraga est, morsu dentis sui durissimi rumpit hamū, & fœtum assidue custodit. Omnia verò tum nantia, tum stabilia, locis eisdē, quibus orta sint, aut similibus, degunt: suus enim quibusque cibus in iis est. Vagatur maximè, & oberrāt, quæ carne aluntur, præter pauca, vt mugilē, salpam, mullum, æricam. Quæ autem pholis appellatur, mucorem, quē ipsa emittit, sibi obducit, ita vt in eo quasi cubili quiescat. Generis testati, & expedis pecten potissimū, plurimūmq; se mouet volatu. Nam purpura, & eius similia, parum admodum progrediuntur. De Euripo Pyrrhæo pisces per hyemem omnes, excepto gobione, fo- ras enatant propter frigus: locus hic enim fri- gidior

Anthias scis, face catus.

Centip.

Mollium natura dotes.

Polypi ingenium.

Qui maximè certis bus ob-

gidior est: sed ineunte vere eodē redeunt. Vaca- tur Euripus scaro, & alofa, & reliquis spinosioris generis omnibus. Musteli etiam, & spinaces in eo mari nequaquā gignuntur, nec non locusta, polypi, bolitænæ, atq; alia quædam genera. Gobionē albū Euripi non esse, pelagium, certū est. Vigent pisces ouipari veris tempore, donec pariant: viuipari autumno, atq; etiam mugiles, nulli, & reliqui generis eiusdē. Apud Lesbū insulam omnia tam pelagia, quàm Euripica parere solent in Euripo. Coeunt autumno, pariunt vere: cartilaginea etiā autumno. Mares cum fœminis circa coitum congregantur: sed vere subeunt Euripum disincta: neq; coniugiū reperitur vllum, donec pariant, cūm coitus tempore cōplura ex his sibi adhærentia capiantur. Mollium astutissima sepia est: sola hæc suo vitur atramento, non modò cūm metuit, verū etiam abscondendi causa. Polypus, atq; loligo atramentum pro metu mittūt, sed accrescit denuò postquam miserunt, vt nunquā copia desit atramenti. Cæterum sepia, vt dixi, sæpe vel sine pauore suo vitur atramento ad se occultandā: & cūm progressa paululum se ostenderit, redit in atramentum: Venatur etiā suis illis prælongis prætenturis non solum pisciculos, sed mugiles etiā sæpius. Polypus fatuus quidem est, cūm ad manum demissam hominis accedit: sed prudēs rei familiaris, cūm omnia colligat, & suo in domicilio recondat: cūmq; consumpserit quantum vitile sit, abigit testas, & cancrorum crustas, & putamina conchularū, & spinas pisciculorum. Sui etiam mutatione coloris venatur pisces: trahit enim sibi colorem similem iis, quibus appropin- quarit, saxi: quod idem etiā, cūm metuerit, facit. Sunt qui sepiam quoq; facere hoc idem au- tument: colorē nanq; eam sibi contrahere simili loco, in quo versatur, cōfirmant. Sed pisciū sola squatina ita affici solet: mutat enim hæc, more polypi, suum colorē. Genus polyporum magna ex parte biennio viuere non potest: sua enim natura tibi obnoxium est. Cuius rei indi- cium, cūm pressus polypus aliquid subinde hu- moris emittat, demūmq; absumatur totus: quod fœminis à partu potissimū incidit. Stupent etiā fœminæ, vt neq; vndis iactatæ sentiant, & manu vrinantes defacili capiantur. Sordescunt etiā, nec præterea afsidendo venari possunt. Ma- res verò alueo tument, & in mucorē lentescūt. Indicium, ne bimatum compleant esse videntur, quod ab ortu eorum, qui æstate fit, ad autum- num non facile grandē polypum videris, cūm paulò antè id tempus prægrandes spectentur. A partu ita senescere, debilitariq; tam marè, quàm fœminam, ferunt, vt vel à pisciculis deuorētur, & facilè à suis detrahantur cnbilibus, cūm antea nihil tale iis vsu eueniat: tum verò paruos, no- uellōsq;, quāuis recens natos, tamen nullo eius- modi malo affici narrant: quinimo validiores esse: quàm grandes, confirmant. Sepias etiam bi- matu non viuere, apertum est. Mollium vnus po- lypus exit in siccum, graditur per asperiora, vi- tat læuia: Validū cūm cæteris suis partibus hoc animal sit, collo tamen imbecille, cūm premi-

tur, est. Mollia ita se habent. Conchas tenuio- res, scabrāsq; efficere circum se velut loricā du- ram, eamq; eò ampliorem, quò ipsæ sunt am- pliores, atq; de ea quasi latibulo aut casula qua- dam prodire aiunt. Nauta quoq; polypus natu- ra, & vitæ muneribus singularis est: nauigat enim per maris summa elatus. De imo gurgite effert se concha inuersa, vt ascendere possit facilius, & inani scapha enauiget: vbi verò emerit, con- cham reuertit. Habet inter sua brachia mēbra- nulam quandam annexam similem iis, quæ digi- tis insertæ palmipedum auium continentur: ve- rùm illæ crassiusculæ sunt, hæc prætenuis est, & aranæ speciem imitatur. Hac velificat, cūm au- ra inspirat, cirros pro gubernaculis vtroque de- mittit latere. Si quid metuerit, concham protin- us mari replet, atque ita demergit. De genera- tione incrementōq; eius conchæ, nihil adhuc exploratum habeo. Videtur tamen non ex coi- tu gigni, sed sponte, vt cæteræ conchæ, proueni- re. Nec verò an concha solutus viuere possit, certum adhuc est.

De ingenio insectorum, & formicæ studio.

Cap. XXXVIII.



Insectorum officiosissimum, & præ cæteris ferè omnibus animalibus, ge- nus formicarū, & apum est: crabrones item, ac vespæ, & propè dixerim, om- nia huius cognata generis. Aranei etiā lautio- res, & strigiosiores, ingeniosiores in vitæ muneribus sunt. Iam formicarum negocia omnibus in promptu habentur: vtq; eadem semita semper ambulant, & cibaria recondunt, & cellas prom- ptuarias faciunt, nec interdiu solum, sed etiam noctibus plena luna laborem exercent, nemo est, qui non videat.

De generibus Araneorum, eorumq; industria in venatione, & tela conficienda.

Cap. XXXIX.



Araneorum autem, & phalangiorum plura sunt genera. Mordax, quod in duo distinguitur. Alterum simile iis, quæ lupos appellant, est, paruum, va- rium, procax, salax, pullex nuncupatum: alterum maius, coloris nigri, cruribus prioribus nigris, tardum, & lentè ambulans, nec viribus valens, neque saliens. Cætera, quæ medicamentarii pro- ponunt, aut nullum, aut certè exilem inferunt morsum. Genus secūdum, quod lupi nomen ac- cepit, partim exiguū est, quod non texit: partim maius, quod asperam, prauamq; telam apud ter- ram, aut sepes orditur. Bucculis intexere soli- tum primordiis intus positis obseruatur. Dum aliquid in tela offendens cōmouerit, mox accu- rit, vt capiat: partim varium est, quod paucam, vilēmq; telam sub arboribus facit. Tertium ge- nus, quod sapiētissimum, lautissimūmq; omniū est, texit enim, primūm filis quoquouersus di- stendens in orbem, tum staminaducens, initio à medio accepto: nec inscite mediū ipsum acci- pit: deinde sub tegmina inferens, atque stipans, cubile, & repositorium alibi sibi constituit: sed venationē in medio sui operis obseruando exer- g g 4

sed non va- lunt, pro- cax, salax. Plin. acumi- natum, assul- tim ingre- diens.

Araneorum texedi & ve- nandi peritia.

cet. Cùm enim bestiola eò inciderit, motu medii excitus occurrit, deincepsq; primùm obuolvens araneis, dum defatiget, infirmamq; faciat: tum tollit, ac defert: & si fortè fame tenetur, exigit: hæc enim fructio eius est. Sin minus, recondito, quod ceperit, in reposito, repetit venandi negocium, sed prius cõfarcinato, quod per venatum lacepsitum est. Si quid inter mediũ & extrema inciderit, primùm ipse in mediũ currit, inde ad id, quod inciderit, velut à stato initio properat. Si quis telã lacerarit, texere iterum incipit. Venatur oriente Sole, aut occidente: quoniã bestiolæ temporibus his potissimum offendant. Fœmina & textit, & venatur: mas comes fruendi, non laborandi est. Araneorum lautiorum, & telam spissiore textentiũ, duo sunt genera: alterum minus, alterum maius. Quod igitur longioribus est cruribus, pãdens subtrus obseruat, ne bestiolæ præ formidine sibi caueant, sed incautæ incidant in partẽ superiorem: ineptius enim propter sui corporis magnitudinem est. At alterũ, quod moderatius est, supernè obseruat, latens in quodã exiguo suæ telæ foramine. Aranei statim, cùm editi sunt, fila mittunt, nõ intrinsecus, tanquã excrementũ, vt Democritus ait, sed extrinsecus de suo corpore, veluti corticem, aut more eorũ, quæ suos villos iaculantur, vt hystricis. Maiora etiã animalia inuadit, irretitq; suis filis: nam & lacertos paruos aggressus circũdatos, & filis obducit, donec cohibeat: mox adhærens, morsum defigit. Hæc ita se habent.

De generibus Apum, earumq; studio in ædificandis fauis, deq; his herbis, quibus apes aluntur.

Cap. XL.



Enus est insectorum quoddã nomine adhuc vacans, quo vno comprehendatur: sed formã suarum partiũ cognatã omnium referes, videlicet ea, quæ fauos faciunt, vt apes, & reliqua similis formæ insecta: quorũ genera nouem numero sunt. Sex illa ex his gregalia, apes, reges apum, fuci, qui inter apes degunt, vespa annuã, item crabrones, & tereidines. Solitaria verò reliqua tria: sirenis minor, qui fuscus totus est: sirenis maior, niger: varius, tertium, quem bombycem vocant, qui maximus inter hæc est. Formicæ nihil venantur, sed facta ab aliis colligunt. Aranei nihil cõficiunt, neq; recondunt, sed cibum solum venatu sibi acquirunt. Ex noue iis, quæ modò enumeravi, generibus, apes (nam de cæteris post) nihil venantur, sed ipsæ sibi cibaria faciunt, atq; recondunt: mel enim cibus earum est. Cuius rei indicium faciunt, cùm apiarii eximere incipiunt fauos: quanuis enim suffiantur, vehemeterq; ex fumo laborent, tamen plus mellis tunc edunt, quàm prius. Quod enim cibi causa sibi recondiderint, parcius eũ temporibus cæteris vtuntur, sed habent etiã quo altero cibo alantur, quod quidam ceraginem, alii cereum vocat: verum hoc deterius est, & dulcedine propè ficus. Congerunt id quoq; vt ceram, suis cruribus. Per quã varia in earum operatione, & vita, ratio est. Cùm enim alueũ receperint mundum, construere incipiunt fauos, deferentes ex

floribus, atq; etiam arborum lacrymis, salicis, & vlmis, & reliquarum, quæ glutinum pariunt. His pauimentum quoq; illinunt, ne bestiolæ nocuæ subeant. Vocant hoc opus apiarii tectoriũ imũ. Aditus, etiã si ampliores sunt, fabrica obstruentes coarctant. Effingunt fauos primùm in quibus ipsæ gignantur: deinde in quibus reges dicitur & fuci. Suos certè semper componunt, sed regum, cùm fœtus largior est: fucorum autè cum copia mellis speratur. Fauos regum minores faciunt iuxta suos: fucorũ iuxta regum, minores, quàm suos. Exordium operis à tecto aluei, textusque ad pauimentum perpetuo stabilimento agitur, plurisque ad pauimentum telæ deducuntur. Cellæ autem & mellariæ, & sobolariæ geminæ omnes sunt: vno enim, eodẽmq; intersepto, duæ sibi iunguntur cellæ, modo poculi gemini: altera intus, altera foris. Compages, quam parietibus faui adhæret, arctiores, & melle vacuæ relinquantur, gemino, aut triplici versu: pleniores enim sunt faui, quibus plus ceræ obducitur. Pars aditus aluei prior illita est ex commose: sic enim vocant, quod velut excrementum, purgamentumq; ceræ est, bene nigrum, acrisq; odoris. Medentur hoc plagis, & huiuscemodi suppurationibus. Proximum ab eo tectorium picatus cereus præbet: leuius id, quàm commosis, medicamentum est. Sunt qui fucos & per se fingere fauos eodem in alueo, & cum apibus negocium cõficiendi faui partiri dicant: verum mellificandi nullam habere facultatem, sed vesci tum eos, tum eorũ pullos melle, quod apes fecerint. Manent fuci magna tẽporis parte intus, cùmq; exeunt, efferunt sese fulim in sublime: gyroque volitant, & quasi exercitum faciunt: quod vbi satis iam fecerint, redeunt domum, & epulis perfruuntur, Reges nunquã prodeunt foras, vel vt pascatur, vel alia causa, nisi vniuersa cum plebe. Et si, cùm pergunt, rex ipse fortè aberrarit, omnes inquirere, odoratq; sagaci persequi, donec inueniant, accepimus. Gestari etiam eum à plebe, cùm volare non potest. Et si perierit, omnes discedere: vel si aliquãdiu manserint, fauos quidem cõficere, sed mel nullum: nec fieri posse, quin breui omnes discedant. Ceram apes perreptando flores, capiunt, priorum acuminè pedum: mox priores in medios abstergunt, & medios in blasã posteriorum, atque ita onusta discedunt: & quidem grauari, premique onere cernuntur, quoties redeunt. Mos apibus, ne florum plura genera petant vno, eodẽmq; profectu, sed singulis singula. Verbi gratia, à viola ad violam aduolant, nec aliud attingunt, quousq; suum in alueum redeant. Hic se quatiunt, & singulas, tres, aut quatuor sequuntur: sed quid accipiant, haud facillè videris, nec verò quemadmodum operantur, visum adhuc est. Ceræ congestio notari potuit in oleis, cum diutius in eadem morentur, propter frondem eius arboris spissiore. Post hæc fœtificare incipiunt: nec prohibet quicquam, quò minus eadem in cella sint, & pulli, & mel, & fuci. Gigni fucos seorsum dicitur, si dux viuuit: sed si obiit, in apum loculamẽtis oriri ex ipsis apibus, atq; hos fieri

fieri animosiores, quocirca aculeatos vocari, quanuis aculeo careant: animo nanq; ferendi, non potestate, nomen hoc meruerunt. Sunt loculi ipsi fucorum ampliores, & finguntur seorsum quoque per se faui fucorum, sed magna ex parte fauis apum inferuntur, quapropter secãdum est. Genera apum plura, vt dixi. Duo principum: alterum rufum, quod præstantius est: alterum nigrum, magisq; varium, duplo amplius ape vtili. Tertium genus, quod optimũ, breue hoc, in rotunditatem compactile, & varium est. Quartum longum, crabronibus simile. Præterea, quod fur appellatur, nigrum hoc, aluõque ampliore est: quin etiam fucus, qui omnium maximus est, sed sine aculeo, & ignauus. Differunt inter se apes parentibus natæ vrbani, & quæ rustico, montanoque victu educatis prodierint: sunt enim hæc syluestres horridiores aspectu, & iracundiores, & minores, sed opere, ac labore præstantiores. Genus frugi fauos suos æquabiles construit, supernumque totum operimentum politum apponit, & ad singulos vsus fauum singulatim effingit, videlicet partem aliam ad mella, aliam ad prolem, aliam ad fucos accommodatam. Quod si acciderit, vt eodem in fauo omnia hæc recipiantur, locus alter deinde dispositus habetur inanis. At verò illæ porrectiores, fauos inæquales cõficiunt, & operimentum retumidum perinde, vt crabrones, imponunt: fœtum etiã, & reliqua sine ordine statuunt. Duces improbi ex his oriuntur, & copia tum fucorum, tum etiam eorum, quos fures vocant: sed mellis aut nihil, aut admodum parum opera earum cõficitur. Incubant apes suis fauis, & cõcoquant. Quod nisi fecerint, vitari ex aranea fauos aiunt. Quod si de cætero se continere potuerint, vt incubitu perseuerent, partis quasi abortus fit: sin minus, toti pereunt faui. Gignantur in iis, quæ vitiantur, vermiculi, qui mox pennis subnatis euolant. Curant etiam apes, vt faui erecti stent. Quod si qui corruerint, erigunt, & pilis fulciunt fornicatis, vt subire possint. Cùm enim via, qua accedant, non datur, cessant incubitu: vnde fit, vt faui araneentur. Furis, & fuci nullũ est munus, sed cæteris, quibus cum viuunt, iniuriã faciunt, non tamen impunè semper: nam deprehensi interdũ à bonis apibus occiduntur. Enecant nimirum ipsæ etiam duces, qui plures, quàm satis sit, habeantur: & potissimum improbos, ne principũ multitudo seditiones in examine faciat. Necant præcipuè, cũ nõ ampla sobolis copia extitit, nec habent tanquã coloniam mittant. Fauos etiã regũ, eo tẽpore, si parati sunt, diruunt: vt pote cùm desint, quibus mittendis duces ipsi præficiantur. Nec nõ fauos tollunt fucorũ, si mellis penuriã coniectatur, nec aluei annona superioris anni abundant. Et apiariũ eximentem de melle tunc præcipuè impugnat, ac præfentes fucos expellunt: & quidẽ sæpe visuntur foris in alueo residetes exules. Flagrant odio breues contra longas, easq; alueis pellere conantur: qua in pugna si illæ vicerint, optimum ita fore examen putatur: sed si hæc solæ remanserint, otiosæ viuunt, & nihil boni integrè faciunt. Pereunt etiam ipsæ antè,

Multa apum genera. Apum optimarũ signa.

Coma

Apum uantia: regem.

quàm autumnus sit. Student bonæ apes, quoad fieri potest, ne quam intra alueum interimant: & si qua interierit intus, statim foras caduer educunt. Qui autem fures vocantur, & suos inuicem fauos offendunt, & alienos, si latuerint, subeunt: sed si capiuntur, capite puniuntur, nec facillè aut latere, aut aufugere possunt. Sunt enim in quoq; aditu custodes: & fur ipse, si quando surripere ingressum potuerit, adeo in fatiata tem repletur, vt nequeat euolare, sed ante alueũ volutetur: itaque fuga perquam difficilis est. Reges nunquã foris visuntur, nisi cùm migratur: & tunc ita, vt reliquæ omnes circa ipsum principem suum glomerentur. Cùm verò migrandum est, vox solitaria, & peculiaris quædam aliquot antè diebus intus mittitur: & biduo, aut triiduo paucæ circum alueum volant. An rex etiam inter eas sit, nondũ exploratũ habemus, quoniã difficile cognitu est. Collectæ iam auolant, & per singulos reges diuiduntur. Et si fortè pauca prope multas consistunt, concedunt pauca ipsæ ad plures, ac regẽ, quem reliquerint, si sequatur, interimunt. Discessus, & migratio ita agitur. Singulis autem muneribus se distribuunt, vt aliæ flores conuehant, aliæ extruant, aliæ poliant fauos, & dirigant. Aquam tunc portant, cùm prolem nutriunt. Carnem nullius animalis tangunt, nec obsonium appetunt. Nullum his tempus certum, consuetumque est, quo operari incipiant: sed si cibariis non carent, benèque degunt, æstiuo potissimum tempore opus aggrediuntur, & quandiu serenum sit, assiduè operantur. Nouellæ etiam tertio, quàm prodierint, die, statim negotium ineunt, si cibus non suppetit. Cùmque incubant, digrediuntur nonnullæ ad pastum, sed breui redeunt. Proles felicis examinis quadraginta diebus intermittitur, tantummodo à bruma. Cùm satis iam concreuissè pullitiẽ senserint, cibo apposito derelinquunt: ipsa verò, cùm datur facultas, rupto operculo exit. Bestiolas, quæ in alueis nascuntur, & fauis officiant, apes notæ melioris tollunt, & rem familiarem tuentur: sed alteræ pro suo vitio negligunt, & perire patiuntur. Cùm autem fauos apiarii eximunt, cibi tantum relinquunt, quantum per hyemem sufficiat. Quod si satis sit, seruatur examen: sin minus, vel moritur ibidem, si ne discedat, hyems obstat: vel deserit sedem, si serenum nascitur. Mel apibus tum æstate, tum hyeme in cibo est, sed recondunt alterum quoque cibarii genus, cui durities ceræ proxima, quod sandaracham nonnulli appellant. Inferunt iniuriam apibus maximè vespa, & auiculæ, quas paros vocant, atque etiam hirundo, & merops, qui apiafter est: tum verò ranæ lutariæ, eas vbi ad aquam accesserint, rapiunt. Quam ob rem eas apiarii per paludes, & stagna, vnde apes aquantur, venari solent: & vesparum latibula, & hirundinum, ac meropum nidos propinquos alueis, tollunt. Nullum animal, nisi sui generis, apes fugiunt: præliantur enim inter se, & cum vespis. Sed cùm ruri sunt, nec sibi inuicem, neque vllis aliis iniuriantur: at verò apud suos alueos pugnant acerrimè, & hostes, quos vicerint, eneg

Examini migratio, quibus si gnis præfici possit.

Apes inter se functiones distribuere.

Aluearia capiarii eximunt, cibi tantum relinquunt, quantum per hyemem sufficiat. Quod si satis sit, seruatur examen: sin minus, vel moritur ibidem, si ne discedat, hyems obstat: vel deserit sedem, si serenum nascitur.

Sandaracha. A quibus apibus periculum.

Ex qua corpore Aranei fila duçant.

Apum cibus.

Varia apum opera.

cant. Intereunt quæ percusserint: quoniam sine intestini eruptione, aculeus eximi non potest. Sæpius enim euadunt, si, qui ictus est, curam adhibet, ut aculeus infixus iunctus cum aluo extringatur, alioqui apes interit. Necât vel maxima animalia ictu sui aculei. Iam equus occisus ab apibus est: sed principes minimè irritantur, & feriunt. Efferunt foras apes vita in alueo defunctas, & cætera. Mundissimum omnium hoc animal est. Quam ob rem sæpenumero cum alui necessitas est, auolant, & in secessu reddunt excrementum, quoniam malè oleat. Oderunt non solum fædos odores, sed etiam vnguentorum delicias. Ex quo fit, ut homines his delibutos percutiant. Pereunt apes tum aliis casibus, tum verò cum multi principes orti, partem quisque secum, quò libuit, abducat. Ruberta etiam apes interimit: subiens enim aditus aluei, afflat, & obseruans rapit euolantes. Nullo hæc affici malo ab apibus potest, sed ab apiario facile interimitur. Genus autem apum, quod improbum esse, ac fauos fingere asperos diximus, nouellis maximè tribuunt apiarii nonnulli: peccarèque ita per imperitiam eas arbitrantur: nouellæ autem sunt anniculæ omnes, quarum examè quotannis auolare solitum est. Nec verò nouellæ ipsæ périnde, ac veteranæ, pungunt, cum copia mellis non suppetit. Apiarii fucos depellunt: & ficus, ac reliqua id genus dulcia in cibo apponunt. Apum seniores intus operantur, hirtioresque moræ domesticæ ratione sunt. Adolentes foris negotium exercent, & ea, quæ res exigit, portant, leuiorèque sunt labore hirsutie detrita. Fucos etiam ipsæ interimunt, quoties non satis loci operibus est: tenent enim aluei locum penitiorum. Cum morbo examen quoddam laboraret, agmen peregrinum inuasit, & pugna conferta, adeptæque victoria, mella diripiebat. Quod cum apiarius prosterneret, victum examen statim egressum vlciscebatur, nec hominem ipsum vilo pacto impetebat. Morbo examina valentiora potissimum infestantur clero (sic enim vocant vermiculos, qui in pauimento nascuntur) è quibus crescentibus velut aranea alueo toti obducitur, & faui carie pereunt. Alterum morbi genus quasi ortu quoddam, & veteritas apum incidit cum fædo aluei odore. Pastus gratissimus apibus thymum est: sed rubido albidum præfertur: locus æstate non feruidus, hyeme tepidus. Aegrotant eo potissimum tempore, cum per aruginosam materiem operantur. Quoties verò flatu vehementi iactantur, lapillum gestant, quo se quasi fulcro, & fundamine quodam stabiliant contra flatum. Bibunt si fluuius sit propinquus, non aliunde, quàm ex eo, posito onere: sin minùs, aliunde humore hausto pergunt ire ad mel euendum, confestimque negotium repetunt. Mellis conficiendi tempora duo sunt, ver, atque autumnus: sed vernum suauius, candidius, omnino præstantius autumnali est. Conficitur profectò melius ex noua cera, nouellisq; stirpibus. Rufum verò, atq; deformius faui vitio redditur, quippe quod périnde, ut vinum à vase, vitietur: quapro-

pter coquendum id, resiccandumq; est. Cum autem ex thymo florente faui replentur, fit ita, ut minùs vel coeat, & duretur. Probatum cui ex aureolo color: quod autem albicat, nõ è sincero thymo confectum est: sed id oculis & vlcibus comodius applicatur. Mellis exilior pars fluitat, quæ eximenda est: pura verò, & valida subsidit. Conficiunt ceram, cum stirpes florèt, quam ob rem eximenda per id tempus cera de alueo est: continuò enim reparatur. Hæc sunt vnde accipiunt, thymus, fusus agrestis, sertula campana, albucum, myrtus, phleus, vitex, genista. Cum ex thymo conficiunt, aquam admiscunt antè, quàm fauus occupetur. Egerunt alui excrementa omnes, aut volantes, ut dictum est, aut certa in parte faui. Minores officiosiores maioribus sunt, ut dixi. Pennæ his detrite, color niger, dorsum repandum: illæ nitidæ, venustæq; sunt, more otiosarum mulierum. Gaudere etiã plausu, atque sonitu apes videntur: quapropter tinnitu æris, aut fictilis conuocari eas in alueum aiunt. Quamquam incertum est, an audiant, & voluptatene, an formidine ita faciant. Quin & socias otiosas, ac desides, aut minùs parcas pelere in more apibus est. Partiantur inter se opera, ut antè dixi, & aliæ fauos conficiunt, aliæ mella, aliæ erythacam: & aliæ fauos expoliunt, aliæ aquam important ad cellas, & mella temperant, aliæ munus extrarium subeunt. Tempore matutino omnes silent, donec vna gemino, aut triplici bombo excitet omnes: tum vniuersæ ad opus prouolant. Cumque redierint, primùm item tumultuant, paulatimq; minùs subinde strepunt, dum vna circunuolitando susurret, quasi dormiendum præcipiat: tum repètè omnes conuolant. Dignoscitur examen valere susurri frequentia, & exeundi, ingrediendique vertiginosa agitatione: tunc enim nouellæ operantur. Esuriunt ab hyeme potissimum cum opus incipiunt. Redduntur otiosiores, si in eximendis fauis plus mellis relinquatur: itaque pro examinis numero relinquendum est. Agunt etiam anxius, si plus demetatur, quàm ut residuum cibo sufficiat. Atque etiam si alueus iusto amplior sit, desidiore redduntur: ægrius enim, quasi desperent, operi incumbunt. Castrantur faui singulis sextariis, aut ternis semisextariis: sed si exuberant, binis sextariis castrari, aut quinis semisextariis possunt, pauci ternis sextariis. Impugnântur apes à vespis, ut antè dixi: quam ob rem apiarii eas venantur, constituta olla, & carne in ea posita: vbi enim multæ iam ad carnem accesserint, apposito operculo super ignem ollam ponunt. Fuci autem, si pauci asunt, iuuant: reddunt enim apes in opere sollicitiores. Præfagiunt apes & hyemem, & imbres. Cuius rei indicium est, quòd non auolant, sed sereno adhuc in alueo volutantur, quo apiarii hyemem expectant. Cum verò mutuo inter se annexu alia ex alia dependet in alueo, indicium deserendi cubilis est. Quod ne eueniat, apiarii alueis afflant ex vino dulci. Expedit cõseuisse apud aluearia pyros, fabas, medicam herbam, suriam, eruilliam, myrtum, papauer, serpyllum, amygdalam. Cognoscunt suas apiarii nonnulli

Mundicies singularis apum.

Interitus apum, causa.

Quod genus cibi apibus gratissimum.

An apum nititur.

Signa tiseæ.

Infestibus quomodo capiendæ.

Apes tempore statem præfagire.

Quæ iur aluearia, & fa apum se da.

nõnulli, farina in prato respersa. Minùs apes fecificant, si ver ferotinu sit, aut squallor, aut rubigo incidit. Ratio apum ad hunc modum est.

De duobus vespæ generibus, & earum studio in fauis construendis. Cap. XLI.

Vespæ duo sunt genera: alterum ferum, quod rarum est, nascens in montibus, & pariens non sub terra, sed in quercu, specie grandius, porrectius, nigrius: variu etiã, aculeatumq; est, & robustius, ictuq; acerbior, quàm alteru, est: aculeo enim maiori, quàm ex proportione sui corporis spiculatur. Viuit hoc toto anno: & quidem tempore hyberno, quercu cæsa euolare spectatur. Exigit hyemè in latebra, & semper in macerie diuersatur. Sunt eius aliæ matricis, aliæ operariæ, ut & iu altero genere, quod placidius est. Quæ autem sit natura operariæ, ac matricis, in eo ipso placidior genere percipi facilius potest. Sunt enim huius quoq; duo genera: alteru duces, quas matricis appellant, alterum operariæ: maiores, mitioresq; duces sunt. Aetas operariarum annum nõ complet, sed omnes hyeme inualescete moriuntur. Quod ea re constat, quia hyeme incipiente stupefiant: bruma autè nullæ omnino appareat: duces verò, qui matricis vocantur, tota hyeme visuntur, atq; sub terra latitant. Plerique enim, cum per hyemem ararent, aut foderent, matricis videntur, operariæ nemo. Ortus talis vespæ, vbi iam locum sibi opportunum delegerunt, fauos opere æstiuo configunt, & vespeta (cellulas dico) constituunt quaternis forniculis, aut propè, in quibus vespæ, non matricis nascuntur. Quæ cum increuerint, rursus altera ampliora effingunt. Quorum item proles, cum creuerit, alia faciunt, ita, ut postremo autumno plurima, amplissimãq; vespeta condita habeantur: in quibus dux, quæ matrix vocata est, nõ insuper vespas, sed matricis iam procreat: quæ quidem supernè per summa vespæi vermiu specie multò grandioru gignuntur, in cellulis cõtinuatis quatuor numero, aut paulò pluribus. Alioqui increfcedi ratio dulcibus eadè, quæ vespis, est. Sed cù vespæ operariæ fauis affuerint, nõ præterea duces operantur, sed operariæ ipsæ cibum suis ducibus subministrant. Quod ea re constat, quia duces nõ item euolant, sed intra tecta quiescunt. Cæterum vtrum duces anni superiorioris, nouellis iã procreatis ducibus, interimantur à vespis nouellis, idque simili modo eueniat, an plus etiã temporis possint viuere, nondum exploratum est. Nec verò senectutem matricis, & vespæi generis ferri, aut aliquem huiusmodi affectu annotare adhuc quisquam potuit. Est autem matrix latior, ponderosior, crassior, & maior, quàm vespæ, volatùque haud plurimùm valet. Præ pondere enim sui corporis volare longius nequit. Quo fit, ut semper in vespæiis sedeant effingentes fauos, & munere fugentes cellario. Insunt porrò matricis nūcupatæ in vespæiis plurimis: sed aculeatæ sint, necne, ambigitur. Videntur tamen & ipsæ, ut apum duces, gerere quidem aculeum, sed non extringere, aut ferire. Vespæi autem aliæ ca-

rent aculeo, ut fuci: alia habent. Minores, imbecillioresque sunt, quæ carent neque repugnant: contrà, quæ habent, maiores, robustæ, atque pugnaces, quas nonnulli mares appellat: fœminas verò eas, quæ carèt. Pleraq; ex iis, quæ aculeum gerunt, amittere eum putantur hyeme instante: sed hoc ex nemine, qui vidisset, accepimus. Vbi gignatur Vespæ. spæ temporibus sicci, locisque asperis potius oriuntur. Ortus sub terra agitur. Fingunt suos fauos ex congerie, ac terra: & ab eodem primordio quasi stirpe vnumquenque ædificant. Cibum vel ex floribus quibusdam, & fructibus petunt: sed quàm plurimùm ex carne. Coire nonnullæ etiam ex cæteris visæ sunt: sed an ambæ aculeo careant, aut habeant, vel altera habeat, altera careat, nondum exploratum est. Ferarum etiam nonnullæ coire visæ sunt, & altera gerere aculeu constitit, sed de altera incertum est. Fœtus non partu prouenire videtur: statim enim auctior, quàm partus vespæ patitur, existit. Si vespam ex pedibus ceperis, bombilarèq; fueris, aduolant quæ aculeo carent: quod non faciunt, quæ aculeatæ sunt. Itaq; argumento quidam hoc vtuntur, ut altera mares sint, altera fœminæ. Capiuntur hyberno tempore in speluncis, & quæ aculeum habent, & quæ carent. Conduunt aliæ sua vespæia pauca, & exigua: aliæ plura, & ampliora. Capitur magna matricum pars à solstitio apud vltimos: colligunt enim hinc lentam, & gummosam materiam. Prodiere locis quibusdam matricis ortu admodum numerofo, cum superiori anno vespæi, atque imbrum copia præcessisset. Capiuntur per præcipitia, & terræ rimas, præruptaque directiora: omnèsq; visuntur aculeum gerere. Talis vespæi ratio est.

De crabronibus, vicluque eorum, & alueis.

Cap. XLII.

Crabrones non floribus, ut apes, sed carne magna ex parte viuunt. Vnde fit, ut versari vel in stercore sæpe soleant. Venantur etiam muscas maiusculas, quas vbi ceperint, absciso capite, reliquum corpus gestantes auolant. Sed pomum etiam dulce appetunt. Cibum his talis est. Duces etiam apum, vespæi que habent, qui proportionem ad crabrones maiores, quàm vespæi ad vespas, & apum ad apes sunt. Degunt hi quoque intus, ut vespæi duces. Faciunt sibi alueum sub terra crabrones, terra egesta: & ut formicæ excuant. Misio enim ut apum, nulla vel eorū, vel vespæi fieri solet. Sed qui subinde orientur nouelli, ibidem manent, & alueum terra egesta faciunt ampliore: amplificam maiorem in modum, & iam ex valentiore quodam examine qualli tres, & quatuor fauorum pleni excepti sunt. Nec verò cibum ritu apum sibi recondunt, sed ieiuni latent per hyemem, quo tempore pluri moriuntur: an etiam omnes, nondum certum est. Duces non plures vno, singulis eorum examinibus oriuntur, ut inter apes gignuntur plures, qui examina distrahunt. Sed si qui crabrones

Vbi gignatur Vespæ.

Quales Crabronibus duces.

Vespis aliis aculeus, aliis non.

brones suo alueo aberrarint, colligunt se ad aliquam arborem, fauósq; ibi conficiunt, qui vel sæpe conspicui apparent: in quibus vnú procreant ducem, qui cum adoleuerit, agmen adducit, & secum in alueo collocat. De coitu crabronú nihil adhuc exploratum habeo, nec vnde fecificent. Sed cum in genere apum careant aculeo, & fuci, & reges, atq; etiã vesparú nonnullæ inaculeatæ sint, vt antè dixi, crabrones omnes armari aculeo videntur. Sed de eorú duce considerandum accuratiùs est, an aculeum habeat.

Crabrones omnes aculeo armari.

De genere bombycum, & teredinum, earumque foetibus. Cap. XLIII.

Teredo.

Bombyces sub faxis apud ipsam terrã fecificant, binis, aut paulò pluribus cellulis. Mellis etiã prauí cuiusdam inchoatio in his reperitur. Teredo non ab similibus crabronibus est, sed varia, & latitudine proxima apibus. Cupediola hæc est, & ad culinam, & pisces, & huiuscemodi delicias singularis aduolat. Fœtú sub terra edit, vt vespar. Multiplex huius quoq; teredinarium est, & longè amplius, quàm vespar, atq; porrectius. Muneris, vitæq; ratio apum, vesparum, & reliquorum generis eiusdem, ad hunc modum est.

Mores animantium differre & mansuetudine, & feritate. deque leonum generibus, & natura, & lupi ceruarij. Cap. XLIIII.

Aeterum in moribus animantium (vt dictum iam est) percipi differentias licet, præcipuè quidem ad fortitudinem, & timiditatem: sed ad mansuetudinem quoq; & feritatem etiã in ipso syluestrium genere. Leo enim quauis in edendo ferocissimus sit, tamen pastus, & fame iam vacans, facilis, mitisq; maiorè in modum est. Nihil hic suspicatur, nullius suspiciosus est, festiuus, ludibundus, beneuolus admodum suis cum sociis, & familiaribus est. In venatu, dum cernitur, nunquam fugit, aut metuit, sed etiã si venantiù multitudinem cedere cogitur, sensim, pedatimq; discedit, crebrò subsistens, atq; respectans. Nactus verò opaca, fuga, qua maximè potest, veloci se subtrahit, donec in aperta deueniat, tum rursus lentè incedit. Sed si quando locis nudis, atq; patentibus cogitur fugã apertè arripere, currit cõtentus, nec salit, cursusq; eius continens, vt canum, intenditur: cum tamen ipse insectatur, vbi iam propinquarit, insilit. Vera etiã illa de eo narrantur, ignem præcipuè formidare, vt Homerus quoque testatur, cum dicat:

Robur animi Leonis.

Ardentisq; faces, quas quauis sæuiat, horret. & percussorem agnoscere, atq; ex obseruato inuadere. Si quis etiã non percusserit, sed infestet, hunc si ceperit, non vnguibus lacerat, nec vlla iniuria afficit, sed quatit solùm: atq; vbi ita perterritus, dimittit. Adeunt vrbes, & iniuriã hominibus inferunt, potissimum tempore suã fenestris: tunc enim per corporis imbecillitatem, & dentium defectiõnem venari nequeunt. Viuere annos multos putantur. Et quidem qui captus est claudus, dētes cõplures fractos habebat. Quo argumento quidam longã esse leonum ætatē exi-

stimarunt: haud enim hoc acciderè nisi longo tempore potuisse. Leonú sunt duo genera, quorum alterum breuius, crispiorèque pilo, quod ignauius est: alterum longius, piloque probiore, quod generosius est. Fugiunt interdum leones demissa inter crura cauda, vt canes. Iã visus est leo, qui cum suem aggredere, vt fetis horrentem aspexit, fugeret. Infirmus parte illi est contra iactus, sed reliquo corpore multas patitur plagas, & capite validissimo est. Quæcunq; vel morderit, vel vnguibus lacerarit, sanies pallens admodum de his vlcibus effluit, etiã per fascias, atq; spongas, nec reprimi vllò pacto potest. Curantur eodem modo, quo morsus canini, vlcera. Thoës etiã, quos lupos ceruariorum diximus, hominē diligunt, & neq; offendunt, neq; metuunt valde. Pugnanc cum canibus, & leonibus: quo fit ne eodē loco sint ceruarii, & leones. Optimi ceruarii, qui minores sunt. Genera huius alii duo, alii tria statuunt. Plura iis esse non videntur. Sed vt piscium, auium, quadrupedum genera aliqua, ita ceruarii quoque per tempora immutantur: & colorem diuersum hyeme æstate trahunt: atque æstate nudi, hyeme hirti red duntur.

Thoës Ceruarii.

De natura, specie, & partu bonasi.

Cap. XLV.

Bonasi gignitur in terra Pæonia, monte Messapo, qui Pæoniæ, & Mediæ terræ collimitiù est, & monapios à Pæoniis appellatur, magnitudine tauri, sed corpore, quàm bos, latiore: breuior enim, & in latera auctior est. Tergus distantum eius locum septem accubantium occupat. Cetera, forma bovis similis est, nisi quod ceruix iubata armorum tenuis, vt equi, est, sed villo molliore, quàm iuba equina, & compositiore. Color pili totius corporis flavus, iuba prolixa, & ad oculos vsque demissa, & frequens colore inter cinereum, & rufum, non qualis equorum, quos partos vocat, est, sed villo supra squallidiorè, subter lanario. Nigri, aut admodum rufi, nulli sunt. Vocem similem boui emittunt. Cornua adunca in se flexa, & pugna inutilia gerunt, magnitudine palmari, aut paulò maiora, amplitudine non multo arctiore, quàm vt singula semifextarium capiãt, nigritie proba. Antia ad oculos vsque demissa; ita vt in latus potius, quàm antè, pendeant. Carret superiore dentium ordine, vt bos, & reliqua cornigera omnia. Crura hirsuta, atque bisulca habet, caudam minorem, quàm pro sui corporis magnitudine, similem bubulæ. Excitat puluerem, & fodit, vt taurus. Tergore contra iactus præualido est. Carnem habet gustu suauem: quam ob rem in vsu venandi est. Cum percussus est, fugit: nisi defatigatus, nusquam consistit. Repugnat calcitrans, & proluiem alui vel ad quatuor passus proiciens: quo præsidio facile vitur, & plerumque ita adurit, vt pili insectantium canum absumantur. Sed tunc ea vis est in fimo, cum bellua excitatur, & metuit: nam si quiescit, nihil vrere potest. Talis natura, & species huius animalis est. Tempore pariendi

riendi, vniuersi in montibus enituntur. Sed prius, quàm fœtum edant, excremento alui circiter eum locum, in quo pariunt, se, quasi vallo, circumdant, & muniunt. Largam enim quandam eius excrementi copiam hæc bellua egerit.

De ingenio, & sagacitate elephanti.

Cap. XLVI.

Elephantus, omnium ferarum mitissimus, & placidissimus est: quippe qui permulta officia & erudiatur, & intelligat: quando etiã regem adora re condiscit. Valet sensu, & reliqua sagacitate ingenii excellit. Quam implenerit coitu, eam rursus non tagit. Viuere elephatos mares alii annos ducentos, alii centum & viginti aiunt: fœminas etiã ferè totidem: sed florere ætate circa sexagesimum narrant. Hyemis, ac frigoris impatiens hoc animal esse dicitur. Amat amnes, & quam non fluuiatile sit, tamen riparium dici potest. Incedit etiã per aquam, & eatenus mergitur, quatenus eius promuscis superat. Reflat enim per eam, & spiritum accipit, & reddit: sed natate satis pondere sui corporis non potest.

Elephantorum vita longa.

Camelum matrem nunquam superuenire, deque prudentia equi regis Scytharum.

Cap. XLVII.

Camelæ matres nunquam superueniunt suas: sed etiã si quis cogat, ipsi non patiuntur. Iam cum aliquando admiffarius non haberetur, curator pullum matri operat admittit. Qui dum coiret, delapso operimento agnouit matrem, & quauis coitum absoluerit, memor tamē commissi sceleris, paulò post camelarium illum morsu defixo interemit. Ferunt etiã regi Scytharum fuisse equam egregiam, ex qua mares generosi omnes gignerentur: quorum vnum, qui præstantior haberetur, cum, vt ex matre procrearet, placeret, admiffum omnino recusasse. Operatam deinde latuisse matrem, vt imprudens superueniret. Verum vbi à concubitu faciem matris detectam agnouerat, fugam properasse, atq; seipsum actum præcipitem interemisse.

Quotopere Equus recusat incestum cum matre.

De mansuetudine, amore, & celeritate delphinarum. Cap. XLVIII.

Delphinus etiã in genere plurima de delphinis narrantur indicia morum placidorum, ac mitiù: amores quoq; in pueros, & affectus libidinis, cum circa Tarentum, & Cariã, tum etiã locis aliis referunt. Fertur etiã delphino apud Cariam capto, atq; faucio, ingentem reliquorum multitudinē conuenisse ad portum, immoratamq; donec piscator dimiserit eum, quem ceperat, tum omnes simul recepto captiuo rediisse. Paruos item delphinos magnus aliquis semper comitatur custodia causa. Iam conspectus est delphinarum grex, maiorum & minorum promiscuus, post quem duo quidam paulò post viderentur delphinulum defunctum labentem in inum, subire, & in summa pelagi dorso euehere, quasi miserantes, ne ab aliqua bellua deuoraretur. Quinetiam de velocitate huius animalis mira, & incredibilia quædam

accepimus. Omnium enim velocissimum esse creditur animalium tum aquatilium, tum terrestrium. Superfiliunt etiã malos nauigiorum maiorum: quod tunc potissimum euenit, cum aliquem insectantur piscem, quem deuorent: tunc enim, si, quem impetunt, longius fugit, ad ima gurgitem perfertur, propter famis necessitatem. Quod redditus longior sit, retinent sese, quasi spatium cogitantes, conuersiq; feruntur perinde, ac sagitta, perniciter, vt celeritate opportuna logo transmissio itinere ad locum spirandi deueniant. Quo impetu fit, vt se eiaculentur in aerem, & superfiliant malos nauigiorum, quæ fortè affuerint. Hoc idē vrinatores faciunt, cum se in profundum dimiserunt: pro viribus enim conuersi enixius efferruntur, vt spirent. Degunt coniugatim mares cum fœminis. Quæritur quam ob rem in terrâ erumpant: hoc enim interdum eos facere incerta de causa dicitur.

De his animalibus, quæ pro actionibus afficiuntur, moribusque immutantur. Cap. XLIX.

Ed vt quæq; animalia pro suis affectibus agere, sic pro suis quoq; actionibus affici, immutariq; moribus solent. Partes etiã corporis nonnullæ sæpè pro mero ratione agendi immutantur, vt in auium genere euenit. Gallinæ enim, cum mares vicerint, cucuriunt, & exemplo marii, tentant superuentu coire. Crista etiã, caudaq; erigitur, ita, ne facile præterea si, an fœmina sint, cognoscere. Non nunquam etiã calcaria parua iis enascuntur. Iam verò & mares visi nonnulli sunt, qui, cum forte fœmina interisset, ipsi officio matris fungerentur in pullos, ductando, fouendo, educando, ita ne de cætero vel cucurire, vel coire appeterent. Quin & iam inde à primo ortu Naturæ, ita nonnulli mares effœminati proueniunt, vt neq; cucuriant, neq; per coitum agere velint, & Venerè eorum, qui tentent superuenire, patientur. Cuculus etiã immutatur colore, & vocē minùs explanat, cum se abditurus est, quod facere exortu caniculæ solet: apparere autem incipit ab ineunte vere ad eius syderis ortum. Abditur & ea, quam cœnantham quidam appellant, ac si vitifloram dixeris, exortu eiusdem syderis, occasu verò apparet: vitat enim interdum frigora, aliàs æstum. Necnon vpupa cum colore, tum verò specie immutatur, vt Aeschylus poeta satis carmine suo exposuit:

Quin fert sui spectantem, & epopem mali, Colore speciem multimodo pingens suam. Saxicolam, & improbum arma gestantem alitè. Adulti infantis forma hic sese refert: Nam vere candicans vbi extitit nouo, Aestate tum deinde, vt recanduit seges, Alas repente varius maculatas quatit. Vagatur hic semper fastidiens locos, Deserta quærit nemorum, & inuias plagas. Complures etiã aliæ aues immutatur per tempora, & colore, & voce: vt merula, quæ ex nigra redditur rufa, & vocem mittit diuersam. Strepitat enim per hyemem, cum per æstatem tumultuans cantet. Mutat & turdis colorem, quippe qui collo æstate varius, hyeme murino

murino distinctus spectetur: voce tamen eadem est. Luscinia canere solet assiduè diebus, ac noctibus quindecim, cum sylua fronde incipit opacare: dein canit quidem, sed non assiduò: mox adulta ætate, vocem mittit diuersam, non insuper variam, aut celerem, modulatamq; , sed simplicè: colore etiam immutatur. Et quidem in terra Italia per id tempus alio nomine appellatur. Apparet non diu: abdit enim sese, & latet. Rubeculæ, & quæ rutilicillæ appellantur, inuicem trans-
eunt. Estq; rubecula hyberni temporis, rutilicilla æstiuæ. Nec alio ferè inter se differunt, nisi pectoris colore, & caudæ. Sic & ficedulæ, & atricapillæ vicibus cõmutantur: fit enim ineunte autumno ficedula, ab autumno protinus atricapilla: nec inter eas discrimen aliquod, nisi coloris, & vocis est. Auem autem esse eandem constat: quia dum immutaretur, hoc genus vtrunq; conspectu est, nondum absolutè mutatu: nec alterutrũ adhuc proprium vllum habens appellationis. Nec mirum, si hæc ita voce, aut colore mutantur, quando & palumbes hyeme non gemit, nisi quod aliquando ex asperrima hyeme placidum tempus successisset, gemuerit: quod apud peritos in admiratione habitum est: ceterum ineunte vere gemere incipit. Denique aues tunc maximè, plurimæque emittunt voces, cum coeunt. Mos autem est, vt aliæ sese in puluere voluent, aliæ sese lauent, aliæ nec puluere, neq; balneo vtantur. Sunt pulueratrices, quæ nondum altiulæ, sed terræ propinquæ: vt gallina, perdix, attagena, alauda, fasiana. Lotrices, nonnullæ rectungues, quæ circa fluuios, aut paludes, aut mare versantur. Aliæ vtrunque, tum lauare, tum puluerare solent: vt columbus, vt passer. Aduncarum pars maior neutrum facit. Hæc ita se habent. Proprium nonnullis auium euenit crepitus alui, vt turturi. Pars etiam nouissima alui earundem vehementer citatur, cum vocem reddunt.

Quando palumbes gemere incipiat.

De ijs animalibus, quæ castratione immutantur, quæve ruminent. Cap. I.

Mutantur verò animantium aliqua, forma, & moribus, non modò per ætates, & tempora, verum etiã castratione. Castrantur autem ea, quibus sunt testes. Sunt auibus testes intus lumbis herentes, & quadrupedum iis, quæ oua pariunt. At verò iis, quæ animal generant, eademque terrestria sunt, plurima quidem parte foris, sed nonnullis etiam intus continentur: omnibus verò postrema aluo habentur. Castrantur gallinacei parte nouissima suæ alui, quæ tibus coeunt, concidit. Hanc enim si duobus, aut tribus ferramentis adusseris, capos facies. Quod si perfectus est, qui castratur, crista pallefcit, & cucurire desinit, neq; coitum Venerum repetit. Sed si adhuc pullus est, ne inchoari quidem ex iis quicquã potest, cum accrescit. Quod idem in homine quoq; accidere certum est. Nam si puer adhuc excidatur, neq; postgeni

Testes in animalibus quibus locis continentur.

Gallinaceos castrandi ratio.

ti pili innascantur, neq; vox immutatur, sed suæ feruat acumen. At si iam puber, postgeniti defluunt pili, præterquam pubis. Hæc enim quanuis minuat, tamen manet: sed congeniti non defluunt: nemo enim spado caluescit. Quadrupedum etiam exectorum, vox omnium in fœminam immutatur. Sed cum cætera nisi nouella castrantur, intereant, aper vnus qua ætate castratur, non refert. Omnia deniq; , si dum crescunt, castrantur, maiora, & elegantiora, quàm incastrata, euadunt. Sed si postea, quàm adoleuerunt, & iam incremento constiterunt, castratur, nihil prætereà accedere ad magnitudinem potest. Cerui, si cum per ætatem nondum cornua gerunt, castrantur, non edunt cornua: sed si cornigeri excidantur, non decidunt cornua, & magnitudine eadem seruantur. Vitulis tempus castrandi anniculis est, alioqui minores, deformioresque euadunt. Modus castrandi hic est: Tractus deorsum testes, atq; obtentos, pressosque in imum scroti, cultello adacto, extrudunt: mox fibras sursum, quoad maximè fieri potest, reprimunt, & plagã infarciunt capillamentis, vt sanies effluere possit: & si inflammatur, ignem adhibent scroto, & respergunt. Si bos à recenti castratu ineat, procreare potest. Apria etiam scropharum castratur, ne prætereà coitum appetat, sed breui tempore obefetur. Castratur autem cum biduo ieiunarit, suspensa pernis prioribus, recisa cute inter femina, quæ maribus testes maximè continentur: hac enim parte adhæret vuluis apria dicta, cuius exigua parte abscessa consarcinant. Cameli etiã fœminæ castrantur, cum eis vti in prælio libet, ne concipiant vtero. Nonnulli superioris Asiæ incolæ, camelos vel ad tria millia possidēt. Currit cameli celerius, quàm equi Nisiani, propter laxiorem sui gradus glomerationem. Et castrata denique auctiora, quàm incastrata, euadunt. Animalia, quibus ruminare in more est, proficiunt, delectanturque non minùs in ruminando, quàm edendo. Ruminant quæ superiore dētium ordine carēt, vt boues, oues, capræ. Ex feris nullum adhuc ruminare constat, præterquam ea, quæ aliquando cum hominibus exigunt, vt ceruus: hunc etenim ruminare planum est. Iacent potissimum, cum ruminant, omnia, & hybernis præcipuè mensibus solent ruminare. Septem ferè mensibus hoc faciunt, quæ intra tecta aluntur. Gregales leuius, minùsq; temporis ruminant, quoniam foris pascantur. Sunt etiam ex dentatis vtrinque; nonnulla, quæ ruminant, vt mures Pontici, & piscis, quem ab ea re ruminalem quidã appellantur. Sunt item alui fluentioris ea, quibus longiora sunt crura: sed propensiora ad vomitum, quibus latius pectus est. Idq; tũ in quadrupedũ genere, tum in auium, tum etiam in hominum ita esse magna ex parte perpensum est.

Annici tui di.

HISTORIAE ANIMALIUM FINIS.

ARIST

ARISTOTELIS STAGIRITAE de Partibus Animalium, & earum causis, Lib. I.

Theodoro Gaza Interprete.

Duos esse & contemplandi, & docendi præcipuè habitus. Cap. I.



IN OMNI contèplandi genere, omnique tum nobiliori, tum ignobiliori docèdi via, & ratione, duos esse habitus constat, quorũ alterum scientiam rei appellasse, alterum quasi peritiam quandam, bene est. Hominis enim probe periti officium est, iudicare perspicieret posse, quidnam rectè, aut nõ rectè, ab eo, qui docet, exponitur: quippe cum & hominem omnino peritum talem esse existimemus, & peritiam ipsam non nisi facultatem huius officii esse statuamus. Sed hunc omnibus ferè in rebus valere iudicio arbitramur numero vnum: illum verò certã naturã alicui delegamus. Fieri enim potest, vt rem vnã quispiam, ita vt alius omnes, possit iudicare. Quam ob rem naturalis quoque historia, siue contemplationis limites huiusmodi aliqui poni debent, ad quos iudex modum explicandi referre possit, & approbare, semoto illo veritatis examine, quonam modo res, itane, an aliter se habeat. Verbi gratia, vtrum substantias singularim discutiendas cœpisse præstet, hoc est, naturam hominis, aut leonis, aut bouis, aut alius cuiusquam generatim exponere aptius sit: an rebus subiectis, quæ communiter omnibus accidunt, communi vsu quodam potiùs agendum. Sunt enim complura, quæ eadem in multis generibus diuersis inter se sint: vt somnus, spiratio, auctio, diminutio, mors: adhuc, reliqui id genus affectus, & dispositiones. Nihil enim adhuc certi, explanatq; habetur, quod de his dicere possimus: sed cum singularim agimus, eadem sæpe de multis referre necesse est. Nam & in equis, & in canibus, & in hominibus, ea, quæ modò dixi, omnia insunt. Quapropter qui singularim agere per accidentia vellet, sapenumero verba eisdem de rebus facere cogetur, quæ scilicet eadem ani-

Hominis periti officium.

Naturalis historiae limites.

mãtib; adiunctæ sunt specie diuersis. Sunt etiã fortasse, quæ cum eandem sortiantur appellationem, discrimine distent speciei, vt animalium incessus: quippe qui specie vnus esse minùs videatur: discrepant enim inter se volatio, natatio, ingressio, reptio, Quam ob rem quonã modo tractandũ sit, latere non conuenit, vtrum, inquam, cõmuniter primũ per generis complexione, post verò res proprias considerare oporteat: an protinus quæq; persequi singularim, rectiùs est: nõ enim de hac re adhuc præfinitũ est. Nec illud confessum est, vtrum, vt mathematici rem suam cælestem demonstrare consueuerunt, sic hominum rerum naturalium studiosus, primũ quæ patet in animatiũ genere, parteq; singulas explorare: deinde causam, quam ob re ita sint, reddere debeat: an secus agendũ sit. Adhuc, cum plures causas generationis naturalis esse videamus, scilicet eam, cuius gratia res gignatur, atq; eã, vnde mouendi principiu sit: definiendũ de iis etiã est, quoniam prima, quæ secunda haberi debeat. Principatum sanè illa obtinere videtur, quam sub hoc verbo, cuius gratia, significamus: hæc enim ratio est. Ratio autem, principiu est pariter in rebus tam arte, quàm natura constituendis. Vbi enim vel per intellectum, vel per sensum medicus sanitatem, opifex edes definiert, rationes, & causas rei, quam facit, reddere solet: & cur ita faciat, subiungit: quoniam illa, cuius gratia, causa, & ratio boni, & pulchri, Naturæ operibus potiùs, quàm artis, coniuncta est. Necesseitas verò non æquè in rebus Naturæ omnibus inest, ea videlicet, ad quam omnes ferè authores rationes referre tentant, priùs, quàm doceant, quot modis accipi necessarium debeat. Inest id ipsum rebus quidem æternis simplicibus, absolutisque ratione: sed caducis etiam, gignendisque omnibus ex suppositione tribuitur: quomodo in artificiosis, vt adibus, & quibusuis aliis generis eiusdem. Materiam enim talem adesse necesse est, si domus, aut quiuis alius finis futurus sit: atque etiam fieri, moueri; illud primũ oportet, deinde hoc, ac deinceps ad hunc modum itur ad finem, cuius gratia res quæque & efficitur, & est. Eodemque modo in rebus quoque Natura gignendis agitur: quoniam demonstrandi modus, necessitatibusque ratio, in naturali doctrina diuersa, atq; sciētis speculatiuis est. Dixi de his alio

Anq; de motu e de omib; specie; in de volut. & natatio. an de vol. cu de auib; et de mot. cu de p. sub; agat.

Causa generationis naturalis plus res.

1. diffinitio sine sciẽ 1. Art; q; rã; l. f. effecti. Ne eoz qua finit & cur sic l. sic reddere possunt & rã finit appellat. 110 :-

1. Media debet e ad modata fini. ar que equalia ex fine colla gend est :-

alio loco: principium enim alteris quod est, alteris quod erit, accommodatur. Quod enim talis sanitas, aut homo, vel hoc esse, vel factum iri necesse est: non quia hoc vel est, vel fuit, illud necessarium vel est, vel erit: neque huiusmodi demonstrationis necessitatem ita perpetuitati annectere possumus, ut dicere liceat, hoc esse, quoniam illud est. Sed de his etiam alio loco disputatum à nobis est, & quibus in rebus id liceat, & quæ possint reciprocari, & quam ob causam. Latere autem ne illud quidem oportet, an ita agendum, quemadmodum priores authores, qui quo modo res quæque fieret, quam quomodo esset, tractare maluerunt: non enim inter hæc parum interest. Sed enim exordium quod dictum iam est, ut primum res persequamur, quæ quoque in genere conspectiores, promptioresque habentur: deinde causas reddamus, & generationem. Hoc enim in ædificiis etiam potius evenit. Quod enim forma ædium talis est, aut quod tales sunt ædes, idcirco fieri ædes hunc potius in modum censemus: generatio enim, substantiæ gratia est, non substantia, generationis gratia. Quam ob rem Empedocles pleraque in animalibus propterea ita contineri, quia ita, cum orientur, acciderit, malè ait: ut & spinam haberi talem, quod per contortionem disungi, frangique accidit: nescius & quam semen genitale, quod constiterat, vim talem habere oportet, & quam res, quæ effecerat, prior esset non modo ratione, verum etiam tempore. Gignit etenim homo hominem. Itaque ortus talis evenit specie, quoniam talis, qui gignit, est. Quinetiam de iis, quæ sponte fieri videntur, pariter atque de artificiosis animaduvertere licet. Nonnulla enim vel sponte, eadem, quæ arte, fieri possunt, ut sanitas. His igitur causa efficiens similis antecedit necesse est: ut ars condendarum statuarum prior statuis est, quando sponte fieri nequeunt. Artem autem, operis esse rationem omni abiunctam materia, certum est. Fortuitis quoque ratio similis est: ut enim ars se habet, ita existunt. Quam ob rem censendum ita potissimum, ut ob eam rem membris: his homo constet, quia hoc homini esse est. Non enim fieri potest, ut sine his membris homo sit: sin minus, proximum tamen aliud quicquam opinandum, & vel omnino fieri aliter non posse, vel bene ita fieri tantum posse statuendum. Cum itaque talis res sit, generationem in hunc modum, talèque evenire necesse est. Quapropter membra non sine ordine oriuntur: sed primum hoc, deinde illud, atque in hunc modum omnia, quæ Natura consistunt, disponuntur. Veteres igitur illi, & primi Naturæ interpretes, materiale principium, atque eiusmodi causam, quamnam, qualisque esset, indagaverunt: & quoniam pacto hinc tota orientur, & quo mouente, ut discordia, & concordia, aut mète, aut casu, temeritatèque; spontina, docuerunt: cum subiecta materia talè quandam præ se ferre naturam videretur, ut feruidam ignis, gelidam terra, & alter leuem, altera graue: sic enim Mundum etiam generant. Hæc eadem de ortu plantarum, & animalium quoque referunt. Ventrem enim, alium, omnèque cibi, &

excrementi conceptaculum, ita constitisse, cum in corpore humor laberetur, & rueret: nares ex rupto patuisse, cum spiritus, siue flatus transiret, atque dispelleret. At verò aer, & aqua non nisi corporum materia est. Naturam enim omnes ex iis corporibus componunt, atque constituunt. Quod si homo, cæteraque animalia, membræque eorum Natura constant, dicendum profecto de carne, de osse, de sanguine, denique, de omnibus tam simili, quam dissimili strue compactis: ut de facie, de pede, qua quodque eorum tale sit, & qua ita constant facultate, siue virtute: non enim satis est, eatenus tantum nosse, quibus ex rebus compositum sit, ut igne, terræ: sed perinde agendum, ut si de lecto, aut de quolibet alio generis eiusdem ageretur: formam enim potius, quam materiam eius declarare tentaremus, ut æs, aut lignum: vel si id minus, totius quidem ipsius speciem non ommitteremus: lectus enim hoc in hoc est, aut hoc tale est. Quocirca vel ipsam figuram explanari, qualisque forma sit, indicari congruit: quippe cum formæ natura potior sit, quam materiæ. Igitur si animalium, membrorumque; unumquodque; figura, colorque; est, rectè Democritus differit, qui ex iis ipsis putasse animalia cõstare videtur: quippe qui perspicuum esse dicat, qualis forma sit homo, quasi sua ipse homo quantum figuræ formam habet eandem, tamen homo non est. Adhæc, fieri non potest, ut manus sit quocumque modo cõstans, ut ænea, aut lignea, nisi æquioca nominis communione: sicut quæ picta est, utpote quæ suo fungi officio nequeat. Quomodo nec lapideæ tibie suum assequi munus possunt: neque medicus pictus artem medicinalem exercere potest: pari ratione membrorum quoque hominis vita functi, nullum id esse insuper potest, quod erat, cum viueret: ut oculus, manus, pes, reliqua. Ergo simplici admodum & pingui Minerua dictum hoc est, ac perinde quasi faber de lignea manu loqueretur. Sic enim Naturæ illi exploratores ortus, & causas referunt figurarum: à quibus enim facultatibus condita fuerint, exponunt. Itaque faber securim fortasse, aut terebrum dicet, illi terram, & aerem: sed melius faber, ut qui parum sufficere arbitretur, si usque eò dicat, quod instrumento incidente, partim caua, partim plana extiterunt: sed adiciat, quoniam talem adegerit ictum: & causam, cur ita, exponat, videlicet, ut talem, aut talè formam opus acciperet. Constat igitur non rectè illos differuisse, atque animal tale esse dicere oportere, & quid, qualèque tum id ipsum, tum etiam membrum unumquodque explicari oportere, quomodo de forma lecti docendum est. Ergo si animal, vel anima, vel pars animæ, vel non sine anima est, (quam primum enim à corpore anima discessit, animal esse definit, neque membrum ullum nisi figuræ suæ ratione idem relinquitur, modo eorum, quæ fabulæ transisse in lapidem narrant.) Si hæc, inquam, ita statui debent, hominis Naturæ studiosi sanè interest de anima & differere, & scire: & si non de omni anima, tamen de ea ipsa, quæ tale animal est: & quidnam anima

Generatio- nem substan- tiæ gratia esse.

In omnibus Nature operibus dispositionem esse.

Naturam bifariam intelligi.

Verum scilicet naturalis sit, de omni anima manere.

Rei alicuius causa naturam omnia facere.

animæ, aut certè pars ista animæ sit, aut quæ etiã de iis, quæ tali eius substantiæ accidat: præsertim cum bifariam Naturam intelligamus, ut altera pro materia sit, altera pro substantia: quæ quidè & ut moues, & ut finis est: talisque animalium anima, vel omnis, vel pars aliqua eius sit. Nam ob eam etiam rem, qui de Natura agit, eò amplius docere de anima, quam de materia debet, quò materia Natura potius per animam, quam è contrario est. Lignum enim, & lectus, & tripes, propterea est, quia idem potentia illa est. Sed quæret quispiam, animaduertens ad id, quod modo dixi: Vtrum de anima omni docere naturalis scientiæ interlit, an de aliqua vna. At si de omni, nulla certè præter naturalem philosophiam relinquetur scientia. Intellectus enim, siue mens, rerum intelligibilium est: itaque rerum omnium notiones naturalis vna tenent. Est enim eiusdem scientiæ, ut tam de intellectu, quam de re intelligibili doceat: siquidè eadem contemplatio omnium est inter se coniunctorum, si cut sensus etiam, & rei sensibilis. An non omnis anima principium motus est? neque partibus animæ omnibus id tribui debet, sed augendi principium idem putandum, quod & in plantis, est alterandi vim eandem, quam sentiendi, deferendi autem aliud quiddam, non vim intelligendi: delationem enim vel in cæteris esse animalibus nouimus, intellectum, siue mentem in nullis. Constat igitur non de anima differere omnia oportere: quandoquidem non anima omnis Natura est, sed aliqua eius pars vna, aut etiam plures. Adhæc, rem à materia abstractam nullam potest scientia naturalis contemplari, cum Natura rei alicuius gratia, faciat omnia rebus autem abstractis abiunctum id est, quod sub hoc, cuius gratia, verbo intelligimus. Ut enim ars in artificiosis, ita in rebus ipsis aliquid esse principium aliud, & talis causa videtur, quam ex vniuerso perinde ut caloris, frigidisque primordia habemus. Quam ob rem verisimilius dixerim, cælum & factum esse ab eiusmodi causa, si factum est, & magis esse ob eam causam, quam animalia caduca, atque mortalia. Ordo enim, & rarus, certusque status, longè magis in rebus patet cælestibus, quam in nobis: incerta autem, incõstans, & fortuita conditio in genere mortali potius est. At illi genus animalium quodque Natura constare, existisseque censent. Cælum autem fortè, spontèque tale constituisse volunt, in quo nihil fortunæ, nihil temeritatis depræhendi potest. Rem autem hanc esse illius gratia asserere ubique solemus, quoties finem intelligimus aliquem, in quem motus (si nulla res prohibet) terminetur. Quocirca eiusmodi aliquid esse constat, quod Naturam vocamus. Non enim quodlibet, & utcumque fors tulit, ex quouis semine oritur, sed hoc ex hoc. Neque ex corpore quo libet prodit: principium nanque, & efficiens rei, quæ gignitur, semen est: sunt hæc enim Natura, & præinde ex hoc enascuntur. Atque etiam prius, quam hoc, illud est, unde semine expromitur. Semine enim ipsum generatio est, finis verò substantia: utrisque autem his prius illud est à quo proficiscitur. Semen enim bifariam accipitur, videlicet ex quo, & cuius. Nam & à quo decessit, eius semine est, ut equi: & eius, quod ex illo futurum est, ut muli: verum non eodem modo, sed ut dictum iam est. Adhæc, semen non nisi potentia est. Potentia autem quemadmodum ad a-

ctum se habeat, nouimus. Causæ igitur hæc sunt duæ numero: altera, cuius gratia, altera ex necessitate: multa enim gignuntur, quia necesse est. Sed quæret fortasse quispiam, quam necessitatem intelligi velint, qui res fieri necessarium aiunt: neuter enim accipi potest eorum modorum, qui præfinitur in iis, quæ per philosophiam tractata sunt. Tertius autem iis, quæ habent generationem, rebus est. Alimentum enim neutro illorum modorum esse dicimus necessarium: sed quia fieri non potest, ut res sine eo sit, ideo necessitatem ei adscribimus, quod quasi ex suppositione est: ut enim quia securi scindendum sit, durum aliquid esse necesse est, etsi durum, vel æneum, vel ferreum: ita cum instrumentum sit corpus (est enim tum membrum unumquodque rei alicuius gratia, tum verò totum ipsum) efficitur profecto, ut esse tale, atque ex talibus cõstare necesse sit, si illud, cuius gratia ipsum est, futurum sit. Constat igitur, duos esse causæ modos, ac potissimum vtrunque assequi verbis oportere: sed si minus id fieri potest, tamen pro viribus eniti ad eius significationem: omnesque nihil ferè de Natura docere, qui hoc non dicunt, existimare. Principium enim rerum Natura potius, quam materia est. Empedocles etiam in eam interdum incidit, ductus ab ipsa veritate: & substantiam, atque Naturam esse rationem fateri compellitur: veluti, cum eo quid sit reddit: quippe qui non aliquod elementum unum esse id velit, non duo, aut tria, non omnia, sed missionis elementorum rationem. Igitur & carnem, & cæteras eiusmodi partes hunc eundem in modum esse, apertum est. Causa verò quam ob rem antiquiores illi authores non ad hunc venerint modum, quod quid res esset; atque substantiæ definitionem ipsam explicare haudquam solebant. Sed democritus hæc tetigit primus, non tamen quod ad rerum naturalium studium putauerit necessariam, sed quod ab ipsa re traheretur. Socratis verò temporibus vsus quidem definiendi increuit, sed indagatio rerum naturalium deficit: nam omne philosophandi studium ad vtilem virtutem, ciuilemque vsus translatum est. Licet quod modo dixi, ita demonstrare. Data animalibus spiratio est huius gratia rei: sed eam propter has effici res, necesse est. Necessitas verò aliàs ita significat, ut si res, cuius gratia futura sit, hæc haberi necesse sit, aliàs ita ut sic se habeant, aptaque sua natura ita sint. Egredi enim calorem, rursusque ingredi, cum in re obuia offendatur, aeremque interlabi, necessarium est. Sed cum aer exterior refrigerando retorquet, ingressus, atque egressus caloris interioris rei alicuius gratia agitur. Hic modustrahendi est: hæc ad id genus doctrinæ via, & ratio attinet. Hæc, & eiusmodi, sunt ea, quorum causas accepisse operæpretium esse dicimus.

Principium re- rum non materia, sed Natura.

in propria re traheretur, impelleretur.

Necessitas quid significet.

Contra eos, qui genus singulare in duas diuidunt differentias.

Cap. II.



Vt verò, qui genus in duas secundo differentias accipiant singulare: quod quidem partim non facile, partim nullo pacto fieri potest. Non enim desunt, quorum vna tantum sit differentia, cætera autem super-

h

uaqua sint. Verbi gratia, pedatū, bipes, fisisipes, mult-
 tificum: hæc enim vna potissima est: sin minus, sæ-
 cietate iuncta non distrahenda.
 tificum: hæc enim vna potissima est: sin minus, sæ-
 cietate iuncta non distrahenda. distrahendi non debet, vt, exempli gratia, aues aliæ in hoc, aliæ in illo diuisionis membro collocentur. quod editæ illæ diuisiones faciunt: quippe cū ita fiat, vt animum aliæ cum aquatilibus constituantur, aliæ in alio ponantur genere. Sed vt nomen huic similitudini, auis, illi piscis inditum est, sic aliæ sunt, quæ nomine vacent, vt illa compos sanguinis, aut expers: vtraque enim nomine vno carent. Quod si nihil ex iis, quæ generis societate iunguntur, distrahi debet, frustra illa seorsum in duas partes distinctio agitur, cū seiungi, ac distrahi sit necesse, si ita diuidatur. Sunt enim ex multipedibus alia in terrestri, alia in aquatili genere.

Contra eos qui differentias per priuationes diuidunt.

Cap. III.

Priuationem non esse differentiam.



Priuationem non esse differentiam. Priuatione item diuidere ita necesse est. Et quidem id faciunt, qui seorsum in duo secant. At priuationis, quæ priuatio est, nulla est differentia: non enim fieri potest, vt species eius sit, quod non est, velut impediti, aut impennati, si cur pennati, & pedati. Differentia autem vniuersalis, species habeat necesse est: nam nisi habeat, cur vniuersalibus potius adnumerari, quàm singularibus debeat? Sed quanquam sunt differentia, quæ vniuersales sint, & species habeant, vt pennatus, cū pennarum alia fissa, alia continua sit: pedatus etiam partim multifidus est, partim bifidus, quod in bifalcis animalibus patet: partim continuus nulla fissura diductus, qualis eorum est, quæ solidam habent vngulā: ramentum difficile est, vel in eiusmodi differentias, quarum species sunt, dispartire, vt quoduis animal contineatur in iis ipsis, nec idem in plures veniat, vt pennatum, & impennatum: ambo enim hæc in eadem specie possunt contineri, vt formica, vt nitedula, siue cicindela. Et alia quædam vtrunque recipiunt: omnium verò difficillimum, imò impossibile est, vt in ea, quæ sanguine carent, ita diuidamus. Differentiam vnamquamque in aliquo singulari inesse, & pròinde oppositam necesse est, Quod si fieri non potest, vt iis, quæ specie inter se differunt, species aliqua substantiæ indiuidua, vnāque insit, sed differentiam intercedere necesse est, vt auis ab homine differt. Bipedis enim ratio alia, diuersaque est. Vel si sanguine constant, sanguis discrepat ipse, nisi pro nulla essentia parte debeat haberi. Sed si hoc ita est, differentia vna duobus inrit. Quod si ita sequetur, apertum iam est, impossibile esse, vt priuatio sit differentia. Quinetiam totidem differentia erūt, quot animalia indiuidua: si quidem & ea ipsa indiuidua sunt, & differentia indiuidua: neque vlla differentia communis est. Quod si ita fieri potest, vt non communis, sed indiuidua sit, constat quæ diuersa sunt specie animalia, in eodem, per illam quidem communem contineri. Itaque necesse est, vt si propriae sint differentia, in quas omnia indiuidua cadant, nulla communis sit. Sin minus, quæ diuersa sunt, venient in eandem: cū neque in diuiduum idem, diuersas per distinctionem adire debeat differentias, neque diuersa eandem, atque

Nulla priorum differentiarum communis.

omnia in iis ipsis oporteat contineri. Species igitur indiuiduas colligi ita non posse, vt diuiduntur animalia, aut quoduis aliud genus seorsum in duo secant, apertum iam est: fit enim auctoribus illis, vt vltimas differentias totidē esse, quot animalia omnia indiuidua specie necesse sit. Cū enim genus aliquod sit, cuius differentia primæ album & nigrum habeantur, atque eorum vtrorunq; aliæ sint, itidemque vltimæ vsque ad indiuidua, efficitur profectō, vt vltimæ, aut quatuor, aut aliquo numero eliciantur, videlicet qui ab vno multiplicari possit. Totidem autem species quoque erunt, cū differentia species sit in materia. Neque enim sine materia pars vlla esse potest animalis, neque sola materia: non enim quoquo modo habens quid corpus, animal est, nec partium vlla, vt sæpius dictum est. Adhæc, diuidendum iis rebus est, quæ sita in substantia sunt, non iis, quæ accidunt: vt si quis ita figuras diuidat, vt aliæ angulos pares duobus rectis, aliæ pares pluribus habeant: accidit enim triangulari figuræ, vt pares duobus rectis angulos habeat. Oppositis item diuidendum est: distant enim inter se opposita omnia, vt albedo, & nigredo: vt rectitudo, & curuitas. Quod si altera diuersa sunt, diuidendum per opposita est, & non ita, vt alterum naratione, alterum colore distinguatur. Animata etiam communibus corporis & animæ muneribus diuidenda sunt: quod in iis etiam, quæ modò diximus, patet. Alia enim gressilia sunt, alia volatilia. Sunt enim nonnulla genera, quibus datum vtrunque est, vt partim volucres, partim inuolucres sint, velut formicarum genus: atque etiā syluestris, vrbaniq; ratione ita diuidetur: quod error est. Fit enim, vt quæ specie sunt eadem, hæc distinguere videamur: cū omnia, quæ vrbana sunt, eadē syluestria quoque reperiantur, vt homines, equi, boves, canes in terra Indica, sues, capræ, oves: quæ si equiuoca sunt, nō seorsum distincta sunt, sed si eadē specie, vnūque sunt, iam fieri non potest, vt syluestre, atque vrbani pro differentiis rectè capiantur. Omnino quacunque differentiam diuidis, vna tantum diuisione id accidere necesse est. Quapropter generatim sumere animalia tentandum est, vt à vulgo iam auctore distinctum est genus auis, piscis, cæterorum, quæ singula multis differentiis describuntur: nec bipartita illa sectione agendum est. Sic enim aut omnino fieri non potest, vt institutum assequamur, cū idem in plures cadat diuisiones, & contraria veniant in eandem: aut vna tantum proueniet differentia, quæ vel simplex, vel per cōplexionē speciē vltimā referat. Sed si non differentia differentia accipis, diuisionem effici continuā perinde, vt oratio nē cōiunctione vnā, necesse est, verbi causa, occurrit iis, qui ita diuidere cōsueuerunt, aliud pennatū aliud impennatū: pennati aliud vrbani, aliud syluestre: aut aliud album, aliud nigrum: non enim differentia pennati vrbani, albumve est: sed hoc principium est alterius differentia, impennato autē per accidens est. Quam ob rem pluribus diuidendum protinus differentiis quod vnum est, vt nos censemus: sic enim priuationes differentia facient, quam in bipartita sectione facere nequeant. Apertum vel inde est, fieri nō posse, vt ex singularibus speciebus quicquam accipiamus, bipartita generis sectione, vt quidam fieri posse putarunt. Impossibile est enim vnam

Rebus in substantia sunt, diuidendum.

Diuisio positum.

Ab quoque videtur.

Vniuersalia primū explicanda.

vnam differentiam esse eorum, quæ vt singula diuisionem recipiunt, siue simplicia, siue complexa accipiuntur. Simplicia dico, si non habeant differentia, qualis fisisipedatio est: complexa autem, si habeant, vt multifidum ad fisisipes est: id enim illa sibi vult continuatio differentiarum, quæ de genere per diuisionem deducuntur perinde, quasi quid vnum omnium hæc series referat: quanquam vocabulo euenit, vt vltima tantum differentia esse videatur, velut multifidum, aut bipes: pedatum autem, & multipes superuacua sint. At verò plures huiuscemodi differentias haberi non posse constat eo argumento, quod cū pergis subinde, deuenies quidem ad vltimam differentiam, sed non ad summam, & speciem: quæ quidem differentia, vel fisisipes tantum est, vel omnis complexio: verbi gratia, si hominem diuidens pedatum, bipes, fisisipes componis. At si homo bipes tantummodo esset, hæc differentia vna sufficeret. Sed quoniam hæc vna nō est, multas esse non sub vna diuisione necesse est. Atqui fieri non potest, vt plures eiusdem sub bipartita vna sint sectione, sed singulæ singulis finiant, necesse est: itaque fieri quoque non potest, vt per bipartitam illam diuisionem, aliquod singulare animal accipiamus.

De genere, & specie. Cap. IIII.



Ed quæret quispiam, cur principio homines nō complectendo appellarent nomine vno generis, quod bestias tum aquatiles, tum volucres contineret: sunt enim nonnulli affectus, tum his, tum cæteris animalibus omnibus communes. Veruntamen rectè ad hunc modum definitum, distinctumque est: genera enim quæcunque excessu inter se differant, & plus, minusve recipiant, hæc vni subiecta sunt generi: quæ autem proportionem recipiunt, hæc seorsum posita sunt. Verbi gratia: Auis differt ab aue, aut eo quod magis habeat quicquam, aut superat ratione: aues enim aliæ penna sunt longiore, aliæ breuiore. Pisces verò proportionem ab aibus differunt: quod enim penna in aibus est, hoc idem squama in piscibus habetur. Verum id facere in omnibus non facile est: magna enim pars animalium eadem affecta est proportionem. Sed cū vltimæ species substantia sunt, quæ quidem species nullo speciei discrimine differant, vt Socrates, Coriscus: efficitur profectō, vt vel vniuersalia explicari prius, vel idem sæpius dicere necesse sit, vt dictum iam est. Vniuersalia verò communia sunt: quæ enim in pluribus insunt, hæc vniuersalia appellamus. Sed quæstio existit, vtra tādē tractari debeant: qua enim substantia est id, quod specie indiuiduum est, potissimum dixerim fore, si quis de singulis indiuiduis specie seorsum considerare potuerit: atque vt de homine, ita de aibus esse agendum. Habet enim hoc genus species: sed non de iis, verū de singulis indiuiduis aibus, vt de passe, de grue, de reliquis huiuscemodi. Sed si ita eueniet, vt sæpe de eodem dicatur affectu (quoniam cōmunis pluribus sit) efficietur sanè, vt seorsum referre de singulis, & subabsurdum sit, & prolixum. Cæterum scitè fortasse agatur, si quæ ad genera attinet, ea communi negotio explicemus: videlicet quæ rectè ab hominibus definita dicuntur, quæque naturam

singula vt socrates & coriscus appellat. hoc vno Aristotelis specie: ~

fortiuntur communem, & species non longè inter se differentes complectuntur, vt auis, vt piscis, & si quid aliud sit, nomine quidem vacas, sed genere pari modo species continens. Quæ autem non eiusmodi sunt, hæc singillatim doceamus: vt de homine, & si quid aliud tale habeatur. Genera autem si quæ similitudinem præ se ferant, figuris ferè partium, totiusque corporis describuntur: quale genus auium, aut piscium est. Mollia etiam, atque ostrea, si gurarū affinitate sua genera describunt: partes enim eorum non proportionis similitudine discrepant, quomodo os hominis, & spina piscis, sed potius affectionibus corporis, id est, magnitudine, paruitate, mollitie, duritate, lenitate, asperitate, & reliquis generis eiusdem: atque omnino eod quod magis, minusve quicquam habeant. Sed quemadmodum ratio tractandæ Naturæ probari debeat, vtq; de iis rebus via apta, facillimèque contemplari, docerèque possimus, atque etiam de diuisione, quem in modū fieri possit, vt commodè species sumantur, & quare bipartita sectio partim fieri nequeat, partim frustra fiat, dictum iam est. Quæ cū iam præfinita, explicatæque sint, de iis, quæ deinceps sequantur, agamus, indèque ordiamur.

De substantiis naturalibus, partim mortalibus, partim immortalibus.

Cap. V.



Substantia, quæ Natura constant, partim ingenita, immortalesque seculis omnibus sunt: partim ortus participes, atque interitus intelliguntur. sed partem illam æternam, & pròinde nobilem, ac diuinam minus contemplari propterea possumus, quod admodum pauca illius modò sensui patent, quorum beneficium de ea ipsa parte diuina, tum de iis, quæ nosse cupimus, facultas nobis cogitandi, indagandique suppeditetur. Res mortales, atque caducas, vt stirpes, vt animantes, quod eas socias, familiaresque habemus, nosse vberius possumus: quippe cū multa inesse quoque in genere percipere possit, quicunque non laborem recusat pleniorum: vtrunque tamen studium nos delectat. Res nanque illas superiores, tamen leuiter attingere possumus, tamen ob eius cognoscendi generis excellentiam amplius oblectamur, quàm cū hæc nobis iuncta omnia tenemus: quemadmodum quamlibet partem, minimamque corporis nostrarum puellæ deliciarum vidisse gratius, ac iucundius est, quàm cæterorum hominum membra tota perspexisse, & contrectasse. At hæc inferiora, quia & plura sunt, & cognosci plenius possunt, idcirco præstantiam sibi scientiæ vendicant. Quinetiam quod & nobis propiora, & Naturæ familiariora sunt, hinc aliquid cum rerum diuinarū studio rependunt, atque compensant. Sed cū iam satis de illis egerimus, nostramque explicarimus sententiam, restat vt de animante Natura differamus, nihil pro viribus omittentes, vel vilius, vel nobilius. Nam & in iis, quæ hoc in genere minus grata nostro occurrunt, sensui, Natura parens, & author omnium miras excitat voluptates hominibus, qui intelligunt causas, atque ingenue philosophantur. Absurdum enim, nullaque ratione probandum est, si imagines quidem rerum naturalium, non sine de-

Genera inquam similitudinem præ se ferant, figuris ferè partium, totiusque corporis describuntur: quale genus auium, aut piscium est. quomodo de scribenda sunt.

Diuina minus contemplari propterea possumus, quod admodum pauca illius modò sensui patent, quorum beneficium de ea ipsa parte diuina, tum de iis, quæ nosse cupimus, facultas nobis cogitandi, indagandique suppeditetur.

sed in eis, & magis vni. deq. agitur. vniuersalia vniuersalia qui vniuersalia

Philosophantium voluptates

lectatione propterea inspectamus, quod ingenium vnâ contemplamur, quod illas condiderit, id est, artem pingendi, aut fingendi. Rerum autem ipsarum Naturæ ingenio, mirâq; solertia constitutarum contemplationem nō magis persequamur, atq; ex oscu semur, modò causas perspicere valeamus. Quâ ob rem viliorum animalium disputationem, perpensio nemque fastidio puerili quodam spreuisse, molesté que tulisse, dignum nequaquâ est, cum nulla res sit Naturæ, in qua non mirandum aliquid inditum habeatur. Et quod Heraclitum dixisse ferunt ad eos, qui cum alloqui eum vellent, quod fortè in casa furnaria quadam caloris gratia sedentem vidissent, accedere temperarunt: ingredi enim eos fidenter iussit, quoniam, inquit, ne huic quidē loco dii desunt immortales. Hoc idem in indaganda, quoque natura animantium faciendum est. Aggredi enim quæq; sine vilo pudore debemus, cum in omnibus Naturæ numen, & honestum, pulchrūque insit ingenium.

Quippe cum Naturæ operibus iunctum illud præcipue sit, vbi nihil temerè, vicèque fortuita committatur, sed alicuius gratia omnia agatur. Finis autem, cuius gratia quicquam vel constat, vel cōditum est, boni, honestique obtinet rationem. At verò si quis cæterorum animalium contemplationem ignobilè, abiectamque putat, iam hic de se quoque idem arbitrari debet. Non enim fieri potest, vt ea sine magna abominatione inspiciamus, ex quibus corpus constat humanum, vt sanguinem, carnem, ossa, venas, reliqua generis eiusdem. Omnino ita censendum, vt qui de quauis corporis parte, aut de vase aliquo disputat, non de materia, aut eius materiæ gratia doceat, sed formæ totius ratione: sicut & cum de ædibus agitur, non de lateribus, non de luto, non de lignis, sed de forma ipsarum ædium docemus. Pari ratione qui de Natura agit, de compositione, totaq; substantia tractet, non de iis, quæ nunquam euenit vt à substantia separentur. Sed primùm ea distingui singulis in generibus necesse est, quæ per se animalibus accidunt omnibus: post verò causas persequi eorum conandum est. Quod igitur antè diximus, multa in multis animalibus insunt communia, partim simplici ratione, vt pedes, pennæ, squamæ, atque etiâ affectus similiter: partim proportione. Proportione, inquam, quod aliis pulmo datus est, aliis pul-

mo quidem negatus, sed vice pulmonis iunctum aliquid est, quod pulmoni respondeat. Aliis item sanguis inest, aliis sanguinis proportionale, quod eandem in genere exanguis obtinet vim, quam sanguis in compote illo sanguinis habet. Verùm si seorsum de singulis disputetur, eueniet quod dictum iam est, vt sæpe eadem iterentur, dum de omnibus, quæ adiuncta sunt, agitur: quippe cum eadem compluribus iuncta habeatur. Hæc ita placeat præfiniri, & statui.

Cum autem instrumentum omne rei alicuius gratia sit, & partes corporis quasque gratia esse alicuius videamus, id autem ipsum esse alicuius gratia, non nisi pro aliqua actione sit, patet iam totum etiam corpus constare alicuius gratia actionis plenioris. Non enim sectio, ferræ gratia facta est, sed ferra sectionis gratia, cum sectio quædã vsio sit. Quapropter corpus etiam totum animæ gratia cōditum est, & membra officiorum gratia constant, & munerum, ad quæ singula accommodantur. Primùm igitur actiones, tum omnium communes, tum eas, quæ suæ singulis generibus, speciebusq; habeantur, exponi oportebit. Cōmunes dico, quæ adiunctæ omnibus sunt animalibus: suas autem, propriasque appello, quarum differentias per excessum siue superantiam comparando accipimus. Verbi gratia: Auem pro genere pono, hominem pro specie, & quodcunque ratione illa vniuersali, nullam differentiam recipit. Nam alia proportione, alia genere, alia specie rationem complent communitatis. Quorum itaque actiones rerum aliarum gratia dispensatæ sunt, hæc etiam, quorum sunt actiones, modo eodem inter se differunt, quo actiones. Item si quæ priores sint actiones, & pro fine aliarum capiuntur, quo modo ipsæ se habent, eodem membra etiam habent, quorum illæ sunt actiones. Adde tertium: quæ cum sint, aliquid inesse necesse est. Affectus, & actiones intelligi volo; ortum, incrementum, coitum venereum, vigiliam, somnum, incessum, & quæcunque huiusmodi alia possunt generi animalium tribui: membra appello, nasum, oculum, atque etiam totam faciem, partes quoque vocamus. Pari modo de cæteris item intelligendum est. Sed de modo, viâque tractandi hæcenus, causas nunc explicare, tum commune: tum priorum conemur, exorsî à primis, si cut statuiamus.

ARIST

ARISTOTELIS STAGIRITAE de Partibus Animalium, & earum Causis, Liber Secundus,

Theodoro Gaza Interprete.

Triplicem esse rerum omnium compositionem.

Cap. I.



EX quibusnam, & quot numero membris singula animalia constarent, libris historiarum, qui de his scripti à nobis sunt, plinius explicauimus: nunc quas ob causas quæque ad hunc modum ita se habent, consideremus: videlicet ita, vt omnis ratio seiuncta ab iis, quæ per historias exposuimus, tractetur. Cum itaque triplicis sit compositio, prima statui potest ea, quæ ex primordiis conficitur iis, quæ nonnulli elementa appellant, terram dico, aquam, aerem, ignem: sed melius fortasse dici potest, ex virtutibus confici elementorum, iisque non omnibus, sed vt antè expositum est: humiditas enim, & siccitas, & caliditas, & frigiditas, materia corporum sunt compositorum. Cæteræ autem differentia eas sequuntur, vt grauitas, leuitas: densitas, raritas: asperitas, lenitas, & reliquæ id genus affectiones. Secunda cōstitutio ex primis illis natura similarium partium in animalibus est, vt ossis, vt carnis, & reliquorum generis eiusdem. Tertia, & vltima numero, partium dissimilarium est, vt faciei, manus, & reliquorum eiusmodi membrorum. Sed cum contrà in generatione, atque in essentia agatur: quæ enim posteriora sunt generatione, hæc Natura priora sunt: & quod primum Natura est, id vltimum est generatione. non enim ædes, laterum, aut lapidum gratia sunt, sed hæc ædium gratia petuntur: quod idem de quauis alia materia intelligimus. Nec inductione tantum id patet, verum etiam ratione. Omne enim, quod gignitur ex aliquo, & ad aliquid suam generationem deducit, & à principio ad principium pergit, hoc est, ab eo, quod primum mouet, & naturam iam aliquam obtinet, ad formam aliquam, aut talem quempiam finem: homo enim hominem gignit, & stirps stirpem, ex materia, quæ subiecta singulis est. Cum igitur generatio, & essentia ita se habeant, tempore materiam, generationemque esse priorem necesse est: ratione verò essentiam rei cuiusque, & formam. Patet hoc definitione generationis: quippe cum ædificationis definitio contineat ædium definitionem, ædium definitio nō contineat ædificationis definitionem: idemque in cæteris rium partium. Quam ob rem elementorum materiam

esse similarium partium gratia necesse est. Sunt enim hæc posteriores illis generatione: iis autem ipsis dissimilares sunt posteriores. Iam enim finem hæc tenent, ac terminum, ternario constitutionem adeptæ numero, scilicet vt perfici generationem in multis Natura fert. Constant igitur animalia ex vtroque membrorum hoc genere. Verum similia dissimilariū gratia habentur: illorum enim officia sunt, & actiones, vt oculi, vt narium, & faciei totius: item digiti, manus, & brachii totius. Sed cum actiones, motionesque multiformes, tum animalibus totis, tum etiani membris eiusmodi tribuantur. diuersa virtutibus esse ea, ex quibus constant, necesse est: ad alia enim mollietates, ad alia durities commodior est: & alia intendi, alia flecti debent. Itaque partes similiares obtinent sibi vires eiusmodi singillatim accommodatas: alia enim mollis, alia dura, & alia humida, alia sicca, & alia lenta, alia rigida. At verò dissimilares, plures, & compositas vires continent: vis enim alia ad premendum, alia ad mittendum commodam manu est. Quam ob rem partes organica, quas officiales, & instrumentarias licet appellare, ex ossibus, neruis, carne, cæterisque eiusmodi constant, nō illa ex iis. Causa, cuius gratia, cur hæc ita se habent, hæc est. Sed cum præterea quærat, quam ob causam hæc ita se habere necesse sit, ratio manifesta est, quod iam præfuit, vt ita se inuicem ex necessitate haberent: dissimilares enim constare ex similaribus possunt: tum pluribus, tum etiam singulis, vt viscera nonnulla. Constant enim ferè omnia multiformi figura, quæ ex corpore simili condita habentur. At fieri non potest, vt similiares ex dissimilariibus conficiantur: sic enim pars similis multæ essent dissimilares. His de causis membra animalium, alia strue simplici, similarique constant: alia composita, & dissimilaria sunt. Cum autem partes alia instrumentaria, alia sensoria sint, instrumentaria omnes, vt dictum iam est, dissimilares sunt: sensus autem omnibus contingit per similiares, scilicet propterea, quod quiuis sensus vnius generis certi est, singuleque sensoria partes singulorum sensibilibus generum capaces habentur. Afficitur etiam, quod potentia est, ab eo, quod actu est, ita quod idē sunt genere, vnumque illud & hoc sunt. Quam ob rem manum, aut faciem, aut aliam quamuis eiusmodi partem, nullus Naturæ interpres terram, aut aquam, aut ignem esse conatur exponere: partes verò sensorias singulas esse

Elementa esse gratia similarium partium.

Naturam nihil temerè agere.

Formæ magis quam materiæ ratio habenda.

Proportione communia.

Copy membrorum gratia sunt.

Affectus actiones.

Membra.

Similiares partium propter dissimilares.

Pro varietate actionum varietatem partium requiri.

Sensum per similiares partes fieri.

Sensu in primis sensibus mixta non ex elementis, sed formam confici sicut ex virtutibus elementorum.

mentis singulis tribuunt, vt aliam aerem, aliã ignem esse confirmant. Sed cum sensus in partibus simplicibus positus sit, euenit ratione optima, vt tactus se dem similitudinem quidem, sed minime simplicem for- tiatur: quippe qui maximè vim recipiendi plura genera videatur habere, multasque præ se ferre cõtrarietates sui obiecti: verbi gratia, caliditatem, frigiditatem, siccitatem, humiditatem, alias etiam generis eiusdem: & quidem caro in quavis earum qualitatam sentiendarum posita est, aut quod carni proportione respondet, corpulentissimum omnium partium sensibus accommodatarum est. Quinetiam cum fieri non possit, vt animal sit carens sensu: eo quoque efficitur necessariò, vt membra nonnulla similia in animalibus habeantur: vis enim sentiendi sita in his est, actiones autem per dissimilia administrantur. Sed cum vis sentiendi, vis mouendi, vis nutriendi, eodem in membro contineantur, quod alio loco explicatum à nobis est, fit necessariò vt membrum, quod primum principia eiusmodi teneat, id & simplex eo debeat esse, quã omnium capax sensibilem est: & dissimulare eo, quã moues, & agens est. Quam ob rem in genere exanguis, hoc est, experte sanguinis, animalium proportionale est: in sanguineo autem, id est, compote sanguinis, cor tale habetur membrum: quippe cum cor & in partes similes secetur, quemadmodum quoduis ex aliis visceribus: & dissimulare sit, propter suã figurã formã. Cætera etiam omnia viscera appellata, secuta hoc sunt: quippe quæ ex eadem materia constant. Natura enim eorum omnium sanguinea est, quoniam posita sunt ad meatus venarum, atque intercapedines. Igitur perinde, quasi sãx aquæ profluētis, cætera viscera, veluti profusiones sanguinis per venas fluentis, consistunt. At verò cor, quia sanguinis initium est, & vim creandi sanguinis primam obtinet, idcirco ex tali materia consistere, quale recipit alimentum, ratio est. Sed quam ob causam viscera forma sanguinea sint, & partim similia, partim dissimilia, dictum iam est.

vt sentire q carosr sensus. factus.

A&iones per dissimilia administrantur.

viscerum natura.

Græcè est præcipuum id est, venarum.

Partium similiarium alias molles, & humidas, alias siccas, & solidas esse: deque ordinis similiarium discrepantia, deque calidi, & frigidi acceptionibus, eorumque excessu.

Cap. II.

Partes similiares humida.

Partium autem similiarium aliæ moles, & humidæ sunt, aliæ duræ, & solidæ. Humidæ vel omnino, vel quandiu in constitutione Naturæ manent, sanguis, sanies, adeps, seuum, medulla, genitura, lac, vbi haberi solet, caro, & quæ iis proportione respondet: non enim omnia animalia partes has obtinent, sed sunt quæ ad proportionem nonnullarum ex iis constent. Siccæ, ac solidæ inter similiares sunt, os, spina, nervus, vena. Ordo enim similiarium discrepat: quippe qui nomẽ partim commune toti cum parte feruet, vt venæ pars, vena rectè appellatur: partim non feruet, vt in visceribus patet: figura enim diuersa est. Primum igitur partibus his, tum humidis, tum siccis, multi causæ modi tribuntur, cum aliæ tanquã materia membrorum dissimilariũ sint: ex iis enim mem-

Similiares sicca.

bra quæque officialia, siue instrumentaria constant, ossibus, nervis, carnibus, aliisque generis eiusdem, quæ partim ad essentiam, partim ad actionem conducunt: aliæ nutrimento sint, vt humidæ siccis. Etenim omnia ex humore sua capiunt alimenta: aliæ vt excrementa earum sint, accidit: vt sedimentum siccum alimenti, atque etiam humidi in iis, quibus vesica data est. Earum autem ipsarum partium discrimina, quibus inter se discrepent, notæ melioris gratia habentur, vt tum aliarum, tum sanguinis ad sanguinem: alius enim tenuior, alius crassior est: & alius syncerior, alius turbulentiore: item alius frigidior, alius calidior, tam in eodẽ animali, quàm in diuersis. Quantum enim sanguinis parte corporis continetur superiori, his differentiis discrepat cum inferiori. Omnino animalibus aliis sanguinem dedit Natura, aliis vice sanguinis partem eiusmodi aliam. Est certe roboris efficacior sanguis, qui crassior, & calidior est: vim autem sentiendi, intelligendique obtinet plenior, qui tenuior, atque frigidior est. Hoc idem discrimen in iis quoque habetur, quæ sanguini proportionem respondent. Quam ob rem apes, atque eiusmodi alia animalia ingeniosiora multis carentibus sanguine sunt: necnon inter ea, quæ sanguinem habent, ingeniosiora suis contrariis sunt, quæ sanguinem habent frigidior, & tenuior. Sed optimè constant quæ calidum, tenuem, & syncerum habet: quippe quæ vnã & viribus corporis, & animæ ingenio plurimum valeant. Quapropter pars etiam superior corporis ea ipsa differentia dissidet cum inferiori, & foemina cum mare, & dextra pars cum sinistra eiusdem corporis. Pari modo cæteris quoque tam eiusmodi partibus, quàm dissimilariis, statuere differentiam debemus, partim ad officia, & essentiam cuiusuis animalis partim ad melius, deteriusve. Exempli gratia, inter ea, quæ oculos habent, alia duris oculis sunt, alia humidis: & alia carent palpebris, alia habent, vt visus sit exquisitior. Sanguinem verò haberi, aut quod eandem, quam sanguis, naturam obtineat, quàm necesse sit, atque etiam quenam sanguinis sit natura, explicandum suis iam causis est, si prius calidi, frigidique rationem distinxerimus. Natura enim rerum multarum ad ea ipsa principia refertur. Compluresque ambigunt, quenam animalia, membræve, calida, aut frigida sint. Etenim nonnullis aquatilia terrestribus esse calidiora placet, argumento, quod naturæ frigiditas calore naturæ eorum compensetur. Sanguine etiam destituta, iis, quæ sanguinem obtinent, esse calidiora: & foeminas amplius, quàm mares calere arbitrantur. Parmenides enim, mulieres esse viris calidiores, author est: quod idem quibusdam etiam aliis placuit, argumento copiam sanguinis, qua menstrua fiunt. Empedocles contra opinatur. Sanguinem etiam, & bilem alii inter calida enumerant, alii inter frigida. Quod si calidum, atque frigidum tantam recipiunt ambiguitatem, & controuersiam, quid de cæteris arbitrari debeamus? Hæc enim omnium, quæ sensum patiuntur, apertissima sunt. Sed quæstio hæc orta inde videtur, quod calidum multifariam dicitur: quisque enim, quauis contraria dicat, tamen aliquid dicere videtur. Quam ob rem nosse oportet, quemadmodum rerum naturalium constitutarum partim calidæ, partim frigidæ, & aliæ siccæ, aliæ humidæ

Sanguis ferentis.

Elementorum naturalium initia quæ.

Alterum altero calidius esse, pluribus modis dici.

Elementum...

midæ dici debeant. Nam vite quoque, & mortis causas hæc habere, atque etiam somni, & vigiliæ, iuuentutis, & senectutis, & morbi, & sanitatis: non asperitatem, aut leuitatem, non grauitatem, aut leuitatem, nihil ferè tale apertum esse videtur, & rectè quidẽ. Sunt enim hæc, vt alio loco exposuimus, initia elementorum naturalium: calidum dico, frigidum, siccum, humidum. Vtrum igitur simplici ratione, an multiplici calidum dicatur? Sed quodnam officium rei calidioris sit, aut si plura sint, quot numero sint, declarandum est. Primo igitur modo calidius dicitur id, quod ampliore inuehit sensum, cum tangitur, nec sine dolore: quod quidem fallere interdum videtur. Nam fieri potest, vt corporis habitus causam dolendi afferat, cum sentitur. Adhæc, calidius, quod rei liquabilis liquantius, & rei cremabilis cremantius est. Item si alterum plus, alterum minus sit, idem, quod plus est, hoc altero, quod minus, calidius est. Preterea, quod de duobus non citò, sed lentè frigescit, id calidius est: & quod citius calefit, eo, quod lentius, natura esse calidiori censemus: perinde quasi alterum sit aduersum, vt remotius: alterum simile, vt propinquius. Alterum igitur altero calidius esse, etsi non pluribus, tamen tot modis dicitur: qui modi omnes eidem inesse non possunt. Aqua enim feruens plenius calefacit, quàm flamma: sed flamma vrit, & liquat rem, vri, aut liquari idoneam: quod aqua efficere non potest. Item aqua feruens calidior est, quàm ignis exiguus: attamen citius, magisque refrigescit, quàm ignis, quauis exiguus: quippe qui frigidus nunquam fiat, cum aqua omnis refrigerari possit. Ad hæc, aqua feruens calidior sentitur, sed celerius refrigescit, & congelascit, quàm oleum. Sanguis præterea tactu calidior, quàm aqua, aut oleum est, sed celerius gelascit. Lapis etiã, ferrum, & reliqua generis eiusdem, lentius quidem calefiunt, quàm aqua, sed vbi calefacta fuerint, vrere vehementius possunt. Postremò ea, quæ calida esse diximus, calorem aut externum continent, aut suum. Plurimum autem refert, hoc an illo modo calidum quicquam sit: alterum enim eorum propè est, vt calidum per accidens sit, non per se: perinde quasi, si febrenti musicum esse accidit, dixeris musicum esse calidior, quàm eum, qui calidus sanus est. Sed cum aliud per se calidum, aliud per accidens sit, refrigescit quidem lentius, quod per se calidum est. Sed sepe fit, vt sensu vehementius calefaciat id, quod per accidens calidum est. Item amplius vrit, quod per se calidum est, vt flamma, quàm aqua feruens: sed tactu amplius calefacit aqua feruens, quæ per accidens calida est. Itaque iudicium, vtrumnam ex duobus calidius sit, non esse simplex, apertum est: quando fieri potest, vt hac alterum, illa alterum ratione calidius sit: nonnulla ex iis ne dici quidem simpliciter calida, aut non calida possunt. Subiecto enim quod tandem sint, non calida sunt, sed per associationem calida sunt: velut si ferro calido, aut aquæ nomen impones: hoc enim modo sanguis calidus est. Et quidem patet, frigiditatem aliquam esse naturam, non priuationem in iis, quorum subiectum calidum per affectionem, siue passionem est. Natura etiam ignis tale quid fortasse est: subiectum enim forsitan est, vel fumus, vel carbo: quorum alterum semper calidum est, quippe cum fumus non ni-

si exhalatio sit: carbo autem extinctus frigidus est. Oleum, & teda effici frigida possunt. Adusta etiam ferè omnia aliquid habent caliditatis, vt calx, cinis, sedimenta animalium, & inter excrementa fel, eò quod feruore nimio exaruerint, relictumque sibi contineant aliquid caliditatis. Teda, & quoduis pingue alio modo calidum est, videlicet quod celeriter in actum ignis mutari potest. Calor autem vim tum cogendi, tum liquandi habere videtur. Quæ igitur aquæ vnus sunt, ea frigore coguntur: quæ terræ, igne calida etiam indurantur: frigore celeri, atque irresolubili concretu, quæ terram potius præ se ferunt: leuius autem, quæ aquam. Sed de his planius alio loco definitum à nobis est, scilicet quenam cõ crescere apta sint, & quibus causis stringantur. Calidum verò, & calidius, cum multifariam dicatur, non eodem modo rebus iungetur omnibus: sed addere debetis, aliud per se esse calidum, aliud plerumque per accidens. Item aliud potentia, aliud actu: & aliud hoc modo, quod tactum amplius calefaciat: aliud, quod flammam excitet, atque igniat. Quod si calidum multiplici ratione dicatur, frigidum quoque pari ratione sequatur, necesse est. Atque de calido, frigido, excessuque eorum, ad hunc modum definisse satis sit.

Caloris vis diueria pro materia varietate.

De sicco, & humido disputatio.

Cap. III.



Sequitur vt de sicco, & humido, modo superiorum disseramus. Nam ea quoque multifariam dici solent, vt alia sicca, aut humida potentia sint, alia actu. Gelu enim, omnemque humorem concretum siccum dicimus actu, & per accidens, cum tamen potentia, & per se humidus sit: contra, terra, cinis, & reliqua generis eiusdem mista humori, humida actu, & per accidens redduntur, quanquam per se, atque potentia sicca sunt. At vbi hæc separata fuerint, quod aqua refertur est, id & actu, & potentia humidum est. Quæ autem terræ propria sunt, hæc omnia sicca sunt. Et quidem quod proprie, ac simpliciter siccum est, hoc modo maximè intelligitur: altera etiam, humida dico, hæc eadem ratione, qua calida, & frigida, proprii, absolutique nomen recipiant. His ita præfinitis, apertum iam est, sanguinem quodam modo calidum esse, videlicet eo, quale est ei sanguini esse, perinde quasi aquam feruentem nomine vno significemus. At verò subiecto, & quod tandem cum sit, sanguis est, non calidus est: & quodam modo per se calidus, quodam modo nõ per se calidus est. Caliditas enim in eius ratione inest, quemadmodum albedo in albi hominis ratione. At eo, quæ sanguis per affectionem siue passionem est, non per se calidus est. Pari modo de sicco, & humido statuendum est: quapropter in eiusmodi rerum Natura, partim calida, & humida sunt: sed separata congelascunt, & frigida esse videntur, qualis est sanguis: partim calida, crassioraque sunt, vt bilis: sed separata ab eorum, in quibus habentur, natura, contra afficiuntur: quippe quæ refrigerentur, atque humescant: sanguis enim siccior redditur, bilis flaua humidior. Magis autem, minusve participari

Sanguis quo modo sit calidus.

Virgilio huius que sanguis est...

opposita, velut rem insitam his, statuere debemus. Explicatum iam est, quonam modo sanguinis natura particeps sit caliditatis, humiditatis, aut contrariarum qualitarum. Sed cum omne, quod augetur, capiat alimentum, necesse sit, alimentum autem omnibus ex humido, & sicco suppedietur, quorum concoctio, & mutatio non nisi per caloris vim agitur, fit vt tam animalia omnia, quam stirpes, etsi non alia de causa, tamen ob eam rem principium caloris naturale habeant, necesse sit: idque ipsum partibus sit pluribus accommodatum, quemadmodum cibi conficiendi administrationes. Prima enim administratio perspicua est, cum per os, partisque ore contentas perficiatur animalibus, quorum cibus sectionem desideret: sed hæc nullius causa est concoctionis, sed facilitatem concoquendi potius præstat. Cibi enim illa minutatim diuisio facit, vt calor facilius conficiendo expediat: at superior, & inferior venter, iam cum calore naturali suo conquendi officio funguntur. Sed vt os animalis cibi inconfecti meatus est, atque etiam pars ei annexa, quam gula appellat, cibum quibus data est animalibus vsque ad ventriculum deducit: sic alia quoque adesse principia oportet, quorum opera membra omnia corporis ex ventre, naturaque intestinorum, quasi præsepi pabulum capiant. Stirpes enim, siue plantæ suis radicibus alimentum iam confectum ex terra hauriunt: quocirca ne excrementum quidem contrahi in stirpibus solet: terra enim, caloræque eius perinde, ac ventre, vtuntur. At animalium genus omne ferè, sed apertè quæ incedunt, quasi terram intra se continent sinum ventris, ex quo, vt illæ radicibus, ita hæc aliquo intercedente, cibum assumere debent, donec finem sequentis concoctionis faciant. Cibus enim ab oris officio ventri mandatur: hinc membrum aliud capiat, necesse est, & quidem ita Natura constituit. Venæ enim per totas lacæ ad ventrem tendunt vsque, exorsæ inferius. Sed hæc ex animalium confectione, commentationeque naturali petenda sunt. Cum autem omnis alimentum, omnisque excrementum conceptaculum aliquod haberi necesse sit, venæque quasi vasa sint sanguinis, patet, sanguinem esse animalibus sanguineis vltimum alimentum: exanguibus verò id esse, quod vice sanguinis habeatur proportionale. Quam ob rem quoties cibus non ingeritur, sanguis deficit: quoties ingeritur, augetur. Et si alimenta bona assumuntur, sanguis integer est, si praua, vitiosus. Igitur sanguinem alimenti gratia datum esse animalibus sanguine præditis, apertum ex iis, cæterisque eiusmodi rationibus est. Nam ob eam rem sanguis ne tactus quidem sensum mouere potest, sicut nec cætera excrementorum genera. Nec verò alimentum sensum mouet, vt caro: hæc enim sensum, cum tangitur, mouet. Non enim sanguis continuus carni, neque cognatus est, sed in corde, ac venis, quali vasis, continetur. Sed quonam modo membra ex sanguine sua capiant incrementa, atque etiam de alimenti omnino ratione differere, cum de generatione agemus, locis que aliis, aptius est. Nunc hæctenus dictum sit: non enim plus hic locus desiderat, quam vt sanguinem esse alimenti gratia, & alimenti membrorum causa, exploratum habeatur.

Cibi concoctio & mutatio vi caloris fit.

mychicatio est concoctio.

Plantarum alimentum.

Vltimum alimentum sanguis.

Fortè legendum alimentum.

De fibris, & quæ animalia ijs careant, deque metus causa, & sanies natura.

Cap. IIII.



Vas autem fibras vocant, non omnis continet sanguis: sed sunt qui non habeant, vt ceruarum sanguis, & damarum: quam ob rem id sanguinis genus nunquam spissatur. Sanguis enim, qui dilutior est, frigidior est: itaque durescere non potest. Qui autem terrenus est, nimirum coit, cum humor euaporatur. Fibræ autem illæ terræ sunt opificium. Quoniam etiam euenit, vt nonnulla ex iis animalibus, quæ talem obtinent sanguinem, sapientiora sint: verum non sanguinis frigiditate, sed potius tenuitate, atque munditia, quorum neutrum in terreno est. Habent enim sensum mobiliorem, quorum humor tenuior, & syncerior est: hinc etiam nonnulla ex iis, quæ sanguine vacant, animalibus, prudentiora nonnullis sanguinem habentibus sunt, vt dictum iam est. Verbi gratia, apes, formicæ, & si quid aliud tale est, timidiora, quibus sanguis dilutus nimium est: metus enim refrigerat. Itaque ea, quibus eiusmodi temperamentum in corde habetur, metuendi affectioni sunt opportuniora: aqua enim frigore congelascit. Quam ob rem cætera, quæ exanguia, timidiora sanguineis sunt animalibus, (quod simpliciter dixerim) ac mota cessant præ nimio metu, & excrementa emittunt: nonnulla etiam suos colores immutant. Quorum autem sanguis fibris admodum multis, crassisque refertus est, hæc terrena amplius constant natura, & animosa, iracunda, proindeque furibunda sunt: ira enim calorifica est. Solida autem, firmioraque omnia concalescunt, vehementius, quam humida, calefaciunt. Fibræ verò solidæ, terrenæque sunt: itaque quasi formata in sanguine efficiuntur, feruoremque per iram accendunt. Ex quo fit, vt tauri, & aprî animosi iracundi, furibundique sint: sanguis enim eorum fibris refertior est. Et quidem taurorum sanguis omnium celerrimè coit, & durescit. At si fibras detraxeris, sanguis non cogetur. Vt enim si ex luto terrenam portionem semoueris, aqua non concresecet, ita sanguis, fibris detractis, incongelabilis manet: fibrarum enim natura terrena est. Quod si non eximantur, cogitur, vt terra humida, frigore. Cum enim calor exprimitur, humor vnâ trahitur, atque euaporatur, vt dictum iam est: atque ita concresecit, non à calore siccescens, sed à frigore. At verò quandiu in corpore continetur, humidus est propter calorem animalibus inditum: profectò naturam sanguinis causam esse, cur permulta animalibus veniant, tum per mores, tum etiam per sensum, ratio est: materia enim totius corporis est. Quippe cum alimentum materia sit, sanguis autem vltimum alimentum habeatur. Facit igitur, vt plurimum differentia existat, si calidus, aut frigidus sit, si tenuis, aut crassus, si turbulentus, aut nitidus. Sanies pars diluta, siue aquosa sanguinis est, eò quod aut nondum concocta, aut corrupta est. Itaque id vel sanies necessariò est, vel sanguinis gratia est.

Quibus motus & substantia.

Timida animalia sunt.

Animosa quæ.

Sanies.

Sanies.

De seuo,

De seuo, & adipe, eorumque differentia, & quæ animalia seuum, quæ item adipem habeant. Cap. V.



Seuum, & adeps inter se differunt, sanguinis ratione. Est enim eorum vtrique sanguis concoctus per bonitatem enutriendi: consistitque ex eo, quod in pulpam quidem animalis non absumitur, sed concoctionis, alimentique bonitate præditum est. Indicat id pinguedo eorum, cum pingue inter humida, commune ignis, & aeris sit. Quam ob rem nullum ex iis, quæ sanguine carent, vel adipem habet, vel seuum, quandoquidem sanguis deest. Quorum autem sanguis copulentior est, hæc seuum potius habent: seuum enim terrenum est. Vnde fit, vt modo fibrosi sanguinis cogatur, tam ipsum, quam eiusmodi ius, cum parum aquæ, multum terræ contineat. Quam ob rem quæ non vtrique, dentata, sed cornigera sunt, hæc seuum habent. Naturam eorum refertam esse huiusmodi elemento patet, eò quod cornua gerunt, talisque obtinent: quæ quidem omnia natura sunt arida, & terrena. At verò genus vtrique, dentatum, & cornuum experts, & multifidum, vice seui adipem habet: quæ non cogitur, nec siccitate aliqua frangitur, quoniam eius natura minus terrena est. Hæc si mediocriter in animalium membris habentur, profunt: nec enim sensum impediunt, & ad sanitatem, virisque opitulatur: sed si modum excedunt, nocet, atque interimunt. Nam si corpus totum transierit in adipem, aut seuum, peribit: animal enim ea parte est, in qua sensus habetur. Caro autem, & quod carni proportionetur, vim obtinet sentiendi. Sanguis, vt dictum iam est, & sensu caret, & ob eam rem, nec adeps, nec seuum sentit: sunt enim sanguis concoctus. Quod si totum corpus tale efficiatur, nullum præterea sensum habere poterit. Hinc & celeriter ea senescunt, quæ valde pinguerint: quippe quæ parum sanguinis habeant, vtpote cum copia sit absumpta ad pinguedinem. Quæ autem parum sanguinis habent, hæc iam inde ad interitum sunt opportuniora: interitus enim inopia quædam sanguinis est. Quodque parum est, affici tum à frigore quolibet, tum à calore facile potest. Quæ etiam obesa omnia steriliora ea de causa sunt: quantum enim ex sanguine proficisci ad genituram, & semen genitale debeat, hoc in adipem, aut seuum sumptatur: sanguis enim cum concoquitur, ad hæc transit: itaque aut nullum omnino excrementum in iis ipsis consistit, aut parum. Atque de sanguine, sanie, adipe, seuo, quid sint, & ob quas causas habeantur, dictum iam est.

Quæ animalia seuum habeant.

Quare obesa steriliora.

Quid medulla, quibusque animalibus data sit. Cap. VI.



Ed medulla etiam natura quædam sanguinis est, non, vt quidam volunt, vis genituræ seminalis. Patet hoc in iis, quæ nuper in lucem prodierint: medulla enim in ossibus quoque eorum sanguinea continetur, vtpote cum omnes corporis partes ex sanguine constent, & partui alimentum præstetur à sanguine. Sed per incrementum, concoctionemque efficitur, vt quemadmodum cætera membra, sic viscera quoque immutentur colore: per copiam enim san-

Quis vsus sanguinis.

guinis viscera, etiam cum recentia adhuc sunt, colorem sibi sanguineum trahunt: sic etiam medulla afficitur, & pinguis in pinguibus animalibus est, atque axungia similis. At quibus sanguis non pinguedini, sed seuo similis per concoctionem euadit, iis medulla seuo similis est. Quam ob rem vt cornigeris animalibus, nec vtrique, dentatis, medulla speciem gerit seui: sic vtrique, dentatis, atque multifidis pinguedinem refert. Verum spinæ dorsæ medulla minimè talis est, quoniam continuam hanc esse oportet, porrectamque per longitudinem spinæ totius, quæ ex multis vertebratis orbiculatim ossibus iungitur. Nam si ex pinguedine, aut seuo esset, non equè perpetua esse posset, sed vel fragilis, vel humida esset. Sunt ex animalibus, quæ nullam commentatione dignam medullam habeant, videlicet ea, quibus ossa robusta, & solida sunt, vt leoni. Eius enim ossa, quod exiguum admodum, & perobscuram medullam continent, carere omnino medulla videntur. Sed cum ossium naturam inesse animalibus necesse sit, aut quod ossibus proportionetur, vt in aquatilibus spinam, sit necessariò, vt nonnulla habeant etiam quod pro alimento contineatur, ex quo ossa consistant: alimentum autem omnibus esse sanguinem, dictum iam est. Seuosas etiam, & pingues esse medullas, ratio est: tepor enim, quem ossium complexio facit, sanguinem concoquit. Sanguinis autem per se concoctio, seuum, & adeps est: quoniam etiam in iis, quæ ossa spissa, firmaque habent, non temerè partim nulla, partim exigua inest medulla: alimentum enim in ossa absumitur. Quæ autem non ossa habent, sed spinam, iis dorsæ tantum medulla est, parum enim continent sanguinis suapte natura: & dorsæ spina tantummodo caua habetur, quam ob rem in ea medullæ aliquid creari potest. Vna enim ipsa capax est, solaque eget copula propter interceptiones: quam ob rem medulla etiam eius partis differt, vt dictum est. Quod enim vice fibulæ fungitur, idirco lenta, neruosaque est, vt intendi possit. Causa quam ob rem medullam habent animalia, quibus data est, declarata iam est. Quid etiam medulla sit, patet: scilicet alimentum sanguineum, quod in ossa, spinamve distribuatur, contentumque concoctum excrementum.

De cerebro, & eius natura, deque capitis fluxionibus, & somni causa. Cap. VII.



Proximè ferè est, vt de cerebro doceamus. Nam cerebrum quoque medullam esse, atque originem medullæ, compluribus placuit authoribus: argumento, quod dorsæ medullam iunctam cum cerebro cerneant. Sed res contra se habet, omnino, propè dixerim. Cerebrum enim partium omnium corporis frigidissimum est, cum medulla calida suapte natura sit. Quod eius pinguedine, & axungia perspicuum est: idque facit vt cerebro iungi, continuarique possit ipsa dorsæ medulla. Solet enim Natura semper emoliri contra cuiusvis exuperantiam auxilium, per coniunctionem rei aduersæ, vt excessum alterius altero compenset, & moderetur. Sed enim medullam calidam esse pluribus sanè rationibus constat: cerebri autem frigiditas &

copula.

tactu percipi potest, & ratione intelligitur, quod omnium maximè humorum corporis sanguine caret: quippe quòd nihil sanguinis habeat, squalorèq; oblitum sit, atq; horridum: nec verò excrementum est, nec inter partes continuas enumerandum, sed sui generis est, & quidem ratione optima naturam eiusmodi sortitum est. Nullam verò cum partibus, quæ vim obtinent sentiendi, continuitatem habere, cum intuitu pateat, tum vel maximè inde cõstat, quòd cum tangitur, nullum efficit sensum, quemadmodum nec sanguis, neq; excrementum animalium vllum: datum autem hoc animalibus est ad naturæ totius salutem. Quod enim nonnulli statuunt importunè, animam esse ignem, aut aliquam eiusmodi vim, melius fortasse dixeris, animam in quodam eiusmodi corpore constare. Cuius rei causa est, quòd ad exequenda animæ officia, calor omnium maximè administrandi vim obtinet. Cum enim officium animæ sit alere, & mouere, hæc ea ipsa facultate potissimum efficiuntur. Igitur animam esse ignem arbitrari, simile est, atq; si ferram, aut asciam, fabrum, aut artem fabrilem esse ideo arbitraris, quia opus non, nisi iunctis his, efficiatur. Sed quàm genus omne animalium caloris particeps esse necesse sit, apertum hinc est. Cum autem omnia momentum requirant contrarium, quo mediocritatem, ac medium assequantur, (in hoc enim essentia, ratioq; consistit, non in alterutro extremo seorsum posito) idcirco aduersus cordis sedem, & calorem, cerebrum Natura molita est. Et hæc de causa pars ista animalibus iuncta est, naturam obtinens aquæ, & terræ communem: atq; ob eam rem cerebrum omnia sanguine prædita habent: ex cæteris nullum ferè, nisi per proportionè, vt polypus. Parum enim caloris obtinet omne id genus, propter sanguinis priuationè. Cerebrum igitur calorem, feruoremq; cordis moderatur, & temperiem affert. Sed vt ea quoq; pars modico potiatur calore, venæ ad membranam cerebri deueniunt ex vtraq; vena, maiorem dico, & eam, quæ aorta vocatur. Et ne calor nimius offendant, non paucæ amplæ, sed frequentes, ac tenues venæ ambiunt: nec sanguis copiosus, & crassus, sed tenuis, sincerusq; subit eodem. Fluxiones etiam ob eam rem ex capite oriuntur in iis corporibus, quibus cerebrum frigidius est, quàm temperamentum modicum postulet. Cum enim alimentum per venas sursum respirat, vbi excrementum ob eius loci vim refrigeratum est, fluxiones pituitæ, sanietq; mouet. Quod simile generationi imbrium euenire intelligendum est, quoad magnum cõferre cum paruo licet. Cum enim ex terra vapor exhalat, efferturq; in sublime à calore, vbi supernum aerè subierit frigidum, consistit: denuò in aquam propter refrigerationem, atq; in terram defluit. Sed de his, cum de morborum causis agitur, differere congruum est: videlicet quoad tractare de his naturalibus scientiæ interest. Somnus etiam à cerebro proficiscitur, iis, quæ eam obtinent partem, animalibus: quæ autem carent, iis proportionale suppetit. Cum enim sanguinis alentis effluentia refrigeretur à cerebro, aut etiam ob alias causas similes, caput aggrauatur. Et quidem somno sopiti, ea corporis parte solent tentari: atq; efficitur, vt calor ad ima

Animæ officium.

Vfus cerebri.

Fluxionum ex capite cauz.

cum sanguine subterfugiat, collectaq; copia caloris in loco inferiori somnum facit, & facultatem erigendi corporis aufert ab iis animalibus, quæ erecta incedere Natura voluit: cæteris caput erigi prohibet. Quibus de rebus seorsum docuimus, cum de sensu, & somno ageremus. Cerebrum autem esse commune aquæ, & terræ constat, ex eo, quod ei accidit: cum enim coquitur, indurefcit, atq; siccescit, vt humore exacto à calore, terrena portio relinquatur, quemadmodum in leguminu, reliquorumq; fructuum decoctione: quòd enim ex terra magna ex parte constant, hinc exacto humore, quem exiguum sibi admistum continent, dura, terrenaq; admodum ea quoq; relinquuntur. Homo inter omnia animalia plurimum cerebri habet, scilicet proportionè sui corporis: & inter homines, mares plus, quàm fœminæ. Cordis enim, pulmonisq; locum calidissimum, & sanguine refertissimum homo habet: vnde animalium homo vnus erectus est. Caloris enim natura inualefcens, incrementum de medio agit pro suo impetu. Itaq; contra multum caliditatis, multum humiditatis, frigiditatisq; opponitur. Qua quidem copia fit, vt capitis os, quod caluariam nonnulli appellant, ferò admodum induretur, cum diu calor euaporetur: quod nulli ex cæteris animalibus sanguine præditis euenit. Iuncturas etiam plurimas in capite homo habet, & mas plures, quàm fœmina, eadem de causa, vt locus spirantior sit: & amplius, in quo plus cerebri habetur. Nam si cerebrum vel humer, vel sicet supra modum, suo fungi officio non potest: sed aut non refrigerabit, aut coagulabit. Itaq; morbos, deliria, mortes afferet. Calor enim cordis, atq; principium consentientissimum est, sensumq; celerrimè facit, cum sanguis cerebri villo pacto mutatur, atq; afficitur. Sed de cognatis animalium humoribus omnibus dictum ferè est. Postgeniti, excrementa sunt cibi, id est, vesicæ sedimen, atq; alui: præterea genitura, & lac, scilicet in iis, quorum natura hæc obtinet. Verùm cibi excrementa quibusdam animalibus iuncta sint, & quas ob causas, aptius in consideranda, differendaq; alimenti ratione explicetur. De femine autem genitali, & lacte, tractandum est, cum de generatione: alterum enim eorum principium generationis est, alterum generationis gratia habetur.

De carne, seu ijs, quæ vice carnis habeantur. Cap. VIII.

Nunc de cæteris similaribus partibus docendum est, & primùm de carne, in iis, quæ obtinent carnem: in cæteris autem de eo, quod vice carnis proportionè respondeat. Hoc enim principium, & corpus per se animalium est: quod ratione etiam patet. Animal enim eo definimus, quod sensum obtinet, primùmque eum, qui primus est. Tactum autem primum esse, certum est. Tactus verò sensorium pars eiusmodi est aut prima, vt pupilla visus: aut coniuncta, per quam agitur, pèrinde quasi pupillæ omne diaphanes, hoc est, translucidum, coniungas. Cæteris igitur sensibus nec tribui hoc poterat, neq; operæ pretium erat effici à Natura. At verò tactui dari necesse fuit. Sola enim,

Suturæ h. mani cap. tis.

Morbi et rebro qui.

Postgeniti scilicet h. mores.

Tactus, sensus primus.

Ossa vel proportionale ossiū quem vsum præstent corporibus.

aut maximè omnium sensoriorum, sedes tangendi corpulenta est. Sensui autem patet, cætera omnia eius vnus gratia haberi: ossa dico, neruos, cutem, venas, pilos etiam, & vnguium genus, & quicquid eiusmodi iunctum est. Natura enim ossium, adhibita est, vt sua duritie rem mollem seruaret in iis, quæ ossa habent. Eademq; de causa proportionale ossium habetur in iis, quæ ossibus carent: vt in genere piscium aliis spina, aliis cartilago iuncta est. Habent hoc præsidium alia intus, alia foris, vt in genere sanguinis experite. Crustata omnia extra se munita seruantur: velut cancri, genúsq; omne locustarum, atq; etiam testatorum, vt quæ ostrea appellatur. His enim omnibus caro intus: terrenum autem illud, quod contineat, & conseruet, foris est. Nam præter ipsum continendi officium, quoniam eorum natura parum caloris obtinet, cum sanguine careant, idcirco testa veluti furnulus quidam amplectens, conseruat intestinū calorem, & tuetur. Quinetiam testudo, & lutariæ genus simili modo se habere videtur, quanquàm diuersum genus ab illis hoc est. At verò animalia insecta, & mollia contra, quàm hæc, & modo inter se opposito constant: nihil enim ossis, nihil terreni habere discretum videntur, quod dignum effatu sit: sed mollia ferè tota, carnosa, & tactui cedentia sunt. Ne tamen corpus eorum facilè pereat, modo illorum, quæ carne lasciuiūt, naturam inter carnem, & neruum obtinent. Mollis enim vt caro est, sed intendi potest vt neruus. Fissilis autem caro eorum non in directum, sed in anfractum: ita enim ad vires commodior esse potest. Habent etiam quod piscium spinis proportionetur: vt sepia quod sepium vocant: lolligines quod gladiolum. Polyppi nihil eiusmodi habet, quòd eorum alueus, quem caput appellant, breuior est, illorum procerior. Ideoque vt directus, inflexusque maneret, Natura his adminiculis faciendum censuit: quæ admodum in genere sanguineo, aliis os dedit, aliis spinam. Insecta contra, quàm hæc, & sanguine prædita constant, vt modò diximus, quippe quæ nihil habeant duri, aut mollis discretum: sed dura toto corpore sint duritie tali, vt osse carnosiora, carne ossatio- ra terratioraque constant, ne facilè corpus eorum diuidi possit.

De venis, ossibus, & cartilagine. Cap. IX.




Similis natura est ossibus, & venis: vtraque enim ex vno orsa continua est. Et neq; os vllum seorsum per se habetur, sed aut pars continui est, aut tangit, atq; annectitur, vt Natura & tanquam vno, continuoq; & tanquam duobus, distinctisq; ad flexum vtatur. Neq; vna vlla seorsum per se est, sed omnes pars sunt vnus. Nam si quod os separatum esset, accideret, vt nec officio fungi posset, cuius gratia natura ossium habetur: quippe quod nec flectendi, neq; dirigendi causam vllam præberet, cum non continuum esset, sed interceptum: & lædere proculdubio posset pèrinde, quasi vel spina, vel spiculum carni infixum. Vena etiam si qua separata, nec suæ origini continua tenderet, suum sanguinè seruare non posset. Calor enim profluens ab origi-

ne facit ne sanguis gelet. Putrescere etiam sanguis videtur, qui à suo fonte remotus est. Principium venarum cor est: ossium, quod spina dorli vocatur, videlicet in omnibus iis, quæ ossa habent. Hinc enim cætera ossa oriuntur, & continuantur. Spina est enim, quod longitudinem, ac rectitudinè contineat animalium. Sed cum corpus inflecti per animalis motum necesse sit, ita constat, vt & vna sit propter continuitatem, & multipartita propter vertebrarum distinctionem. Hinc femorum, brachiorumq; ossa dependent continua, eodemq; artibus adnectuntur, quæ flectendum est: neruis deligantur, extremaq; sibi cohærent. Alterum cauum, alterum rotundum, aut vtrunq; cauum, mediotalo, quasi clauo complexo, vt flecti, extendiq; possint: aliter enim aut nullo pacto, aut non bene motus eiusmodi agi posset. Nonnulla extremis similibus cõiunguntur, neruis deligata. Cartilaginosa etiam partes inferuntur flexuris, veluti lectisternium, ne artritū mutuo lædantur. Caro circa ossa consistit, vinculis modo fibrarum tenuibus adhærens, cuius causa ossium genus habetur. Vt enim qui ex limo, aut alia massa humida animal effingunt, firmo aliquo subdito corpore obducunt, atq; afformant: sic Natura ex carnibus animal condidit. Cæteris igitur partibus, scilicet carnosis, ossa omnibus subiacent, aut flectendi gratia, si mouentur, aut conseruandi causa, si immobilia sunt: vt costæ, quæ pectus salutis viscerum gratia claudunt. Venter omnium ossibus vacat, ne tumori impedimento sint, qui per cibum ingestum exurgat, necesse est: atq; etiam ne in fœminis incremento partuum obstent. Sed enim quæ animal vel intra se, vel foris pariunt, hæc similes, robustasq; ossium obtinent vires. Multò enim maiora hæc sunt iis, quæ non pariunt animal: videlicet proportionè solitæ magnitudinis. Nam nonnusquam complura ex hoc animalium genere crescunt mirum in modum, vt in Africa, locisq; aliis calidis, & siccis: magnis autem adminiculo opus est maiori, validiori, & firmiori: atq; inter magna iis potissimum tali opus est adiumento, quæ violentiora sunt. Quam ob rem mares ossibus durioribus constant, quàm fœminæ, & quæ carniuora sunt, quàm quæ alio cibo vescuntur: iis enim victus per dimicationem acquiritur: velut leonis ossa adeò dura sunt, vt ex iis percussis, ignis quasi ex silice excutiat. Delphinus etiam non spinas, sed ossa habet: viuiparum enim est. Sanguineis autem non viuiparis natura aliquantum degenerat, vt volucris: quanuis enim habeant ossa, tamen imbecilliora. Inter pisces spinam, qui oua pariunt, habent. Serpentes etiam natura ossium spinacea est, præterquam magnis: robur enim eorum validiora exigit firmamenta, eadem, qua & viuiparis, ratione. At cartilaginea nomine, spinam ex cartilagine habent. Motum enim eorum esse molliorem, necesse est: itaque fulcimenti genus non rigidum, sed mollius esse oportuit. Adde quòd terrenam omnem materiam ad eorum cutem concificendam Natura absumpsit. Pluribus autem locis simul tantundem exuperantiæ dispensare Natura non potest: quoniam etiam in viuiparo genere ossa cartilaginosa complura habentur, scilicet in iis, quibus expedit molle, mucosumque esse

Venarum ossiumque principia.

Ossa propter mollietatem carnis.

Causa quòd ventri nulla sunt ossa.



Osis, & cartilaginis discrimen.

Aliqui sic reddunt: Quæ enim tota ex iis constant, & nominis confortium habent cū suis, &c. item excogitata sunt.

esse quod solidum habeatur, ratione carnis obdu-
ctæ, vt auribus, ac naribus euenisse apertū est: pro-
minētiora enim, si rigida sunt, frangi celeriter pos-
sunt. Natura verò eadem osis, & cartilaginis est,
quanquam pluris, minorisq; ratione interest: qua-
propter neutrum præcisum recrescere potest. Vacant
medulla cartalagines terrestrium animalium
discreta. Quod enim in os discretum cōtinetur, id
mistum per totū facit, vt cartilago res mollis, mu-
cosaq; confutatur. At in cartalagineo genere spina
dorsi, quanuis cartalaginosā, medullam habet:
vicem enim osis hæc pars tenet in eo genere. Pro-
ximas osibus esse partes ostēdit tactus etiam illas,
vngues, vngulas tum solidas, tum bifulcas, cornua,
rostra auium, quæ omnia præsidii gratia adiuncta
sunt animalibus. Quæ enim tota ex iis constant,
nominis confortium tantummodo habent cū suis
partibus. Verbi gratia, vngula tota, & cornu totū,
ad salutem animalis excogitatum est. Dentes etiam
in hoc eodem genere collocandi sunt, qui aliis rem
vnam tantum expediunt, id est, cibi cōfectionem:
vnam tantum expediunt, id est, cibi cōfectionem:
bent cū suis, aliis non solū ad hoc vsui sunt, sed etiam ad pu-
gnandum, vt iis omnibus, quibus aut ferrati, aut
exerti sunt dentes. Terrenam, & validam esse na-
turam eorum, quæ modò enumeravi, necesse est:
vis enim armorum ea est. Quam ob rem omnia
eiusmodi adminicula quadrupedibus viuiparis po-
tius adiuncta sunt, quòd terratiora, quàm genus hu-
manum, ea omnia constant. Sed de iis, atq; simili-
bus, cutem dico, velicam, membranam, pilos, pen-
nas, & que iis proportionentur, & si qua huiusce-
modi alia sunt, postea vnà cum dissimilaribus par-
tibus considerandum est, scilicet quænam eorum
causa sit, & cuius gratia data sint animalibus. Ex of-
ficiis enim ea quoq; pariter, atq; illa dignosci ne-
cesse est. Sed quòd partes eorum idem cum totis
nomen fortiuntur, propterea inter similes in hoc
loco enumerata sunt. Principium autem, & origo
eorum omnium, os est, & caro. Rationem etiā ge-
nituræ, & lactis prætermisimus, cum de humidis, ac
similibus ageremus: sunt enim hæc loco de gene-
ratione coniunctiora, cum alterum eorum initium
sit animalium generandorum: alterum alimentum,
vbi in lucem prodierint.

De duabus partibus in quibusque animan-
tibus necessarijs, qua viuunt, qua ci-
bum capiant, & qua excremen-
ta emittant: deq; sensuum vi,
& eorum loco in cor-
pore. Cap. X.

Nunc quasi à primis iterum orsi differa-
mus. In omnibus vita præditis, & per-
fectis, partes maximè necessariæ duæ
sunt: altera, qua cibum capiant: altera,
qua excrementum emittant. Non enim fieri potest,
vt sine cibo vel seruentur, vel augeantur. Stirpium
itaq; genus (nam id quoq; viuere fatemur) locum
superuacui excrementi nullum habet: cibum enim
concoctum ex terra haurit, sed vice excrementi fe-
mina, & fructus effundit. Tertia pars in omnibus,
est media inter eas, quas modò dixi, in qua vita
principium continetur. Sed stirpium natura, quo-
niam stabilis est, non ex multis, ac varijs partibus

dissimilaribus cōstat: quippe cum ad paucas actio-
nes paucorum instrumentorum vsus requiratur.
Quam ob rem de stirpium, siue plantarum forma
seorsum agendum est. Quæ autem vnà cum vita
sensu etiam prædita sunt, hæc speciem multiformi-
orem, numerosiorēq; varietatem recipiunt:
atq; inter ea alijs alia magis, & eò ampliùs, quòd
non solū viuendi, sed etiam bene viuendi ratio-
nem natura eorum obtinuit: quale hominum ge-
nus est, quippe quod aut vnum ex omnibus anima-
libus nobis cognitjs diuinitatis particeps sit, aut om-
nium maximè. Itaq; tum ob eam rem, tum etiam
quòd exteriorum partiū eius forma notissima est,
primū de homine differendum censemus. Iam
enim partes etiam naturales hominis vnus secun-
dum naturam dispositæ sunt: quandoquidem par-
tem superiorem ad vniuersi supremū erectam obti-
net: solus enim animalium homo erectus incedit.
Caput hominis macilentum, carnēque propè omni
exutum esse, necessarium ex iis, quæ de cerebro di-
ximus, euenit. Nec audiendi sunt, qui, si carno-
sum esset, viuacius hominum genus futurum cen-
seant: sed vt meliùs sentiret, carnē ademptam existi-
ment. Vim enim sentiēdi sitam in cerebro: sensum
autem per partes nimium carnosas nequaquam ad-
mitti posse arbitrantur, neutra enim eorū ratio ve-
ra est. Sed si cerebrum à carnis copia circundaretur,
contrà efficeret, quàm institutum exigeret, cuius
gratia adiunctum est animalibus: non enim re-
frigerare posset, cum valde ipsum teperet. Nec sen-
sus vilius causam cerebrum obtinet, quòd quidem
expers omnino sensus nō aliter, quàm quoduis ex-
crementum est. Verū cum intelligere causam,
quam ob rem sensus nonnulli in capite habentur,
nequeant, quòd eam partem cæteris esse peculia-
riorem animaduertent, ideo sensum cum cere-
bro coniungendum ratiocinantur. Sed enim prin-
cipium sensuum esse cordis locum, definitum iam
est, cum de sensu ageremus. & quam ob causam
duo, id est, tangendi & gustandi sensus, ex corde
apertè dependent: vnus ex reliquis tribus, id est, ol-
faciendi, medium tenet: duo, id est, audiendi, & vi-
dendi, maximè in capite positi sunt, propter senso-
riorum naturā, visusq; omnibus in capite est. Nam
auditus, olfactusq; piscium, & reliquorum generis
eiusdem, declarant quod dicimus. Audiunt enim,
atq; olfaciunt, cum nullum sensorium eorum sen-
suum in capite habeant manifestum. Visum autem
omnibus, quibus est datus, apud cerebrum esse,
optima ratio est: cerebrum enim humidum, ac fri-
gidum est. Visus aquæ naturam obtinet: hæc enim
omnium perlucidorum facillimè cōseruari potest.
Sensus etiam exquisitiores per partes, quæ sangui-
nem habeant synceriores, absolui necesse est. Sanguinis
enim calidioris agitatio officium sentiendi
intercipit, atque refringit. His de causis sedes eo-
rum sensuum mandata sunt capiti. Nec verò pars
prior tantum capitis carne vacat, sed etiam poste-
rior, quòd omnibus capite præditis partem hanc
erectam maximè constare oportet: nihil enim erigi
potest pressum onere. Id autem accideret animali,
si caput carne obiectum haberet. Quo etiam patet,
nō ideo carnē deesse capiti, vt cerebrū sentiat: pars
enim posterior capitis cerebro caret, & tamē carnis
expers

Quinam par-
ti vis sentien-
di data sit.

Hominij
gnitas.

Caput he-
nis quan-
cilentum

Sensuum
sedes.

expers nihilò minùs est. Auditum etiam nonnulla
animalia sitū in capite habet debita ratione. Quod
enim inane vocatur, plenum aeris est. Sensorium
autem audiēdi aeris esse fatemur. Vt igitur ab ocu-
lis meatus ad venas circa cerebrum sparsas tendunt,
sic ab auribus meatus in occiput penetrat. Vis autē
sentiendi nec vlli ex angui data est parti, neq; sangui-
nis propria est, sed cuidā ex his, quæ sanguine pro-
ueniunt, delegata est. Quocirca pars nulla ex anguis
eorum, quæ sanguinē habent, sentire potest, nec ipse
sanguis sensu præditus est: quippe qui nulla pars sit
animaliū. Cerebrum verò parte priori capitis con-
tinent omnia, quibus hoc datum est: quoniam id,
quo sentiunt, in parte priori corporis situm est: sen-
sus enim prouenit à corde, quòd parte priori com-
missum est. Sentire etiam partes tantummodo pos-
sunt, quæ sanguinē obtinent. Occiput autem venis
vacuū est. Sedes autem sensoriæ probè ad hunc mo-
dum à Natura dispositæ sunt. Aures orbem capitis
æquis portionibus fecit, tenentq; medium. Audi-
tur enim nō modò per directum, verum etiam vni-
diq; Visus parti priori mandatus est: cernitur enim
per directum. Motus etiam ante fit. Prospiciēdum
autē est eòdem, quòd motus agitur. Nares inter ocu-
los ratione optima collocatæ sunt. Gemina enim
sedes quæq; sensoria est, propter duplicem corporis
partem, scilicet dextram & sinistra: sed hoc in tactu
incertum est, propterea quòd primum sensorium
non caro, non pars eiusmodi aliqua est, sed aliquid
intimum. Lingua etiam obscuriùs, quàm oculi, tamen
certiùs, quàm tactus, geminum gustandi vestigium
ostendit. Est enim hic etiā sensus quasi tactus qui-
dam: attamen res vel in eo satis cōstat. fissura enim
linguam distingui, perspicuū est. At verò in cæte-
ris sentiēdi partibus sensum bipartitum esse latiùs
patet. Aures enim geminæ, & oculi gemini sunt.
Vis etiā nariū bipartita est, quæ si aliter sita, distra-
ctaq; esset, vt aures, suo fungi officio nō posset, nec
pars, in qua posita est, ex instituto administraret.
Efficitur enim sensus olfaciendi per spirationē, in
iis, quæ obtinent nares: pars autē spirandi medium
tenet, & ante posita est. Quapropter nares in medio
tribus sensuum Natura constituit, quasi per lineam
fabrilem directas, ad respirationis agitationē. Cæ-
teris etiā animalibus hæc eadem sensuum domicilia
bene pro sua cuiusque natura condita habentur.

De situ auricularum in quadrupedibus.
Cap. XI.

Quadrupes enim auriculas habent su-
spensas, & supra oculos sitas habere vi-
dentur: veruntamen nō ita est, sed con-
spectum ementiuntur, quoniam bestię
non erecto, sed prono sunt corpore. Cum igitur
plurimæ ita incedant, iuuat vt & suspensiores sint
auriculæ, & crebro moueantur. Sic enim meliùs
vndique strepitus circumactæ excipient.

De meatibus auditorijs auium.
Cap. XII.

Aves meatus tantum auditorios habent.
Quòd enim cutis earū durior sit, nec
pilis, sed pennis integantur, ideo ma-
teria caret ex qua auriculæ creentur.

Quadrupes etiam ouiparæ, & corticatæ eodem
modo se habent: eadem enim ratio vel illis conue-
niet. Quinetiam vitulus marinus inter ea, quæ ani-
mal pariunt, non auriculas, sed cauernas tantum
habet ad audiendum, vtpote qui manca, & læsa sit
quadrupes.

Genus hominum, auium, & quadrupedum,
contectos palpebra oculos habere, quòd ve-
modo ipsorum quodque conuiueat.
Cap. XIII.



Enus hominum, auium, quadrupedum,
tam viuiparum, quàm ouiparum, ocu-
los visus custodiendi gratia integunt,
sed variè. Quæ enim animal pariunt,
geminam habent palpebram, & conuiuere vtraque
solent: aues tam leuiore, quàm grauiore, & qua-
drupes ouiparæ palpebra inferiori conuiuent.

Nictantur aues ab angulis membrana obeunte. Cuius
rei causa est, vt operimentum præsidio sit ocu-
lis eorum humidis, qui ideo humidis sunt, vt cer-
nere acutiùs possint: nam si duri essent, tutiùs qui-
dem constarent contra ea, quæ extrinsecus occur-
sarent, atque inciderent, sed cernere acutè non pos-
sent. Itaque eius rei causa, cutis prætenuis pupil-
læ obtenditur. At verò salutis gratia palpebræ ope-
riunt: ideòque omnia conuiuent, & omnium ma-
ximè homo omnia, inquam, vt quæ incidant, pro-
hibere palpebris possint, idque non consultò, sed
Naturæ instinctu agitur: homo verò frequentius,
quoniam cutem tenuissimam habet. Palpebra au-
tem cute constat, vnde fit, ne aut palpebra, aut præ-
putium vulnere diductum coalescere possit: sunt
enim cutes sine carne. Quæ autem inter aues pal-
pebra inferiori conuiuent, & quadrupes ouipa-
ræ, præ duritia cutis caput ambientis, ita conui-
uent. Volucris enim grauioribus, quòd nequeat
volitare, incrementum pennarum ad cutis crassa-
mentum conuertitur, eadēque palpebra inferiori
conuiuent: columbæ autem, & similia, vtraque.

Quadrupes ouiparæ cortice integuntur, qui pilo
durior est: itaque cutis quoque eorum cæteris cu-
tibus durior est. Cutis igitur capitis eorum prædu-
ra est, ideòque palpebram inde habere nequeūt: in-
ferior carnosā est, vt satis tenuitatis, tensionisque
habeat. Nictantur volucres grauiore nō palpebra,
sed membrana, quòd palpebræ motus lentior est,
cum celeritate sit opus, quam membrana præstare
potest: nec nisi ab angulo naribus proximo nictan-
tur, quòd eorum naturam ex vno principio proue-
nire melius sit. Principium autem in iis est pars na-
ribus adhærēs: pars etiam prior principium potiùs,
quàm latus, est. At verò quadrupes, quæ oua pa-
riunt, non eodem nictantur modo, quoniam non
lubricum, exquisitumque visum eas habere necesse
est, cum terrestres sint. Volucris certè necessa-
rium est: iis enim vsus cernendi ex longinquo est.
Vnde fit, vt quæ vnguibus sunt aduncis, clarissi-
mè cernant. Cibus enim de sublimi conspicien-
dus iis est. Et quidem volare in excelsum om-
nium maximè auium, genus id ob eam rem asso-
let. Terrestres autem, parumque volatiles aues, vt
gallinacei, & similes, nō acie oculorum valent: nul-
la

Oculi auium
humidiores.

la enim victus necessitate coguntur. Pisces, insecta, & crustata, quanuis diuersos habeant oculos, tamen nullum ex iis palpebrâ habet. Quæ enim crusta integuntur, vsu careant palpebræ, necesse est, cum nisi celeri cutis officio præstari non possit. Sed tamen vice eius tutelæ duritie oculorum hæc omnia muniuntur, quasi per palpebrâ obductam quandam translucidam cernant. Sed cum ob eam duritiam hebetius contueri necesse sit, moueri oculos insectorum Natura voluit, atque etiam magis crustatorum, vt nonnullorum quadrupedum auriculas, scilicet ea causâ, vt clariùs cerneret, cum se ad lucem conuerterent, atque exciperent splendorem. Piscium oculi lubrici sunt. Vfus enim cernendi ex longinquo necessarius iis est, quæ longius moueantur. Terrestribus itaq; aer transpici facillè potest: at piscibus, quoniam aqua vt ad cernendum acutiùs aduersatur, sic ad interpellandum visum non multa offensacula affert, modo aeris: idcirco nec palpebrâ habent. Nihil enim frustra Natura agit: & oculis lubricis sunt, propter circumfusi humoris crassamentum.

Quæ animalia cilium habeant, quæve eodem careant: deque cauda, & iubis quorundam animalium, & hominis capillo.
Cap. XIII.



Illium habent palpebris adiunctum omnia, quæ obtinent pilos: aues, & quæ cortice integuntur, carent, vt quæ pilos non habeant. De struthione Africæ, causam, quam ob rem ciliū habeat, postea reddemus, & inter ea, quæ pilos habent, homo vnus cilium in vtraque palpebra obtinet. Quadrupedum enim generi pili non parte supina, sed prona potiùs habentur. Homo contrâ, parte magis supina, quàm prona: pili enim operimenti gratia adiuncti sunt animalibus. Itaque quadrupedibus prona potiùs egent regimento. Piora autem, quanquam nobiliora sunt, tamen per corporis totius flexum fouentur, ac tepent. At homini, quoniâ prior pars compar posteriori est, propter corporis erectionem, idcirco Natura parti nobiliori adiumentum censuit adhibendum: semper enim Natura rei melioris author est, quoad eius fieri potest. Quam ob rem quadrupes nulla est, quæ pilos vel in palpebra inferiori habeat (quanquam nonnullæ habent pilos quosdam sub ea nascentes) vel in alis, vel in pube, vt homo, sed vice eorum aliis prona totius corporis hirsuta habentur, vt canibus: aliis crista adiuncta est, vt equis, cæterisque generis eiusdem: aliis iuba, vt leoni mari. Quinetiam caudas prolixiores pilis Natura ornauit: alias lógis, quibus tenor breuis, vt equis: alias breuibus, quibus tenor longus, vt bubus, atq; etiam pro reliqui corporis natura: vbiq; enim Natura quod aliunde dempserit, reddere ad partem aliam solet. Iam quibus corpus admodum pilosum condiderat, caudam iis dimiuit: quod in vrsis perspicuum est. Homo animalium maximè omnium piloso capite est, cuius rei causâ, tum ad necessitatem, tum ad præsidii rationem referenda est: necessarium enim propter cerebri humiditatem, & commissuras caluæ. Nam vbi plurimum humoris, calorisque est, ibidem ortum pilorum esse copiosum

Piscium oculi acuti.

Pilorum vsus.

Pilos capitis humani causa.

necesse est: adiumenti autem ratio, vt frequentia pili caput operiens defendat à nimio frigore, & calore. Cum enim cerebrum hominis proportionem maximum, & humidissimum sit, maximam etiam tutelam desiderat. Res nanque humidissima quæque, & referescere, & refrigerescere maximè idonea est: quæ autem contrâ se habet, hæc minùs affici potest. Sed nos, vt huc digrederemur, fecit rei cognatio, cum rationem ciliorum redderemus: itaque de reliquis mentionem suo loco, & tempore faciemus.

Quas ob causas supercilia, & cilia in animalibus Natura constituit.
Cap. XV.



Supercilia verò, & cilia adiumenti gratia habentur: supercilia enim, vt delabentes humores arceant, velut imbricamentum, siue grunda humoribus, qui capite emanent, paratum: cilia, vt contra incidentia in oculos, quasi vallum quoddam, promineant. Supercilia in compage ossium posita sunt: quam ob rem compluribus senescentibus adeò crescunt, vt rindendum sit. Cilia venularum clausulis summis innituntur. Nam vbi cutis finitur, ibidem venulæ etiam desinunt: itaque propter vaporem, qui inde crassiusculus prodeat, pilos iis locis nasci necesse est, nisi quid naturalis opificii ad alium vsum impediatur.

Quomodo in hominibus, cæterisque animantibus nares, & labra sint collocata: deque laborum, & narium officio.
Cap. XVI.



Ensorium verò olfaciendi non longè quodam modo euariat cæteris quadrupedibus viuiparis. Quibus enim maxillæ oblongæ exeunt in acutum, iis nares in rictu appellato continentur, modo, quo fieri potest: cæteris explanatiùs ad maxillas constant. At elephantus peculiarem hanc partem præ cæteris sortitus est animalibus: nam & magnitudine, & viribus habet peculiarem. Nares est enim, qua cibum tam siccum, quàm humidum ille capiat, oriq; perinde, ac manu, admoueat. Arbores etiâ eadem complectendo euellit: deniq; ea non alio vtitur modo, nisi vt manu. Est enim hoc animal sua natura simul terrestre, & palustre. Itaque cum cibum petere ex humore deberet, & tamè spirare necesse haberet vt terrestre, & compos sanguinis, nec posset præ nimia magnitudine celeriter discedere ex humore ad aerem, modo nonnullorum, quæ & animal pariunt, & sanguinem habent, & spirant: idcirco vt pariter humore, atque terra vti posset, necesse fuit. Quale igitur vrinatorum nonnulli instrumentum sibi accipiunt, quo, quandiu in profundo manent, aerem extrinsecus trahant, talem Natura elephanti dedit narem illam prælongam. Quam ob rem si quando iter per aquam faciunt, nare emersâ respirant. Nam, vt modò dixi, promuscis pro nare elephantibus est: & cum fieri non possit, vt naris ad eiusmodi vsum accommodetur, nisi mollis sit, aptaq; ad flectendum, (impedimento enim præ sua longitudine esset, ad cibû capiendû) quo modo aiunt de cornibus bouum

Magnæ phanuse promula

Quadrupedibus digitis pedes priores manuum loco.

Labrorum officium.

Hominis labra.

bouum illorum, qui recessu pascere solent sua natura. Nam illos, quod progredi demisso in terram capite nequeant, recedendo in auersum pasci solitos aiunt. Cum itaque naris eiusmodi adiuncta sit Natura, quæ membris eisdem abuti ad plura officia solet, eandem in vsum trahit pedum priorum: hos enim vice manuum habet genus quadrupedum digitatum, non solum ponderis causâ sustinendi. Elephantibus autem non bifidos, non solidos pedes habent, sed digitatos. Sed quoniam corporis magnitudo vasta, pondusq; ingens est, ideo sustinendi tantummodo gratia pedes habet priores, nec ad vllum alium vsum vtilis, propter tarditatem flectendi, atque ineptiâ. Narem igitur elephantus habet vt spiraret, quo modo & cætera animalia, quibus pulmo: eandemque prælongam, atq; in anfractum flexibilem, propter moram in humore diurnam, & retardum inde discessum. Cumque vsus pedum priorum defuerit, ea, vt dictum est, parte abutitur Natura ad supplendum ministeriû, quod pedes præstarent. At aues, & serpentes, & quæcunque ex quadrupedibus sanguinis copotes ouiparæ sunt, foramina quidem narium ante os habent, sed non ita explanata, vt nares appellari possint, nisi spirandi officio. Iam autem quis nasum, aut nares habere dicet? Quod propterea ita accidit, quia pro maxillis habet quod rostrum vocatur. Huius autem rei causa est natura auium, quæ ad hunc modum constat: & bipes enim, & volucris est. Itaq; leue pondus tum capitis, tum etiam ceruicis sustinere necesse est, vt pectus etiam arctum habere debeat. Rostrum igitur osseum habent, vt commodè & cibum capiant, & ad pugnam armentur. Arctum hoc est propter causticitatem: cumque meatus olfaciendi suo rostro continent, nares habere non possunt. De cæteris animalibus, quæ non spirant, dictum antea est, quam ob causam naribus carerent: & alia branchiis, alia fistula, alia præcinctu, vt insecta, odores sentiunt: & omnia natio spiritu sui corporis quasi mouentur, qui spiritus in omnibus ex natura insitus est, non aduentitius deforis accedit. Naribus laborum natura subiact, iis, quæ simul & dentes habent, & sanguinem. Auibus enim, vt dictum est, cibi, armamentiq; gratia rostrum osseum habetur. Coactum enim pro dentibus, & in idem perinde, quasi detrahis hominis labris, superiores, inferioresq; dentes seorsum confundens, longitudinem vtrinq; angustam produxerit: iam enim istud rostrum auium fuerit. Sed cæteris animalibus laborum natura ad salutem, tutelamque dentium adiuncta est. Quam ob rem vt quæque exquisitè, benèque dentibus prædita sunt, sic eam quoq; obtinent partem: homini autem mollia, carnosa, & quæ separari possent, labra adiuncta sunt, tum dentium tuendorû gratia, vt cæteris, tum etiam potiori causa, vt bene esset: nam ad vsum sermonis ea quoque proficiunt. Etenim vt linguam non similem, atque aliis animalibus, Natura homini dedit, sed idoneam, qua ad duplicem actionem vteretur, (quod eam in multis facere diximus: nam & ad percipiendos sapores, & ad formandum sermonem) sic labra tam sermonis, quàm tutelæ dentium gratia adhibuit. Sermo enim, qui voce promatur, ex literis constat. Quod si lingua talis, & labra humida, atque agilia non essent, maxima lite-

rarum pars exprimi non posset: quippe cum literæ partim lingua producantur, partim labris comprimantur. Sed quas, & quot numero differentias hæc habeant, ex eruditis metrica ratione accipiendum est. Has autem partes illico necesse fuit accedere idoneas, & natura eiusmodi præditas ad vsum iam dictum. Itaque carne institutæ sunt, eaque molissima, qualis caro hominis est, scilicet quod maximè omnium animalium valeat sensu tactus.

De lingua, eiusque situ, & varietate in quibusque animalibus.
Cap. XVII.



Lingua in ore palato subiact: sed terrestribus ferè omnibus modo simili, cæteris dissimili, tum eorundem ipsorum, tum terrestrium comparatione.

Homo igitur linguam absolutam, molliissimam, & latam præcipuè habet, vt commoda ad vtrunque officium sit: hoc est, & ad sapores percipiendos, & ad literas exprimendas. Est enim homo omnium maximè animalium sensu facilis. Et lingua, quæ mollis est, vim tangendi præcipuè obtinet: gustus autem, tactus quidam est. Ad literarum etiam explanationem, & ad sermonis expressionem, lingua mollis, lata, & absoluta accommodatior est: quippe quæ contrahere, producere, dilatare, denique variè afformare maximè possit. Patet hoc in iis, quibus non satis absoluta est: blæsi enim, balbi, & torti sunt: quod vitium literarum defectus est. Discrimen in latitudine & angustia est: quippe cum ampla angustam contineat, angusta amplam non capiat. Paruum enim in magno continetur, magnum in paruo haberi non potest. Quam ob rem aues, quæ literas proferre maximè possunt, lingua sunt latiore, quàm cætera. Quadrupedes autem, quæ & sanguinem habent, & animal pariunt, vocem parum explanare possunt, vt quæ linguam duram, crassam, & minimè absolutam habeant: at pleræque auium vocem copiosè emittunt: & quanuis latiore habeant, quæ vnguibus sunt aduncis, tamen minores vocaliores sunt. Omnes lingua vtuntur etiam ad sui sensus mutuam interpretationem, sed aliæ aliis amplius, vt in nonnullis vel vsus docendi mutuus esse videatur. Sed de iis diximus satis, cum historias animalium scriberemus. Terrestrium autem ouiparorum sanguineorum pars maior linguam habet inutilem ad vocis officium, & adhærentem, & duram. Quanquam ad saporum gustatum, serpentes, & lacerti longam habent, & bifidam: atque ita longam serpentes, vt ex paruo longè protrahi possit. Bifida, & parte extrema capillamenti tenuitate est, propter suæ naturæ cupidiam: duplex enim voluptas iis capitur, quasi duplicem sensum gustandi habeant. Omnia tam sanguinea, quàm exanguia habent eam partem, quæ sapores sentire potest. Nam & quæ multitudini videntur carere ea parte, vt pisces nonnulli, ea quoque parciore quodam obtinent modo, & ferè simili, vt fluuiatiles crocodili: sed hoc latet in plurimis causa quadam iusta: locus enim oris omnium id genus spinosus est. Et quoniam aquatile genus breui tempore sentit sapores, hinc fit, vt pro sui vsus breuitate linguam parum

Humanæ lingue facultas.

Auium lingue functio.

Bifida serpentum lingua.

parum discretam habeant: raptim enim, summâq; celeritate cibus ad ventrem ingeritur, quod immorari saporibus perfruendis nequeant, humore interlabente. Itaque nisi os inclinaueris, cerni pars hæc discreta non poterit. Horret hic locus spinis, quippe qui ex frequenti contactu constitutus sit branchiarum, quarum natura spinosa est. Crocodilis nonnihil causæ ad eius partis vitiationem affert etiam immobilitas maxillæ inferioris: lingua enim inferiori annectitur maxillæ, quam illi quasi contrà habent superioré: cæteris enim superior immobilis est. Itaque vt ad superiorem nõ habent, quod cibi aditus tollitur: sic ad inferiorem carent, quod superior quasi translata in locum inferioris est. Accedit adhæc genus vitæ, quam more piscium agit, cum tamen ipse terrestre sit. Itaque vel ob eam rem in explanatam hanc partem habeat, necesse est. Palatum piscium etiam complures carnosum habent: & quidem inter fluuiatiles nonnulli admodum carnosum, & molle, vt cyprini nomine, adeo vt si parum diligenter aduertas, lingua id esse videatur. Pisces igitur ob eam, quam diximus, causam, etsi lingua non carent, tamen explanatam non habent. Sed cum cibi gratia sensus saporis adhibitus sit, eumq; non quavis parte sua lingua obtineat, sed extrema potissimum, ideo piscibus particula hæc tantum-

modo discreta habetur. Cibus autem quanquam animalia omnia cupiunt, vt quæ voluptatem ex cibo sentiant, (cupiditas enim rei suavis est) tamen membrum, quod ad sentiendum accommodatum est, non omnibus simile datum est: sed aliis absolutum, aliis adhærens, videlicet iis, quibus vocis defuit vsus: & aliis durum, aliis molle, carnosumque. Nam & crustatis, vt locustis marinis, & reliquis generis eiusdem, tale quid in ore habetur: atq; etiam mollibus, vt sepiis, vt polypis. Insectorum alia membrum hoc intus continent, vt formicæ: quemadmodum multa etiam ex testatis: alia foris gerunt, velut aculeum fungosum, & cauum, vt eo simul & gustare, & cibum trahere possint. Pater hoc in muscarum genere, & apum, & omnium generis eiusdem, atque etiam in nonnullis testatis. Purpuris enim tantam obtinet vim hoc membrum, vt testas conchyliorum transigere valeat: velut turbinum, quorum esca capiuntur. Necnon asili, & tabani eodem spectant: quorum alteri lingua adacta cutem hominum secant, alteri tergora etiam bestiarum elacerat. His igitur animalibus lingua talis Natura tributa est, quasi respondens, & obuersaria nari elephantorum. Naris enim illis adiumento est, & lingua his pro aculeo habetur. Cæteris animalibus omnibus lingua talis, qualem iam exposuimus, data est.

Lingua ex planatam pisces non habere.

Insectorum lingua.

Dentes piscium.

Oris officium & differentia.

Hominis dentium uso & vsu.

Auunt rostridifcrim & vsus.

ARISTOTELIS STAGIRITAE de Partibus Animalium, & earum causis, Liber Tertius, Theodoro Gaza Interprete.

De ordine, & constitutione dentium, oris, & faciei, eorumdemque in omnibus animantibus diuersitate.
Cap. I.



Varia dentium functiones.

PROXIME ab iis natura dentium est, & oris, quod serie dentium continetur, & constat. Sed cum dentium natura communi quidam officio ad cibum conficiendum adiuncta sit, tamen generatim seorsum aliis roboris gratia, tum ad inuadendum, tum etiam ad defendendum, aliis auxilii tantum causa data est. Partim enim ea vtraque causa dentes obtinet, vt nec ab aliis afficiantur, & ipsa afficiant alia, vt quæ ex feris natura carniuora sunt: partim ea causa tantum, ne malè ab aliis afficiantur, vt complura tum syluestris generis, tum etiã vrbani. Nonnullis cibi conficiendi causa tantum adhibita est dentium opera.

Homo verò ad vsum comunem probè factos obtinet dentes: videlicet primores acutos vt secet, maxillares latos vt molant. Discriminant eos vtrosque hi, qui canini appellantur, media inter eos natura conditi: nam & medium, particeps vtriusque; extremi est. Et canini ipsi partim acuti sunt, partim lati. Quod idem in cæteris quoque animalibus est, quibus non omnes acuti habentur. Sed potissimum locutionis gratia tales, totque numero dentes homo fortitus est. Ad literas enim exprimendas plurimum conferunt primi dentes. Nonnulla animalia, quod dictum iam est, cibi tantum conficiendi gratia dentes obtinent. Quibus autem simul & auxilio sunt, & robori dentes, hæc aut exertos habent, vt sus: aut acutos pectinatim sese stipantes: vnde ferratis ea dentibus esse diximus. Cum enim vires eorum acumini dentium commissæ sint, rectè qui vtilis sint ad ferocitatem, pectinatim coeunt, ne occursum contrario atterantur, & hebetescant. Sed nulli simul & ferrati, & exerti sunt dentes: quoniam Natura

Natura nihil frustra, nihil superuacanei facere solet. Auxiliu aliis per ictum, aliis per morsum: nam sues femina mordent, vt quæ careant dente exerto. Cæterum aliquid accepisse in vniuersum conuenit, quod vtile sit, tum ad hæc ipsa, tum etiã ad multa, quæ postea dicemus. Partes enim, quæ ad inuadendum, aut ad defendendum spectant, quæq; à Natura iis tribuuntur, quæ aut sola, aut præ cæteris vti possint, & quibus vis vtendi præcipua, hæc præcipue armis dotata sunt: vt aculeo, calcari, cornu, dente, & si quid eiusmodi aliud sit, Cùmque mares robustiores, magisque animosi sint, ideo aut solis iis, aut melius iis partes eiusmodi datæ sunt. Quas enim in feminis quoque; haberi necesse est, vt quæ cibo accommodentur, eas habent quidam & feminæ, sed minus, quam mares: quæ autem ad rem nullam necessariam spectent, iis carèt. Quapropter in ceruorum genere, cum maribus cornua sint, feminis desunt. Vaccarum etiam cornua, & taurorum inter se distant. Quod idem in pecore etiã cernimur. Calcar etiam cum mares habeant, feminæ magna ex parte non habent. Pari modo de reliquis quoque; eiusmodi partibus intelligendum est. Pisces omnes ferratis dentibus sunt, vno excepto, qui scarus vocatur. Complures etiam dentes in lingua habent, & in palato. Cuius rei causa est, quod cum meris in aqua degant, humorem cum cibo admittant, eumque expuant quam primum necesse est. Non enim in molendo commorari possunt, quando humor in ventrem interrumpit: idcirco omnes acuti, & frequentes vndique sunt, videlicet vt præ multitudinem in minuta secent, quæ attritu subigere nequeant. Adunci præterea sunt, quoniam robor ferè totum piscium in dentibus situm est. Natura etiam oris, tum eorum, quæ modò dixi, officiorum causa, tum etiam ad spirandum adiuncta animalibus est, scilicet iis, quæ spirant, atque extrinsecus refrigerantur. Natura enim ipsa per se, vt diximus, partibus omnium comunibus ad pleraque officia propria abutitur. Pròinde oris quoque officium omnibus comune, cibus conficiendus est. Robor nonnullorum peculiare est: sermo aliorum. Spirandi etiam vsus non communis omnibus est. At verò Natura hæc omnia eodem coniecit, adhibita differentia eius partis pro actionis discrimine. Sunt enim alia ore compressiori, alia ampliori. Quibus enim cibi conficiendi, & spirandi, & loquendi gratia os datum est, iis compressius est: quibus auxilii gratia, iis si dentibus ferratis, rescissum. Cum enim tota eorum vis in mordendo sit, hiatus oris ampliolem esse necesse est. Eò namque pluribus, & plenius morsum infiget, quò amplius rescissum os sit. Piscium etiam mordacibus, & carniuoris tale os est: non carniuoris in arctum se colligit. Tale enim os vtile iis est, illud inutile. Aibus os, quod rostrum vocatur: hoc enim pro labris, & dentibus habent, sed variè pro vsu, & auxilio. Quæ enim aduncis vnguibus sunt, quoniam carne viuunt, & nullo fructu vescuntur, rostrum omnia habent aduncum: tale enim tum ad retinendum, tum verò ad vim inferendam commodius, atque aptius est. Vis autem in hoc, & in vnguibus sita

est. Vnde fit, vt vngues etiam habeant adunciores. Cæterarum auium rostrum vtile ad victum cuiusque; est. Verbi gratia, roborifici generis, & coruini, robustum, atque prædurum os est: minuti generis lautum, ad terræ fructus colligendos, & ad bestiolas cupiendas idoneum. Quæ autem herbis viuunt, quæque; apud paludes victitant, vt nantes, & palmipedes, partim alio quodam modo rostri commoditatem obtinent, partim latitudine rostri sibi sufficiunt: quippe quæ rostro eiusmodi infodere possint: quale inter quadru pedes, etiam suis est: nam is quoque; radicem appetens est. Quinetiam aues, quæ lato sunt rostro, radicemque; elitant, & reliquarum victus similis nonnullæ, ferratum rostri extremum habent: ita enim herbarum carptus, quo viuunt, facilius igitur. Sed cæteras capitis partes omnes ferè exposuimus. Profopum autem, id est, facies, quod inter caput, & collum hominis est, nomen à re ipsa accepisse videtur. Quod enim vnus animalium homo erectus est, solus prospicit anteuersus, vocemque; anteuersus mittit.

Facies.

De cornuum constitutione, & que animalia habeant cornua, quæ item iis careant

Cap. II.



DE CORNIBUS differendum est, hæc enim capiti innituntur, quocumque; in genere esse possunt. Carent iis omnia, quæ non viuipara sint. Cornua vel aliis quibusdam inesse dicimus, sed per similitudinem, & translationem, cum nullum ex iis cornu officio fungatur. Gerunt enim, quæ animal pariunt, cornua ad vim aut inferendam, aut depellendam: quod nulli ex cæteris, quæ cornua habere dicuntur, contingit. Nullum enim vitur cornibus, vel ad conuincendum, vel ad defendendum: quæ virium sunt officia. Quæ igitur pedes multifidos habent, cornu omnia carent: cuius rei causa est, quod cornu auxilii gratia habetur. Multifidis autem non desunt alia auxilia. Dedit enim Natura aliis vngues, aliis dentes pugnaces, aliis partem aliam, qua sese tueri, atque defendere possent. At verò bifulcorum pars maior cornua gerit, & solipedum nonnulla, ad vim inferendam: quædam etiam ad defendendum. Quibus autem cornua Natura non dedit, eorum salutem præsidium consuluit aliis: vt pernicitate corporis equis opitulata est, magnitudine camelis: magnitudinem enim exuperantia sufficit ad necem arcendam, quod camelis contingit, atque etiam melius elephantis. Quædam etiam dente exerto arman tur in genete bifulco, vt sues. Quibus autem cornua præ nimio excessu superuacua sunt, iis alterum auxilium Natura adhibuit: vt ceruis velocitatem. Grandis enim illa, & multifida cornuum magnitudo, potius obest, quam prodest. Bubalis etiam, capreisque; interdum cornua inutilia sunt: nam etsi contra nonnulla resistunt, & cornibus se defendunt, tamen feroces, pugnacesque; belluas fugiunt. Bonasis (nam iis quoque pari aduncitate cornua reflexa inter se orbem colligunt) excrementi profusionem Natura pro auxilio dedit: hoc enim cum metuunt, se tuentur. Hac eadem profusione armis.

Cornua animalibus quare data.

Excrementi profusio qui busdam pro armis.

alia quoque seruari certum est. Plura autem auxilia simul, quorum singula fatis essent, nulli Natura tribuit. Cornigerorum pars maxima bifulca est. Sed solipes etiam traditur in eo genere, quem asinum Indicum vocant. Maxima animalium pars, vt corpus dextro, sinistroque, quibus se mouent, distinguitur: sic etiam cornua bina eadem illa de causa gerit Naturæ ingenio. Sed sunt etiam, quæ cornu singulari armentur, vt oryx, & quem asinum Indicum appellari diximus. Oryx 10 bifulcum, asinus ille solipes est. Gerit sanè medio sui capitis cornu fixum ea, quæ vnum habet. Sin enim maximè pars vtraque cornu obtinebit, cum medium commune pariter vtrique extremo sit. Solipes potiùs, quàm bifulcū esse vnicorne rectè videri potest. Vngula enim tam solida, quàm bifulca, eandem naturam habet, quæ cornu. Itaque eisdem simul & vngulam findi, & cornu congruū est. Fissio etiam vngulæ, & cornu ex defectu Naturæ euenit. Itaq; cum exuperantiam vngulæ solipedum Natura dedisset, rectè dempsit supernè, fecitque vnicorne. Rectè etiam capiti cornua mādauit, nec, vt Aesopi Momus vitio dat, quod taurus non in armis cornua gerat, vnde ferire vehementiùs possit, sed capite, parte corporis imbecillima. Non enim ingenio perspicaci ille Momus hæc deprehendit. Vt enim si in alia quauis parte cornua haberentur, frustra ponderi essent, nulla in re vtilia, multa etiam officia impedirent: sic armis quoq; infixæ sedem omnino ineptam tenerent. Non solum enim vnde ictus fiant vehementiores considerandum est, sed etiam vnde remotiores: itaq; cum careant manibus, & nec pedibus imis affixa gerere possint, neque genibus (flexus enim impediretur) capite gerant, necesse est, quemadmodū à Natura constitutum est. Quinetiam ad cæteras corporis motiões, ita maximè geri sine vllō impedimento possunt. Ceruis duntaxat cornua tota solida, & decidua, tum vtilitatis causa, vt onere leuentur, tum ex necessitate præ pondere. Cæteris aliquatenus caua, & mucrone demum concreta sunt, quoniam ad ictus hoc sit commodius: sed ne pars caua debilis sit, quæ cuti annectitur, solidum quiddam ossibus exortum ingreditur eam, implètque totam. Sic enim sita, compactaque, & ad vim inferendam commodissima & ad reliquæ vitæ munera inoffensissima habentur. Sed cuiusnam gratia natura cornuum sit, & quam ob causam aliis data, aliis negata sit, expositū est. Nunc quemadmodum Natura se habente necessaria rebus subiectis, necessariò Natura ratiocinaria alicuius gratia abutatur, differendum est. Primò igitur plurius corpulentis, terrenisque in animalibus grandioribus inest. Cornigerum autem nullum admodum paruum esse nouimus: omnium enim, quæ explorata habemus, minimum caprea est. Natura verò contemplanda respectu plurium est: aut enim omni ex parte, aut magna vx parte constat, quod secundum Naturam sit. Os autem omne, & quicquid speciem gerit ossis, terrenum est: quam ob rem plurimū id esse propè dixerim in maximis, partibus maioris contèplatione. Corporis igitur eius-

modi excrementi exuperantia in maioribus habita animalibus, Natura ad auxiliū, & rem abutitur commodam: itaque quantum excrementi eius ad locum superiorem efferatur, aliis in dentes, vel continuos, vel exertos distribuit, aliis in cornua. Quam ob rem cornigerorum nullum vtrinque dentatum est: supernè enim primores dentes nō habent: quippe cum Natura hinc adimendo addiderit cornibus, & alimentum, quod in eos dentes digeratur, in cornuum incrementum absimitur. Cur ceruæ cornibus careāt, cum dentes similiter habeāt, atque mares, causa est, quod eadem sexus vtriusque natura, & cornigera est: sed fœminis adempta sunt cornua, quoniam ne maribus quidem vtilia sint: sed virium meliorum beneficio, mares minùs offenduntur. Cæteris animalibus, quibus hæc materia non in cornua secedit, aut dentium ipsorum magnitudinem communi omnium incremento Natura auxit, aut dentes exertos, veluti cornua, è maxillis produxit. Sed de partibus capitis hæc tenentur.

De collo, gula, & arteria, & earum officio in corpore animantium.

Cap. III.

Collum capiti subiacet iis, quæ id habent, animalibus. Non enim omnia habent, sed ea tantum, quibus sunt partes illæ, quarum gratia collum conditum est: hoc est, guttur & quæ gula vocatur. Guttur spiritus causa datum est: hoc enim spiritum animalia trahunt, & reddunt, respirando, & expirando. Quam ob rem, quæ carent pulmone, collo etiam carent, vt genus piscium. Gula est, qua cibus, & potus deuoratur: itaque ea, quæ carent collo gulam hæc manifestā non habent, nec gulam haberi cibi causa necesse est: nihil enim ad cibum parat. Et quidem à situ oris continuo venter esse potest, pulmo non potest. Aliquem enim quasi tractum cõuallis adesse communem oportet, quo spiritum ad fistulas per arterias digerat bipartitus: atque ita efficere spiritus reciprocationem maximè potest. Cum igitur instrumentū spirationi accommodatū, longitudinem habeat necesse sit, gulam inter os, & venter haberi, necesse est. Constat gula ex neruo, & carne. Ex neruo, vt extēdi possit, cum cibus ingeritur: ex carne, vt mollis sit, & cedat, nec lædatur asperitate cibi descendētis. Guttur autem, quod arteria vocatur, corpore constat cartilaginoso: non solum enim spirandi causa est, sed etiam vocis: quod autem sonet, leue, ac solidum esse oportet. Ante gulam arteria posita est, quanquam impedimēto sit, cum cibus ingeritur. Nam si quid vel cibi, vel potus in arteriam dilabatur, strangulationes, tormina, & tusses grauissimæ incitantur. Quam ob rem non audiendi sunt, qui hac potum meare dicant. Accidunt enim apertè, quæ modo dixi, omnibus, quoties aliquid cibi dilapsus est. Profectò opinionem eorum, qui potū hac admitti existimant, irridendam esse plura ostendunt. Meatus enim nullus de pulmone ad ventrem pertinet, sicut ex ore gulam redere certumimus:

nimus: quinetiam per vomitum, & nauseam, vndenam humor remeet, incertum non est. Ad hæc humorem non continuo colligi in vesicam, sed prius in ventrem, certum est. Excrementa enim alui tingi videntur face vini atri: vulnere etiā ventris sæpe hoc idem patefactum est. Sedenim stultas opiniones admodum scrutari, stultū fortalle est. Arteria verò, quod exterior, vt diximus, posita est, à cibo infestatur. Attamen Natura ad hoc mollita est minorē linguam, siue linguam, quæ arteriā operiret. Non omnia viuiparæam obtinent, sed ea tantum, quibus pulmo, & cutis pilo intacta, non cortex, non penna operimento est. Corticatis enim, pennatisq; guttur, vice lingulæ operientis ipsum, cõtrahitur, & diducitur: quemadmodū illis operitur aliunde, & aperitur: videlicet spiritui trahendo, reddēdo ve aperitur, cibo ingerendo operitur, nequid illabatur. Quod si quid erroris in eo motu committitur, vel deerrante cibo in alienum tramitem, vel respiratione præueniente, tusses, strangulationesq; excitantur, vt dictum est. Tam verò solerti ingenio motus, & lingulæ, & lingue adhibitus à Natura est, vt cibus neq; in ore, cum mollietur, cadat sub dentes, neq; cum per fauces meat, in arteriam labatur. Carent animalia, quæ modo diximus, lingula, quoniā & carne sicca, & cute constant prædura: non enim facilè moueri membrum id posset, si ex tali genere carnis, cutisque constaret, sed extrema ipsius arteriæ citiùs comprimerentur, quàm lingula: quam animalia pilo prædita habet ex sua carne. Hæc dixisse satis est, quam ob causam animalium alia lingulam habeant, alia careant: & quemadmodū Natura vitio situs arteriæ remedium lingulā emolita adhibuerit. Guttur autem ante gulam necessariò positū est. Cor enim in parte priori, atq; in medio situm est: in quo principium vitæ, omnisq; motus, & sensus esse censemus. Etenim partem versus, quam priorè appellamus, tum sensus, tum etiam motus agitur. Hac enim ipsa ratione pars prior, & posterior statuenda est. Pulmo eandem, quam cor, obtinet sedē, idq; amplectitur. Spiratio tū propter pulmonē, tum propter originem cordi inditam agitur. Attrahitur, & redditur aer per arteriam. Itaque cum in parte priori cor primum collocari necesse sit, arteriam quoque, & guttur constitui ante gulam necesse est: hæc enim ad pulmonem, & cor tendunt, gula ad ventrē. Deniq; quod melius, & nobilius est, id semper (nisi quid maius impedit) superioris, inferiorisq; ratione superius collocatur: prioris, posteriorisq; prius: dextri sinistrisq; dextrum. Sed de collo, gula, & de arteria dictum iam est.

De corde, & eius qualitate, quàmq; ob causam animalibus iniunctum sit.

Cap. IIII.

Equitur vt de visceribus doceamus, quæ eorū sanè propria sunt, quæ sanguinem habent: nulli enim exanguiuū animali viscus vllum est, cum sanguineis omnia sint. Itaq; Democritus non rectè de his tractasse videtur: siquidem incerta hæc esse

putauit, præ exiguitate exanguiuū animaliuū. Statim enim cum cõsistunt, quæ sanguinem habent, exiguāq; admodum sunt, deprehendi cor, & iecur sine dubio possunt: quippe cum in ouis triuò cubatis, puncti iam magnitudine appareat: necnon in partibus abortitiis perquam exigua cernuntur. Ad hæc, vt exteriorum partium non idem vsus omnibus est, sed quæq; pro vita, motuque vario sibi peculiarem receperunt: sic interiorum aliæ aliis accomodatur. Viscera autem eorum peculiaria sunt, quæ sanguinè habent: quæ ob rem vnumquodq; eorum ex materia sanguinea constat: quod in nuper editis patet: sunt enim cruentiora, maiorāq; ex ratione, quoniā in prima cõcretionem, species, copiāq; materiæ euidentior est. Cor igitur omnibus sanguine præditis inest: & quam ob causam, dictum & antehac est, & nūc dicemus. Sanguis enim necessariò inest in iis, quæ sanguinea sunt: qui, cum humidus sit, cõceptaculum sibi habeat, necesse est. Ideoq; venas Natura emolita videtur, quarum vnū esse principium necesse est. Vbicunq; enim fieri potest, vnum esse, quàm plura, meliùs est. Cor autē, venarū principium est: ex hoc enim venæ, & per hoc esse videntur. Natura etiam eius venosa est, vt pote generis societate iuncti cum venis, quoniam & situs eius sedem obtinet principale: in medio enim positum est, sed magis superius, quàm inferius, & parti priori ammotiùs quàm posteriori. Natura enim rem nobiliorem constituere in locis nobilioribus solet, nisi quid maius impediatur. Cordis hunc esse locum latissimè in homine patet, sed in cæteris quoq; animalibus pari ratione tenere sibi vult mediū corporis necessarii: cuius sanè exitus est, quæ excrementa emittitur. Crura autem aliis aliter adiuncta sunt, nec ad vitam necessaria habentur, quam ob rem iis demptis vita non tollitur, additis etiam, nullum sequi interitum, certum est. Qui capiti venarum originem tribuunt, non rectè opinantur: plura enim, dispersaq; principia faciunt, idq; in loco frigido. Argumentū, quod frigus hic locus vehementiùs sentiat: contra, cordis locus calore abudat. Cumq; per cætera viscera venæ transigant, nulla per cor tēdit, vt dictum est. Itaq; partem, & principium venarum cor esse, apertū est, idq; optima ratioe. Medium enim cordis spissum, cauumq; corpus est. Plenum etiam sanguinis est, quasi hinc venæ oriantur. Cauum est, vt contineat sanguinem: spissum, vt principiu caloris seruare possit. In hoc enim viscerū, & partium omnium corporis, sanguis sine venis complectitur: cæteræ partes sanguinem venis habent contentum, idque recta ratione. Sanguis enim ex corde ad venas quoque deriuatur. At verò ad cor non aliunde deuenit: id enim origo prima, & fons sanguinis est, aut conceptaculum primū. Hæc ex cõfectione animalium perspicui possunt, atq; etiam ex generatione. Cor enim statim omnium partium primum consistens, sanguino lentum est. Motus etiam lætitiæ, ac tristitiæ, deniq; omnium sensuum hinc oriri, eodemque desinere videntur. Ratione quoq; ita esse probatur: Principium enim vnum esse oportet, vbi-

Vnicornua qua.

Aptus cornuum locus caput.

Ceruis solis cornua solida.

Cerua ob rem: nua non beau.

Lingula vsus.

Guttur strum: spiritus

Gula: in ca: in 2: est

Partium pro dignitate col locatio.

Potum no per arteria tranfire: in ca: in 2: est

Viscera sanguineis tantum esse.

Venarū principium est: ex hoc enim venæ, & per hoc esse videntur. Natura etiam eius venosa est, vt pote generis societate iuncti cum venis, quoniam & situs eius sedem obtinet principale: in medio enim positum est, sed magis superius, quàm inferius, & parti priori ammotiùs quàm posteriori. Natura enim rem nobiliorem constituere in locis nobilioribus solet, nisi quid maius impediatur. Cordis hunc esse locum latissimè in homine patet, sed in cæteris quoq; animalibus pari ratione tenere sibi vult mediū corporis necessarii: cuius sanè exitus est, quæ excrementa emittitur. Crura autem aliis aliter adiuncta sunt, nec ad vitam necessaria habentur, quam ob rem iis demptis vita non tollitur, additis etiam, nullum sequi interitum, certum est. Qui capiti venarum originem tribuunt, non rectè opinantur: plura enim, dispersaq; principia faciunt, idq; in loco frigido. Argumentū, quod frigus hic locus vehementiùs sentiat: contra, cordis locus calore abudat. Cumq; per cætera viscera venæ transigant, nulla per cor tēdit, vt dictum est. Itaq; partem, & principium venarum cor esse, apertū est, idq; optima ratioe. Medium enim cordis spissum, cauumq; corpus est. Plenum etiam sanguinis est, quasi hinc venæ oriantur. Cauum est, vt contineat sanguinem: spissum, vt principiu caloris seruare possit. In hoc enim viscerū, & partium omnium corporis, sanguis sine venis complectitur: cæteræ partes sanguinem venis habent contentum, idque recta ratione. Sanguis enim ex corde ad venas quoque deriuatur. At verò ad cor non aliunde deuenit: id enim origo prima, & fons sanguinis est, aut conceptaculum primū. Hæc ex cõfectione animalium perspicui possunt, atq; etiam ex generatione. Cor enim statim omnium partium primum consistens, sanguino lentum est. Motus etiam lætitiæ, ac tristitiæ, deniq; omnium sensuum hinc oriri, eodemque desinere videntur. Ratione quoq; ita esse probatur: Principium enim vnum esse oportet, vbi-

Cor omniu partium primum consistens, sanguino lentum est. Motus etiam lætitiæ, ac tristitiæ, deniq; omnium sensuum hinc oriri, eodemque desinere videntur. Ratione quoq; ita esse probatur: Principium enim vnum esse oportet, vbi-

cunque fieri potest. Aptissimus autem omnium locorum medius est. Medium enim vnū est, & tale, vt vndiq; attingi, vel æquè, vel proximè possit. Adhæc, cum nec pars alia sanguinea vlla, neque sanguis ipse vim habeat sentiendi, quod primum sanguinem habet, id esse, quod sentiat, certum est. Habeat autè perinde, ac vas, quod principium est, necesse est. Nec ratione tantum ita esse probatur, verum etiam sensu percipitur. Nam in partuū prima generatione, statim cor palpitare cernitur, quasi animal sit, vt quod principium sit naturæ eorum, quæ sanguinem habent. Argumentum vel inde deduci potest, quod nullū animal sanguinis compos careat corde: principium enim sanguinis habeant, necesse est. Iecur etiam omnibus sanguine præditis inest: sed nemo id celsuerit esse principium vel corporis totius, vel sanguinis: situm enim nequaquam obtinet principalem. Lienem verò sibi habet aduersum in iis, quæ exquisitiùs constant, nec verò sanguinis conceptaculum modo cordis intra se continet: sed vt reliquæ partes sanguinem venis inclusum habet. Adhæc, vena per iecur tendit, nec vlla ex eo præuenit. Venæ enim omnes ex corde sua initia trahunt. Itaq; cum alterutrum istorum principium esse necesse sit, iecur autem non sit, cor sanguinis quoq; principium esse, necesse est. Animal enim sensu definitur. Vis autem sentiendi primò illi tribuitur, quod primum sanguine præditum est. Tale autem cor est, quippe quod & origo sanguinis sit, & primum sanguinem habeat. Extremum eius turbinatur in mucronem firmissimū. Situm in pectore est, & omnino parti priori corporis comissum, ne refrigeretur. Omnibus enim pectus minus carnosum, quam tergum, est: quam ob rem à tergo per quam tutè calor apertus est. Cor ceteris animalibus in medio pectore est: homini tantum paulò vergit ad læuam, vt eius partis refrigerationem moderetur, & compenset. Omnium enim animalium maximè homo refrigeratam habet partem sinistram. In piscibus etiam cor simile situm tenere, & cur dissimilis videatur, dictum iam est. Solis is cordis mucro ad caput spectat, cum ea pars prior sit: eodem enim agitur motus. Copia quoq; neruorum in corde est, idque recta ratione: hinc enim motus oriuntur, qui intendendo, remittendòq; efficiuntur: itaq; ministerio tali, & robore opus est. Cor autem, vt supra diximus, veluti alterum animal inest iis, quæ corde vitalem originem continent. Cor sine osse est omnium, quæ nos nouerimus, præterquam equi, & generis boum cuiusdam, quibus præ magnitudine, quasi adminiculum subditum est: quo modo totum etiam corpus ossibus sustentatur, & continetur. Ventriculum triplicè cor magnorum animalium habet, duplicem minorum, vnum ad postremū: nullumq; est, quod sine vilo ventriculo cõstet: & quam ob causam, dictum est. Locum enim, & conceptaculū quoddam sanguinis primi in corde haberi conuenit. Sanguinem autem primò effici in corde, sæpe iā diximus. Sed cum duæ venæ sint principales, altera maior, altera minor, aortaq; appellata, quæ sparsa ramorū serie cæteras minores venas pro-

ducant, atque inter se differant, vt post hac exponemus: meliùs sanè est, initia quoq; earum esse distincta. Quod fieri potest, si sanguis diuersus, distinctusq; sit: quam ob rem vbi fieri potest, sanguinis conceptacula duo habentur. Fieri autem id potest in magnis: sunt enim corda eorū ampliora. Sed meliùs tres esse ventriculos, vt vnus commune principium sit: medium autè, & impar principium est. Itaq; magnitudo amplior subinde desideratur. Vtile fit, vt quæ maxima sint, triplicem ventriculum habeant. Dexter plurimum sanguinis, & calidissimū continet: quam ob rem, pars corporis dextra calidior: sinister parum, idq; frigidissimum: medius mediocrè, tum copia, tum calore, sed puriorè. Principium enim quam maximè quiescere debet: tale autem erit, si sanguis purus, & mediocris, tum copia, tum calore sit. Quinetiam articulationem quandā rimis, futurisve capitis similem habere visuntur, quanquam nõ ita constant, vt quod ex pluribus sit compactum, sed (vt modò dixi) articulatione potiùs ostendunt. Sunt articulationes corda eorū, quæ sensu meliùs valent: inarticulatiore eorum quæ sensu hebetiori sunt, vt suum. Discrimina cordis, quæ amplitudine, exiguitate, duritia, molitia existant, vel ad mores pertineant, aliquatenus. Quæ enim sensu hebeti sunt, cor habent durum, & spissum: quæ autè sensu valent, mollius. Pauca etiam sunt, quibus cor grandius: audentiora, fidentioraq;, quibus minus, aut mediocrè. Affectus enim, qui accidit ex metu, iam in iis præest, quoniã calorem proportionem cordis non habeant, sed parū caloris in magno conceptaculo exolefcit: itaq; sanguis frigidior sit. Cor magnum proportionem, lepori, ceruo, muri, hyænæ, asino, pantheræ, mustelæ, & reliquis ferè omnibus, quæ apertè timida sunt, aut propter metum malefica. Simile in venis, atq; in vetriculis cordis euenit: sunt enim frigidiores, & venæ ampliores, & ventriculi ampliores. Nam vt in paruo, & in magno domicilio tantundem ignis nõ æquè calefacit, sed minus in magno: sic in his calor nõ pariter agit. Vas enim tam vena, quam ventriculus est. Item motus alieni calidū quodque refrigerant. Plus autè spiritus in amplioribus est, magisq; valet: quã ob rem nullū ex iis, quæ venis, aut vetriculis sunt amplioribus, obesum per carnem, opimūmq; est: sed quæ ita pinguescant, aut omnia, aut maxima parte venis incertis, prauòq; ventriculo esse cernuntur. Cor solum viscerum, atq; omnino partiu corporis nullum vltium patitur graue: idque recta ratione. Cum enim principium corrumpitur, nihil est, quod cæteris, quæ inde pendeant, præbere auxilium possit. Indicium, vt nullū affectum cor patiatur, quod in nulla hostia cor ita affectum visum adhuc est, vt in cæteris visceribus cernitur. Renes enim sæpenumero calculis, & panis, & papulis referti videntur: atq; etiam iecur, & pulmo, ac potissimū lien. Multa etiam alia vitiorū genera euenire in iis videmus. Sed tamen circa arteriam pulmonis, & quæ iecur annectitur venæ maiori, per exiguè ita accidit: idq; ratione recta: hac enim maximè cordi associantur. At verò quæ morbo,

morbo, vitisq; eiusmodi pereunt animalia, iis dissectis, affectus morborum in corde conspiciuntur. Sed de corde qualenam sit, & cuius gratia, & quam ob causam iunctum animalibus sit, hæc dixisse satis est.

De venis, & earum loco in corporibus eorum animantium, quæ sanguine prædita sunt.

Cap. V.

Equitur vt de venis differamus, videlicet de maiori, & de aorta. Hæc nanq; ex corde primè recipiunt sanguinem: reliquæ earū soboles sunt. Igitur sanguinis gratia eas esse, dictū iam est. Humor enim conceptaculum quisq; desiderat: venarū autem genus, conceptaculum, & vas est. Itaq; sanguis in iis, quasi in vase, est. Sed quam ob rem duæ sint, & de eadem origine in omnes corporis partes discurrant, explicandū nunc est. Causa, vt principium vnum, & ab vno esse melius sit, quod animam sentientē vnā actu habeant omnia. Hinc enim pars etiam, quæ eam animā primò contineat, vna est, tum potentia, tum actu, in iis, quæ sanguinem habent. At in nonnullis eorum, quæ sanguine carent, actu duntaxat: quã ob rem caloris quoq; originem in eodem tãtisper esse necesse est. Hæc eadè causa est etiã, vt sanguis humidus sit, & calidus. Cum igitur vna in parte sit principium sensus, & caloris, sanguis etiã ex vno suam originem ducit: vnitatem autem sanguinis fit, vt venarum etiã capita ex vno, eodemq; oriatur. Duæ autem numero sunt, quoniã corpora animalium, quæ sanguinè habent, & gradiuntur, bipartita sint. Hæc enim omnia parte priori, & posteriori, dextra, & sinistra, superiori, & inferiori distinguuntur. Quantò autè nobilior, ac principalior pars prior, quam posterior est, tantò vna maior præstantior est altera, quam aortā vocari diximus. Altera enim in priora, altera in posteriora discurret: & altera in omnibus sanguine præditis habetur apertè, altera in nonnullis aut obscurè, aut incertè. Causa verò vt venæ in omnes corporis partes digeratur, quod sanguis, aut quod vicem sanguinis tenet, totius corporis materia est, quæ in vena, aut in vicariò venæ continetur. Sed quoniam modo, & ex quo animalia nutriantur, & quomodo ex ventre capiant alimentū, cum de generatione agitur, aptius & spectari, & explicari potest. Cum autè partes ex sanguine omnes consistant, vt diximus, venarū riuus in omnes corporis partes ratione recta expanduntur. Sanguinem enim fundi per omnia, adesseque omnibus oportet: siquidè partes quæque ex eo cõsistunt. Et vt in hortis rigandis de vna origine, fonteq; vno aqua riuus permultis diducitur, aliisque ab aliis ductus subinde excipiunt, quousq; humor in omnes partes deueniat: atq; etiã vt in fabricis per totā fundamentorū descriptionem lapides apponuntur: videlicet ea ratione, quod fata hortorum humoris beneficio nascantur, fundameta ex lapidibus cõdantur: sic Natura sanguinè per totum corpus cõsistit: deriuandum, cum is omnium materia sit. Patet hoc in iis, quæ maximè extenuentur: nihil enim nisi

venæ apparent: vt in vitineis, & ficulnis, & reliquis generis eiusdem frondibus; iis enim arefcentibus, venæ tantummodo relinquuntur. Cuius rei causa est, quod sanguis, & quod sanguini proportionetur, potètia sit corpus, & caro, aut quod iis proportionem respondeat. Igitur vt in adaquatione sulci altiores, ampliorèq; durant, minimi autè primi, ac celeriter limo obducto abolescunt, rursumq; deducto apparent: sic venæ amplissimæ durant, minimæ autè primæ actu carnes efficiuntur, quanquam potentia nihilò minus venæ sint: quam ob rem etsi caro extat, sanguis tamen inducto vulnere vndique effluit. Atqui sine vena sanguis esse nõ potest. Vena autem nulla manifesta est, quo modo neq; riuorum foueolæ patent prius, quam limus eximatur. Procedunt venæ in minores subinde ex amplioribus, quousque artiores reddantur, quam vt sanguinè transmittere possint: quam ob rem exitus sanguini nullus patet: quanquam excremento vaporis humidi, quem sudorè vocamus, satis pateat: sed ne illi quidè nisi corpore calefacto, & venularū clausulis patefactis. Iam nonnullis accidit, vt cruentum quoddam excrementū sudarent propter vitiatū corporis habitū, scilicet cum corpus laxum, fluxumq; esset, sanguisq; præ cruditate humesceret imbecillitate caloris, qui exiguis venulis inclusus cõcoquere non posset. Omne enim, quod aqua, & terræ comūne est, crassescere, cum concoquitur, dictū iam est. Alimentū autem, & sanguis mistū ex iis est: calor verò concoquere nõ potest, non modò quia exiguus est, verum etiam præ nimia cibi assumpti copia. Fit enim exiguis cõparatione tanti cibarii. Duplex autè exuperantia cibi est: aut enim quantitate, aut qualitate, id est, modo, & genere: quippe cum cibus non æquè cõcoctu facilis quisq; sit. Profluit autè sanguis potissimū per ampliora venarū foramina. Quam ob rem è naribus, gingiuis, & sede, interdum etiã ex ore profluuium sanguinis fit sine vilo dolore: non per vim, vt ex arteria. Distant spatium inter se supernè vena maior, & aorta: infra mutatis vicibus tendunt, atq; ita continetur corpus. Progredientes enim scinduntur iuxta bifidam crurum partitionem: atq; altera ex parte priori in posteriorē se porrigit, altera ex posteriori in priorē, eodemque concurrunt. Vt enim ea, quæ implexa sunt, continentiora constāt: sic vicibus venarum mutatis, partes priores corporis cum posterioribus copulantur. Simile etiã à corde locis superioribus fit. Sed qui diligentiùs nosse velit, quemadmodū venæ inter se habeant, spectare id tum per dissectionem, tum etiam per commutationem, hoc est, historiam animalium debet. Atque de venis, & corde hætenus. De reliquis etiam visceribus hac eadem via, & ratione considerandum est.

De pulmone, & eius forma: quibus item inferitur, quibus non. Cap. VI.

Vlmo ideo habetur, quia genus animalium quoddam pedestre est. Calorè enim refrigerari necesse est: quod extrinsecus ea, quæ habet sanguinem,

imobilitate sanguinis primum in debet esse cur & officina alimentis quodlibet sanguis in debet esse in medio.

hinc placitū est etiam Celsi libro 4. cap. 10. sic dicitur. Cor natrium cuiusdam in pectore sub firmis membris situm.

Quibus os in corde sit.

Ventriculi cordis.

Principales venæ duæ.

Anima sentiens omnibus vna.

Bipartita animalium corpora.

Corporis materia sanguis.

Qua ratione sanguis deriuatur per totum corpus.



Cruenti sudoris causa.

Cibi exuperantia duplex.

Ductus venarum per corpus.

desiderant, sunt enim calidiora: at quæ sanguine carent, vel suo natiuo spiritu satis refrigerari possunt. Extrinsecus autem vel aere, vel aqua refrigerare necesse est. Quam ob rem piscium nullus habet pulmonem, sed pro eo brachias obtinet, ut, cum de spiratione ageremus, retulimus. Aqua enim refrigerantur, ut aere, quæ spirant. Quam ob rem omnia, quæ spirant, habent pulmonem. Spirant pedestria omnia, & aquatiliam nonnulla: ut balæna, & delphinus, atque etiam cetæ omnia, quæ reflant. Complura enim natura accipiti sunt, tum ex terrestrium, tum ex aquatiliam numero: nam & eorum, quæ terra sustentantur, aëremque arripiunt, quædam in humore maximam temporis partem consumunt, propter sui corporis temperamentum: & eorum, quæ in humore degunt, nonnulla tantum terrestri natura sibi mutantur, ut nisi interdum spirent, vivere nequeant. Pulmo igitur spirandi officio delegatus est, qui originem quidem sui motus accipit ex corde, sed sua tum amplitudine, tum inanitate, aditum spiritui patefacit: cum enim attollitur, influit spiritus: cum contrahitur, effluit. Ad cordis palpitationem pulmonem spectare, malè opinatum est: cor enim homini (propè dixerim) animalium vni palpitat, quia homo solum spe rei futuræ, expectationeque mouetur. In pluribus etiam cor laxo interuallo distat à pulmone, situmque superius tenet, ut nihil ad cordis palpitationem conferat pulmo. Differentia pulmonis varia est. Aliis enim sanguineus, magnusque; aliis minor, fungosus, exanguis. Quæ vni paræ sunt, maiorem, & copia refertum sanguinis habet, propter calorem suæ naturæ ampliorum. Quæ contra ouiparæ sunt, exigua, & sicca, sed apta ampliari, ac extumescere, cum inflatur: qualis eorum est, quæ ex terrestribus quadrupedes ouiparæ sunt, ut lacertorum, & testudinum, & cæterorum generis eiusdem. Volucrum etiã natura, quas aves appellamus, eodem pertinet. Omnium enim earum pulmo fungosus, & spumæ similis est. Spuma enim facta, diffusaque, ex amplo tumore in exigua residet, & pulmo earum exiguus, membranaceus; similis est: quam ob rem hæc omnia parum sitiunt, & parum bibunt: diu etiam aquam demersa tolerant. Satis enim ab ipso pulmonis motu spiritali, inanisque; refrigerantur diutius, ut quæ parum caloris habeant. Accedit ad hæc, ut magnitudo corporis eorum propè omnium minor viuiparis sit. Calor enim est, quod vim obtineat augendi. Sanguinis autem copia, caloris indicium est: corpora etiam melius erigit. Quam ob rem homo cæteris erectior omnibus est, & viuipara reliquis quadrupedibus erectiora incedunt. Nullum enim viuiparum vel expes, vel ambulans, æquè latibula petit. Pulmo igitur spirandi gratia datus omnino est, sed exanguis, talisque; cuiusdam animalium generis causa est: verum commune eorum nomine vacat, nec, ut auium genus, nomen obtinuit. Itaque, ut aërem esse ex aliquo est, sic in essentia illorum inest, ut habeant pulmonem.



Viscerum quædam simplicia esse videntur, ut cor, ut pulmo: quædam bipartita, ut renes: quædam trionam modo se habeant, dubitatur. Iecur enim, & lienem accipiti inter hæc esse specie dixeris: nam & quasi simplex, & tanquam pro simplici duo. Simili prædita natura esse vtrunque videtur. Sunt tamen omnia bipartita, cuius rei causa est, corporis dispositio, quæ bipartita quidem sit, sed in vnum initium coeat, consummeturque. Aut enim superiore & inferiore, aut priore & posteriore, aut dextra & sinistra parte distinguitur. Quæ ob rem cerebrum quoque; omnium bipartitum esse sibi vult, atque; etiam sensorium vnumquodque. Eademque; ratione cor ventriculis suis distinguitur. Pulmo verò in ouiparis adeò dirimitur, ut ea bios habere pulmones videantur. Renes bipartitos esse, nulli dubium est. De iecore, & liene iure ambiges. Cuius rei causa est, quod in iis, quæ lienem habere necesse est, liè ipse quasi iecur adulteratum esse videtur: in iis autem, quæ lienem habere non necesse est, ut exiguus admodum lien, veluti notæ gratia, habetur, sic epar bipartitum aperte est, & pars altera ad dextram, altera, quæ minor est, ad sinistram situm tenere expetit. Quinetiã in ouiparis quavis minus, quam in viuiparis, apertum sit, tamè in nonnullis æquè diuisum patet, ut locis quibusdam lepores bina iecinora habere videntur: quemadmodum in genere piscium, tum alii quidam, tum cartilaginei iecur duplicatum habere videntur. Sed quoniam iecur parte dextra potius situm est, ideo natura lienis adhibita est. Itaque; quanquam necessariò quodam modo est, tamen non admodum omnibus animalibus. Causa igitur, ut viscerum natura bipartita sit, quæadmodum diximus, dextrum, sinistrumque; est: vtrunque; enim sibi simile exposcit, quomodo ea quoque; similem, geminamque; habere naturam expetunt. Ut enim illa, quanuis gemina, eodè coeunt, sic viscerum singula, quanuis gemina, nexu eodem continentur. Sunt viscerum quædam supra septum, quædam infra: sed omnium usus communis venarum gratia est, videlicet quo venæ, utpote pensiles, sustineri, & copula viscerum stabiliri ad corpus possint: quasi enim anchoræ per partes deductas iaciuntur ad corpus: verbi gratia, de vena maiore ad iecur, & lienem deuenitur. Etenim viscerum eorum natura, quasi clauus corpori eam affigit, scilicet iecur, & lien, in latera corporis venam maiorem affirmant: ad hæc enim sola, rami ab illa mittuntur. Renes autem in parte posteriore eandem continent, quanquam ad renem vtrunque; non modò de vena maiori, sed etiam de aorta pertendit vena. Hæc viscerum beneficio institutioni animalium præstat. Atque; etiam iecur, & lien iuuant ad cibi concoctionem: quod enim sanguinea sunt, calidam habent naturam. Renes ad excrementum, quod in vesicam secedit, opitulantur. Sedenim cor, & iecur omnibus animalibus necessaria sunt: alterum propter caloris originem, (locum enim adesse aliquem, quasi lares, focumque oportet, quo Naturæ fomites, & primordia ignis

Pulmonis officium.

Quare homini cor palpitet.

Pulmonis varietas.

Caloris vis.

De viscerum forma, & eorum loco in corpore animalium, & officio.

ignis natiui contineantur, & feruentur, eundemque tutum esse, veluti arcem corporis totius, necesse est) alterum, iecur dico, cibi concoquendi gratia adest. Et quidem nullum sanguine præditum iis duobus carere potest: quam ob rem omnia, quibus sanguis, duo hæc viscera habent. Quæ autem spirant, tertium etiam habent pulmonem. Lien per accidens necessarius est, quo modo excrementa tum alui, tum vesicæ. Ex quo fit, ut in nonnullis deficiat magnitudine: ut volucrum quibusdam, quæ ventriculorum habent feruentiorem, velut columbo, accipitri, miluo. Quinetiam in ouiparis quadrupedibus pari modo hoc percipi potest: habent enim perquam exiguum. Multis etiam squamatis exiguus, quæ vesica etiam carent, quoniam excrementum per carnem laxiorem in pinnas, & squamas transeat. Lien enim vapores vacantes diuertit, & attrahit ex ventriculo, & concoquere eos potest, ut qui sanguineus sit. Quod si plus excrementi sit, parumque caloris habeat lien, corpus præ alimento immodico languescit. Et propter confluium huc humoris, sæpe accidit, ut lienosis ventres præduri efficiantur: quo modo iis, qui supra modum mingunt, ex diuerticulo humoris. At quibus parum excrementi consistit, ut auibus, atque piscibus, iis aut non magnus, aut notæ gratia duntaxat habetur. Quadrupedibus etiam ouiparis lien exiguus, rigidus, & reni similis est, scilicet ob eam rem, quod pulmo eorum fungosus est, parumque potus desiderant: & quantum excrementi confiterit, in corpus, & corticem vertitur, ut auibus in pennas. Sed in iis, quæ vesicam habent, & pulmonem sanguineum, humidus est, tum ob eam, quam modò diximus, causam, tum quia partis sinistrae natura humidior, & frigidior est. Contrarium enim quodque ad sibi cognatum ordinem dispositum est: verbi gratia, dextrum sinistro contrarium est, & calidum contrarium frigidum: itaque; modo, quæ diximus, sociantur. Renes nulla necessitate habentur, sed ut melius, & locupletius sit. Humor enim excrementitii gratia, qui confluit in vesicam, adiuncti sunt ex sua natura: in quibus plus huiusmodi sedimenti fieri solet, ut vesica melius suo munere fungeretur. Sed cum usus eiusdem causa renes, atque vesica habeantur, differendum nunc de vesica est, prætermissa sequente partium enumeratione. De præcordiis enim nodum docuimus, quæ pars viscerum rationi coniuncta est.

Morbi ex liene, officio probe non funt genere.

Renus usus.

Viscerum natura.

Iecur, & lienem, concoctione iure.

Quibus animalibus data sit vesica, deque eius officio, & situ in corpore animalium.

Cap. VIII.



Vesica non omnibus animalibus data est, sed iis tantum tribuere voluisse Natura videtur, quæ pulmonem habent sanguineum: idque recta ratione. Caloris enim excessu, qui in eo ipso membro continetur, sitibunda hæc omnium præcipue animalium sunt, cibique; indigent, non modò

sicci, verum etiam humidi copiosioris. Itaque; excrementum etiam copiosius contrahi necesse est: nec solum tantum, quantum à ventre concoqui, excernique cum eius excremento possit. Ergo huius quoque; excrementi conceptaculum quoddam haberi necesse est: quam ob rem omnia, quæ talem habent pulmonem, vesicam obtinent: quæ autem tali carent pulmone, & vel parum bibunt, quoniam fungosum pulmonem habeant, vel omnino potum assumunt, non potus, sed cibi gratia, ut insecta, & pisces, vel etiam quæ penna, aut squama, aut cortice integuntur, hæc tum propter humoris assumpti exiguitatem, tum quia quantum excrementi contrahitur, in ea ipsa absumatur, vesica omnia carent, excepta testudine inter corticata: in hac enim tantummodo natura canistrata non est. Cuius rei causa est, quod marina testudines pulmonem habent carnosum, sanguineum, & similem bubulo: terrestres autem proportione maiorem. Superficies etiam, quia obdensa, præduræque modo silicis est, facit ne humor diffari, euaporarique possit per carnem laxiorem: ut auibus, serpentibus, cæterisque operis cortice euenit. Atque ita excrementi copia tanta subsidet, ut eorum natura conceptaculum, & vas quoddam capax humoris desideret. Vesicam igitur testudo sola inter hæc habet ea de causa, scilicet marina amplam, terrestriam exiguam admodum.

Quibus vesica non sit.

Soli testudini in cortice genere vesica.

De renibus, & eorum officio, quibusque animalibus dati sint.

Cap. IX.



Enum etiam ratio similis est. Nullum enim pennatum, nullum squamatum, nullum corticatum, excepta testudine, renes habet: quanquam in nonnullis auibus caruncula quædam sint latiuscule, speciem renium ostendentes, quasi ea caro, quæ renibus delegata est, locum non habeat, sed in plura dispersa sit. Genus tamen testudinis, quam lutariam vocant, & vesica, & renibus caret. Fit enim propter eius mollitudinem tegminis, ut humor facile diffletur. Lutaria igitur ob eam causam neutram earum partium habet. Cæteris animalibus, quæ sanguineum, ut dictum est, habent pulmonem, renes omnibus Natura tribuerat: quippe quæ simul & ad venas continendas iis vteretur, & ad humorum superuacuum excernendum abuteretur: meatus enim de vena maiore ad renes usque perfertur. Cauum in omnibus inest renibus, aut amplius, aut arctius, præterquam in vitulo marino: eius enim renes bubulis similes, omnium firmissimi, ac solidissimi sunt. Hominum etiam renes bubulis similes sunt: quippe qui tanquam compositi ex multis renibus exiguis consistunt. Neque; æquales sunt, quomodo renes ouium, cæterarumque; quadrupedum habentur. Quo fit, ut morbus eorum difficile curari hominibus possit, etiam si nuper ægrotare incœperint. Accidit enim quasi multis renibus laborat, difficile remedium curatu. Adhibeatur, quam si vno infestarentur. Meatus, qui ex vena pertendit, non cauum subit renium, sed in eorum corpus absumitur: quam ob rem

Renium morbus difficilis curatu.

Meatus vni-

in cauis eorum nihil sanguinis continetur, neq; conerescit mortuis. Meatus verò de cauis renū exangues duo insignes ad vesicam feruntur, singuli ex lingulis: atq; etiā alii ex vena aorta validi, frequētēsq; eodem deueniunt. Quæ ita Natura instituit, vt ex vena humoris excrementū ad renes veniret: in renibus autē sedimen, humoribus per corpus renum colatis, in medium conflueret, vbi plurimi cauum cōtinent. Quo fit, vt renes omniū maximē viscerū fœdum reddāt odorem. Tum deinde ex medio per eos meatus in vesicam iam magis, magisq; tanquā excrementū secernitur, atq; reicitur. Vesica ipsa ex renibus dependet: tendunt enim in eā, vt dictum est, validi meatus. Renes his de causis habentur, & virtutes, quas diximus, obtinent. Omnibus autem, quæ renes habent, dexter superior sinistro est.

Quare renū dexter sinistro superior.

Quod enim motus ex parte dextra proueniat, naturāq; dextrā prōinde validior sit, ideo partes omnes mouendī causa vergant ad situm potius superiorem oportet. Nam & superciliū dextrum magis attollitur, & arcuatū magis, quā sinistrum, habetur. Tangitur in omnibus à iecore dexter, quod elatior est. Iecur enim parte dextra positum est. Pingue pleniū renes ambit, quā reliqua viscera. Quod & necessariō fit, cum excrementū per renes trāsmissum coletur. Quantum enim relinquitur sanguinis puri, facile cōcoqui potest. Finis autē probæ concoctionis sanguineæ, adeps, & seuū est. Vt enim in cō-

Pinguedinis renū causa.

buistis siccis, velut cinere, aliquid ignis relinquitur: sic in cōcoctis humidis nō nihil caloris, qui effecerit relinquitur. Quo fit, vt pingue leue sit, & humoribus resideat, atq; fluitet. Fit nō intra ipsos renes, quoniam densum hoc viscus sit, sed circū renes est, videlicet aut adeps in iis, quæ pinguescere adipe solent, aut seuum in iis, quæ seuo opimantur. Quorū differentia alio loco explicata est. Necessariō igitur ea de causa pinguescunt, scilicet ex iis quæ necessariō eueniūt animalibus, quæ renes habere debuerunt: salutis autem causa, vt renum natura calida sit. Cum enim positi loco vltimo sint, teporē desiderāt ampliorē. Tergum enim carnosum est, vt cor, & reliqua partis superioris viscera protegat. At lumbi carne vacant, vt flecti possint: omniū enim flexus excarnes sunt. Itaq; vice carnis adipe renes obsepti muniuntur. Quinetiam humorē meliū discernunt, & conoquunt sua pinguedine. Pingue enim omne calidū est: calor autem concoquit. Renes his de causis pingui operiūtur. Dexter omnibus minū pinguis. Cuius rei causa est, quod natura dextræ partis siccior est, & mobilior. Motus autem contrarius est: liquat enim pinguedinem, & consumit. Sed cum cæteris animalibus renes habere pingues proficiat, & plerūque totos obesos hebeāt, quibus hoc lethale est. Quo fit, vt tanquā pingues admodū sint, tamen aliquid desit, & si non vtriq; dextro quidē. Causa cur hoc solis, aut maximē ouibus accidat, quod iis, quæ adipe pinguescere solent, pingue humidū est. Itaq; non æquē flatus interclusi dolorem faciunt, quod causa syderationis est. Quā ob rem hominibus etiam, qui vitio renum labo-

Pingue vtile renibus.

rant, quanquā pinguescere iuuat, tamen si pingues admodum efficiantur, dolores profectō accidunt lethales. Cæteris autem etsi seuo pinguescunt, tamen seuum minū densum, quā ouibus, fit. Copia etiā seui, genus ouium longē excedit. Omnium enim animalium oues celeri renum obesitate opplentur. Itaque humore, flatūq; intercluso, celeriter præ syderatione intereunt. Nanque per venam aortam, & maiorem, statim vitium ad cordis sedem transuehitur. Meatus enim ex iis venis ad renes continui pertendunt. Sed de pulmone, de corde, de iecore, de liene, & de renibus, dictum iam est.

Renum pinguedo ouibus lethalis.

De septo transuerso, siue præcordiis, & eius officio. Cap. X.

Eparantur hæc inter se septo trāsuerso, quod nōnulli præcordia appellāt. Determinat hoc à reliquis pulmōē, & cor. Id autē septū transuersum præcordia in sanguine præditis, vt modo dixi, vocatur. Habent hoc omnia, quæ sanguinē obtinent, æquē, vt cor & iecur: cuius rei causa est, quod ideo habetur, vt sedem cordis à ventre dirimat, videlicet vt animæ sentiētis origo inoffensa feruetur, nec faciliē occupetur exhalatione cibi, & caloris aduentitii copia. Hac enim causa Natura interceptit præcordiorū quasi parietis, sepisq; interuētū, distinxitq; partem nobiliorē ab ignobiliori. In quibus superioris, inferiorisque ratio posset haberi. Superius est enim, cuius gratia reliqua sint, quōd; melius sit: inferior autē, quod eius gratia sit, & conceptaculū cibi necessarium. Annectitur hoc septum siue cinctus costis parte sui carnosiore, validiorēq;: t̄ media autem constat membrana exiliori. Ita enim & ad robur, & ad prætentū commodius est. Contra calorem sefferentem hoc veluti sobolem esse, argumentū ex iis, quæ plerunq; accidunt, ducitur: vbi enim propter vicinitatem attraxerint humorem calidum, atq; excrementitiū, cōtinuō mentem, sensumq; planē perturbant. Quam ob rē phrenes appellātur, quasi participes prudētiæ sint. Atqui nullatenus participes sunt, sed quia propinquæ sunt iis, quæ vim obtinēt illam (cordi enim prætentuntur) hinc mentis mutationem aperiunt. Quam ob rem tenues parte sui media sunt, non modō de necessitate, quod cum carnosæ sint, parte sui costis admota, carnosiores esse necesse sit: verū etiam vt minus vaporis excipiant. Nam si carne pleniore cōstarent, copiā vaporis & haberent, & traherent. Partem hanc calefactā celeriter sensum aperire indicat vel id, quod titillatu euenit. Rident enim celeriter, qui titillātur, quia motus celeriter ad eū locum perueniat: qui quāquā leuiter calefaciat, tamen aperit, & mētem mouet præter voluntatē. Causæ autem cur homo animalū vnus titilletur, & cutis tenuitas est, & quod solus omnium animalium rideat. Est enim titillatio, risus causa, per eiusmodi motum partis, quæ alam cōplet. Iam etiā traiecta præcordia in præliis risum attulisse proditum est, scilicet calore, quem moueat vulnus. Hoc enim verisimiliū



Ex qua materia corpus viscerum sit.

Ex qua materia corpus viscerum sit.

An abscissum caput loqui possit.

risimiliū credi potest, quā quod de capite referunt, vt abscissum loqui potuerit. Sunt enim qui hoc dicant, Homerūq; testem adhibeant, quasi ob eam rē illud dixerit. Ipsēq; dū loquitur, miscetur puluere vertex. Non enim dum ipse homo, sed dū ipse vertex, intelligi volunt. In terra Caria, res adeo pro vera habita est, vt reum quendā ex incolis egerint. Cum enim Iouis Hoplosmii sacerdos esset occisus, & à quo non constaret, nōnulli sese audiuisse retulerunt, capite præciso dicente sapius, Virum super viro Cercidas occidit. Itaque hominem, cui nomen Cercidas, in prouincia quæsierunt, cōpertūq; in iudiciū duxerūt. Sed fieri nō potest, vt caput præcisa arteria, & sine motu pulmonis loquatur. Nec apud barbaros, qui capita summa cū celeritate abscindunt, tale quid vnquam euenisse accepimus. Adhæc, in cæteris animalibus cur in nō aliquando fiat? Risum enim iis nunquā præcordiis traiectis moueri consentaneū est, cum ridendi vi careant: at capite abscisso, ne suā vocē aliquando emittant, quidnam prohibeat? Corpus tamen, detracto capite, progredi quōquam nō temerē credi potest. Nam ea quidē, quæ sanguine carent, vel viuere diutiū possunt truncata capite. Cuius rei causam alio loco docuimus, Sed cuiusnam gratia singula viscerū habeantur, explicatū iam est. Extremis autem venarū interioribus hæc necessariō adiunguntur. Vaporem enim prodire, eūq; sanguineum, necesse est: ex quo consistente, concrecentēq;, viscerum corpus contrahatur, & coagmentetur. Quapropter sanguinea hæc sunt omnia, & naturam sibi consimilem, cæteris dissimilem habent.

Ex qua materia corpus viscerum sit.

De membranis, & earum officio. Cap. XI.

Membranis omnia viscera includuntur. Pro tegmine enim opus est, quo illa seruantur, eōq; leuiori. Membrana autem talis suapte natura est, quippe quæ & densa sit, vt arcere possit: & carne vacet, vt vaporem nec trahat, ne habeat: & tenuis prætentatur, vt leuis sit, & nihil pōderis afferat. Maxima inter mēbranas, & robustissima sunt, quæ cor, aut cerebrum ambiūt. Idq; optima ratione: hæc enim præcipuam tutelam desiderant. Tutela enim partibus adhibenda principalibus est. Hæc autem principatum maximē vitæ obtinēt.

Non omnia viscera omnibus animalibus inesse. Cap. XII.

Abent animalium quædam omnem viscerum numerū, quædam nō omnem. Quæ sint hæc, & quā ob causam, dictum iam est. Et variē verō hæc habentur: neq; enim cor simile habent ea, quæ corde prædita sunt, neq; aliud, propē dixerim, vllum. Iam enim iecur aliis multifidū est, aliis simplicius in eorū genere, quæ sanguinem habent, & viuipara sunt: sed longē magis pisciū iecinora, & quadrupedū, & ouiparorum, tum inter se ipsa, tum ab iis, quæ modō diximus, dissident. Auiū iecur maximē simile est iecori viuiparorū: puro enim, & sanguineo colore exhilaratur, vt illud.

Iecinorū varium discrimen.

Cuius rei causa est, quod auiū corpora diffilari, euaporariq; optimē possint, nec multū habeant excrementi vitiosi. Quo etiā fit, vt nonnulla ex viuiparis felle careant. Iecur enim ad temperiē, sanitatēq; corporis multū cōfert: finis nāq; eorū in sanguine potissimū situs est: iecur autē omniū viscerū, excepto corde, sanguine refertissimum est. At verō quadrupedū ouiparorū, & pisciū iecinora, maxima parte pallidiuscula sunt: nonnullorum etiam vitiosa omnino, vt corpora quoq; eorundē prauum temperamentū fortiuntur, velut rubetæ, testudinis, & similiū. Lienem bifulca inter cornigera habet rotundū, vt capra, Lienis vacit ouis, & reliqua omnia: nisi aliqua pro sua magnitudine auctiorē in longitudinem habeant, vt boves. At multifidis prolixus omnibus est, vt homini, cani: solipedibus autem mediū tenet, & promiscuus est. Partem enim alteram habet latam, alteram angustam, vt equo, mulo, asino.

Differentia viscerum à carne. Cap. XIII.

Differunt viscera à carne nō modō sua corpulentia, verū etiā eō, quod caro foris posita est, viscera intus cōtinentur. Cuius rei causa est, quod naturam communē cum venis habeant, & partim venarū gratia sint, partim non sine venis esse possint.

De intestino, & ventre, eorūq; officio, & locis concoctionis. Cap. XIII.

Vbest præcordiis venter, quæ gula desinit, si habetur: si minū, ori adiungitur. Vētri intestinū annexum est. Sed quam ob causam partes has animalia habeant omnia, nulli dubiū est. Cibum enim & ingestum recipere, & euaporatum eiicere, neque eundem locum esse cibi cōcocti, & excrementi, necesse est. Conceptaculū etiā adesse, in quo cibus mutetur, oportet. Pars enim alia cibū ingestum cōplecti, alia excrementū, materiāq; superuacuum capere debet: quarū actionū vt tempus diuersum est, sic loca etiā diuersa haberi necesse est. Sed de iis aptiū differemus, cum de generatione & alimento agetur. Nunc de differentia ventris, & partiū eodem pertinentium, considerandum est. Ventres enim nec magnitudine, neq; specie similes inter se sunt: sed quæ in sanguineo genere vtrinq; dentata, & viuipara sunt, hæc simplicē habent ventrē, vt homo, canis, leo, & reliqua, quorū pedes in plures digitos finduntur: & quæ aut solipeda sunt, vt equus, mulus, asinus: aut bifulca quidem, sed vtraque parte dentata, vt sus: nisi aliqua præ sui corporis magnitudine, aut difficultate cibi nō ad cōcoctionē idonei, sed spinosi, & lignei, multiplicē habeant, vt camelus: quemadmodū cornigera habent: quippe quæ non vtraq; parte dentata sint. Et camelus quidē (quāquā cornibus caret) ideo nō superne dentata est, quod ei magis necessariū est, ventrem talē habere, quā dentes priores. Cum itaq; ventrē similem nō vtrinq; detatis habeat, dentes etiam simili modo sortitur, vt pote parū necessarios. Quinetiam cum cibus durus, spinosusq; sit, & rāmen linguam esse carnosam necesse sit, Natura detium portione terrena ad palatū

Ventres animalium diffimiles.

Cameli ventris.

callum, atq; duritiam abusa est. Ruminat etiam camelus more cornigerorum, quoniam ventres similes cornigeris habeat. Habent hæc singula plures ventres: vt ouis, capra, ceruus, & similia, vt cum officium oris non satis in molendo cibo adhibetur, propter inopiam dentium, munus vetricum expleat, dum alius ab alio cibum recipit, scilicet primus inconfectum, secundus aliquantum confectum, tertius plenius, quartus perquam plenè confectum. Ita fit vt genus hoc animalium receptacula cibi habeat plura, quibus nomina hæc aut indita sunt, aut indere licet, venter, araneum, sine reticulū, omasum, abomasum. Quoniam modo hæc se habeant, tum situ, tum etiam specie, ex historia, dissectioneq; animalium petendum est. Hæc eadem causa est, vt auium quoque genus partem, qua cibum recipit, variè habeat. Cum enim id oris officio, quod cibo conficiendo tribuitur, omnino careat, vt quod nullos habeat dentes, & neq; quo dirimat, neq; quo molat cibum, obtineat, idcirco aut ante ventrem sinum habent, qui ingluuies appellatur, pro oris officio, aut gulam patetioem, aut ante ventrem partem aliquam gulæ ipsius sinuosam, in qua cibum recentem & inconfectum recondant, aut ventris ipsius partem aliquam prominètem, aut etiam ventrem ipsum validum, & carnosum, vt cibum immolatum diu continere, & concoquere possint. Bonis enim viribus vetricis, & calore, Natura defectum oris rependit, & compensat. Sunt quæ nihil ex iis habeant, sed ingluuie proluxa vtantur, scilicet ea, quibus crura prælonga, & læuia sunt, propter cibi humiditatem. Causa igitur est, quod cibum iis omnibus moli, & confici facile possit, vt eorum ventres per facilem cibi cōcoctionem humescant. Piscium generi dati sunt dentes, sed serrati, propè dixerim, omnes. Genus enim quoddam exiguum est, quod non serratos habeat dentes: vt qui scarus vocatur, qui vnus & ruminare merito ob eam rem creditur. Quæ enim non vtrinque dentata cornigera sunt, ruminant. Habent omnes acutos, quibus etsi cibum secare possunt, tamè malè secant, quod diutius immorari nequeant. Quam ob rem nec planos habent dentes. Non enim fieri potest, vt deterrant cibum: itaque frustra haberent. Item stomachum alii nullum omnino habent, alii breuè. Sedenim ad cōcoctionem iuuandam alii modo auium ventriculos habent, & carnosos, vt mugilis. Maior autem numerus appendices iuxta ventrem frequètes obtinet, vt in iis, quasi lacunis, cibum conditum macerent, atq; concoquant. Sed pisces contra, quam aues, eas appendices sitas habent: quippe qui supernè habeant ad ventrem, cum aues, quibus datum hoc est, infra parte intestini extrema dissimant. Viui parorum etiam nonnullis appendices intestinales infra eadem de causa habentur. Genus piscium omne, quoniam cibum minus conficere possit, crudaque egerat, & vorax, & gulosum est: cætera etiã omnia, quibus intestina sunt recta, ciborum auida sunt. Cum enim cibum celeriter egeratur, proindèq; breuis vsus fruendi sit, breui repetant cibum auida, necesse est. Quæ vtrinque dentata sunt.

paruum habere ventrem, dictum iam est. Differentiam autem duplicem ferè omnia recipiunt. Alia enim canino similitudo habent, alia suillo. Amplior venter suillus est, flexuosusque, vt diutius concoquat: caninus paruus est, nec multo amplior intestino, læuisque intus. A ventre natura intestinorum posita est in omnibus animalibus. Habet & ea differentiam, vt venter, numerosior. Aliis enim simplex intestinum, sibiq; simile resoluitur, aliis dissimile. Quibusdam enim parte, qua ventri iungitur, laxius est: qua desinit, arctius. Quam ob rem canes vehementi nixu, nec sine cruciatu eam partem leuant excremento. Sed tamè maiori animalium numero arctius parte superiori est, latius inferiori. Maiora, multiplicabilioraque sunt intestina cornigerorum, Ventris etiã sinus eorum amplior, quod auctiora sint. Cornigerorum enim, propè dixerim, omnia ampliora sunt pabuli ratione, vt conficiant, quod sibi ingerunt, inconfectum. Quibus autè intestinum non directum, iis omnibus amplius tendit, quæ & quod colum vocatur, habent, & cæcum, ac tumidum quiddam mox arctatur, & cōplicatur: ab hoc rectum ad exitum vsq; excrementi pertendit, quæ quidem pars, quæ podicem vocant, aliis pinguis, aliis sine pingui est. Quæ omnia Natura solers molita est, ad congruam cibi confectioem, & excrementi vsu, & transmissione. Procedenti enim, descendentiq; excremento, aut subsistenti, vt immutetur in animalibus, quæ præ magnitudine, aut locorum calore vegetiora, cibique plenioris indigentiora sunt, via ampliatur. Tum, vt ventrem intestinum angustius excipit, sic à colo, quod laxum intestinum vocatur, & alui amplitudine, rursus semitam angustioram, clauiculam à flexuosis orbibus dictam, subit excrementum iam penitus euaporatum, vt natura seruetur, nec vniuersim exitus fiat excrementi. Quæ igitur animalia continentiora esse ad cibi desiderium conuenit, hæc sua in aluo laxiores sinus non habent, sed anfractus, orbésq; plures continent, nec recto intestino vtuntur. Laxitas enim intestini, auiditatem auget cibi: restitudo accelerat auiditatem. Quam ob rem, animalia, quæ vel simplex habent intestinum, vel conceptacula ampla, cibum aut copiosum capiunt, aut celerius reperiunt. Sed cum in ventre superiore cibum ingestum recentem esse, necesse sit, in inum autè delapsum feculentum, euaporatumq; locum etiam aliquem interpositum esse, in quo immutetur, & nec reces adhuc, neq; iam exactus in stercus sit, necesse est. Itaq; genus id animalium omne habet eam partem, quæ ieiunum vocatur, positam in eo, quod à ventre tenue tendit, intestino. Hoc enim medium est inter vetricem superiorem, in quo cibum crudus adhuc sit, & inferiorè, in quo iam superuacuum excrementum cōtineatur. Hoc cum in omnibus ita sit, tum in iis patet, quæ & maiora sint, & ieiunarint: ita enim interstitium loci vtriusque conspicitur. Nam si ederint, mutationi parum temporis suppetit. Sed fœminis pars nulla certa superioris intestini ieiuna est. Alia enim aliis, vt fors tulerit. Maribus autem proximè antè cæcum, aluumque omnibus est.

Quæ coagulum habeant, quæ non, & de eius loco. Cap. XV. Abent, quod coagulum vocatur, omnia, quæ plures continent ventres: carent, quæ vnum habent, excepto lepore. Habent, quibus hoc datum est, non in magno ventre, nec in reticulo, neque in ultimo, quod abomasum appellauimus: sed in

eo, qui inter vltimū, & duos primos positus est, quod omasum vocatur. Habent hæc omnia coagulum, propter lactis crassamētum: carent, quibus singuli ventres, quod eorum lac tenue sit. Quam ob rem cornigerorum lac spissatur, multorum nequaquam. Lepori coagulum fit, quoniam herbæ succi lactei pascatur: talis enim humor lac in vetriculo infantium stringit, facitq; colostrum. Cur coagulum in omaso multiuentrium cōsistat, explicatum in problematibus est.

A R I S T O T E L I S
S T A G I R I T A E
de Partibus Animalium,
& earum causis,
Liber Quartus,

Theodoro Gaza Interprete.

Viscera, & ventrem, cæteraque superius exposita, in quadrupedibus ouiparis, & iis, quæ pedibus carent, eodem modo haberi, at in nonnullis aliis differre. Cap. I.

vtrinque dentata sunt: lienem etiam admodum paruum, vt cætera, quæ carent vesica. Serpentes propter corporis formam, quæ longa est, & angusta, speciem quoque viscerum habent prolixam, & cæteris animalibus dissimilem, vt quæ ad sui corporis officium, quasi formulam effigiatam fortiantur. Omentum, lactes, & intestinorum naturam, atque etiam septum, & cor omnia animalia sanguine prædita obtinent. Pulmonem, atque arteriam omnia, præter pisces. Situm etiã arteriæ, gulæque, omnia, quibus hæc data sunt, similem tenent, propter causas supra dictas.

Is cætera, venter, & reliquæ, quas exposuimus, partes, modo eodem in quadrupedibus ouiparis, & in iis, quæ pedibus carent, vt serpētibus, habentur. Natura enim serpentum cognata iis est: quippe quæ similis sit lacertæ prælongæ, ac expedi. His verò, & piscibus omnia similia sunt, nisi quod pulmo serpentibus datus est, quoniam terra vtatur: pisces eo carent, & branchias vice pulmonis fortiuntur. Vesica nec piscibus, neq; eorum vlli, quæ modò dixi, adiuncta est, nisi testudini. Humor enim iis in corticem tegetem, vt auibus in pennas, ablutitur, cum exiguo potu contenta sint, propter exanguem pulmonis naturam. Et quidem excrementum alui iis quoque omnibus albicat, quemadmodum auibus. Itaque iis, quæ vesicam habent, exempta vrina, salugo quædam terrena in vasis subsidet. Quantum enim dulce, & potulentum sit, in carnè præ sua leuitate absumitur. Vipera inter serpentes eadem à cæteris sui generis differentia discrepant, qua inter pisces cartilaginea à cæteris sui generis. Nam & cartilaginea, & vipera, animal edunt in lucem, vbi primum intra se oua pepererint. Ventres singulos hæc quoque omnia habent, vt cætera, quæ

Quam ob causam animalium alia fel habeant, alia non. Cap. II.

Et etiam habet maior pars animalium, quibus sanguis: idque aut in iecore, aut intestinis sepositum, vt quod suam naturam non minus aluo familiarem habeat. Hoc ita esse maximè in piscibus constat. Cum enim pisces fel habeant omnes, tum magna ex parte suis intestinis annexum continent: nonnulli etiam toto intestino prætextum, vt amia. Necnon serpentum pars maxima eodem modo habere cernitur. Quam ob rem qui fellis naturam sensus alicuius gratia esse opinantur, non rectè sentiunt. Volunt enim ideo fel adesse, vt partem animæ sitam in iecore mordendo excitet, laxado exhilaret. Quædam fel le omnino caret, vt equus, mulus, asinus, ceruus, dama. Camelus non discretum, sed venulis quibusdam cōfusum habet. Vitulus etiã marinus caret, & inter pisces marinos delphinus. Sunt & quæ partim

Causa cur multis pluribus sint ventres.

Proluxa ingluuies quibus.

Piscium dentes.

Intestini ieiunum.

Appendices intestinales.

Ventricus ventria.

Intestini multiplex sermion.

Exeret per oris imes trans.

Intestini ieiunum.

Quæ

Vnde coagulum fiat.

Serpentum viscera.

Locus fellis in animalibus.

Quæ felle carant.

Felle carere quosdam homines.

partim habeant, partim non habeant eodem in genere, ut mures: quod idem homini etiam accidit. Aliqui enim fel in iecore habere visuntur, aliqui carent: itaque de toto genere ambigitur. Qui enim alterutrum compererint, idem omnibus tribuunt, quasi omnes eodem habeant modo, quo aliqui. Hoc idem ouibus etiam, caprisque; euenit: pars enim earum maxima habet fel: & quidem terris quibusdam adeo largè, ut exuperantia prodigii loco habeatur, ut in Naxo: sed aliis quibusdam locis omnino careat, ut apud Chalcidè Euboicam, parte quadam agri. Adhuc, piscium fel (ut dictum est) longè remotum à iecore est. Anaxagoras errore opinari videtur, fel esse morborum causam acutorum: cum enim abundat, aspergi in pulmonem, & venas, & costas asseuerat. Iis namque ferè accidit ea vitia animalibus, quæ felle carent: dissectis etiam id pateret, si ita esset. Adhuc, copia humoris, quæ per abcessus decumbit, conferri non potest cum eo, quod ex fellis conceptaculo aspergatur. Sed enim ut bilis, quæ quilibet alia corporis parte gignitur, excrementum quoddam, liquamentumque est: sic fel iecori adiutum, non rei cuiquam delegatum, sed excrementum esse videtur, quomodo & alui, intestinorumque sedimen. Attamen Natura comode vel excrementis suis interdum abutitur: sed non propterea querere omnia alicuius causa debemus. Cum enim aliqua eiusmodi sint, fit, ut alia complura necessario causa eorum proueniant. Quibus igitur iecoris constitutio salubris est, & sanguinis natura, quæ iecur subeat, dulcis accedit, hæc aut nullum fel suo iecore habent, aut venulis quibusdam inclusum continent, aut partim habent, partim non habent. Quam ob rem iecinora eorum, quæ felle vacant, dulcia sunt, probèque; colorata, propè dixerim, omnium. Particula etiam iecoris, quæ fellis subdita est, dulcissima est. At verò quæ sanguine minus puro consistunt, hæc excrementum id, quod fel appellamus, femouent: excrementum enim contrarium alimento esse vult, & amarum dulci: & sanguis integer dulcis est. Fel igitur non alicuius gratia, sed purgamentum, atque inutilem esse materiam, constat. Quam ob rem pulchre à veteribus dicitur illis, qui causam, cur diutius viuatur, fellis vacuitatem esse aiunt, argumento ex solipedum, ceruorumque; genere deducto: hæc enim & felle vacant, & diu viuunt. Quinetiam ea, quæ illi non viderint felle care-
Felle caretia re, vt delphinus, vt camelus, longæua sunt: iecoris enim naturam, vt opportunam, ac necessariam, omnibus sanguineis animalibus causam pro sua qualitate afferre viuendi plus, minusve temporis ratio est. Excrementum etiam tale huius visceris esse, cæterorum autem nullum, ratio exigit. Cordi enim nullus eiusmodi humor appropinquare potest: quoniam illud affectum nullum patitur violentum. Cæterorum autem viscerum nullum necessarium animalibus est, nisi iecur. Absurdum autem sit, nisi vbiusque; pituitam, aut alui sedimen videris, excrementum id esse putis, parique; modo debile fellève censeas: sed locis discrimen elicere velis. At de felle quæ ob causam alia habeant, alia non habeant, satis dictum est.

De omento, eius ortu, & officio.

Cap. III.



Estat ut de lactibus, & omento differamus: hæc enim hoc in loco, & cum intestinis continentur. Omentum membrana est aut feuosa, aut adiposa, scilicet utro modo pinguescere animal solet. Quamnam differentia inter hæc sit, dictum iam est. Oritur id de medio ventre, tam vniuentri, quam multiuentri generi, qua veluti futura describitur: inest enim & in ventre, ut in corde futura vestigium quoddam, unde omentum exorsum reliquam ventris partem, cunctaque; intestina completitur in omnibus sanguine præditis, tum terrestribus, tum aquaticis animalibus. Ortus omenti talis necessario euenit: cum enim sicca, aut humida miscella calefcit, vltimum semper cutis, membranæve speciem recipit. Hic autem locus plenus alimenti eiusmodi est. Item propter membranæ densitatem, quod sanguinei alimenti transfusum colatumque; est, id pingue esse necesse est: tenuissimum enim hoc est, & calore loci istius concoctum, pro carnosam, & sanguineam coagulatione in feuum, aut adipem euadere, necesse est. Omentum ratione hac gignitur. Sed Natura eo abutitur ad cibi meliorem concoctionem, ut facilius, celeriusque; cibis concoquatur. Calor enim vim habet concoquendi: pingue autem calidum est, & omentum pingue est. Itaque de medio ventre oritur, quoniam reliquam ventriculi partem iecur incidens fouet. Hæc de omento.

De lactibus, & eorum ortu, & quam ob causam animalibus sanguine præditis data sint.

Cap. IIII.



Quod autem lactes vocant, membrana & ipsum est, pertedens continua de intestinorum tenore ad venam usque; maiorem, aortamque permeant. Ortum eius similiter utque; cæterarum partium necessario esse comperimus. Sed quam ob causam data sit animalibus sanguine præditis, considerandum est. Cum enim necesse sit, ut animalia cibum extrinsecus capiant, rursusque; ex hoc alimentum fiat, quod in omnibus corporis partibus digeratur (quod in exanguibus nomine vacat, in sanguineis sanguis appellatur) ideo aliquid adesse oportet, quo, tanquam radice, cibus de ventre ad venas deferatur. Itaque ut stirpes radicibus terræ innixæ cibum inde hauriunt: sic animalibus veter, & intestinorum vires pro terra sint, à quibus capiant alimentum: quam ob rem lactes sunt, venas sibi inditas habentes quasi radices. Sed cuius rei gratia lactes habeantur, dictum iam est. Quemadmodum autem capiant alimentum, & quoniam pacto per venas ex alimento ingesto subeat eas partes, quod in venas digeritur, explicabitur, cum de generatione, alimentoque animalium agemus. Sedenim ut animalia sanguine prædita constant partibus, quæ declaratæ adhuc sunt, & quas ob causas, dictum

Omentum

Omentum

Alimentum

corpore

butio

Insectorum partes, quibus cibum capiunt.



Quæ autem mollia, quæque; crustata vocantur, plurimum ab iis, quæ explicauimus, differunt. Iam enim omnem viscerum naturam ea non habent, nec vlla ex reliquis, quæ sanguine carent. Quæ duo genera sunt, alterum, quod testa contegitur: alterum, quod insectum vocatur. Sanguinem enim, ex quo viscerum natura constat, nullum ex iis obtinet, quoniam affectus eiusmodi quidam eorum essentia proprius est. Etenim sanguinem alia habere, alia non habere, in ratione recipitur, quæ essentiam eorum definiat. Nihil etiam ex iis, quorum gratia viscera habent animalia sanguine prædita, datum eiusmodi animalibus est. Non enim venas hæc habent, non vesicam, non usum spirandi: sed vnum, quod cordi proportionetur, id habeant necesse est. Vis enim animæ sentiendi, vitæque; causa, parte aliqua corporis principium animalibus omnibus est. At verò partes ad victum pertinentes ea quoque; omnia necessario habent, quanquam variè, propter loca, quibus cibum recipiant. Habet mollium genus parte, quod os vocatur, binos dentes: atque; in ore pro lingua carnosum quiddam, quo voluptatem esculentorum discernat. Crustata etiam pari modo binos dentes habent primores, & carnosum illud, quod lingue proportionetur. Necnon testata omnia partem eiusmodi habent eadem causa, qua sanguinea, videlicet ad cibum sentiendum: quoniam etiam insecta simili ratione aut promuscidem habent ore prodeuntem, ut apum, muscarumque genus, ut dictum iam est: aut in ore conditam partem eiusmodi possident, ut formicæ, & si qua alia sint generis eiusdem. Dentes quædam ex iis habent, quanquam diuersos, ut apum muscarumque; genus: quædam non habent, quæ cibo vitantur humido. Insectorum enim complura non victus, sed armorum gratia dentes obtinent. Testatorum autem quædam, ut principio diximus, linguam appellatam habent robustam. Conchæ dentibus etiam binis fulciuntur, ut crustata. Stomachus, siue gula ab ore prælonga mollior est, quam ingluuias excipit, quomodo auibus: tum venter coniungitur, & intestinum ventri annexum, simplex usque; ad exitum tendit. Sepiis igitur, & polypis venter similis tum figura, tum tactu est. At iis, quas lolligines appellamus, bina quidem conceptacula ventris specie gerunt: sed alterum minus ingluuiem imitatur, & tactu discerepat: quoniam corpus etiam totum carne molliore constat. Habent hæc ita eas partes eadem causa, qua aues. Neque enim eorum vllum potest commolere cibum: itaque; ingluuias ventri præiacet. Habent etiam præfidii, salutisque; gratia, quod atramentum vocatur, tunica contentum mem-

Mollia atramentum auxilii gratia habere.

branea, exitum, finemque; habens, qua alui excrementa emittunt parte, quæ fistula vocatur, quæ in supinis posita est. Sed cum atramentum hoc mollia habeant omnia, tum præcipue, plurimumque; sepia continet. Quoties enim metu perterrentur, hoc effuso humore aquam infuscant, sibi que nigrorem septum proponunt, & turbulentiã, quasi quo se abscondant. Habent hoc atramentum lolligines, & polypi supra apud mutim potius positum, sepia infra ad aluum: copiosius enim habent, quoniam magis vtantur. Quod iis propterea euenit, quia vitam litoralem traducunt, & tamen nihil, quo sibi auxilietur, aliud habent: quomodo polypi & brachiis sibi sufficiunt, & coloris mutatione, quæ & ipsa accidit ei per metum, ut effusio atramenti. Lolligo sola ex iis gaudet alto, vitamque pelagicam agit. Sepia igitur plus continet atramenti, & infra, quoniam copiosius. Facilius enim, & longius profundere maiori ex copia poterit. Fit in hoc genere atramentum ut in auibus, quod per excrementum album terrenum subsidat. Nam id quoque caret vesica: quantumque terrenum maximè sit, in atramentum fecernitur, & plurimum sepia consistit, quoniam plurimum terrenæ materiæ habeat: atramento sepium est, quod tale, tantumque sit. Hoc enim polypus caret, lolligo cartilaginosa, ac tenue gerit. Quam ob causam hoc alia habeant, alia careant, qualisque in utroque; habeatur genere, dictum iam est. Sed cum exanguia sint, & ob eam rem refrigerata, & pauca, hinc, ut hominum nonnullis per metum funditur aluus, aut excrementum vesicæ profluit, sic iis accidit quidem necessario, ut metu percussa effundatur: sed Natura hoc excremento ad præsidium, & tutelam eorum abutitur. Crustata etiam tum locustacea, tum cancri, binos dentes habent primores, & inter dentes carunculam lingue effigiam illam, ut dictum iam est: tum stomachum continuo iunctum, exiguum proportionem suorum corporum magnitudinis. Nunc excipit venter, in quo locustæ, & cancrorum nonnulli dentes alios habent, quoniam superiores illi secare non satis queant. Hinc intestinum simplex usque ad exitum excrementi dirigitur. Quinetiam singula testatorum genera has easdem obtinent partes: sed alia explanatius, alia obscurius: quanquam maiora conspectum earum præbeant euidentiorem. Cochleæ igitur & dentes præduros, acutosque habent, ut dictum iam est: & quod interiacet dentibus, carnosum similiter, ut mollia, & crustata: Promuscidem etiam, ut dictum est, inter aculeum, & linguam. Ori autem iungitur, quasi ingluuias auium, à qua stomachus est, quem excipit venter, in quo situm est, quod papauer vocatur: mox intestinum continuum tendit simplex, originem à papauere illo ducens. In omnibus enim testaceis inest hoc excrementum, quod vel esculentum esse præcipue sentitur. Cætera etiam turbinata, ut purpuræ, buccina similiter ut cochleæ constant. Sunt testatorum genera plura: alia enim turbinata sunt, ut ea, quæ modo dixi: alia bialuua, alia vniualuua. Sed turbinata quoque bialuibus quodammodo

Exanguia formidolosa.

Multiplex testatorum genus.

modo assimilantur : quippe quæ omnia operculo quodam congenito , carni patulæ appposito claudantur , vt purpuræ , buccina , natices , & reliqua generis eiusdem : idque præsidii causa. Quæ enim testa nõ protegit , facile offendi posset ab iis , quæ extrinsecus inciderent. Cæterum vniualue genus , quod saxis testa in dorsum data adhæret , seruari potest : fitque alieno septo quodam modo bialue , vt quæ patellæ vocatur. Bialue se concludendo tuetur : vt pectines , vt mituli. Turbinatû crusta illa prætenui , quæ à fronte integitur , quasi bialue ex vniualui efficitur.

Echini ar-
morum præ-
sidia.
Echinus omnium maximè à Natura munitus est : quippe qui testa vndiq; spinis frequentibus circumualla celetur. Quam rem peculiarem hunc in genere testato fortiri diximus. Natura autem crustatorum contrà , quàm mollium , constat. Altera enim carnis mollitiam extrà habent , altera intrà. Hinc foris terrenam duritiam obtinent : quanquàm echinus nihil habeat carnis. Igitur cætera quoque testata omnia , vt dictum est , habent & os , & linguæ effigiem , & ventrem , & ostium excrementi : sed interest situ , & magnitudine. Quæ singula quemadmodum se habeant , ex commentatione , dissectioneque animalium petendum est. Quædam enim ratione , quædam cõspectu ipsorum potiùs declaranda sunt. Echini , & eorum , quæ vertibula , siue tubera appellauit , genus , peculiari modo præ cæteris constant testatis. Habêt echini dentes quinos , & caruncu-

lam interpositam dentibus illam , quæ in omnibus supra dictis est , cui stomachus iungitur. Ab hoc venter in plura diductus pèrinde , ac si plures numero ventres hoc animal habeat : sunt enim omnes distincti , pleni que vacantis materiæ. Ex stomacho vno dependet , in vnumque ostium excrementi finiunt. Caro , vt dictum est , nulla est circa ventrem : sed quæ oua appellantur , numerosiora testæ adherent , membranulis singula obuoluta , & paribus distincta interuallis. Nigra etiam quædam circum ab ore fusim sparguntur , nomine adhuc nullo appellata. Sed cum non vnum , sed plura genera echinorum sint , omnium partes quidem eas omnes fortiuntur. Sed oua appellata , nec omnes cibo idonea , & parua admodum continent , exceptis iis , qui vada incolunt. Omnino id ipsum cæteris quoque testatis euenit : caro enim non æquè omnium esculenta est. Et excrementum , quod papauer vocatur , quibusdam cibo idoneum , quibusdam nõ idoneum est. Continent hoc turbinata omnia sua clauicula : vniualuia suo fundo , vt patellæ : bialuia , quæ nodo ligantur. Quod autem ouum vocatur , latere dextro bialuia habent , altero latere ostiû excrementi continent. Sed errore ouum id vocitatur , quippe quod tale sit , quale est pingue in sanguineo genere , cum viget. Quam ob rem fieri solet per id tempus anni , quo vigent , scilicet vere , & autumno. Laborât enim testa omnia per frigus , & æstum , atque exuperantiam temporis pati nequeunt. Argumento est , quod echinis euenit : habent enim id iam inde ab ortu Naturæ , & pleniluniis vberius , non quia per id tempus copiosius pascuntur , vt quidam putant , sed

Papauer ex-
crementum.
Testata tẽpe-
rie aeris gau-
dere.
Plenilunio
quare testata
pleniora.

quod noctes tepidiores sint propter lucem pleniorum. Calorem enim desiderant , quoniam frigori patent , vt pote quæ sanguine careant. Ex quo fit , vt æstate potiùs vbi que vigeant , præterquam in Pyreni Euripo : nam ibi non minùs tempore hyberno probatur : cuius rei causa est , quod tunc vberius pabulètur , cum pisces per id tempus ea loca relinquât. Habent echini omnes oua eodem numero , atque impari omnes , quina enim : dentes etiam ventresque totidem. Ratio , quod non ouum est , quod ouum vocatur , vt modo dixi : sed quod bona animalis enutritioe , alimoniamque proueniat. Fit ostreis quidem in altero tantummodo latere , id , quod oui nomine appellatur : idemque est , quod echinos habere dicimus. Sed cum testa echini non modò cæterarum ostreorum orbem colligat vnû , sed in globum circumagatur , vt non partim talis , partim nõ talis formetur , sed vsquequaq; similis sit (vndique enim in se nutibus suis conglobatur) idcirco ouum quoque simili modo habeat necesse est. Non enim ambitu , vt cætera , dissimili constat echinus. Namque iis omnibus caput in medio situm est : quam quidem corporis partem sitû tenere superiorem certum est. Nec verò ouum habere continuum potest , quando neque cætera generis eiusdem sic habent , sed altero latere tantum sui orbis. Ergo cum id commune omnium sit , propriû autem illius vt globi speciem gerat , oua numero impari sint necesse est : nam si pari essent , per diametrum disposita haberentur , cum similem hinc atque inde seruari rationem interualli conueniat. Sic autem dispositis vtroque latere orbis ouum haberetur , quod in cæteris ostreis non est. Altero enim latere suæ oræ id habent , & ostreae , & pectines. Itaque terna , aut quina , aut quolibet alio numero impari esse necesse est. At si terna essent , diducta inter se laxo admodum interuallo haberentur : si plura , quàm quina , continuum propè ouum redderetur. Quorum alterum non melius est , alterum fieri non potest. Quina igitur oua echinos habere , necesse est : quam ob causam venter quoque quinquepartitus est , & dentes totidem habentur. Singula enim oua , cum quasi corpora quædam animalis sint , modum quoque viuendi simile habeant , necesse est. Hinc enim capitur incrementum. Nam si veter vnus tantummodo esset , oua aut longè distarent , aut totum alueum occuparent , vt echinus & difficile moueretur , & cibus minùs impleretur. Cum autem quinque numero interualla sint , ventrem singulis adiunctum quinquepartitum esse , necesse est. Eademque de causa dentes etiam totidem habentur. Ira enim Natura similem rationem prædictis membris reddiderit. Sed quam ob causam oua numero impari , totque numero echinus habeat , dictum est. Cur autem alii parua admodum , alii magna , causa est , quod natura constant alii aliis calidiora. Calor enim cibum conquire plenius potest : quam ob rem qui cibo inuitiles sunt , in iis excrementi plus est. Mobiliores etiam facit natura caloris vt pascantur , nec stabiles maneant. Cuius rei indicium est , quod eorum spinis aliquid semper adhæreat , tanquàm crebro

Vertibula pa-
rum à platis
differre.

Spõgiæ vita.

Iure.

Vrticæ.

Mutis.

bro moueantur : spinis enim vt pedibus vtuntur. Vertibula autem parum sua natura à plantis differunt : sunt tamen spongiis viuaciora , quippe cum spongiæ vires habeat plantæ. Natura enim continuè ab inanimatis ad animalia transit per ea , quæ viuant quidem , sed non sint animalia , ita vt parum admodum differre alterum ab altero videatur , propter suam propinquitatem. Spongia igitur , vt dictum est , cum adhærendo tantum viuere possit , absoluta autem nequeat viuere , similis plantis omnino est. Quæ autem tubera vocant , & pulmones , atque etiam plura eiusmodi alia in mari , parum ab iis differunt sua ipsa absolute. Viuunt enim sine vlllo sensu pèrinde , ac plantæ absolute. Nam & in terrestribus plantis sunt nonnulla eiusmodi , quæ & viuunt , & gignantur , aut in aliis plantis , aut absolute. Quale etiam est , quod modò Parnafus fert , vocatum à quibusdam epipetrum : hoc enim diu viuere potest suspensum. Et vertibulum igitur , & quicquid generis eiusdem simile plantæ est , quia adhærendo tantummodo viuit : sed cum aliquid habeat carnis , sensum aliquem habere videri potest. Itaque veronam modo statuendum sit , incertum est. Habet hoc animalis genus duo foramina , rimamque vnâ , qua recipiat humorè cibo accommodatum , & qua rursum emittat quatum humoris remaneat. Nihil enim excrementi , vt cætera crustata , hoc se habere ostendit. Ex quo fit potissimum , vt & hoc , & quicquid simile in animalium genere est , planta in re appellari possit : nec enim planta vlla habet excrementum. Præcingi verò per medium tenui quadam membrana , in qua vitæ principatus sit , ratio congrua est. Quas autem vrticæ appellant , nõ testa operiuntur , sed exclusæ omnino sunt iis , quæ in genere diuifimus. Ancipiti natura hoc genus est , ambigens & plantæ , & animali. Absolui enim , & escam petere nonnullas , & sentire occurrentia posse , atque etiam asperitate corporis vt ad se tuendum , animalis est : at verò quod imperfectum sit , & saxis celerite adhæreat , nec aliquid excrementi emittat manifestè , quanquàm os habeat , plantarum generi simile est. Stellarum etiam genus simile est : quippe quod concharum complures aggrediens exugat. Ratio eorum , quæ inter exanguia absolute viuunt , vt mollium , crustatorumque , eadem atque testatorum est. Partes igitur ad cibum accommodatas , quas omnibus inesse necesse est , eo quo explicauimus , modo sese habet. Sed habeat certè illud quoque oportet , quod ei parti proportionetur , cui sentiendi principatus in sanguineo genere mandatus est : hoc enim in omnibus animalibus inesse necesse est. Ergo mollibus , id mebrana continetur humidum , per quod gula in ventrem pertendit , admota potiùs tergo : mutis id à nonnullis vocatur. Crustatis etiam tale quid alterum adiunctum est , quod & ipsum mutis nomine appellatur. Humida , corpulentaque ea pars est. Tendit per eam mediam , vt modo diximus , stomachus , siue gula. Nam si inter eam , & tergum positus esset , distendi æquè non posset cibo ingrediente , propter dorsi duritiam. Intestinum à mute Natura semouit , extraque posuit , & atramè-

tum intestino annexit , vt quàm plurimum distaret ab aditu , & pars sordida à nobili , & prince procul haberetur. Partem hanc cordi proportionari & situs ipse ostendit , cum idem sit & dulcedo humoris , tanquam concocta , & sanguinea quædam. In crustatis etiã eodem modo sentiendi principatus habetur , sed minùs patet. Atramè in medio semper querendum hoc principium est , aut scilicet inter partes , quæ cibum recipiunt , & quæ excrementum emittunt , si fixa degunt : aut inter dextram partem , & sinistram , si incessilia sunt. Insectis principii eiusmodi pars , vt antè diximus , inter caput , & alueum est. Quæ etsi magna ex parte simplex est , tamen nonnullis multiplex est : vt iulis , & similibus prælongis. Quo fit , vt præcisa viuere possint. Natura enim partem hanc simplicem , vnâque tantum facere in omnibus vult. Itaque vbi potest , simplicem facit : vbi nõ potest , multiplicem : idque in aliis minùs , in aliis magis apertum est. Partes autem quæ cibum administrant , non pari ratione datæ omnibus sunt , sed plurimum differunt. Quibusdam enim in ore est , quod aculeus appellatur , quasi compositum , & vnâ linguæ , ac labiorum obtinens potestatem. Quibus autem aculeus non parte priore habetur , iis intra dentes tale sensorium continetur , idque excipit intestinum rectum , simplex ad ostium vsque ; excrementi porrectum : quibusdam hoc retortum in anfractum est. Sunt etiam quæ ventrem ori adiunctum , intestinumque à ventre reuolutum habeant , vt quæ edaciora , maioraque sunt , conceptaculum cibi obtineant copiosioris. Genus cicadarum maximè peculiarem omnium istorum naturam sortitum est : quippe quod partem eandem in vsum tum oris , tum linguæ constitutam aptissimè habeat , qua veluti radice cibum ex humoribus trahat : nempe omne insectorum genus minimo alimento contentum est , & propè sibi ipsa sufficiunt , non tam corporis exiguitate , quàm frigiditate. Quod enim calidum est , cibum & desiderat , & cõcoquit citò : contrà , quod frigidum est , cibo carere facile patitur. Sed omnium maximè cicadarum genus ieiunum est : satis enim iis alimento est humor , qui in corpore remanet. Sicut animalibus Ponticis , quæ non diutius , quàm diem vnum , viuere queunt. Quàm illis vita die vno per quàm breui teporis spatio describitur : his plus temporis datur , tamè id quoque breue est. Sed cum de partibus animalium interioribus dictum iam sit , ad reliquas exteriores redeundum est , incipiendumque non vnde digressi sumus , sed ab iis ipsis , quæ modò exposui , vt iis expeditis , quæ moram exigunt breuiorem , amplius in genere animalium perfecto & sanguine prædito immoremur.

Partes cibo
accommoda
ta.

Cicadarum ge-
neris partes
cibum mini-
strantes.

De partibus exterioribus generis insecti , earumque inter se dissidentia.

Cap. VI.



Rgo insecta animalia quanquàm non partibus numerosis constant , tamè ipsa inter se dissident : quippe quæ cum omnia multos habeant pedes , quoniam contra

Causa quod insectis multi sunt pedes.

Differentes insectorum penna.

Multa insectis principia.

Aculei insectorum arma.

contra tarditatem, frigiditatemque naturæ eorū numerus exauctus, pedum motionem efficiat faciliorem, tamen variè numerum hunc sortiantur. Quæ enim plurimum pro sui corporis longitudine frigent, numero præcipuè superant: vt iulorum genus. Quinetiam quod principia plura habeant, hinc & insectiones sunt, & numerus pedum pròinde augetur. Quibus autem pedes pauciores, hæc volucres sunt, vt pedum inopia adiumento pennarum compèsetur. Ipsarum autem volucrum, quæ pascuis viuunt, & pabuli causa necesse habeat euagari, hæc quadrupenes sunt, & corpulentiam habent leuiorem: vt apes, & reliqua generis eiusdem. Binas utroque sui corporis latere pennas gerunt. At verò quæ corpore exiguo sunt, bipennes constant: vt genus muscarum. Quæ autem parua sunt, & vitam stabilem agunt, multis fulciuntur pennis, vt apes: & crusta pennas obrectas gerunt, velut galeuce, & cætera id genus insecta, scilicet vt pennarum vires integras tueantur. Cùm enim stabilia sint, corrumpi facilius possunt, quàm quæ motu citantur agiliori. Itaque septo proposito muniuntur. Quinetiam penna eorum caret & fissura, & caule: non enim penna, sed membrana cutis æmula est, quæ præ siccitate necessariò abfoluat corpore eorum, cùm carnis portio frigeat. Insecta autem sunt, tum ob causas prædictas, tum etiam vt sese tuto inflexu seruare possint. Conglomerantur enim quæcunq; ex iis prolixo corpore sunt: quod effici nisi insectis non posset. Quæ autem glomerari nequeant, contrahunt se in incisuras. Quod patet, cùm tãguntur, velut ea, quæ canthari vocantur. Vbi enim metuerint, motu cessant, totòque corpore indurescunt. Insecta verò hæc esse necessarium propterea est, quod in eorum essentia inest, vt multa principia habeant: eaq; ratione sanè plãtis assimilantur. Vt enim plantæ, ipsa quoque præcisa viuere possunt: sed hæc aliquandiu, illæ vel perfici possunt, ac duæ ex vna, atque etiam plures numero procreantur. Aculeis etiam armantur nonnulla insecta cõtra animalia noxia. Geritur aculeus aliis parte priore, aliis posteriore: aut enim ore, aut aluo extrema. Nam vt elephantis pars delegata odoribus commoda etiã tum ad pugnandum, tum ad cibi vsum habetur, sic insectorum quibusdam lingua pluribus officiis fungitur: quippe quæ & cibum sentiat, suscipiat, admoueatque, & defendat contra aliorum iniurias. Quibus autem in ore aculeus, hæc dentes habent, cibi scilicet aut conficiendi, aut capiendi, admouendique gratia: vt formicæ, vt apes. At verò quæ aculeo in aluo armata sunt, hæc vt animosa aculeum pro armis obtinere, qui intra aluum conditus est: vt in apibus, & vespis, quoniam volucres sunt: nam si præternis, fragilliq; aculeus extrà pateret, facillè corrumperetur: sed si, vt in scorpione, distaret, onus ita afferret. Scorpio profectò quod non volatu, sed gressu se moueat, caudamque sortitus sit, aculeum caudæ adiunctum gerat, vel inutilem ad pugnam habeat, necesse est. Nulli aculeus in aluo, cui pennæ binæ. Quod enim imbecilla, par-

uaque sunt, ideo binas habent: quippe cùm vel à paucioribus efferrì possint, quæ parua sunt. Quod idè causæ est etiã cur aculeus parte priore geratur. Cùm enim imbecilla sint, vix parte priore ferire possunt. At verò quæ pluribus pennis prædita sunt, quia auctiora sunt, meritò pennas plures obtinere, partèque posteriore valèt. Instrumentum autem non idem ad vsus dissimiles haberi, si fieri potest: sed ad defendendũ acutissimum, ad gustadum fungosum, & cibi attrahens, melius est. Vbi enim licet duobus vti ad duo opera, nec aliud impeditur, nihil tale Natura facere solet, quale per inopiam ars excusoria obeliscolychnium ex veru, lucernaque componit: attamen id si fieri non potest, eodem ad plura opera abutitur. Pedes priores nonnulla ex iis longiores ideo habent, vt quoniam propter oculorum duritiam non exquisitè cernant, cruribus iis longioribus abstergant incidentem molestiam, atque arceant. Quod & facere muscas videmus, & apes, & reliqua generis eiusdem. Semper enim prioribus cruribus vallant, & protegunt. Posteriora mediis longiora sunt, vt ambulent melius, & attollantur facilius de terra, cùm auolare libet. Quod planius ea ostendunt, quæ saliant: vt locustæ, vt culices. Cùm enim inflexa rursus connixa extendunt, attolli de terra necesse est. Locustæ non parte priore, sed posteriore habèt crura illa ad gubernaculorum effigiem condita. Suffraginem enim intus flexi necesse est: quod nulli crurum priorum datũ est. Omnibus his seni pedes, iis etiam, quorum enixu saliant, connumeratis,

De partibus testatorum exterioribus.

Cap. VII.

Testatorum corpus non multiplex est. Cuius rei causa est, quod eorum natura stabilis est. Quæ enim mobiliora sunt, hæc plures habeant partes necesse est: quoniam actiones eorum sint, & officia. Plura enim desiderant instrumenta ea, quæ plures motiones exercent. Adhæc, aut omnino immobilia sunt, aut parum motus adipiscuntur. Verùm Natura cõsulens eorum saluti, duritiam testæ obduxit. Sunt alia vniualuia, alia bialuia, alia turbinata, vt dictum iam est. Turbinati etiã generis alia in anfractum intorta sunt, vt buccina: alia in globum tantum circumacta, vt echinorum genus, necnon bialuium: alia referatilia sunt, vt pectines, & mituli. Ab altero enim latere nodo ligantur, quædam utroque; latere connexa sunt, vt vnguium genus. Habent omnia testata caput infra, plantarũ modo. Cuius rei causa est, quod cibum de imo capiant, vt plantæ radicibus suis hauriunt. Itaq; iis vsu euenit, vt inferiora habeant supra, superiora infra. Membrana obducit, quæ portio potulenta humoris transmissa, liquatæque cibo assumitur. Nullum ex iis est, quod capite careat. Cætera corporis partes nomine vacant, præter eam, quæ cibum recipit.

De exte

De exterioribus partibus crusta insectorum.

Cap. VIII.

Crustatorum genera quatuor.

Rustata omnia ingredi possunt: itaq; pedes cõplures obtinuerunt. Summa eorũ genera quatuor numero sunt: locustæ, gãmari, squillæ, cancri. Quæ singula in plures species distinguuntur, quæ non modò forma, verùm magnitudine etiã multum inter se differat: alia enim magna, alia parua admodum sunt. Genus igitur cancrariũ, & locustarium similia inter se sunt, eò quod vtrunq; brachia forcipibus denticulatis habeat. Sed hæc nõ ingrediendi causa habentur, sed vt iis quasi manibus capiant, & retineant. Quam ob rem contrà, quàm pedes, ea flectere solent: hos enim in cauum, illa in orbem flectunt, & circumagunt. Sic enim ad cibum capiendum, admouendũq; cõmodius agitur. Sed interest, quod locustæ caudam habent, cancri non habent. Locustis enim vt nantibus cauda utilis est: natant enim cauda, quasi remo innitendo: at cãcris inutilis est, quoniam vitam agere terrenam, cauernasq; subire soleant. Qui tamen ex iis pelagii sunt, ii pedes habèt longè retardiores ad ambulandũ. Sunt enim cæteris ipsi nãtiores, vt maiæ, qui heracleotici appellantur. Crura iis breuia, quia parũ mouentur: sed salus eorum beneficio crustæ firmioris contingit. Itaq; maiis crura tenuiora, heracleoticis breuiora. Cancelli autè, qui perquam exigui in pisciculis reperiuntur, pedes nouissimos latiusculos habent, vt ad nãdum vtilis sint, quasi pro pinnulis aut remis pedes haberentur. Squillæ à cancrario genere differunt, eò quod caudã habeant: à crustario verò, quod forcipe careant. Idq; quoniã plures habeant pedes: eò nanq; redundantia illa absumitur. Pedes obtinent plures, quod non magis ad nandum, quàm ad ingrediendum sint suapte natura propensiores. Partes supinas, & capitis ita habent, vt alteræ ad accipiendam, reddendamq; aquã brãchiarũ specie conditæ sint: alteræ planiores, tabellatioreq; in fœminis crustati generis omnibus, quã in maribus constant: & interiora verò operculi applicati hirtiora, amplioraq; fœminæ cancri habent, quàm mares, quoniam oua in ea edunt non procul vt pisces, & cætera, quæ parere solent. Quò enim ampliora sint, eò locũ ouis præstare poterunt capaciorè. Locustæ, cancrique omnes forcipem dextrũ grandiorè, valentiorèmq; habent. Parte enim dextra efficaciora suapte natura sunt animalia omnia. Redditur autè semper à Natura cuiq; vel soli, vel præcipuè id, quo vti potest: vt dentes, eòsq; aut exertos, aut serratos, aut continuos, & cornua, & calcaria, & reliquas eiusmodi partes, quarũ vsus ad defendendũ, aut dimicandũ. Gammari soli non certũ, sed alterutrũ æquè, vt fors tulerit, forcipè habèt grandiorè, tam mares, quàm fœminæ. Causa autem cur forcipem habeant, quod ex eo genere sint, quod forcipem habet. Cur alterum grandiorè incertè, quod non integrã sui generis naturam tenet, sed ita degenerat, vt quod ad aliud destinatum est, eo non eòdem, sed ad gressum vtatur. Quisnam situs partium singularum sit, &

Cancelli.

Squillæ.

Parte dextra animalia omnia fortiora.

Gãmarorũ partes.

qua differentia inter se discrepent, & quo mares cum fœminis dissideant, ex commentatione, dissecationeque animalium petendum est.

De partibus exterioribus mollium animalium, & sanguine carentium. Cap. IX.

Mollium partes interiores antè, cùm cæterorũ, exposui: nunc exteriorũ ordinem persequemur. Habent hæc foris alueum corporis indiscretũ, & pedes parti priori iunctos circum caput, infra oculos, circa os, & dètes. Sed cùm cætera animalia, quibus pedes, aut parte priore, posteriorèq; eos habeat, aut latere, vt ea, quæ multis pedibus innuntur, & sanguine carent, hoc vnũ genus pedes parte, quam priorè in eo capimus, omnes continet. Cuius rei causa est, quod pars eius posterior ad priorè adducta est, extremaq; coeunt, & confunduntur, quomodo turbinatis inter testata accidit. Genus enim testatũ omnino partim crustatis, partim mollibus simile est. Quæ enim foris terrenam portionem, intus carnem habent, crustatis assimilantur: quæ autem forma eiusmodi corporis constat, cum mollibus conuenit omne quodam modo, sed præcipuè quæ ex turbinatis cuniculo in anfractũ contorquentur. Natura enim eorũ vtrorunq; perinde se habet, quasi quis directa linea (vt in quadrupedũ & hominũ genere est) primũ extrema lineæ parte superiore os situm intelligat: quæ, a: mox stomachũ, quæ b: tum ventrem, quæ, c: dèinde intestinũ vsq; in ostiũ excrementi, quæ, d: hæc ita in sanguineo genere disposita sunt: & caput, pectũsq; locũ obtinent primũ. Reliqua eorũ ipsorũ gratia, aut motus causa à Natura adiecta sunt, vt priora, posterioraq; crura. In crustatis etiam, insectisq; ordo interiorũ eodem modo constare vult, sed officiis exteriorũ motionũ differt à sanguineo genere. At verò mollia, & turbinata inter se quidè proximè constant, sed iis econuersò: finis enim ad principiu flectitur, quasi quis lineã efflectendo adducat d, ad a. Cùm enim ita partes interiores iis collocentur, ambit alueus, qui in polypis tantum caput vocatur, qualis in testato genere turbo est. Nec aliud interest, nisi quod alteris molle, quod ambit, est: alteris duro tegmine carnè Natura complexa est, vt seruentur, cùm difficulter moueantur. Hinc fit, vt excrementũ tam mollibus, quàm turbinatis, meatu ori vicino emittatur: quanquam mollibus infra, turbinatis à latere. Hac de causa pedes mollium ita positi sunt, & contrà, quàm cæterorũ. Sepiæ, atq; lolligines non simili, vt polypi, modo constant: quoniã vim nandi tantummodo habent, cùm polypi vel ingredi possint: habet enim sepiæ, & lolligines pedes supra dètes senos exiguos, eorũq; nouissimos duos maiores: reliquos autem octonorum duos. Sepiæ & Lolligines à polypis. Vt enim quadrupedibus crura posteriora firmiora, validioraq; sunt, ita iis quoq; maximi, qui infra habentur. His enim onus sustinetur, motusq; potissimũ agitur. Duo etiam illi nouissimi maiores suis mediis sunt, quia illis ministrent. Polypus medios quatuor habet maximos. Omnibus igitur his pedes octoni. Sed sepiis, & lolliginibus breues, polypis

Mollibus solum pedes partem priorem.

Quantum pedibus varietur Sepiæ & Lolligines à polypis.

magni. Alueum enim corporis sepiæ, & lolligines habent magnum, polypi paruum. Itaq; quod Natura polypis ex corpore dempserat, id in pedum longitudinem addidit: quod sepiis, & lolliginibus de pedibus abstulerat, eo corporis magnitudinem auxit. Quam ob rem polypis pedes non solum ad nandum viles sunt, sed etiam ad ambulandum: sepiis autem, & lolliginibus inutiles sunt. Parui sunt enim, cum alueum habeant magnum. Cum itaq; pedes habeant breues, atq; inutiles, ne astu maris, tempestatéq; exturbentur

Quare Sepiis, & Lolliginibus, bina promusci- des longiores.

saxis, utq; de longinquo admoueât, ideo promusci- des binas prælongas habent, quibus, veluti anchoris, innitantur, seq; stabiliant modo nauigii, tempestate vrgente: venentur etiam procul, ori- que è longinquo admoueant. Polypi promusci- de carent, quoniam pedes ad vsum eundè commodos habeant. Quorû autem pedibus acetabula, cirramentâq; adsunt, hæc vim, contextumque talem habent, qualem implicamenta illa, quibus digitos antiqui medici indere solebant. Ita enim fibris implexa sunt, quibus carunculas, cæterâq; cedentia trahant: quippe quæ laxa præhendant, intenta premant, & retineant, cum pars interior tota contingat, atque amplectatur. Itaque cum aliud non habeat, quo capere, admouereq; possint, nisi aut pedes, aut promusci- des, hæc pro manibus obtinent ad vim tum inferendam, tum propulsandam, atq; etiâ ad cætera vitæ muneris necessaria. Sed cum cætera omnia geminis acetabulis feriam à capite in extremos vsq; cirros habeât ordinatam, genus vnû polypi quoddam simplici inspergitur acetabulo: cuius rei causa ad longitudinem, tenuitatemq; brachii referenda est. Cum enim angustum sit, simplicis acetabuli ordinè tantum capiat necesse est. Non igitur ita constant, quia id optimum, sed quia necesse sit propria substantiæ ratione. Pinnulam hæc omnia habent circundantem alueum. Quæ cum in cæteris, tum in grandium lolliginum genere iuncta, perpetuâq; gestatur. Minores verò, quas lolligines vocant, latiore hanc habent, nec angustam, vt polypi, & sepiæ, neq; circumdatam per totû alueum, sed de medio orsam. Causa cur eam habeant, est, vt natent, & se dirigant, vt volucres cauda pennis condita, pisces penè cartilaginata reguntur. Polypis hoc minimum est, minimèq; conspicuû, quoniam paruum habeant alueum, quem fatis suis pedibus dirigere possint. Atque de insectis, de testatis, de mollibus, dictum iam est, tam de interioribus, quam de exterioribus partibus.

De exterioribus animantium viuiparorum sanguineque præditorum partibus, & eorum cum homine in ijs differentia. Cap. X.

DE genere sanguineo viuiparo denuo disseredû est, initio repetito à reliquis partium earû, quæ antè expositæ sunt: quas vbi definierimus, continuò de sanguineis ouiparis pari modo dicemus. Partes, quibus caput animalium cõstat, & ceruix, & collû, explicatè iam sunt. Habent autem caput animalia omnia sanguine prædita. Exanguiu nonnul-

lis indiscretum hoc est, vt cancris. Collû omnibus viuiparis est: ouiparorum aliis est, aliis deest. Quæ enim pulmonem habent, collum etiam obtinent: quæ autem spiritum extrinsecus non accipiunt, carent hac parte. Caput cerebri gratia potissimum est: hanc enim partem genus omne sanguineum habeat necesse est. Et quidem loco obiecto cordi, ob eas, quas exposuimus, causas. Sed Natura sensuum etiam nonnullos in eo collocauit, quoniam sanguis eius membri temperatus modicè sit, & idoneus tum ad cerebrum tepesciendum, tum ad sensuum tranquillitatè, atque integritatem. Tertiam item partem subiecit eam, quæ aditum cibo præberet: hic enim commodè collocaretur: quippe cum neque supra cor, & vitale principium, venter constitui posset: neque si inferius, quàm nunc est, poneretur, fieri posset, vt æquè aditus cibo patèret: corporis enim prolixior longitudo faceret, vt longè à principio mouendi, & concoquendi distaret. Sed enim caput ea causa conditum est. Collum autem arteriæ gratia habetur: quippe quod eam, atque etiam gulam protegat, amplexuque suo tueatur. Hoc cæteris animalibus flexibile, & vertebris compactum est: at lupo, & leoni osse perpetuo riget. Cõmodius enim ad robur, quàm ad cæteros vsus collum iis esse Natura voluit. A collo, & capite crura priora, pectûsque habentur: sed homo vice pedum priorum brachia, & quas manus dicimus, habet. Solus enim animalium omnium erectus est, quoniam eius natura, atque substantia diuina est. Officium autem diuini est, intelligere, atque sapere. Quod non facile esset, si vasta corporis moles alsideret: pondus enim tardiolem reddidit, & sensum communem. Quam ob rem concretionem, & pondere grauiore opprimente, corpora verge- re in terram necesse est. Itaque Natura tutè consulens, pro brachiis, & manibus crura priora quadrupedibus subdidit: nam posteriora bina omnibus gressilibus esse, necesse est. Quorum igitur anima pondus sustinere non posset, hæc quadrupeda facta sunt. Animalia nanq; omnia, excepto homine, formam gerût pomilionis. Est enim pomilio, cuius pars superior magna est, inferior, quæ sustinet pondus, motumque exercet, parua, minimèque respondens superiori. Superiorem intelligi eam volo, quæ à capite vsque ad extremèti ostium pertendit, quæ pectus etiâ continetur. Hominibus igitur hæc pars modicè ad inferiorem condita est, multoque minor adultis iam, perfectisque euadit. Infantibus enim è diuerso est: superior magna, inferior minor est. Quam ob rem serpunt infantes, nec ambulare possunt: iam principio, ne serpere quidem possunt, sed immobiles iacent. Omnes enim infantes pomiliones sunt: tum profectu ætatis, hominibus pars inferior augetur. Quadrupedibus contra, inferior primùm maxima est, tum processu temporis superior crescit, quæ scilicet ea est, quæ ab ano ad caput porrecta est. Vnde fit, vt pulli equini paulò suis parentibus sint summissiores, atque adulti crure posteriore caput attingere nequeunt, quod nouelli facilè attingunt.

Solip

Solipeda, & bisulca ita se habent. Digitata autè, cornuq; vacua, forma quidem & ipsa pomilionis sunt, sed minus. Quam ob rem pars eorum inferior ad superiorem defectus ratione incrementum capessit. Auium etiam, & piscium genus, omnèque sanguine præditum forma pomilionis est, vt dixi. Quam ob rem bruta hominibus sunt demetiora: etenim inter homines pueri viris, & inter viros pomilionis mente deficiunt, quanquam aliis viribus fortè valeat. Cuius rei causa, quam diximus, est, quòd principium animi admodum difficile motu, corpulentumq; in iis est. Addo etiam, quòd cum minus femineat caloris, qui efferat, plus autem terrene portionis superfit, efficitur vt corpus animalis tum minus, tum etiam multipes formetur, demumq; expes, prostratumq; in terram præ inopia caloris proueniat, sensumq; procedendo ita degeneret, vt principium vitale, caputq; infra habeat: ad postremum immobile fit, & sensu vacuum, plantaq; est, vice mutata, vt superiora infra, inferiora supra habeat. Radix enim plantarum, vim obtinet oris, & capitis: semen contra, supra, extremisq; ramis consistit. Sed quam ob causam animalium aliud bipes, aliud multipes, aliud omnino expes: & cur alia plantæ, alia animantes constiterint, explicatum iam est: atq; etiam quæ de causa homo animalium vnus erectus est, utq; erectus suapte natura, non desiderat crura priora, sed pro iis brachia, & manus à Natura recipit. Anaxagoras igitur hominem prudentissimû omnium animalium esse ait, quoniam vnus omnium manus obtinet. Sed recta ratio exigit, vt quoniâ prudentissimus omnium est, ideo manus receperit. Manus enim instrumenta sunt. Natura autè, vt homo prudens, ita tribuere solet cuique rem, qua vti possit. Rectus enim tibia dabitur perito tibiam, quàm tibiam habenti peritia tibia addetur. Rem enim minorem maiori, potiorisq; Natura addidit, non maiore, nobiliorèque minori. Quod si ita melius est, Natura autè ex iis, quæ fieri possunt, facere solet quod melius sit, homo nõ propter manus prudentissimus est: sed quia prudentissimus omnium animalium est, ideo manus obtinet. Qui enim prudentissimus est, rectè plurimis vti instrumentis potest. Manus autem esse videtur, nõ vnum instrumentum, sed multa. Est enim, vt ita loquar, instrumentum ante instrumenta. Natura igitur ei, qui artes plurimas recipere potest, manum reddidit, quæ ad plura instrumenta utilis est. Qui autem hominem non bene, sed deterrimè omnium animalium constare aiunt, (nudû enim, atque inermem creatû referunt) non rectè ii sentiunt. Cætera enim animalia vnum auxilium habent, idque nullo pacto possunt permutare, sed quasi calcata semper dormire, ac omnia agere, nec vestitum vnquam deponere pleniorè, neq; arma mutare, quæ semel acceperint, necesse est: at homini multa habere auxilia licet, eaque subinde mutare. Arma etiam quæ velit, & vbi velit, capere potest. Manus enim & vnguis est, & vngula, & cornu, & hasta, & ensis, & quoduis aliud genus armorû, aut instrumentorû: quippe quæ omnia

Quare homini manus datur.

Manum ad multavilem esse.

Infantes imes pomiliones

hæc fit, quoniam omnia & sumere potest, & tenere. Cui manus, nature forma etiâ adhibita est congrua: diuisa enim, & multifida est. Nam in eius diuisione, componendi facultas est: in compositione vis diuidendi esse non posset. Vti etiâ eadem modò simplici, modò duplici, & omnino multifariam licet. Quin & flexus digitorû, ad capiendum, premendumq; commodissimè habet. Vnus à latere adiunctus est digitus, isq; breuis, & crassus, sed non longus. Vt enim si manus omnino deesset, potestas capiendi non fieret: sic nisi digitus hic à latere adesset, non eadem illa facultas probè daretur. Hic enim à parte inferiori sursum premit, vt cæteri à superiore deorsum: quod fieri ita oportet, si validè quasi copula forti colligandum sit. Pollex hic plurimum, vt vnus multos æquiparet. Breuis etiâ est, vt robustus sit, & quoniâ nullam præstare cõmoditatè, si longus esset. Rectè etiam nouissimus digitus paruus est, & medius longus, tanquã remus nauis digiti medii vsus. Quod enim officio capitur, circum per medium digitû cõplecti potissimum necesse est. Sedenim pollex, & magnus, qui à latere iunctus est, ideo appellatur, quauis paruus sit, quia cæteri sine eo inutiles ferè sunt. Vnguis etiam rectè Natura molita est: quippe quæ cæteris animalibus eos vel ad vsum aliu dederit, homini autem operimenti tantum gratia excogitavit: digitos enim extremos integunt, & tuentur. Flexus brachiorum homini tum ad cibum admo- uendum, tum ad cæteros vsus, contra, quàm quæ drupedû generi, agitur: illis nanq; introrsus poplites flecti necesse est, vt ad gressum viles sint. Vsum enim pedû præstant artus priores. Quam quàm illius etiam generis ea, quæ digitata sunt, nõ modò ad gressum vtuntur prioribus cruribus, verum etiâ ad manus officia vti nituntur: quippe quæ & capiant prioribus cruribus, & repugnent: quod solipedes posterioribus faciunt. Nõ enim crura eorû priora cubitis, manibusq; proportionem respondent, vt nonnullorû ex iis, quorû pedes in digitos finduntur. Ob id pedes priores quinis distinctos digitis habent, posteriores quaternis: vt leones, & canes, atq; etiam lupi, & pantheræ: quintus enim eorû quinto, magnoque manus respondet. Sed quæ parua inter digitata sunt, posteriores etiâ quinq; digitos obtinent, quoniam serpere solent, scilicet vt vnguibus numerosioribus apprehendendo facilius obrepant ad sublimiora. Pectus inter lacertos homini constitutum est, cæteris inter crura priora. Latum id esse in homine ratione permittitur, cum nihil lacerti adiuncti lateribus impediatur: at quadrupedibus, quòd ante se crura, cum ambulant, locumq; mutant, protendunt, pars hæc coarctata est. Vnde fit, ne quadrupedes eo loco habeant mammas. Nam homini, quod & spatii laxitas permittit, & carnosa ea pars est, cum operiri sedem cordis conueniat, mamme pectori afformatæ sunt carnulentæ: maribus quidè ob eâ, quam diximus, causam, sed fœminis ad alterû quoque opus Natura mammis abutitur, quod eam sæpe facere dicimus. Cibum enim in iis recõdit suis paruulis. Binæ homini mamma, quoniam binæ

Pollex quem vsum præstet manui.

Digitum medii vsus.

Vnguibus utilitas.

Pectus.

Handwritten notes in Latin script at the bottom right of the page.

Brutis man-
ma in variis
locis.

sunt partes, dextra & sinistra, duriusculæ, spatio interposito determinantur: quod & costæ eodē loco sibi coeant, sine vlla molestia. Cæteris animalibus māmā in pectore haberi inter crura nō possunt: ita enim gressum impediret. Pluribus autem locis aliis habentur sine vllō impedimento. Quibus enim solida vngula, aut cornua, & partus numero pariori, hæc māmās inter femora habent, eāsque binas: quæ autē numero partu, & pede multifido sunt, hæc aut plures per ventrem duplici ordine utroque; de latere gerūt, ut fues, ut canes: aut binas tantum medio vêtre, ut leo. Cuius rei causa est, nō quia parcissimè generat, (nā plures, quàm duos, interdum edit) sed quod minus lacte abundat. Cibum enim, quem raro assumit, quoniā carniuorum est, in corpus absumit. Elephas duas tātum habet, eāsque sub armis. Causa cur duas habeat, quod vni proliis est. Cur non inter femora? quod multifidum est. Nullū enim inter femora habet, cui pedes discreti in digitos sunt. Cur supra sub armis? quod in iis, quæ plures obtinent māmās & primæ sunt, & plurimum lactis hauriunt, quæ ea parte continentur. Argumento est, quod scrofae facere assolent: porcis enim editis primis, mammas præbent primas. Ergo cui vnum est, quod primum in lucē prodit, id primas habeat mammas necesse est. Primæ autem, quæ sub armis habentur. Elephas hac de causa duas, eōque loco, mammas habet. Quæ autem multiprola sunt, hæc toto ventre exuberant. Cuius rei causa est, quod ea, quæ prole numerosiore educatura sint, māmās desiderant numerosiores: quæ cum per latitudinem non nisi duas habere possint, videlicet ratione bipartiti corporis, in dextrum, sinistrumque, per longitudinē habeant, necesse est. Locus autē vnus, qui inter priora, & posteriora crura interiacet, porrectus per longitudinē est. Quæ autem non multifida, sed deprola sunt, aut cornuta, hæc inter femora mammas habent: ut equa, asina, camelus. Hæc enim singulos pariūt. Et pes equo, & asino solidus, camelo bifidus. Cerua etiam, capra, vacca, & reliqua generis eiusdem mammas parte eadem gerunt. Cuius rei causa est, quod hæc sursum versus capiant sui corporis incrementa. Itaque vbi confluunt, & copia excrementi sanguinis, qui locus sanè infra est, & circa effluentis materiæ ostia, ibi māmā à Natura positæ sunt. Quæ enim parte motus agit alimentum, inde etiā capi alimentum potest. Sed enim homo, & femina, & mas habet mammas. In cæteris mares nonnulli carent, ut equi. Nō enim omnes, sed tantum qui matrisimiles prodire, habent. De māmā dictum iam est. A pectore venter subiacerit costis nō clu silis, ob eam, quam antè reddimus, causam, scilicet ne aut cibi tumorē, qui per calorem necessariō euenit, aut vteros plenos impediatur. Finē autem thoracis appellati faciunt partes, quæ ostiū excrementi, tum siccū, tum humidū continent. Natura verò parte eadē, tum ad humidū excrementi exitum, tum ad rem Venereā vitur in sexu tū feminino, tum etiā masculino omni sanguineo, exceptis paucis: in omnique; viuiparo genere, nullo excepto. Cuius rei causa est, quod genitura ha-

Quibus e-
quis mari-
bus mamme.

Thorax.

Genitura.

mor quidam excrementitius est. Sed hoc ita esse nunc subiiciatur, post demonstrabitur. Fœminæ etiam pari modo menstrua parte eadē emittunt: sed de iis quoque, postea definiemus. Nūc illud subiacerit, menstrua etiam fœminarū excrementū esse, & vacantem materiā. Humida autē suapte natura sunt menstrua, & genitura: itaque eorum profusionē similibus, eisdemque; tribui partibus, ratio est. Intus autē quemadmodum se habeant, & qua differant ratione, semen genitale, & gestatio vteri, ex animalium historia, cōmentationeque apertū est: & cum de generatione agemus, dicetur. Formas etiam harum partium tales necessariō ad officii propositū esse debere, quales iam sunt, obscurum nō est. Sed maris instrumentū alterum ab altero differt, pro discrimine corporum. Non enim æquè neruosa natura omnia constant. Augetur etiam, & minuitur hoc vnum membrum, sine vlla morbi mutatione. Horum enim alterum vtile ad coitum, alterum ad cæteros corporis vsus commodum est. Nam si semper simili modo se haberet, impedimento nimirum esse constat hoc membrum ex eiusmodi partibus, ut eorum, quæ modò dixi, vtrunque; possit euenire. Partim enim neruum, partim cartilaginem habet. Itaque; & contrahi potest, & extendi: atque etiam flatus capax est. Sed quadrupedes fœminæ omnes in auersum mungunt: quippe quæ genitale non alibi commodius habere possint ad coitum. Mares verò per pauci in auersum mungunt: ut lynx, leo, camelus, lepus. Solipes nullum sic mungit. Hominis partes posteriores, & crura, peculiari modo præ quadrupedibus habentur. Caudam omnia ferè nō solum viuipara, sed etiam ouipara habent. Nam etsi plerisque magnitudine membrū id caret, tamen aliquid prominet, quod caudam describere possit. Homo vnus cauda vacat, nates habet: quod nulli quadrupedum datum est. Crura etiam homini femore, suraque; carnulenta sunt, cum cætera animalia omnia non modò viuipara, verum etiam quæcunque cruribus constant, vacua carne hæc habeant: neruosa enim, ossulenta, spinosa, rigida. Quorum causa vna est, propè dixerim, omnium, quod homo solus animalium erectus est. Ut igitur facillè sustinere superiora posset, Natura corpulentiam parti superiori dempsit, inferiori addidit. Itaque nates carnosas fecit, & femora, & furas: sed nates vel ad corporis requiem vtilis reddidit. Quadrupedes enim stare diu infatigatis viribus possunt, utque; quasi iaceant, cum quatennis fultis innitantur. At verò homines non facillè erecto corpore stando durant, sed requiem, sedileque; desiderant. Homo igitur nates, & crura carnosas habet, ob eam, quam diximus, causam: & cauda ob eam rem vacat. Alimētum enim, quod caudam adit, in hæc ipsa absumitur. Vfusque; caudæ necessarius defuit, quoniam nates sua corpulentia satis operiunt. At quadrupedes, & reliqua animalia è contrario. Cum enim forma pomilionis degenerent, parte sui superiore pondus, omnemque corpulentiam sustinent, scilicet demptam parti inferiori: itaque; crura habent rigidiora, & natibus vacua. Sed ut pars, quæ exitum

Simiæ for-
ma.

Differentia
caudarum.

Pedum dif-
ferentia.

Pedum hu-
manorū ma-
gnitudinis
causa.

Vnguiū
fus.

exitum excremento ministrat, protegeretur, & custodiretur, caudam iis Natura reddidit, sublato, quod ad crura deferretur, alimento. Simia, quod forma ambigua sit, ut & in neutro, & in vtroque genere sit constituenda, ideo nec caudā habet, neque nates: videlicet ut bipes, cauda vacat: ut quadrupes, natibus. Caudarum autem plures differentia sunt: & Natura iis quoque abutitur, cum non modò ad integendam, tuendamque; sedem vtatur, verum etiam ad reliqui corporis vsus, atque vtilitatem. Pedes quadrupedum inter se differunt: aliis enim solidi, aliis bifidi, aliis multifidi. Solidi, sunt eorum, quibus præ corporis magnitudine, copiamque terrenæ portiois, pro cornu, aut dente, materia ad vnguis naturam secesserit. Sedenim ex ea copia pro pluribus vnguis vnus vnguis, scilicet vngula, coalescit. Talo etiam ob eam rem carent (quod magna ex parte dixerim) atque etiam quod si talus adesset, crura posteriora difficiliora flecterentur. Celerius enim & aperiuntur, & clauduntur, quæ singulis angulis constant, quàm quæ pluribus. Talus autem, ut qui clauus est, tanquam alienus artus duobus hisce inseritur, pondus quidem afferens, sed gradum efficiens tutiorem. Hinc enim & ea, quæ talum habent, non in prioribus, sed posterioribus tantum cruribus eum continent, quoniam leuiores, flexibilioraque esse debent, quæ præcedant: firmiores autem, contentioraque esse posteriora congruit. Ad repugnandum etiam, inferendumque ictum vehementiorem, commodius ita constant. Genus autem hoc animalium cruribus ita uti posterioribus solet. Bifulca talum habere certum est: iis enim posteriora sunt planiora. Et quoniam talum habeant, solipeda esse non possunt, quasi os, quod pedi deest, maneat in suffragine. Digitatis talus non est. Nam si esset, digitata non esset: sed tantum latitudinis funderetur, quantum talus occuparet. Quam ob rem ea, quæ talum habent, magna ex parte bifulca sunt. Homini pedes omnium maximi proportionem magnitudinis merito: solus enim erectus est. Ita qui duo pondus corporis totum suscipiunt, longitudinem, latitudinemque obtinere debuerunt. Digitorum etiam manus magnitudo contrā, quàm pedis est, ratione. Manus enim officium est, capere, atque premere. Itaque longos habeat digitos oportet. Manus enim parte, qua se flectit, comprehendit. Pedis autem officium est, tutè constare. Quod ea parte pedis effici putandum est, quæ infissa est. Extremum autem fissum, quàm infissum, esse melius est. Nam si pes totus infissus esset, totus confentiret, parte aliqua laborante: quod fisso in digitos æquè accidere non potest. Breues etiam minus offendi, lædique; possunt. Quam ob rem hominis pedes multifidi, & breuidigiti sunt. Vnguium genus eadem causa pedes, qua manus obtinent. Extrema enim operienda, muniendaque potissimum sunt, propter imbecillitatē. De animalibus sanguineis, viuiparis, terrestribus ferè omnibus dictum iam est.

De partibus animalium ouiparorum, tum quadrupedum, tum expedum. & quam ob causam sic à Natura digestæ sint. Cap. XI.



Anguinea verò ouipara, partim quadrupeda sunt, partim expeda, quale vnum tantummodo genus serpentū est. Causam, quam ob rem id pedibus vacet, reddidimus, cum de gressu animalium ageremus. Cætera eius forma simili quadrupedibus ouiparis sunt. Habent hæc animalia caput, partemque; capitis eisdem de causis, quibus cætera sanguinea genera. Linguam etiam in ore continēt omnia, excepto vno crocodilo fluuiatili. Hunc enim non nisi locum tantummodo linguæ habere putaueris. Cuius rei causa est, quod idē & terrestris, & aquatilis quodā modo est. Ergo ut terrestris locum obtinet linguæ, ut aquaticus elinguis est. Pisces enim, ut dictū est, aut nullam habere linguam videntur, nisi valde resupinentur: aut inexplanatā habent. Causa est, quod iis linguæ vsus perquam exiguus est: quoniam mandere, prægustareque; non possint, sed in deuorando sensum, voluptatemque; cibi capiāt. Lingua enim sensum mouet saporū. Esculentorum autem omnium voluptas in descendendo contingit. Dū enim deglutimus, pinguis sentimus, & salsa, & dulcia, & reliqua generis eiusdem. Sensum igitur hunc animalia etiam ouipara habent. Et omnium ferè condimentorū, esculentorumque;, in deuorando gulæ tactione suauitas existit, & gratia. Quam ob rem, non qui potionū, saporūque; incontinentes sunt, iidem etiam condimentis, ac cibo luxuriant: sed cum cæteris animalibus sensus quoque; gustandi adiunctus sit, illis quidē alter quasi vnus tributus est. Lacertis ex quadrupedibus ouiparis lingua bifida, ut serpentibus; partemque; extremam pilosam admodū, ut dictū iam est. Quinetiā vitulis marinis lingua bifulca est. Quæ ob rem hæc animalia omnia tenuia sunt, Serratis etiā dentibus quadrupedes ouiparæ sunt, modo piscium. Sensoria autē omnia simili modo, atque; cætera animalia habent. Verbigratia, nates olfaciendi, oculos videndi, aures audiendi sensorium. Non tamen hæc eminent, quomodo ne auiibus quidē, sed foramina tantum habentur. Causa vtriusque; duritia cutis est. Altera enim penna, altera cortice integuntur. Cortex loco squamæ, & simile est, sed sua natura rigidior, atque; durior. Quod in testudine, atque; serpentibus magnis, & crocodilo fluuiatili palam fit. Firmior enim offese euadit, ut qui talē naturā sortiatur. Palpebræ superiorē hæc animalia non mouent, ut ne aues quidē, sed inferiore cōiuent: ea de causa, quam, cum de illis ageremus, reddidimus. Sed cum auium nonnullæ ab angulis membrana obeunte nitentur, hæc non nitantur: sunt enim oculis durioribus, quàm aues. Causa est, quod illis, utpote volucris, acumen cernendi commodius ad vitæ munera sit. Hæc autem, quoniā cauernas subire omnia solent, minus cernendi vsus exquisitum requirunt. Sed cum caput in partes duas dividatur, scilicet superiorem, & inferiorem ma-

Bifida lacertis lingua.

Maxillæ motus varius in variis animalibus.

xillam, homo, & viuiparæ quadrupedes maxillâ sursum, deorsum, atq; in latera agitant: pisces vero, & aues, & ouiparæ quadrupedes sursum, deorsumq; tantum mouent. Causa est, quod eiusmodi motus utilis ad mordendum, secundumq; est. Qui autem in latera agitur, ad cibum molendum, conficiendumq; accommodatur. Quæ igitur dentes habent maxillares, iis motus commodè agitur in latera. Quæ autem maxillaribus carent, iis nullo pacto utilis motus hic est: quam ob rem sublatus iis omnibus est. Nihil enim Natura superuacuum facit. Cætera omnia maxillam mouent inferiorem: crocodilus fluuiatilis vnus superiorem. Cuius rei causa est, quod pedes ad capiendum, retinendumq; inutiles habet: parui enim admodum sunt. Itaq; ad hunc usum natura os ei pro pedibus utile cõdidit: ad retinendum vero, vnde ictus inferri vehementius potest, inde motus commodius agitur. Infertur autem vehementius de super, quam de parte inferiore. Ergo cum vtriusque tum capiendi, tum mordendi vsus ore administratur, magis autem necessarium retinendi officium sit, cui nec manus sint, neq; pedes idonei, commodius huic est mouere superiorem maxillâ, quam inferiorè. Quod idem causæ est, cur etiã cancri superiorem sui forcipis partem moueant, nõ inferiorè: habent enim pro manu forcipem. Illi itaque vtileni ad capiendum, non ad mordendum forcipem esse oportet. Mordendi autem, secundumq; officium dentis est. Cæteris igitur, cæterisque, quibus licet otiosis cibum capere, quoniã in humore non sint, oris vsus partitus est, vt manibus, aut pedibus capiant, ore secant, & mordeant: at crocodilis os in vtrunq; vsum utile factum est à Natura, cum ita maxillæ moueantur. Collum etiã omnia huiuscemodi animalia obtinent propter pulmonè: quippe quæ aerem per arteriæ fistulam productiorem & accipiant, & reddant. Collum enim id appellamus, quod inter caput, & armos, humerósve interiacet. Serpens inter hæc collum minimè, sed proportionale colli habere videri potest. Siquidem extremis, quæ modò dixi, pars hæc describenda est. Proprium serpentibus præ cæteris eiusdem generis animalibus est, vt caput vertere in auersum, reliquo quiescente corpore, valeant. Cuius rei causa est, quod modo insectorum structura volubili constant, vt vertebrae cartilaginosa, & flexibiles habeant. Euenit igitur id serpentibus necessariò hac de causa: ad melius vero, vt ita vitare possint, quæ ab aduerso noceant. Cum enim prælongo sint corpore, & pedibus careant, inepti sunt ad se conuertendum, tuendumque contra ea, quæ à tergo incurrant. Nihil enim utilitatis esset, si caput erigere quidem possent, sed circumagere nequirent. Habent hæc & eam, quæ pectori proportionetur, partem: mammas nec ea parte, nec vsquam sui corporis continent. Aues etiam tã mammas carent. Cuius rei causa est, quod nullum ex iis habeat lac: mamma enim, cõceptaculum, & tanquã vas lactis est. Nec solùm hæc, sed etiam quæcunq; nõ viuipara inter se sunt, lacte vacant, quoniam oua pariunt. In quo autem lacteus ille cibus ingenuus ouiparis continetur. Sed de iis planius dicetur, cum de generatione agemus. De inflexu curuarum partium consideratum iam est, cum de communi animalium gressu ageremus. Caudam etiam genus id animalium habet, partim prolixiorem, partim breuiorè. Cuius rei causam antè in vniuersum reddidimus. Omnium vero ouiparorum pedestrimum tenuissimus chamæleo est: quippe qui omnium maximè inopia sanguinis rigeat. Causa ad mores animæ eius referenda est: præ nimio nanq; metu multiformis efficitur. Metus enim refrigeratio, per inopiam sanguinis, calorisque est. De partibus animalium sanguinei generis, tum expedum, tum quadrupedum, aut bipedum, quænam sint extrà, & qua de causa, dictum ferè est.

neratione agemus. De inflexu curuarum partium consideratum iam est, cum de communi animalium gressu ageremus. Caudam etiam genus id animalium habet, partim prolixiorem, partim breuiorè. Cuius rei causam antè in vniuersum reddidimus. Omnium vero ouiparorum pedestrimum tenuissimus chamæleo est: quippe qui omnium maximè inopia sanguinis rigeat. Causa ad mores animæ eius referenda est: præ nimio nanq; metu multiformis efficitur. Metus enim refrigeratio, per inopiam sanguinis, calorisque est. De partibus animalium sanguinei generis, tum expedum, tum quadrupedum, aut bipedum, quænam sint extrà, & qua de causa, dictum ferè est.

De partibus auium exterioribus, & earum differentijs, quasque ob causas sic à Natura positæ sint.

Cap. XII.

Aves autem discrimine inter se differunt eo, quod in excessu, defectuque partium, & in pluris, minorisque ratione versari percipimus. Sunt enim earum alia longo crure, alia breui. Linguam etiam alia latiusculam habent, alia angustâ. Eodemque modo reliquis partibus differunt. At priuatim inter se paulò ratione partium differunt: quæquam à cæteris forma etiam partium discrepât. Pennatum enim genus omnium auium est, idque proprium habet ad cætera animalia. Cum enim alia pilo, aut squama, aut cortice tegantur, aues penna operata sunt, pennamque habent fissam, nec simili specie atque ea, quæ totipennâ à pennæ continuitate appello: his enim fissâ, illis infissâ est penna: & altera excaulis, altera caulata est. Quinetiam capite rostri naturam singularem, ac propriam præ cæteris gerunt. Elephantis enim naris pro manibus est. Insectis quibusdam lingua oris officio fungitur: at his vice dentium, manusque, rostrum ossè datum est. De sensuum locis dictum iam est. Collum auibus quoque porrectum, eademque de causa, qua cæteris est. Hoc aliis breue, aliis longum, & ferè pro crurum modo, magna ex parte descriptum est. Quibus enim longa sunt crura, iis collum longum: contra, quibus breuia crura, iis collum breue, præterquam palmipedibus. Collum enim nec breue, cum cruribus longis, nec longum cum breuibus, partem administrare ex terra potest. Carniuoris etiam volucris longitudo colli incommoda est: imbecille enim, quod prolixum est. Is autem victus beneficio virum cõparatur: quam ob rem nulli collum longum, cui vngues adunci. Palmipedes, & quæ diuisis quidem, sed parum diductis digitis sunt, vt quæ eodem genere cum palmipedibus continentur, collum longius habent: tale enim ad cibum ex humore petendum commodius est: sed crura iis breuia, vt melius natare possint. Rostra etiam inter se differunt victus ratione: aliis enim rectum, aliis vncum rostrum est. Rectum iis, quæ cibi capiendi gratia tantum id habent: vncum carniuoris. Tale enim utile est ad retinendum iis, quæ raptu viuunt, & cibum ex animalibus petere necesse habeant. Quibus autem victus ratio placida,

Collum.

Græcè additur, atque pisces

Chamæleo præ multis

Quare Auibus pectus acutum, & carnosum.

Auium vmbilicus.

Aues volaces.

Aues nõ volaces.

Calcar quibus sit.

Rostra bus variis

da, herbisque comparanda est, iis rostrum latum: hoc enim & ad effodiendum pabulum, & ad euellendum, & ad tendendum commodius est. Nonnullis longum, vt & collum, quoniam cibum ex alto capere soleant. Et quidem bona pars tum earum, tum etiam palmipedum, aut simpliciter, aut parte eadem captura bestiolarum quarundam aquatiliu viuit. Itaque fit, vt collo quasi arundine piscatoria, rostro autem veluti linea, & hamo vtantur. Partes vero pronæ, supinæque, & thorax appellatus quadrupedum, confusus in genere auium habentur: alæ enim pro branchiis, & prioribus pedibus dependent, membrum peculiare auium: quam ob rem pro scapulis extrema alarum dorso adherent. Crura vt in homine, bina, sed intrò flectenda, vt quadrupedum suffragines, non vt hominis poplites foras. Alas autem, quas vicè crurum priorum cõplere modò diximus, in orbem agunt. Bipes necessariò est genus auium, inter ea, quæ sanguinem habent, atque etiam aligerum. Cum enim sanguinea quæque non pluribus, quàm quaternis, notis moueantur, membrapendentia quaterna auibus quoque sunt, vt cæteris gressilibus, & pedestribus, quæquam illis brachia, aut crura quaterna: auibus vice crurum priorum, brachiorumve, ala commune datum est membrum: hac enim volatiles sunt. Quæ quidem volandi vis in auis essentia continetur. Itaque necessariò restat, vt bipedes sint. Ita enim notis, siue signis quaternis, alis scilicet additis, moueantur. Pectus acutum, carnosumque omnibus est. Acutum, vt melius volent. Lata enim, quia multum aeris propellunt, difficilius mouentur. Carnosum, quia quod acutum est, nisi plenè opertum sit, imbecillum est. Pectori venter subiacet ad ostium vsque excrementi, & suffraginem trudens non aliter, quàm in quadrupedum, atque hominum genere. Igitur inter alas, & crura, partes hæc positæ sunt. Vmbilicum, omnia habent, quæ vel vtero viuiparis eduntur, vel ouo ouiparis excluduntur: sed auibus iam adultis hic delitescit, incertusque est, vt patet per generationem eorum. Intestini nanque coalitu vmbilicus auium consistit, & non venarum pars vlla est, vt in viuiparo genere. Item auium alia volaces, aliaque grandibus, atque validis sunt: vt quæ vngues habent aduncos, & carne vescuntur. Volaces enim tota vita esse, necesse est. Itaque pennis abundant, & alarum magnitudine præstant. Sed non modò quæ vncis sunt vnguibus, verum alia quoque genera volucrum volatu superant: videlicet ea, quæ vel pernitate volandi sese tueantur, vel loca mutare soleant. Sunt quæ non volaces, sed graues sint, quibus vita terrena, & aut fruge viuunt, aut nant, & apud aquas immorantur. Corpora vncuguium exigua sunt, exceptis alis, quoniam alimenti copia in alas, & arma, præsidiumque absumitur: contra, quæ volaces non sunt, iis corpora in molem euadunt grandiore, atque ita efficitur, vt sint grauiora. Sed grauium nonnullis præsidio calcar est, quod vice alarum suis cruribus gerunt. Eadem vero, quæ & calcar habeat, & vngues aduncos, nulla est. Causa est, quod Natura nihil superuacuum facit. Volaci autem vncugui generi calcar vsui esse non potest: vtile enim tantum in pedestri certamine est. Quam ob rem grauium nonnullis adiunctum est, quibus vngues adunci non solum inutiles, sed etiã nocui essent, cum ad solum hærerent, & contra ingressum infixi reniterentur. Quam ob rem vncugues omnes difficulter ambulant, nec in saxis consistunt: natura enim eiusmodi vnguuium contraria in vtrunq; est. Euenit id per generationem necessariò, cum quod terrenum, & prociac in corpore est, formam partium commodarum ad pugnam recipiat. Itaque vbi sursum prouerit, rostri duritiam aut magnitudinem facit: vbi deorsum lapsus est, calcaria cruribus valida effingit, aut pedibus vnguuium magnitudinem, & robur. Simul autem hæc singula locis diuersis efficere non potest: distracta enim excrementi eius natura inualida redditur. Item aliis crurum longitudinem cõdidit, aliis pedum interualla complet, digitosque in palmæ effigiem contextit. Quos fit necessariò, vt aues aptæ ad nadum, aut omnino palmipedes sint, aut discretos quidem habeant digitos: sed singulis annexa latitudine cutis, veluti spadiculas ductu perpetuo gerant. Hæc necessariò his de causis veniunt. Quod autem ad notam melioris rationem attinet, pedes huiusmodi habent vitam, quam degunt, gratia, vt cum in humore viuunt, nec pennis vtantur, pedes ad nandum vtilis habeant: iis enim perinde vtuntur, vt remis nautæ, & pinnulis suis pisces. Quæ ob rem si vel piscium pinnula, vel auium pedibus interiecta cutis destrueretur, nare non poterunt. Sunt in genere auium, quæ longis cruribus innitantur. Cuius rei causa est, quod vita earum palustris est. Natura enim instrumenta ad officium, non officium ad instrumenta accommodat. Quoniã igitur nantes non sint, ideo non palmipedes sunt, quod in solo præmolli, & lubrico degant: hinc longa iis crura, & digiti productiores, flexus etiã plures in digitis magna ex parte. Sed cum volaces non sint, & tamen ex eadem materia omnes constant, efficitur vt alimentum, quod cæteris ad caudam transmittatur, iis in crura id absumptum reddat eam partem auctiorem: quapropter in volatu pro cauda iis vtuntur: porrectis enim cruribus in auersum volant. Ita enim fit, vt inter volandum non impediatur pedum prolixitas, sed iuuet. At quibus crura breuia sunt, hæc ad ventrem contractis cruribus volant. Cum enim nullis earum impedito sint pedes ita positi, vncuguius vel ad raptum habentur expeditiores. Quæ longo sunt collo, si id crassius habent, volant collo porrecto: si tenue, curuato feruntur. Cum enim tenue præ longitudine quatitur, facile frangi potest. Clunis auibus omnibus est: quanquam Volucrum clunis non clunè, sed femora bina habere, propter longitudinem clunis, videantur: quippe cum ad medium vsque ventrem porrigitur. Causa est, quod genus hoc animalium bipes est, non erectum. Nam si modo hominum, aut quadrupedum, clunem breuem à sede, crurisque deinde directa strue subditum haberet, omnino stare non posset. Homo enim, quia erectus est, stare potest. Quadrupedibus crura priora ad corporis pondus susti-

da, herbisque comparanda est, iis rostrum latum: hoc enim & ad effodiendum pabulum, & ad euellendum, & ad tendendum commodius est. Nonnullis longum, vt & collum, quoniam cibum ex alto capere soleant. Et quidem bona pars tum earum, tum etiam palmipedum, aut simpliciter, aut parte eadem captura bestiolarum quarundam aquatiliu viuit. Itaque fit, vt collo quasi arundine piscatoria, rostro autem veluti linea, & hamo vtantur. Partes vero pronæ, supinæque, & thorax appellatus quadrupedum, confusus in genere auium habentur: alæ enim pro branchiis, & prioribus pedibus dependent, membrum peculiare auium: quam ob rem pro scapulis extrema alarum dorso adherent. Crura vt in homine, bina, sed intrò flectenda, vt quadrupedum suffragines, non vt hominis poplites foras. Alas autem, quas vicè crurum priorum cõplere modò diximus, in orbem agunt. Bipes necessariò est genus auium, inter ea, quæ sanguinem habent, atque etiam aligerum. Cum enim sanguinea quæque non pluribus, quàm quaternis, notis moueantur, membrapendentia quaterna auibus quoque sunt, vt cæteris gressilibus, & pedestribus, quæquam illis brachia, aut crura quaterna: auibus vice crurum priorum, brachiorumve, ala commune datum est membrum: hac enim volatiles sunt. Quæ quidem volandi vis in auis essentia continetur. Itaque necessariò restat, vt bipedes sint. Ita enim notis, siue signis quaternis, alis scilicet additis, moueantur. Pectus acutum, carnosumque omnibus est. Acutum, vt melius volent. Lata enim, quia multum aeris propellunt, difficilius mouentur. Carnosum, quia quod acutum est, nisi plenè opertum sit, imbecillum est. Pectori venter subiacet ad ostium vsque excrementi, & suffraginem trudens non aliter, quàm in quadrupedum, atque hominum genere. Igitur inter alas, & crura, partes hæc positæ sunt. Vmbilicum, omnia habent, quæ vel vtero viuiparis eduntur, vel ouo ouiparis excluduntur: sed auibus iam adultis hic delitescit, incertusque est, vt patet per generationem eorum. Intestini nanque coalitu vmbilicus auium consistit, & non venarum pars vlla est, vt in viuiparo genere. Item auium alia volaces, aliaque grandibus, atque validis sunt: vt quæ vngues habent aduncos, & carne vescuntur. Volaces enim tota vita esse, necesse est. Itaque pennis abundant, & alarum magnitudine præstant. Sed non modò quæ vncis sunt vnguibus, verum alia quoque genera volucrum volatu superant: videlicet ea, quæ vel pernitate volandi sese tueantur, vel loca mutare soleant. Sunt quæ non volaces, sed graues sint, quibus vita terrena, & aut fruge viuunt, aut nant, & apud aquas immorantur. Corpora vncuguium exigua sunt, exceptis alis, quoniam alimenti copia in alas, & arma, præsidiumque absumitur: contra, quæ volaces non sunt, iis corpora in molem euadunt grandiore, atque ita efficitur, vt sint grauiora. Sed grauium nonnullis præsidio calcar est, quod vice alarum suis cruribus gerunt. Eadem vero, quæ & calcar habeat, & vngues aduncos, nulla est. Causa est, quod Natura nihil superuacuum facit. Volaci autem vncugui generi calcar vsui esse non potest: vtile enim tantum in pedestri certamine est. Quam ob rem grauium nonnullis adiunctum est, quibus vngues adunci non solum inutiles, sed etiã nocui essent, cum ad solum hærerent, & contra ingressum infixi reniterentur. Quam ob rem vncugues omnes difficulter ambulant, nec in saxis consistunt: natura enim eiusmodi vnguuium contraria in vtrunq; est. Euenit id per generationem necessariò, cum quod terrenum, & prociac in corpore est, formam partium commodarum ad pugnam recipiat. Itaque vbi sursum prouerit, rostri duritiam aut magnitudinem facit: vbi deorsum lapsus est, calcaria cruribus valida effingit, aut pedibus vnguuium magnitudinem, & robur. Simul autem hæc singula locis diuersis efficere non potest: distracta enim excrementi eius natura inualida redditur. Item aliis crurum longitudinem cõdidit, aliis pedum interualla complet, digitosque in palmæ effigiem contextit. Quos fit necessariò, vt aues aptæ ad nadum, aut omnino palmipedes sint, aut discretos quidem habeant digitos: sed singulis annexa latitudine cutis, veluti spadiculas ductu perpetuo gerant. Hæc necessariò his de causis veniunt. Quod autem ad notam melioris rationem attinet, pedes huiusmodi habent vitam, quam degunt, gratia, vt cum in humore viuunt, nec pennis vtantur, pedes ad nandum vtilis habeant: iis enim perinde vtuntur, vt remis nautæ, & pinnulis suis pisces. Quæ ob rem si vel piscium pinnula, vel auium pedibus interiecta cutis destrueretur, nare non poterunt. Sunt in genere auium, quæ longis cruribus innitantur. Cuius rei causa est, quod vita earum palustris est. Natura enim instrumenta ad officium, non officium ad instrumenta accommodat. Quoniã igitur nantes non sint, ideo non palmipedes sunt, quod in solo præmolli, & lubrico degant: hinc longa iis crura, & digiti productiores, flexus etiã plures in digitis magna ex parte. Sed cum volaces non sint, & tamen ex eadem materia omnes constant, efficitur vt alimentum, quod cæteris ad caudam transmittatur, iis in crura id absumptum reddat eam partem auctiorem: quapropter in volatu pro cauda iis vtuntur: porrectis enim cruribus in auersum volant. Ita enim fit, vt inter volandum non impediatur pedum prolixitas, sed iuuet. At quibus crura breuia sunt, hæc ad ventrem contractis cruribus volant. Cum enim nullis earum impedito sint pedes ita positi, vncuguius vel ad raptum habentur expeditiores. Quæ longo sunt collo, si id crassius habent, volant collo porrecto: si tenue, curuato feruntur. Cum enim tenue præ longitudine quatitur, facile frangi potest. Clunis auibus omnibus est: quanquam Volucrum clunis non clunè, sed femora bina habere, propter longitudinem clunis, videantur: quippe cum ad medium vsque ventrem porrigitur. Causa est, quod genus hoc animalium bipes est, non erectum. Nam si modo hominum, aut quadrupedum, clunem breuem à sede, crurisque deinde directa strue subditum haberet, omnino stare non posset. Homo enim, quia erectus est, stare potest. Quadrupedibus crura priora ad corporis pondus susti-

Quibus causis variant auibus pedes.

nendum subdita sunt. At aues nec erectæ sunt, quoniam sua natura in pomilionē degenerat: ne que crura habent priora, quoniā alas vice eorū fortiuntur. Itaq; Natura pro iis clunem longiorem emolita duxit ad mediū, corpūq; pronum fulciuit, & crura subdidit ea parte, qua pondere æquilibrante, & ambulare æquilibrio possent, & constare. Sed quam ob causam genus auium bipes non erectum sit, explicatum iam est. Cur autem crura carnosā non habeat, eadem causa est, quam de quadrupedum cruribus reddidimus. **Sunt auibus digiti quaterni æquē omnibus, tam multifido, quā palmipedi generi: nam de struthione terræ Africæ incola postea definiemus, vt bisulcus est, vnā cum reliquis, quæ ad auium genus habet contrariis. Sed cum omnibus quaterni digiti sint, tres parte priore habentur: vnus posteriore pro calce, vt tutē sit, qui minutus inest in iis, quæ longa habent crura, vt in crece euenit: nec est quod plures habeat digitos. Sed cum talis digitorum positio in cæteris sit, in iynge vna, quam turbinem appellatam dixi, vtrinq; bini. Causa est, quod eius corpus minus, quā cæterarum, propensum est in aduersum. Testes omnibus auibus esse certum est, sed intus lumbis adhærent. Cuius rei causam in generationis ratione animalium explicabimus. Partes auium ita se habent.**

Auibus digiti quot.

Iynge digiti.

De partibus exterioribus piscium, & causis quare sic à Natura instituta sint.
Cap. XIII.

Risciu genus mutilatius itē, ac imperfectius, quā auū, partibus exterioribus est. Nō enim crura, nō manus, nō alas hoc habet. Cur ita, causa iā exposita est: sed cōtinuū simplici corpore à capite in caudam vsq; porrigitur. Cauda verò ipsa non omnibus similis est, sed cum cæteris non euariet, planorū nonnullis spina constat, & longa est. Incrementum enim eius partis ad piscis latitudinem transit: vt in torpedine, pastinaca, & si quid aliud eiusmodi cartilagineū est. Horū igitur cauda spinosa, & longa est. Quorundā carnosā quidem, sed breuis, eadem causa, qua & torpedini: nihil enim refert, breuis, carnosaq; sit, an longa atq; rigidior. Contrā accidit ranis: quod enim latitudo earum parte priore minus carnosā est, ideō Natura quantū corpulentia prior ademerat, tātum posteriori, & caudæ addidit. Piscibus nulla membra dependent, quoniā eorū natura natilis est, ratione suæ substantiæ. Nihil enim su peruacaneū, nihil frustra Natura agit. Sed cum sua substantia sanguinē habeant, & tamen natales, non gresiles sint, pinnulas habent, vt nantes: pedibus carent, vt non pedestres, sed aquatiles. Pedum enim additio utilis ad motū, qui in pedo, hoc est, solo, agatur: vnde & nomen inditū pedibus est. Adhæc, fieri non potest, vt simul & quaternas habeant pinnulas, & pedes, aut aliud eiusmodi membrū, cum sanguinē habeant. Corduli, quanuis branchiis præditi, pedes habent, quoniā penna carent, caudam etiā habent laxā, & latam. Pisces, qui non lati sunt modo raię, aut

Cauda piscium.

Pedes vnde dicti.

Corduli.

pastinacæ, quaternas pinnulas habent, binas parte prona, & binas supina, neq; est qui habeat plures, sanguine enim careret. Binas, quæ parte pro na lateribus geruntur, omnes ferē habent: reliquis, quæ subdita sunt, carent nonnulli ex longis, & corpulentis, vt anguilla, vt conger, & mugilum genus, quod in lacu Sipharum nascitur. Nullæ omnino pinne prælongis, & serpentis speciem referentibus, vt murenæ: sed flexuoso impulsu corporum ita humore vtuntur, vt terra serpentes: modo nanque eodem serpentes nant, quo in sicco repunt. Causa, cur id genus piscium pinnis careat, eadem est, qua serpentes pedibus vacent. Cuius rei causam explicauimus, cum de incessu, & motu animalium ageremus. Aut enim malè mouerentur, aut nullo pacto moueri possent, si quaternas mouendi notas haberent: vix enim mouerentur, siue propinquas inter se haberent, siue remotas, propter longius interuallum. Sed si plures mouendi notas, sanguinis vacua essent. Hæc eadem causa bipennibus quoque piscibus reddenda est. Serpentis enim ea quoque faciem referunt, & sui corporis flexu pro duabus pinnis vtuntur. Vnde fit, vt in sicco & repere possint, & diutius viuere. Itaque alteri non protinus, alteri cum pedestris naturæ familiares sint, minus exanimantur. Qui autem binis tantummodo pinnis natant, eas habent, quæ parti pronæ adhærent, nisi latitudo prohibeat: eaq; iuxta caput positas gerunt, qui habent, quoniam eo loco longitudine careant, qua vice pennarum moueantur: corpus enim eius generis piscium exporrectum in Caudam est. Raia, & similes pro pinnis extrema sui corporis latitudine natant. Squatina, & rana pinnas lateribus accommodatas infra gerunt, propter amplitudinem partis superioris: quæ autem parti supinæ commissæ sunt, eas iuxta caput adiunctas habent: nihil enim latitudo impedit, quo minus moueantur, sed pro superis illis has gerunt minores iis, quæ ad latera applicantur. Torpedo duas iuxta caudam pinnas habet, pro reliquis latitudine vtitur, & vtroq; sui corporis semicirculo, quasi geminis pinnis natat. De partibus capitū, & sensorii anteà dictū est. Piscium autem genus præ cæteris, quæ sanguinem habent, animalibus, propriam sibi branchiarum naturam sortitum est. Cur ita, causam, cum de spiratione ageremus, reddidimus. Quæ autem branchias habent, aut intectas gerūt, aut detectas: vt genus omne cartilagineū. Causa est, quod cartilagine tum branchiæ, tum earum tegmenta constant. Genus autem hoc omne cartilagineam habet spinam. Motus etiam cartilaginei generis lentus, pigerque est, quoniam non spina, aut neruo corroboratur: contrā, genus spinatum celeriter fertur. Tegmentum autem, quod branchias operiat, celeriter moueri oportet, cum branchiarū natura quasi ad spirandi vsum piscibus data sit: quā ob rem in spinatis non modò tegmentum, verum etiam ipsi branchiarū meatus contrahuntur, vt celerius agatur. Habent branchias alii multas, alii paucas, & alii duplices, alii simplices: sed nouissimam simplicem magna

Bipennis (scilicet) extra aquam durat.

Pisciu oris differentia.

Testibus omnia carent, quibus pedes desunt.

magna ex parte. Verum cognitio diligentior ex confectionibus, commentationeq; animalium petenda est. Causa copia, & inopia branchiarum, caloris cordi insiti copia, aut inopia est. In quibus enim plus inest caloris, hæc celerius moueri oportet, & vehementius. Geminae autem branchiæ, atque duplices, talem naturā potius, quā simplices, paucioresque obtinent. Vnde fit, vt nonnulli ex iis, qui branchias habent pauciores, minusque continentes, diu extra aquam viuere possint: vt anguilla, & quicunque serpentis speciem referunt: non enim multum refrigerationis desiderat. Sunt & oris discrimina. Aliis enim os antè, & pronum est: aliis infra parte supina, vt delphinis, & cartilagineo generi. Quam ob rem hæc, nisi conuersa resupinentur, cibum corripere nequeunt: quod Natura non modò salutis gratia cæterorum piscium fecisse videtur, (dum enim sese ista conuertunt, mora intercedit, qua piscis, quem insectantur, euadere possit: nam omnia id genus rapina piscium viuunt) verum etiam ne nimis suam deuorandi auiditatem explerent. Cum enim facilius caperent, breui per immodicam satietatem perirent. Quoniam etiam cum rostrum eorum structura terti, ac tenui sit, facile scindi in oris habitum nō potest. At hæc differentia existit, quod aliis os rescissum, aliis subinde in acutius compressum. Carne vescētibus, rescissum, vt iis, quibus se pestinatim stipat dentiu series: iis enim vires ore cōtinentur. Compressum, & vt modò dixi, coarctatum iis, quæ non carne vescantur. Cutis aliis squamata, (etenim squama præ rigiditate, tenuitateq; desistens, summa corporis occupat) aliis aspera, vt squatina, raia, & reliquis generis eiusdem: aliis leuis, sed paucissimis. Cartilaginea squamis carent, sed aspera cute muniuntur, quoniam spina cartilaginea constant. Terrenā enim portionem Natura inde ad cutem trāstulit, inq; eius asperitatem absumpsit. Testes piscium nullus, nec intus, nec foris habet. Nec serpentes, aut ex iis aliquid, quæ pedibus carent, partem eam habere compertum est: sed eius vice meatū excremento, & generationis vsui accommodatum habent eundem, quem cætera quoque ouipara, eademq; quadrupeda omnia continent, quoniā nec vesicam habent, neque excrementum humidum secernunt. Piscium genus his à cæteris animalibus differentiis discrepat. Delphini, balænæ, & reliquum cetarium genus, branchiis carent, sed fistulam sui pulmonis causa continent, qua humorem, quem in ore acceperint, respuat: nam & humorem admitti necesse est, cum cibum in aqua submersum capiāt, & admissum emitti necesse est. Branchiæ igitur iis, quæ spirant, incommodè habentur. Causam verò, cum de spiratione ageremus, reddidimus. Haud enim fieri po-

test, vt idem & branchias habeat, & spiret. Sed enim iis ad respuendam aquam fistula data est, quæ ante cerebrum sita est, ne postposita id interciperet à spina. Causa verò, cur pulmonē hæc habeant, & spirent, quod maiora animalia plus caloris sibi requirunt, vt possint moueri: quapropter pulmō iis inditus est, plenus caloris sanguinei. Sunt hæc quodam modo & terrestria, & aquatilia: vt enim aerem, terrestrium more, trahunt, sic pedibus vacent, & cibum in humore, modo aquatiliū, capiunt. Vituli etiam marini, & vespertiones, quoniam ambigant, alteri cum aquatilibus, & terrestribus, alteri cum volucris, & pedestribus, ideo participes & vtrunque, & neutrorum sunt. Vituli nanq; marini, si vt aquatiles inspectantur, pedes habent: si vt pedestres, pinnas: quippe qui pedes posteriores pisces admodum habeant, atque etiā dentes omnes serratos, acutisq;que. Vespertiones etiam pedes, vt volucres, habent, sed vt quadrupedes non habent. Cauda etiam tam quadrupedis, quā volucris carent. Nam quia volucres sunt, cauda quadrupedis vacant: quia pedestres, volucris quod iis necessariō accidit: habent enim cuteas pennas. Nullum autem volatile caudam habet, nisi penna scissa volatile sit. Genus enim id caudæ ex penna eiusmodi constat: cauda verò quadrupedis, generi volatili adiuncta, vel impedimēto eius pennis proculdubio esset.

Vespertiones ambigui.

De Struthione Africo, & eius natura, & forma. Cap. XIII.

Struthio etiam Africus eodem modo partim auem, partim quadrupedē refert, quippe qui, non vt quadrupedes, pennas habeat: vt non auis, sublimis non volet, nec pennas ad volandū commodas gerit, sed pilis similes. Item quasi quadrupes sit, pilos habet palpebræ superioris, & glaber capite, & parte colli superiore est. Itaque cilia habet pilosiora: sed quasi auis sit, infra pennis integitur. Bipes etiam, tanquam auis: bisulcus, tanquam quadrupes, est. Non enim digitos habet, sed vngulam bipartitam. Quarum rerum causa est, quod magnitudine non auis, sed quadrupedis est. Magnitudinem enim auium minimam esse, propè dixerim, necesse est: corporis enim molem sublimem moueri nequaquā facile est. Sed de partibus animalium, quam ob causam quæq; sint, dictum iam est per omnia animalium genera: quæ cum explicata sint, sequitur vt de generationibus animalium disseramus.

DE PARTIBVS ANIMALIVM, ET EARVM CAVSIS, LIBRI QVARTI FINIS.

kk

ARISTOTELIS STAGIRITAE DE GENERATIONE Animalium Liber Primus,

Theodoro Gaza Interprete.

Vniuersalis generationis partitio.
Cap. I.



QUOD DE cæteris animalium partibus, tum summam, tum singulatim seorsum de propriis generis cuiusque; dictum iam sit, quemadmodum, & qua de causa vnumquodque esset: eam causam dico, cuius gratia quippiam sit. Ponimus enim causarum genera quatuor numero. Primum, cuius gratia, ut finem. Secundum, substantiæ rationem, quæ quasi vnum quoddam ferè existimanda sunt. Tertium verò, quartumque, materiam, & id, unde principium motus. Sed cum de cæteris dictum iam sit, (ratio enim, & id, cuius gratia, ut finis, idem est: materia verò animalibus partibus sunt totis dissimilares, dissimilariibus similes, istis; ea, quæ elementa corporum appellantur) restat ut de partibus, quæ ad generationem pertinent, differamus, de quibus nihil adhuc definitum est: atque etiam de causa mouente quænam sit. Sed de ea ipsa causa considerare idem quoddam modo est, atque de generatione cuiusque; agere. Quæ ob rem nostra hæc disputatio in idem ea coniecit, cum & partes, quæ ad generationem accommodantur, vltimas disposuisset, & generationis principium ab iis proximum collocasset. Animalium alia per coitum fœminæ & maris gignuntur, scilicet in quibus generibus sexus vterque est. Non enim in omnibus, sed in præditis sanguine, paucis quibusdam exceptis, alterum mas, alterum fœmina perfectum euadit. Exanguium verò quædam marem & fœminam habent, ut sobolem eiusdem generis procreent: alia procreant quidem, sed non sui generis prolem, scilicet quæ non ex coitu animalium prodeunt, sed ex terra putri, aut excrementis. Quod autem in vniuersum dixerim, eorum, quæ locum mutare solent, aut nando, aut volando, aut gradiendo, videlicet prout quodque; actum suo corpore est, nonnulla toto genere suo sexum vtrunque; obtinent, non modo sanguine prædita, verum etiam exanguia quædam. Nam eorum quoque aliis toto genere sexus vterque; est, ut mollibus, ut crustatis: aliis maxima parte, ut generi insectorum. Eorum autem ipsorum, quæ ex coitu cognatorum animalium gignuntur, ipsa quoque sibi cognata progenerant. At verò quæ non ex coitu sed putri materia oriuntur, ea generant quidem,

Causarum genera quatuor.

Sexus discrimina non in omni animalium genere reperiri.

sed genus diuersum: quoddamque; prodiit, nec mas est, neque; fœmina. Talia sunt nonnulla in genere insectorum. Quod iusta euenit ratione: nam si ex coitu eorum, quæ non ex animalibus orta sunt, animalia orirentur, hæc, si eiusdem generis essent, primum quoque; ortum parentum talem esse oporteret. Quod rectè ita censemus, quando sic euenire in cæteris animalibus patet. Sed si dissimilia quidem, sed quæ coire inter se possent, gignerentur, rursus ex iis alia quædam natura procrearetur, & alia ex ea: idque; in infinitum procederet. At Natura infinitum vitare solet. Infinitum enim sine caret: Natura autem semper finem quærit. Quæ autem non gressilia sunt, ut testatum animalium genus, & quæ saxi adherentia viuunt, quoniam natura simili plantis constant, hinc ut in illis, sic in iis mas deest & fœmina: sed similitudine, proportionemque; nomen sexus accipiunt: habent enim parum eiusmodi differentiarum. Quodam enim in stirpium genere, sunt eodem in genere arbores, quæ fructum ferant, & quæ ipsæ quidem non ferant, sed ferentes adiuuant illas ad maturandum: ut inter ficum, & caprificum euevit. Generationis etiam ratio eadem in stirpibus quoque; est, cum alia semine prodeant, alia sponte Naturæ. Oriuntur enim à putrescente vel humo, vel parte aliqua plantæ. Sunt enim quæ ipsa per se nunquam seorsum consistant, sed in aliis, arboribus dico, soleant generari, ut viscum. Sed de stirpibus, siue plantis seorsum opere per se ipsis dicato agendum est.

Principium generationis esse marem, & fœminam. Cap. II.



NUNC DE animalium generatione differendum est, prout cuique; ratio competit, deducenda ex iis, quæ dicta iam sunt. Generationis enim principia, ut retulimus, illa potissimum quis statuerit, marem & fœminam. Marem, ut quod motus, & generationis originem teneat: fœminam, ut quod materiam. Quam rem ita esse potissimum credes, si quemadmodum, vndeque; semen genitale fiat, intellexeris. Ex hoc enim, quæ Natura oriuntur, consistunt, id autem quæadmodum ex mare, ac fœmina prodeat, nequaquam latere oportet. Quod enim ea pars de fœmina, marisque; secretur, & in iis, atque; ex iis hæc secretio fit, ideo mas, & fœmina principium cõferunt generationis. Mare namque; id animal dicimus, quod in alio gignit: fœminam, quod in se ipso. Quæ ob rem in vniuerso quoque; naturam terræ, quasi fœminam, matremque; statuunt:

Alma mater tellus.

Maris & fœminæ discrimen.

tuunt: cælum autem, & solem, & reliqua generis eiusdem, nomine genitoris, patrisque; appellant. Mas autem, & fœmina inter se differunt ratione, quod facultas vtriusque; diuersa est: sensu autem partibus quibusdam discrepant. Rationis discrimen ita exultat, ut mas sit, quod in altero generare potest, ut dictum est: fœmina, quod in se ipso, & ex quo fit, quod generatur, contentum in eo, quod generat. Sed quum facultate, & munere quodam hæc distinguantur, ad omnem autem officii functionem instrumentum opus sit, instrumentaque; facultatibus partes corporis accommodentur, ad procreationem quoque; & coitum partes aliquas esse accommodatas necesse est, easque; inter se diuersas, quibus mas à fœmina differat. Nam etiam de toto animali mas, aut fœmina dicitur, tamen non quavis sui parte, potentiisque; idem mas, aut fœmina est, sed certa quadam virtute, siue potentia, & parte: sicut & vim cernedi, gradiendi; obtinet, ut sensu patet. Partes verò eiusmodi sunt fœminæ, vteri, & vuluæ: maris, testes, & coles, in omnibus sanguine præditis. Eorum enim aliis testes, aliis meatus eiusmodi quidam sunt. In genere etiam exanguis discrimen maris & fœminæ est, quibus hæc sexus contrarietas data est. Differunt forma inter se partes ad coitum delegatæ in sanguineo genere. Sed intelligendum sic est, ut principio vel exiguo immutato, multa ex iis, quæ à principio sunt, immutari soleant. Patet hoc in exectis, quibus parte genitali tantum corrupta, tota ferè forma usque; eò commutatur, ut aut fœminæ esse videantur, aut parum absint, tanquam non qualibet sui corporis parte, aut potentia, animal sit fœmina, aut mas. Cõstat igitur, principium quoddam esse marem, ac fœminam: itaque merito fit, ut multa commutentur, cum animal, quæ fœmina, aut mas est, immutatur, quasi principium dimoueat.

Vtriusque; sexus partes.

Natura infinitum vitare solet.

Seruitur mensura.

Genitalia membra non eadem omnibus esse animalibus. Cap. III.



Testium differentia.

ESTES, & vteri, aut vuluæ, non pari ratione in omnibus sanguine præditis animalibus sunt. Iam enim, ut primum de testibus dicam, alia omnino testibus carent in eo genere, ut pisces, ut serpentes, meatusque; tantum geminos semini genitali præscriptos obtinent: alia habent quidem testes, sed intus lumbis adherentes, quæ renes continentur, meatusque; ab eorum vtroque; foras tendunt, ut in iis, quæ testibus carent, qui in idem cõiungantur, quomodo in illis constitutum est. Ita aues omnes habent, & quadrupedes, quæ oua pariunt, inter eas, quæ aerem accipiunt, pulmonemque; obtinent: his enim omnibus testes lumbis intus adherent, meatusque; gemini ab his similiter, atque serpentibus, tendunt: ut lacerto, testudini, atque omnibus cortice intectis. Quæ autem animal gignunt, omnia testes in aduerso habent, sed nonnulla intus vltima conditos aluo, ut delphinus: nec meatus, sed penem pertendentem habet, ut boues. Alia foris gerunt, quorum alia pendentes, ut homines: alia annexos ad sedem sessiles, ut sues. Sed de his diligentius distinctum est in li-

bris, quos de historia animalium scripsimus. Vteri omnium bipartiti sunt, ut testes gemini omnibus maribus habentur: sed aliis iuxta genitale, ut mulieribus, & omnibus, quæ animal non solum foras, sed etiam intra se generant, & piscibus, qui oua edunt: aliis iuxta septum transfuersum, siue cinctum, ut auibis omnibus, & piscibus, qui animal pariunt. Crustatis etiam vuluæ bifidæ sunt, atque; etiam mollibus. Quæ enim oua eorum vocantur, pro vulua habent membranas, quibus continentur. Sed hoc maxime indiscretum est in polypis, ut simplex esse videatur. Cuius rei causa est, forma corporis, quæ similis vndique; est. Insectis etiam, quibus aliquid magnitudinis, bifidæ sunt: minoribus incertæ, propter corporis exiguitatem. Partes, quas explicandas proposui, ita se habent.

Quam ob causam Natura testiculos animalibus indidit: quæ item animalia citius, et quæ tardius coeant: & quod taurus cum statim à castratione iniisset, impleuerit. Cap. IIII.



DE differentia instrumentorum genitalium, quæ in maribus sunt, qui, quas ob causas sint, cõsideret, accipiat primum necesse est, cuiusnam rei gratia testium constitutio habeatur. Ergo si Natura rem quancunque; facit, aut quia necessaria est, aut quia melius ita est, hoc etiam membrum ob eorum alterutrum esse debet. Sed non necessarium id esse ad generationem patet, Omnibus enim, quæ generant, adiunctum esset, si necessitatis ratio haberetur. Nunc verò nec serpentibus testes sunt, neque; piscibus. Viti sunt enim coire, plenosque; feminis genitalis habere suos meatus. Restat igitur ut melioris cuiuspiam notæ gratia testes habeantur. Sed enim maxime animalium partium nullum ferè aliud est, nisi quod plantarum semen, & fructus. Vtque; in ratione cibi voraciora, auidioraque; sunt, quibus intestinum rectum: sic ea, quæ testibus carent, meatusque; tantum habent, aut non carent, sed intus habent, omnia propensiora, celerioraque; ad Venerem sunt. At verò quæ castiora esse conuenit, iis ut in cibi usu intestino opus est non recto, sic meatus illi reuolutionem, anfractusque; habent, ne libido vehementer crebraque; citetur. Testes autem ad hanc rem emolita natura est. Motum enim excrementi genitalis stabiliorem faciunt in viuiparis, ut equis, cæterisque; eiusmodi, atque etiam hominibus, cum replicationem seruēt. Sed quemadmodum se habeant, petendum ex animalium historiis est. Nullam enim partem meatuum testes complent, sed adiecti pendent eo modo, quo pondera texitrices telis annectunt. His enim detractis meatus intrò se retrahunt. Quo fit, ne exectapossint generare: nam nisi ita retraherentur, possent generare. Et iam taurus quidam, cum statim à castratione iniisset, impleuit, quoniam nondum retracti essent meatus. Auium verò, & quadrupedum ouiparorum testes excrementum recipiunt genitale. Itaque; tardius iis, quam piscibus, semen prodit. Patet hoc in

Propensiora ad venerem.

Testium usus.

in auium genere, cum tēpore coitus testes mul-
tō habeant grandiores, quę certo tēpore coeāt.
At ubi id tempus præterierit, adeo exiguos ha-
bent, vt incertum ferē, an habeāt, sit, cum tamen
eo tempore, quo coeunt, gerant prægrandēs. Ce-
leriūs itaque ea coeunt, quę testes intra se con-
tinent: quę enim extrā habent, non priūs se-
men emittunt, quā retrahant testes.

Quę animalia membrum ad coitum accommoda-
tum obtineant, & quę non. Cap. V.



Instrumentum etiā accommodatum
ad coitum quadrupedes obtinent: ha-
bere enim id possunt. Aues, & quę
pedibus vacant, habere nequeunt:
quoniā alteris crura sub media aluo posita sunt.
alteris nulla sunt crura. Natura autē penis hinc
pendet, & sitū hunc tenet. Et quidem ob eam
rem euenit, vt in coeundo crura contenduntur.
Nam & instrumentū hoc neruo constat, & cru-
rum natura neruosa est. Itaque cum habere id
nequeant, testes quoq; aut nō habere, aut nō eo
loco habere, necesse est. Idem enim situs penis,
& testiu est in iis, quę habent vtrunq;. Quin-
etiā ea, quorū testes sunt extrā, cum penis per
motum calefcit, semen genitale proinde colle-
ctum emittunt: non parato iam semine contret-
tant, vt pisces. Omnibus, quę animal generant,
testes antē habētur, vel intus, vel extrā, præter-
quam herinaceo: hic enim vnus lumbis adhæ-
rentes continet, ob eandem, qua aues, causam.
Coitum enim herinaceorum celeriter fieri ne-
cesse est, cum non more quadrupedum superue-
niant regis, sed erecti cōiungantur propter acu-
leos. Causa, quam ob rem testes habent, quę
membrum hoc obtinent, & cur alia intus, alia
extrā, declaratum iam est.

Quam ob causam nonnulla animalia membro
genitali careant. Cap. VI.



Væ autem carent eo membro, non
quia meliūs sit carere, ideo carent:
sed tantū quia necessariū, vt dictū
est: quoniā celeriter peragatur eorū
coitus necesse est: qualis natura pisciū, & serpen-
tum est. Pisces enim incurrentes attingunt, ab-
soluunturq; ocyssimē. Nam vt in hominum, &
eiusmodi omniū genere, semen genitale spiritu
retento emitti necesse est: sic in piscibus, mari
non in branchiis accepto, emittitur. Facile au-
tem pereunt, nisi id assiduē faciant. Itaq; non
iis semen tātis per concoquendū est, cū coeunt,
vt pedestribus, & viuiparis: sed tēpestatis tēpore
iam concoctum cōtinent vniuersum, ita, vt ne-
dum cōtingunt, conficiant, sed cōcoctum, para-
tūmq; emittant. Quam ob rem testibus carent,
meatusq; simplices, rectosq; habent: qualis par-
ticula quādam circa testes quadrupedū est. Re-
plicationis enim meatus pars altera sanguinea
est, qua recipitur materia feminis: altera exan-
guis, qua factum iam semen transit. Itaq; cum
genitura eo deuenit, celeriter ea quoque absol-
uuntur. At piscibus talis totus meatus est, qualis
in homine: cæterisq; eiusmodi animalibus
pars replicationis altera est. Serpentes cōplexu

Ocyssimē in
coitu absol-
ui pisces.

mutuo coeunt. Carent testibus, & pene, vt di-
ctum iam est. Pene, quia cruribus carent: testi-
bus, propter sui corporis longitudinē. Meatus,
modo piscium, habent. Quod enim eorū natu-
ra porrecta in longum est, si præterea in testes
protraherentur, refrigeraretur genitura, propter
moram longioris itineris. Quod iis quoq; acci-
dit, quibus penis immodicus est, sunt enim in-
fœcundiores iis, quibus mediocris, propterea
quod semen frigidum infœcundum est. Refrige-
ratur autem, quod longē admodum fertur. Sed
quam ob causam animalium alia habent testes,
alia non habent, declaratum iam est.

Quomodo serpentes coeant. Cap. VII.



Coeunt serpentes complexu mutuo,
propter ineptam sui corporis formā
ad applicandum. Cū enim exigua
quādam sui parte coniungantur, ne-
queunt præ nimia prolixitate adaptari. Cūque
membris, quibus amplectantur, careant, pro iis
agilitate corporis vtūtur, cōplexūq; mutuo sese
obuoluentes expediūt Venerē. Vnde fit, vt len-
tiūs absolui, quā pisces, videantur, non solūm
meatum prolixitate, sed etiam ea ipsa, qua v-
tuntur, solertia.

De situ vterorum, aut vuluarum in quibusque
animantibus. Cap. VIII.



E vteris, aut vuluis quemadmodum
se habeant, ambiges: magna est enim
eius partis diuersitas. Nam neq; vi-
uipara omnia habent simili situ. Sed
cum homines, omnēq; genus terrestre infrā ad
genitale habeant, cartilaginea suprā continent
iuxta septum. Neq; ouipara sibi conueniunt, sed
pisces infrā, vt homines, & quadrupedes viuipa-
ræ habent: aues, & quadrupedes ouiparæ suprā.
Attamen ipsi quoq; situs contrarii non sunt à
ratione remoti. Iam enim quę oua pariunt, di-
uersē pariunt. Etenim alia imperfecta emittunt
oua, vt pisces: foris enim piscium oua perficiun-
tur, & augentur. Cuius rei causa est, quod magna
fœcunditas est, idq; munus eorū, vt stirpium est.
Quod si intra se fœtum perficerent, pauciora
necessariō ederent: nunc verō & tot continent,
vt vulua vnum esse ouum in paruis quidem pi-
sciculis videatur: sunt enim hi fœcundissimi, vt
in cæteris quoq; tum plantis, tum animalibus
euenit, quorū natura his proportionetur. In iis
enim magnitudinis incrementū vertitur in se-
minis copiā. Aues, & quadrupedes ouiparæ oua
edunt perfecta: quę vt seruari possint, duro iam
constent putamine oportet: sunt enim, quandiu
increscunt, molliora. Testa autē efficitur calore
externo euaporante humorē. Itaq; calidum esse
locum, in quo id fiat, necesse est. Talis autem lo-
cus septi transuersi est: quippe qui cibum conco-
quendo perficiat. Quod si oua contineri in vul-
ua necesse est, vuluam eorū, quę oua edunt per-
fecta, sitam esse ad septum necesse est: eorum au-
tem, quę imperfecta, infrā. ita enim in promptu
erit. Et sua verō natura vulua propensior ad si-
tum inferiorem, quā ad superiorem, est: nisi
quid aliud opus Naturæ impedit. infrā est enim
exitus eius officium.

Penis i-
maioris
men in-
dum.

Pisces
impedit

Parua
diora
ribus.

Dure
testis
cui

De generatione Viuiparorum, & eius inter eos
differentia. Cap. IX.



Viuipara etiam inter se differunt. Alia
enim non modō foras, verū etiam
intra se animal generāt, vt homines
vt equi, vt canes, deniq; omnia, quę
pilis teguntur: & inter aquatilia delphini, balæ-
næ, & reliqua cetarii generis.

De generatione Cartilagineorum, & viperæ.
Cap. X.



Artilaginea verō, & viperæ, cū in-
tra se oua generent, mox animal fo-
ras pariunt, perfectū generant ouum.
Ita enim ex ouo animal gignitur, ex
imperfecto nullū. Non extrā hæc pariunt oua,
quia natura frigida sunt, non quia calida, vt
quidam volunt.

De generatione mollium animantium.
Cap. XI.



Vte molli insecta generāt oua: quod
enim caloris exigui sunt, vltimū sic-
care natura eorum non potest. Quia
igitur frigida sunt, molle generant:
quia molle, non extrā: periret enim propter suā
mollitiem. Cū autē ex ouo animal gignitur,
eodem, quo in auibus, modo, parte plurima ge-
neratur. Descēdunt oua in inum, efficiunturq;
animalia infrā ad genitale: quomodo in iis fit,
quę iam inde à primo ortu animal generant.
Quam ob rem vulua quoque eorum dissimilis
tum viuiparis, tum ouiparis est, quoniā vtriusq;
consortium generis habent. Nam & suprā ad
septum, & infra porrectam genus omne carti-
lagineum habet. Sed tam de ea, quā de cæteris
vuluarum, aut vteri generibus, quemadmodum
se habeant, per historias, dissectionesque anima-
lium indagandum, percipiendumque est. Itaque
hoc genus & suprā continet vuluam, quia ouiparum
perfectorum ouorum est: & infrā, quia viuiparum
est, atque particeps vtriusque eua-
dit. At verō ea, quę protinus animal generant,
omnia infrā habent: nullo enim naturæ opere
impediuntur, nec partum geminant. Ad hæc, fie-
ri non potest, vt animalia iuxta septum gignan-
tur: fœtum enim pondus, & motum habere ne-
cesse est. Is autem locus, cū vitalis sit, hæc pa-
ti non potest. Difficultatem etiam pariendi ita
accidere necesse est, propter delationē longio-
rem: nam & nunc mulieres si in partu vel osci-
tando, vel aliqua eiusmodi causā retrahunt, dif-
filiū pariunt. Inanes etiam vteri, aut vul-
uæ sursum adiunctæ strangulant. Nec non va-
lidiores esse eas, quę animal contineant, neces-
se est: quam ob rem omnes eæ carnosæ sunt.
Quę autem ad septum iunguntur, membrana
constant: tum etiam in iis ipsis animalibus,
quę geminant partum, planum hoc idem fit:
oua enim suprā, atque ad latus continent, ani-
malia verō parte infera vuluæ gerunt. Sed
quam ob causam situ contrario vuluas non-
nulla animalia habent, & omnino quam ob
rem aliis infrā, aliis suprā ad septum continen-
tur, dictum iam est.

Vuluarū di-
similitudo.

Difficultatis
pariendi cau-
sa.

Quam ob causam vteros intus animalia habeant,
testes verō alia intus, alia extrā.

Cap. XII.



Vt autem vteros, aut vuluas omnia
intus habeant, testes alia extrā, alia
intus, causa est, quod cū vtero con-
tineatur quod gignitur, idq; custodiā
operimentum, & concoctionem desideret, hinc
vteri, aut vuluæ omniū intus sunt. Locus enim
exterior corporis & frigidus est, & offensionī
expositus. Testes aliis intus, aliis extrā, propter-
eā quod iis quoq; operimēto, & velamine opus
est, tum vt seruētur, tum vt semen genitale per-
ficere possint. Haud enim fieri potest vt frigen-
tes, & gelidi possint retrahi, atq; emittere geni-
turam. Quam ob rem quibus testes in propatu-
lo sunt, habent operimētum cuteum, quod scro-
tum vocatur. Sed quibus natura cutis præ sua
duritia obstat, ne mollis, cutea, & ad cōplecten-
dum habilis sit, vt iis, quę aut piscea cute, aut
cortice teguntur, iis intus habeatur necesse est.
Quapropter delphini, & quęcunq; cetarii ge-
neris habent testes, intus continent: atq; etiam
ouiparæ quadrupedes corticati generis. Cutis
etiā auium dura est, vt magnitudini debitæ in-
habilis sit ad cōprehendendum. Causam his om-
nibus designari necesse est, vnā cū iis, quę an-
teā diximus, ex iis, quę per initum, & rem Ve-
neream accidunt. Hæc eadem causa est, vt & ele-
phantus, ac herinaceus testes habeant intus: cu-
tis enim iis quoque inepta ad habendam parti-
culam, quę operiat. Situs etiam vterorū contra-
rius in iis, quę animal intra se generant, ad ea,
quę oua edunt: atq; etiam eius ouipari generis
in iis, quę vterū infrā habent ad ea, quę suprā
ad septum: verbi gratia, piscibus ad aues, quadru-
pedesq; ouiparas, atque etiam iis, quę modo
vtroque generant, vt oua intra se pariant, ani-
mal edant in lucem. Quę enim intra se, & fo-
ris animal generant, vterum habent in aluo: vt
homo, bos, canis, & reliqua generis eiusdem.
Nam ad fœtum tum salutem, tum incrementū,
expedit nihil ponderis insidere vteris.

Cur testes a-
liis intus, a-
liis extrā.

Scrotum.

Vterorū si-
tus diuersus.

Meatus excrementi siccī, & humidī, in omnibus
animalibus esse diuersos. Cap. XIII.



Eatus etiā diuersus iis omnibus est,
quo excrementum siccum, & quo hu-
midum exit. Quā ob rem omnia id
genus, tam fœminæ, quā mares, ge-
nitale habent, quo excrementum siccum, & quo
humidum secernatur, quōq; maribus genitura,
fœminis partus emittatur. Parte priore, superio-
rēq; meatus is cōtinetur. Quę autē pariūt qui-
dem oua, sed imperfecta, vt pisces ouipari, iis
non sub aluo, sed lumbis adhærens vulua conti-
netur. Nec enim incrementū oui impedimen-
to est, quoniā inchoatum prodiens ouum foris
perficitur: & meatus idem excrementarius ali-
menti siccī, & intus est omnibus, quę genitali
carēt: ouiparis etiā iis, quę habēt vesicā, vt testu-
dinibus. Generationis enim causa, nō excremē-
ti emittendi, duplex meatus est: sed quia semi-
nis natura humida est, ideo meatus idem cōmu-
nis

10

20

30

40

50

60

nis cum excremento humidi alimenti habetur. Constat hoc ita esse eò, quòd cum genitale semen omnia animalia ferant, excrementum tamen humidum illud non omnia reddunt: sed cum & maris seminales meatus, & foeminae vterum firmari, nec oberrare oporteat, idque aut in partu priore corporis, aut in posteriore ad prona effici necesse sit, idcirco viuiparis propter foetum vterus in parte priore positus est, ouiparis ad lumbos, & prona. Quae autem animal edunt in lu-
 cem, cum intra se ova generarint, iis situs vterque, quonia vtrunq; referunt genus: & eadem tum viuipara, tum ouipara sunt. Partem enim vulvae superiorem, in qua ova gignuntur, sub septo ad lumbos, & prona habent, inferiorem ad aluum: hac enim iam procreant animal. Meatus idem iis quoq; sicci alimenti, & coitus est. Nul-
 li enim ex iis genitale pendet, vt antea dictum est. Meatus etiam genitales marium, tum eorum, quorum proprii sunt, tum vero eorum, qui testes habent, simili modo, atq; vulvae ouiparorum, habentur. Omnibus enim ad prona, & spinæ locum adherent. Non enim vagari, sed stabiles esse oportet: talis autem locus posterior est: is enim est, qui continentiam præbeat, & stabilitatem. Quibus itaq; testes intus continentur, iis protinus cum meatibus firmantur. Nec secus iis est, quibus extra tum eodem deueniunt, scilicet in locum genitalis, communiq; excipiuntur meatu. Similis & delphino meatuum modus est, sed testes sub aluo occulti. Sed quemnam situm partes ad generationem accommodatæ, & quas ob causas tenuerint in his generibus, dictum iam est.

Crustacea, mollia, testacea, & insecta animalia, tum inter se, tum cum sanguineis in generatione differre. Cap. XIIII.

CAeteris, quæ sanguine vacat, animalibus, non idem membrorum ad generationem pertinentium modus: sed tum inter se ipsa, tum etiam cum sanguineis dissident. Sunt hæc reliqua genera quatuor numero: vnum crustatum, secundum molle, tertium insectum, quartum testatum. An quarti generis vlla coeant, incertum est: plurima tamen non coire apertum est. Quemadmodum consistant, postea dicemus. Crustata coeunt modo eorum, quæ in auersum mingunt, cum alterum supinum, alterum primum applicauerint caudas. Etenim ne parte supina superueniant, pronam impediunt caudæ præ suarum pinnarum proluxa appendice. Habent in hoc genere mares tenues genitales meatus: foeminae vulvas membranas ad intestinum fissas, hinc atq; inde, in quibus gignitur ouum.

De coitu, et generatione mollium animalium. Cap. XV.

Mollia ore coeunt, renixu, complexuq; mutuo brachiorum. Sic enim coniungi necesse est, quonia Natura exitum excrementi in os inflectendo adduxerit, vt antea dictum est, cum de partibus ageremus. Habere foeminas omnes in hoc genere membrum vuluale, apertum est. Continent enim ouum primo indiscretum, mox discretum in plu-

ra, & pariunt omnia imperfecta, modo ouiparorum piscium. Meatus ille interior idem excrementi, & vulvae est, tum in iis, tum etiam in crustatis. Est enim quæ semen genitale per meatum emittant, idq; parte corporis supina, qua putamen distat, & mare illabitur, faciunt. Quam ob rem ea parte mas cum foemina copulatur. Nam si mas, siue semen, siue membrum, aut aliquam virtutem, siue vim aliam mittat, admoueri ad meatum vuluale necesse est. Crinis vero insertio maris polypi per fistulam, qua piscatores crine coire polypos aiunt, complexus gratia fit, non quasi instrumentum id sit vtile ad generationem: etenim extra meatum, corpusq; est. Interdum tergis quoque mollia copulantur: sed generationis gratia, an alia causa, nondum exploratum habetur.

De coitu, & generatione insectorum.

Cap. XVI.

Insectorum aliqua coeunt, atque ex animalibus eiusdem generis oriuntur, modo eorum, quibus est sanguis: vt locustæ, cicadæ, phalangia, vesperæ, formicæ: aliqua coeunt quidem, & generant, sed non sui generis animal, sed vermiculos tantum, neq; ex animalibus procreantur, sed ex putrescente humido aut sicco: vt pulices, muscæ, scarabei. Quædam nec ex animalibus nascuntur, neq; coeunt: vt culices, & vermiculi, & plura eiusmodi genera. Inter ea vero, quæ coeunt, foemina maxima ex parte maiores maribus sunt: nec meatus vlli seminales in maribus esse videtur. Nullum, parte plurima dixerim, membrum foeminae à mare inseritur, sed mari à foemina sursum de parte inferiore: quod conspectum in pluribus est. Nec de superuentu ambigitur: sed contra, vt mas foeminae inferat, visum in paucis est. Neq; adhuc ita exploratum habetur, vt genere possimus distinguere. Hoc idem ferè in piscibus quoq; ouiparis maxima ex parte, & in quadrupedibus ouiparis est, vt foeminae maiores sint maribus: quoniam id commodum est ad veterum magna ouorum copia extumescentem. Foeminis in eo genere membrum, quod pro vulua habetur, fissum iuxta intestinum, vt cæteris, positum est, in quo foetus generatur. Patet hoc in locustis, & reliquis, quorum magnitudo aliqua sit, & natura coitum recipiat. Maxima enim pars generis insecti per exigua est. Instrumenta generationi accommodata, de quibus non antea disseruimus, ita se habent. Similium partium semen genitale, & lac reliquimus, de quibus nunc opportunè dicemus: & primum de semine, post in sequentibus de lacte.

Quæ animalia semen emittant, quæ non: & quorundam opinio, qui semen ex vnaquaque corporis parte prouenire affirmant.

Cap. XVII.

Semen alia apertè emittunt, vt ea, quæ sunt natura sanguinea: alia, id est, insecta, & mollia, emittant necne, incertum est. Itaq; considerandum hoc est, vtum mares omnes semen emittant, an non omnes: & si non omnes, cur alii emittant, alii non.

Tum

Tum etiam, vtum foeminae semen aliquod conferant ad procreationem, an non: & si non semen, vtum nec aliud quicquam adhibeant: an quanuis non semen, tamen aliquid conferant. Ad hæc, quidnam conducant ea, quæ semen emittunt suo semine ad generationem, quarendum est: atq; omnino quæ natura sit seminis, & eorum, quæ menstrua vocantur, scilicet: in iis animalibus, quæ id humoris genus emittunt. Omnia ex semine gigni, semen autem ipsum proficisci à generantibus videtur. Quæ ob rem eiusdem studii est questio, vtum ambo, mas, & foemina emittant, an alter tantum: & vtum ex toto corpore secernitur, an non ex toto. Nam si non ex toto, nec ex ambobus quidè parentibus prodire probabile est. Quapropter primum de hoc, quemadmodum se habeat, inquirendum est. Sunt enim qui dicant id ex toto corpore prouenire. Quibus autem argumentis probent, vt semen ex vnaquaque corporis parte secernatur, quatuor ferè numero sunt. Primum, vehementia voluptatis, magis enim suaue est, quod idem amplioris sit affectus: amplius autem est, quod omnibus membris, quam quod paucis accidat. Secundum, quod ex mancis manca procreentur. Semen enim ab ea, quæ deest, parte proficisci negat. Vnde autem non accesserit, id ne procreetur, accidit. Tertium, similitudo parentum: similes enim gignuntur, vt toto corpore toti, sic particulatim singulis partibus. Quod si causa est, vt totum simile sit, quod ex tali toto semen genitale prodierit, partibus quoq; causa similitudinis erit, quod ex vnaquaque parte aliquid venerit. Quartum, quod ratio esse videtur, vt quemadmodum totius aliquid est, ex quo primum generetur, sic partis quoq; cuiusq; sit semen aliquod proprium. Fidem etiam illa faciunt huic opinioni verisimile: non solum enim rebus naturæ insitis, & natiuis, liberi similes parentibus peodeunt, sed etiam aduentitias, atque externas præsentant. Iam enim cum parentes cætrices haberent, filii quidam parte eadem sui corporis idem habuerunt. Et Chalcedone, cum pater brachio esset compuncto, filius idem retulit, confusa tamen nota, minusque explanata. His ferè rationibus quidam potissimum crediderunt, semen à toto corpore proficisci.

Improbatio in eos, qui dicunt semen ex omnibus corporis partibus prouenire, semenq; esse excrementum. Cap. XVIII.

Ed cum scrutamur, & diligentius rem discutimus, contra potius esse videtur. Nec supra dicta quatuor illa solvere difficile est, & quædam alia sequuntur impossibilia ex ea ipsa opinione. Primum igitur, similitudo nullum indicium affert, vt semen genitale ex toto corpore secedat: quandoquidem & voce, & vnguibus, & pilis, & motu similes procreantur, ex quibus nihil proueniat. Nonnulla etiam nondum habent, cum generant, vt canos, aut barbam. Maioribus item suis plerunq; similes sunt, ex quibus nihil secessit. Redditur enim post plura genera similitudo: vt in Helide, quæ cum Aethiope concubuerat, non si

Vtrum ex toto corpore semen excreatur.

In ois generibus maribus

liam forma Aethiops peperit, sed natus ex filia erat Aethiops. In stirpibus etiam eadem ratio est: nam si hoc ita esset, in iis quoq; ab omnibus partibus semen proculdubio proficisceretur. At pleraq; partes, aut illæ non habent, aut quisq; abscindere potest, aut postgenitas habent. Quinetiam ex fructibus nihil secedit, & tamen ii quoq; forma eadem proueniunt. Ad hæc, vtum ex vnaquaque simili parte tantum prodit, verbi gratia, carne, osse, neruo: an etiam ex dissimilaribus, vt facie, & manu. Nam si ex illis tantum, similes autem parentibus sunt, partium potius dissimilium forma, vt faciei, manuum, pedum, quidnam obstat, ne illæ quoq; similes sint secessu ex toto? Sed alia causa, quando nec in ipsis quidem similitudo propterea sit, quia ex toto corpore semen genitale secesserit. Sed si ex dissimilaribus tantum, ergo non ex toto, & partibus omnibus. At ex similaribus magis conueniat: sunt enim priores, & dissimilares ex similaribus constant. Et vt facie, ac manibus similes procreantur, sic & carne, & vnguibus. At vero si ex vtriusq; quifnã modus sit generationis? Constant enim partes dissimilares ex similaribus. Itaque quod ex iis secedit, ex illis quoq; secesserit, atq; ex ipsa compositione perinde, quasi à nomine scripto, quippiã proficiscatur, si à toto, vel à quauis syllaba proficiscitur. Quod si à syllabis, ab elementis, compositioneq; prodierit. Itaq; si ex igne, & reliquis eiusmodi, carnes, ossa constant, ex elementis potius fuerint, nam ex compositione quonam pacto possint? Atqui sine ea simile esse nihil poterit. Quod si quid eam potest creat, id causa similitudinis fuerit, non secessio ex toto. Item si partes distractæ in semine sint, quonam pacto viuat? Sed si coniunctæ, partium quoddam animal fuerit. Genitales etiam partes quonam pacto consistant? Non enim simile est, quod à mare & foemina secedit. Item si vtriusq; semen equè ex toto venit, duo animalia generabuntur: vtrunq; enim omnia habebit. Quam ob rem Empedocles maximè (si ita dicendum est) consentanea huic rationi scripsisse videtur hoc quidem loco: nam si alibi diuersa, non bene. Dicit enim, maris, ac foeminae quasi symbolum esse, totum vero à neutro proficisci: Sed discerpta gerunt mas ipse, & foemina membra. Cum enim foemina non ex se ipsa generet, si quidem semen ex toto secedit, & conceptaculum obtinet? Sed, vt videtur, aut non ex toto secedit, aut ita, vt ille ait, non ex vtroq; eadem secedunt: quapropter alterum alterius coitum desiderat. Sed impossibile illud quoque occurrit: nec enim maiora possunt distracta seruari, animataque esse: quomodo Empedocles generat amore, cum dicit: Multaq; ponuntur capita absq; sua ceruice. mox enim coalescere, coagmentariq; ait. Quod fieri non posse, apertum est, quando nec anima, vitæq; omni vacua seruari possent, neq; veluti plura animalia coalescere in vno. Et iis, qui ex toto secedere aiunt, accidit, vt eodem modo quo ille, dicat. Nam vt tum amore in terra, sic iis in corpore agitur. Non enim fieri potest, vt partes coniungantur, commeandq; eodem deueniant.

Vtrum ex similaribus tantum, an etiam ex dissimilaribus semen secedat.

Crustatorum coitus.

Tum

Partium dif-
ferentia in
quibus.

Tum etiam quonam pacto dirimantur superiora, inferiora, dextra, sinistra, priora, posteriora? Hæc enim omnia carent ratione. Item cum partium aliarum facultate, aliarum affectionibus distinguantur, videlicet dissimilares eò, quòd efficere aliquid possint, ut lingua, ut manus: similes duritia, mollitia, & reliquis eiusmodi affectionibus, (nò enim utcumque se habet, sanguis est, aut caro) constat ob eam rem fieri non posse, ut quod secesserit, uniuocum sit cum partibus corporis: **verbi gratia, ut sanguis à sanguine, caro à carne proueniat.** At si ex diuerso quodam sanguis fiat, nò ea causa similitudinis fuerit, quòd ex omnibus partibus decesserit: ut aiunt, qui ita opinantur. Satis est enim ex vna tantum secedere, quandoquidè non sanguis ex sanguine gignitur. Cur enim non omnia vel ex vno gignantur? Hæc enim sententia eadem esse videtur, atque illa Anaxagoræ, ut nullum simile gignatur: nisi quòd ille commune id de omnibus asserit, hi verò generationi tantum animalium tribuunt. Adhæc, quonam pacto ista augeantur, cum ex toto secesserint? Anaxagoras enim probè ait, carnes ex alimento carni accedere: sed iis, qui eadem non dicunt, & tamen secedere ex toto pronuntiant, quonam pacto alio accedente magis quicquam efficietur, si quod accesserit, maneat? At si mutari, quòd accesserit, potest, cur non iam inde ab initio semen sit tale, ut gigni ex eo possit sanguis, & caro, nò ipsum sit sanguis, & caro? Nec verò dici potest, temperatione post augeri perinde, ut vinum aqua adiecta. Ita enim principio maximè syncerum, meracumque; esset unumquodque. Nunc verò & caro, & os, & quæuis alia pars, quòd dicitur, id postmodum magis est. Seminis autem partem aliquam dici neruum esse, aut os, longè plus est, quam ut noster sensus assequi possit. Adhæc, si foemina, & mas differunt inter se vteri ratione, ut Empedocles ait: Funditur in puris mas, foemina frigore misto: mutari videmus tam viros, quam mulieres, ut quemadmodum ex infœcundis fœcundi, sic ex habilibus foemina procreandæ, ad maris procreationem propensi euadant, quasi non sit causa in secedendo ex toto, necne, sed in moderatione, immoderatione eius, quòd ex muliere, viroque; secedat, aut ob aliquam eiusmodi causam. Si hoc, inquam, ita esse ponamus, constat non propterea esse foeminam, quia ex quodam secesserit. Itaque nec partem quidem, quam propriam habet mas, aut foemina, in secessu consistere. Siquidem semen idem & mas effici potest, & foemina, tanquam non alterutra pars in semine sit. Quid igitur referat, de hac parte ita dicatur, an de cæteris? Nam si semen ab utero nò prouenit: eadè cæteris quoque partibus ratio seruanda est. Item nonnulla animalia oriuntur ex nullis, vel eiusdem, vel diuersi generis animalibus: ut muscæ, & genera papilionum, ex quibus gignantur quidem animalia, sed non similis naturæ, sed genus quoddam vermiculi. Patet igitur, non semine, quòd ex cunctis partibus secesserit; generari quæcumque diuersi generis sunt: nam similia essent. Siquidè similitudo indicio esset, quòd ex cunctis seces-

serit. Quædam etiam animalia vno coitu pluram generant: plantas verò omnino motu eodè, omnem annum fructum afferre certum, est. Quòd fieri non posset, si ex cunctis partibus semen secerneretur. Singulas enim è singulis vel coitibus, vel secessibus, fieri secretiones necesse est: nec verò fieri potest, ut in utero diuidatur: iam enim tanquam à plâta nouella, aut animali nuper edito, non semine separaretur. Item quæ auulsione feruntur, semen afferunt. Ergo & prius, quam auulsa fererentur, ex eadem sui magnitudine fructificasse, non ex tota planta destructum semen tulisse certum est. Omnium verò maximum argumentum in genere insectorum animaduertimus satis, quòd etsi non omnium, tamen plurimorum foemina per coitum particulam quandam suam inserit in marem. Et quidem coitum ita agunt: quòd antea dictum est. Subiecta enim in supera indere visuntur, quanquam non omnia, sed plurima ex iis, quæ explorata habemus. Itaque in iis etiam maribus, qui semen emittunt, non causa generationis est, quòd ex toto secesserit, sed alio quodam modo, de quo postea videbimus. Nam si causa esset secessus, ut putant, non ex cunctis secedere partibus censendum esset, sed ab agente, creatricèque; tantum virtute, velut à fabro, non à materia. Sed hi simile aiunt, ut si vel à calceis proficisci dicant. Filius enim, qui patri similis est, simili ferè cultu corporis vitur. Causa autè ut voluptas rei Veneræ vehementior sit, non quòd ex toto secesserit, est, sed quia prurigo vehemens accidit. Quæ ob rem si quis frequenter ea re vitur, minus afficitur voluptate. Item voluptas Veneris in fine coitus potissimum est: at si ex toto secerneretur, non simul, sed singulis partibus, aliis prius, aliis post exultaret. Causa verò, quam ob rem ex mancis manca proueniunt, eadè est, & cur filii similes parentibus prodeunt. Sed nò manca etià ex mancis gignantur, ut & dissimiles suis parentibus: quorum causam postea considerabimus. eadem enim quæstio est. Item si semen nò à foemina emittitur, eadè ratione profectò, nec ex toto secedere probari potest. Et si non ex toto secedit, nihil rationi repugnat, si à foemina quoque; non secedere, sed alio quodam modo causam generationis præstari à foemina statuamus. Quæ de re ut differamus, proximum est, cum semen non ex cunctis secerne partibus apertum iam sit. Initium verò tum eius ipsius propositi, tum etià sequentis totius disputationis, ut primum de semine quidnam sit, accipiamus. Ita enim & officia ipsa, & quæ officiis accidunt, facilius considerare poterimus. Tale autè sua natura semen esse requirit, ut ex eo primo orientur ea, quæ secundum Naturam constituuntur: non quòd ex illo (verbi gratia) homine aliquid sit, quòd agat. Fit enim aliquid ex hoc, quia semen eius est. Sed cum multifarià aliud ex alio fiat, alio enim modo, cum ex die noctem fieri dicimus, aut ex puero virum, quoniam hoc post hoc: alio cum ex ære statuam, aut ex ligno lectum, & quæcumque ex materia fieri dicimus, ut ex aliquo, quòd insit, & formetur, totum sit: alio cum ex musico immusicum

musicum, aut ex sano ægrum, & omnino contrarium ex contrario. Præterea, ut Epicharmus facit suam exaggerationem, ex calumniis maledicta, ex maledictis pugna. Quæ omnia eò referuntur, vnde principium motus. Quale id quoque; quòd modò diximus est. Pars enim quædam totius discordiæ calumnia est: sed aliquorum extra, quòd mouerit, est: ut ars extra suum opus est, & lucerna extra domus incendium. Cum itaque; tot modis aliud ex alio fiat, semè in altero de duobus his esse, apertum est. Aut enim ex eo ut materia, aut ut ex primo, quòd mouerit, est quòd gignitur. Non enim ut hoc post hoc, quomodo ex Panathenæis nauigatio, neque; ut ex contrario contrarium. Gignitur enim contrarium ex contrario, quòd corrumpitur: & aliud quippiam subiici oportet, ex quo primo in manente sit. Igitur in utronam de duobus illis constituendum sit semen, considerandum est: utrum ut materia & patiens, an ut forma & agens, an etiam ut utrumque. Vnà enim cum iis fortasse declarabitur, & quonam pacto ex contrariis generatio sit omnibus iis, quæ ex semine oriuntur. Nam ea quoque; generatio, quæ ex contrariis fit, naturalis est. Alia enim ex contrariis oriuntur, mare dico, & foemina: alia ex vno tantum, ut plantæ omnes, & animalium nonnulla, in quibus non distinctus, seorsumque constitutus est sexus maris & foemina. Genitura igitur id vocatur, quòd à genere proueniens causa est, quæ prima obtineat principium generationis: videlicet in iis, quæ coire Natura voluit. Semen autè est, quòd ex ambobus coeuntibus illis originem trahit: quale semen plantarum omnium est, & animalium nonnullorum, in quibus sexus distinctus non est: velut id, quòd ex mare ac foemina primò miscetur, quasi conceptus promiscuus quidam, aut animal. Hæc enim iam habet, quòd ex ambobus requiritur. Semen, & fructus inter se differunt, prioris, posteriorisque; ratione: fructus enim, quòd ex alio est: semen, ex quo aliud: nam aliàs ambo idem sunt. Natura autem prima eius, quòd semè vocatur, quænam sit, exponenda latius est. Quòd cumque; in corpore accipimus, aut partem esse secundum naturam, vel dissimilarem, vel similem, necesse est: aut præter naturam, ut vel papulam, vel excrementum, vel colliquamentum, vel alimentum. Excrementum appello reliquias alimenti: colliquamentum, quòd ex incremento secerne resolutione præter naturam: sed nullam id esse partem vel similem, vel dissimilarem, apertum est. Nihil enim ex eo, quantum simulari, constituitur, ut ex neruo, aut carne. Quoniam etià cum cæteræ omnes partes separatæ sint, ipsum separatum non est. Nec verò præter naturam est, neque Naturæ oblatæ vitium, cum in omnibus insit, & natura ex eo ipso oriatur: alimentum planè res aduentitia est. Itaque aut colliquamentum, aut excrementum esse, necesse est. Veteres quidem auctores opinari videntur id esse colliquamentum. Quòd enim ex toto secedere propter motus calorem dicunt, vim habet colliquamenti. Colliquamenta autem præter naturam sunt, nec quicquam secundum naturam oriri potest ex iis, quæ præter naturam sunt. Excrementum igitur esse, necesse est. At omne excrementum, aut alimenti inutilis est, aut vtilis. Inutile dico, à quo nihil præterea naturæ

Semen patiens ne an agens.

Genitura quid.

Fructus & seminis differunt.

Excrementum & colliquamentum quid.

Semine

Multi aliud ex illo fieri.

suppeditetur, sed quò plus absumitur, eò magis natura vitatur: vtile contra. Sedenim non tale excrementum id esse constat, eò quòd iis, qui vel ætate, vel morbo pessimè se habet, genus hoc excrementi plurimum inest, semen minimè. Aut enim nullum omnino, aut non prolificum, propter inutilem, ac morbidi excrementi permissionem. Ergo vtilis excrementi pars aliqua semen est. Vtilissimum autem, quòd vltimum est, & ex quo iam unumquodque gignitur membrum, est enim tum prius, tum posterius. Primi igitur alimenti excrementum pituita est, & si quid aliud eiusmodi est. Pituita enim alimenti vtilis excrementum est. Cuius rei indicium, quòd permixtum cum cibo puro alere potest, & labore absumitur. Vltimum autem paruū admodum ex plurimo relinquitur alimentò, sed intelligendum per exiguo augeri quotidie animalia, & plâtas: nam nisi ita esset, additione pluris eadem vel minima modum excederent magnitudinis. Igitur contra, quàm veteres putarunt, dicendum est. Cum enim illi quòd ex toto secedat, semen esse fateantur, nos quòd ad totum suapte natura faciat, semen esse fatebimur: cumque illi colliquamentum dicant, nos excrementum potius esse statuimus. Quòd enim vltimum accedat, & excrementum vltimi sit, id simile esse probabilius est. Perinde ut pictoribus sepe numero aliquid andriceli, id est, purpuris remanet, simile eius, quòd consumpserint: tabescens autem quodque, & colliquefcens corrumpitur, & degenerat. Argumentum, non colliquamentum, sed excrementum potius esse, illud est, quòd animalia magni incrementi minùs fœcunda, parua fœcundissima sunt. Plus enim colliquamenti esse in magnis, necesse est, sed minus excrementi: quippe cum in corpus magnum copia absumitur alimenti: itaque parum fit excrementi. Item locus secundum naturam nullus colliquamento datus est, sed fluit quoque; facilius ferri potest: at naturalibus excrementis omnibus locus præscriptus est: verbi gratia, alimenti sicci excrementis alius, humidis vesica, vtilis vetriculus, seminalis vterus, genitale, mamma. In ea enim loca se colligunt, atque confluunt. Testimonium etiam faciunt ea, quæ eueniunt, ut semen, quòd diximus, id sit: quæ ideo accidunt, quia talis excrementi natura est. Dissolutio enim, & imbecillitas manifesta consequitur, vbi vel minimum id secesserit, ut quasi corpus eo sine priuatur, qui deum ab alimento afferatur. Pauci verò quidam, & breui tempore per ætatem leuantur, cum id secedit: videlicet vbi copia superarit. Quomodo alimentum primum, si, vbi modum excefferit, emittitur, melius corpori cedit. Leuat etiam cum secum alia trahit excrementa. Non enim solum semen est, quòd exit, sed etiam aliarum permixtarum facultates cum eo secedunt, quæ insalubres sunt. Quam ob rem nonnullis improle aliquando est, quòd emittitur, quia parum seminis habet. Sedenim plurimis & magna ex parte ita accidit, ut Venere exoluantur, debilitenturque, ob eam, quam diximus, causam. Adhæc, semen nec in prima ætate, neque in senectute, neque in morbis est. Carent hoc ægri propter imbecillitatem: senes, quia non satis eorum natura potest concoquere: pueri, propter incrementum. Absumitur enim totum alimentum in corporis de-

Pituita quale excrementum.

Venerem consequi imbecillitatem.

Semine carentes.

Hominis corpus futuræ magnitudinis dimidiū capere primo quinquennio.

fiderium prius, quàm aliquid excrementi remaneat. Quinquennio nanque ferè corpus in homine quidem dimidium capere videtur omnis magnitudinis, quæ reliquo toto tempore comparetur. Multis autem & animalibus, & plantis euenit differentia in iis ipsis, tum generi cum genere, tum etiam in eodem genere confortibus speciei inter se, vt homini cum homine, & viti cum vite. Alia enim multum feminis edunt, alia parum, alia nihil omnino: idque non præ imbecillitate, sed contrà nonnullis euenit. Absumitur enim in corpus, vt hominum nonnullis, qui vbi per habitum corporis bonum carnulenti, aut pinguiore euaserint, minus semen emittunt, minúsque rem Veneream expetunt. Similis & vitibus affectio incidit, quæ nimia alimentum copia luxuriant, & hircire tantisper dicuntur: nam & hirci pinguescentes minus feminis habent. Quam ob rem eos solent antè extenuare. Et vites hircire ab ea ipsa hircorum affectione dixerunt. Viri etiam, mulierisque pingues minus fecundæ esse, quàm non pingues videntur: quoniã in vegetioribus excrementum concoctum transit in pingue: nam & pinguedo excrementum est bonitate substantiæ salubre. Sunt quæ nullum afferant semen, vt salix, vt populus. Itaque aliæ quoque eius affectionis causæ reddi possunt. Nam & per imbecillitatem nõ concoquunt, & per virium bonitatem absument, vt dictum est. Simili modo fecundissima quoque, & fertilissima sunt, alia propter vires, alia propter imbecillitatem. Multum enim, atq; inutile excrementum permiscetur, vt vel morbi nonnullis contrahantur, cum non bene purgatio ceciderit, & alii euadunt, alii obeunt mortem. Tabescunt enim eo modo, quo per vrinæ profluuium: nam id quoque vitium iam aliquibus accidisse certum est. Item meatus idem excrementi & feminis est: quibusque excrementum amborum tam sicci, quàm humidi alimentum, iis quò humidi, eodem feminis quoque secretio agitur: humidi enim excrementum est. Nanque omnium alimentum humidum potius est. At verò quibus hoc deest, iis ea parte, qua cibi sicci sedimentum tendit, semen quoque secernitur. Adde etiam quòd colliquatio, & tabes semper morbosa est: excrementi emissio semper utilis est: feminis secessio in ancipiti versatur, quoniã aliquid alimentum inutitil assumit. At si colliquatio esset, semper noceret: quod non facit. Semen igitur excrementum esse alimentum utilis, atque vltimi, siue omnia semen emittunt, siue non. In iis tamen quæ emittunt, ita esse apertum iam est.

Hircire vites.

Morbi ex reento feminæ.

Menstrua esse excrementa, omniaque sanguinea ea ipsa emittere. Cap. XIX.



ost hæc, cuiusnam alimentum sit excrementum, & de mensuris differendum est. Fiunt enim in nonnullis viuiparis menstrua: nam his declaratis apertum erit, & vtrum femina semen emittat, vt mas, fiatq; vnum ex ambobus feminibus mistum, an nullum semen à femina secernatur: & si nullum, vtrum aliud quippiam non conferat femina ad generationem, sed locum tantummodo præbeat: an aliquid conferat, idque quonam pacto, & quomodo. Sedenim

sanguinem esse vltimum alimentum in sanguinario genere animalium, proportionale autem in exanguis, dictum antea est. Verum cum semen quoque excrementum sit alimentum, eiusque vltimi, aut sanguis, proportionalis est, aut ex iis aliquid. Sed cum ex sanguine concocto, digestoque modo quodam pars quæque gignatur, semen autem concoctum diuersum à sanguine secernatur, (nam in concoctum, aut per vim emissum, videlicet cum vltra modum quis re Venerea vitur, cruentum iam aliquibus prodiit) constat semen esse excrementum alimentum sanguinei, quod vltimum in membra digeritur. Et quidem vim magnam ob eam rem obtinet. Sanguinis enim synceri, salubrisque secessio resolvere potest. Vtque filii similes parentibus sint, ratio exigit. Simile est enim quod ad partes accesserit, ei, quod remanet. Itaque semen manus aut faciei, aut totius animalis est manus indefinita, aut facies, aut animal totum indefinitum. Et quale quodcumque illorum est actu, tale semen potentia est, aut corpulentia sua, aut facultate, siue virtute, quam in se ipso contineat. Id enim nondum ex iis, quæ exposuimus, patet, vtrum feminis corpus causa sit generationis, an habitum aliquem, & principium motus genitale obtineat. Neque enim manus, neque aliud quoduis membrum, sine anima, aut alia facultate est manus, aut quodlibet membrum, sed æquiuocè tantum. Constat etiam, colliquationem quoque seminariam, vbi accidit, excrementum esse. Quod vitium euenit, cum resoluitur in quod accesserit: quomodo cum protinus decidit, quod tectorii operis modo illitum fuerit. Idem enim vltimum excrementum cum primo excremento est. Atque de his ad hunc modum differuisse satis sit. Sed cum infirmioris plus excrementi, minúsque concoctum fieri, idque copiam cruenti humoris esse necesse sit, infirmius autem secundum naturam est, quod minus caloris adipiscitur, talisque femina sit, vt antea dictum est, hinc secretionem quoque illam sanguineam feminæ excrementum esse necesse est. Talis autem eiectio est eorum, quæ menstrua appellatur. Menstrua igitur excrementum esse, & proportionem, vt maribus genituram, sic feminis menstrua prouenire, apertum est. Rectè autem ita dici indicant ea, quæ in iis ipsis eueniunt, eadem enim ætate maribus genitura fieri incipit, & secerni: feminis autem menstrua erumpunt: vox etiã mutatur, & mamma intumescunt. Necnon desinente ætate aboletur maribus generandi facultas: feminis menstruorum confluuium. Adhæc, indicium illa faciunt, vt excrementum sit hæc secretio feminarum, quòd non mariscæ, non profluuium è naribus sanguinis, non varices, non tale quid mulieribus magna ex parte accidere solet, quando menstrua profluunt: & si quid tale accidit, deteriores fiunt purgationes, quasi hæc materia menstrua consumpta in ea fuerit. Minus etiam venosæ sunt feminæ, quàm mares: & lautiores, læuiorésque sunt, quoniam excrementum, quòd eò tendat, confluere in menstrua solet. Hanc eandem causam esse putandum, & vt corpora minora sint feminarum, quàm marium, in viuiparo genere. In hoc enim vno menstrua profluunt, & omnium apertissimè in muliere. Plurimum nanq; menstrui excrementi mulier emittit: ex quo fit, vt euidētissimè

Semen excrementum vltimi alimentum.

Proles partu simili.

Colliquatio feminæ.

Minora feminarum corpora quam marium.

Pinguiam minus feminis habere.

Quando idonea ad concipiendum femina.

simè palleat, & obscuriores habeat venas, & corpore planè ad marem deficiat. Sed cum menstrua sint quod feminis fiat perinde, vt maribus genitura, nec fieri possit, vt duæ simul secretiones feminales agantur, ideo semen à femina non conferri ad generationem apertum est. Nam si semen esset, menstrua non essent: nunc ideo illud deest, quia hæc sunt. Sed menstrua esse excrementum, vt semen, explicatum iam est. Testimonio autem eodem accipi possunt aliqua ex iis, quæ animalibus accidit. Pinguiam enim minus feminis habent, quàm macilentam, vt antea dictum est. Cuius rei causa est, quòd & pinguedo excrementum, vt semen, & sanguis concoctus est: quanquam non eodem modo, quo semen. Itaque ratione optima fit, vt cum materia superuacua consumpta in pinguedinem sit, deficiat genitura. Generis etiã exanguis mollia, & crustata optima sunt, cum vtero gerunt. Quòd enim sanguine carent, nec pinguedo in iis consistit, hinc proportionale pinguedinis secernitur in feminale excrementum. Indicio autem est non tale semen à femina emitti, quale à mare, nec amborum mixtura generari, vt aliqui volunt, quòd sæpenumero feminæ concipiant sine ea, quæ per coitum fit, voluptate. Rursusque cum ea ipsa voluptate, parique concursu profusionis vtriusque nihilò magis concipitur, nisi menstruorum humor sit modicè temperatus. Quam ob rem nec nullis omnino vicibus menstruorum femina generat, neque cum effluunt, magna ex parte, sed à purgatione. Vis enim, quæ in maribus genitura continetur, aut caret alimento, & materia, ex qua instituat animal: aut nimia copia semem cum humore eluitur, sed vbi effluerint satis, quod remanet, consistit. Quæ autem nullis menstruorum vicibus concipiunt, aut interea dum agitantur, & effluunt, nõ post, earum alteris causa est, quòd tantum humoris continent, quantum prolificis remanet à purgatione, quanquam non ita superat, vt effluere possit: alteris, quòd à purgatione os vteri comprimatur. Cum igitur multum quidem effluxit, sed adhuc effluit, tamen nõ tantum vt semen elaboratur, tunc concipiunt. Nec verò absurdum quicquam, si à conceptu item effluunt menstrua: nam vel post aliquandiu prodeunt, quanquam parè, nec semper: sed id morbidum est: quam ob rem paucis, & rarò accidit. Quæ autem magna ex parte fiunt, ea maxime secundum naturam sunt. A femina igitur conferri ad generationem materiam, quæ in menstruorum constitutione sit, menstrua autem ipsa esse excrementum, apertum iam est.

Contra eos, qui credunt feminas, vt mares, semen genitale emittere, argumento quòd pari ferè voluptate afficiantur. Cap. XX.



uod autem semen conferri à femina per coitum nonnulli existimant, propterea quòd interdum simili voluptate afficiantur vt mas, simulq; aliquid humoris secernat: id non humor seminalis est, sed loci proprius. Vteri enim excretio est, quæ aliis euenit, aliis non. Euenit (quod plurimum dixerim) iis, quæ nitidæ, feminalesque sunt: non euenit iis quæ fuscæ, atq; viragines. Copia verò quibus eue-

nit, non pro feminis emissionem interdum est, sed multò excedit: tum etiam ciborum diuersa ratio plurimum facit, vt plus, minúsve eius humoris excernatur: vt quædam acris saporis augent planè excernendi modum. Voluptas autem, quæ per coitum sentitur, nõ solum semine exeunte accidit, sed etiã spiritu, ex quo consistente semen emittitur. Quod patet tum in adolescentulis, qui nondum emittere queunt, propèque ætate sunt: tum in viris genituræ expertibus. Voluptas enim iis omnibus scalpendo excitatur, & quorum deprauata est generatio: alius interdum soluitur, propterea quòd excrementum eò secedit, quòd concoqui, atque effici semen non possit. Forma etiam similis mulieris, & adolescentuli est, & mulier quasi mas infemina est. Impotentia enim quadam femina est, eò quòd semem ex vltimo alimento concoquere nequeat: quòd alimentum aut sanguis est, aut sanguis proportionale in iis, quæ sanguine carent, propter naturæ frigiditatem. Vt igitur in alio profluuium accidit cruditate, sic in venis, tum cætera profluuium sanguinis, tum menstrua veniunt: nam ea quoque sanguinis profluuium sunt. Sed illa morbo citantur, hoc naturale est. Itaque generationem ex eo ratione optima fieri, apertum est. Sunt enim menstrua semen non purum, sed indigens confectionis: quomodo in fructuum generatione adhuc imperfecta, inest quidè alimentum, sed confectionem ad puritatem desiderat. Quam ob rem vt menstrua genituræ admista generant, sic alimentum in fructibus gignendis mistum alimento syncero alit. Indicio etiã est, semen non emitti à femina, quòd cum per coitum feminis voluptas contrectatione loci eiusdem atq; maribus veniat, tamen humor ille non hæc emittitur. Item non omnibus feminis id excernitur, sed sanguineis tantum: iisq; non omnibus, sed quibus vterus non ad septum transuersum est, nec partus ex ovo. Adhæc, iis, quæ non sanguinem, sed proportionale sanguinis habent, nõ emittitur ille humor. Vt enim in aliis sanguis, sic in his alia inest miscella. Causa autè ne aut his, aut supra dictis sanguineis fiat purgatio, siccitas corporis est, quæ parum excrementi relinquit, quantumque satis duntaxat ad generationem sit, non vt etiam aliquid foras mittatur. At verò quæ viuipara sunt sine oui partione, vt homo, & quadrupedum, quæ suffragines intus flectunt, (hæc enim omnia animalia procreant sine ovo) iis omnibus ea purgatio fit, nisi quid læsum per generationem sit, vt mula. Tamen nullis tam purgationes redundant, quàm homini. Sed quemadmodum cuique animali hæc eueniant, in libris de historiis animalium scriptum est. Plurima ex omnibus animalibus purgatio mulieribus fit. Maribus etiam plurimum emittitur feminis, magnitudinis ratione. Cuius rei causa est, constitutio corporis, quæ humida, & calida est. Plurimum enim excrementi fieri in eiusmodi corpore necesse est. Carent etiam partibus iis, in quas vertitur excrementum in cæteris animalibus. Non enim pilorum copiam gerunt per corpus, non ossium, aut cornuum, aut dentium excretiones. Indicium, semen esse in mensuris, quòd simul, vt antè dixi, maribus semen fieri incipit, & feminis menstrua innotescunt eadem ætate, tanquam simul ea loca distendantur, quæ vtrunque re-

Profluuium sanguinis quibus causis accidant.

Semen à femina non emitti.

Intumescen-
tes puellarū
māmas, ini-
tium men-
struorū indi-
care.

cupiant excrementum. Cūmq; tempus distendendi instat, loca intumescunt à spiritu. Quod marium testes apertius ostendunt, quanquam & mammæ: sed fœminarum mammæ potiùs indicant. Cū enim bino digito extolluntur, tunc plurimis incipiunt menstrua. Igitur in quibus vita præditis sexus maris, ac fœminæ distinctus non est, in iis semen veluti conceptus iam est. Conceptum appello primam ex mare, ac fœmina misturam. Quam ob rem ex vno semine vnum gignitur corpus: verbi gratia, ex vno tritici grano vnus fundus, vt ex vno ouo vnum animal: geminum enim ouum, duo est oua. At in quibus generibus mas & fœmina distinguitur, in iis plura animalia ex eodē semine gigni possunt, quasi natura differat. Semen in plantarum, & animalium genere indicium est, quod vno initu plura gignuntur in iis, quæ plura, quàm vnum, possunt generare. Quo argumento constat etiam, nō omni ex parte corporis geniturā prouenire. Neque enim distincta statim inde ex eadem parte secernerentur, neque postquam simul ad vterum deuenissent, ibi distinguerentur. Sed euenit porrò quod ex recta ratione est, vt cū mas formam, & principium motus præbeat, fœmina corpus, atque materiā, (quem admodum in lactis concretionem corpus lac ipsum est, succus, aut coagulum principium spissandi, cogendique obtinet) sic quod à mare in fœmina distinguitur, intelligi debeat. Cur in plura, pauciorave partiatur, aut singulare instituat, alia ratio est. Sed quia non differat forma quod diuiditur, si modo se habeat modicè ad materiam, vt neque minus sit, vt concoquere, densareque nequeat, neque amplius, vt exiccare possit, fit ob eam rem vt plura generentur. Cæterum ex eo quod primum constitit, ex vno iam vnum tantum procreatur. Sed genituram à fœmina non conferri ad generandum, tamen aliquid conferri, idque esse menstruorum constitutionem, aut proportionale in genere exanguis, tum ex suprâ dictis, tum etiam ratione, vniuersaliqui; indagatone constat. Esse enim quod generet, & ex quo generet, necesse est. Idque quantum vnum, forma quidem differre, & rationis diuersitate oportet. At verò in iis, quæ distinctas eas potētias obtinet, corpus etiam, & naturam diuersam esse agentis, & patientis. Quod si mas est vt mouens, & agens, fœmina, quæ fœmina, vt patiens, sequitur vt ad maris genituram fœmina nō genituram, sed materiam conferat. Quod & fieri ita videtur: natura enim menstruorum pro prima materia est. Atque de his ita docuisse satis sit. Apertum vnà cum iis est, de quo differendum deinceps sit, quemadmodum scilicet ad generationem mas conferat, & quonam pacto semen maris causa eius, quod gignitur, sit: vtrū vt insitum, & protinus inde pars corporis gignendi mistum cum materia fœminæ: an semen nihil commune cum corpore habeat, sed motus, visque in eo contenta sit, quæ communicet. Hæc est enim quæ agat. Quod autem consistat, & formam recipiat, reliquum excrementi fœminæ est. Atque vt ratione, sic effectis quoque probari videtur. Nam cū in vniuersum animo cōplectimur, non ita effici vnum ex patiente, agentēque videtur, vt quod agit, in eo, quod efficitur, insit: nec omnino ex eo, quod mouet, & quod mouetur, quicquam constitui. At fœ-

Quonā modo
maris semen
gignendi,
formandique
fœtus causa sit.

mina quidem, quæ fœmina, patiens est: mas, quæ mas, agens, & vnde mouendi principium est. Itaque si extrema vtriusque sumantur, quæ alterum agens & mouens, alterum patiens, & quod moueatur, fit, non ex iis vnum, quod gignitur, est, sed ita vt ex fabro, & ligno lectus, aut ex cera, & forma globus est. Patet igitur, nihil secerni à maris semine esse necesse: neque si quid accedit, idcirco ex eo vt insito esse quod gignitur, sed vt ex eo quod mouerit, & forma, vtq; à medicina qui sanatus est. Facta etiam rationi consentiunt: hinc enim mares nonnulli per coitum nec membrum quidem vllum in fœminam indere visuntur, sed contrà fœmina in marem, vt in quibusdam insectis fit. Quod enim in iis, quæ indunt, efficitur semine in fœmina, idem in mare ipso vapor, virtusque efficit, fœmina admouente suam particulam, quæ seminis capax est. Vnde fit, vt genus id animalium diu coeat, absolutumq; breui generet. Coniuncta igitur manent, quousq; constituent perinde vt genitura constituit: sed abiuncta citò edunt conceptum, quoniā & imperfectum, quod pariunt, est: quippe quæ vermiculum omnia id genus progenerent. Maximo sanè indicio est, quod auibus, & piscibus ouiparis euenit, semen nec omni ex parte corporis venire, neq; tale quid emitti à mare, quod insit in eo, quod genitum est: sed virtute tantum contenta in genitura viuificari, vt modò diximus de insectis, quorum fœmina transigit in marem. Nam siue accidit vt auis hypenemia, id est, subuētanea oua ferat, si postea coit nondum mutato ouo ex luteo in albū, fœcunda ex subuentitiis redduntur: siue cōcepta ex coitu, si adhuc luteis, cum alio mare coiuit, simile eius, quo cum postea coiuit, prouenit omne genus pullorum. Quapropter nonnulli ex iis, qui vt gallinæ generosæ procreentur, operā dant, ita mutatis admissariis faciunt, tanquam non misceatur, constitutionemq; subeat semen, neque omni ex parte venerit, ex ambobus enim venisset. Itaque bis partes easdem haberet, sed sua facultate semen maris materiam contentam in fœmina, & cibum qualitate quadam afficiat. Id enim efficere potest, vbi secundum præuenit tepesciendo, & concoquendo. Cibus enim ab ouo absumitur, quādiu crescit. Hoc idem in generatione quoq; ouiparorum piscium euenit. Vbi enim fœmina oua ediderit, mas semen aspergit: & quæcunque attingit, fœcunda efficiuntur: quæ non attingit, remanent infœcunda, quasi non ad quantitatem mas conferat, sed ad qualitatem. Patet igitur ex iis, nec omni ex parte semē secedere, neque fœminam ita vt marem conferre ad generationem, sed marem principium motus, fœminam materiam præstare. Hac enim causa, nec per se ipsa fœmina generat: principium enim enim, & id, quod moueat, discernatque, desiderat. Sed nonnullis, vt auibus, aliquatenus natura gignere potest. Aues enim constituent quidem oua, sed imperfecta, quæ subuētanea vocantur, & ortus eius, quod generatur, in fœmina agitur. Nec in marem semen emittit aut mas, aut fœmina, sed ambo in fœminam cōferunt quod suum vtrique sit: quoniam in fœmina materia est, ex qua constat quod creatur. Ac protinus partim haberi paratam materiam necesse est, ex qua primus conceptus consistat: partim subinde accedere, quæ

Partum
etorum
perfectio

Piscium
asperitate
ne matu-
cundant

Empedoclis
versus: *ἔτι δὲ
ἀπορον ἐπινοῶ
δὲ ἄρα πρῶ-
τον ἀείπει.*
Antiquus in
terpres sic:
Sic autem
ouificant ar-
bores parua
primum oli-
uas.

nutriatur, & crescat. Itaque partum in fœmina conineri necesse est. Nam & faber adest ligno, & figurus limo. Denique omnis actio, & motio vltima iuxta materiā est, vt ædificatio in iis, quæ ædificantur. Hinc etiam quemadmodum mas conferat ad generationem acceperis: nec enim mas omnis semen emittit, & quibus emittitur maribus nulla pars fœtus hoc est: sicut nec à fabro quicquam secedit ad lignorum materiam, neque pars vlla artis fabrilis in eo, quod efficitur, est, sed forma, & species ab illo per motum in materia existit. Atque anima, in qua forma, & scientia est, mouet manus, aut aliud membrum, motu certæ qualitatis, vel diuerso, à quibus efficitur diuersum, vel eodem, à quibus idem: manus autem, instrumentaque materiam mouent. Ita natura etiam maris semen emittentis vtitur eo semine quasi instrumento, & actu habente motum: vt in operibus artium instrumenta mouentur, in illis enim quodam modo motio artis est. Quæ igitur semen emittunt, hoc modo ad generationem conferunt: quæ autem nō emittunt, sed fœmina particulam sui quandam inserit in marem, hæc simile facere videntur, quasi quis materiā ad opificem afferat. Nam ob imbecillitatē eorum marium nihil per aliud Natura efficere potest: sed vix assident ipsa motus valent, & similis fingenti, non fabricanti est: quippe quæ non per aliud attingens, sed ipsa suis membris rem condant instituentem. Sexus igitur maris, ac fœminæ distinctus in genere omnium animalium gressilium est. Et quantum diuersa sunt animalia mas & fœmina, tamen specie idem sunt: verbi gratia, homo vtrunque. At in plantis facultates istæ miscentur, nec mas à fœmina separatur: quam ob rem ex se ipsæ progenerant, nec genituram emittunt, sed cōceptum, quod semen vocatur, afferunt. Idque Empedocles bene reulit suo carmine: Deinde etiam ouiparo genus arboreū tulit ortu. Ouum enim cōceptus est, & animal ex parte eius creatur: reliquum alimentum est. Animalis seminis etiam aliqua ex parte consistit quod oritur: reliquum alimentum germi, radicique primæ est. Hoc idem quodam modo in iis quoq; euenit animalibus, quæ sexu distinguuntur. Cū enim vniuntur, & generant, inseparata redduntur, vt plantæ: idq; natura eorum nititur, vt vnum fiat, quod cū coeunt, & coniunguntur, conspicitur vnum effici

animal ex ambobus. Atque ea, quæ semen non emittunt, diu complexa funguntur Venere, dum conceptum cōstituant: vt insecta, quæ solent coire. Alia tandiu exigunt, donec partem aduentitiam quandam mittant, quæ conceptum constituat spatium temporis longiore, quàm in sanguineo genere agatur. Hæc enim parte quadam diei cohærent: genitura intra plures dies constituitur: mox vbi eam emisissent partem, absoluuntur. Profectò animalia tanquam plantæ diuisa esse videntur, perinde quasi illas quoque, postquam semen attulere dissoluas, & separet in sexum insitum maris ac fœminæ. Atque hæc omnia rectè ita à Natura condita sunt. Plantarum enim substantiæ non aliud munus, nulla actio, nisi generatio seminis est. Quod cū maris, ac fœminæ coitu efficiatur, miscuit ea Natura, indiscretumq; sexum maris & fœminæ plantarum generi tribuit. Sed de his alibi disputatum à nobis est. At animalis munus non solum generare, quod commune omnium viuientium est, sed etiam cognitionis alicuius particeps vnumquodq; est, aliud maioris, aliud minoris, aliud minimæ: sensum etenim habent. Sensus autem cognitio quædam est: cuius siue nobilis, siue ignobilis nota plurimum referet ad hominis prudentiam, an ad genus inanimatum, consideretur. Nam ad prudentiam nihil esse videbitur, tactum, gustumque tantum adipisci: at ad sensus vacuitatem summum id esse putabitur. Charum enim censueris compotem: eius esse cognitionis, nec emortuum, expertemque essentia omnis iacere. Sensu autem animalia differunt ab iis, quæ tantum viuunt. Sed cū viuat etiam, quod animal est, necesse sit, cū fungi viuientis munere opus est, tunc coeunt, & miscentur, & quasi plantæ efficiuntur, vt dictum est. Cæterum genus animalium testatum, quoniam inter animalia, & plantas ambiguum est, vt in ambobus constitutum generibus, munere neutrius fungitur: nam vt planta, sexu maris & fœminæ caret, nec in altero generat: vt autem animal, nullum ex se fructum affert modo plantæ, sed consistunt, & generantur ex terrena, & humida quadam concretionem. Sed de eorum generatione postea differemus.

Plantarum
officium.

Differēs ani-
malium co-
gnitio.

Primi de generatione anima-
lium Libri, Finis.

ARISTOTELIS STAGIRITAE de Generatione Animalium,

Liber Secundus,

Theodoro Gaza Interprete.

Quid sit causa, vt principium generationis cuiusque mouens primum, & procreans.
Cap. I.



MAREM ac foeminam esse principia generationis, & quenam eorum essentiae vis, atque ratio esset, dictum iam est. Sed quam ob rem gignatur, & sit alterum mas, alterum foemina, vt necessario, & quonam primo mouente, & quali materia id efficiatur, procedendo explicare conabimur. At vero quod ad melioris rationem, & causam, cuius gratia, pertinet, caelitus principium ducitur. Cum enim rerum aliae sint sempiternae, summęque diuinę, aliae quę possint & esse, & non esse pulchrum autem, diuinumque illud causa semper sua natura melioris conditionis in rebus contingentibus sit: quod vero sempiternum non est, id & esse, & particeps tum deterioris conditionis, tum melioris esse possit: cumque anima sit corpore melior, animatumque inanimato praestet propter animam: & esse, quam non esse, & viuere, quam non viuere, melius sit: efficitur his de causis, vt generatio sit animalium. Cum enim natura eius sempiterna esse non possit, quomodo fieri potest, eo sempiternum, quod gignitur, est. Numero igitur non potest, substantia enim rerum in singularibus est. Quę si talia essent, sempiterna essent. Specie vero potest. Itaque genus hominum semper, & bestiarum, & plantarum est. Sed cum principium sit eorum mas, atque foemina, fit vt generationis gratia sit mas, & foemina in rerum natura. Cumque sua natura melior, magisque diuina causa sit ea, quę prima mouet, cui ratio inest, & forma, quam materia: cumque melius etiam sit separari a deteriori quod melius est, ideo in quibuscunque potest, & quoad eius fieri potest, mas a foemina separatur. Melius enim, magisque diuinum est principium motus, quod per generationem mas obtinet, foemina enim materia est: sed coit, & iungitur ad generationis officium mas cum foemina: id enim commune ambobus est. Qua igitur ratione sexu maris ac foeminae participant, viuunt: quam ob rem plantę quoque vitę participes sunt. Qua autem sensus adest, genus animalium est. Quorum incessabilibus ferę omnibus mas a foemina separatur, ob eas, quas modo reddidimus, causas: eorumque

alia, vt dictum est, semen emittunt, alia non emittunt, cum coeunt. Cuius rei causa est, quod quę nobiliora sunt, eadem sua natura magnitudinem sibi postulant. Quod non nisi calore animali fieri potest. Quod enim maius est, id a facultate ampliore moueri necesse est. Mouere autem calor potest. Quam ob rem in vniuersum, propę dixerim, maiora, quę sanguinem habent, quam ea, quę non habent: & incedentia, quam stabilia, maiora, quę semen genitale propter calorem, ac magnitudinem emittunt. De mare, & foemina, quam ob causam sint, dictum iam est. Animalium vero alia perficiunt partum, forasque mittunt sibi simile: vt ea, quę animal edunt in lucem: alia nondum explanatum, suamque formam adeptum pariunt: quorum sanguinea ouum pariunt, exanguia vermem. Inter ouum & vermem hoc interest: Ouum est, cuius ex parte animal gignitur, reliquum cibus ei, quod gignitur, est: vermis, ex quo toto animal gignitur. Eorum autem, quę perfectum sibi simile edunt in lucem, atque viuipara sunt, alia statim intra se animal gignunt, vt homo, equus, bos, & ex marinis delphinus, & reliqua generis eiusdem: alia vbi primum intra se ouum genuerint, mox animal edunt foras: vt quę cartilaginea appellantur. Ouiparorum alia ouum edunt perfectum, vt aues, & quę quadrupedes ouum pariunt, vt lacertę, & testudines: aut quę pedibus carent, vt serpentum pars plurima. Oua enim eorum postquam prodierunt, nullum insuper capiunt incrementum: alia imperfectum edunt, vt pisces, crustata, & mollia nomine: nanque eorum oua edita augentur. Omnia, quę aut animal pariunt, aut ouum, sanguinem habent: & quę sanguinem habent, aut animal pariunt, vt ouum, nisi omnino improla sint. Exanguium insecta vermiculum pariunt, quę aut ex coitu generantur, aut ipsa coeunt. Sunt enim nonnulla insecta, quę sponte naturę gignantur: sed sexum maris, ac foeminae habeant, coniunctaque procreent aliquid. Quod tamen generant, imperfectum est, causam antea reddidi. Magna permutatio generibus euenit. Nec enim bipedes omnes vel animal pariunt, vel ouum. Aues enim ouum, homo animal parit. Neque quadrupedes omnes, aut ouum pariunt, aut animal. Equus enim, & bos, & aliae plurimę, animal pariunt: lacertę, crocodili, & aliae complures ouum. Nec vero in habendis pedibus, necne, ratio partus cõtinetur. Nam expedum aliae animal pariunt,

vt vipere, & cartilaginea: aliae ouum, vt piscium genus, ac ceterę serpentes. Pedes habentium multę & ouum, & animal pariunt: vt quadrupedes, quas modo enumerauimus. Necnon intra se pariunt, tum pedata, vt homo, tum expeda, vt balanae, delphini. Sic igitur diuidi non potest, nec discriminis eius causam habet instrumentum vllum incessui delegatum. Sedenim ea pariunt animal, quę natura perfectiore sunt, & principium syncerius obtinet. Nullum enim intra se gignit animal, nisi quod aerę recipit, & spirat. Perfectiora autem sunt, quę natura calidiora, & humidiora, nec terrena constant. Caloris vero naturalis ratio, pulmone describitur sanguinis compote. Quę enim pulmonem habet, omnino calidiora sunt iis, quę non habent: & inter ea superant, quę non fungosum, aut retorridum, & parum sanguinis continentem habent pulmonem, sed sanguinolentum, & mollem. Vtque animal res perfecta, vermis autem, & ouum, imperfecta est: sic perfectum nasci solet a perfectiore. Quę autem calidiora quidem sunt propter pulmonem, sed natura constant sicciore: aut quę frigidiora quidem, sed humidiora sunt, eorum altera ouum edunt perfectum, altera intra se, & ouum, & animal pariunt. Nam & aues, & cortice intacta, calore suo perficiunt, sed prę siccitate ouum pariunt. Cartilaginea cum minus iis calida, magis humida sint, vtroque participant: quippe quę & ouum, & animal iatra se pariunt: ouum, quia frigida sunt: animal, quia humida. Humor enim viuificus est: siccitas longę a vita remota est. Sed cum non penna, non cortice, non squama tegantur, quę indicia sunt naturę siccae, atque terrenę, idcirco molle generant ouum. Vt enim ipsis, sic eorum ouis nulla satis insidet siccitas. Atque ob eam rem intra se pariunt oua. Nam si ouum foras prodiret, facile periret, carens putamine quod protegat, duriore. Frigida, sicciorque pariunt quidem ouum, sed imperfectum, crusta etiam dariuscula opertum, propter naturam terrenam sui generis, vtque imperfectum exiens possit seruari tutela operimenti testacei. Pisces itaque cum squamati sint, & genus crustatum, vt terrena constitutum natura, oua putamine duriore generant. Sed mollium genus, vt ipsum natura corporis lenta est, sic oua, quę imperfecta edere solet, tuetur, & seruat. Plurimum enim lentoris sua cum foetura emittunt. Insecta omnia vermiculum pariunt, eademque omnia sanguine carent. Vnde fit, vt quę extra vermiculum pariunt, sanguine vacent: quamquam exanguia non omnia vermem pariant. Commutant enim inter se vices insecta, & quę ouum pariunt imperfectum: vt pisces squamati, & crustata, & mollia. Horum enim oua vermem imitantur: quippe quę foris incrementum recipiant: illorum vermiculi tempore procedente in specie oui transeunt. Quod quemadmodum fiat, postea explicabimus. Nunc prius intelligendum quam bene, miroque deinceps ordine Natura reddit generationem. Perfectiora enim, calidioraque animalia prolem reddunt perfectam qualitate: nam quantitate nullum omnino animal perfectę progenerat. Omnia enim postea, quam nata sunt, incrementum recipiunt, & generant quoque ea ipsa animalia intra se statim. Cetera ab iis proxima loco secundo constituta, nõ

statim perfecta intra se generant. Cum enim prius intra se ouum pepererint, mox animal edunt in lucem. Alia non perfectum animal generant, sed ouum, idque perfectum. Quę autem iis frigidiora constant natura, generant quidem ouum, sed non perfectum, verum quod foris perficiatur: vt genus piscium, squamata, & crustata, & mollia. Quintum genus, quod frigidissimum est, ne ouum quidem ex sese parere potest. Sed hæc affectio foris euenit ei, vt dictum est. Insecta enim primõ vermiculum pariunt, qui addito tempore speciem accipit oui. Aurelia enim appellata oui obtinet facultatem, tum ex eo animal nascitur, tertia mutatione finem recipiens generationis. Sunt igitur quę non femine genitali procreantur, vt antea dictum est. Sanguinea tamen omnia femine procreantur, videlicet ea, quę per coitum oriuntur, emissa a mare in foeminam genitura: qua ingesta animalia constituuntur, suamque formam recipiunt, aut intra ipsa animalia, quę solent animal generare, aut in ouo, aut in femine, & eiusmodi alia secretionem. De quibus quaestio longę dubia oritur, quonam pacto ex femine generetur aut planta, aut animal. Quod enim gignitur, & ex aliquo, & ab aliquo, & aliquid gigni necesse est. Ex quo gignitur, materia est, quam nonnulla secum habent primam acceptam ex foemina: verbi gratia, ea, quę non forma animalis nascuntur, sed vermiculi, aut oui. Quaedam diu ex foemina capiunt, quoniam lactent, vt ea, quę non modo foras, verum etiam intus forma animalis gignantur. Talis, id, ex quo oriuntur, materia est, sed hoc loco, non ex quo orientur, quaerimus, sed a quo partes corporis generentur. Aut enim extrinsecus aliquid, aut in genitura, & femine insitum agit: idque aut pars aliqua animę, aut anima, aut habens animam est. Sed ab aliquo extrinsecus agente effici quęque, aut viscera, aut alia membra, remotum a ratione videtur. Fieri enim non potest, vt moueat quod non tangit, & quicquam ab eo, quod non moueat, afficiatur. Igitur in ipso conceptu aliquid iam inest, quod aut pars eius sit, aut seorsum contineatur. Sed aliud quicquam esse abiunctum, irrationabile est. Etenim generato iam animali, corrumpaturne illud, an maneat? At nihil inesse videtur, quod non totius pars sit, aut plantę, aut animalis. Quinetiam corrumpi, postquam vel omnes, vel aliquot partes effecit, absurdum est. Quid enim efficiat cor, interiit, cor autem ipsum partem aliam efficit, eiusdem rationis est, vt vel omnia intereant, vel omnia seruentur, ergo seruari necesse est. Pars igitur eius est id, quod protinus in femine inest. Sed si nihil animę est, quod nõ aliqua in parte sit corporis, vt animata quoque pars aliqua protinus sit, consequitur. Sed cetera quonam pacto efficiantur? Aut enim simul omnes partes generantur: verbi gratia, cor, pulmo, iecur, oculus, & reliqua omnia: aut ordine deinceps, vt in his carminibus, quę ad Orpheum authorem referuntur. Similiter enim, vt retis implexum, constitui animal ibi scribitur. Sedenim non simul omnia effici, vel sensu percipi potest, cum partes aliae iam inesse, aliae nondum adesse cernantur. Nec dici potest, eas prę sua exiguitate latere. Pulmo enim, qui amplioris, quam cor

Perfectiora animalia quę sint. Calidiora quę.

Differ. inter ea & verma.

Ouum perfectum: ridentia.

Imperfectum ouum quod edant.

Generatio ex femine qua ratione fiat.

Generatio animalium causa.



Vtrum fœtus partium altera efficiat alteram.

magnitudinis est, posterior corde in primo ortu conspicitur. Sed cum aliud prius, aliud posterius fiat, vtrum alterum efficiat alterum, & sit propter proximum, an potius hoc post hoc fiat? Verbi causa, non cor iam ortum efficit iecur, idq; aliud quippiam, sed hoc post hoc: vt postquam puer factus est, vir efficitur, non à puero agente vir efficitur. Cuius rei ratio illa est, quod ab eo, quod actu est, id, quod potentia est, efficiatur, tum in Naturæ, tum in artis operibus. Itaq; speciem, & formam esse in illo oportebit: verbi gratia, in corde formam iecoris: quanquam aliâ quoque illa opinio absurda, & commentitia est. Quinetiam vt in femine protinus pars aliqua animalis, aut plantæ facta contineatur, siue quæ cæteras efficere possit, siue quæ non possit, impossibile est, quâdo ex semine & genitura omnia generantur. Ab eo enim, qui semen fecerit, creatum id proculdubio est: siquidem protinus inest. At verò semen prius fiat oportet, idq; officium generantis est. Nulla igitur pars condita inesse potest. Ergo quod agit, nullam in se habet partem, at ne extra quidem: alterutrum autem sit, necesse est. Hæc igitur soluere conandum est, fortasse enim aliquid ex iis, quæ diximus, non simplex est, vt ab extero nihil effici posse. Nam & est vt possit, & est vt non possit. Sed semen, an id, à quo semen, dicamus, nihilo refert: scilicet qua motum, quem illud mouebat, semen in se ipsum continet. Fieri autem potest, vt hoc ab hoc moueatur, & hoc ab hoc, sitque perinde quasi admirabilia illa spontina. Partes enim habent vim modo quodam, etiam cum quiescunt. Quarum primam vbi extrinsecus aliquid mouerit, statim proxima actu efficitur. Vt igitur in spontinis illis quodam modo illud mouet, quod nihil nunc tangit, sed antè tetigit: sic id, à quo semen, aut quod semen effecit, mouet, cum aliquid tetigerit, quanquam non adhuc tangit. Et motus qui inest, quodam efficit modo, vt ædificatio edes. Igitur aliquid esse quod efficiat, sed non ita, vt hoc quicquam, nec perfectum inesse primum agens, apertum iam est. Quemadmodum autem vnumquodque fiat, accipiendum hinc est hoc initio. Omnia quæcunque aut Natura, aut arte efficiuntur, ab eo, quod actu est, fiunt, ex eo, quod potentia tale est. Semen igitur tale est, motumque habet, & principium tale, vt motu peracto pars existat quæque, eademque sit animata. Non est enim facies, nisi animam habeat, neque caro: sed corrupta æquiuocè dicitur facies, aut caro, perinde quali lapidea, aut lignea facta sit. Simul autem partes similes, & instrumentales, siue officiales efficiuntur. Et quemadmodum non securim, non aliud instrumentum dixerimus factum esse ab igne solo: sic non pedem, non manum, eodemque modo ne carnem quidem. Nam eius quoque aliquod officium est. Dura igitur, mollia, lenta, rigida, & quicunque alii affectus partibus insunt animatis, à caliditate, frigiditateve effici possunt. At ratio, qua iam caro, aut os est, non potest: sed à motu proficiscente efficitur ab eo, quod genuit, quodque actu est id, quod potentia est id, ex quo gignitur: quomodo in iis quoque agitur, que arte efficiuntur. Ferrum enim durum, aut molle efficitur calore, vel frigore. At verò ensis à motu instrumentorum, qui artis obtinet rationem. Ars

Similares & dissimilares partes simul fieri.

enim principium, formaq; eius, quod efficitur, est, sed in alio. Motus autem Naturæ in ipso est, ab altera profectus Natura, quæ actu obtinet formam. Sed habeatne semen animam, necne, ratio eadem, atque de partibus reddenda est. Nec enim anima vlla esse potest in alio, nisi in eo, cuius est, neque pars vlla esse potest, quod particeps animæ non est, nisi æquiuocè, vt mortui oculus. Semen igitur & habere animam, & remotius idem à se ipso potètia esse potest: vt geometra dormiens remotius, quam vigilans est, isque remotius, quam qui iam contemplatur. Sedenim huius nulla pars causa est generationis, sed quod primum extrinsecus mouit, id causa est. Nihil enim se ipsum generat, sed postquam generatum est, se ipsum iam auget. Quam ob rem non simul omnes partes generantur, sed vna primum: eamque primum oriri necesse est, quæ principium augendi contineat. Siue enim planta, siue animal est, æquè omnibus inest, quod vim habeat vegetandi, siue nutriendi. Id autem est, quod tale alterum generet, quale ipsum est. Hoc enim cuiusque perfecti, tum animalis, tum stirpis, secundum naturam officium est. Necesse tamen ratio est, quod cum aliquid ortum est, augeri idem necesse est. Generat igitur quod est vniuocum, vt homo hominem, sed per se ipsum augetur. Ergo ipsum, cum aliquid sit, auget. Quod si vnum quid, idque primum sit, id primum generari necesse est. Itaque si cor primum in nonnullis oritur animalibus, aut cordis proportionale in iis, quæ corde carent, ex corde principium illud est, in iis, quæ cor habent: cæteris ex proportionali. Exposui iam ad ea, quæ antè quærebantur, quid causa sit, vt principium generationis cuiusque mouens primum, & procreans.

De seminis natura, & quid sit, & quam ob causam non congelascit.
Cap. II.



DE seminis natura dubitauerit quispiam. Semen enim prodit de animali crassum, & album, mox refrigeratum, humidum ad aquæ speciem redditur: colorem etiam accipit aquæ. Absurdum igitur id putaueris: aqua enim non crassescit calore. Id autem intrinsecus è loco calido proficiscitur crassum, refrigeratumque humescit. Atqui omnia aquosa concrefcunt frigore. Semen verò positum in gelu sub dio non concrefcit, sed humescit, quasi à contrario crassum confliterit. Sed neque à calore crassari, ratio probabilis est. Quæ enim plus terræ continent, ea consistunt, crassanturque per coctionem, vt lac. Igitur refrigeratum solidescere debuit: at nihilò solidius fit, sed totum modo aquæ liquefcit. Hoc igitur dubium est. Nam si aqua est, cum aqua non videatur posse à calore crassari, hoc tamen ex corpore calido crassum, & calidum exit. Sed si ex terra constat, aut si mistum terræ, & aquæ est, non totum resolui in humorem, & aquam debuit. An non omnia, quæ accidunt, diximus Non solum enim quod ex aqua, & terra humidum constat, crassatur, sed etiam quod ex aqua & spiritu: vt spuma crassior, albâque existit. Et quo am-

Parte: principii augent: tinet: generat: esse.

factus tumor. Galena, id est, vena plumbi, siue plumbago.

Téperies olei.

Semen femine crassius.

Appodartu Venus vnde dicta.

pullæ pauciores, incertioresque sunt, eò & albior, & rigidior fastus conspicitur. Quod idem in oleo quoque fit: crassescit enim mistum cum spiritu. Quam ob re crassius redditur quod albescit, cum humor in eo contentus discernatur à calore, efficiaturque spiritus. Galena etiam aquæ mista aut oleo, amplum ex paruo erigit fastum, & spissum ex liquido, & album ex nigro. Causa est, quod spiritus immiscetur, qui fastum efficit, & albedinem dilucidè aperit, vt in spuma, & niue: nã & nix spuma est. Aqua etiam ipsa permista cum oleo, crassa, albâque redditur. Per concussum enim, attritumque includitur spiritus. Et ipsum oleum quoque multum spiritus continet. Pinguem enim nec terræ est, neque aquæ, sed spiritus. Ex quo fit, vt per summa aquæ fluitet: aer enim contentus in eo, veluti in vase, effert, per summamque sustinet, & causam leuitatis præbet. Quinetiam frigore, & gelu crassescit oleum, non congelascit. Calor enim facit ne gelu cogatur. Aer nanque calidus, & incongelabilis est. Sed quoniam à frigore is quoque consistit, & densatur, hinc oleum crassius redditur. His de causis semen quoque exit quidem intrinsecus spissum, & album calore interiore, multum spiritus calidi continens: sed egressum, vbi calor euauit, & aer refrigeratur, humidum, nigrumque euadit. Remanet enim aqua, & si quid paruum terræ portionis continetur, vt in pituita, sic in femine cum siccescit. Semen igitur commune est spiritus & aquæ: spiritus autem aer calidus est. Quam ob rem natura humidum est, quoniam ex aqua constat. Ctesias Cnidius planè mētitur ea, quæ de femine elephanti scribit. Ait enim vsque ad durari siccescens, vt electro, id est succino, simile efficiatur: quod nunquã fit. Magis enim alterum altero semen esse terrenum necesse est. Et præcipue tale eorum est, quorum in corpore multum materiæ terræ habetur. Crassum autem, albumque est, spiritus mixture. Semè enim omnium album est. Herodotus vera non scribit, cum nigrâ esse Aethiopum genituram dicat, quasi necesse sit, omnia nigra esse eorû, quibus nigra est cutis. Atqui dentes eorû albos esse cernere potuit. Causa vt album sit semen, quod genitura spuma est, spuma autem alba est, & maximè, quæ ex paucissimis partibus constat, & tam paruis, vt cerni ampullæ nequeant. Quod in oleo quoque, & aqua euenit, cum miscetur, & concutiuntur, vt antè diximus. Nec verò homines antiquos latuisse videtur, naturam seminis esse spumofam. Deam enim, quæ rei Venereæ præest, ab ea ipsa facultate nominarunt. Causa propositæ quæstionis explicata iam est. Congelascere autem semen non posse ob eam re, apertum iam est: aer enim incongelabilis est.

Vtrum in his animantibus, quæ semen in femina mittunt, insit aliqua constituendi conceptus pars.

Cap. III.



Equitur, vt & dubitemus, & dicamus, si in iis, quæ semen emittunt in femina, nulla pars constituendi conceptus sit, quod subierit, quoniam vertatur corpulentia eius, quando ipsum facultate, quam in se continet, agit. Definiendum igitur prius est, vtrum

quod in femina constituitur, accipiat aliquid ab eo quod subierit, an nihil accipiat. Atque etiam de anima, qua animal dicitur, (est autem animal parte animæ sensuali) vtrum in femine & conceptu inest, an non, & vnde. Conceptum enim inanimatum esse nemo statuerit vita omnibus modis priuatû: quippe cum nihilò minùs semina, & conceptus animalium viuant, quam stirpes, & aliquandiu prolifica sunt. Ergo animam in iis habere vegetalem palam est. Sed quam ob rem eam primum haberi necesse sit, ex iis, quæ alibi de anima differuimus, apertum est. Sensualem etiam, qua animal est, tempore procedente recipi, & rationalem, qua homo, certum est. Non enim simul & animal fit & homo: nec animal & equus. Eademque in cæteris animalibus ratio est: finis enim postea contingit. Proprium autem est, finis cuiusque generationis. Quam ob rem de mente etiam, quoniam tempore, & quomodo, & vnde eam recipiant, quæ principium id participant, plurimum dubitatur. Sed enitendum pro viribus, & quoad fieri potest, accepisse operæpretium est. Animam igitur vegetalem in feminibus, conceptibus, scilicet nondum separatis, haberi potètia statuendum est non actu, prius, quam eo modo, quo conceptus, qui iam separatur, cibum trahant, & officio eius animæ fungantur. Principio enim hæc omnia vitam stirpis viuere videntur. De anima quoque sensuali pari modo dicendum est, atque etiam de intellectu. Omnes enim potentia prius haberi, quam actu necesse est. Sed aut omnes contingere, cum antè non fuerint, necesse est, aut omnes, cum antè fuerint, aut partim, cum antè non fuerint, partim cum antè fuerint: & contingere aut in materia non subeuntes semen maris, aut eò quidem inde venientes. sed in mare aut omnes extrinsecus contingere, aut nullam, aut partim extrinsecus, partim non extrinsecus. Cæterum omnes antè esse impossibile rationibus his esse ostenditur. Quorum enim principiorum actio est corporalis, hæc sine corpore inesse non posse certum est. Verbi gratia, ambulare sine pedibus. Itaq; extrinsecus ea venire impossibile est. Nec enim ipsa per se accedere possunt, cum inseparabilia sint, neque cum corpore. Semen enim excrementum alimenti mutati est. Restat igitur vt mens sola extrinsecus accedat, eaque sola diuina sit. Nihil enim cum eius actione comunicat actio corporalis. Sed enim omnis anime siue virtus, siue potètia, corpus aliud participare videtur, idque magis diuinum quam ea, quæ elementa appellantur. Verum prout nobilitate, ignobilitateve animæ inter se differunt, ita & natura eius corporis differt. Inest enim in femine omnium, quod facit, vt fœcunda sint semina, videlicet quod calor vocatur. Idque non ignis, non talis facultas aliqua est, sed spiritus, qui in femine, spumosoque corpore continetur, & natura, quæ in eo spiritu est proportionem respondens elemento stellarum. Quam ob re ignis nullum animal generat, neque constitui quicquam densis, vel humidis, vel siccis videtur. At verò Solis calor, & animalium, non modò qui femine continetur, verum etiam si quid excrementi sit, quanquam diuersum à natura, tamen id quoque principium habet vitale. Cæterum calor in animalibus contentum, nec ignem esse, neque ab igne originem ducere, apertum ex his est. Corpus au-

Animæ potètia non actu in conceptu & semine.

Mês diuina.

Vitalis calor in femine.

tem genituræ, in quo semē animalis principii contentum vnā prouenit, partim separabile à corpore, in quibus diuina pars compræhenditur, qualis est, quæ mens appellatur: partim inseparabile; hoc, inquam, genituræ semen dissoluitur, versumque in spiritum euanescit, cum naturam humidam, aquosam que habeat. Quam ob rem an semper id foras exeat, quærendum non est, neque an pars vlla sit formæ constitutæ: quomodo nec de succo, à quo lac cogitur, quæri tale quid conuenit. Nam is quoque mutat, & nulla pars constitutæ magnitudinis est. De anima quemadmodum conceptus & genitura habeant eam, & quemadmodum non habeant, definitum iam est: potentia enim habent, actu non habent. Semen autem, cum excrementum sit, eodem que moueatur motu, quo augetur corpus digestionē vltimi alimenti, vbi vterum subiit, constituit, & mouet excrementum fœminæ eodem motu, quo ipsum mouetur. Nam illud quoque excrementum est, habetque omnes partes potentia, actu nullam. Habet enim eas partes potentia, quibus differt fœmina à mare. Nam vt ex læsis interdum læsa, interdum non læsa gignuntur, sic ex fœmina partim fœmina, aliàs non fœmina, sed mas generatur. fœmina enim quasi mas læsus est. Et mēstrua semē sunt, quanquàm non purum. Vnum enim illud non habent, originem, & principium animæ. Quam ob rem quibus animalibus oua subuentitia gignuntur, partes quidem vtrorunque obtinet ouum institutum: sed principio caret, quapropter animatum nō est. Id enim à maris semine affertur, quod principium, vbi fœminæ excrementum receperit, conceptus sit. Humidus vt in pulte refrigerata crustula. Corpora autem omnia coharēt, & continentur lentore, quem in dies iamque aduētis corporibus natura accipit nerui, quæ partes animalium continet. In aliis neruo, in aliis eo, quod neruo proportionetur. Cutis etiam formæ eiusdē est, & vena, & membrana, & omne eiusmodi genus. Differūt hæc enim inter se maioris, minorisque ratione, & omnino excessu, defectuque.

Quænam sint generationis causæ, & quemadmodum partes quæque constituantur in animalibus.

Cap. IIII.

Animalia verò, quorum natura imperfectior est, conceptum, cum perfectum iam est, sed nōdum animal perfectum, foras mittunt. Quod quas ob causas ita fiat, antè diximus. Perfectum autem est animal, cum conceptus iam aut mas, aut fœmina est, scilicet in quibus sexus hæc differentia habetur. Sunt enim quæ nec marem, neque fœminam generent, videlicet quæ & ipsa non ex fœmina, marique, & coitu animalium procreantur. Sed de eorum generatione postea dicemus. Quæ autem animal intra se generant, scilicet naturæ perfectæ animalia, quousque animal pariant, forasque emittant, gerunt intra se innexum, quod gignitur. At verò quæ foras animal pariant, cum intra se prius ouum genuerint, eorum nonnullis ouum iam perfectum absoluitur, vt eorum, quæ foras pariant, ouum. Atque

ita animal ex ouo intra fœminam nascitur. Aliis cum alimentum in ouo contentum absumptū iam est, repletur ab vtero, & perficitur: atque ob eā rem ouum vtero non abiungitur. Hæc cartilagineorum piscium differentia est, de quibus post seorsum per se differemus. Nunc à primis incipiendum est. Prima autem sunt, quæ perfecta. Eiusmodi autē sunt, quæ animal generant: eorumque primum homo est. Decessio igitur seminis omnium non aliter quam cæterorum excrementorum fieri solet. Fertur enim vnumquodque suum in locum, non vim spiritu inferente, non alia eiusmodi causa cogente, vt quidam à testibus trahi modo cucurbitarū medicinalium per vim spiritus opinantur, quasi fieri possit, vt nisi vis inferatur, aliò tendat excrementum alimenti, aut humidi, aut sicci, quoniam retento spiritu ita vniuerso excernatur. At id commune omnium est, quæ mouere volumus: vires enim retento spiritu augentur. Nam & sine ea vi excrementa per somnum exeūt, si meatus laxi, plenisque excrementi sunt. Simile ab iis dicitur, vt si quis platarum semina dixerit quotannis à spiritu secerni, eò vbi fructum afferre solent. Sedenim causa eius rei, vt diximus, est, quod excrementis partes capaces descriptæ à Natura habentur omnibus, tum inutilibus illis sicco & humido, tum sanguini, quæ venæ vocantur. Fœminæ itaque venis duabus, maiore, atque aorta fisis supernè venarum multitudo tenuium in vterum definit, quibus alimento expletis, naturæque præ sua frigiditate facultatis concoquendi indiga transfunditur in vterum, propter venarum tenuitatem, cum præ sua angustia nequeant exuperantiam continere. Itaque affectus hic veluti mariscæ, aut alia profusio sanguinis euenit. Cæterum menstrua nullo circuitu certo describuntur. Tendunt tamen moueri decrecente mense, idque ratione recta. Sunt enim corpora animalium frigidiora, cum euenit, vt continens aer talis efficiatur. Mensium autem coitus frigidi sunt propter Lunæ defectum. Itaque fit, vt fines mensium, quam media, sint frigidiores. Igitur postquam excrementum mutatum in sanguinem est, menstrua moueri tendunt eò, quem modò dixi, circuitu. At si concoctum non est, paulatim aliquid subinde secernitur. Quam ob rem quæ alba vocantur, paruis adhuc, & puellis proueniūt. Sernat corpora integra vterque excrementorum hic secessus, cum modicè fit, vt pote cum ab excrementis vindicentur, quæ causæ corporibus sunt, vt ægrotent. Sed si vel non fit, vel immodicè fit, damnum euenit. Aut enim morbi oriuntur, aut corpus emarcescit, & extenuatur. Quam ob rem & ea alba, cum frequenter mouentur, & superant, incrementum auferunt puellarum, fit igitur necessario excrementum hoc ob eas, quas diximus, causas. Cum enim natura concoquere nequeat, excrementum fiat necesse est, non solum alimenti inutilis, sed etiam inuenis, & per te nuisimas venas exundando superet. Sed melioris notæ, finisque gratia Naturæ eo abutitur in hūc locum, scilicet generationis causā, vt quale erat futurum, tale alterum oriatur. Iam enim tale potentia est, quale est corpus, cuius secretio est. Fœminis igitur omnibus excrementum fiat, necesse est. Sed sanguineis amplius, eorumque mulieribus pluri

plurimum, verum cæteris quoque aliquid colligi in vuluarium locum necesse est. Causam quam ob rem sanguineis amplius, eorumque homini plurimum, antè exposui. Sed cur in fœminis omnibus excrementum hoc inest, in maribus non omnibus inest? Quædam enim non emittunt genituram, sed vt quæ emittunt, motu suæ genituræ creant, quod instituitur ex materia contenta in fœmina: sic ea motu suo interno in ea parte contento, vnde femē fecerunt, idem faciunt, & constituunt. Pars ea locis septi transuersi est in omnibus id habentibus. Principiū enim naturæ, cor, proportionalē est. Causa, inquam, cur omnibus maribus non sit excrementum genitale, cum omnibus fœminis sit, quod animal corpus est animatum, ad quod instituendum fœmina semper materiam præbet, mas vim creandi. Hæc eorum vtrique facultatem tribuimus: idque est, quo alterum mas, alterum fœmina sit. Itaque corpus, & magnitudinē præberi à fœmina necesse est: à mari nihil tale necessario desideratur. Nec enim instrumenta in iis, quæ efficiuntur, inesse: neque ipsum efficiēs necesse est. Corpus igitur ex fœmina est, anima ex mare. Substantia enim corporis alicuius anima est. Et ideo quæ nō vnigena coeūt, (quod ea faciunt, quorum tempus par, & vteri gestatio proxima, & corporis magnitudo non multo discrepans) hæc primos partus similes sibi edunt communi generis vtriusque specie: quales ex vulpe, & cane generantur, aut ex perdice, & gallinaceo, sed tempore procedente diuersi ex diuersis prouenientes, demum forma fœminæ instituti euadunt: quomodo semina peregrina ad postremum pro terræ natura redduntur. Hæc enim materiam, corpusque seminibus præstat. Quam ob rem pars fœminarum ea, quæ semen recipit, non meatus, traiectusque quidam est, sed vterus amplior. Mares, qui semen emittunt, meatus ad id emittendum habent exangues. Excrementum autem quoduis simul & suo in loco est, & excrementum efficitur: nec prius vllum, nisi vis magna cogit, & contra naturam diuertitur. Sed quam ob causam excrementa animalium genitalia fecernuntur, declaratū iam est. Cum autem semen de mare accessit in fœminæ vterum, partem purissimam excrementi constituit. Plurimum enim in mensuris quoque humoris inutilis continetur, vt in maris genitura, quod humidissimum est, tum eadem emissionē, tum in diuersis. Prior enim emissio minus fœcunda, quam posterior, est: minus enim caloris animalis continet, propter cruditatem. At verò quod concoctum est, crassum, & corpulentius est. Quibus autem vel mulieribus, vel cæterorum animalium fœminis nihil foras emittitur, quoniam non multū excrementi inutilis continetur, iis tantundem, quod colligitur, in vtero est, quantum iis, quæ foras emittunt, remanet, quod maris facultas constituit, aut in femine decedente contenta, aut marem subeunte particulari fœminæ, quæ proportionē respondeat vuluis: vt in quibusdam insectis fieri cernitur. Humorem autem, qui à fœminis cum voluptate emittitur, nihil ad conceptū conferre dictum est. Sed potissimum inde videri potest, quod vt maribus, sic & fœminis

accidat noctu per quietē, quod pollutionem appellant. Verum hoc nullum indicium est. Nam & adolescentibus idem euenit, qui etiam emissuri aliquando sunt, tamē nondum emittunt, & iis, qui vel emittunt, vel emissuri sunt, infœcudum. Res ita se habet, vt sine maris emissionē concipi impossibile sit, atque etiam sine menstruorum excremento, quod aut redundans effluat foras, aut intus satis sit. At sine ea voluptate, quæ fœminis per coitum euenire solet, concipitur, si locus turget, & vulua descēdit propius. Veruntamen magna ex parte sic accidit, vt cū profusione fœminæ agatur, quoniā os vteri se comprimat, cum profunditur. In qua quidē profusione voluptas & mari, & fœminæ contingere solet. Semē etiā maris melius ita dirigitur, & iuuatur. Profusio autem non iatus fit, vt quidā volūt. Os enim vteri angustum est: sed antè, quod fœmina mittit vaporem illum nonnullarū recrementū: eodem enim mas etiam mittit, quod fuderit: & aut ibidē manet semen emissum, aut intrò ab vtero trahitur, si calidus est, & modicè temperatus. Cuius rei indicium, quod locus, qui modò madebat, resiccatus mox sentiat. Animalibus etiam, quorum præcordiis vulua iungitur, vt auibus, & piscibus, qui animal pariunt, ne semen illhuc trahatur, sed profusum deueniat ipsum impossibile est. Trahit geniturā hic locus suo calore. Menstruorum etiam decessio, & confluuium fomitem in ea parte caloris parat. Itaque vt vasā non illita, calido diluta humore, aquam in se trahunt ore inuerso, ita attrahitur. Nec audiendi sunt, qui partibus accommodatis ad coitum officialibus id fieri opinantur: nullo enim pacto sic fieri potest. Contrà etiā euenit iis, qui semē à muliere quoque emitti aiunt. Accidit enim vt postquā foras emiserūt, retrahant intrò. Siquidē quod emissum est, misceri debet cū maris genitura, quod ita fieri superuacaneū est. At verò Natura nullā rem superuacaneā facit. Cum autē excrementū fœminæ in vtero constituerit à maris genitura, quæ simile facit, vt lactis coagulum, coagulum enim, lac est continens calorē vitalem, qui partes similes ducit eodem, & vnit, atque constituit. Et genitura ita se habet ad menstruorū naturā: eadē enim natura lactis, & menstruorū est. Itaque coactis iam partibus corpulentus humor excernitur, obducunturque circum parte resicciscēte terrena mēbrana tum necessario etiā alicuius gratia. Nam & calefcētis, frigesctisve rei extrema scicescere necesse est, & animal nō in humido, sed seorsum cōtineri oportet. Vocatur ea, quibus obuolutus est fœtus, partim mēbrana, aliā secundæ, quæ maioris, minorisque ratione differunt. Hæc pari modo in omnibus tam ouiparibus, quam viuiparis habetur. Sed enim cum conceptus institutus est, facit simile iis, quæ ferūtur. Principium enim primum semina quoque intra se continet: quod potētia primò conuentū, vbi secretum mox est, germē mittit, & radicē, qua alimentū assumitur: incrementum enim desideratur. Sic in conceptu quodam modo cum partes corporis omnes potētia insint, principium maximè promptū habetur. Quam ob rem cor primū actu secernitur, quod non modò sensu ita fieri constat, verum etiam ratione.

tionem. Cùm enim quod gignitur de ambobus ab iun-
ctum iam est, se ipsum gerere, gubernare, & dispen-
sare debet perinde, quasi filius à patre emancipa-
tus, seorsumque collocatus. Itaque principium ha-
beri oportet, à quo etiam post ordo membrorum
describatur, & quæcunque ad absoluendum animal
pertinent, disponantur. Nam si extrinsecus aliquan-
do aderit, & post inesse incipiet, non solum dubi-
taueris, & quonam tempore accedat, quæsieris, sed
etiam cùm pars quæuis distinguitur, id primum
substare necesse est, ex quo & incrementum, & mo-
tus cæteris partibus contingat. Quam ob rem qui-
ta, vt Democritus, aiunt exteriora primum anima-
lis discerni, tum interiora, quasi lapideum, aut li-
gnum animal cõdant, non rectè dicunt. Res enim
naturalis nullum principium habet. At animalia om-
nia habent, atque intra se continent. Quapro-
pter cor primum distinctum in omnibus inspicitur
animalibus, quæ sanguinem habent. Id enim prin-
cipium est & similariū, & dissimilariū partium. 20
Iam enim principium id accepisse animalis, con-
stiturique fœtus decet, cùm alimentum desiderat.
Quod enim iam animal est, augetur. Alimentum
autem vltimum animalis sanguis est, aut quod san-
guini proportionetur, quorum vasa, & conceptacu-
la venæ sunt. Quam ob rem venarum quoque prin-
cipium cor est. Patet hoc ex historiis, & dissec-
tionibus animalium. Sed cùm potentia quidem ani-
mal sit, sed imperfectum, aliunde accipiat alimen-
tum necesse est. Quam ob rem vtero, & parente, vt
terra planta vritur ad cibum hauriendum, donec
perficiatur, & iam sit animal potètia gressile. Quo
circa ex corde primum venas illas duas Natura de-
scripsit, de quibus venulæ dependent in vterum, ex
quibus, qui vmbilicus vocatur, constat. Vmbilicus
enim vena in aliis simplex, in aliis multiplex est:
quam venam putamen cuticulare ambit, quod
ymbilicus vocatur, quoniam venarum imbecilli-
tas tutelam, operimentumque desideret. Venæ au-
tem quasi radices contingunt ad vterum, per quas
alimentum haurit fœtus. Eius enim rei gratia ani-
mal in vtero manet, non, vt Democritus ait, vt
membra formentur secundum membra parentis.
Apertum hoc in ouiparis est. Nam illa in ouis di-
stinguuntur separata à vulua parentis. Sed dubita-
ueris cùm primū cor oriatur sanguine præditum,
sanguis autem sit alimentum, quod extrinsecus ven-
nit, vndenam primum alimentum subierit? An id
vterum non dicitur, alimentum omne esse extrin-
secus: sed protinus vt in plantarum seminibus inest
aliquid tale primum, quod lacteum vocatur: sic in
animalium materia excrementum constitutionis
alimentum est. Incrementum igitur fœtui per vmbi-
licum contingit eodem, quo plantis modo per
radices. Atque etiam animalibus ipsis, vbi absolu-
ta iam sunt, ex eo, quod continetur, alimèto idem
accedit. De quibus post suo loco dicendum est. Di-
stinctio autem partium non, vt quidam opinantur,
propterea fit, quia simile suapte natura ad simile fe-
ratur. Nam præter alias multas, quas ratio ista ha-
bet, difficultates accidet, vt quæuis pars similis
seorsum creetur: verbi gratia, ossa per se, & nerui,

& carnes, si quis eam causam approbet. Sed quo-
niam excrementum fœminæ potentia tale est, qua
le natura animal est, partisque potètia insunt, actu
nulla inest, ideo pars quæque existit. Quoniam etiã
agens, & patiens, cùm se inuicem tetigerunt, quen-
dam in modum alterum agens, alterum patiens est,
modum hunc ita intelligi volo vt conditionibus,
sic, vbi, quando describatur. Ita enim continuo al-
terum agit, alterum patitur. Materiam igitur fœmi-
na præbet, principium motionis mas. Et quemad-
modum quæ ab arte efficiuntur, per instrumenta
efficiuntur, sed veriùs dixerim per motum eorum,
qui artis operatio est: ars autem forma eorum, quæ
efficiuntur, est in alio: sic à facultate, siue virtute ani-
mæ vegetalis agitur, vt quæ in animalibus ipsis, &
plantis postea ex alimento vis eadem efficit incre-
mentum, vtendo caliditate, & frigiditate, quasi in-
strumentis, (motus enim in iis consistit, & ratione
aliqua vnumquodque efficitur) sic etiam principio
constituit id, quod natura efficitur. Eadem enim
materia est, ex qua agetur, & ex qua constituitur pri-
mum. Itaque facultas quoque agens eadem, quæ
principio est, sed maior. Quod si hæc vegetalis ani-
ma est, eadem, quæ generet, quoque est, idque natu-
ra cuiusque est insita, & in plantis, & in animalibus
omnibus: cæteræ animæ partes aliis insunt, aliis
desunt animalibus. Sed cùm in plantarum genere
nullo discerniculo sexus mas distinguatur à fœmi-
na, in animalibus, quanquam non omnibus, distin-
guitur. & mas ob eam rem desiderat fœminam. At
qui quæsierit quispiam, qua de causa fœmina desi-
deret marem, nec ex se ipsa generet: quandoquidem
animam habet eandem, & materia excrementum
fœminæ est. Causa illud est, quod animal sensu dif-
ferat à planta: Nec fieri potest vt vel facies, vel ma-
nus, vel caro, vel alia pars sit, nisi anima sensu-
alis insit, aut actu, aut potentia: & aut aliquatenus, aut
simpliciter. Erit enim vt mortuus, aut pars mor-
tui. Quod si mas est efficiens talis animæ, impos-
sibile est vt fœmina ex se ipsa animal generet, vbi
mas à fœmina separatur. Eo enim, quod diximus,
mas definitur, qua mas est ratione. Quæstionem
verò propositam ratione non carere, patet in aui-
bus, quæ oua subuètanæ pariunt, cùm fœmina ali-
quatenus possit generare, quod & ipsum recipit
quæstionem, Quonam modo oua eorum dicuntur
viuere? nec enim ita vt oua fœcunda possunt. Sic
enim actu animatum ex iis efficeretur. Neque ita
se habent ista vt lignum, aut lapis: quippe quæ cor-
ruptione aliqua pereant, vt quæ vitam quodam mo-
do antè participarent. Constat igitur, hæc aliquam
habere potètia animam, sed quam? Istam vltimam
prorsus habeant animam necesse est, quæ vegetabi-
lis est. Hæc enim æquè in omnibus tam animalibus,
quàm plantis inest. Sed cur partes, & animal
nō efficiant? Quia sensuale animam habere ea opor-
tet: non enim animalium partes ita sunt, vt planta-
rum. Quæ ob re maris societate opus est: mas enim
à fœmina separatus in iis est, & quidem sic vsu eue-
nit. Subuètanæ enim illa fœcunda redduntur, si
mas coiuuit tempore quodam. Sed de eorum causa
post. Si quod autem genus est, quod fœmina sit, &
marem

marem distinctum non habeat, id ex se ipso animal
generare potest. Quod etsi nondum fide digna ex-
ploratum habemus, tamen facit vt in genere pisci-
um dubitetur eorum enim quos rubros siue rubel-
liones vocant, mas nullus adhuc visus est, sed fœmi-
næ omnes fœtu plenæ reperiuntur. Verùm de his
nondum compertum habemus, quod fidem faciat
satis. Quod autem nec mas, neque fœmina sit, in
genere quoque piscium est, vt anguilla, & genus mu-
gillum quoddam in fluuiis lutulentis. At verò in
quibus sexus maris & fœminæ distinctus habetur,
fieri non potest vt fœmina ipsa per se generet per-
fectè: ita enim mas frustra esset. Quam ob rem in
iis mas semper perficit generationem: hic enim sen-
sualè dat animam, aut per se, aut per genituram.
Sed cùm partes omnes potentia in materia insint,
cùm principium motionis affuit perinde, vt in
spontanis illis miraculis, quod subinde sequitur, ex-
citatur, & quod nonnulli naturales authores expo-
nere volunt, cùm dicant simile ferri ad simile: di-
cendum partes moueri non mutantes locum, sed
& alterascentes mollitie, duritie, colore, & reliquis
partium similariū differentiis factæ iam actu, quæ antè
erant potentia. Fit autem primum principium, quod
in sanguineo genere cor est: in cæteris proportionale,
vt sæpius dictum est. Idque effici primum non modò
sensu percipitur, sed etiam quod per obitum vita hic
vltimò deficit. Euenit nanque in omnibus, vt quod
vltimum fit, id primum deficiat: & quod primum, id
vltimum quasi Natura decursionem reducem agat, & à
calce ad carceres, vnde proruit, redeat. Est enim
generatio ex non ente in ens: corruptio contrà, ex ente
in non ens. Gignuntur post principium, vt dictum
est, interiora priùs, quàm exteriora, sed priùs ma-
iora, quàm minor, visuntur, quauis nonnulla priùs
non orientur, primum superiora præcordiis for-
mantur, eademque magnitudine præstant. Nam
inferiora, & minora sunt, & minùs discreta, idque
in omnibus, quæ parte superiore, inferiorèque di-
stinguuntur, exceptis insectis. Quæ enim ex iis ver-
miculis nascuntur, parte inferiore ampliùs crescunt,
superiore iam inde à primo ortu minora sunt. Gressi-
um mollibus solis nullum discrimen est superioris
& inferioris. Quod autem de parte superiore
diximus, priùs, quàm inferiorè constitui, idem in
plantarum etiam genere euenit: femina enim priùs
mittunt radicem, quàm ramos. Distinguuntur ani-
malium partes spiritu, sed non aut parentis, aut suo,
vt quidam Naturæ interpretes voluerunt. Hoc enim
in genere auium, & piscium, & insectorum palàm
fit, quæ partim seiuncta à parente nascuntur ex ovo,
in quo formantur, & explanantur: partim non spi-
rant omnino, & tamen aut ovo, aut vermiculo ena-
scuntur, alia quamquam spirant, & in vtero capiunt
explanationem, tamen non priùs spirare incipiunt,
quàm pulmo perficiatur. Articulantur & hic, &
omnes priores partes antè, quàm animal spiret.
Item quadrupedum, quæ multifida sunt, vt canis,
leo, lupus, vulpes, lupus ceruarius, omnia cæcos ge-
nerant: post palpebræ dehiscunt. Itaque constat in
cæteris quoque omnibus, vt quantitatem, sic quali-

tatem potentia antè substantem effici, actu post ab
eisdem causis, à quibus distinguitur quantitas, &
duo ex vno effici: spiritum verò inesse, quoniam hu-
midus, & calidus est, cùm alterum agat, alterum pa-
tiatur. Iam antiquorum nonnulli Naturæ interpre-
tum, quæ postquam efficeretur pars, tentarunt qui-
dem exponere, sed parum vsu periti earum, quæ ac-
cidunt, rerum partium enim aliæ priores aliis sunt:
quod in cæteris etiam rebus. Prius autem multi-
plex iam est. Id enim, cuius causa, & quod tuius
causa, differunt: & alterum generatione, alterum ef-
ficientia prius est. Quin & quod eius causa duplicem
recipit differentiam. Aut enim est vnde motus:
aut quo vtatur id cuius causa. Verbi gratia, genita-
le, & instrumentale rei generatæ: horum enim alte-
rum, id est generans, & agens præesse oportet, vt
quod doceat priùs, quàm quod discat. Sed tibiis
post eum, qui tibiis discat: frustra enim aderunt ti-
biæ iis, qui vti nesciant tibiis. Cùm itaque tria hæc
sint, primum finis, quem esse id dicimus, cuius cau-
sa. Secundum, quod eius causa, scilicet principium
generans, & mouens. Efficiens enim, & generans,
qua talia sunt, ad id pertinent, quod efficitur, & ge-
neratur. Tertium, vtile, & quo finis vtatur. Pri-
mum eam partem habere necesse est, in qua prin-
cipium motus continetur. Hæc enim protinus pars
finis prima & potissima est: tum post eam totum &
finem. Tertium verò, & vltimum partes iis accom-
modatas instrumentales ad vsus nonnullos. Itaque
si quid tale est, quod in animalibus inesse necesse
sit, quod totius naturæ principium, & finem conti-
neat, id effici primum necesse est. Qua enim mo-
uens primum oriri, qua pars finis est, cum toto ori-
ri debet. Itaque instrumentarium partium, quæ sua
natura genitales sunt, eas semper esse priores opor-
tebit: alterius enim causa sunt, tãquam principium.
At verò quæ tales ex iis, quæ alterius gratia con-
stant, nō sunt, eas esse posteriores congruit. Quam
ob rem vtrænam partes priores sint, quæ alterius
causa, an cuius causa ipsæ sint, distingui non facile
potest. Incidit enim vt partes mouètes, priores sint
generatione, quàm finis. Mouentes autem ab instru-
mentalibus distingui non facile est. Atqui ea ipsa
via, rationeque, quid post quod fiat, querendum est.
Finis enim quorundam posterior est, quorundam
prior. Quam ob rem ea pars, quæ principium con-
tinet, prima existit: mox tota superior moles. Qua-
propter caput, & oculi fœtus maximi inter initia ap-
parent: inferiora ab vmbilico, crura dico, exigua cer-
nuntur. Partis enim superioris gratia, inferior est.
Et neque pars finis, neque genitalis est eius. Neces-
sitate etiam cur ita sit, non bene reddunt, qui quod
semper ita fit, dicunt, idque principium in his existi-
mant, vt Democritus Abderitanus opinatur, quod
sempiterni, & infiniti principium nullum est. Causa
autè cur ita, principium est, & infinitum, quod sempi-
ternum est. Itaque interrogare de eiusmodi rebus cur
ita est, querere, inquit, principium infiniti. Atqui ea
ipsa ratione, qua censeant non esse querendum, nul-
lius rei sempiternæ demonstratio esse poterit. Et
tamen esse complurium videtur, quarum aliæ sem-
per fiunt, aliæ semper sunt. Nam & triangula figura
duobus

duobus rectis æquales semper habet, & diametrum incommensurabilem esse cum costa, sempiternum est. Attamen causa eorum aliqua, & demonstratio est. Igitur non omnium rerum principium querendum esse rectè dicitur: at rerum, quæ semper aut sunt, aut fiunt, nullum principium esse querendum non bene asseritur. Sed ea duntaxat principia non recipiunt examen eiusmodi, quæ rerum sempiternarum sunt. Principiis enim alia cognitio, non demonstratio est. Principium verò in rebus immobilibus quiditas est. In rebus autem, quæ fiunt iam plura habentur principia, sed modo diuerso, nec omnia modo eodem, quorum principiorum vnum numero est, vnde motus. Quam ob rem omnia, quæ sanguinem habent, animalia cor primum possident, vt inter initia nostræ disputationis dictum est. In cæteris primum gignitur, quod proportionale sit cordis. Venæ ex corde tendunt diductæ modo riuorum, qui in parietibus proficiscentes ab eodem fonte pinguntur: partes enim coniunctæ iis sunt, vt pote quæ ex iis coagmententur, atque consistant. Ortus similiarum frigore, caloréve agitur: consistunt, coquunturque; alia frigido, alia calido. Quarum rerum differentias alibi exposuimus, antè scilicet, quæ humore, ignéque resolubiles, ignéque illiquabiles sint. Per venas igitur, & meatulos quosque alimentum resudans, quemadmodum aqua per crudiufculam futem, in carnem, aut carnis proportionale conuertitur frigore consistens. Ex quo fit, vt caro ab igne resoluatur. Sed quæ terrena admodum oriuntur, parum humoris, calorisque adepta, hæc dum refrigescunt, humore cum calore euaporante duram terrenamque formam capiunt, vt vngues, cornua, vngula, rostra. quam ob rem igne hæc molliuntur. Sed humore nonnulla liquefcunt, vt ouorum putamina. Nerui, & ossa calore interiore conficiuntur sic siccescente humore. Quam ob rem ossa resolui ab igne non possunt: quomodo testa indisolubilis est. Quasi enim in fornace excocta à calore generationis ita constat. Hic autem calor nec ex quolibet carnem, aut os facit, neque quolibet modo, aut tempore, sed ex materia apta, & vt aptè, & cum aptè effici potest. Neque enim quod effici potest, efficietur à mouente, quod actu careat: neque quod actum obtinet, efficere ex quolibet poterit. Sicut nec faber arcam, nisi ex ligno facere potest, neque arca effici ex lignis potest sine suo artifice. Inest hic calor in excremento seminali, tantam, talémque habens motionem, & actionem, quanta modicè ad quauis corporis partem accommodatur. Quod si vel deficit, vel excedit, rem, quæ fit, aut deteriorem efficit, aut læsam, & mancam, similiter vt in iis agitur, quæ foris igne coquuntur ad cibum, aut ad alium vsum. Sed in iis motum coloris nos moderamus, in illis natura gignentis accommodat. In iis autem, quæ sponte oriuntur causa est, motus temporis, & calor. Frigus, priuatio caloris est. Vtitur his ambobus Natura vim habentibus necessariò, vt alterum hoc, alterum illud faciat. Sed in iis, quæ alicuius gratia gignuntur, accidit vt alterum frige faciat, alterum calefaciat, atque ita pars quæque qualitate certa efficiatur, vt caro mollis par-

tim necessariò talis exinde facta, partim alicuius gratia. Neruus siccus, & ductilis, os siccum, & fragile, cutis carne siccescente efficitur: quomodo in polentis crustula, quam netulam vocant. Nec solum propter extremum generatio eius euenit, sed etiam quòd lentitudo resideat, cum euaporari non possit: verum in cæteris lentum id squallidum est. Itaque fit vt extrema exanguium animalium testa, crustave consistat. At in sanguineo genere lentum hoc pinguius est: & quidem quæ natura non terrena admodum sunt, eorum pingue sub cutis operimento colligitur, quasi cutis ex eiusmodi lentitate consistat. Pingue enim habet aliquid lentitatis. Sed hæc omnia vt diximus, partim necessariò, partim non necessariò, sed alicuius gratia effici asserendum est. Primum igitur moles superior per generationem distinguitur: inferior tempore procedente recipit incrementum in sanguineo genere. Omnia verò lineamentis primum describuntur, deinde colores recipiunt, & mollitiem, & duritiem, quasi pictoris officio fungatur Natura, cum condit, & creat. Pictor enim, vbi lineis primum descripserit animantem, mox vario illinit colore, ac perficit. Cum itaque principium sensuum, totiusque animalis in corde contineatur, hoc ob eam rem primum gignitur, mox ob eius calorem frigiditas supra, vbi delinunt venæ, respondens cordis calori constituit cerebrum. Itaque caput à corde continuo geratur, & magnitudine cæteris præstat. Principio enim cerebrum multum & humidum est. Sed recipit dubitationem, quod oculis animalium euenit. Principio enim maximi visuntur, & in pedestri, & in natili, & in volatili genere: vltimi verò omnium partium perficiuntur. Interim enim confidunt. Causa autem est, quòd oculorum sensorium positum quidem est, vt cætera sensoria apud meatum: sed cum sensorium tangendi, gustandique protinus sit aut corpus, aut aliquid proprium corporis animalium, olfaciendi verò, audiendique meatus contingant aerem externum pleni spiritus natiui, ortique à corde tendant, ac desinant ad venulas cerebro adiunctas, oculus solus proprium corpus præ cæteris habet sensoriis, quod humidum, & frigidum est: nec antè contentum eo in loco potentia, vt cætera partes, tum deinde actu existens. Sed à cerebri humore secernitur pars purissima per meatus, qui ab oculis ipsis tendere ad membranam cerebri visuntur. Cuius rei argumentum, quòd nec alia pars humida, & frigida est in capite, præter cerebrum, & oculus frigidus, atque humidus est. Itaque necessariò locus hic magnitudinem primum capit, post confidit. Nam & in cerebro eodem euenit modo, vt primum præhumidum, multumque sit, mox humore efflato, concocto que corporatur magis, subsidetque & cerebrum, & magnitudo oculorum. Principio igitur caput prægrande propter cerebrum, oculi grandes propter humorem in ipsis contentum apparent. Vltimi verò perficiuntur, quoniam cerebrum quoque vix consistat. Serò enim à frigiditate, humiditateque vendicatur in omnibus quidem, sed præcipue in homine: nam & sinciput inter ossa vltimum confirmatur.

Iam

Iam enim cum partus in lucem venit, molle hoc infantis os est. Causa vt hoc maximè hominibus accidat, quoniam cerebrum humidissimum, & maximum omnium animalium homines habeant. Cuius rei causa est, quòd calorem etiam cordis purissimum obtinet, quod temperamentum intellectus plane significat. Homo enim omnium animalium prudentissimus est. Pueri etiam longo tempore nequeunt continere caput, præ pondere cerebri. Nec secus partes, quas mouere oportet. Principium enim mouendi serò superioribus denominatur, & ad postremum iis, quorum motus non iungitur cum principio, vt cruribus. Palpebra etiam talis pars est. Sed cum Natura nihil superuacaneum, nihil frustra facere soleat, constat nec prius, neque posterius, quam vsus exigat, ab ea effici quicquam. Sic enim quod factum est, frustra, aut superuacaneum fuerit. Itaque palpebras simul & distinguere, & posse moueri necesse est. Si verò igitur oculi animalium perficiuntur propter copiam humoris concoquendi in cerebro. Vltimi autem, quod mouendi facultas, nisi increuerit, nequeat mouere eas partes, quæ tam remotæ à principio, refrigeratæque sunt. Declarant hoc idem palpebræ sua natura. Cum enim vel quantalibet grauitate caput tentatur, aut ex somno, aut temulentia, aut alia eiusmodi causa, palpebras attollere non possumus, quamquam leui pondere aggrauentur. Sed de oculis iam dictum est, quemadmodum oriuntur, & quam ob causam vltimi articulantur, & absoluantur. Cæterarum partium vnaquæque ex alimento gignitur. Nobilissima quæque, & potissimi principii particeps ex concocto sincerissimo, primoque alimento. Reliquæ necessariae, ac illiarum gratia instituendæ, ex deteriore, & reliquiis, excrementisque Perinde enim Natura, atque paterfamilias prudens, nihil admittere solet, ex quo facere aliquid commodi possit. Dispensatur autem in cura rei familiaris ita, vt cibus optimus detur liberis, deterior seruis, vilissimus fociis animalibus. Vt igitur incremento iam addito mens aduena facit hæc, sic in ortu ipso Natura ex materia sincerissima carnè cæterorum sensoriorum corpora conficit, in excrementis ossa, neruos, pilos, vngues, vngulas, & reliqua generis eiusdem constituit. Quam ob rem hæc vltima efficiuntur, cum iam suppetit excrementum Naturæ. Ossa igitur in prima partium constitutione, gignuntur ex seminali excremento, cumque animal augetur, hæc incrementum ex alimento capiunt naturali, quo partes principales augentur. Eius tamen ipsius alimenti sunt, & reliquiæ, & excrementa. Fit enim in quouis primum, & secundum. Alimentique ratio duplex est, altera nutriendi, altera augendi. Nutriens est, quod esse præbeat & toti, & partibus. Augens, quod accessionem ad magnitudinem faciat. De quibus postea differendum latius est. Nerui etiam eo modo, quo ossa, instituuntur, & ex eodem, videlicet ex seminali excremento, & nutritiuo. Sed vngues, pili, cornua, rostra auium, & calcaria, & si quid eiusmodi aliud est, ex cibo gignuntur aduentitio, & auctiuo, quem tum à femina, tum de foris sibi acquirunt. Quam ob rem ossa quodam tenuis capiunt incrementum omnibus enim animali-

bus exitus magnitudinis est. Itaque ossa quoque certo augendi termino describuntur. Nam si hæc semper auerentur, animalia quoque, in quibus ossa, aut ossis proportionale est, auerentur quandiu viuerent. Magnitudinis animalium meta, & terminus his describitur. Sed quam ob causam non semper capiunt incrementum, postea declarandum est. Pili autem, & eorum cognata omnia, quandiu in- sunt, tandiu augentur: & magis cum corpora aut egrotant, aut senescunt, atque decrefcunt: quoniam plus excrementi tantisper remanet, cum minus in partes præcipuas consumatur propter senium, aut morbum. Nam vbi id quoque ob ætatem defecerit, pili quoque deficiunt. At ossa contra: decrefcunt enim cum corpore, & membris. Defunctis etiam pili augentur, sed nasci nequeunt. De dentibus dubitaueris: sunt enim eiusdem naturæ, cuius ossa: gignunturque ex ossibus, vt vngues, pili, cornua, & similia ex cute. Quo fit vt ipsa colorem pariter cum cute immutent: alba enim, & nigra, & vario modo diuersa pro colore cutis redduntur. At dentes nihil tale recipiunt. Ossibus enim annumerantur in iis animalibus, quæ ossa habent, & dentes. Accrescunt soli omnium ossium tota vita. Quod patet in iis dentibus, qui mutuè tactum declinant. Causa incrementi est, vt quoad pertinet ad id, cuius gratia, vt fungi officio possint. Breui enim tempore arrita consumerentur, nisi subinde repararentur, quado vel nunc senescētibus nonnullis edacibus dente non magno præditis admodum perteruntur: plus enim in dies adimitur, quam additur. Quam ob rem bene id quoque ad rem, quæ accidit, emolita Natura est: quippe quæ in senectutem, vitæque exitum defectum dentium profert, & pro vitæ spatio præscripserit modum. Sed si decies, millies, aut deciescenties annis vita seruaretur, & prægrandes primos oriri oporteret, & sæpius renasci. Quauis enim assidue reciperent incrementum, tamen detriti plus, quam accrescerent, inuiles demum ad cibum conficiendum euaderent. Sed cuiusnam gratia capiunt incrementum, dictum iam est. Accidit autem vt neque eandem naturam, quam cætera ossa, dentes habeant. Cætera enim in prima constitutione omnia gignuntur, neque est quod post oriatur: at dentes post enascuntur. Quam ob rem cum deciderint, denuò possunt oriri. Tangunt enim ossa, non continuantur. Ex eo tamen gignuntur alimento, quod in ossa administratur. Quapropter eandem, quam ossa, habent naturam, & tunc cum illa iam suum numerum receperunt. Sed cum cætera animalia dentibus, aut dentium proportionali prædita enascantur, nisi quid præter naturam accidit, (perfectiora enim, quam homo, generatione absoluunt) homo dentibus carens venit in lucem, nisi quid præter naturam intercesserit. Sed quam ob causam dentes alii decidunt, alii non, post explicabimus. Quòd autem eiusmodi partes excremento constituuntur, ea causa homo in obsepto, & nudissimo omnium animalium corpore est, & vngues minimos pro magnitudine habet: minimum namque in eo est excrementum terrenum. Cum enim excrementum quodque sit, quod incoctum remaneat, tum quod terrenum in corporibus est, omnium maximè est incoctum. Quemadmodum

dum partes quæque constituantur, & quænam causa generationis sit, declaratum iam est.

Quomodo foetus in utero animalium augetur.

Cap.

V.



Vgentur foetus, qui forma animalis nascuntur, per umbilici annexum, ut antè diximus. Cùm enim vis quoque nutriendi in animalibus insit, umbilicū statim quali radicem agunt in vterum. Umbilicum venæ contentæ in putamine complent. Plures in maioribus animalibus, ut boue, cæterisque generis eiusdè: binæ in mediocribus, singulæ in minimis hoc sanguineum hauriunt alimentum. Vterus enim exitus est venarum multarum. Animalia igitur non vtrinque dentata omnia, & dentatorum vtrinque, quorum vterus venam non singularem habet pertinentem grandem, sed pro vna plures frequentes continet, hæc in utero habent, quæ acetabula appellantur, in quæ umbilicus deuenit, atque adhæret. Tendunt enim venæ umbilicales vndique laterum, fissæque sparguntur vsquequaque per vterum, & quæ desinunt, hæc illa acetabula existunt curuamine suo coniuncta cū utero, cauo autem ad foetum conuersa. Secundæ vero, & membranæ inter foetum, & vterū positæ sunt. Acetabula foetu accrescente, proficiscenteq; ad exitum, minora subinde redduntur, demumque obliuantur, cùm perfectus iam est. In ea enim veluti mamas reponitur à Natura foetui alimentum sanguineum, quod dum colligitur, & paulatim ex multis consistit, quasi pustula, & inflammatio corpus acetabulorum existit. Itaque quædiu foetus sit minor, nec multum cibi assumere possit, conspicua, maioraque sunt: sed aucto iam foetu confidunt, & exolefcunt. Minuta, & vtrinque dentata animalia, magna ex parte acetabulis vteri carent. Tendit umbilicus in iis in venam singularem, quæ per vterum maiuscula fertur. Cùmque eiusmodi animalia alia vnum, alia plura pariant, quo modo vnum, eodem plura habentur. Sed hæc, & disseccionum exemplis, & historiarum commentariis inspicienda, explorandaque sunt. Hærent enim, & continentur animalia ex umbilico, qui ex vena dependet per æquilibrium directum ad venam quasi aquæ ductum fluentem. Foetus membranis, & secundis obuolutus continetur. Qui infantes alii in utero aiunt, sugentes carunculam quandam, non rectè dicunt. Idem enim & cæteris animalibus eueniret, quod tamen nusquam videmus. Atqui facile per disseccionem videtur, si esset. Omnes etiam foetus, tum volucres, tum aquatiles, & pedestres pari modo membranæ tenues ambiunt, separantes ab utero, & humoribus admixtis. Sed nec iis ipsis tale quicquam inesse videmus. Neque fieri potest, ut per eorum aliquod alimentum hauriant. Iam quæ ouo nascuntur, omnia incrementum foris recipere abiuncta ab utero, apertum est. Itaque non rectè aiunt, qui ita dicunt, ut Democritus. Coeunt animalia generis eiusdem secundum naturam, sed ea etiam, quorum genus diuersum quidem, sed natura non multum distat, si modò par magnitudo sit, & tempora æquent grauiditatis. Rarò id fit, sed tamen fieri & in canibus, & in vulpibus, & in lupis certum est. Canes etiam Indici ex bellua quadam simili, & cane generantur. Necnon in auibus salati-

bus idem fieri visum est, ut perdicibus, & gallinis. Quinetiam ad uncorum accipitres specie diuersi coire putantur. Idemque in nonnullis aliis auibus euenire animaduersum est. In marinis nihil adhuc exploratum habemus dignum memoratu. Qui tamen rhinobati appellantur, gigni creduntur ex squatina & raia. Ad hæc, quod de Africa in prouerbio est, semper aliquid noui Africam afferre, propterea dicitur, quod diuersa etiam genera coeant. Nam aquæ penuriam terræ illius, vel alienigena libidine copulantur, cùm in loca paucissima rigua congregantur. Sed cùm cætera sic orta, rursus ipsa inter se coeant, generareque possint, genus vnum mulorum sterile est: quippe quod neque secum, neque cum aliis iunctum generet. Quæstio igitur in vniuersum, quam ob causam sterilis, aut mas, aut foemina sit: sunt enim steriles & mulieres, & viri. Atque etiam in cæterorum animalium genere, ut equorum, ut ouium, sunt quæ nullam faciant prolem: sed mulorum genus totum sterile est. Causæ verò sterilitati: in cæteris animalibus plures sunt. Nam & à primo ortu Naturæ locis ad coitum commodis oblati, steriles & mulieres, & viri redduntur, ut altera non pubescant, alteri non barbescant, sed spadones quidam sunt. Alii in processu ætatis idem accidunt affectus, aut propter corporis nurricationem pleniorum. Mulieribus enim pinguioribus factis, viris corpore melius habito excrementum feminale in corpus absorbitur. Itaque fit ut illis menstrua desint, his genitura. Aut ex morbo, viris humidum, frigidumque emittitur semen: mulieribus purgationes vitiantur, plenæque excrementorum morbificorum redduntur. Multis etiam tum viris, tum mulieribus hoc idem accidit malum oblati partibus, & locis accommodatis ad Venerem. Quæ vitia partim curabilia sunt, partim incurabilia. Sed maximè steriles tunc perseverant, cùm primo Naturæ ortu tales constiterunt. Gignuntur enim & mulieres viragines, & viri foeminares: alteris menstrua desunt, alteris semen exile, frigidumque est. Quam ob rem ratione recta experimento in aqua probatur foecunditas feminis. Quod enim tenue, ac frigidum est, citò diffusum per summa innatat: quod foecundum est, in imum descendit. Calidum enim, quod concoctum est. Concoctum autem est, quod spissum, crassumque est. Mulierum probatio suffitu, ut odores subeuntes vterum efferantur ad locum spirandi, & afficiant alitum. Atque etiam illitu, ut colores oculis impositi saluam perficiant oris. Nam nisi hæc ita fiant, meatus corporis, per quos excrementum decedit, confusos, obseptos, & obcætos esse significatur. Sedes enim oculorum maxime omnium locorum capitis seminalis est. Quod patet, cùm sola ipsa per coitum Venereum manifestè immutetur, & vsu immodico rei Venereæ oculi apertè langueant, & subsedeant. Causa est, quod natura genituræ similis cerebro est. Aquosa enim materia eius est, calorque aduentitius. Purgationes autem feminales à septo veniunt: principium enim naturæ hinc est. Itaque fit, ut motus à genitali ad pedes deueniant. Hinc odores per spirationem sensum efficiunt. Hominibus igitur, cæterisque generibus, ut antè retulimus, particulatim hæc læsio obuenit.

Contra

Contra Empedoclis, & Democriti sententiam, qui non rectè senserunt, quam ob causam muli sint steriles.

Cap. VI.



T genus mulorum totum sterile est. Cuius rei causa non bene ab Empedocle, & Democrito redditur. Obscurè Empedocles, planius Democritus scribit: sed neuter bene. Afferunt enim demonstrationem æquè de omnibus, quæ præter suam cognationem coeant. Democritus meatus mulorum corruptos in vteris dicit, quoniam non ex cognatis principium eorum consistit. Sed id cùm aliis etiam animalibus accidat, tamen nihilò minùs possunt generare. Atqui si id causæ esset sterilitatis, cætera quoque sterilia esse deberent, quæ ita coeant. Empedocles misturam seminum causatur, quæ densa ex molli vtraque genitura consistat. Caua enim, & densa coaptari vicissim, fierique ex iis, durum ex mollibus, ut si æs stanno misceatur. Sed nec in stanno, & ære causam rectè assignat. Dixi de his in problematis, neque principia ex rebus vlllo modo cognitis accipit. Caua enim, & solida coaptata vicissim, quoniam modo faciant mistionem, aut vini & aquæ, aut alius cuiuspiam? hoc enim supra hominis captum dicitur. Nam quemadmodum cauam vini & aquæ debeant accipi, præter sensum omnino est. Item cùm ita sit, ut & equi ex equis gignantur, & asini ex asinis, & mulus ex equo & asino, alterutro mare, aut foemina, cur ex his tam densum consistat, ut sterile sit, quod prodierit? Ex equo autem foemina & mare, aut asino foemina & mare sterile non proueniat? Atqui molle & maris equi & foeminae semen est. Coit autem equus cum asino, tum mare, tum foemina pro differentia sui sexus. Ideoque gigni ex iis sterile ait, quia vnum ex ambobus seminibus mollibus conficiatur. Ergo & quod ex equo mare ac foemina gignitur, sterile esse debet. Nam si alterum misceretur solum, liceret dicere alterum causam esse sterilitatis, ut dissimile genituræ asini. Nunc verò quali illius semini, tali & cognati miscetur. Ad hæc demonstratio æquè de ambobus, tam mare, quam foemina, rectè affertur. Sed interest, quò mas septenis duntaxat generat, ut aiunt, foemina improlis omnino est, idque propterea, quia perducere ad finem, quod conceperit, nequeat. Nam concepisse quidem iam mulam constat. Sed fortasse verisimilior iis demonstratio logica illa videtur. Logicam appello, quia quò vniuersalior, eò remotior à propriis principiis est. Si ex mare, ac foemina speciei eiusdem, proles speciei eiusdem gigni solet, aut mas, aut foemina, ut ex cane mare, & foemina canis aut mas, aut foemina: ex diuersis etiam speciebus diuersum specie proueniat, necesse est. Verbi gratia, si canis diuersum est à leone, ex cane mare, & leone foemina diuersum proueniet ex leone mare & cane foemina diuersum. Cùm itaque mulus mas & foemina sine speciei differentia gignantur, ex equo & asino, quæ diuersa specie sunt, impossibile est ut aliquid ex mulis gignatur. Nec enim diuersum specie prouenire potest, quando ex

mare ac foemina speciei eiusdem, idem specie generatur, neque idem, hoc est mulus gignitur enim mulus ex equo & asino, quæ diuersa specie sunt. Ex diuersis autem specie diuersum animal gigni positum est. Sedenim hæc ratio admodum vniuersalis, inanisque est. Rationes enim, quæ non ex propriis ducuntur principiis, inanes sunt, & rerum esse videntur, cùm longè aberrant. Sunt profectò geometricæ rationes, quæ ex principiis geometricis afferuntur. Idemque in cæteris est intelligendum. Videntur tamen eiusmodi rationes, quauis inanes, aliquid esse. Nam & inane, siue vacuum illud aliquid esse videtur, cùm tamen nihil omnino sit. Nec verum est, quod concluditur. Multa enim ex iis, quæ non eadem specie prognerantur, foetifera prodeunt, ut antè exposui. Hoc igitur modo, nec de cæteris rebus, neque de naturalibus indagandum est. Sed ex iis, quæ in genere, tum equorum, tum asinorum insunt, considerando potius acciperis causam. Primum enim vtrinque eorum singularem parit inter cognata animalia plura numero, tum foemina non semper concipere possunt. Et quidem equi interpolito tempore admittuntur, quoniam ferre continuè nequeant. Sed equa menstruosa non est: imò minimum inter quadrupedes emittere solet. Asina conceptus incontinens est: genituram vtrique iniectam emingit. Quam ob rem verberibus eam sectantes cogunt ne id faciat. Ad hæc, frigidum animal asinus est: quam ob rem locis frigidis gigni non potest, utpote sua natura impatiens frigoris, velut apud Scythas, & eorum finitimos. Nec verò apud Gallos, qui supra Hispaniam colunt, genus id animalis est: nam ea quoque prouincia frigida est. Hinc admiffarios etiam non ut equæ, sic asinæ, æquinoctio admouent: sed æstiuo solstitio, ut tempore calido pulli nascantur: eodem enim tempore parit, quo coierit. Annum vterum fert & asina, & equa. Cùm igitur natura sit frigidum animal, ut dictum est, semen quoque genitale eius frigidum esse, necesse est. Cuius rei indicium, quod si equus superuenerit asinam, quam inierit asinus, non peruerteret asini ininitum: sed si asinus superuenerit equam, quam equus inierit, peruerteret, propter feminis sui frigiditatem. Cùm igitur inter se ipsa iunguntur, seruatur semen propter alterius calorem: calidius est enim, quod ab equo secernitur. Nam asini & materia, & genitura frigida est, equi calidior est. Cùm autem mistum vel calidum cum frigido, vel frigidum cum calido est, euenit ut conceptus ex iis seruetur, eaque vicissim ex se ipsa foecunda sint. At verò quod ex iis prodit, non insuper foecundum, sed infœcundum ad perfectam foetificationem est. Omnino cùm vtrinque aptum propensumque sit ad sterilitatem, (sunt enim in asino tum ea, quæ diximus, tum etiam, ut nisi à primæ mutatione generare incipiat, nusquam postgeneret, sed sterilis omnino perduret) ita in æstiuo continetur generandi vis corporis asinini, facillimèque labitur ad sterilitatem. Equus etiam simili modo idoneus est ad sterilitatem, tantòque deest ut sterilis sit, quanto, ut quod ex ipsis prodierit semen frigidius reddatur. Quod tunc efficitur,

m m

cùm asini excremento miscetur. Asinus quoque parum deest quin sui generis initu sterile generet. Itaque cùm accesserit quod præter naturam est, si antè vix vnum partu naturæ legitimum poterat generare, iam quod peregrinum ex iis prodiit sterilius, nihil deerit, vt sterile sit, sed necessariò sterile erit. Euenit etiam vt corpora mulorum magna efficiantur, quoniam menstruorum decessus ad corporis incrementum vertatur. Cùmque partus eorum annuus sit, non modò concipiat, sed etiam enutriat mola opus est: quod fieri non potest sine mensuris. Mulis autem menstrua defunt, sed quantum inutile est, cum excremento vesicæ abigitur. Vnde fit, ne muli genitale fœminarum, sed ipsum excrementum olfaciant. Reliquum in corporis incrementum, & magnitudinem vertitur. Itaque concipere quidem aliquando mola potest, (quod iam factum est) sed enutrire, atque in finem perducere non po-

test. Mas generare interdum potest, quoniam & calidioris naturæ, quàm fœmina, mas est, & nihil corporis per coitum confert ad generationem. Quod autem facit, ginnus est: quod mulus, oblatfus est. Nam ex equo & asino, ginni proueniunt, cùm conceptus in vtero agrotauit. Est enim ginnus idem, quod metachœrum in porcis: quod enim ibi læsum, deprauatumque in vtero est, metachœrum vocatur, quasi aporcellum dixeris. Idque cuilibet porco accidere potest. Pymæorum etiam, id est nanorum, pomilionum, & pusillorum generatio similis est: nam eorum quoque membra, & magnitudines vitiantur in vtero, & sunt veluti aporcella, & ginni. Hactenus de mulorum sterilitate.

DE GENERATIONE ANIMALIUM LIBRI SECVNDI FINIS.

ARISTOTELIS STAGIRITAE DE GENERATIONE Animalium Liber Tertius,

Theodoro Gaza Interprete.

De generatione animantium sanguineorum, & ouiparorum, deque ouis subuentaneis, & cæterorum ouorum natura, & quam ob causam alia unicolora sunt, alia bicolora.

Cap. I.

DE mulorum sterilitate dictum iam est, atque etiam de iis, quæ animal & foras, & intra se pariunt. In sanguineo autem ouiparo genere partim similis generatio vt in pedestribus est, idemque de omnibus aliquid accipi potest: partim differentia, tum inter ipsa tum ad pedestria existit. Oriuntur omnia coitu mare in fœminam emittente semen genitale. Sed aues ouï edunt perfectum, crusta intactum dura, nisi morbo lædatur. Atque omnia auium oua bicolora sunt. Piscium cartilaginei, vt sæpius dixi, cùm intra se qua pepererint, animal excludunt, ouo in alium vteri locum ex alio translato. Molle hoc ouum est, & unicolor, Vnus ex iis animal non parit, qui rana vocatur: cuius causam post exponam. Cæteri pisces, qui oua pariunt, ouum unicolor edunt, quod imperfectum est: quippe quod extra capiat incrementum eadem causâ, qua & quod intus perficitur. De

vteris qua inter se differentia discrepent, & quas ob causas ita sit, declaratum est antè. Viui parorum enim alia suprâ, iuxta cinctum vterum continent: alia infrâ iuxta genitale. Suprâ cartilaginea habent: infrâ, quæ animal & intra se, & foras generant, vt homo, equus, & reliqua generis eiusdem. Oviparorum etiam alia infrâ, vt pisces, qui oua pariunt: alia suprâ, vt aues. Consistunt vel sponte conceptus in auium genere, quos subuentaneos, & Zephyrios à Fauonio quidam appellant. Qui profectò in iis fiunt auibus, quæ non volaces sunt, vt vncæ, sed multiparæ, quoniam excremento ipsæ abundant, vncis in alas, & pennas id vertitur, corpusque exiguum siccum & calidum habetur. Decessus autem menstruorum, & genitura, excrementum sunt. Cùm igitur & pennarum natura, & seminis, excremento gignatur, nequit Natura largè vtròque versus profundere. Hæc eadem causâ est, & vt aues vncæ nec salaces sint, nec multiparæ, sed graues, volacisque, quarum corpus grandiusculum, vt columba & similes, aut graues non volaces, quarum corpus grande, vt gallina, coitu superent, & partu: grauibus enim non volacibus, vt gallinis, perdiciibus, & reliquis id genus multum eius excrementi fit: quapropter mares eorum salaces sunt, & fœminæ multum materiæ suggerunt, & quidem pariunt ex his aliæ complura, aliæ sæpe, complura gallina, perdix, struthio Libycus. Sæpe autem columbarium genus,

genus, sed non multa: quippe quod medium sit inter aduncum genus, & graue. Volax enim vt aduncum est, corpulentum vt graue. Itaque quoniam volax est, excrementumque eò transit, pauca parit, sed sæpe corporis magnitudine, & ventris calore, & facultate concoquendi maxima, atque etiam quòd cibum facillè sibi acquirat: adunca enim difficulter id faciunt. Paruæ etiam aues salaces, præfœcundæque sunt, quomodo interdum plantæ minores sunt fertiliores. Quod enim incremento corporis deest in excrementum seminale exundat. Quam ob rem gallinæ hadrianæ multa admodum pariunt. Fit enim propter corporis exiguitatem, vt alimentum ad partionem sumptitur. Vulgares etiam gallinæ fœcundiores sunt generosis. Corpora enim alteris humidiora, alteris grandiora, & sicciora. Animus generosus in eiusmodi corporibus potius consistit. Quin & tenuitas, ac imbecillitas crurium facit, vt eorum natura & salacior sit, & fœcundior: quo modo & hominibus euenit. Alimentum enim, quod crura subiret, in seminale excrementum transfertur. Quicquid enim inde Natura adimit, hæc adiicit. Nam vncungues aues pede sunt firmiore, & crure crassiore, causa victus. Itaque omnibus his de causis, neque salaces sunt, neque præfœcundæ. Tinnunculus potissimum in eo genere fœcundissimus est, qui solus ferè aduncarum & bibit. Humor autem & natiuus, & aduentitius seminalis eum calore indito est. Sed ne ipse quidem multa admodum parit, verùm cùm plurimum quatuor Cuculus parum generat, quanquam aduncus non est, quia naturæ frigidæ est, quod ipsius pauore iudicatur. Seminale autem animal calidum esse & humidum oportet. Pavidam esse hanc auem, apertum est, cùm ab omnibus auibus fugetur, & in alienis pariat nidis. Columbarium genus bina, magna ex parte, parere solet. Nec enim vni parum est, cùm nulla auis pariat vnum, excepto cuculo, qui & ipse duo interdum parit. Sed sæpe bina, aut terna cùm plurimum, sed bina magna ex parte. Sunt enim hi numeri inter vnum & multa. Cibum in semen conuertit in iis, quæ abundè, fœtificant, pluribus declaratur euentis. Arborum enim multæ cùm admodum copiose tulerint, exarescunt fructificatione, nisi corpori alimentum remanserit. Annuis etiam idem euenit, vt leguminibus, vt frumentis, & reliquis huiusmodi. Cibum enim omnem in semen consumunt: quippe cùm genus id fertile admodum sit. Necnon gallinarum nonnullæ, cùm adeò valde peperissent, vt etiam bis die pepererint, mox à tanto partu interiere: Hyperinæ enim, id est, effœtæ, & aues, & plantæ fiunt. Quod vitium nimia excrementi secessio est, vt exhaustæ, effœtæque dicantur, quæ ita afficiuntur. Hæc eadem affectio causâ lænæ etiam est, vt sterile scatur: primum enim quinque aut sex parit catulos, tum anno secundo quatuor, mox tres. Deinde pari modo per annos singulos minus vno, postremò nullum, cùm & excrementum omne consumptum iam sit, & ætate desinente, semen vnà defecerit. Quibusnam auibus subuentanei partus consistant, & quæ præfœcundæ, parumve fœcundæ, quæque ob causas, dictum iam

est. Fiunt subuentanea oua, vt antè retulimus, quoniam materia seminalis in fœmina est, nec menstruorum decessio fit auibus, vt viui paris sanguine præditis. In iis enim omnibus fit, aliis magis, aliis minùs, aliis quantum rem indicet. Piscibus etiam, vt auibus, menstrua nulla prodeunt. Quam ob rem iis quoque conceptus consistit sine coitu, vt auibus, sed minùs apertè. Frigidior enim natura piscium est. Decessio igitur menstruorum, quæ viui paris fit, eadem consistit in auibus per debita excrementi tempora. Et quia locus septo propinquus calidus est, magnitudine iuxta perficiuntur. Sed ad generationem imperfecta, tum hæc, tum illa piscium sunt, nisi semen maris accedat. Cuius rei causam antè exposui. Volacibus subuentanea non gignuntur, scilicet eadem causâ, qua multa nec ab iis ipsis generantur. Vncungibus enim parum excrementi inest, & marem desiderant ad excrementi commotionem. Gignuntur subuentanea oua plura numero, quàm quæ fœcunda sunt, sed minora, ob vnam eandemque causam. Quòd enim imperfecta sunt, minùs augentur: quòd minùs augentur, plura numero existunt: minus etiam suauia sunt, quoniam minùs concocta. Concoctum enim in quouis genere dulcius est: sed oua auium, aut piscium non perfici ad generationem sine mare, satis exploratum habemus. An in piscibus quoque fiat conceptus sine mare, non æquè apertum est. Sed potissimum in fluuiatili genere, rubellionibus id accidere visum est. Etenim nonnulli statim habere oua videntur, vt de his in historiis scripsimus. Omnino in auium genere, ne ea quidem oua, quæ per coitum oriuntur, possunt magna ex parte augeri, nisi coitus auis continuetur. Cuius rei causa est, quòd vt in mulieribus coitu maris detrahitur mensium excrementum, (trahit enim humorem vterus tepesfactus, & meatus aperiuntur) sic in auibus euenit, dum paulatim menstruum excrementum accedit, quod foras decedere non potest, quoniam parum est, & superne ad cinctum continetur, sed in vterum ipsum collabitur. Hoc enim ouum agetur sicut fœtus viui parorum, eò quòd per vmbilicum affluit. Nam cùm semel aues coierunt, omnia ferè oua semper habere perseverant, sed parua admodum. Quam ob rem de subuentaneis dicere non solent oriri sponte, sed reliquias esse prægressi coitus: quod falsum est. Satis enim conspectum est in nouella, tum gallina, tum anser, gigni sine coitu: tum etiam perdices fœminæ, & quæ nondum coierint, & quæ coierint, quarum vsus in aucupiiis, cùm olfaciunt marem, vocemque eius audiunt, alteræ implentur, alteræ statim pariunt. Cuius affectionis causa est eadem, quæ in homine, & quadrupede. Nam si fortè eorum corpora accensa libidine turgent ad coitum, alia cùm primum viderunt, alia cùm leuiter tetigerunt, semen emittunt. Est hoc auium genus sua natura libidinosum, vt leui egeat motu, cùm turget, citòque secernat, vt in iis, quæ non coierint, subuentanea consistant: in iis, quæ coierint, oua breui augeantur, & perficiantur. Aues ex iis, quæ ouum pariunt foras, perfectum hoc edunt, pisces imperfectum: quod extrâ recipit incrementum, vt

De ortu eorum, quæ perfectis ouis foras generantur, tum auium, tum quadrupedum ouum crusta intectum parientium.

Cap. II.



Ecernitur in ouo principium genitale maris ea parte, qua ouum vtero adhæret, fitque pròinde dissimile, quod bicolor est: nec planè rotundum, sed altera parte acutius, quoniam partè eam differre oportet, in qua principium illud continetur. Quam ob rem durius ea ipsa parte est ouum, quam inferiore. Principium enim operiendum, custodiendumque est. Exit etiam pars oui acuta post. Quod enim adhæret, id exire postea conuenit. Adhæret autem ea parte, qua principium continetur. Et principium ipsum in parte acuta est. Idem in plantarum etiam feminibus modus est. Principium enim feminis adhæret, aut ramo, aut putamini, aut pulpæ: vt in legumine patet. Quà enim bivaluis fabarum strues, & cæterorum id genus coniungitur, hâc principium feminis adhæret. Sed quæres de incremento ouorum, quonam modo ex vtero veniat: animalia enim per vmbilicum capiunt cibum: oua autem quo? cum non modò vermium, ipsa per se recipiant incrementum. At si quid est, quo adhærent, id quonam transeat perfecto iam ouo? Nihil enim tale exit cū ouo, vt vmbilicus cum animali. Quod enim circiter ambit, testa perfecto iam ouo efficitur: rectè igitur hoc ita quæritur. Sed latet primò, membranam mollem id esse, quod postremò testa efficitur: perfecto enim ouo, durum, ac rigidum euadit ita modicè, vt exeat adhuc molle. Dolorem enim moueret, nisi ita exiret. Egressum statim refrigeratū duratur, euaporato humore quàm primùm qui exiguus inest, relictaque portione terrena. Huius itaque membranæ particula quædam vmbilicaris parte acuta principio continetur, tenditque paruis adhuc veluti fistula: quòd in eiectionis inchoatis ouis patet. Nam si auis madefacta, aut alia causa inalgescens eiecit, cruentus adhuc cernitur conceptus, habensque sibi annexam appendiculam vmbilicarem, quæ ouo ampliùs crescente obtenditur latius, atque minuitur, perfectoque mucro exitum complet. Membrana interior sub hoc vmbilico est, quæ vitellum, albumenque ab eo determinet. Vbi iam ad consummationem ventum est, ouum absoluitur totum, & vmbilicus ratione non insuper apparet: extremum enim vltimum eius est. Partus ouorum contra atque animalium euenit. Animal enim versum in caput, suumque principium nascitur. At ouum quasi in pedes conuersum exit. Cuius rei causa, quod diximus, est, quòd ouū ea parte, qua principium continetur, adhæret. Generatio auium ex ouo ita euenit, vt incubante, & concoquente aue, animal ex parte oui secernatur: augeatur ex reliqua parte, & conficiatur: natura enim simul & materiam animalis in ouo reponit, & satis cibi ad incrementum. Cùm enim auis intra se perficere nequeat, cibum vnà parit in ouo. Nam iis, quæ forma animalis nascuntur, cibus in alia corporis parte paratur, quod lac vocatur, videlicet in

mammis,

mammis. At auibus hoc idè in ouo Natura constituit, sed contra, quàm homines putant, & Alcmaeon Crotoniates ait. Non enim albumen oui lac est, sed vitellum. Hoc enim pullis pro cibo est. Illi albumen pro cibo esse existimant, propter coloris affinitatem. Oritur pullus incubante aue, vt dictum est. Sed si aut tempus sit bene temperatum, aut locus, in quo oua manent, tepidus, concoquuntur & auium oua, & quadrupedum ouiparorum sine parentis incubitu. Hæc enim omnia in terra pariunt, concoquunturque oua tepore terræ. Nam si quæ quadrupedes ouiparæ frequentantes fouent quæ ediderint oua, custodia gratia potius id faciunt. Gignuntur verò eodem modo oua quadrupedum, quo auium. Crusta enim dura intecta, & bicolora sunt, & iuxta cinctum consistunt, vt auium: & reliqua eadem tum intus, tum extrà eueniunt. Itaque omnium causæ eadem consideratione continentur. Sed quadrupedum oua vt validiora tempore concoquuntur, auium imbecilliora sunt: atque ob eam rem parentem desiderant. Tum etiam Natura attendere videtur, vt sensum prouidum, curamque diligentem erga prolem parentes habeant. Sed in genere deteriore hoc facit quousque pariant: in aliis quibusdam etiam donec perficiant. Prudentioribus verò plus curæ mandatur, vt etiam enutrient. Postremò iis, quæ prudentia iam maximè prædita sunt, consuetudo, amor, & charitas in prolem etiam adultam seruatur, vt homini, & quadrupedum nonnullis. Auibus cura donec pariant, & enutrient. Quam ob rem & ab incubitu laborant in prole enutrienda: à partu verò deterius afficiuntur, quasi priuata aliquo sibi natiuo gestamine. Perficitur animal in ouo celerius diebus tepidis: tepore enim iuuatur. Nam concoctio est calor quidam. Terra enim suo calore concoquit. Et quæ incubant, hoc idem faciunt: adhibent enim suum calorem. Deprauiantur etiam oua, & fiunt, quæ vrina appellantur, tempore potius calido, idque ratione. Vt enim vrina temporibus calidis coalescunt face subuersa, (hoc enim causæ est, vt deprauiantur,) sic oua pereunt vitello corrupto. Id enim in vtrisque terrena portio est. Quam ob rem & vinum obturbatur face permista, & ouum vitello diffuso. Multiparis igitur hoc accidit meritò, cùm non facile omnibus calor conueniens reddi possit, sed aliis deficiat, aliis superet, & quasi putrefaciendo obturbet. Vnecunguis etiam, quanuis parum fecundis, nihilò minus tamen idem euenit: sæpe enim vel alterum ex duobus vrinum fit, sed tertium semper ferè. Cùm enim calida sua natura sint, faciunt, vt quasi serueat supra modum humor ouosum. Iam enim naturam quoque contrariam luteum & candidum habent. Luteum nanque gelu duratur, & coit, calore contra humescit, quapropter cùm vel in terra, vel per incubitum concoquitur, humescit. Atque, ita pro cibo animalibus nascuntibus est. Nec verò cùm ignitur, assaturque, durefcit, quoniam naturæ terrenæ est, vt cæra. Ideoque cùm plus iusto calefcunt, nisi ex recremento humido sint, saniescunt, reddunturque vrina. At candidum gelu non congescit, sed magis humescit. Causam antè reddidi,

Antiquus interpretat: Quam ob rem feminæ, quæ non incubat, à partu deterius afficiuntur.

Ignitum solidescit. Quam ob rem cùm ad generationem animalium concoquitur, crassescit. Ex hoc enim consistit animal, luteum autem pro cibo est, & membris subinde instituendis incrementum hinc administratur. Quocirca luteum, & candidum membranis inter se distinguuntur, quasi naturam habeant diuersam. Sed quemadmodum hæc inter se habeant, tum initio generationis, tum consistentibus animalibus, atque etiam de membranis, & vmbilicis diligentius ex iis, quæ per historiam scripsimus, considerandum, annotandumque est. Ad id autem, quod impræsentiarum tractamus, tantum aperuisse satis est. Principio corde constituto, & vena maiore ab eo distincta, vmbilici duo de vena eadem pertendunt. Alter ad membranam, quæ luteum continet. Alter ad membranam, cui secundarum species est, quæ animal obuolutum continetur, quæ circa testam membranam est. Altero igitur vmbilico cibum ex luteo assumit. Efficitur luteum copiosius, quippe quòd calefcens reddatur humidius. Cibum enim, quoniam corpulentus est, humidum esse oportet, qualis plantæ suppeditatur. Viuunt autem principio, & quæ in ouis, & quæ in animalibus gignuntur vita plantæ. Adhærendo enim capiunt primum & incrementum, & alimentum. Alter vmbilicus ad secundas tendit. Ita enim in iis, quæ ouo nascuntur, animalibus, pullum vt luteo existimandum, vt fœtus viuiparus sua parente vitur, quandiu intra parentem continetur. Cùm enim non intra parentem nutriantur, quæ ouo proueniunt, partem eius accipiunt aliquam, habentque secum in cibo. Membrana verò exteriore nouissima sanguinolenta hæc perinde, vt illa vtero, vtuntur. Simul autem & luteum, & secundas testa oui complectitur vteri proportionem perinde quasi quid vnus obuolutum amplectatur fœtum, parentemque totam. Quod ita est, quoniam fœtus esse in vtero, & cum parente necesse est. Itaque in viuiparis vterus in parente est. In ouiparis è diuerso fit, quasi dixeris parentem esse in vtero. Luteum est enim cibum, qui à parente præstatur. Causa est, quòd fœtus nutritio non intra parentem est. Crescentibus vmbilicus primum confidet, qui secundis adiungitur. Hac enim pullum excludi cōuenit. Reliquum lutei, & vmbilicus ad luteum pertinet, post collabitur. Cibum enim habeat statim oportet, quod exclusum est. Nec enim à parente nutritur, & per se ipsum statim capere cibum non potest: quapropter luteum subit cum vmbilico, & caro adnascitur. Talis ortus eorum est, quæ ex ouis perfectis foras generantur, tū in auibus, tū in quadrupedibus, quæ ouū crusta intectum dura pariunt. Sed hæc euidentiora in auctioribus sunt animalibus. Nam in minoribus obscura præ sua exiguitate habentur:

De iis animantibus, quæ perfectum ouum intra se pariunt, foras autem animal: quamque ob causam piscium oua mollia sint contra, quam auium. Cap. III.



Enus etiam piscium ouiparum est, cuius ea, quæ infra continent vterum, imperfectum pariunt ouum, causa, quam antè reddidimus. Quæ autem

cartilaginea nuncupantur, perfectum intra se ouum pariunt, mox animal foras edūt, vno excepto, quam ranam vocāt: hæc enim vna foras ouum perfectum parit. Causa natura corporis est. Caput enim longè grandius reliquo corpore habet, idque aculeatum, valdeque asperum: quam ob rem nec postea suos carulos intra se recipit, neque principio animal parit. Capitis enim magnitudo, & asperitas, vt aditum, sic exitum impedit. Et cum cartilagineorum ouum cute molli operiatur, quod enim frigidiora quam aues sint, nequeunt partem circundantem indurare, ideo ouum vnum ranarum solidum, durumque est, vt foris feruetur. Cæterorum humida sunt natura, & molli. Operiuntur enim intus corpore suæ parentis. Ortus ex ouo idem ranis, quæ extrâ perficiuntur, & iis, quæ intus. Sed eorum, atque auium ortus partim similis, partim diuersus est. Primum enim altero carent vmbilico, qui ad secundas pertinet, quæ sub testa ambiente positæ sunt. Cuius rei causa est, quod testam illam circundantem non habent, cum nihilo his utilis esse possit: parens enim ipsa integit, & seruat. Testa in ouis edendis tutela est contra detrimenta, quæ de foris veniant. Tum generatio iis quoque ex oui parte extrema est, sed non qua vtero adhærent. Aues enim ex cacumine oriuntur, qua ouum adhæret. Causa est, quod auium ouum separatur ab vtero. At eorum, quantum non omnium, tamen plurimorum ouum perfectum vtero adhæret. Cumque animal extremo inascitur, ouum consumitur totum, quomodo in auibus, cæterisque, quorum omnium absoluitur, demumque vtero vmbilicus iam perfectorum adhæret. Similis modus eorum etiam est, quorum oua vtero absoluntur. Nonnullis enim eorum ouum perabsoluitur, cum perfectum est. Quæres igitur, cur ita differant auium, & piscium generationes. Causa est, quod auium oua luteum à candido separatum continent, piscium vnicolora sunt, miscunturque in iis ista vsque quaque, & confunduntur. Itaque nihil prohibet, quod minus econtrario principium habeant genitale. Non solum enim parte sui adhærente tale est, sed etiam altera obiecta. Alimentum verò ex vtero meatibus trahere quibusdam eo ipso principio facile est. Apertum hoc est in iis ouis, quæ non absoluntur. Nam in nonnullis cartilagineis ouum non absoluitur vtero, sed inhærens descendit ad animalis generationem, in quibus animal perfectum habet suum vmbilicum ex vtero, consumpto iam ouo. Constat igitur vel antè meatus oui eodem tendere. Fit hoc in mustelorum genere læui cognomine, vt dictum est. Ortus piscium his rebus, & his de causis differt ab auium. Cætera eodem veniunt modo. Alterum enim vmbilicum habent similiter, vt aues ad luteum, sic pisces ad totum ouum. Nō est enim huius pars altera lutea, altera candida, sed totum est vnicolor, atque ex eo aluntur, consumptoque pari modo subsidet, & caro circum adnascitur. Talis eorum generatio est, quæ intra se ouum perfectum, foras animal pariunt.

Quam ob causam piscium oua foras suscipiunt incrementum.

Cap. IIII.



Aeteri pisces maximè in parte foras pariunt oua, omnesque imperfecta, præterquam rana, cuius causam iam reddidimus. Eorum etiam, qui imperfectum pariunt ouum, causa declarata est. Ortus verò eorum quoque ouo proueniens, eodem agitur modo, quo cartilagineorum, quæ intra se pariunt: sed incrementum celere, atque ex paruis: & vltimum oui durius est. Incrementum oui simile vermibus est. Animalia enim, quæ vermem pariunt, primò exiguum edunt, quod per se augetur sine vllò annexu. Causa similis, vt in farina subacta humore. Fit enim massa ex parua magna, parte solidiore humescente, humida spirascente, quod in animalibus natura calorjs animalis facit, in massa calor permisti humoris. Augentur igitur oua necessariò ea causa: habent enim excrementum massale, sed rei melioris gratia. Quoniam fieri non potest, vt totum suum incrementum recipiant, propter summam eorum animalium fecunditatem. Hinc enim & parua admodum excernuntur, & celeriter augentur: parua, quod vterus angustior sit, quam vt tantam ouorum copiam possit capere celeriter, ne dum per generationem mora in augendo protrahitur, genus pereat, quando vel nunc magna pars editi partus interiit. Quam ob rem genus piscium præfecundum est: rependitur enim, & compensatur à Natura interitus multitudinem. Sunt quorum vterus dehiscat, & disrumpatur, vt quæ acus vocatur, præ magnitudinem ouorum: hæc enim pro multis maiusculos habet conceptus. Quod enim Natura numero ademerat, id magnitudini addidit. Oua piscium foras augeri, & quam ob causam, dictum iam est.

De ortu cartilagineorum piscium, eosque, qui pisces omnes esse fœminas putant, non rectè sentire.

Cap. V.



Ed ouum eos etiam pisces parere indicium est, quod viuipari quoque pisces, vt cartilaginei, primùm oua inter se pariunt. Totum enim piscium genus ouiparum esse certum est. Finem tamen nullum recipit ouum eorum piscium, qui sexu maris & fœminæ distinguuntur, & per coitum generant, nisi mas suum semen aspergat. Sunt qui omnes pisces fœminas esse opinentur, exceptis cartilagineis, sed non rectè. Putant enim eos, qui mares habiti sunt, differre à suis fœminis, modo plantarum, in quibus altera fructificet, altera non, vt olea, & oleaster, ficus, & caprificus. Sic pisces differre inter se volunt, præter cartilagineos. De iis enim non ambigunt, quantum similis ratio partium seminalium in maribus omnibus, tum cartilaginei, tum ouipari generis est, & semen genitale vtriusque suo tempore emitti videtur. Vulvas etiam fœminæ habent.

Atqui

Atqui non modò ouiparos, sed etiam cæteros vulvas habere oporteret, quantum diuersas, vt mulæ habent in genere vterinorum, si genus totum sexu fœmineo esset, nec nisi sterilitate nonnullorum disideret. Nunc verò partim conceptacula habent feminis genitalis, partim vulvas. Atque in omnibus, excepto rubro, & hiatula, hoc discrimè est, vt aut conceptacula feminis prolifici habeant, aut vulvas. Difficultas autem, qua ita opinari mouentur, solui facile potest, cum rem, quæ accidit, audis. Nullum enim ex iis, quæ coeunt, tam multa parere posse aiunt: idque rectè. Quæ enim ex se generant perfectum, vel animal, vel ouum, qui oua pariunt multa, vt pisces, qui oua pariunt. Nam innumera quædam eorum multitudo ouorum est. Sed illud non vident, quàm diuersa piscium oua, ab auium sint. Aues enim, & quadrupedum ouiparæ, & si qua cartilaginea enumeranda sunt in hoc genere, perfectum generant ouum, & quod editum non recipiat incrementum. At pisces imperfecta pariunt oua, quæ foris incrementum iustum recipiant. Eodemque modo mollia, & crustata, quæ quidem & coire planè cernuntur, quoniam eorum coitus diuturnior est. Alterum etiam eorum mare esse, alterum vulvam habere certum est. Absurdum præterea est, nisi in omnibus generibus vis hæc habeatur, quomodo in viuiparis est, alterum mas, alterum fœmina. Causa verò ignoratiæ eorum, qui ita censent, quod differentiæ, quæ multæ, ac variæ in animalium coitu, generationeq; sunt, non omnes pateant, sed paucarum quarundam intuitu, idem in omnibus esse oportere arbitrantur. Quam ob rem & qui conceptus fieri aiunt captu feminis genitalis, quod à fœminis piscibus deuoretur, rem, de qua verba faciunt, non tenent. Tempore enim eodem mares semen genitale, fœminæ oua habent, & quod fœmina propius ad partum accedit, eò copiosius, & humidius redditur semen genitale in mare: & vt incrementum feminis in mare, oui in fœmina eodem tempore euenit, sic emissio. Nec enim fœminæ vniuersum, sed paulatim pariunt: neque mares semen suum vniuersum emittunt. Atq; hæc omnia ratione ita vsu eueniunt. Vt enim in auium genere sunt, quæ sine coitu oua concipiant, quantum pauca, & rarò, sed per coitum magna ex parte implentur: sic in piscibus euenit, sed minus. Aequè tamen vtroque in genere infœcunda sunt, quæ sponte constitentur, nisi mas suum asperferit semen, videlicet in quibus mas quoque est. Auibus igitur quoniam oua perfecta exeunt, id fiat, cum intus adhuc sunt, necesse est. At piscibus quoniam imperfecta omnia oua eduntur, quantum non intus per coitum constitit ouum, tamen si extrâ aspersum est, seruari potest: atque in hunc vsu consumitur semen marium genitale. Quapropter vnà cum ouis fœminarum subsidet, atque minuitur. Aspergunt enim mares sequendo in iis, quæ subinde eduntur, ouis. Ergo in piscibus quoque sexus discrimè maris, ac fœminæ est, omnesque coeunt, nisi sexus alicui generi sit indiscretus. Et sine maris genitura nihil ex iis potest generari: facit enim celeritas coitus piscium, vt eius opinionis authores decipiatur. Tanta enim celeritate rem

Veneream peragunt, vt etiam piscatores complures lateant: nemo enim eorum aliquid tale cognitionis gratia obseruat. Veruntamen coitus visus est. Eodem enim modo, quo delphini, pisces etiam coeunt, amouendo supina per lapsum, quibus impedimento cauda. Sed delphinorum abiunctio diuturnior est: piscium verò huiusmodi celerrima est. Itaque cum eam non cernant, captu, siue voratu feminis, & ouorum, quem exploratum habent, mouentur vel piscatores, vt stultam illam, & vulgarem rationem de conceptione piscium afferant, quam & fabulator Herodotus scribit, quasi feminis deuoratu pisces impleantur. Nec vident id fieri non posse: meatus enim, qui per os intro tendit, in ventriculum fertur, non in vuluam. Quodque ventriculum subierit, alimentum id effici necesse est: concoquitur enim. Vuluæ autem plenæ ouorum cernuntur, quæ vnde, quæso, subierint?

Contra eos, qui coruos, & ibin ore coire, mustelam autem ore parere, hyenam duplex genitale habere, trochum verò se ipsum inire opinati sunt.

Cap. VI.



Imilis error in generatione quoque auium euenit. Sunt enim qui coruos, & ibin ore coire opinentur: inter quadrupedè etiam mustelam ore parere. Hæc enim & Anaxagoras, & alii quidam Naturales authores scribunt simpliciter valde, & inconsideratè, huius in auium genere ratiocinatione illa falluntur, quod rarò coruorum coitus cernatur, rostrorum conitinctio sæpenumero, quæ omnibus id genus auibus solita est. Quod in monedulis, quas mansues alimus, planum est. Genus etiam columbinum hoc idem facit. Verum hæc, quoniam coire quoque visuntur, ea fama caruerunt. Coruinum genus libidinosum non est, quippe quod parum fecundum sit. Coire tamen id quoque visum est. Sedenim non cogitasse, quemadmodum semen ad vuluam deueniat per ventriculum, qui semper, quod ingestum est, concoquat, vt patet in cibo perficiendo, absurdum omnino est. Vulvas autem id quoque auium genus, & oua habere cernitur iuxta septum. Mustelam etiam, modò cæterarum quadrupedum, vuluam habere certum est: ex qua quoniam pacto fœtus ad os deueniat? Sed quia mustela paruus admodum parit, vt & cæteræ fidipedes, de quibus postea dicemus, & sæpe carulos suos ore susceptos transfert, fecit, vt ita opinarentur. Quinetiam de trocho, & hyæna stultè, magnòque errore narratur. Hyænam enim complures aiunt, trochum Herodotus Heraclæota scribit duplex genitale habere, maris, ac fœminæ, & trochum se ipsum inire: hyænam inire & iniri annis alternis. Sed visa est hyæna mas, & altera fœmina sui discrimine genitalis. Locis enim nonnullis penuria huius conspectus non est. Verum hyæna tam mares, quàm fœminæ, habent sub cauda lineam quandam similem genitali fœminino. Quæ quidem nota, quantum communis sit, tamen in maribus potius cernitur, quia mares, quàm fœminæ, magis capiuntur. Itaque qui rem parum

diligenter considerant, in hanc aberrant opinionem. Sed de his fatiis.

Quare cartilaginei pisces mares semen spargere non visuntur, nec foemina suos conceptus.
Cap. VII.



DE piscium generatione quæres, quam ob causam cartilagineorum, nec foemina suos conceptus, neque mares suum semen spargere visuntur, cum generis non viuipari, & foemina oua, & mares semen spargere soleant. Causa verò est, quòd genus cartilagineum semine minimè abundat. Vulvas etiam foeminae ad septum positas continent. Aequè enim mares à maribus, & foeminae à foeminis differunt. Sunt enim cartilaginei minùs copiosi genitura. At verò mas ouipari generis, vt foemina oua præ multitudine reponit, sic ipse spargit. Plus enim seminis habet, quàm satis ad coitum sit. Tendit enim Natura potius absumere semen id ad augenda oua reposita, quàm ad primam constitutionem. Nam vt & antè, & modò diximus, oua auium intus perficiuntur, piscium extrà. Similis enim quodam modo generatio atque in vermiparis est, quanquam imperfectiorem edunt conceptum, què vermem pariunt. Sed vtrisque tam auium, quàm piscium ouis perfectionem mas adhibet: verùm auium intus, cum intus perficiantur: piscium extrà, cum hæc imperfecta edantur. Nam aliàs idem vtrisque contingit. Auium igitur subuentanea foecunda redduntur, & quæ concepta maris diuersi coitu sunt, naturam in eum, qui post coierit, mutant. Propria etiam, quæ incremento carent, cum coitus intermissus est, celesiter accrescunt, cum reperitur coitus: non tamen quouis tempore, sed si priùs, quàm albumen fecerit incipiat. At piscium ouis nihil tale præscriptum est: sed vt feruentur, quàm primùm mares aspergunt. Cuius rei causa est, quòd hæc bicolora non sunt: hinc enim tempus hic tale statum non est. At in auium genere ratione sic euenit. Cum enim luteum, & candidum distincta inter se sunt, principium iam habetur, quod proficiscitur à mare. Isti enim mas confert. Subuentanea igitur recipiunt generationem quoad fieri potest. Perfici nanque ad animalis vsque foecunditatem impossibile est: sensibus enim opus est. At vegetalem animæ virtutem obtinent & foeminae, & omnia, quæ viuunt, vt sapius dictum est. Quam ob rem hoc ouum, vt plantæ conceptus, perfectus est: vt animalis, imperfectus. Quòd si mas in eorum genere deesset, idem fieret, quod in piscium genere, si tale genus in iis est, quod sine mare progeneret. Dixi de his antè nondum exploratum haberi fatiis: nunc verò in omni auium genere, alterum mas, alterum foemina est. Itaque fit, vt qua planta est, perficiat quod non mutetur à coitu: qua non planta, non perficiat, nec aliud quicquam proueniat ex eo, quod genuit. Neque enim vt plantæ simpliciter, neque vt animalis per coitum prouentum est. Quæ autem oua coitu concepta, discreta iam sunt in albuminis portione, hæc pro eo, qui primùm coierit, mare euadunt. Iam enim vtrunque principium obtinent.

De partu mollium animantium, & ortu locustarum.
Cap. VIII.



MOLLium etiam partus similis est, vt sepia, caterorumque id genus, atque etiam crustatorum, vt locustæ, & reliquorum generis eiusdem. Pariunt enim ea quoque per coitum: & quidem sæpe mas coniunctus cum foemina visus est. Quam ob rem hinc etiam historicè nequaquam dicere illi videntur, qui pisces omnes foeminas esse autumant, nec per coitum parere. Hæc enim oriri per coitum arbitrari, illa non, mirum est. Aut si hæc ita parere illos latuit, indicium imperitiæ est. Diutiùs hæc, quàm cætera coeunt more insectorum, ratione. Sunt enim exanguia, & ob eam rem frigida natura. Sepiis, & lolliginibus oua gemina apparent: quoniam vulua earum ita articulata est, vt bifida cernatur. At polyporum ouum simplex est. Causa est, forma eorum vteri, quæ specie rotunda conglobataque est: fisio enim eius iam repleti incerta est. Locustarum etiã vulua bifurcis est. Conceptum hæc quoque omnia imperfectum eadem de causa edunt. Locustacei generis foeminae apud se partum exponunt: quam ob rem ampliores ipsæ, quàm mares, habent tabellas, vt oua feruentur. Mollia foris reponunt. Foeminis huius generis mares aspergunt, quomodo ouis mares in genere piscium: reddunturque oua eorum glutino cohærentia ad speciem vna. At locustaceis tale quid fieri nec visum est, neque ratione exigitur: conceptus enim eorum sub foemina continetur, & crusta intectus est. Incrementum tam eorum, quàm mollium oua foris recipiunt, sicut piscium. Adhæret ouo sepia nascens, parte sui prioris. Hac enim tantùm potest adhærere, cum hæc vna partem posteriorem, & priorem eodem habeat. Quænam situs dispositio sit eius, cum oritur, petendum ex historiis est. De ortu cæterorum animalium, tum pedestrium, tum volatilium, tum etiam natatilium diximus.

De triplici insectorum generatione.
Cap. IX.



DE insectis, atque crustatis hoc loco dicendum est, via, & ratione, qua coepimus. At primùm de insectis. Hæc partim coitu, partim sponte oriri dictum iam est. Item vermiculum ea parere, & quam ob causam ita pariunt. Genus hoc enim omne ferè vermiculum quodam modo parere videtur. Conceptus enim, qui imperfectior est, talis est. In omnibus autem vel iis, quæ perfectum pariunt ouum, conceptus primus indiscretus adhuc recipit incrementum: qualis natura etiam vermis est. Mox alia conceptum suum ouo perfecto edunt, alia imperfecto, quod extra perficiatur, vt sæpe de piscibus dictum est. Quæ verò intra se pariunt animal, iis quodam modo post primum conceptum ouiforme quiddam efficitur. Humor enim in membrana tenui continetur, pèrinde quasi oui testam detraxeris. Quam ob rem deprauationes conceptuum, quæ per id temporis accidunt, fluxus vocant. Sed insecta & vermem generant, quæ vim obtinent generandi,

randi, & quæ non per coitum, sed sponte Naturæ oriuntur, ex tali origine consistunt. Nam & erucas genus esse vermis censendum est, & foetum araneorum, quanquam propter figuræ orbiculatam speciem similia ouo, tum eorum nonnulla, tum alia complura primordia esse videantur. Verùm non figura, nec mollitie, aut duritie ouum definiendum est. Sunt enim conceptus nonnullorum duri, quantum ouo diuersi, sed quod totum mutetur, nec ex parte eius animal gignatur, id vermis est. Omne autem hoc vermiculi genus, vbi suæ magnitudinis finem receperit, quasi ouum efficitur. Indurescit enim putamine eorum, & tantisper immota redduntur. Quod in vermiculis apum, & vesparum, atque etiam in erucis apertum est. Cuius rei causa est, quòd Natura præ sua imperfectione quasi maturas antè, quàm tempestiuum sit ouum, pariat, tanquam hic vermis ad incrementum oui mollis adhuc pergat. Hoc eodem modo in cæteris quoque euenit omnibus, quæ non coitu oriuntur, vel in lanis, vel aliis huiusmodi, atque etiam in aquis. Omnia enim post vermis naturam motu cessant, & putamine obarescunt. Mox rupto putamine exit, veluti ex ouo animal, tertia perfectum generatione, idque pennatum magna ex parte. Ratione illud etiam euenit, quod iure multum admirentur. Erucæ enim cum primò capiant cibum, mox non capiunt, sed motu cessant, quæ per id tempus aureliæ à nonnullis vocantur. Vesparum etiam vermiculis, & apum idem accidit. Post deinde quæ nymphæ appellantur, proueniunt, quæ nihil huiusmodi habeant. Quorum enim natura adepta suum finem, non insuper accrescit, sed antè augetur, & alitur, donec distinguatur, & fiat ouum perfectum. Vermium autem alii, hoc intra se habent, vnde excrementum ipsis nutriendis accedat, vt vermes apum, & vesparum: alii de foris capiunt, vt erucæ, & cæterorum nonnulli vermium. Sed quam ob rem triplicem generationem hæc fortiantur, & qua de causa ex motis immota reddantur, explicatum iam est. Oriuntur eorū alia per coitum, & quæ de causa ex motis immota reddantur, explicatum iam est. Oriuntur eorū alia per coitum, & quæ de causa ex motis immota reddantur, explicatum iam est. Oriuntur eorū alia per coitum, & quæ de causa ex motis immota reddantur, explicatum iam est.

De generatione, & ortu apum.
Cap. X.



APUM generatio magnam recipit ambiguitatem, & quæstionem. Cum enim in genere piscium talis quædam sit generatio nonnullorum, vt sine coitu generet, hoc idem in apibus etiã euenire videtur, quoad sensus, ratioque apparens admoneat. Aut enim aliunde portare foetum eas necesse est, vt quidam volūt, eumque vel sponte nascentem, vel ab aliquo animali editum: aut ipsas generare: aut partim portare, partim generare. Nam id quoque aliqui dicunt, fucorumque foetum tantùm portare opinantur. Item generare eas aut per coitum, aut sine coitu, & per coitum generare, aut singula genera per se, aut quodlibet vnum cætera, aut aliud cum alio iunctum. Verbi gratia, apes ex apibus coeuntibus inter se gigni, fucos ex fucis, reges ex regibus, aut cætera omnia

ex vno, vt ex iis, qui reges, ac duces vocantur: aut ex fucis, & apibus. Sunt enim qui fucos mares esse, apes foeminas arbitrentur: alii contra, apes mares esse, fucos foeminas opinantur. Quæ omnia impossibilia sunt ratiocinanti, partim ex iis, quæ apibus priuatim eueniant, partim ex iis, quæ cum cæteris sint animalibus communiora. Nam si non ipsæ pariunt, sed aliunde portant foeturam, oriri apes oportet etiam sine vlla opera apum, scilicet eo loco, de quo semen portetur. Cur enim translato semine oriantur? manente suo loco non oriantur? profus oriri nihilò minùs conuenit, siue sponte in floribus semen id nascitur, siue ab aliquo editur animali quanquam non apes, sed illud animal gigni oportebit, quod semen generet. Adhæc, mel portari ab apibus, rationis est: cibus est enim. At foetum alienigenam deferre absurdè credideris. Nam, cuius rei gratia, quæso? quando omnis labor, qui proli causa suscipitur, in ea, quæ propria esse videtur, prole versatur. Nec verò apes foeminas esse, fucos mares ratio patitur. Arma enim ad pugnam, virisque exercendas nulli foeminae à Natura tribuuntur. Sunt autem fuci inermes: carent enim aculeo. Apes omnes aculeo armantur. Nec contra dici ratione probabilis potest, apes esse mares, fucos foeminas: mas enim nullus solet in prole elaborare. Quod apes faciunt omnino, cum foetus fucorum gigni videatur, etiam cum nullus est fucus. Apum autem non gigni sine regibus: & quidem ob eam rem foetum fucorum tantùm portare aliqui putant. Constat non per coitum gigni vel ex alterutro genere secum coeute, vel ex apibus & fucis. Portari etiam foetum fucorum tantùm cum impossibile sit, ob ea, quæ modò diximus, tum ratio aspernatur, vt in genere toto earum talis affectio non eueniat. Quinetiam fieri non potest, vt ipsæ apes partim mares, partim foeminae sint. In omnibus enim generibus mas à foemina differt. Generarent etiam seipsæ. At nullus earum cernitur foetus, nisi duces adsint, vt aiunt. Commune autem argumentum tam ad agendam vicissim generationem, quàm ad eam, quam fuci efficiant, & siue seorsum, siue promiscuè agi dicitur, quòd nullum eorum coire vnquam visum est. At sæpenumero eueniret, vt coitus cerneretur, si alterum mas, alterum foemina in iis esset. Reliquum est, vt si per coitum oriantur, reges coeuntes inter se generent. At fuci oriri visuntur, etiam cum nulli sunt duces, quorum foetum nec portare, neque parere apes suo coitu possunt. Relinquitur itaque, vt, quod in piscibus euenire videmus, apes sine coitu fucos generent, & foeminae sint, qua generant ratione: sed habeant intra se, vt plantæ, sexum maris, & foeminae. Quam ob rem iis datum est instrumentum ad pugnam. Nec foemina appellandum est, in quo mas distinctus non est. Quòd si in fucis id euenire videtur, ortusque eorum existit sine coitu, iam & apibus, & regibus eandem seruari rationem necesse est, vt sine coitu procreantur. Cæterum si sine regibus gigni foetus apum videretur, apes etiam sine coitu ex se generari necesse esset. Sed cum hoc negent, qui in eorum ani-

malium cura versantur, relinquitur, vt reges & se generent, & apes. Itaque cum singulari quadam, peculiarique natura genus sit apum, ortus quoque earum peculiaris merito esse percipitur. Nam vt apes sine coitu generent, minus proprium est, cum idem vel in aliis eueniat animalibus, ne idem procreentur, proprium est. Rubri enim generant rubros, & hiatalæ hiatalas. Causa est, quod ipsæ generantur, non vt muscæ, & reliqua id genus animalia, sed ex diuerso, tamen cognato genere prodeunt: ex ducibus enim oriuntur. Quam ob re proportio quodam modo in eorum generatione seruetur. Duces enim magnitudine fucis, aculeo apibus similes sunt. Apes igitur aculeo regibus assimilantur: fuci magnitudine. Aliquid enim discriminis inesse necesse est, nisi semper genus ex quouis idem gigni necesse sit: quod impossibile est. Ita enim genus totum duces essent. Apes itaque viribus, & pariendi facultate similes ducibus sunt: fuci magnitudine æmulantur. Quod si aculeum quoque haberent, duces vtique essent. Sed nunc id ipsum ex proposita quaestione restat, & solutum iam est. Quæ enim superioribus dicta sunt, totam hanc soluunt quaestionem: duces enim iidem similes sunt generi vtique. Quæ enim aculeum gerunt, apibus: quia magnitudine præstant, fucis assimilantur. Sed duces etiam ipsos ex aliquo gigni necesse est. Itaque cum nec ex apibus, neque ex fucis creentur, ipsos se etiam generare necesse est. Cellulæ eorum nouissimæ construuntur, nec multæ numero. Itaque euenit vt duces generent & se ipsos, & aliud genus, quod apum est. Apes aliud generent, id est fucos. Ipsi verò fuci non insuper generent, sed hoc ipsi priuentur. Cum enim semper quod secundum naturam est, ordinem habeat, ideo fucos ea quoque facultate priuari vt aliud generent, necesse est. Et quidem ita hoc euenire videmus. Ipsi enim generantur, nihil verò aliud generant, sed in ternario numero finem generatio recipit. Atque adeo bene institutum est à Natura, vt semper hæc genera seruentur, & nullum deficiat quanquam non omnia generent. Ratione illud etiam euenit, vt annis prosperis copia mellis proueniat, & fucorum: imbris verò crebris fœtus omnino superet. Humor enim facit plus excrementi in corporibus ducum. Anni verò temperies facit hoc idem in apibus. Cum enim corpore sint minore, temperiem magis desiderant. Rectè etiam reges intus manent immunes omni negotio necessario, quasi nati ad sobolis procreationem. Magnitudine item præstant, quasi ad prolem generandam corpus eorum sit institutum. Conuenit & fucos otiosos, inertesque esse, cum nulla habeant arma, quibus de cibo possint dimicare. Cumque pigritia, tarditateque corporis degenerent, apes medium inter reges & fucos tenent. Ita enim vtiles ad negotia, officiosæque operariæ esse possunt, vtque & filios alant, & parentes. Quin & sequi suos reges, vt faciunt, consentaneum est rationi, qua generationem apum à regibus proficisci statuimus. Nam si tale quid esset, ratione carerent ea, quæ aguntur in earum Imperio. Atque etiam regibus concedere nihil laboris suscipere, vt parentibus: fucos verò

castigare vt filios. Iustius enim filii castigantur, & quorum negotium nullum est. Apes autem multas à ducibus ipsis paucis generari, simile videtur leonum generationi: qui cum primùm quinque numero genuerint, mox pauciores generant, postremoque vnum, tum deinde nullum. Nam & apum duces primùm multitudinem generant, mox sese paucos, atque illarum fœtum minorem, suum verò auctiorem. Quod enim eorum numero natura ademerat, id magnitudini addidit. Generatio apum ita se habere videtur, tum ratione, tum etiam iis, quæ in earum genere euenire visuntur. Non tamen satis adhuc explorata quæ eueniant, habemus. Quod si quando satis cognita habebuntur, tunc sensui magis erit, quam rationi credendum. Rationi etiam fides adhibenda est, si, quæ demonstrantur, conueniunt cum iis, quæ sensu percipiuntur, rebus. Apes sine coitu generare argumeto illud etiam est, quod fœtus exiguus admodum in cellulis faui cernitur, cum insecta, quæ per coitum oriuntur, coeant diu, pariant breuiter, magnitudine ad speciem vermis. Quod ad generationem cognatorum iis animalium pertinet, vt crabronum, vesparumque, similis quodam modo ratio est: sed defuit his locuples Naturæ dotatio merito. Nihil enim, vt apum genus, habent diuinitatis. Generant quippe matrices vocatæ, primosque fauos confingunt. Generatione verò coeundo inter se funguntur. Visus est enim sæpe eorum coitus. Sed quotnam differentiis hæc genera aut inter se dissideant, aut cum apibus, petendum est ex iis, quæ per historias explicauimus. Atque de generatione insectorum omnium dictum iam est.

De generatione, & ortu testatorum animalium, quomodoque nonnulla plantarum generationi contigua sint: deque testatorum incremento. Cap. XI.



Equitur vt de testatis differamus. Generatio eorum quoque partim similis, partim dissimilis cæteris est. Idque euenit ratione: quippe cum animalium comparatione plantis, plantarum animalibus assimilantur, ita, vt semine gigni quodam modo velut animalia videantur: vt alio modo non semine, & tum sponte, tum ex se: aut alia sponte, alia ex se oriri. Sed quoniam naturam proportionem plantis respondetemi hoc genus habeat, hinc testa intestum, aut nullum in terra gignitur, aut paruum: quale genus limacum est, & si quid eiusmodi aliud sit, sed rarum. At in mari, similique humore multa, & varia gignuntur. Genus plantarum contra, mari, locisque huiuscemodi parum, & nullum ferè: in terra autem hæc omnia oriuntur. Habent enim naturam proportionalem, atque disiunctam. Sed quantum vitalius humidum, quam siccum, & aqua, quam terra, est, tantò natura testatorum, quam platarum, viuacior est. Nam aliàs eò quidem spectat, vt sicut plantæ ad terram, sic testata ad humorem se habeant, quasi plantæ ostrea terrena, ostrea plantæ aquatiles sint. Hinc etiam fit, vt multiformiora sint, quæ in humore gignuntur, quam quæ in terra. Humor enim naturam habet ad effingendum,

afformandumque habiliorum, quam terra: nec multò minus corpulentam eam, quæ potissimum in mari habentur. Humor enim potulentus dulcis quidem, alumnusque est. Sed tum minus corpulentus, tum frigidus est. Quam ob rem quæ sanguine carent, nec natura calida sunt, ea nasci in lacu non possunt: minus etiam in salis aquis, quæ sint potulentiores gignuntur, vt testata, vt mollia, vt crustata. Hæc enim omnia sanguine vacant, & natura frigida sunt. Sed stagnis marinis, & iuxta amnium ostia gigni solent. Quærun enim vnà teporem, & alimentum. Mare autem humidum, multòque corpulentius aqua potulenta est, atque etiam sua natura calidum est, vt particeps omnium partium sit, videlicet humoris, aeris, terræ. Itaque omnia adipiscuntur, quæ singulis his locis gignuntur. Plantas enim terræ incolas quispiam esse statuerit, aquæ aquatile animalium genus, aeris pedestre: sed quod magis, minusve, & remotius, aut propius res constet, magna, miraque differentia existit. Quartum genus non his locis quaerendum est, quanquam aliquid esse exigit ordine ignis. Id enim quartum corpus enumeratur. Verùm ignis semper formam nõ propriam habere videtur, sed in alio corpore. Aut enim aer, aut fumus, aut terra esse videtur quod ignitum est. Sedenim genus hoc apud Lunam quaerendum est: hæc enim quartam illam distantiam adipisci videtur. Sed de his aliàs. Natura testati generis consistit, partim sponte, partim aliqua ab ipsis emissa facultate: quanquam sæpe numero ea quoque spontina orientur constitutione. Sed generationes plantarum accepisse hoc loco congruit. Oriuntur enim earum alia semine, alia auulsione, nonnullæ etiam sobole, vt cæpe. Hoc igitur tertio modo mituli gignuntur: quippe qui minores subinde iuxta principium adnascuntur. Buccina, & purpura, & quæ fauare dicuntur, quasi à seminali natura humores quosdam mucosos emittunt. Semen verò nullum esse eorum putandum est, sed quo diximus modo, plantis assimilantur. Quam ob rem larga eorum copia prouenit, cum primùm constiterit aliquid. Hæc enim omnia vel sponte vt orientur, euenit. Itaque ratione tunc magis, cum origo præcesserit, consistunt. Aliquid enim excrementi singulis proficisci credendum merito est ab eo principio, cui soboles quæque adnascitur. Sed cum similem habeant facultatem cibus, excrementumque cibi, fauantium substantiam similem esse constitutioni primæ consentaneum est: quapropter excremento hoc gigni probabile est. Quæ autem vel sobolem nullam procreant, vel non fauant, eorum omnium ortus spontinus est. Omnia verò, quæ hoc modo consistunt, aut in terra, aut in aqua cum putredine gigni visuntur, & imbre admissio. Cum enim dulce in principium constituendum secernitur, quod superest, talem accipit formam. Nihil autem gignitur putrescens, sed concoctum. Putredo verò, & putridum excrementum rei concoctæ est. Nihil enim ex toto efficitur, quomodo neque in iis, quæ ab arte conuertuntur. Nam nisi ita esset, facere non requireretur. Sed quantum inutile est, id aut à Natura, aut ab arte detrahitur. Generantur autem in terra, humorè-

que animalia, & plantæ, quoniam humor in terra, spiritus in humore, calor animalis in vniuerso inest, ita vt quodam modo plena sint animæ omnia. Quam ob rem consistunt celeriter, cum calor ille comprehensus sine exceptus est. Comprahenditur autem, & humoribus corporeis incalescentibus efficitur velut bulla spumosa. Sed differentia nobilioris, ignobiliorisve generis constituendi in comprahensione principii animalis est. Huius autem rei causam, & loca habent, & corpus, quod comprahenditur. In mari verò multum portiois terrenæ est. Quocirca ex tali concretione natura testati generis oritur, ita vt pars terrena circiter durescat, cogaturque eodem modo, quo ossa, & cornua, (sunt enim hæc illiquabilia igne) corpus intus contineatur, quod vitam obtinet. Vnum ex his genus cochlearum coire perspectum est. Sed an ortus earum per coitum sit, necne, nondum exploratum satis habetur. Sedenim quaeret quispiam rectè, quidnam in his sit, quod secundum materiale principium consistat: nam in fœminis excrementum quoddam animalis hoc est, quod principium genitale à mare profectum mouens potentia tale, quale id est, de quo venit, animal efficit. At in his, quidnam hoc esse dicendum sit, & vnde, & quod principium genitale secundum mare? Ponendum igitur in animalibus generantibus calorem in animali contentum, secernendo ex cibo ingesto, & concoquendo facere excrementum, quod conceptus principium sit. Nec fecus in plantis, nisi quod in iis, & quibusdam animalibus, nihilo maris principium desideratur. Habent enim hoc intra se mistum. At plurimorum animalium excrementum illo principio eget. Alimentum autem aliis aqua, aliis terra, aliis quod ex iis constet. Itaque quod calor in animalibus contentus ex alimento efficit, hoc temporis calor in aere ambiente contentus, ex mari, aut terra concernit concoquens, atque constituit. Quod autem comprahenditur exceptum in spiritu animali, id conceptum facit, motumque imponit. Constitutio igitur plantarum, quæ sponte oriuntur, similis est. Quadam enim ex parte contrahitur, & alterum eius partis principium genitale, alterum alimentum fit primùm iis, quæ oriuntur. At verò animalia quædam verme nascuntur, tum exanguia, quæ non ab animalibus gignuntur, tum etiam sanguinea, vt mugilum genus quoddam, & aliorum fluuatiilium piscium: adhæc, anguillarum genus. Hæc enim omnia, quanuis naturam parum sanguineam habeant, tamen sanguinea sunt, & cor obtinent: quod principium sanguinarium corporis est. Quæ autem intestina terræ vocantur, vermis habent naturam, in quibus corpus anguillarum consistit. Quam ob rem de prima hominum, atque quadrupedum generatione, si quando primùm terrigenæ oriebantur, vt aliqui dicunt, non temere existimaueris altero de duobus his modo oriri. Aut enim ex verme constituto primùm, aut ex ouo: quippe cum aut intra se habeant cibum ad incrementum necesse sit, qui quidem conceptus vermis est: aut aliunde accipere, idque aut ex parente, aut ex parte

ARISTOTELIS

STAGIRITAE

DE GENERATIONE

Animalium Liber

Quartus,

Theodoro Gaza Interprete.

Democritum, Empedoclem, & nonnullos alios non rectè de maris, & foeminae generatione sensisse.
Cap. I.



DE generatione animalium omnium, tum vniuersim, tum singulatim dictum iam est. Sed cum in eorum perfectissimis 10 mas, & foemina distinctè habeantur, easque facultates omnium animalium, & plantarum esse principia fateamur, quanquam in aliis discretas, in aliis indiscretas, differendum hinc est primò, de eorum ipsorum generatione. Imperfectis enim adhuc suo in genere distinguitur sexus maris, & foeminae. Sed vtrum prius etiam, quam hæc differentia sensu nostro percipi possit, alterum mas, alterum foemina sit, discrimine facto in vtero, an post, ambigitur. Alii enim protinus in semini- 20 bus hanc esse contrarietatem aiunt, vt Anaxagoras, & alii Naturales authores. Etenim semen gigni ex mare, foeminam autem locum præbere: mare à parte dextra, foeminam sinistra proficisci: & vteri latere dextro marem contineri, foeminam sinistro. Alii verò id adscribunt, vt Empedocles. Quæ enim vterum subierint calidum, hæc effici mares arbitratur: quæ frigidum, foeminas. Caliditatis verò, frigiditatisve causam esse confluuium menstruorum, quod frigidius vel calidius sit, & aut anti- 30 quius, aut recentius. Democritus Abderites differentiam maris ac foeminae fieri quidem in matre ait, sed non caliditate, frigiditateve, alterum effici marem, alterum foeminam: sed vtrius tandem semen euicerit, quod ab ea produisset parte, qua mas, & foemina inter se differunt. Hoc enim Empedocles profectò negligentius opinatus est, vt caliditate, frigiditateque tantum differre hæc inter se existimaret, cum partes ipsas genitales, & vterum magnam habere differentiam cerneret. Nam si 40 postea, quam formata sunt animalia, alterum par-

tibus foeminae omnibus, alterum maris constitutum, mox in vtero, tanquam fornace, ponantur, quod vterum habet, in calido, quod non habet, in frigido: erit foemina quod vtero caret, mas quod vterum habet. Quæ res impossibilis est. Itaque eatenus quidem melius à Democrito dicitur. Quærit enim ille differentiam huius generationis, & reddere conatur: sed an bene, necne, id aliò pertinet. Tum etiam si caliditas, & frigiditas causæ sint, vt partes hæc differant, hoc explicare debuerunt, qui ita volunt. Hoc enim ferè est docere de generatione maris, ac foeminae. His enim partibus planè differunt. Nec parum negotii est, causam generationis earum partium ab illo principio ducere, cum necesse sit ita sequi, vt si animal refrigeratur, pars efficiatur ea, quam vterum appellamus: si calefcit, non hæc efficiatur. Eodemque modo de iis partibus, quæ ad coitum accommodantur. Nam eæ differunt inter se, vt antè expositum est. Ad hæc, sæpenumero euenit, vt eadem in parte vteri gemini mas & foemina generentur, idque satis inspeximus in dissectionibus animalium viuiparorum, tum pedestrium, tum etiam piscium. Quæ si non ille conspexerat, meritò errabat, cum eam adferret causam. Sed si cum hæc explorata habuisset, ita sensit, absurdum sanè est, quod insuper putarit causam vteri esse caliditatem, aut frigiditatem. Ambo enim semper aut mares, aut foeminae efficerentur: quod non ita euenire videmus. Item cum partes eius, quod gignitur, disceptas esse fateatur, (partim enim in mare, partim in foemina esse putat, ideòque alterum coire cum altero concupiscere) magnitudinem earum quoque partium esse diuisam, vellèque coniungi necesse est, non refrigeratione, calefactioneue ita institui. Sed feminis huiusmodi causæ complura fortasse obijci possunt: modus enim hic causæ figmento similis est omnino. Cæterum si ratio feminis ita se habet, vt explicatum à nobis est, & neque ex omni corporis parte decedit, neque materiam vllam iis, quæ gignuntur, præbet, quod proficiscitur à mare, iam & ei, & Democrito, & si quis alius ita censet, occurrendum

parte conceptus. Itaque si alterum fieri non potest, vt affluat ex terra, quomodo cæteris animalibus ex parente, relinquatur necessariò, vt ex parte conceptus accipiat. Talem autem generationem esse ex ovo, aut verme fatemur. Ergo si initium vllum generationis omnium animalium fuit, alterumrum de his fuisse probabile esse apertum est. Sed minus rationis est, vt ex ovo prodierint: nullius enim generationem animalem talem videmus, sed alteram tum sanguineorum, quæ diximus: tum exanguium, 10 qualia sunt insectorum nonnulla, & ea, quæ testa operiuntur, de quibus agitur. Non enim ex parte aliqua oriuntur, vt ea, quæ ovo nascuntur. Incrementum etiam similiter, vt vermes, capeffunt. Vermes enim augentur in partem superiorem, & qua principium continetur. Alimento enim superius ab inferioribus ministratur. Atque id quidem commune cum iis, quæ ex ovo proueniunt, habetur: sed illa totam materiam absumunt. In iis verò, quæ ex verme gignuntur, cum ex constitutione in parte inferiori contenta pars superior creuerit, mox ex reliquo alimento inferior articulatur. Cuius rei causa est, quod cibus postea quoque in parte septo subiecta conficitur omnibus. Incrementum autem hoc modo fieri vermium, apertum in apibus, cæterisque, 20 similibus, est. Principiò enim partem inferiorem magnam, superiorem habent minorem. Idem augefcendi modus in testatis etiam est. Quod & ipsum constat in genere turbinato, scilicet anfractibus eius, qui subinde accrescentes plures efficiuntur in partem priorem, quod caput vocatur. Dixi ferè quemadmodum generatio, tum eorum, tum cæte-

rorum sponte orientium agitur. Omne autem genus testatum sponte institui, apertum hinc est, quod nauigiis putrescente face spumosa adnascuntur, & locis multis, vbi nihil tale aderat antè, post per inopiam humoris facto cæno ostreae prouenerunt: vt apud Rhodum insulam, cum classis applicuisset, & fictilia proiecta essent in mare, tempore post cæno obducto testis ostreae in iis reperiebantur. Nihil autem partis genitales emitti ab iis argumentum 10 est, quod cum Chii quidam ex Pyrrha Lesbi insulae ostreas viuas portassent, & in loca quædam maris reciproci æstus, & luto similia dimisissent, plures nihilò fuere temporis spatio, quanquam incremento corporis plurimum profecerunt. Quæ autem oua appellantur, nihil ad generationem conferunt, sed indicio sunt nutritionis melioris, quale in sanguineis pingue est. Quam ob rem sapore per id tempus præstant, ciboque laudantur: argumento, quod & pinnæ, & buccina, & purpuræ continent 20 quidem semper ouum illud vocatum, sed aliàs maius, aliàs minus. Sunt etiam quæ non semper, sed vere id habeant. Mox enim tempore procedente minuitur, demumque totum aboletur, vt peccines, mituli, ostreae. Tempus hoc enim prodest eorum corporibus. Aliis nihil tale apertè venit, vt callis. Sed singula eorum, & quibusnam orientur locis, petere ex historia debes.

DE GENERATIONE ANIMALIUM LIBRI TER-
TII FINIS.

ARIST

dum simili modo est. Nec enim discerptum esse potest seminis corpus, ut partim in foemina sit, partim in mare, ut Empedocles censet, cum dicat:

Sed discerpta gerunt, mas ipse, & foemina membra:

neque totum ipsum ex utroque decedens, quia pars aliqua partem aliam vicerit, ideo efficitur mas, aut foemina, quanquam omnino melius partis exuperantia foeminam aut marem effici dixerit, quam per incuriam calori, aut frigori tantum causam tribuat. Sed cur formam etiam genitalis diuersam esse vna eueniat, causa reddenda est, ut haec semper vicissim consequantur. Nam si quoniam iuxta sunt, ita fit, reliquæ etiam quæque partes consequi debuerunt: sunt enim inter eas, quæ superant, aliæ aliis propinquæ. Itaque simul & foemina esset, & matri simile, aut mas, & simile patri. Absurdum etiam tantum eas effici partes oportere, nec totum corpus mutari existimare, & præcipue, primoque venas, quibus, veluti descriptione deductis, corpus adiacet carni, quas suam recipere qualitatem propter vterum, nulla probabili ratione dici potest: sed potius vterum propter eas suam recipere qualitatem ratio est. Quanquam enim vtrunque sanguinis conceptaculum est, tamen venæ sunt prius.

Principium autem mouens prius esse semper, & causam generationis aliqua sui qualitate necesse est. Accidit igitur differentia earum partium inter se foeminæ & mari. Nec id esse principium, neque causam esse hanc arbitrandum, sed aliam, etiam si nullum semen vel à mare, vel à foemina decedit, sed quolibet modo consistit, quod gignitur. Quinetiam contra eos, qui marem à dextra, foeminam à læua parte proficisci aiunt, eadem ratio sufficit, quæ contra Empedoclem, & Democritum. Siue enim nulla materia à mare affertur, siue aliqua affertur, ut volunt, nihil dicunt qui ita censent. Nec non Empedoclis sententiæ pari ratione occurrendum est, qui marem à foemina distinguit caliditate vteri, & frigiditate. Quod illi etiam faciunt, qui dextris, sinistrisque rationem describunt, quanquam videant marem & foeminam inter se differre, & parte, & toto. Sed cur sinistris corpus vteri adiungatur, dextris nequaquam? Nam si foetus eò venerit, nec eam ipsam habuerit partem, foemina erit sine vtero, & mas erit cum vtero, si ita fors tulerit. Item, ut antè retulimus, & foemina parte vteri dextra contineri visa est, & mas læua: & ambo eadem in parte, idque non semel, sed sæpius, quam aut mas in dextra, aut foemina in læua, nec minus ambo in dextra gignuntur. Atque etiam cum gemini, mas, & foemina gestarentur, marem in læua, foeminam in dextra contineri, perspectum est. Proximè quia aliqui persuasi dicunt, teste præligato dextro, aut sinistro, euenire per coitum, ut mas, aut foemina generetur: sic enim & Leophanes dicebat. Tum etiam exectis alterum testem hoc idem accidere quidam aiunt non verè: sed re coniectantur futuram ex consentaneis, atque anticipant, quasi ita sit, prius, quam ita fieri videant. Ignorant etiam, nihil ad generationem maris aut foeminæ conferri ab iis partibus.

Cuius rei indicium, quod multa animalia & ipsa mares, ac foeminæ sunt, & generant partim foeminas, partim mares, cum tamen testes non habeant: velut ea, quæ pedibus, carent: Verbi gratia, genus piscium, & serpentum. Causam verò maris, & foeminæ, caliditatem, frigiditatemve arbitrari, secernique de dextris, aut de sinistris, non sine vlla ratione dici potest. Sunt enim partes corporis dextræ calidiores sinistris, & semen concoctum calidius est, quale id, quod spissum est: foecundius autem, quod spissius est. Sed valde à longe tangitur causa, cum ita affertur. Accedendum autem semper ad rei causas primas, quoad maximè fieri potest, propriis. De corpore igitur toto, & de partibus, quid quæque sit, & qua de causa, iam antè explicatum alibi est. Sed cum mas & foemina potentia quadam, & impotentia definiantur (quod enim potest concoquere, & constituere, & secernere semen, atque principium obtinet formæ, id mas est. Principium autem non hoc dico, ex quo, ut materia, tale gignitur, quale, quod generat, est: sed id, quod primum moueat, siue in se ipso, siue in altero possit hoc facere: quod autem recipit, nec potest constituere, & secernere, id foemina est.) Item, si omnis concoctio calore efficitur, mares, quam foeminas, esse calidiores necesse est. Ob frigiditatem enim, & impotentiam foemina sanguine abundat quibusdam sui corporis locis. Idque indicium facit contrà, quam aliqui afferunt causam, cum foeminam esse mare calidiorum opinentur, ob mestrurorum emissionem. Sanguis enim calidus est, & quod plus sanguinis habet, hoc calidius est. Putant autem hunc affectum moueri abundantia sanguinis, & caloris, quasi eque quoduis sanguis esse possit, modo humidum sit, & colore cruentum: nec ita eueniat, ut minus sanguinis, & syncerius fiat in corpore alimenti melioris, & habitus. Sed illi perinde, ac excrementum alui, quod plurius sit, hoc indicium esse naturæ calidioris magis, quam quod minus, existimant. Atqui contrà omnino est. Ut enim in fructibus conficiendis ex copia primi alimenti parum secernitur, quod vtile sit, demumque nulla pars remanet respectu copiarum primarum: sic in corpore animalis, postquam partes per successionem alimentum conficiendum receperunt: ad postremum parum admodum remanet ex toto alimento: quod in aliis sanguis, in aliis proportionale sanguinis est. Sed cum alterum potest, alterum non potest secernere excrementum syncerum, omnisque facultas instrumentum aliquod sibi accommodatum habet, & quæ melius, & quæ deterius idem efficiat: foemina autem, & mas, cum multifariam verba hæc, posse, & non posse, dicantur, modo prædicto sibi opponantur, instrumentum ob eam rem tum foeminæ, tum mari tribui necesse est. Itaque alteri vterus, alteri coles datus est.

Natura autem simul & facultatem cuius dat, & instrumentum: sic enim melius est. Quam ob rem singula loca vna cum singulis excrementis, & facultatibus sibi accommodatis instituuntur. Atque ut nec visus sine oculis, neque oculus sine visu perficitur, sic & aluus, & vesica simul atque excrementa fieri possunt, conditur. Sed cum idem sit, ex quo generentur,

nerentur, & augeantur, idque sit alimentum, pars corporis quæque ex tali materia, talique excremento, qualis est capax, consistet, & fiet. Gignitur item ex contrario quodam modo vnumquodque, ut nos censemus. Adhæc, tertium illud sumendum est, ut quoniam omnis delatio in contrarium est, quod non ab eo superatur, à quo conditur, siue creatur, id in contrarium mutari necesse sit. His ita subiectis, apertius fortasse iam fuerit, qua de causa alterum mas, alterum foemina fiat. Cum enim principium non superat, neque concoquere potest propter caloris inopiam, neque ducit in suam formam, sed tantisper superatur, mutari in contrarium necesse est. Contrarium autem maris, foemina est, videlicet qua alterum mas, alterum foemina est. Et cum facultatis suæ virtutis differentiam habeat, instrumentum quoque habet auersum. Itaque in tale mutatur. Parte autem aliqua opportuna mutata, constitutio tota animalis multo discrepat forma. Licet hoc perspicere in spadonibus, qui vna parte truncati tam à pristina forma discedunt, parumque à foemina specie distant. Cuius rei causa est, quod partes nonnullæ principia sunt. Principio autem mutato, multa ex iis, quæ sequuntur, commutari, & dimoueri necesse est. Quod si mas principium quoddam, & causa est, masque est qua aliquid potest, foemina verò, qua non potest, potentia autem & impotentia ratio sic describenda est, ut facultas aut adsit, aut desit concoquendi vltimi alimenti, quod in sanguineis sanguis appellatur, in exangui- bus proportionale, eiusque causa in principio, & parte, quæ originem naturalis caloris continet, sita est, cor profectò in sanguineis constitui, & aut marem aut foeminam fieri, quod gignitur, necesse est. In cæteris verò generibus mas, & foemina est, quod proportionale cordis habeatur. Origo, & causa foeminæ, & maris hæc, & in hoc est. Foemina autem, & mas iam est, cum partes etiam habent, quibus foemina differat à mare. Non enim quauis parte mas, aut foemina est, quomodo nec videns, nec audiens: sed repetendo dicimus. Item, semen excrementum esse vltimum alimenti, positum est. Vltimum autem id intelligi volo, quod in vnamquamque partem feratur. Quam ob rem quod generatum est, simile ei, quod generauit, est. Nihil enim refert ab vnaquaque parte proficiscatur, an ad vnamquamque accedat. Sed rectius ita. Maris autem semè differt, quod principium in se continet tale, quo moueat, & alimentum in animali vltimum concoquat: foeminæ semen materiam tantum præbet. Quoties igitur semen superat maris, ad se ducit: cum superatum est, in contrarium demutatur, hoc est, in corruptionem. Contrarium autem maris, foemina est. Foemina cruditate, frigiditateque sanguinei alimenti describitur. Natura verò excremento cuique dat conceptaculum. Semen autem excrementum est, quod in calidioribus, atque maribus sanguinei generis contractius est. Quapropter membra capientia eius excrementi meatus in maribus sunt. At foeminis præ cruditate copia redundat sanguinea: incoctus enim, incoctusque sanguis est. Itaque conceptaculum eius haberi necesse est, idque

quæ delatio
quæ corruptio.

dissimile esse, & amplius. Quocirca natura vterialis est, qua parte foemina differt à mare. Exposui causam, quam ob rem alterum mas, alterum foemina generetur.

Indicia, quibus maris à foemina generatione generatio discernatur.

Cap. II.



Ndicia verò faciunt res, quæ accidunt. Nouella enim, & senescens ætas magis, quam florens, foeminas generat. In altera enim calor nondum perfectus est, in altera deficit. Humidiora etiam, effeminatioraque corpora foeminam potius gignunt: & semina humida magis, quam spissa, hoc idem faciunt. Hæc enim omnia eueniunt caloris inopia naturalis. Flatribus item Aquiloniis magis, quam Austrinis, mares gignuntur. Fit etiam ut excrementis eiusmodi corpora abundant. Plus autem excrementi concocti difficilius est. Quam ob rem maribus semen, mulieribus menstrua decedunt humidiora. Tum etiam ut menstrua secundum naturam mensibus decrescentibus potius fiant, eadem de causa accidit. Tempus enim hoc mensis frigidius est, & humidius, propter Lunæ decrementum, defectionemque. Sol enim per totum annum, hyemen, atque æstatem facit: at Luna per mensem id agit. Quod ita fit, non accessu, discessuque Lunæ, sed alterum in crescente luce, alterum decrescente. Nec non pastores aiunt interesse ad maris, ac foeminæ pecoris foeturam, non solum si ita accidit, ut initus Aquiloniis, Austrinisve flatribus fiat: sed etiam si, cum pecus coit, spectat ad Aquilonem, aut Austrum. Ita minimo interdum momento causa datur caliditatis, aut frigiditatis. Hæc verò causam complent generationis. Dissident omnino inter se mas, & foemina, ob eas, quas diximus, causas, ad maris, aut foeminæ generationem: sed moderatione, quæ intercedat, opus est. Nam omnia, quæ vel Natura, vel arte efficiuntur, ratione aliqua sunt. Calor autem, si valde superat, exiccat humorem si multum deficit, non concernit. Sed mediæ rationem ad rem condendam seruari requiritur. Alioqui, ut in iis, quæ igne coquuntur, plus ignis deurit, minus non coquit, ac euenit vtrinque, ne quod agitur perficiatur: sic in coitu maris & foeminæ moderatione opus est. Hinc multis tum maribus, tum foeminis euenit, ut coniuncti inter se nequeant generare, distincti queant: & aut minoribus natu, aut maioribus hæc contrarietates existant, æque in generatione, sterilitateque, & maris, foeminæque procreatione. Quin & inter terras, & aquas interest eisdem de causis. Qualitatem enim quandam potissimum recipit, & alimentum, & dispositio corporis ex temperamento aeris continentis, & cibi ingredientis: sed præcipue ex alimonia aquæ. Hulus enim vltimus plurimus est, atque in omnibus aqua alimento est, etiam siccis. Quam ob rem aquæ cruda, & frigida, aut sterilitatem, aut partum foemineum faciunt.

Causæ, ob quas nati, vel parentibus, vel alijs sint aut similes, aut dissimiles.

Cap. III.

Eadem



Aedem causæ sunt, & vt alii parentibus similes generentur, alii dissimiles, & alii patri, alii matri, tum corpore toto, tum verò partibus singulis, & parentibus magis, quàm maioribus suis, & iis potiùs, quàm quibullibet, ac mares potiùs patri, fœminæ matri, alii nulli consanguineo similes, sed tamen homini similes, alii ne homini quidem, sed iam monstro. Qui enim suis parentibus similis nō est, monstrum quodam modo est. Discessit enim in eo quodam modo Natura ex proprio genere, cœpitq; degenerare, sed initium primum degenerandi est, fœminam generari, non marem. Verum hoc necessarium est Naturæ. Genus enim seruari oportet eorum, quæ fœmina, & mare distinguuntur. Sed cum fieri possit, ne aliquando semen superet maris, aut ob ætatem iuuenilem, senilemve, aut ob aliam eiusmodi causam, fœminam ob eam rem gigni necesse est. At monstrum gigni, non necesse est, scilicet ad causam, cuius gratia, & finē, quanquam per accidens necesse est. Nam principium hinc sumatur oportet. Quoties enim excrementum seminale bene concoctum in mensruis est, motus maris agit pro sua forma. Nihil enim refert genitura dicatur, an motus, id, quod partem corporis vnamquanque augeat. Nec interest augentem motum, an principio instituentem placeat appellare. Eadem nanque ratio motus est. Itaque si superat, faciet marem, nō fœminam, & similem ei, qui generat, non matri: sed si non superat, pro ea, qua non superarit, facultate, defectum faciet. Facultatem autem hoc modo intellegi volo, quod generat, non solum mas est, sed etiã talis mas, vt Coriscus, aut Socrates: nec modò Coriscus est, verum etiam homo. Ad hunc modum alia proprius, alia remotius, insunt in eo, quod generat, videlicet qua genitale est, non per accidens. Verbi gratia, si grammaticus, aut vicinus cuiusquam, qui generat, est. Valet autem semper in generando magis, quod proprium, & particulare est. Coriscus enim & homo, & animal est: sed proprius à proprio distat homo, quàm animal. Generat autem & quod particulare est, & quod genus est: sed magis quod particulare. Hoc enim substantia est. Quod enim gignitur, & si quale quid est, tamen hoc quicquam est, idque substantia est. Quam ob rem ex facultatibus insunt in seminibus eiusmodi omnium motus. Maiorum etiam propria in nepotum semine insunt potentia: sed propinquius semper, quod particulare est. Particulare Coriscum dico, & Socratem. Sed cum omne, quod mutatur, non in quodlibet, verum in sibi oppositum transeat, ideo & quod in generatione non superatur, transeat in oppositum, necesse est, pro ea facultate, qua nō superarit, quod generat, moueatque. Quod si quæ est mas, non potuit, fœmina gignitur. Sed si quæ est Coriscus, aut Socrates, non patri, sed matri simile gignitur. Vt enim omnino patri mater opponitur, sic singulis generantibus singulae generantes opponuntur: similiq; modo in sequentibus facultatibus agit. Semper enim in sequentem & proximum maiorum potiùs transitur, tam in patre, quàm in matre. Insunt autem motus alii actu, alii potentia. Actu insunt mo-

tus eius, qui generat, & vniuersalium, vt hominis, vt animalis. Potentia insunt motus fœminæ, & maiorum, tam in patre, quàm in matre. Mutatur igitur transiens in opposita. Motus autem qui creant, soluuntur in propinquos. Verbi gratia, motus eius, qui generat, si soluat, primum differentia minima in motum patris transibit, mox in aui, atque deinceps ad hunc modum in cæteros similes. In fœminis quoque transitus fit. Motus enim concipientis in motum soluitur matris: si non in eum, in aui: eodemque modo in superiores. Sed potissimum ita Natura fert, vt qua mas, & qua pater est, simul & superet, & superetur: parum enim discriminis est. Itaque vt simul vtrunque eueniat, nequaquam difficile est. Socrates enim vir talis quis est: quam ob rem mares magna ex parte similes patri existunt, fœminæ matri. Simul enim in vtrunque disceditur. Opponitur autem fœmina matri, mater patri: discessusque in opposita fit. Sed si motus, qui à mare est, superarit, qui verò à Socrate est, non superarit, aut hic superarit, ille non: ita euenit, vt mares similes matri, fœminæ similes patri generentur. Itē, si motus soluantur, & qua mas est, feruetur, Socratis autem soluat in patris, mas erit auo similis, aut alicui cæterorum superiorum maiorum, prout solutio tetenderit. Sed si, qua est mas, superetur, fœmina erit similis potissimum matri. Si autem & hic soluat motus, matri assimilabitur matris, aut alicui superiorum pari ratione. Idem modus partium quoque est. Sæpe enim alia patri similes, alia matri, alia maiorum, alicui similes constituuntur. Insunt enim & partium motus, alii actu, alii potentia, vt sæpius diximus. Omnino subiicienda sunt tria illa: Vnum, quod modò dixi, motus inesse, alios potentia, alios actu. Alterum, degenerare in oppositum, quod superatur. Tertium, transire in motum proximum id, quod soluitur: & si minus soluitur, in propinquum: si magis, in remotiorem discedere: demumque ita confundi, vt nemini suorum similes prodeant, sed commune tantum relinquatur, vt homo fit. Cuius rei causa est, quod commune particularia consequitur omnia. Homo enim vniuersale est: Socrates pater, & quæcunque est mater, particulare est. Causa, vt motus soluantur, est, quod omne agens patitur etiam à patiente: vt quod fecat, hebetatur ab eo, quod fecatur: quod calefacit, refrigeratur à calefcente. Denique quodcunque mouet, excepto primo, mutuo mouetur aliquo motu. Verbi gratia, quod pellit, pellitur quodam modo: quod agit, magis patitur, quàm agat, & refrigeretur, quod calefacit, calefacit, quod frigefacit, cum aut nihil fecerit, aut minus, quàm ipsum affectum est. Dixi de iis, cum de ratione agendi, patiendisque docerem: videlicet quibus in rebus inesse agere, & pati. Degenerat autem quod patitur, nec superatur, aut defectu facultatis eius, quod coquit, & mouet, aut copia, frigiditateque eius, quod concoquitur, & distinguitur. Cum enim partim superet, partim nō superet, facit multiforme, quod constituitur: vt athletarum nonnullis per vsu cibi nimium accidit. Cum enim per copiam pastus Natura nequeat

superare, vt proportione augeat, formamq; feruet eandem, diuersæ efficiuntur partes, & adeo interdum, vt nihilò ferè similes primis euadant. Proximum huic est morbus, quem satyriam appellamus. Etenim in eo præ abundantia fluxionis, aut flatus crudi in partes faciei decumbentis, facies animalis diuersi, & satyri apparet. Sed quam ob causam mares, & fœminæ generentur, & alii parentibus similes, fœminæ fœminis, mares maribus, alii è diuerso, fœminæ patri, mares matri, denique alii maioribus suis similes, alii suorum nemini similes existant, idque tum corpore toto, tum partibus singulis, de iis, inquam, omnibus dictum iam est. Sententiæ autem aliorum etiam Naturæ interpretum sunt de iis rebus, scilicet quam ob rem similes parentibus generentur. Afferunt illi duplicem modum rationis. Nonnulli enim ita censent, vt ab vtrouis plus seminis venerit, ei similis magis generetur, æquè toti totum, & parti pars, quali ex vnaquaque parte semen decedat: sed si par de vtroque venerit, similis neutri procreetur. Quod si falsum est, nec omni ex parte decedit, constat nec similitudinis, & dissimilitudinis causam id esse, quod referunt. Tum etiam quemadmodum simul & fœmina sit, & patri similis, aut mas, & similis matri, non facile explanare possunt. Qui enim, vt Empedocles, aut Democritus, causam de mare, & fœmina reddunt, impossibilia modo alio dicunt: sed qui quod plus, minusve à mare, aut à fœminia secesserit, alterum marem, alterum fœminam gigni causantur, ii nequeunt explicare quemadmodum fœmina patri similis, mas similis matri reddatur simul enim plus de vtroque venire impossibile est. Adhæc, cur similes maioribus suis magna ex parte, remotisque generentur, cum nihil feminis ab illis secesserit, nihil profecto isti, quod bene tueantur, habent: sed qui reliquum similitudinis modum afferunt, ii tum cætera, tum verò hoc melius dicunt. Sunt enim qui semen genitale dicant, quanuis vnum, tamen veluti omnifariam quandam esse multorum seminum mixturem. Itaque si vt quis multa saporum genera in eodem humore miscuerit, moxque inde sumat, possitque sumere semper non tantundem ex vnoquoque, sed modò huius, modò illius plus, aliàs etiam ex hoc sumat, ex illo nihil sumat: sic in femine genitale esse, cum ex multis, ac variis mistum sit: à quocunque enim gignente accesserit plurimum, ei similem forma generari. Sed hæc ratio nec plana est, & passim fictitia est. Vult hæc non actu, sed potentia inesse, quam omnifariam feminis commixturem appellat. Et quidem ita dici melius est: illo enim modo impossibile est: hoc, possibile est. Verum qui ita causam reddunt, nullo modo rationem afferre de omnibus facile poterunt, cur fœmina, cur mas gignatur: quæ ob rem sæpenumero fœmina patri similis, mas matri proueniat. Atque etiam de maiorum similitudine. Adhæc, qua de causa interdum homo quidem, sed nulli suorum similis generetur. Aliàs vsque adeo procedendo degeneret, vt demum ne homo quidem, sed ani-

mal tantum aliquod existat, quæ monstra dicuntur. Proximum enim ab iis, quæ iam explicauimus, est, vt causas de monstris reddamus. Ad extremum enim, cum motus soluantur, & materia non superetur, remanet quod maximè est vniuersale, id est animal. Iam puerum ortum capite arietis, aut bouis referunt. Idemque in cæteris membrum nominant animalis diuersi. Vitulum capite pueri, & ouem capite bouis natam asseuerant. Quæ omnia accidunt quidem causis supra dictis. Sed nihil ex iis, quæ nominant, est, quanuis similitudo quædam generatur. Quod euenit etiam non in monstrum peruersis. Quam ob rem sæpenumero per conuiciu nonnulli deformes assimulantur, aut capræ ignem efflanti, aut arietis i peculeo. Physiognomon quidam omnes ad duorum aut trium animalium formas redigebat, & dicendum plerumque persuadebat. Sedenim impossibile esse, vt tale monstrum gignatur, id est alterum in altero animal, tempora ipsa grauiditatis declarant, quæ plurimum discrepant in homine & cane, & in oue & boue. Nasci autem nullum, nisi suo tempore, potest. Partim igitur hoc modo dicuntur monstra, partim quod forma prodeant multi membra, scilicet multis pedibus, aut multis capitibus. Sed profecto rationes monstrorum, & oblatum animalium propinqua, & similes inter se quodam modo sunt. Monstrum enim, oblatio quædam est.

Quas ob causas monstrosa animalia generentur, & quare alijs vnifer, alijs paucifer, alijs multiplex sit partus. Cap. IIIII.



Democritus verò monstra fieri ea causa scribit, quod duo subeunt semina, alterum antè, alterum postea: quæ cum in vtero confundantur, euenit, vt membra coalescant, atque dissideant. Auibus verò, quoniã coitus agitur crebro, idcirco semper & ova, & colorem euariare autumat. Sed si ita sit, vt ex vno semine, eodemque coitu plura generentur, quod pater, præstat non circumire via omnia breui, & facili. Is enim tum maximè id accidere necesse est, cum semina non distinguuntur, sed simul subeunt. Quod si femini maris causa tribuenda est, hoc modo dicendum sit. Sedenim ex toto potiùs causam in materia, constituentisq; conceptibus esse censendum est. Quam ob rem monstra eiusmodi raro admodum fiunt in iis, quæ singulos pariunt: sed crebrius in iis, quorum partus est numerosus, & præcipue in auium genere, earumque potissimum in gallinis. Iis enim partus numerosus, non modo quod sæpe pariatur, vt columbæ, verum etiam quod multos simul conceptus intra se continent, & temporibus omnibus coeunt. Hinc gemina etiã pariunt plura. Cohærent enim conceptus, quoniã in propinquo alter alteri est, quomodo interdum fructus arborum complures. Quod si vitella distinguuntur membrana, gemini pulli discreti sine vlla superuacua parte generantur. Sed si vitella continuantur, nec vlla interiecta membrana determinantur, pulli ex iis monstrifici produnt, corpore, & capite vno, cruribus quaternis, alis totidè, quoniã superiora ex albumine generentur, & prius,

Alii petulco, sed antequam interpres habet porco præconizanti.

(vitellum enim cibo iis est) pars autē inferior postea instituitur, quanquam cibus idem, indifcretusq; suppeditatur. Iam serpens etiā biceps visus est, videlicet eadē de causa. Nam id quoq; genus ova parit, & multa numero. Sed rariū in eo monstri institutio euenit, propter vteri formam. Porrecta enim in verūm copia ouorum continetur pro vteri longitudine. Nec verò in genere apum, aut vesparum, tale quid accidit. Cellulis enim discretis partus earum continentur. At in gallinis econtrario fit. Vnde apertum est, causam euentorū huiusmodi in materia esse putare oportere. Vt enim in iis, quæ plura pariūt, magis sic in iis, quæ pauciora, minus id accidit. Quocirca homini minus. Singulare enim, perfectumq; parit. Nam & homini locis, quibus mulieres præfecundæ sunt, magis id euenit, vt in terra Aegypto. Capris verò, & ouibus magis, vt fecundioribus, accidit. Atq; etiā magis multifidis. Multipara enim id genus animalia sunt, nec partum perficiūt, vt canis. Cæcos enim magna eorum pars solet parere. Quod quā ob causam accidit, & quam ob rem pariant multos, postea explicabimus. Sedenim hæc propensiora iam sunt suapte natura ad monstrificam partionem, quando non similes sibi generant, sed imperfectos. Nam & monstrum, quid dissimile est. Quam ob rem iis, quorum talis natura est, facilius casus hic obuenit. In iis enim potissimum, & quæ metachœra appellantur, consistunt: quæ aliquatenus labe monstrifica sunt affecta. Nam deesse, aut superesse quicquā, monstruosum est. Monstruosum est enim, res præter naturam: sed præter eam, quæ magna ex parte sit. Nam præter eam, quæ semper, & necessariò est, nihil fit. Verum in rebus iis, quæ magna quidem ex parte ita fiunt, sed aliter etiam possunt fieri, euenit, quod præter naturā consistat. Nam & inter eas ipsas, quibus accidit quidem præter hunc ordinem, sed nunquā quolibet modo, minus monstrum esse videtur: quoniā quod præter naturā sit, idem etiā secundum naturam quodā modo est, cum naturā materiæ, natura formæ non superat: quā ob rem nec ea monstri nomine appellantur, neq; vbi fieri aliquid solet, vt in fructibus. Vitis enim quædam est, quā aliqui capneū vocant, quæ cum vnam albam solet ferre, si nigram tulit, monstrum id esse non putat, quoniā sepius id facere ea solet. Causa est, quod sua natura inter albam & nigram est. Itaq; non longè disceditur, nec præter naturā ferè. Non enim in aliam naturā transitur. At in iis, quæ pariunt plura, tum ea ipsa eueniunt, tum verò copia partus impedit alter alterius perfectionē, & causam genitalem. De partu numeroso, paucifero, & singulari, atque etiam de iis partibus, quæ aut superant, aut deficiunt, quæstio existere potest. Gignuntur enim interdum alia pluribus, quàm iustum sit, digitis: alia vno tantum, Eodemq; modo in cæteris partibus, aut excedunt: aut deficiunt. Nonnulla etiam duplici genitāli, altero maris, altero fœminæ nascuntur. Et in genere quidem hominum, sed maximè in caprarū. Gignuntur enim, quas vocant hircinas, propterea

ἡδύκαι
capræ hircinæ.

quod simul genitale habet & maris, & fœminæ. Iam & cornu gerens in crure capra cōspecta est. Partibus etiam internis mutationes, detrimentaque accidunt: vt vel careant aliquibus, vel habeant minuta, & læsa, vel plura numero: vel nō suis posita locis. Sed corde carens nullum vquam animal ortum est: quanquam liene carēs, & duplicem habens lienem, & altero vacans rene, visum est. Iecore etiam carens toto, nullū notatum est: quanquam quod non totum haberet, iam patuit. Hæc autem in perfectis, viuīsq; reperiuntur. Felle item priuata prodierunt, cum sua natura habere deberent. Alia contrā, plura habuerunt. Iam locis etiam permutatis iecur late re sinistro, lien dextro contineri visus est. Hæc, vt modo dixi, in animalibus iam perfectis explorata sunt, in nascentibus autem variè perturbantur. Quæ si parum de sua natura discedunt, viuere solent: si plus, viuere nequeunt, videlicet cum quod præter naturam est, partibus viuendi principalibus accidit. Modus verò considerandi de his est, vtrum eandem causam putare oporteat partus singularis, & partiū defectus: itēq; partus numerosi, & partiū excessus, an non eandem. Primum igitur quod alia pariunt multa, alia vnum, merito quispiam miretur. Quæ enim maxima inter animalia sunt, ea singulos pariūt: vt elephas, camelus, equus, & reliquæ solipedes: quæ partim maiora cæteris sunt, partim longè magnitudine superant. Canis verò, & lupus, & reliqua multifida omnia ferè pariūt multa: atq; etiam parua eiusdem generis, vt mures. Bisulca pauca generant, præterquā fues: hæc enim inter multipara est enumeranda. Ratio enim probabilis est, vt maiora animalia plura generare, plūsque asserre feminis possint. Sed certè id ipsum, quod admirari facit, causæ est, ne admiremur. Facit enim eorum magnitudo, ne multa pariant. Cibus enim in iis absumitur in corporis incrementum. Minoribus verò natura demendo de magnitudine, auget in excremento feminali exuperantiā. Item plus feminis genitālis esse, quod maioris est animalis, minus autē, quod minoris, necesse est. At multa effici parua in eodem possunt, multa magna effici difficile est. Mediocribus verò magnitudinis medium à Natura datum est. Sed quam ob rem animantiū alia maiora, sunt, alia minora, alia mediocria, causam antè reddidimus. Sunt autem alia vnipara, alia paucipara, alia multipara. Et magna ex parte vnipara sunt, quæ solipeda: paucipara, quæ bisulca: multipara, quæ multifida. Cuius rei causa est, quod magna ex parte magnitudines corporis iis differentiis distinguuntur. Tamen non ita in omnibus est. Magnitudo enim, & paruitudo corporis causam habent partus amplioris, & parioris, non solipedis, aut multifidi, aut bisulci generis ratio. Cuius rei testimoniū est, quod elephas animalium maximū, idēq; multifidū est. Camelus bisulcum est, quod maximum inter reliqua est. Nec solum in pedestriū genere, sed etiam in volatiliū, & nantium magna parum fecunda sunt, parua verò perquam fecunda eadem de causa. Plantæ etiam, non quæ maximæ sunt

sunt, plurimum afferunt fructus. Diximus quam ob rem alia parere multa, alia pauca sua natura assolēt. Sed huius quæstionis illud maximè quis miretur in iis, quæ pariunt multa, quod plerumque vno initu animalia id genus impleri cernuntur. Semen autem maris, siue ad materiam confert, se adhibens partem conceptus, & miscens cum sumine fœminæ, siue non eo modo, sed vt nos censemus, cogit, conditq; materiam contentam in vtero, fœminalēq; fœminæ excrementum, vt succus lactis humorem spissat, cur tandem non vnum efficit animal incrementi maioris? vt succus in lacte non certa quantitate ad cogendum describitur: sed quod plus lactis plus succi subierit, eò plus colostri concrefcit. Semen igitur trahi à locis vteri, atque ob eam rem multa generari pro numero locorum, & acetabulorum, quæ vnum non sunt, opinari nihil rationis est. Sæpe enim eodē in loco vteri gemini consistunt. In genere etiam multiparo, cum plenus fœtuus vterus fuerit, deinceps alius ab alio iacere cernuntur. Quod ex diffinitionibus patet. Sed vt perficiendi cuiusq; animalis certa est magnitudo, tum ad maius, tum verò ad minus, quæ terminū non supergrediuntur, vt vel maiora, vel minora euadant, sed in medio magnitudinis spatio excessum, defectum ve inter se capiunt, atq; ita homo alius alio auctior est, & cæterorum quoduis animalium: sic materia feminalis, ex qua consistunt, non indefinita est, nec in plus, nec in minus, vt ex quantalibet possint generari. Quæ igitur animalia ea, quam diximus, causa plus excrementi fecerunt, quàm satis sit ad vnus animalis originem, iis fieri non potest, vt ex eo toto vnum gignatur animal: sed tot numero gigni necesse est, quot magnitudinibus debitis præscripta sunt. Nec verò maris semen, aut facultas contenta in maris femine plus quicquā, aut minus cōstituit, quàm à Natura sancitū est. Eodemq; modo, si plus feminis mas emiserit, aut facultates plures in femine diuidendæ cōtendas, nihilò maius efficiet, quanuis plurimum accesserit: imò contrarium ager: exiecano enim corrumpet. Neque enim ignis, quod plus fuerit, eò magis calefaciet aquā: sed certus calor terminus est, vltra quē si igne augeas, nihilò reddes aquam calidiorem, sed facies vt magis euaporetur, demumq; deleatur, & exicetur. Cum igitur hæc moderationē certam inter se requirāt, scilicet excrementum fœminæ, & maris, qui semen emittant, multipara animalia statim emittunt quod sibi conueniat, videlicet mas quod diuisum possit constituere plura: fœmina tantū vt plura constitui possint. Lactis autē illud exemplum simile non est. Seminis enim calor, non modo efficit quantum, sed etiam quale quid. At succi, & coaguli calor quantū duntaxat constituit. Causa igitur vt plures conceptus contrahantur, nec vnum tantum ex cunctis consummetur in multiparis animalibus, hæc est, quod non ex quantolibet conceptus inchoetur, sed si aut parum, aut multum admodum sit, gigni non poterit. Præscripta enim, certaq; est virtus & patientis, & agentis.

Simili modo in vniparis, magnisq; animalibus, non multa ex multo excremento consistunt, cum in iis etiam ex certo quanto certum quantum, quod cōficitur, sit. Plus igitur materiæ talis nō mittit ea, quam prædiximus, causa. Quam autē mittit, talis per naturam est, ex qua vnus tantum conceptus generetur. Quod si aliquādo plus accesserit, tūc gemini nascuntur. Ex quo fit, vt hæc portenta potius iudicentur, quoniam præter solitū, & quod magna ex parte agatur, proueniūt. Homo cum omnibus generibus ambigit. Nam & vniparum, & pauciparum, & multiparum interdum est. Sed maximè sua natura vniparū est. Humore profecto, calorēq; corporis multiparū est. Seminis enim natura humida, & calida est. Sed suæ magnitudinis ratione pauciparum, atq; vniparum est. Hinc tempus etiam vteri ferendi enorme vnum hoc animal fortitum est. Cæteris enim vnum est tempus, homini verò plura sunt, quippe cum & septimo mense, & decimo nascatur, atq; etiam inter septimum & decimū positus. Qui enim mense octauo nascuntur, etsi minus, tamē viuere possunt. Cuius rei causa accipi ex iis, quæ modò explicauimus, potest. Dixi de his in Problematibus, atq; de his rebus ita differuisse, statuissēq; fatis sit, Partium autem seu peruacuarum præter naturam eadem causa est, quæ geminorū generationis. Iam enim in conceptu causa accidit, videlicet si plus materiæ consistit, quàm pro ipsius natura partis sit. Sic enim accidit, vt vel pars maior, quàm iustum sit, efficiatur. Verbi gratia, digitus, aut manus, aut pes, aut aliud ex cæteris postremis, aut membris: vel fiso conceptu plures reddantur, quomodo in fluuiis vertigines geminantur. Fit enim ibi, vt humor, qui fertur, & profluens mouetur, si in aliquid offenderit, secetur, & ex vna in duas euadat constitutiones, quæ eundem habeant mortū. Hoc eodē modo in cōceptibus euenit. Adnascuntur partes illæ vacantes, maximè quidem propinquæ, sed aliquando etiam remotæ propter conceptus motionē, quanquam præcipuè, quod materiæ exuperantiā ibi redditur, quod tandem decubuit: formam verò, vnde superfuit, inde recipit. Quibus autem gemina habere genitalia accidit, alterum maris, alterum fœminæ, iis semper alterum ratum, alterum irritum redditur, cum per alimentum subinde delitescat, quoniā præter naturam est. Agnatum est enim modo abscessus. Nam & abscessus assumunt aliquid nutrimenti, quanuis post geniti sint, & præter naturam. Sed si quod creat, omnino aut superat, aut superatur, similia oriuntur duo: ac si partim superauit, partim superatum est, alterum fœmina, alterum mas generatur. Nihil enim interest de partibus, an de toto dicamus, videlicet quam ob causam alterum mas, alterū fœmina gignatur. Vbi autem partes eiusmodi defunt, vt postrema aliqua, aut alia quæuis membra, eandem causam esse putandum, quàm, si omnino quod gignitur, abortum patitur. Abortus autem conceptuum euenire complures, certum est. Differunt agnationes à partu multiplici, quomodo exposui. Monstra verò cum iis dissidēt, eò quod

φύματ
abscessus.

pluribus coalescant. Sed nonnulla hoc etiã modo veniunt, si in parte maiore, & præcipua quadam peruersum est. Vt si qua gemino liene, aut pluribus renibus oriuntur, tum etiam locis partium cõmutatis, monstrum dicimus. Quod diuersione motuum, translationeq; materiæ accidit. Vnumne, an plura sit per coagmentatione, quod monstrificum prodit animal, iudicandum est principii ratione. Verbi gratia, si cor pars eiusmodi est, quod vnum cor habet, vnum animal est, quod duo, id duo est animalia, quæ sibi coaluerunt propter conceptum coniunctione. Partes verò superuacuas, agnationes esse, declaratum iam est. Accidit etiam sæpe vt pluribus ex iis, quæ antè oblatæ non viderentur, animalibus iam perfectis meatus aut adducti concorporarentur, aut diuertentur. Iam fœminis nonnullis os vteri compressum, concorporatumq; ab ineunte ætate ad tempus vsq; menstruum perseverauit, mox vrgentibus monstris, doloriq; infestante, aliis sponte disruptum est, aliis dissectum à medicis. Nonnullæ interierunt, cum aut per vim disrumperetur, aut disrumpi nõ posset. Pueris etiam quibusdam genitalis postremum, & meatus, quæ excrementum vesicæ transit, non eodem tetenderunt, sed infra meatus il transegit. Quam ob rem demissis clunibus mingunt, qui testibus paulò in partem superiorè retractis, videntur à longè simul, & maris habere genitale, & fœminæ. Meatus etiam alimèti sicci coaluit aliquibus bestiis, scilicet ouibus, & quibusdam aliis. Nam & vaccam fuisse Pirinthi accepimus, cui cibi excrementum extenuatum per vesicam transmittebatur, dissectusque anus denuò properè coalescebat, nec refecando euincere vitium poterant. De partu multiplici, & paucifero, ac de agnatione partium, aut defectu, atque etiam de monstrifico partu, dictum iam est.

Quam ob rem animalium alia superfœtant, alia non: & quæ superfœtant, interdum fœtus enutriant, interdum non: & alia libidinosa in eo genere sint, alia non. Cap. V.



Animalium verò alia nunquam superfœtant, alia superfœtant. Quorũ quædam enutrire suos conceptus semper possunt, quædam interdum possunt, interdum nequeunt. Causa, ne superfœtetur, est, quod singula pariunt. Solipedes enim, & quæ iis auctiores sunt animantes, nunquam superfœtant. Facit enim earum magnitudo, vt excrementum omne in conceptum absumentur: quippe cum in iis omnibus, corporis sit magnitudo. Quæ autem magno corpore sunt, eorum fœtus quoq; magni pro sui generis magnitudine instuantur. Ex quo fit, vt elephantorum fœtus magnitudine vituli gestetur. Multipara ideo superfœtant, quoniam plures conceptus superfœtant, quoniam alter alteri sunt. Quæ autem ex his magnitudine prædita sunt, vt homo, si alter coitus proximè ab altero accessit, enutrire, quod superfœtatum est, possunt. Iam enim id euenisse visum est. Cuius rei causa id, quod diximus, est,

Eodem enim coitu plus feminis mittitur, quod partitum multiplicare conceptum potest, si alterum post alterum accedit. Sed si iam aucto conceptu coitus adhibetur, superfœtari quidem potest, sed rarò: quoniam vterus magna ex parte ad partum vsque se comprimatur. Si tamen aliquando accidit vt superfœtetur, (iam enim id euenisse constat) perfici non potest: sed conceptus abiguntur similes iis, quos abortus vocamus. Vt enim in vniparo genere omne excrementum absumentur in id, quod præcesserit, ob corporis magnitudinem, sic in iis fieri solet: sed in illis statim, in his cum iam fœtus accreuerit, tunc enim similem vniparis conditionem recipiunt. Pari ratione sola animalium mulier, & equa grauida coitum patiuntur. Homo enim sua natura præfœcundum animal est. Aliquid etiam in vtero, tum spatii, tum excrementi superest, quanquam non tantum, vt vel alterum possit alere. Mulier itaque ob eam causam coitum recipit. Equa autem soliditate suæ naturæ, & quod aliquid spatii in vtero superest, vt dictum est, amplius quidem, quam vt ab vno occupetur, sed arctius, quam vt alterum perfectè possit superfœtari. Libidinosa natura est equa, ob eundem affectum, quo solida omnia Veneris sunt appetentiora. Illa enim ita se habet, quia carent purgatione, quæ perinde est fœminis, vt coitus maribus. Equa enim mēstrua minimè emittit. Omnium autem viuiparorum fœminæ solidæ sunt libidinosiores, quoniam simili modo se habet, atque mares, qui semen genitale collectum non excernunt. Fœminis enim purgatio menstruum feminis exitus est, cum mēstrua non nisi semen sint inconcoctum, vt antè diximus. Quæ ob rem mulieres, quæ incontinentes ad rem Veneriam sunt, libidine cessant, cum sæpius generarint. Iam enim seminale excrementum, quod libidinem accendebat, emissum facit ne præterea concumbendi auiditas stimulet. In genere autem fœminæ minus, quam mares, Venerè appetunt, quoniam vterum continent iuxta septum: mares contra, falaciosiores sunt, quoniam testes intus habent retractos. Itaque fit, vt quæ ex iis sua natura abundant semine, coitum semper desideret. Fœminæ igitur huius generis propensiores ad coitum sunt vteri descensu: mares, testium retractu. Diximus quæ ob causam alia nullo pacto superfœtatur, alia superfœtatur quidè, sed conceptus interdum enutriunt, interdum nõ, & quæ ob rem alia libidinosa, alia non libidinosa in eo genere sunt. Sunt autem nonnulla superfœtantia, quæ longo etiam interposito tempore coeundi possint enutrire conceptum, quem superfœtarint: videlicet ea, quorum genus semine genitali abundat, & corporis magnitudine caret, & multa generat. Cum enim multiparum sit, vterum habet ampliore. Cum semine abundet, multum purgationis excrementi emittit. Cum corporis magnitudine careat, maiorèq; portione purgatio superet, quam conceptus desideret nutrimentum, possunt vel post constitui animalia, eademque enutrir, ac perfici. Vteri etiam eorum non se comprimunt, quoniam excrementum purgationis superest.

Quod mulieribus quoq; euenit. Fit enim nonnullis grauidis purgatio: & interdum quæ ad finem vsq; perseveret. Sed iis præter naturam hoc euenit. Quam ob rem fœtus afficitur detrimento. At eiusmodi animalibus per naturam sic agitur. Ita enim corpus eorum principio constitutum est, quale corpus leporum est. Hoc enim animal superfœtat: quippe quod nec magnum sit, & plura generet. multum enim est. Tale autem quoduis plura generat. Semine etiam abundat, quod eius hirsutie significatur. copia enim pili exuperat. Nam hoc vnum pilos & sub pedibus habet, & intra genas. Pili autem abundantia, & hirsuties, copiam indicat excrementi. Quam ob rem homines pilosi libidinosiores, & feminis copiosiores sunt, quam læues. Lepus igitur sæpenuero fœtus alios imperfectos gestat, alios perfectos iam edit.

Quare viuiparorum alia perfectum, alia imperfectum animal pariunt.

Cap. VI.



Viuparorum alia imperfectum animal pariunt, alia perfectum: solipedes, & bisulcæ perfectum: multifidæ complures imperfectum. Cuius rei causa est, quod solipedes singulos pariunt: bisulcæ aut singulos, aut binos magna ex parte. Enutrire autem quæ pauca gignuntur, facile possunt. Multifidæ, quæ pariunt imperfecta, omnes multiparæ sunt. Quo fit, vt partum adhuc recentem alere possint, auctum iam, adeptumq; magnitudinè nequeant: sed cum corpore ad nutriendum non sufficiat, partum emittant, vt ea, quæ vermem pariunt. Quædam enim ex iis catulos inarticulatos propemodum pariunt, vt vulpes, vrsæ, læna, & alia nonnulla. Sed omnia ferè cæcos, vt ea, quæ modò dixi, atq; etiã canis, lupa, lupus ceruarius. Sola inter multipara sus parit perfectos, eaq; vna euariat. Generat enim multos more multifidi generis, cum & bisulcū, & solipes sit. Sunt enim locis quibusdam sues solida vngula, Partu igitur numerosa est, quoniam alimētum, quod in corporis magnitudinem absumeretur, in excrementum seminale decedit. Id enim vt solipes magnitudine caret. Quin & potius quasi ambigens cum natura solipedum bisulcum est. Hac igitur causa & vnum parit, & duos, & quod plurimum, multos. Enutrit verò vsq; in finem, quæ peperit, propter sui corporis alimonia probam. Habet enim vt solū pingue suis stirpibus, sic scrofa filiis alimentum copiosum, & commodum. Aues etiam nonnullæ imperfectos, & cæcos pariunt pullos, videlicet quæ cum paræ corpore sint, multos prognerant, vt cornix, pica, passer, hirudo, & paucipari generis, quæ copiam alimenti parere vnà cum prole non solent, vt palumbes, turtur, columba. Quam ob re si quis hirundinum nouellarum adhuc oculos præpungat, rursus incolumes reddentur. Cum enim fiunt, non facti iam corrumpuntur: itaq; denuò oriuntur, ac pullulant. Omnino hæc præueniunt generationem perfectam ob alendi inopiã. Generant verò imperfectos, quoniam perfectione

præueniunt. Quod in pueris etiam patet, qui mense septimo nascuntur. Sæpe enim nonnulli eorum præ sua imperfectione, ne meatus quidè integros adhuc habent, vt aurium, aut narium: sed post accrescentes recipiunt, multiq; ex iis vitæ compotes euadunt. Mares potius, quam fœminæ, oblati in genere hominũ nascuntur, cum in cæteris animalibus nihilò potius mares, quam fœminæ, ita proueniãt. Cuius rei causa est, quod in hominibus longè mas à fœmina differt calore naturæ. Quo fit, vt mobiliores sint mares in vtero, quam fœminæ. Motu autem ipso franguntur, cum recens quoduis facile præ sua imbecillitate frangi possit. Hæc eadem causa est, ne fœminæ similiter, atq; mares, perficiantur in genere hominum: quippe cum & intra parentem fœmina tempore longiore conficiatur, quam mas: & vbi in lucem venerint, celerius fœminæ, quam mares, perficiantur. Nam & pubes, & vigor, & senectus fœminis prius venit, quam maribus. Sunt enim fœminæ sua natura debiliores, frigidioresq;: & sexum fœmineum quasi læsionè naturalem, & detrimentum esse, putandum est. Intus igitur tardè præ sua frigiditate discernuntur. hæc etenim discretio, concoctio est. Calor autè concoquit, & quod calidius, id concoctu facilius est. Sed foris propter suam debilitatem citò ad ætatis florem, senectutemq; perueniunt. Etenim omnia minora, vt in arboribus, sic in Naturæ citius ad finem deueniunt. Eadem causa est, vt qui gemini mas & fœmina in genere hominum prodeunt, minus feruentur, cum in cæteris animalibus nihilò referat. Homines enim hic concursus præter naturam est, cum non pari tempore mas & fœmina discernantur: sed aut marem contari, aut fœminam præuenire, necesse sit. At in cæteris id non præter naturam est. In ferendo etiam vtero homines cum cæteris animalibus dissident. Cum enim cætera plurimum temporis valeant corpore, cum vterum ferunt, mulieres magna ex parte ægræ degunt. Cuius rei causa aliqua vel ad vitam referri potest. Cum enim mulieres vitam ociosam, & sellulariam quandã degant, plus contrahunt sibi excrementi. Nam quibus gentibus solitum est, vt mulieres labores suscipiant, iis nec vterus tam difficulter gestatur, & partus facilis est. Deniq; quibusvis locis mulieres, quæ laborare consueuerunt, facilius pariunt. Labor enim incrementa consumit, quæ in mulieribus otiosis augentur. Cumq; parturigo laboriosa sit, labor, & exercitatio actæ vitæ facit, vt spiritum possint retinere: in qua re partus facilitas conciliatur. Adferunt igitur ea quoque, vt modò dixi, aliquid causæ ad eius affectionis differentiam, qua mulieres cæteris animalibus in ferendo vtero discrepant. Sed maxime causa est, quod cum cæteris aut exigua purgatio, aut nulla manifesta fiat, mulieri plurima euenit. Quæ cum per vteri gestatione desierit, infestat, atq; perturbat: quippe cum etiam non grauidis, nisi purgationes fiant, ægritudines accedant. Principio potius cum concipiunt, perturbari solent magna ex parte. Cõceptus enim purgationem impedit, & præ sua exiguitate absumit.

mere cœperit, leuat. At in cæteris animalibus, quoniam parum excrementi est, modicè ad fœtus incrementum accommodatur. Cùmq; excrementa, quæ nutritionem impediunt, absumantur, valèt felicius. Nec secus aquatile genus, aut volatile afficitur. Iã verò accrescente fœtu, quibus non æquè proba alio contingit, causã est, quòd fœtus incrementum plus excrementitii alimèti desideret: paucis quibusdam mulieribus euenit, vt prægnautes melius valeant corpore, videlicet iis, quarum in corpore exigua continentur excremeta, quæ absumi possint cum alimento, quod fœtui administratur.

Quam ob causam mola in vteris mulierum generetur, & quare potius in muliere, quam in cæteris animalibus. Cap. VII.

DE eo, quod mola vocatur, videndum est. Accidit hoc vitium mulieribus nonnullis grauidis, quanquàm raro. Pariunt enim quod molam vocant. Iam accidit enim mulieri cuidam, vt cùm concubisset, & se concepisse putasset, primùm ventris moles augetur, & reliqua ex ratione venirent. Sed cùm tempus pariendi iam esset, nec pareret, neque moles minueretur, sed annos tres, aut quatuor ita perseueraret, quoad dysenteria, id est, difficultati intestinorum implicata, eòq; modo periclitata, demùm pepererit carnem, quã molam vocant. Quin & tota vita edurat hoc vitium, vt & consenescat, & commoriatur. Quæ autem prodierit, adeò obdurefcit, vt vix ferro transigi possit. Causam huius affectus dixi in Problematibus. Afficitur enim conceptus eodè modo, quo ea, quæ inquinari dicimus, cùm elixantur, nec per calorem, vt quidam volunt, sed potius propter caloris debilitatè. Natura enim de vita certare videtur, nec posse perficere, finemq; apponere generationi. Quam ob rē aut tota vita, aut lōgo tempore durat, quod inchoatum est. Nec enim vt perfectam, nec vt alienam omnino habet naturam. Causa nanque duritiæ cruditas est: quippe cùm inquinatio quoque cruditas quædam sit. Sed quæritur cur cæteris animalibus idem non accidat, nisi quid admodum lateat. Causam verò esse putandum, quòd mulier vna omnium animalium affectionibus vteri obnoxia est, & menstruis abundat, nec potest ea concoquere. Cùm igitur ex humore concocto difficili conceptus consistit, tunc gignitur quod mola vocatur, idq; in mulieribus meritò, aut solis, aut maximè.

Quæ animalia lac habeant, & quam ob causam à Natura datum sit. Cap. VIII.

Lac autem fit iis fœminis, quæ animal intra se generant. Quod vtile partus tempore est. Natura enim id alimenti gratia externi animalibus parauit, vt nec deesset tēpore debito, neque vltra id tempus superesset. Quod ita planè euenire videmus, nisi quid præter naturam acciderit. Sed cæteris animalibus, quoniam tempus sim-

plex ferèdi vteri, partusq; datum est, lactis concoctio ad hoc tempus solet accedere. Homini- bus verò quoniam plura sunt tempora, primò adesse necesse est. Quam ob rem lac mulierum, cùm ante septimū mensem inutile sit, vtile iam septimo redditur mense. Causa etiam necessitatis propria, concoctio lactis temporibus vltimis habetur. Principiò enim decessio huiuscemodi excrementi absumitur in fœtus generationem, Omnibus autem alimèto est, quod dulcissimū, & coctissimum sit. Itaq; sublata hac facultate, reliquum falsum, malèq; sapidū esse necesse est. Sed cùm fœtus magis, magisq; perficiatur, plus excrementi superest. Minus absumitur, idq; dulcius est, cùm non æquè detrahatur, quod bene concoctum sit. Non enim insuper ad fœtus informationem consumitur, sed ad incrementum medioere, quasi iam fœtus cõstet adeptus finem suum. Est enim & conceptus perfectio. Quam ob rem exit, permutatq; generationem, vt qui iam sua receperit, nec præterea accipit quod suū non est. Quo tempore lac vtile datur. Colligitur hoc parte superiore corporis, & mām̄is, propter ordinem primæ, originalisq; cõstitutionis. Præcipua enim pars animalis, quæ supra septū est, inferior verò ad cibum, & excrementum accommodata est, vt gressile animalium genus habens intra se alimenti suppetias loca permutet. Hinc feminale quoque excrementum fecernitur ob eam, quam inter initia disputationis nostræ reddidimus, causam. Est enim natura sanguineæ, tum excrementum maris, tum menstrua fœminæ. Sanguinis autem, & venarum principium cor est, quod in ea ipsa parte superiore positum est. Quapropter hinc primùm excrementi talis est mutationem innotescere necesse est. Ex quo fit, vt & voces, tum marium, tum fœminarum immutentur, cùm semen ferre incipiunt, (hinc enim vox suam originem trahit: alteratur verò, cùm id, quod moueat, alteretur) & mammæ subleuentur etiam maribus planè, sed fœminis amplius. Quod enim in parte inferiore multum excernitur, ideo locus mammarum inanis, fungosusq; fœminis fit. Eodèq; modo iis euenit animalibus, quibus mammæ infrà habentur. Igitur & vox, & mammæ in cæteris quoque animalibus documentum euidentis præbent homini vsum habèti generis cuiusq;. Sed plurimùm in genere hominū interest. Cuius rei causa est, quòd excrementum plurimū, & mulieribus præ cæteris fœminis, & viris præ cæteris maribus, est pro magnitudine, alteris menstruorum, alteris genituræ. Itaq; cùm hoc fœminæ excrementum non à fœtu hauritur, & tamè ne foras profluat prohibetur, colligi id in loca inania, quæcunq; eisdem meatibus adhærèt, necesse est. Talis autè locus mammarū in omnibus est vtraq; de causa, scilicet notæ melioris gratia ita conditus, atq; etiam necessariò hic iam consistit, & alimentum concoctum animalibus redditur. Concoctionis autem causam non solùm quam modò diximus, accipere licet, sed contrariam etiam. Nam & vt fœtus maluseculus iam factus plus assumat cibi, minúsq; ob eam rem per id

tem-

tempus superfit, ratio probabilis est. Quod autem minus est, concoqui celerius potest. Sed lactis naturam eandem esse, quam excrementi, ex quo vnumquodq; generetur, apertum est. Nam quod antè diximus, eadem materia est, quæ alit, & ex qua generationem Natura constituit, eaq; sanguineus humor in sanguinem habentibus est. Lac enim sanguis concoctus est, non corruptus. Empedocles verò aut nō rectè putauit, aut nō bene vsus verbo translatio est, cū dixerit:

Octauo decimo mensis pus exitit album. putredo enim concoctioni contrarium est. Pus autem putredo quædam est. Lac verò res est cõcocta profus, nec lactantibus fiunt purgationes secundum naturam, neq; lactantes concipiunt: & si cõceperint, lac extinguitur: quoniã eadem lactis, & menstruorum natura est. Natura autem non tam largè profundere potest, vt anceps sit. Sed si alterutram in partem fecernitur, in alteram desit necesse est, nisi quid acciderit violentum, & præter id, quod solitum magna ex parte est. Temporibus etiam bene præscripta est generatio animalium. Cùm enim præ magnitudine nō satis præterea fœtui est alimentum, quod per vmbilicum ministratur, lac ad alendum vtile succedit. Cùmq; per vmbilicum alimentum non subeat, comprimunt sese venæ illæ, circum quas tunica est, quæ vmbilicus vocatur, atq; ob eam rem tunc exitus opportunè fœtus consequitur.

Quam ob causam partus nonnullis animalibus in caput versis fiat. Cap. IX.

Partus autem pronis in caput cõuersis fit per naturam animalibus omnibus, propterea quòd partem ab vmbilico maiorem habeant, quam inferiorem. Maiora autem plus ponderis continent. Itaq; veluti in statera dependentes eò vergunt, quò trahuntur.

De tempore ferendi vteri, & quare non omne animal possit esse diuturnius. Cap. X.

Mteri autem ferendi tempora certa cuiq; animalium sunt magna quidè ex parte pro vitæ spatio. Viuaciorū enim generationes quoque diuturniores esse necesse est. Non tamen id causæ est, sed magna ex parte sic euenit. Maiora enim, perfectioraq; sanguinei generis animalia plus temporis viuunt. Sed non omnia maiora sunt viuaciora. Homo enim plus temporis, quàm quoduis animal vuit, excepto elephante, quod quidem vsu adhuc fide digno nouerimus: quanquàm homo minoris est incrementi, quàm ve-

terina, & alia multa. Causa ne quoduis animal possit diu viuere, est, quòd pro aere ambiente temperatur, atque etiam ob alios naturales causas, de quibus mox dicam. Tempora ferendi vteri pro magnitudine animalium, quæ generantur descripta sunt. Haud enim tempore breui cõstitutiones perfici magnas, vel animalium, vel quorumuis aliorum ferè facile est. Quam ob rem equi, & quæ iis cognata sunt animalia, quanquàm minus temporis viuunt, tamen diutius vterum ferunt: alia enim annum, alia, quod plurimum, menses denos grauida exigunt. Hac eadem de causã elephantorum etiam vterus diutinus est. Biennio nanq; gestatur, propter exuperantiam magnitudinis. Ratione autem optima tempora omnium, & grauiditatum & generationum, & vitarum, dimensionem circuitibus sibi exposcunt recipere. Circuitum appello diem, noctem, mensem, annum, & tempora, quæ iis describuntur, atq; etiam Lunæ traiectiones. Sunt enim Lunæ circuitus complementa, & silentia, & interpositorum temporum sectiones. Ita enim coit cum Sole. Mensis nanq; communis amborum circuitus est. Luna autem principium est, propter Solis societatem, receptumq; lucis: fit enim quasi alter Sol minor. Quam ob rem conducit ad omnes generationes, perfectionesq;. Calores enim, & refrigerationes cum moderatione quadam generationes, sine moderatione corruptiones efficiunt. Terminum autem tum principii, tum finis qualitatum earum motus horum syderum obtinet, Vt enim & mare, & omnem humorum naturam subsistere, mutarive pro flatuum motu, & quiete videmus, aerem verò, & flatus pro Solis, Lunæq; circuitu affici: sic ea, quæ ex iis, aut in iis oriuntur, sequi necesse est. Nam vt rerum minus principium circuitus sequantur magis principium rerum circuitum, ratio est. Vitam enim quandam, & ortum, & interitum, vel flatum esse fateor. Conuersionis verò eorum syderum alia fortasse principia sunt. Natura igitur ita sibi vult, vt eorum numeris generationes, & obitus numeret. Sed exquisitè id facere nequit, propter materiæ indefinitionē, & quòd multa principia incidunt, quæ generationes destinatas secundum naturam, & corruptiones sæpe impediunt, atq; ita causa sint earum, quæ veniant præter naturam. Sed de alimento intrinsecus ministrando animalium, atq; de generatione in lucem agenda, & seorsum de singulis, & summatim de omnibus dictum iam est.

DE GENERATIONE ANIMALIUM LIBRI QVARTI FINIS.

Quæ mola in vteris mulierum generetur, & quare potius in muliere, quam in cæteris animalibus.

His enim ad solem commutatur.

Causa mola in vteris mulierum generetur.

Quæ venter est vita mea Job.

De discrimine oculorum in animantibus, & eorundem differentia, & quid sit somnus, quid item vigilia.
Cap. I.



DE affectionibus, quibus animalium partes differant inter se, differendum nunc est. Affectiones partium dico caesietatem oculorum, aut nigredinem, vocis acumen, aut grauitatem, & coloris, aut corporis, & pilorum, aut pennarum discrimen, quorum alia totis generibus insunt, alia utcumque; fors tulit habentur: quod maxime in hominibus accidit. Mutationes etiam per aetatem alia omnibus aequae animalibus veniunt, alia contra: ut in vocis, colorisque; pilorum ratione videre licet. Cum enim caetera non canescant, manifeste in senectute, homo maxime omnium ita afficitur. Et alia statim ab ortu Naturae consequuntur, alia progrediente aetate, & senescentibus accidunt. De his igitur, caeterisque; huiusmodi omnibus non eundem praeterea modum causae esse putandum. Quae enim non sint opera vel Naturae communia, vel generum singulorum propria, horum nullum alicuius gratia aut est, aut fit. Oculus enim alicuius gratia est: sed caesus non alicuius gratia est, nisi haec affectio sit propria generis. Nec vero ad rationem substantiae pertinet in nonnullis, sed ut quae necessario fiat, ad materiam & principium, quod mouerit, causa eorum referenda sunt. Etenim, ut initio disputationis nostrae dictum est, non quia tale quid gignitur, quodque; ideo tale quid est, scilicet in iis, quae statuta, definita, & certa Naturae sunt opera: sed potius quia tale est, idcirco tale & gignitur. Substantiam enim generatio sequitur, & substantiae gratia est, non ipsa generationem. Veteres tamen Naturae interpretes contra esse putarunt. Cuius erroris causa fuit, quod causas plures esse non viderent, sed materiae tantum, & motus causam, eamque; indefinitae cognoscerent, rationis vero, & finis causam non consideraret. Sed enim alicuius gratia vnumquodque; est. Gignitur autem iam ob eam causam, & reliquas, quae in ratione cuiusque; continentur, quae vel alicuius gratia est, vel cuius gratia aliud est. Quae vero non eiusmodi sunt, videlicet quorum generatio est, eorum iam causa quaerenda in motu, generationeque; est, utpote cum discrimen consti-

tutione recipiant. Oculum enim necessario habebit. Tale enim animal subiectum est. Sed tale oculum necessario quidem, sed non tali necessitate. Verum alio modo, scilicet quoniam tale aut talem rem suapte natura agere, patere potest. His ita definitis, de rebus, quae deinceps eueniant, differamus. Principio pueri cum nati fuerint, dormire omnium maxime imperfectorum animalium solent, quoniam intra parentem cum primum sentire coeperint, tempus dormiendo totum ferè consumunt. Sed quaeritur de prima generatione, utrum vigilia praecedat, an somnus. Quod enim proficiscente aetate magis expergisci visuntur, contrarium, id est, somnum principio generationis inesse probabile est. Tum etiam transitio de non esse in esse per medium fieri solet. Somnus autem talis sua natura esse videtur, ut viuendi, & non viuendi interliminium sit, & neque omnino sit, qui dormit, neque non sit. Viuitur enim potissimum vigilia propter sensum, sed si animal habere sensum necesse est, & tunc primum est animal, cum primum contingit sensus, primam illam dispositionem non somnum, sed similem somno esse putandum, qualis plantarum est. Etenim ita accidit, ut per id tempus vita plantae animalia viuat. At plantis somnum inesse impossibile est. Nullus enim somnus inexpergiscibilis est. Affectio autem illa plantarum, quae somni est proportionalis, inexpergiscibilis est. Necesse etiam est, animalia dormire partem maximam temporis, quoniam incrementum, & pondus locis superioribus impositum est. Causam autem dormiendi talem esse alibi exposuimus. Veruntamen expergisci in utero etiam videntur, quod tum in dissectionibus, tum in prole ouipari generis patet: mox obdormiscunt statim, rursusque; delabuntur. Quam ob rem egressa quoque; in lucem, bonam temporis partem dormiendo traducunt. Cum pueri vigilant, non ridet: cum dormiunt, rident: interdum etiam lacrymant. Accidit enim dormientibus etiam animalibus sensus, non modò quae somnia vocantur, sed etiam praeter somnia, ut iis, qui dormientes resurgunt, & quidem pleraque; agunt sine somnio. Sunt enim qui dormientes resurgant, & ambulent, videntes eo modo, quo qui vigilant. Iis enim sensus accidentium contingit, quanquam non vigilantibus, tamen non ut somnium. Infantes vero propter consuetudinem quasi nescii vigilandi, sentire, viuereque; in dormiendo videntur. Tempore autem-

tem procedente, incrementoque; transiente in partem inferiorem expergiscuntur. Iam magis, & partem maiorem temporis ita degunt, sed initio plus, quam caetera animalia somno dediti viuunt. Imperfectissimi enim omnium perfectorum partium hascuntur, & incremento partis superioris exuperant. Oculi omnium puerorum statim a partu caesi oculi sunt: post vero immutantur in eam naturam, quae futura est. Quod in caeteris animalibus non euenit manifeste. Cuius rei causa est, quod caeteris animalibus oculi in suo cuiusque; genere unicolores potius sunt, ut boi nigri, cuiusque; nonnullorum caprini, ut caprarii generis. At hominum oculos varios, versicolorisque; esse euenit. Nam alii caesi, alii flauidi, alii nigri, alii caprini. Quam ob rem caeterorum, ut nulli suo genere dissident inter se, sic nulli a se ipsi differunt: quippe qui non plus, quam vnum colore habeant sua natura. Equus maxime omnium caeterorum animalium versicolor est. Aliqui enim caesi altero oculo nascuntur, quod nulli ex caeteris bestiis euenit manifeste. Quanquam homines nonnulli altero oculo diuerso gignantur. Ergo ut caetera animalia nihil mutationis, vel recens nata, vel aetate prouectiora recipiant, pueris autem id eueniat, factis causae hoc esse existimandum, quod caeterorum ea pars unicolor, hominis versicolor est. Sed ut caesum potius, quam alium, habeat colore, causa est, quod partes nuper natorum imbecilliores sunt. Caesietas autem, imbecillitas est. Sed in vniuersum de oculorum discrimine quaerendum, accipiendumque est, quae ob causam alii caesi, alii flauidi, alii caprini, alii nigri. Sed caesios, opinari plus ignis habere, ut Empedocles ait, nigros autem plus aquae, quam ignis: atque; ob eam rem caesios interdum acutè cernere non posse, scilicet ob aquae inopiam: nigros noctu deficere, ob ignis inopiam, non bene est. Siquidem visus non igni, sed aquae tribuendum in omnibus est. Causam etiam colorum, vel alio modo reddere possumus. Sed si ita est, ut ante dixi, cum de sensibus agerem, atque; etiam prius cum de anima, ut aquae propria pars haec sensoria sit, non aeris, aut ignis, cur ita hanc esse causam eorum putandum est, quod alii plus humidi habent, alii minus, quam motus competes requirant, alii modicum? Itaque; qui multum humoris continent, nigri sunt, quoniam humoris copia transpirari non potest. Caesi, qui parum habent humoris, ut in mari etiam cernitur. Etenim quantum eius satis transpiratur, caesum apparet: quantum minus, aquinum: quantum praeter gurgite alto non praefinitur, id opacat, & nigrum, aut caeruleum sentitur. Qui autem inter eos sunt, eo iam differunt, quod magis, minusve ita constituerint. Eandem causam esse putandum, & ut caesi acutè interdum cernere nequeant, nigri noctu. Caesi enim praeter sui humoris exiguitate mouentur magis a luce, & rebus visibilibus, scilicet quae humidi, quaeque; perlucidi sunt, quanquam motio eius partis visio est, quae perlucida, non quae humida est. Nigri vero ob humoris copiam minus mouentur. Lux enim nocturna exilis est, & simul quiuis humor per-

noctem moueri difficilius potest. Conuenit autem eum, quae perlucidum, nec non moueri, neque magis moueri, quam congruum sit. Leuior enim motus expellitur a vehemientiore. Quam ob rem qui aut suum conspectum a calore validiore transfulerint, aut de Sole in opacum se contulerint, non cernunt. Motio enim, quae iam vehemens inest, impedit eam, quae extrinsecus accidit. Denique; visus siue validus, siue inualidus, nequit res splendidas cernere, quoniam eius humor ultra modum afficitur, & mouetur. Aegritudines etiam oculorum, utrorumque indicium faciunt. Glaucoma enim caesi potius accidit, lusciositas nigris. Est autem glaucoma siccitas potius oculorum. Itaque senescentibus magis euenit. Nam oculi quoque, ut reliquum corpus, senectute siccescunt. Lusciositas vero humoris copia est: quapropter minoribus natu potius accidit. Cerebrum enim eorum humidius est. Visus autem optimus est, qui inter multum & parum humoris moderatus constat. Hic enim nec per exiguitatem turbatur, ut colorum motiones impedit, neque per nimietatem praebet mouendi difficultatem. Sed non modò ea, quae diximus, causam habent, ut obtuse, acutè cernatur, verum natura etiam cutis, quae pupillae vocata obtenditur. Translucidam enim esse eam requiritur. Talem autem esse, quae tenuis, alba, & leuis sit, necesse est. Tenuis igitur est, ut motus, qui extraneus veniat, recto tramite feratur. Leuis, ne rugis obumbret. Senes enim ob eam rem acutè non cernunt. Nam ut caeterarum partium cutis, sic oculorum quoque senescentibus obrugatur, & crassior redditur. Alba autem esse debet, quoniam nigrum translucidum esse non potest. Hoc enim ipsum est nigrum, quod non tranfluat. Vnde fit, ne laternae possint lucere, si ex tali cute confectae sunt. Per senectutem igitur, & morbos acutè cernere ob eas causas nequeunt. Pueri vero paucitate humoris caesi principio sunt: sed altero oculo caesi praecipue homines, atque equi gignantur eadem de causa, quae & homo solus canescit, & equus inter caetera animalia vnus euidentius albescit pilo per senectutem. Canities enim debilitas quaedam humoris siti in cerebro, & cruditas est: quod idem caesietas quoque est. Vis enim eadem est humoris admodum tenuis, quae pauci, & admodum crassi, quae multi. Cum igitur Natura aequè conficere nequit, aut vtroque concocto humore, aut non vtroque concocto, sed altero concocto, altero non, tunc euenit, ut caesi altero oculo reddantur. Quam ob rem autem alia acutè cernant, alia non, duplex ratio est: acumen enim cernendi bifariam ferè dicitur. Audiendi etiam, olfaciendique ratio similis est. Dicitur enim acutè cernere, aut quod procul cernere potest, aut quod differentias rerum, quae cernuntur, quam maxime sentiat. Quae quidem simul nullis eisdem contingunt. Idem enim manu admota, aut per fistulam, quanquam nihilò magis colorum differentias indicet, tamen longius cernit. Et quidem ex foueis, puteisque interdum stel-

las conspiciunt. Itaque si quod animal multum quidem prominentiæ adiunctum oculis habet, sed humorem pupillæ non purum, neque modicum conuenienter extraneo motui, neque summam cutem prætenuem obtinet, id vt exquisitè colorum differentias non percipiet, sic procul cernere poterit. Quomodo etiam cominus magis, quàm quæ humorem quidem illum syncerum, operimentumque eius prætenuem habeat, sed supercilio, quod promineat oculis, careant omnino. Causa enim cernendi tam acutè, vt differentia percipiantur, in ipso oculo est. Nam vt in veste mundissima, vel minima macula perspicua est, sic in puro, synceroque oculo, vel parua motio patet, sensumque afficit. At vt procul cernatur, motusq; à longinquis visibilibus deueniat, causæ situs est oculorum. Quæ enim oculis prominentibus sunt, procul cernere nequeunt. Quæ contrà, intus in cauo oculos habent positos, longè aspicere possunt, quoniam motus in vastum non dissipatur, sed recto tramite meat. Nihil enim interest an visus exitu cerni dicatur, vt quidam aiunt, Nam nisi ante oculos quicquam sit, dissipari visum, atque ita minorem rebus occurrere, quæ cernuntur, necesse est, minùsque procul videre, quàm si motu à rebus, quæ videntur, proficiscente cernatur. Similem enim motui effici visionem necesse est. Ita igitur potissimum res cernerentur longinquæ, si illico ab oculo veluti fistula quædam porrecta ad rem vsque cernendam continueretur. Sic enim nulla ex parte dissolueretur motus, qui à re visibili proficiscenteretur. Sed cum ita non sit, quò amplius porrigitur, eò longius cernatur, necesse est. Causæ discriminis oculorum, hæc sunt.

De auditorijs, sensibus, & olfactus eorumque ratione.

Cap. II.

Adem verò audiendi, olfaciendique ratio est. Aut enim ita exquisitè audiunt, & olfaciunt, vt quàm maximè differentias omnes subiectarum sensibilibus rerum sentiant: aut ita, vt procul audiât, aut odorentur. Vt igitur bene differentia iudicentur, causæ sensorium est, quomodo in cernendo, videlicet si syncerum, tum ipsum, tum eius membrana est. Meatus enim sensoriorum omnium, vt dixi, cum de sensibus agerem, tendit ad cor, aut ad cordis proportionale, si corde carent. Itaque meatus audiendi, quoniam sensorij hoc aeris est, qua spiritus natiuus in aliis pulsus, in aliis spirationem facit, hac desinit. Quapropter verba ediscuntur, vt quod audieris, reddere ore possis. Qualis enim motus subierit per sensorium, talis quasi ab vna, eademque effigie motus per vocem agitur, vt quod audieris, idem dicas. Oscitantes etiam, aut spiritum reddentes, accipientesve, minùs audiunt, quoniam extremum sensorij auditus ad partem spiritalem terminetur, & quatiatur, moueaturque vnà cum instrumento spiritali, quoties illud spiritum mouet. Mouetur enim cum mouet. Necnò temporibus anni, temperamentis que humidis idem accidit,

vt aures impleri spiritus videantur, quoniam viciatæ sint origini loci spiritalis. Iudicium igitur exquisitum differentiarum tum soni, tum odoris, in synceritate sensorii, summaque membrana positum est. Ita enim omnes motus manifesti, vt in visu, in his etiam veniunt, quoniam & procul sentire, aut non sentire, similiter atq; in ratione videndi accidit. Quæ enim antè suas sensorias partes productiores, veluti aqueductus possident, hæc procul sentire possunt. Quam ob rem quorum nares porrectæ sunt longius, vt tellorum Laconicorum, hæc valent olfactu. Ita enim motus non interpellantur, sed à longe directi sensorium subeunt integri: quomodo in iis, qui manu admota fronti longius cernunt. Auriculæ etiam longæ, imbricatæq; amplius, quasi grundis, intusq; anfractu longiore intortæ (quales nonnullarum quadrupedum sunt) melius administrant: quippe quæ motum eminens excipientes ad sensorium reddant. Homo pro magnitudine minimè ferè omnium animalium procul sentire potest, cum tamen differentiarum sensu maxime omnium valeat. Cuius rei causa est, quòd sensorium syncerum, minimèque terrenum, corpulentumve obtinet. Cutem etiam tenuissimam præ ceteris animalibus homo suapte natura pro magnitudine habet. Vitulus marinus nimirum rectè à Natura constitutus est. Cum enim quadrupes ouiparum sit, auribus caret, meatusq; tantum habet, quibus audiat. Causa est, quòd vitam hic in humore tradit. Pars autem aurium abdita meatibus est, vt motus à longe delatus aeris seruetur. Itaque nihilo vtilis ei auriculæ essent, imò verò offenderent, cum intra se copiam reciperent humoris. De visu, auditu, olfactuque dictum iam est.

De pilorum in animantibus varietate, & quæ pilorum loco sint.

Cap. III.

Illi discrepant, & inter se in hominum genere per ætates, & cum ceteris animalibus, quæ habent pilos. Habent autem quæ intra se animal generat ferè omnia. Ia & aculeos, qui à nonnullis vice pilorum geruntur, genus esse pilorum existimandum est, vt herinaceorum aculeos, & si quid eiusmodi aliud in genere viuiparo est. Differentia verò pilorum existunt duritie, mollitie, longitudine, breuitate, rectitudine, crispitudine, multitudine, paucitate: adhæc, coloribus, vt albedine, nigredine, eorumque mediis. Sed nonnullas earum differentiarum per ætates quoque recipiunt, videlicet cum minora natu, aut maiora sunt. Quod præcipuè in homine palam fit. Pilosior enim ætate prouectus redditur homo, & parte priore capitis nonnulli caluescunt. Pueri quidem, mulieresque non caluescunt. Viri autè procedente ætate calui euadunt: necnon capite homines senescentes canescunt. Quod nulli ferè ex ceteris animalibus accidit manifestè, quàm equus euidentiùs, quàm cetera, ita afficiatur. Caluescunt homines parte capitis priore

priore. Canescunt primò temporibus: sed nemo vel temporibus, vel occipite caluescit. Quibus autem animalium pili non sunt, sed pilorum proportionale, aut aibus penna, piscibus squamæ, iis etiam nonnulli ex iis affectibus veniunt ratione eadè. Sed cuiusnam rei causa genus pilorum datum animalibus à Natura est, diximus antè, cum causas partium redderemus. Nunc præsentis operis, atq; officii est, vt quibusnam præcedentibus rebus, & quas ob necessitates hæc eueniant, explicemus. Causa crassitudinis, tenuitatisq; pili, cutis potissimum est. Aliis enim cutis crassa, aliis tenuis, & aliis rara, aliis densa est. Tum differentia humoris indit, consors causæ est. Aliis enim pinguis, aliis aquosa est. Omnino cutis naturam terrenam esse statuimus. Cum enim per summa sit, humore euaporante solida, terrenaq; redditur. Pili autem, proportionalèq; pilorum non ex carne, sed ex cute oriuntur, cum humor in iis euaporetur, atq; exhalet. Quæ ob rem crassi ex crassa, tenues ex tenui cute proueniunt. Quòd si cutis rarior, & crassior sit, crassi gignuntur propter copiam portionis terrenæ, & meatuum laxitatem. Sed si spissior est, tenuiores exeunt propter meatuum angustiam. Itè si vapor aquosus inest breui resiccens, facit ne pili capiant magnitudinè. At si pinguis est, contrà euenit. Non enim facile exiccari potest, quòd pingue est. Quam ob rem in totum animalia, quorum cutis crassior est, pilo sunt crassiore, quoniam non quæ cute maxime ita constant, magis ita habeant pilum, propter eas, quas modò diximus, causas, vt generi suum præbubus, & elephantis, & multis aliis vsu euenit. Nam & si cutem crassiorè boues, elephantis, & pleraque alia habent, quàm sues, tamè pilo tenuiore teguntur. Eadem causa est cur hominum capilli crassissimi sint. Capitis enim cutis crassissima est, & humoris plurimum continet. Rara etiam ad modum est. Quinetiam vt pili longiores, breuioreve sint, causa est, quòd humor, qui euaporetur, non facile exiccari potest. Causa verò, ne facile exiccetur, duplex est, scilicet quantitate, & qualitate. Nam si humor aut multus, aut pinguis est, non facile exiccari potest. Ideoq; hominum capilli longissimi sunt. Cerebrum enim quod humidum, & frigidum est, largam humoris copiam præbet. Simplex autè, crispusve oritur pilus exhalatione pilorum. Nam si fumosa est præ sua caliditate, & siccitate, crispum efficit pilum. Inflectitur enim, quoniam duplici delatione feratur. Terrenum enim deorsum, calidum sursum fertur: cumque præ sua imbecillitate inflecti facile possit, intorquetur: quòd pili crispitudo est. Aut igitur ita causa reddeda est, aut quoniam parum humoris, multum autem portionis terrenæ inest, efficitur, vt pili resiccati ab aere ambiente contrahantur. Inflectitur enim quòd rectum est, si euaporatur, & contrahitur, atque conuellit pilus, quemadmodum cum igne aduritur, utpote cum crispitudo conuulsio sit ob humoris inopiam ab aeris continentis calore. Indicium rei est, quòd & duriores sunt pili crispi, quàm recti: durum enim quòd siccum est. Simplicem autem pilo sunt, quæ humore abundant: fluit enim humor in iis,

non stillat. Quocirca Scythæ incolæ Ponti, & Thraces, pilo sunt promisso, & simplici. Nam & ipsi humidi sunt, & aer ambiens eos, humidus est. Aethiopes contrà, qui loca incolunt calida, crispo sunt pilo: siccum est enim & cerebrum eorum, & calum ambiens. Sed sunt quæ quàmuis cutem habeant crassiorè, tamen tenuiori sunt pilo, ea videlicet causa, quam antè exposui. Quòd enim meatus tenuiores sint, eò pilos enasci tenuiores necesse est. Quapropter ouium generales sunt pili: vellus enim multitudo pilorum est. Sunt etiam, quæ mollem quidem habeant pilum, sed minùs tenuem, vt lepores contrà, quàm oues: leporum enim pilus per summam cutis enascitur: quam ob rem longitudine caret, & simile accidit, vt in iis, quæ lino decerpuntur, quæ quantum mollia sint, tamen nullam longitudinem habent, nec implexum vllum recipiunt. Oues frigidi tractus contrà, quàm homines, afficiuntur. Scythæ enim molli sunt pilo: aut oues Sauromaticæ duro. Causa eadem, quæ in omnibus feris est. Frigus enim indurat propterea quòd cogendo exiccatur. Cum enim calor eximitur, humor vnà euaporatur. Itaque non solum pilus, sed etiam cutis terrena, duraque euadit. Causa in feris vita agrestis est, in cicuribus autem his loci frigiditas. Indicium vel echini pelagici faciunt, quorum vltus contra vrinæ stillicidia est: quippe qui frigiditate maris præalti, in quo degunt (sexaginta enim atque etiam amplius passuum gurgite oriuntur) ipsi quidem exigui sint, sed aculeos grandes, durosque gerant. Causa magnitudinis est, quòd incrementum corporis diuersum eo est. Cum enim parum caloris obtineant, neque concoquere possunt, multum ob eam rem habent excrementi. Aculei autem, & pili, & reliqua generis eiusdem excremento nascuntur. Duri verò, & rigidi modo penè lapidis constant, propter frigus, & gelu: eodemque modo cetera, quæ terra gignit, duriora, & terrosiora, lapidosioraque gignuntur: locis Aquiloniis, quàm Austrinis, & vento expositis, quàm cõcauis, & quietis: frigent enim omnia magis, humorque euaporatur. Indurat igitur tum calor, tum frigus: Nanque euenit, vt ab vtrisque humor euaporetur, scilicet à calore per se, à frigore per accidens. Vnà enim cum calore humor abstrahitur: nullus enim humor sine calore est. Sed frigus non modò indurat, sed densat etiam, calor verò laxat, rariorque facit. Eadem causa est, vt natu grandibus duriores & pili, & penna, & squamæ reddantur. Cutes enim duriores, crassioresque efficiuntur senescente ætate: resiccantur enim: & quidem senectus ipsa, vt nomen significat, terrena est, quoniam sine calore est, & cum calore humor defluit. Calui omnium maxime animalium homines aperte efficiuntur. Quòd genus affectionis generale quodam modo est. Nam & plantarum alia semper frondent, alia frondem amittunt. Et aues, quæ certo tempore se abdunt, & latent, pennas amittunt. Qualis affectus caluiti in hominibus est, quibus accidit, vt caluescât. Cum enim paulatim & frondes, & penna, & pili defluant, vbi vniuersim hic affectus euenit, vocabula accip

accipit hæc, caluescere, defrondescere, depennescere. Causa autem huius affectus, inopia humoris calidi est, qualis præcipue est humor pinguis. Quocirca plantæ, quæ pingues sunt, fronde perpetua virent. Sed de his aliâs. Sunt enim iis vel aliæ causæ huius comites affectionis. Euenit hoc plantis hyberno tempore. Mutatio enim hæc potior, quàm ætas earum est. Animalibus etiam, quæ latent, idem tempus iacturæ est. Sunt enim minùs, quàm homines, natura humida, atq; calida. Homines autem suis ætatibus hyemem, æstatemque agunt. Quam ob rem nemo antè, quàm coire incipiat, caluescit, sed à Venereo coitu potius id euenit, scilicet iis, qui sua natura sint eò propensiores. Cùm enim cerebrum frigidissimum omnium corporis partium sit, tum rei Venereæ vsus refrigerat. Caloris nanque synceri, naturalisque secretio est. Itaque cerebrum sentit meritò priùs. Quæ enim imbecilla, vitiosaque sunt, causa parua, exiguoque momento immutantur. Quapropter si quis cogitet, vt & ipsum cerebrum parum calidum est, magisque talem esse obductam cutem necesse est, atq; etiam magis naturam pilorum, videlicet quantò plus ipsa caloris origine distet, rectè id ita euenire existimabit, vt qui semen ferant, ea ipsa ætate caluescant, qua semen emittant. Eadem causa est, & vt priore capitis parte caluescant, & vt hominibus solis omnium animalium id eueniat. Quod enim parte priore cerebrum continetur, hinc ea parte caluescimus. Quòd autem homo maximè humidissimumque cerebrum habet, hinc solus animalium ita afficitur. Mulieres non caluent, quoniam natura earum similis puerorum naturæ est. Vtraque enim sterilis seminalis excrementi est. Spadones etiam non caluescunt, quoniam in fœminam mutantur, & pilos, qui postea gignuntur, aut non producant, aut amittunt, si forte habent, præterquam pubem quam mulieres etiam habent, cùm cæteris illis careant. Oblesio enim hæc, mutatio de mare in fœminam est. Causa verò, vt quæ latent, rursus pennas recipiant, quæque frondem amiserint, denuò frondescant, caluis autem nunquam redeat pilus, quòd anni tempora illis mutationem corporis magis afferunt. Itaque pro temporum mutatione vicissitudo gignendi, amittendique sequitur, vt animalia pennas, pilosve plantæ frondes aut dimittant, aut recipiant. At verò hominibus per ætatè euenit, vt, æstas, autumnus, hyems. Itaque cùm ipsæ ætates non permutentur, fit, ne affectus, qui ob eas accidunt, permutentur. Quamquam similis causa est, ac de cæteris pilorum affectionibus diximus ferè.

Quam ob causam homines canescant.

Cap. IIII.

Colorum autem causa cæteris quidem animalibus cutis natura est, vt vnicolora sint, & varia. Sed hominibus nihil causæ cutis affert, nisi ad canitiè, videlicet eam, quæ morbo, non quæ senio accidat. Nam eo vitio corporis, quod vitiligo vocatur, pili efficiuntur albi. Sed si albi sunt pili,

cutem albedo non sequitur. Cuius rei causa est, quòd pili è cute exeunt. Itaque si cutis ægrotat, extenuataque est, pilus quoque ægrescit. Ægritudo autem pili, canities est: ætatis verò illa canities inopia, & exilitate calor contrahitur. Omnis enim ætas labitur in frigiditatem, cùm iam corpus inclinatur, & consenescit. Senectus enim frigida est, & sicca. De alimento autem, quòd quancunque partem corporis subeat, ita intelligendum est, vt calore proprio concoquatur, qui cùm agere nequeat, deprauetur altio, & aut repletio sequatur, aut ægritudo. Sed de eiusmodi causa postea differemus, cùm de incremento, & alimento agemus. Quibus igitur hominibus natura pilorum parum calida est, plusque humoris subit, calor proprius nequit concoquere: atque ita humor putrescit, calore aeris ambientis. Fit enim putredo quæque à calore, sed non suo, natiuòque, vt alio loco exposui. Putredo autem & aquæ, & terræ, & quoruus eiusmodi corporum fieri potest. Quam ob rem terreni etiam vaporis putredinè nouimus, quæ situs vocatur: etenim situs, caries vaporis terreni est. Itaque in pilis quoque alimentum tale, cùm non concoquitur, putrescit, atque ita efficitur ea, quæ canities appellatur: quæ alba propterea est, quòd & situs vnus cariosorum ferè albus est: cuius rei causa est, quòd multum aeris cõtinet. Omnis enim vapor terrenus vim habet aeris crassioris. Situs enim quasi respondens pruinæ existimatur. Nam si vapor se efferens concreuit, pruinam fit: si putrescit, situs. Quapropter vtraque per summa hærent. Vapor enim per summa est, & rectè à poetis in comædiis transfertur conuicio in canitiem, cùm senectutis situm, pruinam nominat: alterum enim genere idem est. Vapor nanque vtrunque est. Alterum, id est situs, specie idem est. Putredo enim vtrunque est. Hoc ita esse indicium est, quòd plerisque per ægritudinem pili canuerint, mox valetudini restituti nigrerint. Causa est, quòd per ægritudinem, vt totum corpus inopia caloris naturalis laborat, sic partes etiam minimæ eadem participant labe. Multum autem excrementi cõsistit in partibus corporis, quæ ob rem in pilis etiam cruditas est, quòd canitiè faciat, post verò cùm conualuerint, & vires receperint, denuò mutantur, & quasi iuuenes ex senibus redduntur: affectionesque, proinde mutantur. Rectè etiã dixeris, morbum esse adueticiam senectutè: senectutem autè esse morbum naturalè. Itaque morbi nonnulli idem faciunt, quod senectus. Tempora autem primò canescunt, quòd occupat vacat humore, cùm non contineat cerebrum: sinciput verò habet multum humoris. Quòd autem multum est, difficile id putrescit. At in temporum pilis, nec tam parum humoris est, vt concoqui possit, nec tam multum, vt putrescere nequeat. Cùm enim is locus medius inter vtrosque sit, extra vtrunque affectum esse potest. Causa canitièi humanæ dicta iam est.

Quam

Quæ ob causam nonnulla animalia pilis, aut iis, quæ pilorum vice fungantur, immutentur. Cap. V.



Acteris autè animalibus, ne per eam ætatè hoc idè manifestè eueniat, causa est eadè, quæ de caluitio diximus. Parùm enim cerebri, idque minùs humidum habent, vt calor ad concoquendum sufficiat. Equis maximè omnium, quæ nouerimus, animalium, canities innotescit: quòd os, in quo cerebrum tenuius, quàm cætera, pro magnitudine habeant. Argumentum est, quòd ictus in eo loco periculosus est. Vnde illud Homeri:

Et quàm fetæ hærent capiti, læthalèq; vulnus
Præcipue fit equis.

Cùm igitur præ tenuitate ossis affluat humor, & per ætatè calor deficiat, pili isti canescunt. Rufi etiã celerius, quàm nigri, canescunt. Nã rufitas, quasi imbecillitas pili est. Imbecilla autè quæque celerius senescunt. Grues senescentes effici nigriores aiunt. Cuius affectus causa esse potest, quæ pennarum natura earum albicet, plusque humoris senescentibus iis cõstituitur in pennis, quàm vt facilius putredini pateat. Canitiem autem effici putredine quadam, nec esse, vt quidam putant, ariditatem, indicium est, quòd pili, qui vel pileo, vel alio tegmine operiuntur, celerius canescunt. Flatus enim putredinem prohibent: operimentum autem flatu arceat. Iuuat etiã olei aquæ misti perunctio. Aqua enim refrigerat: oleum verò ne celeriter exiccetur, prohibet: aqua enim faciliè resiccatur. Canitiem autem non esse ariditatem, nec pilum, vt herbam exiccatam albescere, indicium est, quòd pili nonnulli cani ilico oriuntur: at nullum oritur aridum. Multi etiã suo extremo albescunt: in vltimis enim, ac tenuissimis calor minimus habetur. Cæteris animalibus, quibus pili albi gignuntur, natura, non affectu, id euenit. Causa autem colorum in cæteris cutis est. Alborum enim alba est cutis, nigrorum nigra: variorum, permistorumque partim alba, partim nigra esse conspicitur. At in homine cutis nulla causa est. Qui enim sunt albi, admodum nigros habent capillos. Causa est, quòd homo omnium maximè tenuem cutem habet. Pro magnitudine itaque, nihil ad pilorum mutationem cutis valet, imò præ sua imbecillitate ipsa mutatur, & vel à Sole, vel à flatu redditur nigrior, nec pili vllò pacto cum ea mutantur. At verò in cæteris cutis vim loci præ sua crassitudine obtinet. Itaque, fit, vt pili pro cute immutentur, cutis autem ipsa nihil à flatu, aut à Sole afficiatur.

De coloribus animantium. Cap. VI.



Animalium verò alia vnicolora sunt, (appello vnicolora, quorum genus totum vnum habet colorem, quomodo leones fului sunt omnes. Idemque in auibus, & piscibus, & reliquis animalibus omnibus intelligi volo) alia versicolora sunt. Sed toticolora ea dico, quorum corpus totum quidem eundem habet colorem: sed non omnium eundem, vt bos totus albus est, aut totus est niger. Alia varia sunt, idque dupliciter: aut enim genere, vt panthera, vt pavo, & pisci

nonnulli, vt quæ thrassæ vocantur: aut non genere toto, sed parte, vt boues, vt capræ interdum variæ generantur. In auium etiam genere columbæ, & alia pleraque. Transeunt verò toticolora multò magis, quàm vnicolora, tum in colorè sui generis simplicem, vt ex albis nigra, & ex nigris alba reddantur, tum verò in mistum ex iis, quoniam in totius generis natura inest, ne vnū habeat colorem. Hinc enim faciliè vtròque versus mouetur, vt vicissim mutetur, & variū efficiatur. Vnicolora contra: nūquam enim mutantur, nisi per affectum, idque rarò. Iam enim per dixi visa est alba, & coruus, & passer, & vrsa. Accidunt hæc cùm in generatione peruertuntur: faciliè enim moueri, deprauarique potest, quòd paruum est. Tale autem, quòd gignitur, est. Principium enim iis, quæ gignuntur, in paruo consistit. Aquis etiam immutantur ea potius, quæ sua natura toticolora, genere autè versicolora sunt. Calidæ enim aquæ pilum faciunt album, frigide nigrum: quomodo plantis etiam euenit. Causa est, quòd calida plus aeris habent, quàm aquæ. Aer autem perlucens, albedinem facit, quemadmodum spumam quoque effici certum est. Vt igitur cutes per affectum albæ differunt ab iis, quæ tales natura sunt: sic pili inter se differunt, qui morbo, aut ætate, quæque natura albuerint, scilicet eò quòd causa est diuersa. Alteri enim calore naturali, alteri alieno albi efficiuntur. Albedinem verò omnibus aer vaporosus præbet inclusus. Quam ob rem quæ vnicolora non sunt, ventre omnia pleniùs albescent. Calidiora etiam, suauioraque sunt omnia alba ferè eadem de causa, concoctione enim dulce efficitur: concoctio autem calore. Eadem causa vnicoloribus quoque, sed aut nigris, aut albis reddenda est. Caliditas enim, atque frigiditas causam habent naturæ cutis, & pilorum: membrum enim vnumquodque suum habet colorem. Quinetiam linguæ simplicium, ac variorum inter se differunt, atque etiã ipsorum simplicium, sed versicolorum, vt alborum, & nigrorum. Causa verò est, quòd antè dixi, quòd variorum cutes variæ sunt, alborum albæ, nigrorum nigræ: linguam autem perinde, ac partem aliquam esse exteriorem putandum, qualis manus, aut pes est, quamquam ore operiatur. Itaque cùm variorum cutis non sit vnicolor, cutis quoque linguam ambientis ea ipsa causa est. Mutant colores auium nonnullæ, atque etiam quadrupedum syluestrium aliquæ per tempora anni. Cuius rei causa est, quòd vt homines per ætatem mutantur, sic illa per tempora. Plus enim discrimen hoc in iis potest, quàm mutatio ætatis. Varia etiã magis sunt, quæ vario magis cibo vescuntur. Quod parte plurima dixerim, idque recta ratione, vt apes vnicolores sunt magis, quàm crabrones, aut vespæ. Nam si cibi causæ sint mutationis, meritò ciborum varietas facit, vt magis euariant motus, & alimenti excrementa, ex quibus & pili, & pennæ, & cutes gignuntur. Ac de coloribus, & pilis satis definitum sit ad hunc modum.

De

DE voce, cum animalium alia vocis grauioris sint, alia acutioris, alia firmæ, ac in vtraque; exuperantiam modicè constantis: cumque; etiam alia magnam vocem alia parua reddat, & leuitate, aut asperitate, flexibilitateque; aut rigiditate discrepet, considerandum quas ob causas hæc singula habeantur. Igitur acuminis, grauitatisque; causam eandem esse arbitrandum, quam mutationis, cum minoræ, maioræque; natu mutantur. Cætera enim omnia, cum natu minora sunt, vocem mittunt acutiorem: vituli autem bubuli, grauiorem. Quod idem maribus etiam, & foeminis eius generis euenit. Cum enim in cæteris generibus foemina vocem mittat, quam mas acutiorem (quod maxime in homine patet: hanc enim facultatem Natura homini potissimum tribuit, quonia oratione solus animalium homo utitur, orationis autem materia vox est) cum, inquam, cæteræ foeminæ acutiùs sonent, contra in bubus est. Vacce enim grauiùs, quam tauri, sonant. Sed cuiusnam gratia vocem animalia habeant, & quid vox sit, & omnino quid sonus, & strepitus, partim in iis, quæ de sensu, partim in iis, quæ de anima differuimus, explicatum est. Cum autem graue in tarditate motus consistat, acutum verò in velocitate, vtrum quod moueat, an quod moueatur, causa sit tardi, aut velocis, querendum est. Quidam enim quod multum est, tardè moueri, quod parum, velociter id moueri aiunt: eamque esse causam, vt alia vocè grauem emittant, alia acuta. Quod rectè aliquatenus dicitur, sed non rectè in totum. Genere enim rectè dici videtur, graue in magnitudine quadam esse eius, quod mouetur. Nam si hoc ita esset, parua, eademque; grauem emittere vocem non facile liceret: nec magnam, & eandem acutam. Videtur etiam grauitas vocis naturæ generosioris esse: necnon in modulatu grauis modulus præstantior incitato est: perfectum enim in superantia consistit. Grauitas autè superantia quedam est. Sed cum acutum, & graue in voce diuersa sint à magnitudine vocis, & paruitate, (est enim & acuta magna, & parua grauis) simili modo medius eorum tenor ambigit: quoniam alio definienda sit magnitudo vocis, & paruitas, nisi multitudine eius, quod mouetur, & paucitate? Quod si definitione illa statuendum sit acutum, & graue, accidet, vt eadem sint grauis, magnæque; vocis, & acutæ, paruaque; vocalia. Sed enim causa est, quod magnum, & paruum, & multum, ac paucum, non eodè accipiuntur modo: sed altera simpliciter, altera respectu quodam. Magniuoca enim sunt, eò quod multum simpliciter est, quod mouetur: paruiuoca, eò quod parum: grauiuoca autè, & acuiuoca eò, quod respectu inter se habito differentiam hanc recipiunt. Nam si quod mouetur, superat vires eius, quod mouet, tardè quod fertur ferri necesse est: si superatur, velociter. Itaque quod valet, interdum multum pro viribus moues, tardum efficit motum: interdum velocem, si superat. Eademque; ratione, quod debile est, si plus mouet, quam vires patiuntur, tardum efficit motum: si

parum præ sua imbecillitate, velocè. Causæ contrarietatum hæc sunt, ne aut omnia minora natu vocem mittant acutam, aut maiora grauem, neque; mares, & foeminæ æquè omnes aut graue, aut acutam. Adhæc, vt ægri acutum sonent, & qui bene valent, atque; etiam vt senescentes vocem mittant acutiorem, quamquam senilis ætas contraria iuuenili est, plurima tamen parte minora natu, & foeminæ acutæ sunt vocis, cum præ sua imbecillitate parum aeris moueant: fertur enim velociter, quod parum est: velocitas autem acumen in voce est. Vituli, & vacce partem, quam mouent, non habent validam, alteri propter ætatem, alteræ propter foemineæ sexus naturam: cum tamen moueant, multum graue sonant. Graue est enim, quod grauius mouetur, multumque aeris tardè fertur. Multum autem ea mouent, cum cætera parum moueant, quia vas, per quod primum spiritus fertur, amplum in iis est, multumque aeris mouere cogitur. Cæteris angustius ac parcius est. Aetate autem procedente, vires ea pars recipit, quæ in vnoquoque; moueat. Itaque; in contrarium mutatur, vt quæ vocem acutam mittebant, grauiorem, quam prius mittant: quæ autem grauem, acutiorem: quam ob rem tauri acutiùs sonant, quam vituli, & vacce. Vires autè omnium neruis continentur: quapropter cum ætate florent, robustiora sunt. Minus enim compacta, neruatque; sunt, quæ minora natu adhuc sunt. Item recentiorum nerui nodum intenduntur, senescentium iam laxantur: quam ob rem ad motum quoque sunt imbecilliora. Sed potissimum tauri neruosi sunt, & eorum cor ita constat. Itaque; contentiorem eam obtinent partem, qua spiritum mouent, quasi fiduciam intentam. Talem cordis bubuli esse naturam significatur, vel eo osse, quod in nonnullis gignitur: ossa enim naturam neruorum requirunt. Execta omnia in foeminam mutantur. Et quoniam vires neruosa in suo originali principio laxantur, similem foeminis mittunt vocem. Laxatio verò similis fit, vt si quis fides intendens adhibuerit pondus, quod annexum reddat contentiores, quomodo textrices faciunt, quæ cum stamina distenderint, annectunt quas leuas vocant. Ita enim natura quoque testium annexa meatibus feminalibus dependet, qui meatus ex vena tendunt, cuius origo ex corde est, iuxta ipsum principium, quod vocem moueat. Quam ob rem meatibus feminalibus immutatis, ad eam, qua semen excernere possunt, ætatem, pars illa quoque vnà cum iis immutatur, qua immutata, vox etiam mutatur, maxime scilicet maribus. Sed foeminis etiam idem accidit, quamquam obscurius, quod quidam hircire appellant, cum vox mittitur inæqualis: post verò restituitur in sequentis ætatis grauitatem, aut acumen. Sublatis igitur testibus, tentio quoque meatuum laxatur, quomodo in fiducula, & stamine sublato pondere. Laxatis his, principium, quod moueat vocem, eadem ratione laxatur. Causa hæc est, quam ob rem execta mutantur in foeminam, tum voce, tum etiam reliqua forma: quoniam ita accidit, vt principium laxetur, ex quo

quo intentio corporis est, non, vt quidam existimant, quod testes ipsi copula sunt multorum principiorum. Sed parua mutationes causam afferunt magnarum mutationum non sui ratione, sed cum euenit, vt principium vnà cum iis ipsis mutetur. Principia enim quauis magnitudine parua sint, tamen facultate sunt magna. Hoc est enim principium esse, vt ipsum quidè causa sit multorum, sed ipsius nulla sit superior causa. Caliditas etiam, aut frigiditas loci confert eodè, vt natura tale constructur animal, quod aut graue, aut acuta vocem emittat. Spiritus enim calidus crassitudine sua grauitate efficit vocis: frigidus præ sua tenuitate contrarium facit: quod vel in tibiis patet. Qui enim calidior vtuntur spiritu, & talè emittunt, qualè tibiis. Asperior autè vocis, aut leuioris, omnis denique; huiusmodi inæqualitatis cause est, membrum, instrumentumque; per quod vox fertur, cum aut asperum est, aut leue: denique; aut æquale, aut inæquale. Cõstat hoc ita esse, cum aliquid humoris in materia in est, aut asperitas affectu aliquo fit: tunc enim vox redditur inæqualis. Flexibilis autè vocis, instrumentum molle causa est, vt rigida durum. Molle enim parcius dispensari potest, & varium fieri, durum non potest. Et molle quidè tam magnam, quam parua reddere vocem potest, & proinde tum grauem, tum acutam. Facile enim spiritum dispensat, ipsumque de facili magnum, paruumque; fit. Quod autè durum est, indispensabile est. De voce igitur, quæ non ante differuimus, cum de sensu, aut de anima ageremus, hunc habeant modum.

Quare dentes à Natura constituti sint, & cur partim decidant, denuoq; nascantur, partim autem non.

Cap. VIII.

DE dentibus non rei vnus, aut eiusdè gratia animalia eos habere omnia, sed alia ad cibum, alia ad vocis orationem, dictum antea est. Sed cur priores gignantur primo, maxillares post, & hi non decidant, illi decidant, ac denuo nascantur, hanc rationem disputationi de generatione cognatam esse putandum est. Differuit igitur de his & Democritus, sed non bene. Non enim omnibus consideratis, causam reddidit vniuersim. Ait enim decidere, quoniam properant, & ante tempus oriuntur. Nam ad ætatem penè florentem nasci per naturam debere. Causam autem vt ante tempus gignantur, vsui tribuit lactis. Et sus lactet, qui tamen dentes non amittit. Et quæ dentes habent ferratos, omnia lactent, quamquam nonnulla eorum non amittunt nisi caninos, vt leones. Hoc igitur ille errauit, exponens vniuersim, cum id non animaduertisset, quod in omnibus eueniret. At agere ita oportet. Qui enim differit vniuersim, ac de omnibus dicat, necesse est. Sed cum naturam ita subiiciamus, scilicet ratione ducta ex iis, quæ cernimus, vt neque desiciat, neque frustra agat quicquam in singulis, quoad eius fieri potest. Quæ autè cibum assumere debet post lactis vsuum, instrumenta habeant necesse sit ad cibum conficiendum: si ita eueniret, vt ille dicit, ad pubertatem,

Natura profecto deficeret agendo rem, quam facere posset, atque; opus Natura fieret præter naturam. Violentum enim præter naturam est. Generationem autem dentium euenire violenter asseuerat. Sed hoc verum non esse apertum ex his, aliisque; huiusmodi rationibus est. Oriuntur autem prius ii, quam lati, quod & officium eorum prius est. Secatur enim prius, quam molitur, quod comeditur. Sunt autem illi molendi officio delegati, hi verò secandi: tum etiam quod res minor, etsi simul inchoatur, tamen celerius solet perfici quam maior. Minores autè primores, quam maxillares, sunt: necnon maxilla os à latere latum, in ore angustum est. Itaque; ex ampliore plus alimenti affluere necesse est, ex arctiore minus. Latis autem vsus ipse nihil confert, quamquam latis calor faciat vt dentes ii orientur. Indicium est, quod & ipsorum lactentium infantes, qui calidior vtuntur lacte, ocyus dentiunt. Calor enim vim obtinet agendi. Decidunt qui prodierint primi, tum notæ melioris gratia, tum necessario. Melioris ratione, inquam, quod citò hebetescit, quod acutum est. Itaque; alteros succedere in officium oportet. Lati autem non hebetantur: sed tempore duntaxat attriti leuigantur. Necessario verò decidunt, quod maxillarium radices in lata nituntur maxilla, & valido osse continentur: primorum autem in tenui. Vnde fit, vt infirmi, & mobiles sint. Nascuntur autem denuo, quod in osse adhuc nascente oriuntur, & cum tempus adhuc est, ad denti generationem idoneum. Cuius rei indicium, quod maxillares diu oriuntur. Vltimi enim vicesimo anno exeunt. Nonnullis etiam senescentibus omnino prodierunt, qui loco vltimo habentur: quonia multum alimenti in amplitudine ossis continetur. At verò prior pars ossis præ sua tenuitate citò perficitur, nec excrementum in eo fit, sed in debitum incrementum absumentur alimentum. Democritus verò missa ratione, cuius causa agatur, omnia referenda censeat ad ea, quibus Natura utitur. Quæ talia quidè sunt, sed alicuius causa, & notæ melioris gratia sumuntur. Itaque; nihil prohibet, quod minus ita dentes fiant, & decidant: sed non propterea, sed propter finem. Hæc autè ipsa causæ sunt, vt mouentia, & instrumenta, & materia. Nam & spiritu magna ex parte agere consentaneum, vt instrumentum est. Vt enim nonnulla artium instrumenta vtilia sunt ad plura, verbi gratia in excusoria, malleus, & incus: sic in rebus à Natura institutis spiritus variū exhibet vsuum. Simile dici videtur, cum causas necessario esse dicunt: vt, si quis propter cultellum tantummodo aquam exiisse iis, qui intercute laborant, non etiam propter sanitatem, cuius causa secuit cultellus, existimet. Sed de dentibus cur partim decidant, ac denuo nascantur, partim non: & omnino quam ob causam fiant, dictum est. Dixi etiam de cæteris membrorum affectibus, qui non alicuius causa, sed necessario veniant, & quam ob causam, videlicet eam, cui motum tribuimus.

LIBRORVM DE GENERATIONE ANIMALIUM, FINIS.

VOCAB

VOCABVLA LATINA

ET GRAECA, SECVNDVM LATINARVM LITERARVM ORDINEM, EX LIBRIS ARISTOTELIS de Animalibus, Theodoro Gaza Interprete.



Abdomen, vel fumen, seu imus veter, τὸ ἄβδωμον ἢ ἄβδωμον.
 abortiones, τὸ ἄβδωμον οἱ ἐκ τρωσμοί.
 abortus, ἢ ἀβδωσις.
 acari, τὸ ἀκαρί, candidum animal, quod in lignis nascitur.
 accipenser, ὁ ἔλοψ.
 accipiter, ὁ ἰέραξ.
 accipiter, fringillarius, ὁ ἀσιζίας ἰέραξ.
 accipiter palumbarius, ὁ φαασοφόνος.
 accipiter pernix dictus, ὁ πέρνις ἰέραξ.
 accipiter stellaris, ὁ ἀστέριας ἰέραξ.
 acheta, οἱ ἀχέται, cicadarum species, argutas alibi Theodorus interpretatur.
 achillæ spongiæ, οἱ ἀχιλλεῖοι σπόγγιοι.
 acia insectum, τὸ ἀκίον.
 aculeati fuci, οἱ ἀκύντοι κηφίνες.
 aculeus, τὸ κέντρον ἢ βελόνη.
 acus piscis, ἢ βελόνη.
 adeps, axungia, ἢ πιμελή.
 adminicula rami in ceruorū cornibus qui imi pendent ante frontem, οἱ ἀμυντήρες.
 adrianæ gallinæ, ἀδριανὴ καὶ ἀλεκτορίδες.
 ægithus, ὁ ἀγιθός.
 æquamentum, vel discrimen capillorum, τὸ λίσωμα ἢ τριχῶν.
 æsalo accipitris species, ὁ ἀσάλωμος.
 ætolius auis, ὁ ἀιτωλίος.
 ægnationes, αἱ παραφύσεις.
 ala, ἢ πτέρυξ, καὶ ἢ μασχάλη.
 alauda, ἢ κόρυς κόρυδος, quæ autē galerita dicitur, græco nomine proprio carere videtur. λόφος enim ἔχουσιν Aristoteles vocat.
 alba, ταλδινά.
 alba auis ex ardeolarum genere, ὁ λδινός.
 albardeola auis, ὁ λδινκέρωλιος.
 album ouis, τὸ λδινόν ἢ ὠδ.
 alcyon, ἢ ἀλκυών.
 alofa piscis, ἢ θεία.
 aluco, ὁ ἐλεός.
 aluus, vtricusulus, sinus, venter, ἢ κοιλία.
 aluus, ἢ κοιλία κάτω.
 ambidexter, ὁ ἀμφιδέξιος.
 anas, ὁ βρένθος. alibi brenthus.
 anas, ἢ νήτλα.
 anataria aquila, quæ & plāca morphna, seu naviā, ὁ νητλοφόνος ἀε

τός.
 angina, ἢ κωάγχη.
 angulus oculi, ὁ κανθός.
 anguilla, ἢ ἔγγελος.
 animal, τὸ ζῷον.
 anser, ὁ χύψ.
 antennæ, pars scilicet in talis superior, αἱ κεραῖαι.
 antiæ, τὸ προκόμιον.
 anthias, ὁ ἀνθίας, facer piscis, græcè quoque, ἰερός ἰχθύς.
 anus, vel podex, ὁ ἀρχός.
 aorta vena, ἢ ἀορτή.
 aper piscis Acheloi fluvii peculiaris, & aper sylvestris, ὁ ἀπερπός.
 apes apedis auicula, ἢ ἀπες ἀποδός.
 apex, crista, ὁ λόφος.
 aphareus pinnula, sub thynni ventre, ὁ ἀφάρωλιος.
 apis, ἢ μέλιτλα.
 apum rex, βασιλεὺς τῆς μελιτῶν.
 arlua, ἢ ἀρλή.
 aplisias, ἢ ἀπλισίας, spongiæ genus, illotariam Theodorus interpretatur.
 apria, quæ scrophis exciditur cū castratur, ἢ καπρία.
 apria, ἢ καπρία, virus suum, quale equorum hippomanes.
 appendix, ἢ ἀποφυάξ καὶ ἐκφλάς.
 aquaticulus, τὸ ἐπίσιον.
 aquaticile, τὸ ἔνυδρον.
 aquila, ὁ ἀετός.
 aquila fulua, ὁ μελαναετός.
 aquila morphna, ὁ μορφνός. Theodorus ait naviam dici posse.
 aquila marina auis, ὁ ἀλιαιετός.
 aquila aquatica, ὁ ἀετός etiam.
 aquilæ species, quæ veræ, & germanæ dicuntur, οἱ γνήσιοι ἀετοί.
 aquila leporaria, λαγωφόνος ἀετός.
 araneus, ὁ ἀράχνης.
 archanus, vel archanas piscis, ὁ ἀρχάνος.
 arcus vrfā, piscis, ἢ ἀρκετός.
 arcus piscis, ἢ βελόνη.
 ardeola, ὁ ἐρωδιός.
 arenidum, seu arenulentum, τὸ ἄθυρόν.
 argatilis, ἢ ἀκανθυλλίς, quæ & spinus, siue ligurinus auis.
 aries, ὁ κριός.
 arista, vel aristula piscis, ἢ ἀθέρηνη.
 arteria, ἢ ἀρτηρία.
 articulus, ὁ κόνδυλος.
 ascalaphus auis, ὁ ἀσκάλαφος.
 ascaris, ἢ ἀσκαρίς, lumbrici species

tipulam alibi interpretatur
 asellus piscis, ὁ ὄνος.
 asilus, ὁ οἰστρός.
 asinus, & asina, ὁ καὶ ἢ ὄνος.
 asinus Indicus, ὁ ἰνδικός.
 asio, auis nocturna, ὁ σκώψ.
 aspis serpens, ἢ ἀσπίς.
 attagena auis, ὁ ἀττάγημος.
 attendo ueruus, ὁ ἐπίτομος.
 atherina piscis, ἢ ἀθέρηνη.
 atramentum, ὁ θόλος. alibi θολός.
 atricapilla auis, μελαγκόρυφος.
 auditus, ἢ ἀκοή.
 auium rex auicula, ὁ πρέσβος.
 alibi senatorem interpretatur auiculam scilicet, quæ eadem cum Trochilo.
 auis, ἢ ὄρνις.
 aurata, ὁ χρυσοφύς.
 aurelia, ἢ χρυσαλίς.
 auriuictis auis, ἢ χρυσομήρις.
 auris, τὸ οὖς.
 auxuma, ἢ ἀυξίς. idem quod scordula.
 Alana, ἢ φάλαινα.
 Bbalerus piscis, ὁ βάλερθός.
 barba, seu mentum, τὸ γένειον.
 bilis flaua, ἢ χολή ξανθή.
 bilis atra, ἢ χολή μέλαινα.
 bilis, fel, ἢ χολή.
 bifulca, τὰ διχάλα.
 blatta, ἢ παρασκουρίς.
 bolytana polypi species, ἢ βολίταινα.
 bombyx, ὁ βομβύλιος. insecti genus.
 bonassus, qui & monapios fera est, ὁ βόνασος.
 bosca auis, ἢ βόσκα.
 bos, & vacca, ὁ καὶ ἢ βός.
 bos aquaticus, ὁ βός.
 brachium, ὁ βραχίον.
 brachia cirri, αἱ πλεκτάναι.
 branchiæ, τὰ βραγχία.
 brenthus, ἢ βρένθος.
 brissus echinorum species, ὁ βρίασός.
 brucus, ὁ ἀττέλαθος.
 bubalus, ἢ βουβαλίς.
 bubo, ὁ βύας.
 buccina, species testa insectorum, ὁ κήρυξ.
 buteo, accipitris genus, triorchæ etiam à testicularum numero, ὁ τριόρχης.
 Accabare, perdicum vox, κακκαβίσημος.
 calcar, siue aculeus, τὸ πλῆκτρον.

κτρον.
 calcarigera, τὰ πλῆκτροφύρα.
 calidris auis, ὁ καλδρίς.
 calua, τὸ κρανίον.
 caluaria, τὸ βρέγμα.
 caluæ pars ferrata, ἢ ῥαφίς.
 caluitium, ἢ φαλακρότης.
 calx, ἢ ἵπτερον.
 camelus, ἢ κάμηλος.
 cancer, ὁ καρκίνος.
 cancellus, τὸ καρκίνιον.
 candidum, siue album oculi, τὸ λευκόν.
 candidi, οἱ λευκοί.
 canicula piscis, τὰ σκύλια.
 canicipites, οἱ κωμοκέφαλοι.
 canis, ὁ καὶ ἢ κύων.
 canire, σκυλαγία.
 cantharus scarabeus, ὁ κάρθαρος.
 capella auis, ἢ αἰξίς.
 capillus, pillus, villus, ἢ θρίξ.
 capito, piscis è mugilum genere. mugilem etiam alibi interpretatur, ὁ κέφαλος.
 capra, ἢ αἰξίς, ἢ δορκάς.
 capriceps auis, ὁ ἀργονέφελος.
 caprimulgus auis, ὁ ἀργονέφελος.
 caprine, τράγιστος.
 caput, ἢ κεφαλή.
 carduelus, ἢ θραυπίς.
 caro, ἢ σὰρξ.
 carulus auis, ὁ κήρυκος.
 cartilago, ὁ χόνδρος.
 cartilaginea, τὰ σελάχη.
 caseus, ὁ τυρός.
 catarrhacta auis, ὁ καταρράκτης.
 cataractes auis, ὁ καταρράκτης.
 catellus, τὸ σκυλάκιον.
 catulus, ὁ σκύμιος.
 carus, ἢ γαλή.
 carus syluest. ἢ γαλή ἀγρία.
 cauda, τὸ ὀροπύγιον, ἢ κέρκος.
 caulis in pennis, ὁ καυλός.
 caulium, τὸ καλίον.
 cebus, ὁ κήβος.
 ceciliæ serpentes, αἱ τυφλίνοι ἕρπεις.
 cella apum, ὁ κύντιος.
 centipes, & marina quoque, ut ter restris, quæ & centipeda, ἢ σκολόπενδρα.
 cerago siue cereus, ἢ κήρυκος.
 cerebrum, ὁ ἐνκέφαλος.
 cerebellum, ἢ παρεγκεφαλίς.
 cernua piscis, ὁ ὄρπος.
 cerrus piscis, ἢ σμαρίς.
 certhia auis, ὁ κέρθιος.
 ceruleus auis, ὁ κύανος.
 cerui, cum primū eis cornua prodire incipiunt, αἱ πατῆλαι.
 ceruus, ὁ καὶ ἢ ἔλαφος.
 ceruix vuluæ pars, ἢ ἐρνήθρα.
 ceruix velsica, ὁ καυλός.
 ceruix, ἢ ἐρωμίς.
 cetus cete, τὸ κήτος.
 chalcis auis, ἢ χαλκίς.
 cuius Homerus meminir.
 chalcida animal, lacerti fermè species, ἢ χαλκίς.

chama è testa insectoris, ἢ χήμη.
 chamaeleon, ὁ χαμαιλέων.
 chronus, ὁ χρόνος, χρομῖς etiam καὶ χρομῖς.
 chrysalis, ἢ χρυσάλις. Theodorus interpretatur aureliam.
 cicadastræ mutæ alibi, τὰ τετιγόνια.
 cicada, ὁ τέτιξ.
 cicatrix, ἢ ἔλκη.
 cicindela, ἢ κυνολαμπίς.
 ciconia montana aquilæ species, ὁ ὄρεπελαργός.
 cicuma, ὁ νυκτικόραξ.
 cilia, palpebræ, αἱ βλεφαρίδες.
 cimex, ἢ κίρς.
 cinamomus auis in Arabia, ὁ κινάμωμος.
 cinchulus inis, ὁ κίγγλος.
 cinctus, τὸ διάζωμα.
 circus accipiter, ὁ κίρκος.
 cirrus insectum, ὁ βέβρυχος.
 clauicula humerus, ἢ κλέης.
 clerus, vermiculus infestans apum aluearia, qui & pyraustra, ὁ κλήρος.
 coagulum, ἢ πυρετία.
 cocalia species è testa testis, τὰ κωκάλια.
 cochlea, turbo, ὁ στρομβός.
 cochlea, ὁ κέχλος.
 coitus, ἢ ὄχια.
 cholago, ἢ χολάς.
 colaris auis, ὁ κέλαριος.
 coles, ὁ περρινός.
 colliquamentum, quod ex incremento fecernitur resolutione præter naturam, τὸ σιώπημα.
 colostrā, αἱ τροφαλίδες.
 colora auis, ἢ κωλατή.
 colum, ὁ ἰαθμός, τὸ κῶλον.
 collum, ὁ τράχηλος, ὁ ἀυχίον.
 columba, ἢ περιστερά.
 columella, ἢ κίον.
 collurio auis, ὁ κωλλυρίων.
 commosis excrementū quoddam cera, ἢ μίτις.
 conger, ὁ κόνγρος.
 confidium in augurum disciplina, ἢ σιωδρία.
 conuulsio, ὁ σπασμός.
 copula, amentum, τὸ ἄμμα.
 cor, ἢ καρδιά.
 cordula, alibi cordulum, co piscis, ὁ κόρδουλος.
 cornix, ἢ κορώνη.
 cornu, τὸ κέρας.
 cornua partes in vulua, τὰ κέρατα.
 cortex, ἢ φλοιός.
 coruus, ὁ κέραξ.
 colsi, σιῶλης ἐκ τῶν πενδραίων.
 ita Theodorus interpretatur eos, quos pici martii venantur.
 costa, ἢ πλευρά.
 coturnix, ἢ ἔρτυξ.
 coxa, nates, clunis, canis in talis, pars tali scilicet, τὸ ἰσχίον.

coxa vel acetabulum, ἢ κοτυλάριον.
 crabro, ὁ ἀνθρινός, ἢ ἀνθρίνη.
 crangines genus squillæ, αἱ κράγγινες.
 crex auis, ἢ κρέξ.
 crista, τὸ κάλλισον.
 crocodilus, ὁ κροκόδειλος.
 crustata, quibus crusta pro tegmine est, τὰ μαλακόστρακα.
 crustula polentis obducta verula, ἢ γράς.
 cubitus, ὁ τήχους, ἢ ὀκνός.
 cuculus piscis, & cuculus auis, ὁ κούκουξ.
 cucurrere gallinæ generis est, κωκύνειν.
 culex qui mulio dicitur, ὁ κνήψ.
 culex, mulio, ἢ ἐμπίς.
 culex, ὁ κωνοψίς.
 culiciga auis, ὁ κνιπολόγος.
 cuniculus lepus, ὁ δασύπους.
 cursor piscis, ὁ δρόμας.
 curuca, ἢ ἐπιλαίς, alibi ἢ ὑπολαίς.
 cutis, τὸ δέρμα.
 cutem pro pennis habenna, τὰ δερμίστιρα.
 cynchramus auis, ὁ κύνχραμος.
 cynocephali, οἱ κωμοκέφαλοι.
 cyprinus piscis, ὁ κυπρίνιος.
 cyprillus auicula, quæ eadem cum apodibus est, ὁ κνίπυλος.
 Dama, ἢ πρόξ.
 Dasygyllus piscis, ὁ δάσσυλλος.
 delario, ἢ φορά.
 delphin, ὁ δελφίς.
 dens, ὁ ὀδόντος.
 dentes asini ex quibus ætas dignoscitur, οἱ γνώμωνες.
 gnomo-nes.
 dentes maxillares, οἱ ὀδόντες γόμφιοι.
 dentibus ferratis animalia, τὰ κερχαρόδοντα.
 dentes qui gemini dicuntur, οἱ κραντήρες.
 dentes canini, οἱ κωδόδοντες.
 dentibus exertis animalia, τὰ χαυλιόδοστα.
 dentes exerti, οἱ χαυλιόδοντες.
 denratum vtrinq̄ue, τὸ ἀμφόδιον.
 dentex, ὁ σιωδωρὴ σιωαγρίς.
 depes, ὁ κωκόπος.
 diarium, τὸ ἐφήμερον.
 digitus, ὁ δάκτυλος.
 diffidium in augurum disciplina, ἢ διεδρία.
 dissimulare, τὸ ἀνομοιομερῆς.
 dodrans mensura, ἢ παλαστή.
 dorsum, τὸ νῶτον.
 draco serpens, ὁ δράκων.
 draco piscis, ὁ δράκων.
 dignis animal, quod & chalcidem appellant, ἢ θυγίς.
 ο ο

tipulam alibi interpretatur
 asellus piscis, ὁ ὄνος.
 asilus, ὁ οἰστρός.
 asinus, & asina, ὁ καὶ ἢ ὄνος.
 asinus Indicus, ὁ ἰνδικός.
 asio, auis nocturna, ὁ σκώψ.
 aspis serpens, ἢ ἀσπίς.
 attagena auis, ὁ ἀττάγημος.
 attendo ueruus, ὁ ἐπίτομος.
 atherina piscis, ἢ ἀθέρηνη.
 atramentum, ὁ θόλος. alibi θολός.
 atricapilla auis, μελαγκόρυφος.
 auditus, ἢ ἀκοή.
 auium rex auicula, ὁ πρέσβος.
 alibi senatorem interpretatur auiculam scilicet, quæ eadem cum Trochilo.
 auis, ἢ ὄρνις.
 aurata, ὁ χρυσοφύς.
 aurelia, ἢ χρυσαλίς.
 auriuictis auis, ἢ χρυσομήρις.
 auris, τὸ οὖς.
 auxuma, ἢ ἀυξίς. idem quod scordula.
 Alana, ἢ φάλαινα.
 Bbalerus piscis, ὁ βάλερθός.
 barba, seu mentum, τὸ γένειον.
 bilis flaua, ἢ χολή ξανθή.
 bilis atra, ἢ χολή μέλαινα.
 bilis, fel, ἢ χολή.
 bifulca, τὰ διχάλα.
 blatta, ἢ παρασκουρίς.
 bolytana polypi species, ἢ βολίταινα.
 bombyx, ὁ βομβύλιος. insecti genus.
 bonassus, qui & monapios fera est, ὁ βόνασος.
 bosca auis, ἢ βόσκα.
 bos, & vacca, ὁ καὶ ἢ βός.
 bos aquaticus, ὁ βός.
 brachium, ὁ βραχίον.
 brachia cirri, αἱ πλεκτάναι.
 branchiæ, τὰ βραγχία.
 brenthus, ἢ βρένθος.
 brissus echinorum species, ὁ βρίασός.
 brucus, ὁ ἀττέλαθος.
 bubalus, ἢ βουβαλίς.
 bubo, ὁ βύας.
 buccina, species testa insectorum, ὁ κήρυξ.
 buteo, accipitris genus, triorchæ etiam à testicularum numero, ὁ τριόρχης.
 Accabare, perdicum vox, κακκαβίσημος.
 calcar, siue aculeus, τὸ πλῆκτρον.

Echinus aquatilis, δ ἐχίνος.
 effluxio, ἢ ἔκρυσις.
 eiecitia oua, τὰ ἐκβόλιμα ὠά.
 Eledona, polypi species, ἔλε-
 δὸνη.
 eleginus piscis, δ ἐλεγίνος.
 elephas, δ ἐλέφας.
 encraulus, δ ἐγκραυλός.
 epipetrum, τὸ ἐπίπετρον.
 epiolus papilio, qui lucernarum
 luminibus aduolat, δ ἐπιό-
 λος.
 epitragea pisces, οἱ ἐπίτρα-
 γέαι.
 ephemerum diarium, τὸ ἐφή-
 μερον.
 eques formica, δ ἰσπομύρ-
 μηξ.
 equus, equa, δ ἡσὴ ἢ ἰσπος.
 equus fluuiatilis, ἰσπος πο-
 τάμιος.
 equiceruus, δ ἰσπέλαφος.
 equire, ἰσπομανεῖν.
 equimulgi, δι ἰσπόθνηλαι.
 equifelis, δ ἰσπουρός.
 erica piscis spuria, ἢ χαλ-
 κίς.
 erithaca, ἢ ἐριθάκη.
 eruca, ἢ καμπή.
 eruum, δ ἔροβος.
 etelis piscis, ἢ ἐτελις.
 excaule, τὸ ἀκαυλον.
 excrementa, τὰ περιττώ-
 ματα.
 expes, τὸ ἀπώσι.
Facies, τὸ πρόσωπον.
 falcula, seu riparia, ἢ δρεπα-
 νίς.
 fauago purpurarum, ἢ μελί-
 κηρα.
 fauare, κηράξαι.
 fauces gutturis, δ φάρυγξ.
 fauus, τὸ κηρίον.
 fel, bilis, ἢ χολή.
 felis, δ αἰλουρος.
 femer, femur, δ μηρός.
 fiber, δ κάστωρ.
 fibra, ἢ ἴψη, ἢ ἰός.
 fibula ossis nomen, ἢ πε-
 ρώνη.
 ficarius culex, δ φῆρ.
 ficedula auis, ἢ συκαλίς.
 fidicula piscis, δ κίβαρος.
 fisisipes, τὸ σχιζόπουν καὶ τὸ
 ἐπίπουν.
 florus auis, δ ἀνδός.
 flos ætatis, ἢ ἀκμή.
 fluctiones, τὰ ρεύματα.
 flura, spargus, ἢ ρυάς.
 fluuiale, τὸ ποτάμιον.
 fluxio, ἢ ἔκρυσις.
 fœmina, τὸ τήλυ.
 fœtus, partus, τὸ ἐμβρυον.
 forcipatum pedis forceps vngula,
 ἢ χυλη.
 formago, ἢ τρυφαλίς.
 formica, δ μύρμηξ.
 fringilla auis, δ ασίς.

fringillarius accipiter, δ ασί-
 ζίας ἰέραξ.
 fringillago pari species, δ ασίς
 της ἀγχιβαλός.
 frons, τὸ μέτωπον.
 frugilega auis, δ ἀπερμολό-
 λος.
 fuca parua, piscis, τὸ φυ-
 κίον.
 fuca piscis, ἢ φυκίς.
 fuci, qui inter apes degunt, δι
 κωφώτες.
 fulica, δ κέσφρος.
 fullo, insectum quoddam, δ κἀ-
 ραβός.
 fullo piscis, δ ψύλλωμ.
 fur apis species, δ φῶρ.
 fuscæ piscis, quod fuscæ retibus
 capiuntur, ἐ quibus thunni, pal-
 feræ, & alii, δι χυθῶνι
 ἔχθρες.
 fufus agrestis, ἢ ἀΐα-
 κτυλίς.
Galades, concharum species,
 αἱ γαλάδες.
 galena, ἢ μοσίδαινα.
 gulgulus, δ κολίος. alibi δ κε-
 λέος. alibi δ κολέος.
 gallina, ἢ ἀλεκτορίς.
 gallinaceus, δ ἀλεκτρούμ.
 gallinago auis, δ σκολόπας. alibi
 ἀσκολόπας.
 gammari, δι ἀσκακοί.
 gauia auis, δ λάρος.
 gena, ἢ γνάθος.
 genitura, ἢ γονή.
 genu, τὸ γόνυ.
 germanæ aquilæ, δι γνήσιοι ἀε-
 ττοί.
 gibbæ genus squillæ, αἱ κύ-
 φαι.
 giber, τὸ δλέκτρανον.
 gingiua, τὸ οὖλον.
 ginnus innus, δ γίννος.
 gladius piscis, δ ξιφίς.
 gladiolus, qui lolliginum corpo-
 re continetur, τὸ ξίφος.
 glanus, qui & hyæna, δ γλανός.
 glans penis extrema pars, δ βἀ-
 λανός.
 glans è testaceo genere aquatile
 animal, δ βἀλανός.
 glaucus piscis, δ γλαύκος.
 glires, δι ἐλειοί.
 gobio, δ κωβίος.
 gobionaria, ἢ κωβίτης.
 gula, δ σῆμαχος. καὶ δ οἰ-
 σπάρτος.
 gurgulio, δ γαργαρέωμ.
 gustus, ἢ γεύσις.
 guttur, δ φάρυγξ.
 graculus piscis, δ κορακί-
 νος.
 graculus è monedularum genere
 auis, δ κορακίς.
 gregale, τὸ ἀγελαῖον.
 gresile, τὸ πορροτικόν.
 grus, δ γέρανος.

Haleo mæna, τὰ μαινίδια.
 halcedon, ἢ μαινίς.
 halofachne flos maris, ἢ
 ἀλοσαχνη.
 hamia, αἱ ἀμῖαι.
 harpa auis, ἢ ἀρπη.
 heledona polypi species, ἢ ἔλε-
 δὸνη.
 hemina dimidium, τὸ ἡμι-
 κόβλιον.
 herinacei, δι ἐχίνοι χερ-
 σαῖοι.
 hiatula, ἢ χάνη.
 hinnulus, δ νεβρός.
 hipardium, τὸ ἰσπάρδιον.
 hippeus cancri genus, eques, δ
 ἰσπέυς.
 hippomanes, τὸ ἰσπομα-
 νές.
 hircina capræ, quæ genitale ha-
 bent maris, & fœmina, αἱ
 τράχαιναί, αἶγες.
 hircus spongiæ genus, δ ὀτρά-
 γος.
 hircus, δ τράγος. ita etiam appel-
 lantur mæna, siue haleces ma-
 res, cum fœtu impleri fœmina
 incipit.
 hirsuties, ἢ διασύτης.
 hirundo marina, & terrestris, ἢ
 χελιδών.
 homo, δ ἡσὴ ἢ ἀνθρωπος.
 τὸ ἄρρον.
 hordeaceo morbus equorum, δ
 κριθίς.
 humerus, δ ὤμος.
 humerarius neruus, δ ὤμι-
 αία.
 hyæna, ἢ ὕαινα.
 hyperina, id est effæta propter ni-
 mium partum, δ ἡσὴ ἢ
 ὑπέρρον.
 hypochondrium seu subcartila-
 gineum, τὸ ὑποχόν-
 δριον.
 hystrix, δ ὕστριξ.
 ἢ ἴβις.
Ichneumon, vespæ species, &
 quadrupes animal, δ ἰχνημόμων.
 iecur, τὸ ἥπαρ.
 iecorinus piscis, δ ἡπατός.
 iecoraria vena, ἢ ἡπατίτις.
 ieiunum inter intestina, ἢ νήσις.
 ientaculum, τὸ ἀκράτισμα.
 ignaria auis, ἢ πυραλίς.
 ileus morbus intestini in equis,
 δ ἔλεός.
 iliacus ex turdorum genere, ἢ
 ἰλιάς.
 ilia, οἱ λαγόνες.
 improlis, infeminis, δ ἄρονος.
 incessus, ἢ πορεία.
 incubitus, δ ἐπωασμός.
 ingluuius, δ πρόλοβος.
 ingressio, ἢ βἀδισις.
 inguen, δ βῶβρον.
 innus, δ γίννος.
 ιαλ

insecta, τὰ ζῆτομα.
 internodium in digitis, ἢ
 φάλαγξ.
 intestinum, τὸ ζῆτρον.
 iuba, ἢ χλαίτη.
 iugale ossis nomen, αἱ κλαῖδες.
 iugulum, ἢ σπαγή.
 iugulares venæ, αἱ σπαγίτι-
 δες.
 iulia piscis, ἢ ἰουλίς.
 iulus, δ ἰσλός.
 iumentum veterinum, τὸ λό-
 στρον.
 iunco auis, δ σχοινίωλος.
 alibi, δ σχοινίον.
 iuuenca, ἢ νεοτίς. vt ἀλεκτορίδιον
 αἱ νεοτίδες, gallinæ iuuenca, no-
 uella alibi.
Labeo piscis è mugilum gene-
 re, δ χάλλωμ, alibi χολών.
 labrum, τὸ χεῖλος.
 lac, τὸ γάλα.
 lacertus piscis, δ σάυρος.
 lacertus, δ σάυρος.
 lacerta, ἢ σάυρα.
 lactes, τὸ μεσεντέριον.
 lacustre, τὸ τελεματικόν.
 lamia piscis è cartila gineis, ἢ λα-
 μία.
 lana, τὸ ἔριον.
 latex, δ λάταξ.
 latera, τὰ πλάγια.
 leæna, ἢ λέαινα.
 lendes, δι κόνιδες.
 lentor, ἢ γλισχροτότης.
 leo, δ λέων.
 lepus, δ λαγώς.
 leporaria aquila, δ λαγοφῶρος ἢ
 τός.
 leuiria piscis, δ λείοβατος.
 leuis mustelus, δ λῆσος γαλιός.
 libella piscis, ἢ ζυγαννα.
 libyus, alibi lædus, δ λιβυός.
 lien, δ σπλήν.
 lienaria vena, ἢ σπληνίτις.
 ligula, ἢ σπύγγωλος.
 ligurinus auis, siue spinus, ἢ ἀκαν-
 θίς.
 limaces vmbilici, οἱ κοχλίας.
 limosa, limaria, ἢ πηλαμίς.
 lingua, ἢ γλώττια.
 lingulaca auis, ἢ γλωττίς.
 lituus piscis, δ θίς.
 liuia columbæ species à liuore di-
 στα, ἢ πελιδία.
 locusta, δ κάραβος, ἢ ἀκρίς.
 loligo, ἢ τευθίς.
 lolii, οἱ τευθοί.
 lumbi, ἢ ὀσφύς, καὶ αἱ ἰσοίαι.
 lupus piscis, δ λάβραξ.
 lupus animal, δ λύκος.
 lupus auis, δ λύκος.
 lupus ex insectis, δ λύκος.
 lupus ceruarius, δ πανθήρ.
 luscinia, ἢ αἰδών.
 lutaria, αἱ ἀμυδίες.
 lutea auis luteus, δ χλωρός.
 luteola auis lutea, ἢ χλωρίς.

lutra, ἢ ζυδρίς.
 lynx, ἢ λυγξ.
 lyra piscis, ἢ λύρα.
MAlida asinorum quidam morbus,
 ἢ μηλίς.
 malleolus, τὸ σφυρόν.
 malleolus piscis, ἢ σφύρανα.
 mamma, δ μαστός.
 mandibula, ἢ γένυς.
 manus, ἢ χεῖρ.
 mantichoras, δ μαντικῶρας.
 marinum, τὸ θαλάσσιον.
 marini pisces, οἱ μαρίνοι.
 mariscæ, αἱ ἀμορβοίδες.
 matrix, ἢ μήτρα.
 matrices in vesparū genere, sunt
 veluti duces, αἱ μήτραι.
 matrix auis, ἢ ὀρτυγομήτρα.
 maxilla, ἢ σιαγών.
 maxillares dentes, οἱ γόμφιοι ὀδόν-
 τες.
 medulla, δ μυελός.
 meleagris auis, ἢ μελεαγρίς.
 membras, adis, ἢ ἀρας.
 membra, τὰ μέλη.
 membranis sicis volandia, τὰ πι-
 λωτά.
 membrana, quibus fœtus inuo-
 luitur, οἱ ὄμινες.
 membrana cerebri custos, ἢ μῆνιγξ.
 membrana, δ ὕμιον.
 mensis id est menstrua purgatio,
 τὸ καταμῆνιον.
 menstrua, τὰ καταμῆνια.
 mentum, barba, τὸ γένειον.
 mergus, ἢ αἰθια.
 merops auis, apiastrum vocatur,
 δ μέροψ.
 merula, & auis & piscis, δ κόττι-
 φος.
 metachærum læsus suis fœtus,
 posthumum, alibi apocellum,
 τὸ μετὰ χοῖρον.
 miluus, δ ἰκτίνος.
 mingentia ex auerso, τὰ ὀπισθη-
 ρητικά καὶ τὰ ἐμπροσθητικά.
 miscella, mistio, ἢ σύγκρισις.
 mitilus è testa in testis, δ μύς.
 mola, ἢ μύλη.
 moles, δ ὄγκος.
 mollia, τὰ μαλακία.
 molliceps auis, δ μαλακοκεράνυς.
 monedula auis, δ κολοίς.
 monedula piscis, ἢ κοχλία.
 monstrum, τὸ τέρας.
 montis fringilla auis, δ ὄροσσί-
 ζης.
 mormur piscis, δ μόρμυρος.
 mucro piscis è mugilum genere,
 δ μύζωμ, alibi, μύζωμ.
 mugil, δ κερσίδης.
 mulio, δ κερσίδης.
 mulus, δ ἡμίονος, καὶ δ ὄρος.
 mulus piscis, ἢ ἐρίγλα.
 multifidus, πλυσχεδός.
 muræna, ἢ μύρανα.

murices, αἱ ἀπορροίδες.
 murinus piscis, δ μύρινος.
 murus piscis, δ μύρος.
 mas in murænis.
 mus aquatilis, vel testudo lutaria,
 δ ἔμυς, καὶ δ ὠμός.
 mus terrestris & aquatilis, δ μῦς.
 mus ponticus, δ μύς πορτικός.
 musca, ἢ μύα.
 musculus piscis, δ μυσικήτος.
 mustax, ἢ ὑπὴνη.
 mustellus spinax, δ ἀκανθίας γα-
 λός.
 mustellus nebrias, δ γαλιός
 νεβρίας.
 mustella, ἢ γαλή.
 mutis, ἢ μύτις, quæ & μήκωμ, id
 est papauer appellatur.
Naris promuscis etiam in ele-
 phante, δ μυκητήρ.
 natus, ἢ ῥίς.
 natatio, ἢ νδύσις.
 natatile, τὸ νδυστικόν.
 nates, δ γλαπτός.
 natex, ἢ νηέτης.
 natrix, δ ὕδρος.
 nauta polypi species, δ ναυτίλος.
 necydalus, δ νεκιδάλλος.
 insectum inualidum Theodor-
 rus interpretatur.
 nepos ex filio, δ ἰψίδης.
 neruus, τὸ νεῦρον.
 nigrum, quod pupillam ambit τὸ
 μίλαμ.
 nidus, νεοτήσια.
 nodua, ἢ γλάυξ.
 nodus, siue articulus, δ κόνδυλος.
 nota, τὸ σημεῖον.
 nymphæ, ἢ νύμφη.
Ociput, τὸ ἄντικρυθίον.
 ocrea, τὸ ἀντικρυθίον.
 oculus, δ ὀφθαλμός.
 oculata, piscis, δ μελανέρος.
 officiales, seu instrumentales par-
 tes, τὰ ὀργανικά μέρη.
 olfactus, ἢ ὀσφρησις.
 ololygo, ὁ ὀλολυγῶμ, vox rana-
 rum,
 olor, δ κύκνος.
 omasum in ventre propè reticu-
 lum, δ ἐχίνος.
 omentum, τὸ ἐπίπλοον.
 orchylus auis, δ ἐρχίλος.
 orcynes pisces, δι ὀρκύνες.
 orisodagna ἢ ὀροσδάγνη, quam aīr
 interpretari posse mordellam.
 oryx, δ ὄρυξ.
 os ossis, τὸ ὀστέον.
 os oris, τὸ στόμα.
 osifraga, ἢ φώνη.
 offole polypi species, ἢ ὄφολις.
 ostrea, τὰ λιμνόςτρεα.
 ostrea conchæ, τὰ ὄστρεα.
 otus ab auribus, quasi auritus, auis
 est, δ ὠτίς.
 ouipera, τὰ ὠτόπια.
 ouis, τὸ πρέβαστον.
 ouum, τὸ ὠόν.

oua electicia, τὰ ἄα ἐκβολίμα.
Pagrus piscis, δ πάγρος.
 pagurus, δ πάγρος.
 palatum, ἢ ὑπερώα, καὶ δ κρανός.
 palma vola, τὸ θίναρ.
 palma mensura, ἢ σπθαμνή.
 palmipes, τὸ σφραγίστω.
 palumbarius accipiter, δ φαδύτωπος ἱέραξ.
 palpebræ, αἱ βλεφαρίδες, & cilia.
 palpebra, τὸ βλέφαρον.
 palumbes, φάδ, δ, cuius genitium inuenio, φάβος.
 palumbes, ἢ φάδ.
 palustre, τὸ λιμναίον.
 pancreas à carnis multitudine, τὸ πάγκρεας.
 panthera, ἢ πέρδαλις.
 papauer piscis, δ μήκωρ.
 papauerulum excrementū, quod primum à pueris emittitur, τὸ μικρόνιορ.
 papilla, ἢ θηλή.
 papilio, ἢ ψύλλη.
 pardalius auis, δ πάρδαλις.
 pardalichnes, τὸ παρδαλί-αγγής.
 partes, τὰ μέρη.
 parcus, τὸ ἔμβρυον, καὶ τὸ κύημα.
 parus auis, δ ἀγριθαλός.
 parus monticola, δ ἀγριθαλός.
 parturigo, ἢ ὠδύς.
 passer aues, τὰ σποθία.
 passer piscis, ἢ ψύλλη.
 passer, δ σφηδός.
 passinaca piscis, δ ἐραγώμ.
 passinaca bestiola verricillæ similis, δ σφαφιλίνος.
 patella, ἢ λεωά.
 patella fera, quæ etiam θαλάττιον οὖς. idest marina auris appellatur, ἢ λεπάς ἀγρία.
 pavo, δ θώραξ, καὶ τὸ σφίθ.
 pectus, δ θώραξ, καὶ τὸ σφίθ.
 pectunculus, pecten, δ κτέης.
 pedestre, τὸ πεζόν.
 pediculus, δ φθέγρ.
 piscis etiam eodem nomine.
 pediculus ferus, δ φθέγρ ἄμιθ.
 pella ardeolæ species, δ πελλθ.
 penelops auis, ἢ πηνελόψ.
 penis genitale, τὸ ἀσδοίον.
 penna, τὸ πτερόν.
 pennarum loco quibus cutis est, τὰ δεξιόπτερα.
 perca accipiter, δ πέρκαθ.
 perca piscis, ἢ πέρκη.
 percnopterus aquilæ species, δ πέρκαθ ἰέραξ.
 perdirx, δ πέρδιξ.
 perna, seu culinæ, οἱ κωλίτες.
 pes, δ πῶς.
 pes, crus, τὸ σκέλθ.
 phalangium, τὸ φαλάγγιον.

phalanx animal, δ φάλαγξ.
 phalaris auis, ἢ φαλαρίς.
 phaleria, ἢ φαληρική.
 phanger piscis, δ φάγγρθ.
 phasianus, δ φασιανός.
 phocæna, ἢ φάκαινα.
 phoix, seu phoicus, δ φώιξ.
 pholis piscis, ἢ φωλός.
 phoxinus piscis, δ φοξινός.
 phuca piscis, ἢ φυκός.
 phuca parua, τὸ φυκίδιον.
 pica, ἢ κίττα.
 picare, κίττα.
 picarus cereus in aluearibus, δ πιασούκηρθ.
 picus martius, δ δρυοκολάτῆς.
 pilare malum, quod mulieres inuadit, si pilum in poculo hauserint, δ πικρίας.
 pinna species testa insectorum, ἢ πίννα.
 pinna, τὰ πτερόγυια.
 pinnula sub thynni ventre, δ πιννοθήρ.
 pinnother, δ πιννοθήρ.
 piphex auis, δ πίπηξ.
 pipo auis, δ πίπρα.
 piscis, δ ἰχθύς.
 piscatrix raia piscis, δ αἰλίας.
 pituita, τὸ φλέγμα.
 planipes, τὸ σφραγίστω.
 plateæ aues, οἱ πελεκάνες.
 podagra, ἢ ποδάγρα.
 podex, δ ποδάξ.
 podex anus, δ ἀρχός.
 polluere semen per somnū emitttere, ἐξ ὄνειρώτῆι.
 polypus, δ πολύπος.
 pompilus, quem & ὠμ πολύποουm polypti vocant, δ ναυτικός.
 poples, δ ἰγνός, καὶ ἰγνία.
 porphirio auis, δ πορφυρέωμ.
 portæ in iecinore, αἱ πύλαι.
 præcordia & cinctus, αἱ φλέβες.
 præcordia, αἱ φρένες.
 præputium, ἢ ἀκροποδιά.
 primadæ, αἱ πριμαδία.
 pristes piscis, δ πρίστης.
 pronum, τὸ πρηνές.
 propherus cruentus quidam humor, qui inter duas membranas continetur, cum fœtus in vtero formati incipit, δ πρόφερθ.
 psittace auis indica, ἢ ψιττάκη.
 ptynx auis, quam eandem cum chalcide esse quidam credunt, δ πτύγξ.
 pubes, ἢ ἕβη.
 pudenda, τὰ ἀσδοία.
 pulla, seu fulua aquila, δ μελγαετός.
 pulcher piscis, δ καλλιόνυμθ.
 pulex, ἢ ψύλλα, καὶ ψύλλθ. videtur etiam, aranci species esse.
 pulicaria herba, ἢ κόρυθα.

pullium, quod equa ante pullum emittit, τὸ πώλιον.
 pulmo, δ πνύμιον.
 pulmo aquatilis, δ πνύμιον.
 pumiliones, οἱ νόνοι.
 pupilla, ἢ κόρη.
 purpurissum, τὸ ἀνδρείκελον.
 purpura, αἱ πορφύραι.
 pus, δ ποίος.
 putamen, τὸ κέλυφθ.
 putamen non tamen puto proprium id græcè esse, ἢ προβολή.
 pygargus aquilæ species. Theodoros posse ait albicillam interpretari, δ πυγαργός. vocatur & δ νεβροφόνος, quod Theodoros transfert hinnulariam.
 pyrausta vermiculus infestus apud aluearia, qui & clerus, δ πυραύτης.
 est & paruum animal, quod volas in lucernam, ut ignem attingat, aduritur. Hinc prouerbum, πυραύτης μύρθ. in eos qui sibi mortem asciscunt.
Rabies, ἢ λύττα.
 raia mas, δ βάτθ.
 raia fœmina, ἢ βάλίς.
 rana, δ βάτραχθ.
 raucedo, δ βράγχθ.
 redivus, δ κρότωρ.
 regulus auis, δ βασιλός.
 remora, ἢ ἔχηνις.
 renes, οἱ νεφροί.
 ren, δ νεφρός.
 reptio, ἢ ἔρπυς.
 reptile, τὸ ἐρπυσιακόμ.
 resmatum, τὸ ἀνώσιμον.
 reticulum, vel arfineum, δ κερύφαλθ.
 rex apum, δ βασιλεὺς τῶμ μελιτῶν.
 ricinus fœdū animal canibus infestum, δ κωροαίτης.
 rictu, quod est adunco, τὸ ἐπίγυρον.
 rictus, rostrum, τὸ ῥύγχθ.
 riparia, τὸ ῥύγχθ.
 rostrum, τὸ ῥύγχθ.
 rubellio, vel rubellus piscis δ ἐρυθρικός, δ ἐρυθρῶνθ alibi.
 rubetarius accipiter, δ φρωολόχθ ἰέραξ.
 rubetra, ἢ βατίς.
 rubeta, ἢ φριώη.
 rubicilla auis rubecula, δ πυρρόβλας.
 rubri, οἱ ἐρυθρίνοι.
 ruminalis piscis, δ μέρυξ.
 rupex auis, alibi hiaticulam vocat, δ χαρδριός.
 rutililla, δ φοινικουργός.
 Sacer piscis, δ ἀνθίας. qui etiam anthias, græcè quoque ἱερός ἰχθύς. qui & ἀλοπίας dicitur.
 sacer serpens, ἢ ἱερά.
 salamandra, ἢ σαλαμάνδρα.
 salit

salitium, ἢ ἀναφαλαντίασις.
 salpa, ἢ σάλπη.
 salus auis, δ ἀγίθθ. agithus non nunquam alibi, ἀγίθθ.
 sandaraca, genus cibarii apud duricie ceræ proximum, ἢ σαρδάρικη.
 sanguis, τὸ αἷμα.
 sanguinea, τὰ θύαιμα.
 sanies, δ ἰχώρ.
 saperdis, ἢ σαρπιδίς.
 sarda piscis, δ σαρδία.
 sarda, δ σαρδίαθ.
 sarda, αἱ σαρδίαι.
 sardina, αἱ σαρδίαι.
 sargus, δ σάργθ.
 sargus, piscis è mugilum genere, δ σάργθ.
 sargini pisces, οἱ σαργίνοι.
 satherium animal, τὸ σαθέριον.
 satyrias morbus, ἢ σατυρίας.
 satyrium animal, σατύριον.
 schadon apum soboles, δ σχάδωρ.
 scapula, αἱ ὠμοπλάται.
 scarabæus, δ κάρδαρθ.
 scarabæus taurus, insectum, δ κάρθαθ.
 scarabæus pilularius, ἢ κανθαρίς: qui & chantarus dicitur.
 scarabæus piscis, δ κάρθαρθ.
 scarabæus galleruca, ἢ μηλολόνη.
 scarus, δ σκάρθ.
 scombrus piscis, δ σκόμβρθ.
 scordula piscis, ἢ σκωρδύλη.
 scordula, ἢ ἀσπίς.
 scorpis piscis, δ σκορπίθ.
 scorpis piscis fœmina, ἢ σκορπίς.
 scortum, δ σκώρθ.
 scortum pellicula, quæ testes continet, ἢ σκώρα.
 secunda, τὸ ὑστρον.
 secunda, quibus fœtus inuolutur, τὰ χόρια.
 sedimenta alui, τὰ ὑπόσηματα τ' κοιλίας.
 sellularia, ἢ ἐδραία.
 semen genitale, δ θορός, καὶ γονή, καὶ τὸ σπέρμα.
 seminaria vena, ἢ σπερματίτις.
 semitalus, δ ἡμισφάραλθ.
 sempasiones aues, οἱ αἰεσιώπεις.
 sensoria, τὰ αἰσθητήρια.
 sensuum sedes, τὰ αἰσθητήρια.
 serpia, ἢ σπία.
 serpium, τὸ σίπρον.
 septum transversum, siue cinctus, δ ἰσθμια.
 septum, præcinctus, τὸ ὑπόσθμα.
 serpens, δ ὄφης.
 serpens marina, δ ὄφης. θαλάσσιος.
 serum, δ ὄρρος.
 setauræ iuuenca, quædam in Epiro, quæ & pyrrhica, αἱ ἀποταῦροι.
 seuum, τὸ σῆμα.
 silpha insectum, ἢ σίλπη.

silurus, ἢ γλανίς.
 siluia auis, quæ rubecula alibi interpretatur, δ ἐριβακθ.
 simia porcaria, δ χοιροπίθηκθ.
 simia, δ πίθηκθ.
 simulare, τὸ δμοιομερές.
 sinciput caluaria, τὸ βρέγμα.
 siren insectum est quoddam, σείρημ.
 sitra auis, ἢ σίτρη.
 solida vngula, ἢ ὀπλή.
 folipes, τὸ μώνυχον.
 forices, οἱ ἀρραίοι μύες.
 spargus, ἢ σπάρθ.
 spatagus echinorum species, δ σπάταγθ.
 spina, ἢ ἀκανθα, ἢ ῥάχης.
 spinax mustellus, δ ἀκανθίας γαλιός.
 spinus siue ligurinus auis, ἢ ἀκανθίς, siue ἀκανθίλις, alibi argatilis, δ ἀργαθ.
 spongia, δ σπόγγθ.
 spuma piscis, δ σπύρθ.
 squama, ἢ λεπίς.
 squatina, ἢ σκίνα.
 squatraia, δ σκίναθ.
 squilla squillus, δ σκίλας.
 squilla parua, τὸ κάρδιον.
 stabilis, & sellularia, ἢ ἐδραία.
 stellatus piscis, ex mustellorum genere, stellaris alibi, δ ἀστέριας.
 stellaris auis cognomento piger, ex ardeolarum genere, δ ἀστέριας.
 stellaris accipiter, δ ἀστέριας ἰέραξ.
 stella aquatilis, δ ἀστέρθ.
 stellio, δ ἀσκαλαβώτης.
 stercus, ἢ κόπραθ.
 sterilitas, ἢ ἀτεκνία.
 sternutamentum, δ πταρμός.
 struma, τὸ κράσθ.
 struthio libyca, δ στροθός θύλιβύη.
 sturnus auis, δ στέρθ, καὶ ἢ κίχλη.
 subaquila aquilæ species, δ ὑπαίετος. habent tamē codices quos vidimus, non ὑπαίετος, sed γυπαίετος quasi vulturinam aquilam dicas.
 subare, κατωρίζου.
 subnatale, ἢ ὑπογαστρίτις.
 subuentaneum, τὸ ὑπονημίον.
 subuteo accipiter, δ ὑποστρόγχιος ἰέραξ.
 sues cicures, οἱ ἡμεροί ὄες.
 suffrago, poples, nodus, ἢ καμπή.
 summi armii, ἢ ἀκρωμία.
 supera, τὸ ὑπερον.
 supercilium, ἢ ὄφρυς.
 supinum, τὸ ὑπίον.
 sura, ἢ γαστροκνημία.
 sus, δ ὄς.

futura pars caluæ ferrata, ἢ ῥαφίς, καὶ ῥαφί.
 syderatio morbus, δ σφρακτισμός.
Tabanus, δ μύωψ.
 tactus, ἢ ἀφή.
 talpa, δ ἀσκάλαξ.
 talus, δ ἀσφάραλθ.
 tarda auis, ἢ ὠτίς.
 tempora, οἱ κρόταφοί.
 tendo neruus, δ τένων.
 teredinarium, vbi scilicet teredines fœtum ædunt, τὸ τενηρίον.
 teredo eruca, quæ aluearibus apud innaicitur, ἢ περιδωρ, καὶ τενηρίων.
 terrestre, τὸ χερσαίον.
 terra intestina, vnde anguillæ oriuntur, τὰ γῆς ἕντερα.
 testa quibus pro tegmine est, τὰ σφρακτόδερμα.
 testis, δ ὄρχης.
 testudo, ἢ χελώνη.
 testudo lutaria, ἢ ὠμός, alibi ἐμός.
 tetrax auis, ἢ τέτριξ.
 tetrigometra cicadæ marrix ex qua oritur, ἢ τε τριγόμετρα.
 thorax, δ θώραξ.
 thos, vel lupus ceruarius, δ θῶς.
 thunna, ἢ θυννός.
 thunnus, δ θυννθ.
 thunnarius, δ θυννοσκόπθ.
 thymum herba, τὸ θύμον.
 tibia, ἢ κνήμη.
 tillo piscis, δ τίλλωμ.
 tineæ, vel lumbricus, δ ἔλμυς.
 tineæ, δ σῆς.
 tinunculus, ἢ κερκίρις.
 titillatio, δ γαργαλισμός.
 titillor, γαργαλίσομαι.
 tofus, δ τῶφθ.
 tonsille, τὸ παρὰ δάκρυον.
 torpedo, ἢ νάρκη.
 totipennia, τὰ δλοπύρα.
 tractile, τὸ ἐλητικόν.
 triorchia accipitris genus à testiculorum numero, δ τριόρχη.
 trisio, vel ut alibi, tirisio, ἢ φώκαινα.
 trochilus, δ τροχίλθ.
 trochus, δ τρόχθ.
 tringa auis, δ τρύγας.
 tuber in cameli dorso, δ ὕβθ.
 turbo, iynx, torquilla, δ ἰνγξ.
 turbo cochlea, δ σφρέμβθ.
 turbinatus, δ τρομβώδης.
 turdus auis, & turdus piscis, ἢ κίχλη.
 turtur auis, ἢ τρυγών.
 tympanus auis, δ τύμπανθ.
 tyrannus auicula, δ τύραννθ.
Vacca, & bos, ἢ βῆς.
 vaginipennia, τὰ κελεόπτερα.
 varia auis, ἢ ποικιλίς.
 varices, αἱ ἰξίαι.
 varix, ἢ ὄξια.

Vbera, τὸ οὐθαρ οὐθατα.
 velia auis, ἢ ἐλέα.
 vena, ἢ φλέψ.
 venula, τὸ φλεβίον.
 veneres in talis, pars scilicet tali,
 τὰ κῶλα, etiam manus, & pedes
 κῶλα dicuntur.
 venter, alius, ἢ γαστήρ.
 vermiformis, ὁ σκωληκοειδής.
 vermipara, τὰ σκωληκοτόκα.
 vermis, ὁ σκώληξ.
 vertex, ἢ κορυφή.
 vertebra, ὁ σφοδύλλο.
 vertibula, calli, tubera, τὰ ὄλο
 θέρια καὶ τήθηα,
 verticilla, insecti species, ἢ σπον
 δύλη, alibi verticillus.
 verruca, neuus, papula, τὸ φύμα.
 vespa, ὁ σφήξ.
 vespetæ, & vesparia, τὰ σφηκία.
 vespræ, quæ operariæ sunt, δι
 ὄργαται.
 vesperilio, ἢ νυκτορίς.
 vesica, ἢ κύστις.
 vetula, ἢ γράυς.
 vinago, ἢ οἰνάς.
 vipera, ἢ ἕχιδνα καὶ ἕχιδνα.
 virago, ἢ ἀρρηγῶπος γυνή.

virgulæ, radioli oris nonnullorum
 piscium, τὰ βραβόλια.
 viri fœminares, δι' ἀνδρες θη
 λυκοί.
 virco auis, ὁ χλωρίων.
 viscum, τὸ ἰξός.
 viscus, τὸ σπλάγγιον.
 viscera, τὰ σπλάγγνα.
 visus supercilium interpretatur,
 ὁ ὄψις.
 vitellus, τὸ ὠχρόν ἢ ὠδ.
 vitellus, ὁ λέκυθος.
 vitiflora auis, ἢ οἰνάνθη.
 vitiligo, ἢ λούκη.
 vitta piscis, ἢ ταινία.
 vitulus marinus, ἢ φώκη.
 viuerra, mustella scilicet rustica,
 ἢ ἰκτίς.
 viuiparum, τὸ ζωτόκον.
 vlula, ὁ αἰγώλιος, αἰγωλιός.
 vmbilicus, ὁ ὀμφαλός.
 vmbra piscis, ἢ σκίανα.
 vncunguia, quibus vngues adun
 ci, τὰ γαμψώνυχια.
 vngula solida, ἢ ὀπλή.
 vngula, seu digitus, seu vnguis è
 testa intectis, ἢ ὀπλή.
 vnguis, ὁ ἔνυξ.

vnguiculi, τὰ ὀνύχια.
 voca piscis, ἢ βώκη.
 vola planta pedis, ὁ τάρσος.
 volatio, ἢ πῆσις.
 volax, τὸ πῆητικόν.
 volucra, τὸ πῆητόν.
 vrupa, ὁ ἔπρος.
 vrax auis ex tetrigum genere, ἢ
 οὐραξ.
 vinatrix auis, ἢ κολυμβόξ.
 vrinum otium, τὸ ἔρινον ὠόν.
 vrsa piscis, ἢ ἄρκτος.
 vrsa, ἢ ἄρκτος.
 vrtica marina, ἢ ἀκαλύφη.
 vsus, ἢ χῆσις.
 vterus, ἢ δελφίς. vnde. ἀδελφοί, vte
 rini fratres.
 vna, ἢ σαφυλή.
 vulpanfer auis, ἢ χηναλώπηξ.
 vulpecula, ἢ ἀλώπηξ.
 vulpes marina, ἢ ἀλώπηξ.
 vultur, ὁ αἰγυπιός, ὁ γύψ.
 vulua vterus, ἢ ὑτέρα.
 Xylophthorus vermis à cor
 rumpèdis lignis ita appel
 latus. Theodorus ligniperdi
 interpretari posse ait, ὁ ξυλο
 φθέρο.

SECT

SECTIONVM DVARVM
 DE QVADRAGINTA, ET PRO
 blematum octingentorum octua
 ginta septem Aristotelis,
 ELENCHVS.

1 Medicinam pertinent, cuius quæstiones, siue problemata.	59
2 Sudorem.	42
3 Vini potum, & vinolentiam.	34
4 Rem Veneream.	33
5 Laborem.	39
6 Sesionem, accubitum, & habitum corporis.	7
7 Consensum naturæ animantium.	5
8 Rigorem, atque horrorem.	15
9 Vibices, & cicatrices, & pelles pertinent.	19
10 Res naturales.	67
11 Vocis sonique rationem.	65
12 Res bene olidas.	13
13 Malè olidas,	12
14 Regionum habitus.	16
15 Res mathematicas, & ad cælestia.	12
16 Res inanimatas.	13
17 Res animatas.	3
18 Literarum studia.	10
19 Concentum.	51
20 Stirpium genus, & oleracea.	36
21 Farinam & massam, cæteraque id genus.	26
22 Fructus arborum.	14
23 Mare, balsamque omnem aquam.	41
24 Aquas calidas.	19
25 Aerem.	22
26 Ventos.	64
27 Metum, & fortitudinem.	11
28 Temperantiam, & intemperantiam, & conti nentiam, & incontinentiam.	8
29 Iustitiam.	16
30 Prudentiam, & mentem, & sapientiam.	13
31 Oculos.	30
32 Aures.	13
33 Nares.	18
34 Os, & ad ea, quæ in eo sunt.	12
35 Tactum.	10
36 Faciem.	9
37 Totum corpus.	6
38 Colorem.	10

Eorum quæ ad

Theodoro Gaza Interprete.

EORVM QVAE AD MEDICI-

nam pertinent, Sectio prima, cuius

questiones. LIX.



VR exuperantia nimis committendi morbi vim habeat? An quia vel excessum, vel defectum efficiat, qua qui de re morbi consistere certum est.

Cur morbi saepe curari possunt, vbi quis abunde excessit? Equidem nonnulli medici eam ar-

tem exercent, vt non nisi per excessum agant vel vini, vel aquae, vel saluginis, vel cibi, vel inediae. An quoniam causa, quae morbos committunt, aduersae inter se sunt? atque ita efficitur, vt genus alterum duci per excessum alterius in medium possit.

Cur temporum, statumque mutationes morbos intendant, tollantve, iudicent, vel committant? An quod aut frigida, aut calida, aut humida, aut sicca sunt, morbosque qualitatum huiusmodi excessus committit. Secunda etenim valetudo, mediocritas quaedam est. Quod si per humidam, frigidamve materiam morbus constitit, tempus accedens contrarium tollere illum poterit. Sed si minus contrarium subsecutum sit, qui similis status temporis subuenerit, intendet sane, atque interimet: quo etiam fit, vt qui bene valent, aegrotare tempore mutato incipiant: corporis enim proinde temperamentum solvatur necesse est: quippe quod non nisi temporum, aetatum, locorumque statu idoneo aptum sit augeri, seruarique. Quam ob rem cum tempora euariant, ratio tunc valetudinis habenda diligentius est. Idem autem illud pro causa particulatim etiam adest, quod in vniuersum propositum de temporibus: mutationes etenim statum, aetatum, atque locorum, pro temporis cuiusdam mutatione accipi debent. Quapropter haec etiam intendendi, vel tollendi, vel iudicandi, vel contrahendi morbum vim habent, quemadmodum tempora, & siderum ortus, Orionis, Arcturi, Vergiliarum, Caniculae, qui flatus, imbresque excitant, qui serenitates, frigora, te-

porisve solent adferre.

Cur vomitus, cum tempora immutantur, citari maximè debeat? An ne conturbatio redundet, cum varia excrementa materiae inutilis ex nutandi ratione proueniant: vnde fit, vt cibum alii parum concoquant, alii parum cupiant.

Quam ob rem qui vel cibo vitioso vescuntur, vel fame diutina laborant, pedibus intumescere solent? an vtrisque per tabem, consumptionemque illud accidat. Tabescunt enim & qui esuriunt, quia nullum penitus capiunt alimentum, & qui vitiose vescuntur, quia quod assumpserint, perfrui nequeunt.

Quam ob rem cum vitia bilis per aetatem contrahi debeant, morbi acuti, qui certè ex bili consistunt, per hyemem potius urgeant? An quia febribus illi comitati, acuti propterea sunt, quia violenti: violentia verò contra naturam est. Locis enim quibusdam in corpore humescentibus, feruens oritur inflammatio, quae cum non nisi caloris exuperantia sit, febres utique accendere potest. Aestiuo igitur tempore arida, calidaque vitia male homines habent, hyberno autem humida, calidaque: proinde acuta: celeriter namque interimunt, cum propter humoris supercrescentis abundantiam concoqui nequeant.

Cur morbus pestilens solus ex omnibus vitiis praecipue afficiat eos, qui ad laborantes eo morbo prope accesserint? An quod is solus omnium morborum communis omnibus hominibus est. Itaque pestem facile omnibus infert, qui scilicet deprauato iam habitu sunt. Fit enim, vt morbo cubantis veluti quodam fomite succedente, vitium illud protinus exultet, concipiaturque in aliis.

Cur si venti Septentrionales hyemem occupant, ver autem Austros, pluuiaque exhibuit, aetas proxima grauis tam febribus, quam lippitudinibus insequi soleat? An quod aetas corpora nostra multum humoris alieni continentia excipit, & terra madet, & habitandi locus perhumidus est, talisque redditur, qualis qui grauis perpetuo constat. Primum itaque lippitudines subeunt, cum excrementa humoris in capite deliquere inci-

incipiunt, dein febres. Ita enim intelligendum est, vt res eadem & calidissima, & frigidissima reddi possit, ceu aqua, vel lapis: feruet etenim illa, vrit hic vehementius. Fit igitur vt aer suae crassitudinis causa, calorem pleniorum suscipiens: exardescat, & corpora pari ratione, anxietate, aestuque vexentur: aestus verò in corpore, febris: in oculis lippitudo est. Denique mutatio quaeque calida corpus peruertit, cum scilicet calido adhuc madente, aetas protinus sicca, & calida occupauit: vitium etiam augetur, si pluuia aestate accessit. Ita enim vis Solis materiam late obtinet, quam feruescere tum in corporibus, tum in terra, tum etiam in aere faciat: qua de causa febres oriuntur, & lippitudines.

Cur si hyems Austrina, & pluuiosa fuit, ver autem siccum, & Aquilonium est, corpora tam vere, quam aestate morbi exercent? An quod hyemis tepor, & humor faciunt, vt corpora temporis eiusmodi proxima in qualitate reddantur. Humida enim, laxaque fiunt, & soluta, necesse est.

Quae cum ita se habeant, vere frigiditas, atque sicco, facile concrefcere possunt, & indurari. Itaque grauidae, quibus tunc adest partus, abortu periclitantur, videlicet incalescendi, crudescendique ratione. Quae res syderatio appellata est, quam sicca illa committit frigiditas, impatiens omnino excernendi humoris. Infantes verò, quos gerunt, imbecilles, laesosque immodicam ob frigiditatem, edunt. Accidit enim, vt qui tunc caelo sereno nascuntur, iidem pluuio benignè & constitent, & nutriti fuerint intra parentem: caeteris verò, cum pituita vitio suae nimietatis purgata non est, (quod fit, vbi tepidum se exhibuit) sed coacta à frigore constitit, cum tepor occupauit, aetatis vi colliquescit: si biliosi, sicci que sunt, quod eorum corpora minimè humidam, sed squallidam sortiuntur naturam, excitantur quidem humores, sed tenues: quam ob rem eos lippitudo arida male habet. Si verò pituita redundant, raucitates, distillationesque in pulmonem oriuntur: mulieres extorquent difficultates intestinorum, quia natura sunt humida, frigidaque: seniores stupor attonitos reddit, vbi vniuersus resolutus humor incubuit, exque imbecillitate caloris natiui concreuit.

Cur si aetas sicca, & Aquilonia fuit, autumnus ex aduerso humidus, atque Austrinus, hyeme, quae proxima est, dolor capitis, raucitas, tussisque oriuntur, atque in tabem demum euadunt? An quia hyems multum materiae excipit, itaque humorem cogere, atque pituitam inde conficere magnum ei negotium est. Ergo difficile est humorem densari, conficisque inde pituitam. Quod si in capite humor constitit, grauitatem committit: & si nimius, frigidusque est, crudorem utique mouet, cui syderatio nomen est: necnon si ob nimiam sui copiam concrefcere minus potuit, in locum defluit proximum, atque ita tussim, raucitatem, & tabem contrahit.

Cur si sicca aetas, siccusque autumnus Aquilones habuerint, mulieribus, & omnibus pituita

abundantibus secunda valetudo contingat? An quia natura vtrorunque in alteram exuberat partem, itaque tempus in partem trahendo contrariam ad medium habitum, bonumque perducit. Eo igitur ipso tempore optimè valent, nisi quid vltro ipsi perperam agant, aut humidi ad hyemem ita deueniant, vt fomitem quendam, & incitabulum frigori subministrant.

Cur si sicca aetas, & Aquilonia, & autumnus siccus iidem Aquilonibus perflatus morbo biliosos infestet? An quoniam ad idem, corpus eorum, ac temporis habitus vergunt: itaque veluti ignis igni adiicitur. Cum enim corpora exiccantur, quantumque in his dulcedinis erat, evaporatum sit, vehementerque incalescant, necesse est, vt dum humor consumitur, aridae lippitudines oriuntur, residuoque, quod biliosum remanserit, eodemque recalescente, febres acutae, utpote ex bili syncera, inuadant. Nonnullos infania rapit, quorum scilicet natura atra bile abundat: haec etenim largè superest, cum eius humores contrarii resciscant.

Cur mutationem aquarum, grauem, aeris vero non grauem esse affirmant? An quod aqua corporibus alimento est, quo iam habito, complexoque peregrinemur. Aer autem nullo se exhibet alimento. Aquarum item genera multa, & varia per se sunt, sed aeris minimè. Itaque hoc etiam causa esse potest: quippe cum peregre etiam profectis in caelo quidem prope eodem, in aquis autem variis versari eueniat: quapropter aquae mutationem grauem esse, rectè putandum est.

Cur ciborum mutatio minus, quam aquae, grauis occurrat? An quia plurimum aquae consumimus. Nam & in pane, & obsoniis, & in potu, aquae vsus plurimus est.

Sed cur cibi, & aquae mutatio grauis sit? An quod omnis mutatio etiam temporis, & aetatis motu facilis est. Extrema namque generis cuiuscunque moueri facile possunt, quomodo & principia, & fines. Ergo & cibi, qui inter se distant, corrumpere se inuicem queunt: quippe cum aut nuper, aut nondum adhaerit, qui praecesserat. Adhaec, vt varius cibus grauis est, turbulenta enim, nec aequalis concoctio eius agitur: sic in iis accidit, qui aquam mutant, scilicet vt variae potionis vtantur alimento, estque id alimenti genus, quam siccum, valentius, quoniam plurimum est, exque cibis ipsis non, nisi quantum dilutum est, vim habet nutriendi.

Cur mutationes aquarum faciunt, vt pediculi, in quibus haberi possint, multi habeantur? An quod humoris cruditas, quam perturbatio illa committit, quae ex aquae vario vsu in crebra commutatione redundat, humoris creare copiam potest, praesertim in loco humori opportuniore. Cerebrum autem natura humidum est: quare caput maximè perpetuo humet. Cuius rei indicium est, quod pili in hoc potissimum exeunt: huius autem loci vis, ad prognerandos pediculos apta est: patet hoc in puerili aetate. Caput enim puerorum madet abundè, & saepe aut graue-

dine conflictatur, aut sanguinis profusione. Quinetiam pediculos plures illa ætas habere solet.

17 Cur à Vergiliarum occasu ad Fauonii vsq; flatus hi potissimum pereant, qui morbo longo laborant, & senes, quàm iuuenes, potius? Vtrum summæ illæ intereundi causæ duæ adsint, frigus, atque excessus. Vita enim calore fouetur, feruaturque. Tempus autem istud ambo illa fortitur. Frigidum enim, & hyems tum acerrimè vrget, subsequens enim tempus ver est. An quòd qui vitii laborant diuturnis, non secus, ac senes, effecti sunt. Longus etenim morbus, quasi senectia iam adesse videtur. Ea nanque corpora sicca, & frigida sunt, altera scilicet ob ætatem, altera ob languorem: hyemem verò, & gelu, frigoris, atque siccitatis esse excessionem, certum est. Quare fit, cum vel paruo momento corpora pateant, hyemis rigor, quasi ignis igni, iniungatur, atque ita interimat.

18 Cur in plenis, impurisque corporibus vlcera capitis non magno negotio sanentur, tibiarum autem ægrè? An humor eorum, quia terrenus, grauis est: graue autem omne deorsum tendit: ergo superiora curari facilè possunt, quoniam seorsum humor decesserit: inferiora propterea nequeunt, quòd admodum excreuant, & putredini pateant.

19 Cur si post hyemem Aquiloniam, & ver Austrinum, ac pluuium, ætas sicca admodum fuit, perniciosus omnibus autumnus accedat, & pueris præsertim? Nam & cæteris difficultates intestinorum, febrèsque quartanæ longæ eo tempore solent euenire. An quòd, si aqua mediocris per æstatem incesit, quantum humoris collectum est per ver humidum, in nostris corporibus refrigeratum quiescit: sed si non ita contigit, pueri, qui suapte natura humidi, & calidi sunt, vehementer eo feruescunt affectu, quoniam refrigerati minimè fuerint. Et si per æstatem restiterint, autumnus certè, quorum humor vltra modum feruerit, corripientur. Excrementa verò, nisi confestim peremerint, orta videlicet circa pulmonem, atque arteriam: (suprà enim primùm consistunt, eò scilicet, quod aeris tepori nostra corpora pateant: hinc enim lippitudines quoque prægressis febribus in graui ætate sequi consueuerunt) ergo si non locis superioribus excrementa humorum exorsa (vt dictum est) protinus interemerint, descendunt cruda ad ventrem, atque ita difficultatem creabunt intestinorum. At si præ nimia sui copia humor excerni nequiverit, quartanæ iis orientur, qui euadere mortem potuerunt, etiam si illud intestinorum vitium omnino quieuerit. Quod enim crudi humoris subterfedit, stabile, firmumque vehementer modo atræ bilis adhæret.

20 Cur si ætas, & autumnus, imbres, austrósque habuerunt, hyems grauis cõsequi soleat? An quòd hyems corpora præhumida excipit, mutatio etiam ingens occurrit. Non enim paulatim, sed repente ex calore immodico ad frigoris acerbitem venitur, quando autumnus quoque tepidus extitit. Itaque qui denso corpore sunt, hos morbi extor-

queant acuti, necesse est: his enim humida excrementa suprà potiùs colliguntur, cum partes superiores humoribus huiuscemodi opportunas, inferiores inhabiles illi habeant. Ideoque qui tali textura corporis sunt, non multa excrementa sibi admittunt. Cum igitur, qui locis superioribus corporis humor excreuerit, infrigescere incipit, fit vt prædicta vitia oriantur, quemadmodum violentis propè accidit, argent. At quibus laxius corpus est, iis febribus oris euenit, vt quæ summà de cruditate febres constiterint, transeant in ardores, quoniam his magis totum corpus ab humoribus occupatur, quàm densa illis mole constantibus, exque vi frigoris coacto eorum corpore humores incalescentes febres accendunt: superans enim calor totius corporis, febris est, & si idem nimio intendatur humore, ardor effici potest.

Cur annus pestilens tunc inuadit, cum Sol multum vaporis de terra excitat? An tunc annus humidus, pluuiusque significetur, necesse est, terramque madescere necessarium. Fit igitur, quasi locis palustribus, grauibisque proinde inhabitatur, & corpora quoque multis tunc excrementis redundare necessarium est, ita vt ægrotandi materiam habeant in æstate.

Cur grauis tunc adeat annus, cum copia est pusillarum ranarum, quæ rubetarum faciem repræsentant? An res vnaquæque loco suæ naturæ idoneo abundare solita est. Itaque eiusmodi animantium genus cum naturâ humidum sit, humidum, pluuiumque annum ob eam ipsam causam indicat. Anni eiusmodi verò graues proculdubio sunt. Quibus enim corpora facta præhumida fuerint, multis idcirco excrementis premuntur, quæ causæ sunt, vt morbi proueniant.

Cur Austri sicci, & nihil humentes, febres creare soleant? An quia calorem, humorémque excitant alienum. Sunt enim suapte natura humidi, calidique: qua quidem re febris committitur, quippe quæ non nisi per excessum ambarum qualitatum illarum oriri solet. Cum igitur imbre Austri vacant, corpora nostra ita afficiantur, necesse est: at cum flatibus imber adest, nos aqua refrigerat. Austros tamen, quos mare miserit, prodesse stirpibus, certum est. Refrigerati nanque beneficio maris, deueniunt contra æruginem, quæ humore, caloréque alieno consistit.

Cur corpora humana se tardiora, debilioraque sentiant, cum Austri afflant? An quia multum ex paulo tunc redundat humoris, quem deliquescere tepor coegit, exque leui afflatu grauis humor citatur: adde quòd vires nostræ conditæ in articulis sunt, qui Austrinis laxari flatibus consueuerunt. Constat id ex eorum crepitu, quæ pridem conglutinata, tunc remittuntur, ac resoluuntur. Tenax etenim humor, qui articulis inditus est, vt concretus nos moueri non patitur, sic nimis humefactus intendi minimè finit.

Cur per æstatem magis aduersa valetudine laboretur, per hyemem verò magis qui laborant, emoriantur? An quia calor, qui per hyemem intus propter corporum densitatem coercetur, parum adiuuat,

adiuuat, nec labor operum, qui ampliùs per id tempus suscipitur, excrementa humorum potest concoquere, ideo validam esse mali originem necesse est: quod cum ita sit, perniciosum morbum vrgeret ratio est. Contrà, in æstate, quoniam corpus vniuersum rarum, refrigeratum, resolutum, atque laborum impatiens est, idcirco morbos plures quidem oriri necessarium videtur, videlicet ob lassitudinem, cruditatémque ciborum: noui etenim fructus tunc adsunt: non tamen ita validos esse naturæ ratio patitur, quam ob rem facultas hisce succurrendi datur faciliùs.

26 Cur post vtrumlibet solstitium, per centum dierum spatium mori maximè accidat? An quòd eatenus vtraque vehementia calor, & frigoris se dilatat, quæ morbos, pernitiémque afferre infirmis potest.

27 Cur ver, atque autumnus morbis infestent? An quia mutationes graues omnes occurrunt: sed autumnus vere grauior est, quia corpore calido refrigerante, quàm frigidum incalescente potiùs ægrotamus. Vt igitur vere frigidum recalescit, sic autumnus calidum refrigerat.

28 Cur per hyemem minùs quidem, quàm per æstatem, sed perniciosius ægrotetur? An quoniam in æstate morbi vel parua de causa existunt, quod in hyeme minimè accidit ita: sumus enim tunc & ad concoquendum, & ad bene valendum aptiores. Itaque ratione maiora perniciosioraque mala sunt, quæ maiori de causa prouenerint. Quod idem in athleticis, & omnino in iis, qui secunda valetudine esse solent, licet perspicere. Aut enim nullo morbo premuntur, aut pressi celeriter è vita decedunt, quippe qui nili magna cum causa ægrescere nequeant.

29 Cur per autumnum, ac hyemem febres ardentes potiùs oriantur, quæ tempora frigus præ se ferunt: per æstatem verò, cum æstus adsunt, rigores magis infestent? An quia in corpore hominis bilis calida, pituita frigida est. Itaque per æstatem quod frigidum est dissoluitur, diffusumque horrores, tremorésque excitat. Per hyemem autem quod calidum est, vi temporis pressum refrigerat. Febres tamen ardentes per hyemem, autumnumque potiùs conflictant, quoniam calor pulsus à frigore, introrsus se contrahit. Ardor enim non residet in summis, sed intrinsecus se expandit, atque ita efficitur, vt ratione febres ardentes hyberno tempore oriantur. Meliùs id in iis: intelligi potest, qui aqua frigida, quique calida se hyberno tempore lauerint: qui enim frigida se infuderint, ibi aliquandiu, dum diluerentur, frigerunt, reliquo toto die tuti à frigore sunt. At qui calida vsi fuerint, frigus diutius experiuntur. Caro enim spissescit, calorque introrsus se colligit eorum, qui se aqua diluerint frigida. Contrà autem iis euenit, qui calidam admiserunt, caro quippe rarefcit, calorque ad exterum vsque locum euocatur.

30 Quænam virtus sit cataplasmatum? An vt resol-

uat, vt moueat sudorem, vt euocet vaporem.

Quonam argumento constet, abscessum iam purulentum esse? An si aqua perfusus calida immutatur, purulentus est: sin minùs, nondum est.

Quænam vrenda, quæve sint incidenda? An quæ ore sunt amplo, nec breui coagmententur, hæc vrenda sunt, vt crusta illhic incumbat: sic enim nullum pus cicatrice inducta occultabitur.

Quænam virtus medicamenti suppprimentis sanguinem sit, quod enæmum appellant? An vt exiccet, & materiæ inutilis confluuium compefcet, sine crusta, aut carnis putredine. Ita enim efficitur, vt vulnus simul & inflammatione careat, & vnitati sit opportunum: quod enim materia non superfluit, inflammatione carebit. Quod siccum est, vnitati opportunus erit: quandiu namque præmadet, concorporefcere nequit. Quam ob rem quæ cruentis iniicienda censemus, acria magna ex parte sunt, quò acerbitate sua possint adstringere.

Quænam incidenda, quæve vrenda, quæ contra non ita curanda sint, sed medicamentis? An quæ in ala, aut in inguine abscesserunt, medicamentis curandum potiùs. Diducta enim partim laboriosa, partim periculosa redduntur. Vrendi sunt illi abscessus, qui lati, processuque multiplici eruperunt, quique venosis, non carnosus resident locis. Incidendi qui in acutum se colligunt, quique non parte solida extant.

Cur si quis ære incisus sit, faciliùs, quàm si ferro, sanescat? Vtrum quia æs læuius est, itaque minùs laceret, icctumque faciat. An è diuerso, quòd ferrum acie adactiorem recipiat sectionem, idcirco faciliorem, tolerabilioremque efficere debeat. At verò æs medicamenti vim obtinet, & principium quodcunque pars potissima rei est. Quòd igitur æs simul ac fuerit incisum, medicamento præsentissimo adest, facit vt vulnus celerius coeat.

Cur ambusta ex ære sanentur celeriter? An quoniam à laxioribus, minùsque corpulentis effecta sunt. Plus enim calor corpori inhæret solidiori.

Vtrum ptisana ordeacea leuior, & ad morbos accommodatior, quàm triticea sit? Hanc enim nonnulli anteponunt, argumentumque ex pistioribus capiunt, quòd multò coloratioribus sunt qui tritici, quàm qui ordeacei pisturam exercent. Addunt etiam quòd ordeum humidius est: quod autem humidius est, concoctionem desiderat plenior. Sed nihil prohibet, quò minùs vt concoctu quid difficilius ordeum habeat, sic ad leuitatem quid vtilius præstet: hoc enim non humidius tantum tritico est, sed frigidius etiam: qualis certè sorbitio, cibisque competit febrienti, vt parum alat, & satis refrigeret, quod ptisana ordeacea facere potest: quia enim humidior, vel corpulentior est, hinc alimenti parum, idque frigidiusculum præstat.

Cur dentium stuporem portulaca herba, aut sal tollere potest? An portulaca, quia lentum quendam

dam habet humorem, qui vel manducanti, aut manu aliquantisper confringenti patefcit: hæret enim, ac trahitur. Lentor igitur fubiens ille, à corpore educit acorem, quippe qui affinitate quadam coniungi valeat, argumento faporis, quem acidulum reddit. Sal verò macerat, liquefacitque, atque ita acorem quoque extrudit.

39 Sed cur lixiuum, nitrûmve hoc idem facere nequeat? An quòd hæc fuam ob acerbitatē adstringunt, non liquefaciunt.

40 Cur æftiuus lafitudinibus balneo, hybernis vntione mederi conueniat? An hybernis vntio datur propter horrores, mutationesque vrgentes: per calorem enim laxandum est, qui membra tepescere faciat: oleum verò calidum est. At in æstate humefaciendum cenfetur, quoniam tempus id ficcum est, nec metus interpellit horroris, eò quòd status temporis ad teporem ingenuè vergit: hinc etiam cibus parcus, potio liberalis per æstatem admittitur, ille magis, hæc omnino. Potio 20 namque per æstatem ob temporum ficcitatem indulgendum ex toto est: parsimonia verò cibi communis temporum omnium est, sed magis ætati conuenit, ne ob habitum temporis feruentem, corpus cibo immodico preffum exæstuet.

41 Cur ex medicamentis alia aluum foluant, vesicam autem minimè: alia vesicam foluant, cum aluum nihilo moueant? An quòd ea, quæ naturâ humida sunt, atque aqua referta, si medendi obtinent facultatem, vesicam foluunt: fubfident enim 30 in ea humores, qui putredine immunes euaserunt: quippe vesica pro eius humoris conceptaculo habetur, qui minimè in ventre concoquitur, qui non manet, nec priùs, quàm agat quicquam, aut patitur, excernitur. At quæ terrenam fortiuntur naturam, si vires habeant medicas, aluum hæc fundere queunt. In hac enim terrena quæque materia se prouoluit. Itaque turbat, si mouendi obtinet facultatem.

42 Cur alia ventrem mouent fuperiorem, alia inferiorem: vt veratrum fuperiorem, scammonia inferiorem: alia verò citant vtrunque, vt elaterium, & thapsiæ fuccus? An quòd ex medicamentis, quæ ventrem mouent, alia frigida, alia calida sunt: itaque alia propter suum calorem protinus vt in fuperiori ventre fuerunt, loca petunt fuperiora, ac inde liquefaciendo, maximè quæ aliena sunt, minusque infidentia, sed etiam quæ infunt naturæ 50 intima, medicamento fcilicet vehementiori epoto, aut copiofiori, quàm natura patitur, tam ea ipsa, quàm quæ excrefcencia adfuerint, in ventriculum deducunt: hinc verò feruore excrementa perturbant, flatumque excitant multum, qui obfiftens, vexansque, demum vomitum mouet.

Alia quòd naturâ frigida sunt, deorfum verfus pondere suo labuntur, etiam priùs, quàm quicquam vel afficiantur, vel agant, ac inde proficifcentia, idem arctitant quod fuperiora: vbi enim per adita foramina illhinc ascenderunt, atque materiam agitarunt, eodem tramite fecum, quæ corripuerint, excrementa, colliquamentaque dedu-

cunt: at genus medicamēti, quod qualitatis vtriusque particeps, mistumque ex calido, frigidòque est, hoc ob eam vtranque facultatem rem potest vtranque conficere. Hinc & medici mistis fibi generibus sæpe medicinas componunt.

Cur medicamenta purgare valeant, cum alia pleraque amariora, cæterisque eiusmodi qualitibus insigniora id facere nequeant? An quia non ob eiusmodi vires purgandi obtinent facultatem, sed quia concoqui nequeunt: etenim quæ ob excessum caliditatis, aut frigiditatis, quauis exiguo corpore incoctilia sint, aptaque vincere, non vinci ab animantium calore, resoluique eadem facile à ventre vtrolibet poffint, hæc medicamenta habentur. Vbi enim ventrem adierunt, resolutaque sunt, statim ad venas per easdem feruntur semitas, quibus permeat cibus: mox cum nihilo concoqui potuerunt, sed viftrice perfisterint potentia, relabuntur, & quæ fibi obfiftunt, secum detrahunt: quæ res purgatio vocatur. Aes verò, argentum, cæteraque generis eiusdem, etfi concoqui à calore animalium non poffunt, sed resolui à ventribus nequeunt. Oleum, mel, lac, cæterique eiusmodi cibi, purgandi quidem vim obtinent, sed quantitatis, non qualitatis ratione: vbi enim ob nimiam sui copiam concoqui minimè potuerunt, tum purgant, si quando id facere poffunt. Duabus enim illis de caufis aliquid concoqui nequeat, aut quia generis peruicacis est, aut quia modum excefferit. Quam ob rem nihil ex prædictis medicamentum est, quippe cum non ob aliquam sui facultatem purgare valeat. Acerbitas autem, acor, malusque odor medicamenta comitantur, eò quòd genus medicamentorum cibo contrarium est. Quòd enim concoctum à natura accessit, id corporibus adhærefcit, alimentumque appellatur: quod autem conuinci, domarique minimè poffit, sed venas ingressum per excessum caliditatis, frigiditatisve 40 suæ perturbet, hoc naturam sanè obtinet medicamenti.

Cur piper, si largè fumatur, vesicam foluet, si parçè, aluum: è contrario scammonia si largè fumatur, aluum foluet: si parçè, & quæ vetus est, vesicam? An quia singula magis à singulis mouentur: piper enim magis vrinam ciet, scammonia aluum. Itaque si piper sumptum copiofius est, ad vesicam defertur, nec se in aluum diffundit: sed si exiguum ceperis, retentum id aluum foluet, atque ita medicamentum eius exifitet. Scammonia verò, quæ data copiofius est, retinetur, vt resoluatur: resoluta iam medicamentum efficitur, ob caufam, quam fuperius propofuimus. At si exigua vnà cum epoto humore per inuisibiles meatus imbibitur, ac celerius antè, quàm perturbet, in vesicam defertur, quæ pro sua facultate recrementa, colliquamentaque residentia per summa abducit. Sed illa multa, vt dictum est, quòd diu ex virium soliditate permanserit, largè expurgat, sordèsque terrenas potiffimum detrahit.

Cur inflammationes easdem alii frige faciendo fanent,

fanent, alii calefaciendo concoquant? An quòd illis per refrigerationem, his per externum calorem, caloris sui copiam colligere placet.

46 Cur mutari cataplasmata debeant? An vt plenius sentiantur. Solita enim, vt ea, quæ ventriculo mandamus, non amplius medicamenta sunt, sed pro alimentis recipiuntur: sic etiam hæc fungi suo munere nequeunt.

47 Cur cibum imminuere, laborem augere falubre est? An quia caufam ægrotandi excrementorum habet nimietas, quæ tunc certè exultat, cum aut cibus fupereft, aut labor deest.

48 Cur medicamenta, & res amara, aut foedi odoris, magna ex parte purgare poffint? An quoniam amara quæcunque, malèque olentia concoqui nequeunt: quia de caufa medicamenta quoque amara sunt, atque foetida. Quòd enim concoctionem nullam fibi admittunt, mouerèque cum amaritudine poffunt, hinc medicamenti fortiuntur naturam. Et si iusto plus data sint, periment. Quæ autem necant, etiam si exigua dentur, hæc non medicamenta, fed toxica esse dicimus. Ne illa quidem medicamenta vocamus, quæ non suæ generis qualitate purgare queant. Sunt enim pleraque in genere cibi, quæ si largi fumantur, facere idem poterunt, ceu lac, oleum, mustum. Sed hæc omnia, quòd minùs facile concoquuntur, idcirco purgant: nec omnes, sed aliquos. Sunt enim aliis alia concoctu facilia, difficiliave. Quam ob rem non eadem medicamento omnibus sunt, sed propria plerisque comperiuntur. Denique medicamentum, non solùm concoctionis immune, sed etiam motus efficiens esse debet: ficut & exercitandi ratio extrinfecus, aut intrinfecus accedens, non nisi per motum alienam excernit materiam.

49 Cur odorata genera tam feminum, quàm plantarum, mouere vrinam poffint? An quia calida, concoctaque facilia sunt, quo in genere ea collocantur, quæ citant vrinam: horum enim vis infita calefaciendi, breui extenuatur. Odor quoque nullam corpulentiam gerit: nam & ea, quæ odorem pleniffimè reddunt, velut allia, caliditate sua mouent vrinam, sed potiùs vim obtinent tabefaciendi. Semina verò odorata calida esse, certum est.

50 Cur impuris, tetrisque vlceribus, ficcis, acribus, acerbisque medicamentis vtendum fit, puris verò, & fanefcentibus humida tantum imponantur? An quòd impuris detrahendum aliquid est, quo non nisi humor est alienus, qui adimi debet. Genus autem medicamenti, quod mordax, acre, acerbumque est, id efficere potest, & ficcum magis, quàm humidum. At quæ pura sunt, cicatricem tantum desiderant.

51 Cur morbis, qui contrahuntur à pituita, libido immodica proficit? An quòd semen genitale excrementi cuiusdam detractio est, ideo naturam præ se fert pituitæ. Quòd igitur multum pituitæ concubitus detrahit, iuuare idcirco potest.

52 Vtrum ergo inter initia mali, cibum afferre melius fit, an pofit? An inter initia, ne iam

penitus debilitato febris occurrer. Igitur vel extenuandum protinus est, vel ita alendum. Sorbitionibus primùm recreandum: hæc nanque mitiores, leniores, colliquabilioresque sunt, & alimentum hinc capere infirmum corpus expeditius potest. Nihil enim cibus in ventriculo resolui, perferuerèque antè oportet: quod non nisi labore cubantis fieri potest.

Cur intuum vrinam, an concocta fit, necne, profluio intercepto mingendi potiùs, quàm perpetuo? An quòd signum concoctionis vrina exhibet rufa, quod quidem melius intercepto profluio deprehenditur. Genus enim quodque humoris suum colorem plenius ostendit, cum exiguum est, quàm cum multum: nam in multo figuræ, in exiguo colores confpectiores sensui obuiant: quod etiam in rore, sanguine, lacrymæque palpebris adhærente patefcet. Vrina igitur si continuè dimittatur, copiofior redundabit: sin intercipiatur, index sui coloris certior erit. Quòd si iam ex concoctione colorem traxit eiusmodi, talis profectò apparere etiam amplius potest, cum lumen se refringat, & tanquam speculum fiat, propter intermiffionem profluuii.

Quam ob caufam corpus, cui fecundam conciliamus valetudinem, non densum, sed rarum reddendum fit? An vt vrbs, locusque quicunque falubris est, qui placidè aspiratur: quapropter & mare quoque falubre est: ita etiam corpus, quod spiratius est, fanitati opportunius constat. Aut enim nullum recrementum exifitet, aut, quod extiterit, quàm primùm excernatur, danda opera est, corpusque est semper ita regendum, vt simul atque excrementum admifit, habeat qua parte illud excernat, fitque motui deditum, non quieti. Quòd enim manet, putrefcit modo aquæ immota, putrefcens verò morbum committit: at quòd excernitur, antè, quàm vitietur, decedit.

Hoc igitur vt corpore denfo nunquam contingit, (fit enim propè vt inuisibilia foramina claudantur) sic raro, solutòque accedat necesse est. Quam ob rem in Sole, nudo corpore minimè ambulandum est: spiffatur etenim caro, & concalefcit, corpusque parte interiore humidius redditur: quantum enim humoris refidet, aboletur: quantum intestinum est, manet intactum. Qua ratione quoque carnes affæ lixis humidiores sunt. Nec pectore quidè nudo ambulandum est: ita enim vis Solis corporis optimæ parti conditæ adimet, quæ nulla egeat demptione, sed inferna potiùs eam desiderant. Inde igitur vt è remoto non nisi cum la bore sudor educitur, hinc facile ob loci opportunitatem digeri potest.

Quam ob caufam perionibus, & ambustis frigore tam aqua frigida, quàm calida proficit? An quoniam genus id vitii ex nimio humore confifit: frigida igitur humorem restringit, atque exasperat, calida in spiritum vertit, carnemque elaxans, libertatem efflandi præbet spiritui.

Cur frigus perionibus, calor ambusta & facit, & tollit? An quòd eadem vis colliquefaciendo facit,

cit, exiccando tollit.

57 Cur potio febricitantibus sæpe, & paulatim subministranda sit? An quod potio multa præceps defertur, exigua lentè incedens irrorat, madefacit, seseque insinuat corpori. Sicut enim in humo, si qua largè accesserit, perfluet, si paulatim verò, madefaciet tantum: ita etiam in febribus agit. Nam & aquas fluentes si quis paulatim deducit, alueus humorem totum ebibit: sed si tantundem aquæ vniuersum dimiserit, scaturigo velox vsque eò profluet, quò deducere libitum est. Tum æger quiescere, immotusque, quoad maximè fieri potest, iacere debet: immotus, inquam, quòd ignem quoque emarcescere certum est, vbi à nullo mouetur. Nec aduersus flatui cubet, quoniam flatus excitat ignem, sollicitusque per auram ignis ex paruo magnus affurgit. Obuelandus æger, operiendusque propterea est, quia si nullum igni concedatur spiraculum, extinguetur: nec veste quidem exui debet, donec insudare occæperit. Vt enim subiectum hunc ignem visui, sic & delitescentem illum naturæ humor extinguit. Adde in genere februm intermittentium balneum, & fomenta pedibus admouenda, & vestem plenior superponendam, & quietem agendam, quibus præparetur, vt corpus perquam calidum sit ante accessionem. Vbi enim multum superest ignis, lucerna nequit ardere: exiguum quippe ignem, multus ille ad se trahit. Ita fit vt multum ignis in corpore præparandum sit: febris enim exiguum continet ignem, multusque proinde ad se ducet exiguum.

58 Quartanis febribus ratio victus extenuanda non est, sed ignem corpori interferendum, nec non exercitatione vtendum: & qua die accessio instat, lauandum, somnumque minimè quærendum. Hic victus calefaciens prodest, quia febris quartana imbecilla est: nam nisi imbecilla esset, quartana non fieret. Vidésne lucernam, vbi multus ignis perfluat, suam asseruare flammulam minimè posse? Multus enim ille, exiguum ad se rapit: ergo multum ignis accedendum in corpore est, vt quod exiguum febris continet, restinguatur. Sic igitur victus quotidiani ratio, quæ partim ignem, partim rorem indat in corpus.

59 Morborum alii ab igne, alii à rore creantur. Curat morbos ignis, ros: toris, ignis, hic enim exiccatur rorem.

Eorum, quæ ad sudorem pertinent, sectio secunda, cuius quaestiones XLII.



Vr neque inuento, neque contento spiritu, sed potius relaxato, sudor proueniat? An quoniam retentus spiritus venas implet, itaque humorem exire non patitur, vt in aqua fit vas, quod in mare demissum, dulcem intra se colligit humorem, clepsydraque ob id nominatum est: nequit enim effluere, cum quis pleno iam vase partem alteram obturauit: sed vbi per spiritus libertatem sudo-

rem promere licuit, multus certè erumpit, quoniam eo ipso retentus, copia humoris paulatim collecta est.

Cur membra aquæ immersa calidæ non sudent, etiam si ex se ipsa recalescant? An quod aqua liquefcere non sinit, sudor autem res vitiosæ adiuncta corpori est, vt qui per calorem excerni debeat.

Cur sudor saluus sit? An quia motu efficitur, & calore secernente quantum alienum per adhaerentiam, intimationemque inest in alimento ad sanguinem, carnesque: id enim ocyssimè segregatur, quoniam nec aptum nutritioni est, & foras demum euanescit. Saluus verò propter id est, quod pars quidem dulcissima, leuissimæque tota ad corpus nutriendum assumpta est. Pars autem alienissima, crudissimæque tantum absoluitur, quæ partim deorsum collapsa, & subsidens vrina vocatur, partim in corporis summa emergens, sudor est: ambo tamen salua ob eandem causam prodeunt.

Cur magis parte superiore corporis, quàm inferiore sudemus? Vtrum quoniam calor sursum tendit, superque manet, propterea humorem secum trahere potest. An quoniam sudorem spiritus moueat, qui sedem habet superiorem: an quia sudor non nisi humor est incoctus: quo certè humore pars humet superior, habitus etenim corporis supra potius innotescit.

Quam ob causam cum manus exercitamus, sudor maximè oriatur, modò cætera corporis partes positum suum seruent? An quoniam robur huic præcipuè loco inditus est, hoc enim spiritum continemus, qui parti robustissimæ proximus est: dum verò laboramus, vires augemus, his auctis, magis spiritum continemus. Tum etiam cum hac perfricamur parte, magis, quàm cum alia, laboramus. Spiritu nanque retento simul & perfricamus, & perfricamur, dum ita exercemur.

Cur sudor capitis aut nullum reddat malum odorem, aut minùs, quàm reliqui corporis? An quia locus capitis opportunus spirationibus est: & quidem laxum se ipse demonstrat, argumento exoriendi capilli. Loca autem, & quæ in locis tenentur, grauiter olent, si spirandi careant libertate.

Quam ob causam, qui se lucta exercent, si interposita aliquantisper quiete luctentur, magis sudabunt, quàm si cõtinuè? An quoniam humor data requie sese colligit, quem deinde luctandi exercitatio educit. Continua verò illa, modò Solis, corpora assiccare potest.

Cur magis sudamus, cum non longo interposito tempore sudor euocatur? An quia non humor tantum causa est vt sudemus, sed foraminum quoque abditorum apertio, & corporis raritas, atque solutio. His igitur, qui diu sudandi intermiserint vsu, foraminum iter clauditur: at iis, qui crebrò vtuntur, patefactum semper habetur.

Quare Sol nuda magis, quàm induta, calefaciat corpora, induta magis sudare soleant? Vtrum quia

quia Sol corporis, deurendo, foramina comprimatur: an quia vapores exiccet, quæ minùs possunt accedere indutis.

10 Cur facies maximè sudet? An quia quæ laxa, humida, solutaque maximè sunt, hæc sudori se peruia exhibent. Caput autem fons esse humoris videtur: & quidem pilorum lasciuia sedem hanc propter humoris copiam possidet, locusque idem rarus, gracilentusque est. Igitur secundum naturam transitus agitur sudoris.

11 Cur igne neque vniuerso, neque per diminutionem oblato, sed per incrementa continua magis sudamus? Qui enim in caldariis ita se calefaciunt, magis sudant, quàm si protinus tantundem ignis admiserint. An eò, quod se modicè habeat, agat vnumquodque: ergo si tantum agit, plus si fuerit, non aget. An potius è diuerso, quoniam scilicet eò rem quodque efficiat, quod se modicè habeat. Hac igitur de causa nihilò plus sudamus, vbi plus additum sit. Sed quoniam modi singuli singulis respondent, quòdque iam egerit, non amplius agit: hinc fit, vt modo aucto magis sudemus. Neque enim quod præcedit ad singula, & præparat, vt res subdita apta sit, idem potest etiam opus efficere, sed aliud hoc fungatur officio necesse est. Parum itaque potius, quàm multum caloris, præcessit, præparauitque corpus ad sudandum, sed ad afficiendum, alio certè, ampliorique modo opus est: hoc enim effici ab eo non potest, quod prius agebat, sed aliud post desideretur, quod modum obtineat conuenientem.

12 Cur detergenti magis profluit sudor, quàm residere sinenti? Vtrum quoniam refrigerari extrinsecus cõtingat, an quod sudor exterior, velut operculum foraminibus adhæreat corporis, ita ne interior se promere possit.

13 Qua de causa ruta, & nonnulla pigmenta sudores foetidos moueant? An quia quorum odor grauitatem præ se fert, hæc humoribus sordidis admixta foedum mouere odorem possunt.

14 Cur tergo magis, quàm priore parte, sudamus? An quod in parte priore locus sanè intus habetur, in quem humor deducitur, quod in posteriore non est, sed foras ibi excernatur necesse est. Hoc idem etiam facit, vt ventre minùs, quàm pectore, sudemus. Adde quod sudorem terga magis seruare possunt, & posterior pars magis, quàm prior, quoniam prior magis, quàm posterior, refrigeratur. Quod etiam causæ est, vt alæ citissimè, atque maximè valeant resudare, videlicet quia minimè refrigerantur. Adhæc, posterior carnulentior pars est, quàm prior, & proinde humidior. Causam verò cur humidior sit, medulla habet, quæ per spinam tendens, multum humiditatis afferre possit.

15 Cur ea parte, qua iacemus, sudare non possumus? An quoniam pars, qua tangimus, cum plus, quàm modicum sit, incalescens prohibet, ne permeet sudor: resiccatur enim atque absimit. Item comprimere eam partem sic euenit: hæc verò sanguinem compressa diffundit, quo diffuso satis refrigeratur. Argumento sanè torpor est, quippe qui non nisi frigoris iniuria fiat, atque effici vel afflictu, vel

ictu soleat.

16 Quare qui dormiunt, magis sudant? An circumobstendi ratione euenit. Calor enim parte interna collectus, potest expellere humorem.

17 Cur facie maximè sudemus, cum in ea minimum carnis sit? An quod expeditius illa sudare possunt, quæ humida, laxa que sunt. Caput autem tale est: continet enim suam plurimam humiditatem. Quod vtique venarum ratione patefcit, quæ hinc pertendunt. Distillationes quoque ex capite oriuntur, & cerebrum humidum est, & foramina permulta in capite habentur, quæ tam multa esse, ac foras vsque pertendere, capillorum indicio constat: igitur sudor non à partibus imis, sed de capite oritur. Vnde etiam fit, vt primùm, & maximè, fronte sudemus: primò enim frons subdita est.

18 Qua de causa, qui sudant, si vel aqua, vel flatu refrigerant, nauseant? Vtrum quoniam humor, qui ex fluxu continuo minimè quiescere possit, hic refrigerens, in parte priore vniuersus constitit? An quod spiritus, qui foras versus proueniens, in sudorem ob frigoris occursum conuertitur, hic intus antè frigescentem, quàm exeat, transeat in humorem, atque in eam partem incumbens nauseam moueat?

19 Cur in capite, pedibusque incalescentibus sudores maximè excitantur? An quoniam humorem ad se membra incalescentia trahunt, humor autem partem, qua absumatur, nullam habet, cum ea loca ossibus scateant: itaque vt excidat foras, necesse est.

20 Quare qui laborant, vbi à labore destiterint, sudare incipiunt? Nam si labor causa est, cum laborant, sudare debent. Vtrum quod inter laborandum venæ spiritu inflatae comprimi foramina cogant, data verò quiete laxa consideant, itaque per ampliora iam facta foramina, expeditius humor peruadat? An quoniam, cum laboratur, spiritum ex cohærente humore motus secernit, & calore, qui à motu excitatur, humor in spiritum per summa corporis extenuatur? Cum verò à labore cessatum est, simul & calor desinit, & ex spiritu spissescens humor, qui sudor appellatur, consistit.

21 Vtrum per æstatem potius, an per hyemem sudor mouendus sit? An tunc opportunè sudatur, cum humidiora corpora sunt, neglectaque difficiliora redduntur? Igitur per hyemem potius conuenit. An magna per id tempus mutatio sit, nec excrementa concoqui possint, cum cælum contra naturam frigeat? Igitur per æstatem potius mouendum, quippe cum humores per æstatem potius omnes putrescere soleant: quapropter exhauriendum tunc est, vt etiam veteres omnes auctores hac eadem de causa censent.

22 Quare cum corpus assiduè fluat, effluxusque ipse de excrementis proueniat, corpus leuari non possit, nisi sudauerit? An quia minùs excernitur, quàm satis sit? Cum enim ex humore mutatur in aerem, plus de minori existat, necesse est. Humor enim quicumque, copiosius, cum se discernit, redundat, diutiusque ob eam rem profectò excernitur. Lenta item, glutinosaque excrementa, vt cum humore propter

propter mitionem excerni possunt, ita cum spiritu nequeunt: quæ quidem res maximè officere potest. Hinc etiam vomitus magis, quàm sudores, corpora leuant, quoniam ea ipsa excrementa educunt, vt qui crassiores, corpulentiorésq; sint, vtque eum carni quidem procul is locus sit, qui lentam illam, glutinosamque materiam continet: itaq; non sine magno negotio dimouendi datur facultas. Venti autem è vicino est: aut enim in eo consistit, aut propè. Quo fit, vt difficilè queant aliter educi.

23 Cur minùs inter laborandum sudamus, quàm eum relaxati labore quiescimus? An quoniam eum facimus, laboramus, eum fecimus, laborauimus? Igitur plus tunc ratione excernitur. Alterum enim fieri est, alterum esse. An quia eum laboramus, carnis foramina retento spiritu obserantur? Cum autem relaxauimus, aperiuntur? Quo fit etiam, vt spiritu retento minùs sudare possimus.

24 Quam ob rem non in currendo, agitandòque corpus, sed postea, quàm cessatum est, plus sudoris euadat? An riuus quemadmodum manu, vel aliquò fluens, vndique aqua obstrusa se colligit, relaxatq; demum copiosior profluit, quàm antè: sic etiam inhiberi eadem à spiritu potest, vt in vase, cui nomen clepsydra, atque etiam in vesica. Coercetur enim, detineturque intus humor à spiritu. Pari igitur ratione, eum corpora motu vehementiori citantur, spiritus intus circumuenitur, coerceturque: itaque venæ etiam distenduntur, ac intumescunt, eum humor se educere nequeat. Quòd eum vniuersus coerceatur, spiritu post relaxato, vniuersus erumpat, necesse est.

25 Cur si quis eum biberit, cibum sumat, minùs sudet? An quoniam cibus ingestus, humorem attrahit, quasi spongia. Est enim non parum, rei impetum retorisse, quod vel fluentorum constat argumento: ita enim cibo quoque ingesto, meatus apprehendisse plurimum valet.

26 Cur trepidantes pedibus sudamus, non facie? Rationabilius enim tunc pedibus quoque sudetur, eum corpore toto sudamus: locus hic enim frigidissimus est: quam ob rem pedes minimè solent sudare. Et quidem medici in aduersis valetudinibus pedes potissimum operiendos præcipiunt, quoniam frigus hi quàm facillimè sentiunt: itaque rigoris initium reliquo etiam corpori expeditè committunt. An quòd trepidatio non caloris de summis locis ad ima transitio est, vt accidit in metu, ex quo alui etiam metuentium sæpe funduntur, sed eius incrementum potiùs caloris accedit, vt in ira: quippe eum ira feruor cordi suffusi sanguinis sit, & trepidans ipse non metu, refrigerationeque sit ita affectus, sed membri ipsius affectione.

27 Cur iidem facie non sudant, sed erubescunt? An quoniam amplius incalescunt, itaque faciem calor assiccet errans per summa. Pedum tamen humorem propterea liquefacit, quòd vt minor est, quàm vt exiccet, sic maior insito, præconditòque calore naturali est, vt sudorem ciere possit.

28 Cur dormientes, quàm vigilantes, sudare magis solemus? An quòd sudoris origo intrinsecus est, interna autem calidiora habemus: ergo calor intimus humorem diffundens intimum, educit.

An humoris aliquid semper à corpore effluit, sed latet, quia nihil solidum est, cui humor occurrens se colligat. Argumentum cur ita sit, quòd partes cauiore amsidue sudant.

Cur in caldariis tum magis sudamus, eum tempus frigidum est? An quoniam calor propter frigoris obsistentiam foras euadere non potest, arceatur enim: verum intus se peruoluens ac insidens, humorem soluit interiorem, sudoremque ex eo producit.

Cur sudor vtilior est, qui corpore nudo currenti prodierit, etiam si minor sit, quàm qui sub veste se prompserit? An quòd laborasse, quàm non laborasse, meliùs esse perpetuum est: & sudor verò, quem labor præstiterit, eo melior est, qui sine labore prouenisset: & qui maiori eum labore melior, quàm qui eum minori. Maiori autem eum labore is est, qui nudo corpore currenti prodierit. Nam nisi admodum cursum inienderit, sudare non poterit, qui nudus est. Vestitus contra, celeriter sudat, etiam si parum se concitarit, propter vestis teporem. Et verò coloratiores redduntur, qui nudi cursum æstiuo tempore agitant, quàm qui eum veste: quia vt omnes, qui loca libera, aspiratoriaque incolunt, meliùs colorantur, quàm qui impedita, & silentia tenent: sic etiam se ipso quisque coloratiores est, eum veluti spiritui afflanti placidè patet, quàm eum perfrictus, obductusque à calore nimio angitur. Quòd certè iis accidit magis, qui vestiti percurrunt. Hinc etiam fit, vt qui nimis dormiunt, minùs colore hilarentur, quàm qui se modicè somno recreant. Nam dormiens quoque ipse adstringitur, & propèmodum strangulatur.

Cur pedes in trepidatione sudant, & non facies, eum in muneribus vitæ omnibus, vt facie maximè, sic pedibus minimè sudemus? An quia trepidatio metus quidam super re inchoanda est, metus autè refrigeratio partis superioris est. Quam ob rem facie quoque pallent, qui trepidant: pedibus item sollicitantur, & palpitant: sic enim trepidantes homines faciunt, seseque quodam modo exercent: quapropter ea ratione, parte sudare solent, qua laborant. Manus etiam assolent perfricare, & se modò inflectunt, modò extendunt, etiam sæpe exiliunt: neque etiam vnquam quiescunt, sunt enim excitati, propensique ad negotium, quoniam calor eorum se collegerit in pectoris loco, qui corpulentior est. Quam ob rem vndique eum eo ipso calore, tum sanguine turgescente efficitur, vt motu vario, cerebroque agitentur. Sed pedibus maximè insudant, quoniam pedes perpetuo tenentur labore, eum cæteræ corporis partes quietem aliquam consequi per situs mutationem, motionisque possint.

Cur in caldariis, igne neque vniuerso, neque decrescente assidue, sed per incrementa continua oblato, magis sudatur? Plus enim ita educitur sudoris, quàm si principio statim ignis tantundem affuerit. An quòd principio multum ignis adhibitur, carnem, eumque summam sicciorem occupans vrit, atque in modum testæ indurat: quæ eum talis reddita sit, sudorem arceat, obtruditque. Parum autem contra carnem relaxans rarefacit,

sensimque intestinum humorem excitat, vt secerni, educique possit. Carne autem rara plus ignis adhibitur, & corporis ima facillè subies, humores iam inde præmollitos in vaporem conuertit, partesque eorum prætenues secernes educit eum spiritu.

33 Vtrum per æstatem potiùs, an per hyemem sudor mouendus sit? An hyeme calor intus se contrahens concoquit, extenuatque in spiritum humores interiores: quòd eum omnes, aut certe maxima pars, consumantur, nullam sui excretionem admonent faciendam. At in æstate, eum per raram, solutamque carnem calor euadat, humores minùs concoqui possunt intestini. Qua de causa exhauriendum omnino est: quoniam si permãserint, temporis eius qualitate putrescent, morbósque contrahent. Putrescit enim quòdque externo calore: nam vt suo quòdque calore concoquitur, sic externo putrescit. Igitur per æstatem externus præualeat calor: ex quo fit, vt quæuis in æstate putredinem sentiant. Per hyemem verò, quia calor suus ille, ac domesticus dominatur, hinc tempus hoc minimè creare putredinem potest.

34 Quam ob causam eum sudor calore, vel interno, vel externo fieri soleat, euenit vt horror nonnullis sudoribus possit excitari? An quoniam sudor, qui ex calore prodit interno, se scilicet de loco amplo in breuem (corporis dico ambitum) contrahente, primùm caloris meatus, & circuitus patefacit: deinde horror carne iam madefacta ex toto, caloréque exeunte citatur. Calor autem, qui extrinsecus mouet, primùm summa corporis aperit, rarefacitque: tum calor naturæ internus profluens excitare horrorem potest.

35 Cur calidi sudores frigidis meliores habentur? An quòd omnis sudor excrementi cuiusdam secretio est. Parum autem excrementi amplius incalescere consentaneum est: plus autem non æquè, sed minùs. Itaque sudor frigidus excrementi multi indicium esse potest: quocirca morbos quoque is facit longiores.

36 Cur minùs ad ignem multum sudamus, eum tamen præ calore sudor omnis moueri soleat? An quoniam humor, aut corpore vehementer calente in spiritum dissoluitur humidum, aut eum prouenerit, adeò citò calore nimio exiccatur, vt sensus sudoris multi eripi possit.

37 Cur ad Solem acrius calefaciètem corpora, quæ nullo indumento teguntur, nihil penè sudant: quæ autem satis veste tecta sunt, copiosissimè sudant? Eandem de hoc etiam, quam de superiori, causam reddendam censemus.

38 Quam ob causam, eum motus acuti magis, hebetes minùs calefacere posse videantur, ingressus tamen per accliuia, qui hebetiores sunt, magis mouent sudorem, proficiuntque spiritum, quasi amplius calefaciant, quàm decliues? An quòd graui cuique, vt ferri deorsum secundum naturam est, sic ferri sursum contra Naturam est. Itaque caloris natura, quæ nostra prouehit corpora, vt nihil per decliue laborat, sic per accliuie pressa onere nititur, acriusque ob eiusmodi

motum incalescit, & sudorem mouet, & spiritum proficit. Quinetiam corporis varius inflexus nonnihil asferre causa potest, vt directa spirandi reciprocatio auferatur.

Qua de causa eum sudor moueri soleat, quòd magis quis se operuerit, non ii sudant, qui vestè plurimam admiserunt? Eadem etiam de hoc ratio, quæ priùs, reddenda est.

Quam ob causam eum corpora sicciora magis per æstatem, quàm hyberno tempore, sint, sudori magis in æstate pateamus? An quòd per æstatem propter corporum laxitatem non multus naturæ calor continetur, humorésque pròinde resolui in spiritum potest. Per hyemem autem parte exteriori densata corporum, calor frequens naturæ coercitus, humorem minimè in spiritum resolui patitur. Adhæc, æstate humoris multum haurimus, hyeme autem è contrario agitur.

Cur sudores, qui corpori bene valenti sponte prouenerint, iis deteriores habentur, quos labores citarint? An quòd labores excrecentem humorem exhaurientes, carnem efficiunt sicciorem, vt cauernæ foraminum sanitati sint opportuna, & per caloris transmissionem fieri nulla possit obseptio, siue oppilatio. Sudores autem spontini appellati, qui ex necessitate oriuntur, eum scilicet foraminibus naturæ ab immodico humore confusis, calor non omnino occupatur, ac vincitur, sed repugnare adhuc, extruderéque humorem potest: hi rectè pro signis morbi habentur futuri. Nam etiam calor ipse à largiori humore, quàm qui modicus secundum naturam sit, hebetatur: & caro plenè madescens, pessimum ad secundam valetudinem concipit habitum.

Cur tempore hyberno minùs oriuntur sudores, nec nos per id tempus sudandum æquè censemus, quannus corpora humidiora tum consentent? An minùs sudamus quoniam humores per hyemem concreti, coactique sunt vehementer: quare minùs dissolui tum queunt. Sudandum autem minimè per hyemem censemus, quia corporis eiusmodi dispositio salubris est. Qui autem mouet sudorem, labefactat confunditque habitum corporis, atque etiam laxiorem, quàm conueniat, eundem habitum reddens, simul & intimum calorem educit, diminuitque, vt non æquè gelido calo possit resistere: & humor externus expeditius se corporibus inserit, eum laxiora iam foramina propter sudationem habeantur.

Eorum, quæ ad vini potum, & vinolentiam pertinent, Sectio tertia, cuius quaestiones XXXVIII.

Quam ob causam vinum, eum calidum sit, vinolenti non calent, sed frigent, & dolore laterum, cæterisque huiusmodi vitiis excipiuntur? An quòd multum humoris, eum refrigeratum est, multum frigoris concipit, ita vt calorem superet naturalem. Fit enim simile intrinsecus carni, vt

si vestis nimio madefacta humore, rigorem proinde acris frigoris admittat.

2. Qua de causa, non qui vehementer, sed qui leuiter se ebriauerunt, delirant? An quod neque tam parum biberunt, vt similes sobriis sint: neque adeo multum, vt soluantur, & langueant, quomodo efficiuntur, qui multum hauserunt. Adde, quod sobrii ratione iudicant penitus, temulenti ne tentant quidem aliquid iudicare. Leuiter ebriati iudicant, quoniam quidem vino non penitus detinentur: sed prauè id faciunt, quia sobrii non sunt. Quo fit, vt mox & contemnant alios, & contemni ab aliis se ipsi existiment.

3. Cur magis crapulam sentiunt, qui dilutiusculum bibunt, quam qui merum ex toto? Vtrum suæ tenuitatis causa vinum temperatum, expeditius loca plura, angustioraque subeat, intemperatum autem minus facere id possit: itaque difficilius educi potest, quod dilutum est. An quod merum minus bibitur, vtpote quod multum bibi non possit, magisque vomitu reiicitur. Adhæc, merum, vt cætera concoquit, quia calidius est, ita etiam se ipsum consumit: diluto autem illo è contrario agitur.

4. Cur & semen genitale ebriosorum magna ex parte infœcundum? An quod habitus corporis eorum præhumidus est: semen autem nõ quod humidum, sed quod constat, crassumque est, hoc vim obtinet procreandi.

5. Cur ebriosis tremunt, & eò magis, quò liberalius merum hauserint? Absurdum enim id esse videri potest, quando quidem vinum calefacienti vim habeat, & tremor ex frigore præcipuè soleat prouenire: itaque qui rigent, maximè tremunt. Sed tamen multi cum mero tantum cibi gratia vterentur, tremores vehementes adeo exceperunt, vt homines prementes reiicerent, & aqua perfusi calida, nihil sentirent. An quod tremor tum oritur, cum corpus admodum friget: scilicet aut calore intus circumstante ob externi frigoris violentiam, vt hyberno tempore fit: aut naturali calore extincto, quod fieri solet vel qualitate contraria, vel ætate, vt senectute, vel externi caloris excessu: quod iis sanè accidit, qui vi Solis, aut ignis deuruntur. Igitur iis etiam idem obuenit, qui mero abutuntur. Vinum enim califica sua facultate amplificata plus, quam vires corporis patiantur, calorem proprium corporis se permiscès extinguit: quo extincto, refrigeratòque corpore, accidit vt tremores oriatur. Quinetiam præter omnes refrigerandi modos, quos præposuimus, ille quoque notatur, vt delata materia, qua quisque calor sustentatur, & alitur, calor etiam ipse deleatur. Quod lucerna inter res inanimatas demonstrat, quippe quæ depto oleo, lumen amittere cogatur. Senectus verò in animatorum genere illud idem efficit, & morbus longus diutino consumptu corpus in tabem redigens: alimentum nanque deletum, vel extenuato caloris, euenit, vt calor etiam ipse deficiat. Calor enim humore alitur, non tamen quolibet humore, sed leni, & copioso. Quam ob rem tñ iis, qui à prædictis tenentur vitis, tum ætate profectis, exole-

scente, altera sententiaque tali humoris genere (fit enim pro leni & pingui, acre & siccum) euenit vt calor ipse deficiat. Patent hæc argumento auxiliorum, quæ iis impendimus, qui ob marcorem è vita abeunt: fit enim vt eorum virtus vitietur, cum aliquid nutrientis humoris infillatum est, vtpote cum eiusmodi humoris defectu, resolutio illa eueniat. Mero igitur hominibus deditis, causæ id esse videtur. Vinum etenim calidum, corporis caliditati naturali coniunctum, efficacius porro, quæ calor proprius sibi subdita pro alimento obtinet, consumit. Vnde fit, vt alios ex his aqua intercus premat, alios fluxio, alios alia delectio, & pleraque alia vitia eiusdem alui exercent. Nam & reliqui humores acerbis, ineptique remanent: & qui liquidi extrinsecus aduenerunt, crassari ob imbecillitatem caloris proprii nequeunt. Calor autem ipse imbecillus propterea manet, quoniam materia, qua contineri adhuc potest, imbecilla est: quo modo ignis, quem arundo reddiderit: hic enim propter materiam imbecillitatem, infirmior est, quam qui à ligno præstat.

Cur vinolenti, cum vinum calidum sit, rigere tamen solent, citissimèque laterum dolore, cæterisque huiusmodi vitis excipiuntur? An quod multum humidum, cum refrigeratum est, in multum frigidum se couertit, ita vt calorem superet naturalem: quæ autem sunt humidiora, eadem omnia naturæ calidiora occurrunt. Argumentum, quod rebus externis calefcimus, non humescimus. Verum si minus calida, quam humida sint, accedet profectò, vt suam caliditatem potiùs, quam humiditatem, amittant. Humore igitur frigido remanente, non sine causa vinolenti amplius rigent, & vitia rigoris propria patiuntur.

Cur pueri, cum naturæ sint calida, vinosi non sunt, cum Scythas, & viros robustos, qui certè omnes habitu sunt calidiori, constat esse vinosos? An quod viri non calidi solùm, sed etiam sicci sunt: virilis etenim habitus talis est, pueri calidi sunt, & humidi. Vinositas autem humoris cuiusdam libido est, itaque humiditas facit vt pueri minus sitiant. Cupiditas quippe, non nisi indigentia, siue desiderium quoddam est.

Cur temulenti aquas salsas, vitiosasque magis sentimus, sobrii minus? An quod suum quodque à suo nihil afficitur, similèque indomitum à suo simplici persistit. Contraria verò à contrariis potiùs sentiuntur. Vinolentus itaque, quod dulces intra se continet humores (nam vini naturam talem esse videmus) hinc vitiosi saporis sentiens magis est. Sobrius autem, quod acres, salsosque habet, saporem eundem percipere nõ potest. Admisso itaque cibo, excrementitii redundant illi, & fluitant, vt & ipsi à suis similibus affici nequeant, & hominem sensus huiusmodi reddant expertem.

Cur grauius à vino detentis, omnia circumferri videantur, iamque inter initia ebrietatis res semotas cernere nequeunt? Itaque indicium hinc vinolentiæ nonnulli deducunt. An quia: conspectus frequenter à calore vini cõpelligitur, atque

atque commouetur. Nihil verò interest, conspectus moueatur, an res cõspectui obuia. Fit enim ratione vtralibet, vt id, quod modò dixi, videatur. Et cum propinquis etiam in rebus conspectum vinolentorum falli eueniat, multò magis idem in remotis accidat, consentaneum est: quã ob rem illas videre penitus nequeunt, propinquas autem aspicerè quidem possunt, sed non quo sunt posita loco. Circumferri autem tantum, non etiam propè, proculque vicissim agitari videntur, quoniam procul ob circularem mouendi rationem conspectus nequeat progredi: haud enim facile est, contraria simul agitari. Appetitio autem, quæ profluit ad elongiora, vehementior est: circularis verò figura, quam nomen ipsum declarat, continetur. Propè igitur, ac procul vicissim conspectus deferri ea de causa non potest: & si ita feratur, rem tamen eandem cõtingere nõ queat, quippe qui vice alterutra temporis eodem in loco rem, quam intuetur, relinquat, cumque reliquerit, intueri non possit: circulo autem suæ figuræ causa videtur. Est enim conus, cuius basis circulus est, in quo se agitans ipse conspectus, rem quidem percipit eandem, quia nunquam sibi rem subiectam deserit. Fallitur tamen in loco, quia non eodem intuitu rem contingit: nihil enim interest, vtrum res ad aspectum, an ad rem aspectus moueatur.

10. Cur vinolentis res vna, plures interdum esse videatur? An quia (vt dictum est) iam aspectus, cum commoueatur, euenit, vt nullo tempore idem visus in eodè quiescat. Quod autem eodem tempore variè cernitur, id ferius occurrisse videri potest. Quod enim cernitur, non nisi conspectus tactione sentitur. Fieri autem nõ potest, vt idem pluribus simul attingatur. Quod cum nullum sensum admittat id tempus, quod interpositum tempori distinguat, quo rem conspectus attingit, & quo repetit, efficitur hinc, vt tempus vnum esse videatur, quo attingitur, quòque repetitur. Itaque cum plures aspectus rem eandem attingant eodem tempore, plura esse videtur, quod vnum conspectui subiacet: quoniã fieri non potest, vt res eadem modo eodem attingatur.

11. Cur vinolenti concubere nequeant? An quoniam pars quedam magis caleat, quam reliquum corpus, oportet, quod in his fieri non potest, ob nimium totius corporis feruorem: extinguitur enim calor motionis internæ obtentu caloris occupantis, quoniam multum in his inest, quod humidum, crudumque officiat. Adhæc, semen à cibo proficisci necesse est: cibus autem omnis concoquitur, quo satiati ad Venerem planè incitamus. Vnde hac de re plerique prandere largè, cœnare parè præcipiunt, vt cruda infint, quam concocta, pauciora.

12. Cur si quis vinum dulce, ac merum, aut cyceonem inter potandum hauserit, sobrius persistere possit? & cur minus ebriantur, qui calice amplo fœcundòque hauriunt? an omnium eadem illa ratio est, quod superficialis calor ita suppressitur. Vinolentia enim tum oritur, cum calor

sedem capitis totam occupauit.

Quam ob causam cum vinum dulce aptum sit fluitare, si quis temulentus dulce superadmisit, haustum vinum concoquitur, minusque infestat? An quia vinum dulce lenè, ac lentum est, itaque foramina obfarcit, atque intersepit: austerum contrà, exasperans, rigidum est: facilem item ascensum calori hoc præstat, dulce autem obstruendo foraminum calorem arcet, ac inhibet. Vinolentiam verò parte concalecta superna, oriri dictum iam est. Addo etiam, quod vinum dulce inodorum, austerum autem odorum est: odor autem omnis caput tentat, & ingratum.

Cur à vino diluto, meracius tamen, caput poststridie magis dolemus, quam mero. An merum, quia crassius est, foramina capitis angusta subire ipsum non potest, sed vim suam, atque odorem, & calorem tantum transmittit. Dilutum autem illud, quoniam per aquæ admisionem tenuius factum est, facile ipsum subit, ac penetrat: cum tamen partem corpulentiam, facultatissique meri non mediocrem adhuc retineat, concoctu difficilior est: nam & humida, omnium difficillima concoqui, & corpora longè peruiaciora, quam facultates eorum persistere non uiuunt.

Cur in exercitati magis, quam exercitati, ad vinolentiam vsque potare, & vino facilius solui possunt? An quoniam qui excrementa, humoresque in se continent, vrinam copiosè profundunt: quod facit, vt plus bibi, & lenari facilius possit, quoniam non multum vinosi humoris in ventre remaneat. Atqui in exercitati, humidi sunt, excrementis que redundant. Exercitati contrà, sicci, sicciliosique, vt vini humor sese totum infinuare corporibus possit. Statim igitur hic vini impetus vrinam retractat, & post, humor hic in corpore insidens, grauitatem creare nimirum potest.

Cur vinum alios retardos, alios superbos reddat, atque insanibundos? Contrario enim affectu id agitur, quando quidem alteri magis, alteri minus moueantur? An (vt Chæremone ait) vinum sese pro moribus vtentium applicat. Contraria igitur reddit, non quæ eadem, sed quæ sunt dissimilia: vt ignis alia exicat, alia humefacit, sed non eadem: & quidem glaciem liquefacit, saltem indurat. Nam & vinum, vt quod suapte natura humidum sit homines tardiores, incendit, reddatque mobiliores: contrà, mobiliores dissoluit, atque retardat. Vnde plerisque melancholicos penitus resolui, labique in crapulis nouimus. Vt enim balneum corpora perstricta, duraque relaxat, agilioraque facit, humida verò, & mobilia dissoluit, atque infirmat: sic vinum quasi interna hominis diluens, ita afficere potest.

Quid est, cur brassica sedet crapulam? An quod succum dulcem, discutientemque obtinet. Vnde medici eam aluo infundunt, frigida autem ipsa est. Argumentum quod ad alui vehementes deiectiones medici ea vtuntur, excocta in plenum, & suo callo purgata, refrigeratque. Fit igitur detentis à crapula, vt eius succus humores in aluum detrahat, qui vinosi, crudique tenentur,

& ipsa supra in ventriculo remanens corpus refrigeret: quo fit, vt tenues humores ad vesicam labantur. Quod cum humor vtrinq; educatur, corpusque refrigeretur, rectè liberari à crapula possint. Vinum enim humidum, atque calidum est. Euenit adhæc, vt cum humores deorsum se trahunt, atque excernunt, flatum etiam secum deducant: qui, si per vinum liceat, in caput se effrens grauitatem creat, & crapulam: sin autem deorsum se vertit, corpusque ob causam prædictam refrigeratum est, dolor crapulæ omnis tollitur. Est enim crapula feruor quidam, & desinens inflammatio, quæ plus confluat, quam temulentia, quod mentem illa quatit, & alienat, crapula autem mente sibi constante, dolorem admo- uet. Vt etiam qui febre vrgente ludunt potius, quam dolent: iidem vbi leuati malo fuere, atq; ad se redire, indolere occipiunt. Hoc enim idem in crapula quoque, & in temulentia euenire solitum est.

18 Cur vinum dilutiùs temperatum vomitum magis, quam mieri, quam aqua prouocat? An quod ea maximè vomitum mouent, quæ innatare solita, quæque insuauia, fastidiosaque sunt. Vinum autem reprimendi vim obtinet: aqua tenuis, nec insuauis est. Quod igitur tenuis est, citò pro sui tenuitate descendit: quod non insuauis, stomachum non perturbat. Vinum autem nimis dilutum, nec ita tenue est, vt persuere possit celeriter: & fastidiosum est, quod parum obtinet vini: sensum enim conturbat, quia plures motus in eo excitat, scilicet quem vinum, quemque aqua afficere potest: ambo enim sentiri queunt. Quod autem fuerit modicè temperatum, id sensum penitus aquæ tollit, vini que mollis, delinientisque sensum accommodat, ex quo suauiter bibi potest. Sed cum vinum immodicè dilutum, ita insuauis est, tum innatare, redundareq; solet: quod autem tale est, vomitum id facillè ciet.

19 Cur vinolenti aquas salvas, & vitiosas, meliùs, quam sobrii sentire possumus? An quoniam dura, & tristitia certius ab iis sentiuntur, qui minimè cupiunt. Latent hæc enim cupientes, & sæpe fallunt. At verò qui latè se habet, is non cupienti similis est: qui autem in tristitia est, cupientis hic gerit affectum. Sobrius autem ita se habet: vinolentus contra, satiatus, repletusq; est.

20 Cur penitus vinolentis res omnes circumferri videntur, & cum iam amplius vinum attingit, nequeunt, quæ procul posita sunt, enumerare? quocirca nonnulli hinc vinolentiæ indicium trahunt. An quia conspectus frequenter à vini calore commouetur. Quemadmodum igitur, si sub oculo prefferis rem obiectam, geminari videbis: sic etiam vinolentis accidere illud potest. Nihil enim interest, vtrum suppresseris, an aspectum commoueris, nec vtrum extrinsecus, an intrinsecus: idem enim obuenerit, vel accidere, vtraque ratione conspectui potest. Itaq; res obiecta minimè constare videbitur, atque etiam magis quæ procul abest: nam eò obtinebitur minus, quò se longius aspectus deducat. Pro-
pinq; etiam illa mouendi, amplius ad extre-

rum absoluere interuallu potest. Item si æquabili cum vehementia sursum deorsumque aspectus se agitet, res minus assequatur remotas, necesse est. Deducta autem circumferri omnia solent, velut sagittæ, & quæ appensa demittimus. Igitur visus quoq; suam ob imbecillitatè, quasi procul deferatur, idem hoc patitur: nihil autem interest, visum, an rem visui obiectam commoueas.

21 Quam ob causam, quod vniuersum, raptimq; bibitur, ventrem id minus humectat, cum tamen ab humore copiosiore plus humectari conueniat? An quod humorem multum, ac vniuersum, venter superare non potest, sed locum adire suum indomitum patitur. Locus autem crudi humoris, vesica est. Exiguum verò facile vincit, & concoquit: ex quo moram hic diutius trahens, ventrem porro humificare potest.

22 Quam ob rem qui antè extenuatus, merum inde multum hauserit, morte occumbat: & pleriq; verò bibaces, cum se nihil extenuarint, multo tamen, vniuersoque meri haustu sicci efficiuntur? Quærendum enim hoc est, quando quidem vinum calidum suapte natura est, & vt vita calore contineri apparet, sic mors refrigeratione accidere. An, vt ex cicuta, sic ex mero intereundum est, videlicet dum proprius calor paulatim extinguitur, modo tamen diuerso. Cicuta enim calorem frigiditate sua extinguit, humorèque indurat: vinum autem sua caliditate calorem macerat naturalè. Et quomodo ab igne nimio, aut Sole exiguus ignis extinguitur, sic intus corporis calor à vini calore, si nimius est, superatur, atque extinguitur.

23 Cur vinolenti sunt ad lacrymandum propensiores? An affectuum huiusmodi omnium eadem causa est, quam repressio, quæ scilicet agitur per summa, afferre potest: vinolentiam enim locis consistere capitis, certum est.

24 Cur vinolentis somnus oriri nequeat? An quod ad somnum creandum calidum adesse humorem opus est: hic enim concoqui expedite potest. Quod si deest, exiguisque humor aut concoctu difficilis inest, somnus non oritur: qua de causa post cibum, ac potum somnolentissimi fieri ob calorem solemus. Melancholicos verò, & vehementer æstuantes in somnia tenent: alteros, quia refrigeratus humor penitus est: alteros, quia nullus, aut minimus, extat. Ergo rationem vtriusque affectus inde esse petendam palam est.

25 Cur ebriosi tremunt, & eò magis, quò largius merum hauserint? Cum vinum calefaciendi vim habeat, tremor autem ex frigore maximè profisciscatur: itaque qui rigent, præcipuè tremant. Attamen plerosque, cum mero tantummodo cibi gratia vterentur, tremores acres adeò inuaserunt, vt homines comprimentes à se omnes eiicerent, & cum aqua calida perfunderentur, nullatenus sentire possent. Alii verò cum eò ipso agerent modo, perfrictioneque & carnibus in cibo vterentur, in stuporem attonitum inciderunt: quos tremor quidem mitius, scilicet ob immobilitatem, torquebat: dolor tamen acerrimus,

rimus, & inquietudo iam inde exercebat assidue. Tremoris itaque causa frigiditas est: nam & qui rigent, ea re pati ipsa videntur. vt dictum est: & qui admodum senescere: quorum vtrorunque alteri ab affectu frigidus, alteri à frigida ætate vrgentur. Vinum autem calefaciendi vim præcipuè obtinet: quocirca contrarius quidam vt proueniat effectus, ratio exigit. An nihil prohibet rem eadem à contrariis effici, dummodo non agant modo eodè, sed diuerso. Exempli gratia: vritur & à gelu, & à calore, vbi gelu calore cogit vniuersum: itaq; modo quodam à contrariis effectus profisciscitur idè, & modo quodam, non nisi idem producit. Tremor autem ob inopiam excitatur caloris, non cuiusque, sed proprii. Corruptur autem calor, aut marcore, aut extinctu: extinctu quidem à contrariis, hoc est, frigidus, atque humido: marcore autem, vel indigentia nutrimenti, vt lucerna cum fomite, aut oleo caret: vel ab alieno calore, vt ignis in Sole, & lucerna apud ignem. Igitur qui ex frigore rigent, caloris extinctu obtremunt. Ex quo etiam fit, vt aqua offusa calida horror exoritur. Frigus enim, cum intus includitur, atque circum obfistit, pilos erigit. Et in febrium quoque accessione rigor ille eueniens simili de causa venit. In senectute autem calor alimento deficiente emarcescit: humor enim alimentum caloris est, senectus autem sicca est. Ebriosi verò, & si qui ita affecti sunt alii, suo probrus emarcescente calore, obtremiscunt: sed non modo eodem, quo senes, sed tertio corrumpendi modo, vt proposuimus. Quod enim vino vtuntur nimio, calor aduentitius superans aut extinguit, aut debilitat proprium calorem, quo valeamus. Fit enim tum tremor, cum mouens quicquam rem nequit superare, quam mouet: vt cum lignum quis longum, crassumque obtinere, firmareque non pollet, tremat extremum: quod idè fit, quoniam aut suscepta res maior est, aut minor, quæ mouet. Ergo tremor, cum calor extinguitur, accidit: hic enim, dum integer, inuictusque manet, causæ animantibus esse videtur, cur mouere se valeant. Indicium autem, ebriosos, senesque ob frigiditatem affectos sic esse, quod tremor his fieri sine vlllo rigore solitus est.

26 Quam ob causam, qui leuiter à vino tenentur, magis peccant, vel delirant, quam qui aut grauius sese ebriarint, aut sobrii manent? An quod sobrius rectè iudicat: qui autem penitus vinolentus est, quod sensibus interceptis, onus sustinere non potest, nihil diiudicat, atque ita non peccat. At verò, qui leuiter se ebriarint, iudicat quidem, quia non multum hauserit: sed quoniam à vino detentus aliquatenus est, potestatem rectè iudicandi amisit, peccet necesse est. Quemadmodum quod Satyrus Clazomenius propensus admodum erat ad maledicendum, eius aures, cum accusaretur penitus obstruxerunt, vt de re ageret, non in contumelias se prouolueret. Postea tamen cum cessante iam aduersario referassent, & pauca dicente adhuc, ille audiuisset, nequaquam continere se potuit, sed

euestigiò maledicta effundere incepit, quoniam sentire iam poterat, rectè autem iudicare non poterat.

27 Cur vini dulcis, quod suauius est, ebriosum neminem esse arbitramur? An quod vinum dulce nullum saporem obtinet proprium vini, sed alienum penitus reddit. Igitur dulcis rei, non vini audis appelladus est, qui vini dulcis tenetur desiderio.

28 Cur ebriosi Solis calore gaudere maximè soleant? An quoniam concoctionem desiderant, atque etiam quod refrigerati admodum sunt: ex quo attoniti, stupidique mox fieri solent à potu.

29 Cur vinolentis multa interdum apparet quod vnum est? An quia conspectus initia intrinsecus à vino mouentur, sic vt vel caput totum sollicitari necesse est. At cum initia mouentur conspectus, idem sese applicare non quit, sed quasi partem rei obiectæ vis vtraque conspiciendi attingit. Merito igitur res vna suspicionem recipit geminationis: quod idem vel oculo subter oppresso potest euenire. Conspectus enim mouetur initium, vt ei coire cum altero non amplius liceat: sed hic motus extrinsecus est. Vini autem ille intrinsecus oritur, nec quicquam interest: idem enim sequetur, qualitercunq; aspectum commoueris.

30 Cur vinolentorum lingua oberret? Vtrum quemadmodum corpus totum in vinolentia titubat, ita etiam lingua labens oberrat, nec reddere articulatim vocabula potest. An quoniam caro linguæ mollis, & instar spongiæ est, ampliatur madescens atque extollitur: itaque ob molem retardior fit, exprimerèque syncerè non valet. An quod vt in aqua ob absentiam aeris loqui non possumus, ita neque cum nimium in nos humorem indidimus: igitur quod vinolentorum lingua in nimio humore se voluit, idcirco exprimere syncerè non potest. An animus quoque vinolentorum compatiens errat? At si animus ita affectus est, linguam etiam pariter affici consentaneum est: inde enim omne loquendi initium ducitur. Quo fit, vt etiam sine vinolentia, vbi animus quæquam hausit affectum, lingua etiam sentiat, atque compatiatur, vt in mentibus patet.

31 Cur ebrii omnes, & qui mari operam dant, libenter Solis tepori se dedunt? An quod ebrii concoctionem desiderant, simulque euenit, vt partes corporis quædam refrigerentur: itaq; stupidos, attonitosque post potum fieri nouimus. Maritimi autem illi, quoniam in humore semper suam degunt ætatem, calorem porro desiderant.

32 Cur vinolenti concumbere nequeant? An quod partem corporis quandam amplius, quam reliquum corpus, incallescere opus est, quod vinolentis contingere præ nimio calore non potest. Calor igitur, qui à motu naturæ interno præstatur, obtentu caloris ambientis extinguitur. An quod partes corporis imas recalescere opus est. Vinum autem in sublime effertur aptum est: itaque calorem, quemadmodum illi ex-

citat, ita hinc auocat, atque abducit. Post cibum quoque libido Veneris minimè incitatur. Vnde prandere largè, cœnare parcè præcipiunt. **C**ibo enim còcocto sursum, crudo deorsum fertur, & humor, & calor: ortus autem feminis ex his est & fatigatis idcirco per somnum profluit genitura, quòd labor corpus humidum, & calidum reddit. Quòd si excrementum ea in parte substiterit, euenit certè, vt per somnum erumpat. Hæc eadem causa est, cur in aduersis quibusdam valetudinibus id eueniat, atque etiam mœuenti, & morienti.

33 Cur iuuenes potiùs, quàm seniores immingant, vbi vino sese ebriauere? An quoniam iuuenes humidi sunt, & calidi multum, idcirco excrementum humoris confluit in vesicam: exiguum enim à corpore eorum absimitur, quam ob rem id effundi necesse est. Senioribus verò, corpus pro sua siccitate humorem nimium attrahit, atque imbibit. An quòd iuniorum natura ad somnum propensior, quàm seniorum, est: quocirca grauius iuuenes consopitos vrinæ sæpe excitatio latet, vt hæc priùs erumpat, quàm illi surrexerint. Seniores autem latere minimè potest, quemadmodum nec externorum motu quiscquam minùs ab his percipi, quàm ab adolescentibus solet. Constat autem quòd modò diximus, quandoquidem iuuenes ipsi tum maximè immingunt, cum arctè, & grauius dormiunt.

34 Cur oleum ad arcendam vniolentiam valet, sorbitumque facultatem præstat potandi? An quòd vrinam ciere potest, vinòque hausto iter regit.

Eorum, quæ ad rem Veneream pertinent, sectio quarta, cuius questiones XXXII.



Quam ob causam, qui concubit, & qui moritur, oculos attollit: qui autem dormit, submittit? An quòd de parte superiore calor exiens, eòdem oculos vertit, quò se deflexerit: per somnum autem deorsum se colligit, itaque eòdem conuertit. Clauduntur verò propterea oculi, quia humiditas deficit.

35 Cur iis, qui rem Veneream immodicè agunt, oculi, & clunes manifestè subsident, partes, quarum altera propè, altera procul à genitalibus absunt? Vtrum quòd in se ipso etiam coitu partes hæc perspicuè collaborant, cum rem studiosius ipsæ perfequantur, & se cogant, nitanturque in semine emittendo. Itaque quantum alimentum facile liquefcere potest, id pressum extruditur. An quòd obcalescens præcipuè contabescunt. Concubitus autem caloris agitur facultate, eaq; maximè sentiunt calorem, quæ in agendo commouentur. Oculi autem, partisque sedi proximæ perspicuè collaborant. Haud enim fieri potest, vt semen profluat, nisi partes coagantur illæ, nisi que oculi demittantur: quippe cum partibus his coeuntibus, humor quasi manu ex vesica prematur, oculisq; coactis cerebrum sua di-

mittat. Oculos verò, & locum his proximum, vim ad procreationem maximam obtinere, docent illinimenta, quæ mulieres tam steriles, quàm fœcundæ experiuntur, vtpote cum vis ad semen transmitti hinc debeat. Sunt autem & oculi, & renes omnium pingues, atque obesi: ergo quòd partes hæc rem Veneream efficacius adiuuant, caloris participes sunt, cuius tabifica vi extenuantur, multumque sui succi ad semen excerni patiuntur. Calor enim (si corpus vel pingue non est, vel si pingue quid est, sed non tamen laborat) æquè liquefcere nequit, vt late in venere patet. Renes tamen omnium maximè sentiunt, quia in vicino positi sunt. Et ipse quoque feminis transitus, cum per ea loca perspicuè agatur, extenuare proculdubio potest: adinit enim, non addit per suam istam propinquitatem.

Quam ob rem & qui concumbunt, & spadones, qui re minimè vtuntur Venerea, in acumine oculorum offenduntur? An quòd alteris ob libidinem, alteris ob excisionem, partes superiores plus iusto exiccantur. Quòd perspicuum in iis est, quorum opus exquisitiùs administratur: aspectus autem tale est. Humoribus verò deorsum ductis, superiora siccari necesse est. Id igitur nimirum concubitu fieri patet. Spadonum autem crura intumescunt, & alui faciles sunt, vtpote cum deorsum se humoris copia seuocet.

Cur homo, cum concumbere posse incipit, tunc pubescit, cæterorum autem animantium, quæ pilis teguntur, nullum tunc pubescere incipit? An quòd per ætates mutari animantes in contrarium solent. Vox enim grauis de acuta efficitur, & nuda quæ antè fuerunt, hirta redduntur. Vnde etiam animantes à primo natali die hirsutas, enudari debere tunc, non defescere, constat, cum semen habere incipiunt: sed ita euenit, quia quæ semen effundunt, sicciora fiunt, & laxiora: quibus de causis pilus oritur: quòd inde sanè patet. Pilus enim neque cicatricibus, neque pueris, neque mulieribus exit, cum scilicet cicatrices spisso contextu, non raro inducantur: pueri, mulierisque corpore humido sint, non sicco.

Cur nuditas pedum obeffe in re Venerea potest? An quoniam corpus, quòd concubiturum sit, calidum intus, atque humidum esse debet, quale per somnum potiùs esse, quàm per vigiliam, solet: ex quo etiam celeriter, ac sine corporis agitatione semen dormientibus profluit, vigilantibus verò non sine labore prodit. Simul autem fit, vt & reliquum corpus tale existat, & pedes humidiores sint, atque calidiores. Indiciam quòd cum dormimus, pedes obtepscere solent, vt qui vnà cum internis partibus ita efficiantur. At nuditas pedum è contrario agit: siccatur enim, atque refrigerat. Itaque siue impossibile, siue difficile sit, vt res agatur Venerea, nisi pedibus calidis, eam tamen nuditatem in vsu concumbendi, incommodam esse necesse est.

Cur omnium maximè animantium homo, postquam

postquam concubuit, dissoluitur, & languescit? An quòd semen proportionem sui corporis plurimum emittit.

7 Sed cur plurimum homo emittit? An quòd minus cibum is conficit, & omnium maximè animantium humidus natura: & calidus est: quarum rerum altera feminis copiam reddit, altera naturæ vim efficit ad semē creandum: semen etenim tale est, quandiu feruatur.

8 Quam ob causam cum ratio concumbendi calore contineatur, timor autem, & mors refrigerandi vim habeant, plerisque tamen cum ab his ipsis tenentur affectibus, semen excurrit? An quòd cum loca quædam corpore refrigerantur, alia quædam intepescunt, cum & suum calorem habeant, & pulsus de locis refrigeratis illum ipsa suscipiant. Quam ob rem frigentibus quidem id euenit, verum non quia frigent, sed quia calent. Constat hoc etiam ipso aspectu: partes enim superiores timentium sanguine priuantur, inferiores autem humescunt, & alui soluitur, & vesica. Calor igitur cum se per timorem deorsum, per mortem sursum deuius agit, madificare & feminis excitare profluum potest.

9 Cur neque concumbere, neque euomere, nec sternuere, neque flatum emittere oportet, nisi res turgente corpore vrgeat? An quia cum non turgemus, similes terræ stirpibus sumus, quibus euulsis, aut alienum conuellitur quippiam, aut aliquid abscissum relinquitur. Quòd autem cum extrudi debet, minutum remanserint, dolorem diutiùs id omne mouebit: & si quid alienum commotum sit, id cum sua sede priuetur, dolorem creabit. Quæ certè iis vsu euenient, qui cum non turgent, aliquid faciunt ex iis, quæ modò retulimus.

10 Cur ieiuni celerius concumbunt? An quòd foramina corporis ieiunio inaniora, repleto autem plena habentur: itaque impediunt, ne humor feminis genitalis valeat permeare: quòd latissimè in vesica patet: hac etenim plena, nunquam celeriter concumbere possumus.

11 Cur adolescentuli cum primò concumbere incipiunt, quibus cum fuerint congressi, eas, re peracta, odio habeant? An quòd mutatio summa extiterit, sequentis tristitiæ memores, eam fugiunt tanquam fontem, ad quam sese applicauerunt.

12 Quare qui equitant, assiduè libidinosiores euadunt? An caloris, agitationisque causa eodè afficiuntur modo, quo per coitum. Quocirca ætatis quoque accessione membra genitalia cōtrectata, agitataque plenius augentur. Quòd igitur semper eo vtuntur motu qui equitant, hinc fluentiore corpore, præparatòque ad concumbendum euadunt.

13 Quare concumbendi facultatem dari per ætatem cum cœptū est, corpora malè olent: prius autem ante pubem non ita olent nec viri, nec mulieres? An quoniam quæ incocta sunt, tum sapores habent deteriores: aut enim acidiores, aut falsiores, aut amariore: tum odores red-

dunt fœtidiores. Contrà, quæ concocta, maturaq; sunt, sapores aut dulces, minùs amarus, & odores suauiores præstant, aut certè minùs insuaues. Patet hoc in omnibus tam terræ stirpibus, quàm animantibus ipsis. Derractis autem quæ matura, concoctaque sunt, cætera cruda relinquantur: vt & in cinere, portione dulci consumpta, puluis amarus relinquitur. Et sudor quoque falsus eadem de causa est. Calor autem naturalis semen genitale concoquit: quòd quàm exiguum est, vim tamen obtinet maximam, quippe quòd ex multo admodum tam exiguum constitutum sit. Quam ob rem vbi id fecisset, resoluimur magna ex parte vehementius, atque refrigeramur: itaque humores incoctiores redduntur, patefactis meatibus propter feminis excursus: quo fit, vt sudor ob cruditatem & falsior, & fœtidior tunc sit, quàm in puerili ætate. Quòd si cui fortè talis natura sit, vt partem subsidentem sudoris fœtidam habeat, huic magis, magisque res innotescet, ac præsertim eisdem in locis, quibus & cæteris maximè consistit, velut in alis.

Cur si ex nostro semine procreatum animal est, prolem id nostram appellare solemus: sed si ex aliquo alio nostro vel excremento, vel parte prodiit, nostrum id esse nunquam fatemur? multa enim semine putrescente proueniunt. Quid igitur causæ sit, vt si quales nos sumus, tale fuerit, nostrum id sit: sin diuersum, id alienum sit: aut enim omnia nostra esse oportet, aut nulla. An primum, quoniam quòd ex semine nostro prodiit, id ex nostro est: quòd secus, id ex alieno, scilicet quæ purgantem, excrementisque enascuntur. Denique nihil ex omnibus, quæ animanti tribuimus, gignere animantem potest, nisi semen genitale. Quòd autem nocet, quòdque malum est, id suum nullius est: nec quòd alienum est, id suum esse potest. Haud enim idem illa significant, suum esse, & alienum esse, vel diuersum, vel malum. Excrementa autem, & putredines, non nostra, sed diuersa, alienaque sunt à nostra natura, non enim quæcunque in corpore extiterunt, corporis hæc esse putandum. Nam & papulæ sæpe erumpunt, quas tollimus, atque excidimus: omnino quæ præter naturam constiterint, hæc aliena omnia sunt: multa autem præter naturam, vel rebus coniuncta naturalibus prodeunt. Quòd si ex rebus nostris solo semine natum animans sit, rectè quòd ita prouenerit, prolem id esse nostram tantum putabimus: ex semine verò ipso si quid extitit aliud, vt vermis, vbi vel foris putruit, vel corruptum in vtero est, vt quæ monstra appellamus, prolem id esse nostram haudquaquam dicendum est. Cum enim corrupto creetur semine, non insuper ex nostro creatur, sed alieno: quemadmodum quòd excrementis constiterit, vt quòd ex stercore. Omnia verò huiuscemodi ex corrupto creari semine hinc indicatur, quòd ex non corrupto creari tale Natura statuit, quale illud est, de quo semen genitale prodierit. Exempli gratia, si de equo equus, si de homine homo, nec semen magnificimus ipsum,

nec aliquid, quod inter generandum confici solitum est. Tunc enim humor, & corpulentia quædam, & caro consistunt, quorum nihil nobile est, quoniam nondum naturam obtinent destinatam: sed eatenus naturam attingunt, quatenus ita se habeant, ut ex illis tale creari possit, quale nos sumus, modò seruentur. Corruptis autè nihil tale enasci potest. Causa est hæc, cur nec alia ex re nostri corporis, nec ex femine ipso corrupto, aut imperfecto, prolem nostram oriri arbitremur.

15 Cur minùs in aqua homines concumbere queunt? An quòd res nulla in aqua liquefcere potest, quæ ab igne liquefieri apta est, ceu plumbum aut cera. Semen autem hominis igne planè liquefcere videmus: haud enim priùs fluere incipit, quàm per attritum recaleat. Pisces tamen sine attritu coire fatendum est.

16 Qua de causa res omnium suauissima concubitus est: & vtrum necessitate impellantur ad concumbendum animantes, an rei cuiuspiam gratia genus hoc libidinis datum est? An suauissimè quidem concumbimus, quoniam aut toto ex corpore semen profluit, ut aliqui volunt: aut quia, quanuis non toto ex corpore, tamen per eam partem se promit, in quam meatus omnes, venæque omnes applicentur, & coeant. Cùm igitur voluptas similis in libidine, atque in prurigne sit, efficitur pariter, ut corpus gestiat vniuersum. Prurigo enim secessio humoris spirituosus inelusi contra naturam est: & genituram verò secessionem humoris eiusmodi esse ad rem naturalem constat: suavis autem tum ex necessitate, tum rei cuiuspiam gratia concubitus est. Ex necessitate, inquam, quòd via omnis pertinens ad rem naturalem suavis est, si modò à sensu percipi queat. Rei verò cuiuspiam gratia est, ut ortus sit animantium perpetuus: facit enim voluptas, ut animantes ad coitum ardentius excitentur.

17 Cur Venus immodica morbis pituitæ nonnullis commoda est? An quoniam excrementi quidam exitus est, ita ut multum vacantis materiæ cum femine detrahi possit: pituitam autem excrementum esse, nulli dubium est.

18 Cur res venerea ventrem refrigerat, & siccatur? An refrigerat, quoniam calor in concumbendo excernitur: & siccare quidem coitus Venereus potest, quippe cùm euaporari, dum calor exit, necesse sit: exit autem cùm refrigeratur. Adde etiam, quòd feruor coeundi siccare nimirum potest.

19 Cur salaces hi sunt, quibus pili palpebrarum defluunt? An ob id ipsum quo etiam calui: sunt enim hæc ambo partes rei eiusdem. Quicunque autem ex pilis congenitis ætate iam prouecta non crescunt, hi omnes decidunt libidinis vsu immoderato. Capillus enim, & supercilium, & cilium, genere congeniti pili continentur, exque his supercilia tantum nonnullis ætate prouectis obdensantur. Quod cur ita sit, alibi rationem attulimus. Reliqua autem vtraque genera, eadem illa de causa deficiunt, quòd partes superiores sanguinis parum obtinentes, libido refri-

gerat. Ita enim efficitur, ut locus hic alimentum concoquere non possit: cùm autem pili alimentum caruerint, defluant necesse est.

Quam ob causam qui mingendi desiderio tenentur, concumbere nequeunt? An quòd meatus implentur. Quod autem plenum humoris est, id nullum præterea humorem potest suscipere.

Cur gignendi facultas iis tollitur, qui à varicibus tenentur, siue homo, siue aliquid ex cæterorum animantium numero est? An quòd varix flatu translato fieri solet, quocirca in vitiiis atræ bilis accommoda est. Fit autem concubitus quoque cum flatu ex cursu. Quam ob rem si impetus ille agitur, cùm varix exercet, semen non insuper excitatur, sed refrigeratur. Fit igitur inde, ut penis tentigo emarcescat.

Quare qui concumbunt, resolui, atque languere magna ex parte solent? An quòd semen omni ex parte corporis secretio est. Itaque ut adificii constructio, sic corporis compactio quatur, dum semen decedit, quasi sanguinis multum, aut aliqua pars alia decedat: ita quod exit, peropportunum est, & quod exiguum ex multo alimento conficiatur, quemadmodum amyllum ex farina.

Cur iis, qui concumbunt, si desiderio mingendi tenentur, penis intendi vehementius potest? An quòd foramina plena redduntur humoris, semen per angusta se promens, molem efficit ampliorem, atque extollit: penis etenim ad ipsos meatus est positus.

Quam ob causam tentigo, & amplificatio penis illa existere possit? An duplex causa est, vna, quòd pondus vrgens post testes facit, ut penis erigatur: testes enim vicem fulmenti vectori capiant. Altera, quòd foramina spiritu admissio implentur, ita ut genitale membrum intumescat, atque se erigat. An humor auctus, translatusque facit ut moles amplior redundet: penis tamen, qui mensura insigni adoleuerit, minùs se patitur efferr: fit enim ut ita pondus à fulmento vectis remotius maneat.

Qua de causa qui rem agunt Veneream, aut qui ea ætate sunt, quæ sufficiat Veneri, malè olent, virusque hirci reddunt: pueri autem non ita olent? An spiritus puerorum (ut dictum iam est) humorem, sudoremque concoquere potest, virorum autem nequit.

Cur per ætatem viri minùs, mulieres magis concumbere valeant? quod Hesiodus quoque poeta inquit:

Fœmineo Venus est vsus magis effera sexu:
Mitior illa viris, & sæpe accida relanguet.

Vtrum quòd testes eo tempore magis demittuntur, & flaccet, quàm per hyemem, cùm qui concubitus est, retrahat, ac suscipiat illos, necesse sit. An quoniam naturam calidam præ nimio calore æstitui temporis æstuant, collabunturque: frigida verò refouentur, & vigent. Est autem vir calidus & siccus, mulier frigida, humidaque: ergo virorum tunc vires infirmantur, mulierum corroborantur, & vigent per compensationem qualitatis contrariæ.

Cur

27

Cur nonnulli rem Veneream cum voluptate patiantur, & alii vel ipsi agere cupiant, alii pati tantummodo gestiant? An quòd excrementis singulis locus determinatus à Natura est, in quem instituto fecerni naturali debeat, sollicitaque natura spiritus excurrrens tumorem admouet, excrementumque vnà extrudere solet. Verbi causa, vrinam in vesicam, cibum consumptum in aluum, lacrymam in oculos, mucorem in nares, sanguinem in venas Naturæ deduci placuit: his autem proximè genituram quoque in testes, & penem deferri constitutum est. Quibus itaque meatus habitu suo naturali priuantur, vel quia obcæcati sunt, qui ad penem tendant (quod spadonibus, hisque similibus euenit, vel etiam aliis de causis) his talis humor in sedem confluit, quippe qui hæc transmeare solet: quod eius loci contractio in coeundo, & partium sedi appositarum consumptio indicat. Qui si admodum femine genitali abundant, excrementum illud largè in eum locum se colligit. Itaque cùm excitata cupiditas est, attritum pars ea desiderat, in quam confluit excrementum. Cupiditas autem excitari tum à cibo, tum ab imaginatione potest. Cùm enim alterutra de causa libido commota est, spiritus eodem concurrat, & genus id excrementi confluit, quòd secedere notum est. Et si tenue, spirituosumve est, cùm difflatum id fuerit, requiescunt: quemadmodum pueris, & adolescentibus interdum nullo secreto humore cessare tentigines possunt. Sed si crassum, corpulentumque est, nisi extruso quiescere nequeunt. Quòd si neutrum eorum accidit, cupiunt quousque alterutrum accidat. Quorum verò natura mollis, & feminea est, ita ii constant, ut genitura vel nulla, vel minima conueniat, quòd illorum fecernitur, qui præditi natura integra sunt, sed se in partem sedis diuertat: quod propterea euenit: quia præter Naturam normam constiterunt. Cùm enim marès crearentur, ita degenerarunt, ut partem virilem mancã, atque oblatam habere cogentur. Læso autem alia rem omnino corrumpit, alia peruertit, & vitiat. At genus illud corrumpens, ut in his fit, fieri non potest: ita enim mulieres, non viri crearentur. Ergo perueri, citarique aliorum, quàm fecernendum Natura voluit, necesse est. Vnde fit, ut insatiabiles etiam sint modo mulierum: humor enim sollicitans ille exiguus est, nec quicquam se promere conatur, refrigeraturque celeriter, quibus itaque sedem humor ex toto adiuit, ii pati tantummodo auent: quibus autè in vtranque partem sese dispertiit, ii & agere, & pati concupiunt, idque ampliùs, quò tandem plenius fluxerit. Sed sunt, quibus vel ex consuetudine affectus hic accidat. Fit enim, ut tam gestiant, quàm cùm agunt, utque genituram nihilò minùs ita emittere valeant. Ergo agere cupiunt, quibus hæc ipsa vsu euenerunt, & consuetudo magis, veluti in naturam idcirco illis euadit, quibus non ante pubem, sed in ea vitium patendi inualuit, quoniam his recordatio rei,

cùm desiderant, oritur. Vnà autem cum recordatione gestians exultat voluptas: desiderant autem perinde ac nati ad patiendum. Magna igitur parte, vel ob consuetudinem res existit. Sed si accidat, ut idem & salax, & mollis sit, longè expeditius hæc omnia euenire posse, putandum est.

Cur homines rem agere Veneream cupientes, confiteri se cupere maximè pudet: bibendi, aut edendi, aut aliquid eiusmodi faciendi, desiderio cùm teneantur, confiteri non pudet? An quòd rerum plurimarum cupiditates necessariæ sunt, & nonnullæ, nisi expleantur, interimunt. Rei autem venereæ libido superfluit, & abundantiam index est.

Cur viri per hyemem, mulieres per ætatem rei Venereæ appetentiores sunt? An quòd viris calidior natura & siccior est, mulieribus autem humida, frigidaque. Quam ob rem illis humor, & calor satis cupiditatem Veneris hyberno tempore accendere queunt, quibus rebus semen oriri certum est. Mulieribus autem & calor minor, & humor concretus propter caloris inopiã tunc est. At per ætatem contra mulieribus calor modicus, viris largior, quàm satis sit: nimius enim vires frangit, atque dissoluit. Quapropter pueri quoque per ætatem tenuiores redduntur: incidit enim, ut ignis igni coniungatur.

Cur quibus natura calida est, si modò robusti, plenique sint, nisi concumbant, iis sæpe bilis proficit, & aluus amara secedit, & pituita salsa conficitur, & calor corporis immutatur? An quòd semper cum femine vnà excrementi aliquid exit. Vnde etiam nonnullorum excrementis abundantium genitura lauamentum piscium redolet: igitur excrementum quoque illud concumbenti decedit. Itaque nihil est, quod possit affligere: abstinenti autem manet, & amarum, salsumve redditur.

Cur libidinosi sunt, qui melancholici? An quòd flatu redundant. Semen autem secessio flatus est: ergo quibus id ipsum amplificatum, hos sæpe purgari appetere necesse est: sic enim efficitur, ut leuentur.

Cur aues, & pilosi homines libidine vehementer aguntur? Vtrum quòd multum humoris continent, an non ea ratio est? Fœmina enim, quæ humida est, pilis vacat, sed potius quòd genus illud vtrunque naturam multi humoris concoquens propter caloris copiam est. Indicio pilus est, atque penna. An quòd & multum inest humoris, & id à calore superatur? Neque enim si multum non esset humoris, neque si non à calore vinceretur, pennæ auibus, pili hominibus possent vnquam oriri: semen autem vel loci, ac temporis portione, vel ratione creari plurimum potest, ut in aere, ut in vere: nam eius natura calida, & humida est. Fit etiam ratione communi, ut aues, & claudi homines salaces nimirum sint: alimētum enim vtriusque seorsum quidem exiguum profluit, propter vitium cruris: in sublime verò affatim effertur, atque in semen conuertitur.

33 Cur hominij, cum concumbit, oculi potissimum infirmantur? An quod humore deficiente id accidit. Argumentum verò, frigidam esse genituram, quod humida nunquam redditur, nisi calefiat, nec vllā desiderat liquefactionem: quādoquidem per vniuersum corpus expansa est, quemadmodum sanguis.

*Eorum, quæ ad laborem pertinent,
Sectio quinta, cuius questiones
XXXVIII.*

Vr ambulationes prolixæ quidem per plana, laboriosiores sunt, quàm per incompta: breues autem leuiores? An quod membra tum à multo, tum à vehemente motu frangantur. Est autem vehemens, qui passim per loca inæqualia agitur: multus verò, qui continens, vnusque est. Locis igitur inæqualibus tametsi longa motio acta est, tamen requiem mutatio præstat, facitque vt longa non sit, ne ipsorum quidem equorum propter mutationem. Planis autem habitus similitudo, & paritas nihil interpellat, nec membrum vllam præstat quietem, sed efficit, vt mouendi ratio continuetur. At verò si breuis sit, nimietas quidem motus nulla in planis fatigabit: accliuibus autem, quoniam immutatio ve-

30 hemens, & contraria corpus modò sursum, modò deorsum vexat, fatigetur necesse est. Talis verò motus, vt dictum est, qui per ardua agitur: contrarij, qui per plana.

2 Quam ob causam, qui animo deficiunt, & qui præ nimio exercitandi labore dissoluuntur, mole corporis contractiore existunt, vocemque reddere acutiorem putantur? An quia voces minores mittuntur, ideo acutiores esse videntur. Argumentum, quod qui clamantes à longe imitantur, acutè proferunt. Moles autem corporum minores idcirco redduntur, quod sanguis à summis corporis partibus seuocat ad imas.

3 Cur venter tantummodo extenuatur eorum, qui se exercitationi dederunt? An quoniam venter pingue amplectitur plurimum.

4 Cur pingue eorum absimitur, qui se laboribus dedunt: caro autem nullatenus emaceratur? An quoniam pingue concalescit liquefit: quod carni non euenit. Motio autem concalescit.

5 Cur venter opimus admodum esse solet? Vtrum quod cibo propinquus est: dumque cætera membra ex ventre hauriunt, venter ipse sibi sapius ingerit. An quoniam minimè venter laborat: flexibus enim hic nullis contorquetur.

6 Cur meliùs fatigationes tum cessant, cum quis ex aqua oleo permista se perfricit? An quoniam oleum magis subire cum aqua potest, quàm si per se ipsum est: ducitur enim suapte natura, vt innatet, & fluitet. Vbi autem subiit, corpus subinde ampliùs emollitur. An quia o-

leum naturā calidum est: calidum autem quodque & siccat, & indurat. At membris fatigatis, & durities incommodæ omnino sunt, mistum igitur aquæ eò plus iuuat, quod minus siccat.

7 Cur lasis corporibus euomendum præcipitur, cum tamen vomitus sit laboriosus? An quod lasitudo collisis ossibus, aut pressatis, aut fatigatis consequi soleat: quos quidem affectus patiuntur extrinsecus, aut intrinsecus, idque bifariam: aut enim cum copia carnis vires exuperavit ossium, aut cum frequens corpus se cætero corpori miscuit, quo locum sibi obtinere aptè non possit: quale genus excrementorum est. Pondera enim quæcunque extrinsecus corpori applicentur, laboriosiora sunt, quàm ipsa corporis membra, etiam si pondere leuiora illis esse contigerit. Argumentum, quod qui plus æquo vel ederint, vel biberint, hi minus quamuis laborarint, quàm ieiuni, grauiùs tamen fatigantur: quoniam cibus locum suū non obtinet, vt pote qui adhuc maneat crudus. Cum autem fatigatio maceret, atque colliquefaciat, colliquamentum autem non nisi excrementum sit, hoc est quod lasitudinem mouet, dum temerè vagatur, occurratque ossibus, & neruis, & intimis carnis: quæ rara, soluta, patefactaque substant. Vomitus igitur cum id extrudat, quod fatigationem inducit, meritò hominē recreat, liberatque: à lasitudine: corpus enim quale principio fuerit, tale restituit. Elaxat autem vomitus, non nimii motus ratione, sed si ita fuerit, vt non plenè agatur. Copia enim ciborum, quæ in ventriculo remanserit, & excrementa, quæ his incidant cibis, faciunt vt lasitudo vomitum consequatur, quemadmodum in corporibus nimium impletis dictum iam est. Quod si nec illis causam lassescendi labor inferat, sed cum ita sese haberent, laborarint, nec iis, qui non totum cibum eiecerint, vomitus causa foret lassescendi. Nam si hoc esset, haud erat quod non omnibus euomentibus lasitudo incidere: nunc verò multi post, vbi euomerunt, alacriores certè redduntur.

8 Cur laboriosius brachio est inanem iactasse manum, quàm cum lapide? An quod inani iactura brachium quasi conuellitur vehementiùs: nulla enim in re nititur, quemadmodum cum mittit, missili obdito, fulcire se potest. Huic proximè saltans quoque pondusculis susceptis innititur. Et qui currit, manus obquatiens, se sustentat. Quam ob rem ille plus profilit halteres tenens, quàm non tenens: hic velociùs currit manus obquatiens, quàm non obquatiens.

9 Quam ob causam cursus velox tam in hominum genere, quàm in cæterorum animantium facit, vt capita à morbo tententur? Quamquam cursus vnusquisque detrahare ad ima genus omne excrementum putatur, vt ambulatio: quapropter crura eorum implentur, qui nimium ambulant, quoniam de parte superiore ad imam labitur & alimentum omne, & excrementum, An

An motus quidem vbique agere idem potest. Verum motus ve ox, cum vires intendit, & spiritum retinet, caput concalescit, eiusque venas nimirum inflat, & attrahentes redit facultatis externæ, vt frigoris, vt caloris: adde quæ in pectore continentur. Nam ea quoque attrahi, resorbenturque inde credendum est. Quibus remissis, locum ægrotare illum necesse est.

10 Cur locis æqualibus, quàm inæqualibus, magis fatigatur: ocyus autem iter æquale, quàm inæquale conficitur? An minus laboris tunc est, cum motus non semper eodem habitu agitur: quod in gressu inæquali potius fit: ocyus enim ingredimur, vbi minus contra naturam mouemur. Ergo per locum æqualem parcè: atque frequenter, & ponitur, & attollitur: per inæqualem autem, contrā. Atqui ratio attollendi contra naturam est: vi nanque omnem attollendi usum exequimur. Quod autem per singulos gradus paulum redditur, id multum per multos demum exultat.

11 Cur in planis laboriosius accubamus, quàm in concauis? An eadem ratio est, cur etiam in conuexis laboriosius, quàm planis. Cum enim pondus corporis se eundem in locum, in sedendo, accubandove colligit, facit per afflictionem vt laboretur. Incuruum igitur quàm rectum, idque quàm concauum magis tale se exhibet, nostrum etenim corpus in orbem se colligit potius, quàm dirigat in processum. Quæ autem eiusmodi sunt, hæc per plura attinguntur à concauis, quàm à planis. His eisdem de causis etiam fit, vt quæ cedunt, minus, quàm dura, & retinentia, fatigent, & in accubando, & in sedendo.

12 Cur breues deambulationes fatigationem mouere ampliùs soleant? An quia euariant, incomptæque sunt: faciunt enim vt sæpe subsistatur. De contrario autem in contrarium frequenter mutari, laboriosum est: neutri nanque assuescere sinit. Quæ quidem assuescendi ratio vacat fatigatione: vtriq; autem simul vt assuescas, fieri non potest.

13 Cur qui equo vehuntur, quò longiùs equus decurrerit, eò magis emittere lacrymas solent? Vtrum quoniam aer, qui se obiecit, subinde eò frigidior est, quò minus teporis corpus attingerit. Quod iis etiam euenit, qui cursum nudo corpore agunt: frigus autem mouerè lacrymam potest. An contrā. Res enim calida crymam ciet, velut Sol. Motus autem nimium calorem efficere potest. An propter istum illatum ab aere illud accidit. Quomodo enim venti aduersi oculos perturbant: sic aer occursans eò magis ferire potest, quò equus velociùs agitur.

14 Cur cætera membra, cum perfricantur, pleniora euadant: venter autem soleat extenuari? An perfrictione protinus vehementiore extenuatur, cum is etiam impleri soleat illa fricandi ratione, quam paulatim amplificando admo- uemus, sed non æquè proficit, atque caro, qua de re quæritur: quippe cum omnino in exercitandò, laborandoque venter præcipuè extenuetur.

tur. Ratio igitur, quòd opima quæque concalescit liquefcunt, & ea magis, quæ intentia suapte natura sunt: venter autem cuteus est, cutis verò sua natura tensionē habet. Sedenim quòd venter celerrimè opimatur, ideo & pingue aliquid semper obtinet, nisi morbo laboret. Cuius rei causam dixerim, quòd cibo ex vicino positus est. Cum igitur omnino pingue res propria naturā non sit, sed aduentitium, nec ita necessarium: vt caro adhæreat: ideo & exercitandi, & perfricandi agitatio ventrem concalescens, liquefacit, & macerat, alimentumque, quod inde redundet, membris cæteris disperdit: quam ob rem sedile ventrem opimat, reliquum corpus extenuat. Motiones verò, perfrictionesque ventrem extenuant, reliquum corpus implent, & augent.

15 Cur peracto longo itinere, aut cursu, si quis se super summos constituerit digitos, calces pedum conquatuntur, pronique deorsum labuntur? An propter continuatum, vehementemque motū concitati nerui nondum requiescunt. Fit enim sæpe, vt animus euincere corpus totum possit, membra autem singula inhibere non possit, vbi se quendam in modum commouere: non enim cor, non penem excitum, residere animus cogere potest. Ratio autem rei, quam quærimus, est, quòd multum spiritus circa neruos deurit, quod non, simul ac subliteris, refrigerare potest. Is igitur spiritus concitatus, veluti subtrahendo suo motu deducit, facitque vt pars remotissima minimè contineatur. Itaque calces tremiscunt, quemadmodum imum labrum hominis irati.

16 Qua de causa qui non concitate admodum currunt, numerosè respirant? Vtrum quòd numerus omnis mensuram certo recipit motu. Talis autem motus est, qui per æquas agitur portiones, quemadmodum agunt, qui currunt leuiter. Ergo simul atque agere cursum inceperint, respirant ita, vt cum spiratio per compares vices propter parem metiendi motum reddatur, numerum, siue modulationem possit continuare. An quòd omnis spirandi ratio compari vicissitudine confici soleat, modò quis non retineat, sed tenori trahendi à Natura determinato vtatur. Igitur cum sedemus, aut ambulamus, quòd motus corporis mediocris est, numerus palam non fieri potest: cum item cursum concitate agimus, quòd sensus consequi motum nequeat, numerum percipere spirandi haudquaquam valemus. At cum mediocriter nos ipsi concitemus, motus ipse mediocris modum respirandi sensibilem præstans, explicare numerum potest.

17 Quare inter currendum aer in flatum conuer- ti nobis videatur? Vtrum quoniam dum per cursum agitatur, aerem corporibus nostris continentem excitamus, quod non nisi flatum mouere profectò est: quocirca non solum videtur, sed etiam verò in flatum aer conuertitur. An quòd in currendo aerem impetu nostro violamus: quo factò, sensu aeris per motum magis afficiamur. Ergo rectè in flatum aer se conuertere videatur.

videatur : hoc enim ratione impetus potest euenire.

18 Quam ob rem currentes potius cadimus, quam ambulantes? An quod magis, quam moueamur, attollimus : hoc enim inter cursum, & ambulationem interest.

19 Cur ascendentes genibus, descendentes femoribus elaboramus? An quoniam dum ascendimus, corpus sursum iactamus, distensionemque corporis, genuumque mouemus, ex quo genibus laborandum est. Procliuis autem locis, eò femoribus laboratur, quod iis ipsis enixi cura submouemus. Adhæc, omne, quod præter naturam fit, laborem, dolorumque mouet. Est autem secundum naturam genibus ut antè flectantur : femoribus autem, ut retro. At locis accliuis genua retro flectuntur, nam inniti, firmarique volumus : procliuis autem femora antè coguntur : corpus enim se pronum, propensumque ita defert.

20 Cur in itinere media femoris parte potissimum fatigari solemus? An quod longi cuiusque, atque continui pars potissimum media laborat, eum scilicet stabilitum, fixumque manet : quam ob rem hæc præcipue rumpitur. Femur autem tale est. Ergo partem potissimum mediam eius fatigare merito solemus.

21 Quam ob causam qui humida constant natura, facile à labore, æstuque strangulantur? An quod humor concalfactus transit in aera, itaque acrius vrit. Ergo cum ob nimietatem facultas submouendi non datur, refrigeratio nulla subsequitur, atque ita celeriter homo calore infuso, & aduentio exardescit. Quapropter sudor, spiritusque secessio eos iuuant, qui se exercent, qui denique laboribus se dederunt. Cum enim humor discernitur, atque extenuatur, spiritum inde enasci necessarium est.

22 Quare corpora, quæ modicè constant, temperataque sunt, in morbum sæpius incidunt, & facilius curantur? An vtrunque eadem de causa euenit. Est enim æquabile, quod modicum est. Quod autem æquabile, id compatibilis est. Quam ob rem si qua eius pars laborauit, protinus totum collaborat. Immodicum autem contra, utpote quod seuius sit, partium suarum vitia minus haurit, minusque consentiens est. Ergo sæpius id in morbum hac de causa incidit : facilius autem curatur, quoniam malum partium commune omnium est. Eò nanque debilius red ditur, quò se in plura digesserit : itaque curabilis est. Immodicum verò illud, ut quod rem communi cum partibus non habeat, minus quidè ægrotat, sed difficilius curatur, quoniam malum vehementius vrget.

23 Cur æqualibus, quam inæqualibus locis, magis fatigari solemus, ocyus autem iter æquale, quam inæquale, expeditus? An quod minus laboris tum est, cum non assidue habitu eodem mouemur : quemadmodum in gressu æquabili potius agitur : ocyus verò ingredimur, ubi minus pari tempore attollimus. Ergo per locum æqualem vsus attollendi exiguus est, atque frequens : per inæqualem autem è contrario. Quod

verò per singulos gradus paulum redditur, multum id per multos demum exultat.

Cur femora in descendendo, tibiæ in ascendendo laborant? An labor in ascendendo est, quæ corpus attollitur. Fit enim, ut totum corpus nobis oneri sit. Itaque cui totum incumbit, & quo totum attollitur, id præcipue premitur, atque laborat : hoc autem tibia est. Postremam enim hæc longitudinem tenet, nec modo pedis latitudinem aliquam sortitur. Vnde fit, ut hoc minus se valeat stabilire : itaque ut humeris, ita tibiis pondus sustinemus, laboremque ob eam rem : quo humerus maxime affici solet, tibia quoque patitur necesse est. At in descendendo, quoniam corpus deorsum se defert, propellitque contra naturam, hinc labor, & vexandi ratio prouenit. Itaque laborem huic præcipue admouet, cui incumbit, quodque vexat. Atqui tibia manet, thorax ponderi est, femur sustinet, atque vacillat, eò quod & porrectum in longitudinem est, & supernè versatur, quæ scilicet thorax procumbit.

Cur iter longius tum esse videtur, cum ignari quantum sit ambulamus, quam cum gnari, si modò res cæteræ pares adsint? An quod nosse quantum sit, non nisi nosse eius numerum est, remque non determinatam pluris, quam determinatam esse perspectum est. Ergo quemadmodum, si nosse quantum sit, finitum id esse necesse est : sic etiam si ignoras, quasi reciprocetur, animus cauillatus oberrat, infinitumque id esse videtur, quod finitum est. Quam ob rem si quantum quodlibet determinatum non esse putetur, velut infinitum id esse videbitur, eò quod aptum est, ut sit determinatum. At si determinatum non sit, infinitum est. Ergo id quoque infinitum quodam modo videri necesse est, quod determinatum esse nequaquam videtur.

Cur femora magis, quam tibiæ fatigantur? Vtrum quod propè absunt ab ea parte, quæ excrementum continet : itaque ubi ea pars agitata nimium recaluerit, femora expeditius, ac plenius attrahere possunt, quam tibiæ. An quod femora continentiore constant natura : laboratur enim præcipue propter continui distractionem : quippe cum etsi nullo excremento substat fessum sumus, tamen femoribus, ac lumbis acrius laboramus. An quo modo inguina per ictum oriri nouimus, propter venarum, & neruorum societatem : ita etiam lassitudo potius in femur incumbit, quod quidem ab initio propius abest. An quod femur eadem habitus ratione fungitur suo munere magis, quam tibia : quæ quidem res laborosior est. An quod femora carnis copiam sustinent. Itaque res affatim in his inest, quam Naturæ rationi tribuimus.

Quam ob causam tubercula, & vlcera nonnullis ex labore proueniunt? An corpore impuro motus concalfaciens, excrementa alia etiam cum sudore vaporatim destringit, quæ crassa, & humore prauo, hoc est, acuto, aut amaro, aut salso contenta fecerni penitus suam ob concretionem non queunt. Itaque per carnem intumescent, atque exulcerantur propter amari humoris violentiam.

28 Cur non protinus ab excitatione, aut medicamento epoto, cibis assumi debeat? An quod adhuc corpus purgatur, necdum à labore quiescit, excrementaque excita redundant.

29 Quam ob rem currere, quam ambulare, difficilius est? An quod plus oneris fert, qui currit : is enim elatus, ac pendens, onus super se totum sustinet. At qui ambulat, parte insistente vicissim sustentatur, quasi pariete admotus quiescat.

30 Cur non protinus ab exercitatione esurire incipimus? Vtrum propter colliquesationis residua, dum penitus concoquantur. An propter spiritum, quem labor ex humore subdito mouet. An propter sitim, quam laboris calor inducit : hæc enim accidunt omnia.

31 Cur genitura in somnis iis profluere solet, qui aut labore lassescunt, aut tabe consumuntur? An quod omnino ita continentes sunt, qui natura calida, & humida constant : semen enim tale natura est. Quod autem tale est, ex iis, qui tali habitu sunt, potissimum profluit, cum calor somni accessit : quippe cum corpora tantisper exiguum momentum desiderant, idque intrinsecus, non extrinsecus. Lassæ autem, & tabescentes ita adfecti sunt : redundant enim, & elassati colliquamentis calidis propter fatigationem & motum, & tabefacti propter destillationem, & calorem, quem inflammatio mouet.

32 Quam ob causam crus suum sinistrum diutius perfricare cuique difficilius est, quam dextrum? An quod parte dextra laborare valemus : rebus autem præter naturam proficiscentibus, annueranda cruris sinistri frictio est. Fit enim dextra transversa in partem obiectam. Quæ autem præter naturam fiunt, hæc facta sunt difficilia. Sinistra verò manu partem perfricando dextram, nil tale percipimus : quoniam hæc neutram in partem apta, potensque est.

33 Cur breues deambulationes laboriosiores sunt? An quod cerebrò subsistimus, neque æquabili incessu mouemur, cum flectimus, quod certè laboriosum est.

34 Cur in Sole cum stamus, amplius recalescimus, quam cum mouemur : cum tamen motus omnis vim calfacitoriam habeat? An non omne mouendi genus calfacit, sed est etiam quod refrigeret. Quod etiam in ollis feruentibus patet, quoties eas afflamus, aut versamus. An quia cum stamus, calor permanet : is autem, cum permanet, amplius calfacit, quam cum mouetur. Corpus etenim nostrum vaporem de se quendam mittit assidue tepidum, qui proximum aerem tepescit, quemadmodum initio. Cum igitur quiescimus, aer nos circumfundens, calidus ob prædictam causam redditur. At cum mouemur, flatus excitatur, qui refrigerare nos potest, flatus enim quisque frigidus est.

35 Quam ob causam qui equo currunt, quod contentius cursum arripit equus, eò magis lacrymas mittunt : & qui pedibus, eò magis, quod intenderint vehementius? Vtrum quoniam aer occurrans frigidus est : frigus enim lacrymas mouet, quippe quod contrahendo, condensandò-

que carnem, humorem exprimat. An potius contra, calor enim sudorem elicit : lacryma autem sudor quidam est. Quapropter à concalfactione vtrunque mouetur, & sudor, & lacryma, falsaque pariter ambo sentiuntur : calorem autem efficere motus potest. An propter aeris ictum. Quomodo enim flatus aduersi oculos perturbant, ita etiam aer, qui se obiecit. Quò igitur quis contentius equum agitat, aut ipse currit, eò magis ictu quodam molli obuerberat, & ferit : quò fit, ut se lacrymae promant, scilicet meatibus oculorum relaxatis appulsi eiusmodi. Omnis etenim ictus, vim aut secandi habet, aut collidendi, & contundendi.

Quam ob rem qui cursum concitate agunt, conuulsis maxime corripiantur, ubi quis inter currendum eis substitit? An quod ea potissimum diuelluntur, quæ in partem contrariam vehementer trahimus, atque mouemus. Cum igitur homini currenti, vehementerque membra ultra propellenti, quis obuiam factus obstiterit, accidit ut in partem retorqueantur contrariam, quæ adhuc antè pertendunt, atque propriunt. Itaque diuulsio eò vehementior incidit, quò cursus contentius agitur.

Cur ambulationes minus laboriosæ sunt, quæ inæquales, quam quæ rectæ aguntur? An quod elatio erecta secundum naturam corporis vniuersi est. Ideo ambulationes, quæ loca æquabilia præstant, laboriosiores, quam inæquales, sunt, quod in easdem partes laborem admouent, quod inæquales illæ non faciunt : dispersiunt enim magis in omnes corporis partes. Calidis verò temporibus, arctæ ambulationes plus valent, quam frigidis, quippe quæ partibus externis laboris plus adferant, & quidem sudorem ob eam rem euocando extenuent. Frigidis contra carnem reddunt constantiorem, & stomachum excitant, ciborumque faciunt avidiorem. Partibus enim internis calorem augent, membrisque ad frigoris appulsum torpentibus, locum intimum calore amplificato efficacius purgant. Carnem verò solidiorem efficiunt, ut quæ per eam vniuersam nequeant superare. Accliues etiam ambulationes laboriosiores sunt, quam decliues, magisque extenuant. Faciunt enim accliues, ut lumbi potissimum laborent, decliues, ut femora. Ponderus enim totum femoribus, incumbens grauissimè premit : quod item, cum præter naturam sursum efferri à calore cogatur, maiorem in modum calefacit. Itaque efficitur, ut arduum ambulandi genus sudores moueat, spiritum suspendendo extenuet, lumbis dolorem infligat : crura enim magna cum difficultate se in sublime recipiunt, lumbos inflectunt, frangunt, euellunt : quibus de causis labor præcipuus sequatur, necesse est. Locis autem duris, ac renitentibus habitæ ambulationes, musculos, & neruos crurium effatigant, quippe quæ cōtentiones tam neruis, quam musculis moueant, cum enixu agantur violento. Mollibus verò, & cedentibus locis facta ambulatione, articuli potissimum sentiunt. Fle-

xus enim articulorum percrebescit, cum solum succumbat, dilabatur, & cedit. Eadem autem quaestio est.

38 Cur locis arduis difficilius ambulemus? An quoniam omnis ingressus attollentia, & positione conficitur. Attollere igitur præter naturam est, ponere secundum naturam, proponere medium tenet. Inambulando autem locis arduis, multum fortis illius auerfa à natura proculdubio est.

39 Quare qui cursum ex equo arripiunt, minus decidunt? An quod magis cauent, quam timet.

Eorum, quæ ad sessionem, accubitum, & habitum corporis pertinent, Sectio sexta, cuius quaestiones VII.

Vr sedile alios impleat, alios extenuet? Vtrum habitus corporum distent inter sese, ut alii calidi, alii frigidi sint. Ergo si ita est, calidi implentur: cibum enim corpus visui caloris exuperat. Frigidi autem, quod aduentitium calorem desiderant, quem ex mouendi ratione potissimum corpus acquirit, concoquere nequeunt, dum quiescunt. An quod alii excrementis redundant, & ob eam rem motum, qui ea consumat, desiderant, alii non.

2 Cur partes corporis distendendæ sint? Quod qui se exercitant, facere consueuerunt. An quod meatus spiritui suo perpurgari oporteat.

3 Cur inflexo corpore curbare melius est, quod etiam medici plerique præcipiunt? An quod venter, cum recalescit, concoquere celerius potest: sic autem fit, ut recaleat. Adhæc, locum flatibus dare, in quem incumbant, & innitantur, oportet: ira enim minimè infestabunt. Hinc enim & varices, & cæteri abscessus iuuant, quod ventriculos continent, in quibus flatum recipere queunt. Ergo corpore extento, cauerna nulla eiusmodi adigi potest: locum etenim omnem viscera occupant. Inflexo autem, singula laxantur, & sinuantur.

4 Cur vertigo surgenti potius accidat, quam sedenti? An quoniam quiescenti humor vniuersus vnum in membrum se colligit: ex quo cruda etiam oua nequeunt circūuerti, sed protinus decidunt: mouenti autem, humor se æquè expandit. Surgimus igitur à quiete, qua ita affecti sumus: sedemus verò à motu, quo humor equabili modo quæque versus se porrigit.

5 Quam ob causam cum parte corporis dextra cubamus, somnus magis accedit? Vtrum quod vigilantes contra, quam dormientes, habemus. Ergo cum vigilando parte accubemus sinistra, contrarium sequetur in dormiendo, initio, cum id contrarium sit. An quod somnus priuatio motionis est. Partes igitur, quarum mouere interest, quiescunt oportet: dextrarum autem partium mouere interest. Cum autem ita accubamus, velut initium quoddam refurgendi detentum, obligatumque habemus.

6 Cur torpeamus, & cur manus potissimum, &

pedes? An quod torpor refrigeratio est: fit enim propter sanguinis priuationem, translationemque. Manus autem, & pedes, omnium maximè partium carnis inopes, nerui vberes sunt, sed præcipue pedes: itaque ad refrigerationem celerem sua natura nimium habiles redduntur.

Cur libenter in latus accubamus sinistrum, in dextrum autem potius dormimus? Vtrum quoniam conuersi ad lucem, minus dormire possumus, somnus enim in tenebris ocyus obrepit. An quod dum in latus accubamus sinistrum, vigilare magna ex parte consueuimus, & operum functio sic nobis expeditior est. Itaque ad contrarium opus, contrarius habitus, siue situs requiritur. Inuitatur autem quisque magis ad opus fungendum habitus sui ratione.

Eorum, quæ ad consensum naturæ animantium pertinent, Sectio septima, cuius quaestiones V.

Vr à morbis nonnullis ægrotant, qui appropinquant, à sanitate nemo sanari potest? An quoniam morbus motio est, sanitas autem quies: ergo ille mouere potest, hæc non potest. An quod alterum non voluntariè, alterum voluntariè accidit: res autem non voluntariæ, à voluntariis, consultisque plurimum differunt.

Cur oscitanti sæpe in oscitando respondemus: & cum mingentem quempiam videmus, ad mingendum mouemur? quod iumentis præcipue accidit. An propter memoriam: mouemur enim ea ipsa parte, quoties meminimus. Hominibus tamen, quia sensu præditi sunt faciliore, statim vbi viderunt, euenit, ut moueantur, reminiscanturque: iumentis autem vidisse non satis est, sed alio quoque sensu opus est. Quam ob rem addito etiam olfactu, mouentur: quoniam sensus hic in brutis mobilior est. Vnde fit, ut eodem in loco sequentia mingant omnia, quo primum eminxit: tum enim præcipue mouetur, cum olfaciunt: olfaciunt autem postea, quam appropinquantur.

Quam ob rem cum secari quempiam, aut vri, aut torqueri, aut aliqua re tetra affici videmus, animo vicem eius doleamus? An quod omnium communis natura humana est: ignoscimus ergo, cum tale quippiam inspeximus, propter naturæ consortionem & familiaritatem. An quomodo nares, & aures delibationes quasdam rerum obductarum pro sua facultate concipiunt, sic etiam aspectus afficitur, & à re delectabili, & à tristi.

Cur à tabe: & lippitudine, & scabie capiuntur, qui appropinquant: ab aqua autem intercute, aut febre, aut stupore attonito, aut aliquo ex numero cæterorum malorum capi nequeunt? An à lippitudine, quoniam oculus pars nostri corporis mobilissima est, cæterarum maximè omnium rei sibi obiectæ similis reddi potest, quippe qui facile moueatur ab eo, quod moueat: itaque fit, ut cum perturbatum obspicit

obspicit oculum, facile ipse etiam perturbetur. Talis autem contagio ideo fit, quoniam spiritum viciat, grauèque reddit. Celerrimè autem omnes morbis arripiuntur iis, qui spiritu corrupto proueniunt, quale est omne pestilens genus: qui autem appropinquant, talem profecto spiritum trahit, qualem eger ille reddiderit. Ægrotat igitur, quia morbiferum est, quod spiritu trahitur. Ab vno autem morbum excipit, quoniam vnus ille sic spirat, cæteri secus: eundem verò, quia quo ægrotarit, hoc non aliter spirat, quam fuerit affectus. Sed scabies magis, quam lepra, cæteraque vitia generis eiusdem. afficere potest: quoniam per summa corporis errat, & humore manat glutinoso: genus namque prurientium omne, tale est. Itaque id ipsum quia per summa oritur, glutinosumque est, nimirum idcirco attingere potest: cætera nequeunt, vel quia non per summa proueniunt, vel quia persistere suam ob siccitatem non possunt, quauis per summam cutem oriantur.

5 Quid est quod nonnulla ex iis, quæ auditu tristitia nobis occurrunt, ut inhorrescamus, efficiant? ut ferra, cum exacuitur: & pumex, cum secatur: lapis, cum mola frangitur. Quæ autem notæ affectionum patent aspectui, hæc genera affectionum ipsa in nobis creant: dentes enim stupefcunt, cum aliquos, rem acidam edentes aspiciunt. Et plerique cum homines laqueo suspendi, vel aliter strangulari viderent, ipsi defecerunt. An quod vox omnis, genusque omne strepenti spiritus est, qui nostrum subiens sensum, mouere nos solet: cumque suum motum vel magnitudine, vel pulsu vehementiore amplificauit, aliquid ex iis, quæ nostro in corpore latent, immutat, & sæpe interimit. Ergo spiritus, qui quauis magni, lenes tamen adierunt, si sedem ipsam commouent sentiendi, & latitia ob eam rem nos afficiunt. Asperi autem quoniam ictum inferunt vehementiorem, sedem utique illam concutiunt, longèque pro ictus sui facultate se porrigunt: quod idem res quoque frigida faciunt. Frigiditas enim, vis quædam est: sed hanc horrorem inuehere posse, dictum iam est. Asperitas verò, quod pulsu frequente initium pilorum concutiens, in partem pellit aduersam, efficit ut pili se erigant: pulso namque initio, caecumen pilorum se transferat in partem aduersam, necesse est. Itaque fit, ut pili exurgant, omnes enim deorsum procumbunt. Et spiritus quoque, qui per aures corpori se insinuat, de summis ad ima se defert. Ergo cum soni, quos modò diximus, asperi sint, horror utique ob causam prædictam moueri potest. Sed euenit, ut cæteris partibus potius, quam in capite, moueatur: quoniam ut pili partium cæterarum imbecilliores sunt, sic affectus hic imbecillus occurrit. Cum verò sensus audiendi, quam videndi, obtusior sit, affectus quoque hebetiores per summa errant, qui ab eo ipso proficiunt. Horror autem talis est, quam ob rem multis, ac variis causis existit. Sensus videndi verò, cum omnium exquisitissimus certè sit, euenta quoque ipsa pro sua præstantia

solet ingerere. Quocirca efficitur, ut ipsi veri affectus proficisci ex eo possint, quauis vero leuiiores. At in sensu audiendi, ut ipsos minimè, sic eorum expectationem nimirum horremus: rei enim tristis, & anxie expectatio existit.

Eorum, quæ ad rigorem, atque horrorem pertinent, Sectio octaua, cuius quaestiones XI.

Va de causa liuidi, qui rigent, efficiuntur? An quoniam sanguis impulsu frigoris gelascit, gelatus autem nigrescit propter caloris inopiam: albedo namque igni tribuitur. Quapropter iis maximè, qui ætate processerunt, caro liuescit, eo quod calorem minimum obtinent.

Cur extrema corporis maximè rigent? An propter angustiam: foramina enim, quæ in his infunt angusta, parum obtinent sanguinis, & ob eam rem parum caloris sortiuntur, sanguis enim calidus est.

Cur pedes magis tunc rigent, cum suspensi tenentur? Vtrum quod frigus amplius ad eos aspirat. An quod sanguis in breuiorem se contrahit partem: itaque reliquum frigori opportunè redditur, cum calor desit.

Cur tempore frigido maximè vis illa famis intolerabilis incidat, qui caninus appetitus vocatus est, & hyberno potius, quam æstiuo? An quod vitium hoc ob inopiam alimenti sicci solet accidere. Tempore autem frigido, & hyberno, cum calor in angusta se contrahit, ocyus interdum deficit alimentum: quod cum defuerit, vitium id esuriendi accidere consentaneum est. At si in ea cibi vitiosa cupiditate, resolutio, imbecillitasque secuta est, materia statim interna corporis à collecto calore colliquescit: quæ si ad locum cibo à Natura destinatum influxerit, pro cibo se ipsam corpori applicabit. Sed si spirandi sedem adiuerit, obmutescere, atque languescere necesse est: obmutescere, inquam, quoniam spirandi meatus intersepitur, atque obducitur. Languescere autem est propter inediam, consumptionemque corporis. Celeriter tamen, paucisque remediis subuenitur, eo quod eius mali ortus extrinsecus est. Frigus enim calorem corporis nostri intrò compellens, ac contrahens, insatiabilem edendi illam cupiditatem iniicit, atque intendit. Quam ob rem quo modo, qui in metuendo tremebant, pallebantque, periculo demum liberati, subito ad priorem redeunt statum. Sic etiam esurientes illi, vbi parum sumpserunt panis, citissimè recreantur, ut qui vi paulò à Naturæ ratione summoti aberrant, non qui penitus corrupti desciscant: quod enim naturæ tenore in partem aduersam violat, idem suæ naturæ eundem restituit. Ergo dimisisse tantummodo sat est, quemadmodum cum aduersi inter se pueri funem inxi retrahunt: quippe qui fune demisso, resupini protinus decidunt.

Cur homines pleni admodum rigent, cum tantum pingue omne calidum sit? An propter amplitudinem molis, ut longè à calore interiore distant partes extremæ corporis, sic propè ab extre-

mo frigore absunt.

6 Cur exercitati frigus vehementius sentiunt, quam inexercitati? Vtrum quoniam pingue consumptum à laboribus est, quod utique teporem præstare potest: calidum enim opimum est. An quod spiratoria, solutioraque corpora eorū ideo sunt, quoniam pingue, excrementumque omne detractum est, ita ut frigus arcere nequeant. An quod meatus per sudationem patefactis veluti ostia complura aperiuntur? Habitum autem nõ eundem sanitati, & robori esse idoneum, manifestum est: alteri nanque pinguis, alteri laxus videtur planè conuenire.

7 Cur ut aqua frigida, sic etiã calida infusa horrescimus? Res enim contrarias inter se idem efficere posse, absurdum est. An frigida infusa calor interior extinctus horrorem mouet: calida autem frigus externum circumobstans in vnũ, seque profugum intercolligens efficere identidem potest. Quam ob rem vtrunque ab eodem agit: verum aliàs ab interiore, aliàs ab exteriori, ut dictum iam est.

8 Cur pili in cute inhorrescunt? An vbi cutem contraxerunt, meritò eriguntur, contrahunt autem & rigore, & aliis plerisque affectibus.

9 Cur ad extremam vrinæ misionem inhorrescere solemus? An dum humor calidus ille inest, vesica, & meatus, qui circa eam positi sunt, pleni, expertesque frigoris substant: post verò, vbi effluerit, aere frigido replètur: quippe cum inane nihil esse Naturæ ratio patiat, sed aut aeris, aut corporis plenum esse vnumquodque necesse sit. Quod igitur aer se induxerit frigidus, rectè ut inhorrescamus, euenire solitum est.

10 Cur lingua rigentium, quemadmodum vinolentorum, errare soleat? Vtrum quod à frigore concrescit, ac indurescit, mouenti difficilis redditur, itaq; explanare nõ potest. An quia partes exteriores impulsu defantur frigoris, humor intus collapsus linguam madificat, ex quo suo fungi officio lingua nequit, ut de vinolentis etiam diximus. An quod per tremorem à rigore inductum motus temerè agitur, articulatè vocabula lingua edere non potest, itaque oberrat, & hæsitat.

11 Cur pili rigentium eriguntur? An quod ex refrigeratione calor in partem interiorè se colligit. Vbi autem carni caloris beneficium defuit, magis cogitur: quod cum fit, pili erectiores effici coguntur.

12 Cur hyeme, cum currimus, magis rigemus, quam cum stamus? An quod aer nostra ambiens corpora, cum stamus, vbi semel concalescitur, nullam præterea molestiam infert: cum autem currimus, alius, atque alius subinde frigidus occurrit, itaq; facit ut magis rigeamus. Adhæc, aer, cum mouetur, frigidior redditur: quod quidem in currendo maximè incidit.

13 Cur tempore matutino frigus acrius est, cum tamen Sol propius adsit? An quod plus temporis absentia Solis exultat: itaq; terra magis refrigerata est. An quod die instante, ros, & pruina cadere solent, quæ frigida sunt: an hæc etiam

ideo cadunt, quoniam calor, qui sursum se extulit, vi frigoris superatur, idque non nisi Solis absentia euenit. Quocirca cum longè distat, nõ cadunt: cum propius, tum cadunt, atque gelantur, quod locus vehementius refrigeratus est, propter Solis diurniorem absentiam. An die instante potius flatus incitantur nocturni, qui geli di admodum spirant. An nobis frigus acrius idcirco esse videatur, quod cibi cõcocti iam sunt. Inaniores autè cum sumus, frigus utique acrius sentimus: argumētum quod à vomitu maximè frigere solemus.

Cur vbi sternuimus, vel minimus, plerumque inhorremus? An quod ratione vtraque venis subtrahitur: quæ cum redditæ sint inaniores, aer ingreditur frigidus, qui rigorem ciete potest.

Qua de causa qui vehementer frigent, si statim copioso igne concalescant, indolescunt: si paulatim verò tepescant, sine magno dolore recreabuntur? An quod omnino cum ex contrariis in cõtrarium proficiscitur, magna effici cõmutatio solet: ut in arbore, si quis paulatim defleat, nihil est quod stirps ipsa labore. At si vehementius corripit, nec sensum abducit, frangatur necesse est. Ergo si simile à suo simili affici nihil potest: ut autem calor hominis frigentis intus consistit, & se colligit, sic humor, & rigor parti exteriori relinquuntur, contrariumque sui cõtrarii corrupens est: efficitur rectè, ut si sensim paulatimque tepescant, calor prouocetur, & exeat, itaque minus doleant: sin subito recalcant, amplius adducatur, & adstringatur, itaque dolendum acrius sit.

Cur refrigerati magis ab eodè calore vrimur, atque dolemus? Vtrum caro suæ densitatis calorem occurrentem sibi tenaciùs suscipit, ex quo plumbum calidius redditur, quam lana. An calor vi penetrat, eò quod foramina nimio frigore congelauerunt.

Quam ob causam non rigent, qui irascuntur? An quod ira, & excandescencia timiditati contrarii affectus sunt. Est autem ira ex igne proficiscens. Cum enim intus copiam ignis retinemus, concalescimus: quod maximè in puerili ætate perspicere licet. Pueri nanque primùm spiritus copiam retrahunt, deinde rubescunt: calor enim cum intus affatum substat, atque humificat, facit ut erubescant. Nam si quis largè aqua frigidam his infuderit, iram sedabit: sic enim calor extinguitur. Puidi autem, & perterriti contrà: rigent enim, & frigidum pallidique redduntur. Calor nanq; eorum se summis de partibus seuocat ad imas.

Quam ob rem quoties inhorrescimus, pili eriguntur? An quod in humore occlusi continentur: humor enim à pili altitudine vincitur. Horror autem, pulsus frigoris fieri solet. Frigus verò calidum humorem congelet, Naturæ ratio vult. Ergo vbi commutatus, congelatusque humor est, in quo pili inhærent, pilos ipsos mutari consentaneum est. Aut igitur in partem aduersam se transferent, aut in eadem manebunt, si rursus vincere humorè potuerint: at verisimile nõ est, ut hu

ut humorem gelatum, coactumque, pilus vincere suo pondusculo possit. Ergo si pilus vndiq; gelido humore obsessus, ne quo valeat inclinari, restat sanè ut erectus consistat: an quoniam calor pulsus frigore ad locum interiorè se colligit. Vbi autem calor se à carne dimouit, caro plenius cogitur, coactaque, pilos eminentius erigi cogit: quo modo si cum terræ festucam, aut aliud quodlibet infixeris, construas, atq; vndiq; terram colligas, efficies, ut magis erigi possit quod infum est, quam si terra minus esse coacta fueris.

19 Quam ob causam qui rigent, maximè dormire non valeant? An quoniam qui riget, spiritum magis retinet, quam laxat: qui dormit, magis reddit, quam attrahit. Facit igitur rigor, ut contragatur, quam cum dormitur.

Eorum, quæ ad vibices, & cicatrices, & pelles pertinent, Sectio nona, cuius questiones XV.



Vr pelles receter detractæ, maximèque; arietum, verberum vulneribus, & vibicibus admotæ, & oua super cõfracta prohibent vlcera, ne consistant? An ratione vtraque humor colligi, intumerèque; prohibetur. Pars enim collisa humorem trahit, intumescitque propter feruorem. Oua sua lenticia glutinant, atque ita intumescere non sinunt, ut etiam in ambustis glutinæ agitur. Conglutinare possunt pelles quoque, ob suam lenticiam hærentes nimirum, similibusque; suo calore concoquunt, inflammationemque; sedant: neque enim detrahere eas solemus, nisi diebus aliquot post. Etiam qui ex sale, acetove perfricandum censent, inflammationem tollere volunt.

2 Cur cicatrices reliquo quidem in corpore nigrae, oculis albæ inducuntur? An quod cicatrix colorem priori contrariũ trahit, scilicet quemadmodum omnia, quæ egrotarint. Vlcerata autem parte oculi nigra cõtrahi solent: veruntamen neque in corpore statim nigrescunt, sed principio albæ sunt: neque in oculo semper nigrae, sed demum vel ex toto, vel magna ex parte redduntur.

3 Cur ferula oras, siue ambitum plage rubidum, medium album facit? Vtrum quod sanguinè pellet ex medio, quod maximè ferit, quia in orbem se colligit, & rotunda est. An ea quidem de causa sanguinem deinde redire oporteret. Rubedo autem, non nisi concursus sanguinis est, isque in eum locum, qui ictus est.

4 Quare cum membra à ferula vehementius feriuntur, medium carnis albũ, ora rubra redduntur: ligno autè contrà, medium amplius rubet? An quod ferula suam ob leuitatè, vbi vehementer percussit, sanguinem residentem per summa dissiptat. Itaque vnde sanguis defuerit, mox ea pars alba existit: quod autè plenius fluxit, hic rubor ambit. Cùmque plaga intumuit, sanguis citò suam sedem repetere non potest, quoniam & exiguus est, & relationem per accliuè agat, necesse est: nõ enim nisi copia magna referri potest contra naturam. At ictus, quos dura corpora inferant, affligunt, colliduntque; ponderis sui ratione, ac robore. Afflictum itaq; medium cauum redditur,

collisum autem rarum existit: collisio nanque, dissectio, & distractio leuis est. Quod cum cauũ, collisumque; reddatur, sanguis ad id summus de oris vndiq; fertur: nam & aptus ferri deorsum est, & laxa expeditius subit, quod ea cedunt facilius. Vbi autem sanguis eò ipse se collegit, efficitur meritò ut medium rubore tingatur: ora autem, quas deseruit, albedine decolentur.

Cur nigrae cicatrices hominum sunt, qui vitio lienis tenentur? An quod sanguis eorum corruptus est, propter admisionem morboſi, diluti; sanguinis qui à liene procedit. Cicatrix igitur cute prætenui, summamque; consistit. Sanguis verò ille, quia ut dilutus, & calidus sit, niger est: cicatrix nigram transpèctus utique ostendit, & quidem sæpius. Hac eadè de causa cicatrix nigrior fit: sanguis etenim cutis imbecillitate frigescit, & calore enaporatè, atrior redditur. Senioribus etiam pari ratione cutis magis nigrescit, & natiuae cicatrices atriores, quam iunioribus, habentur: est enim quasi vibicatum corpus eorum totum, nõ ob aliquam cutis tenuitatem, sed quod calor defecerit.

Verum quæcunque rei eiusdem causam obtinent, vim habent eandem ad agendum, an non? Verbi causa, cum vibices discuti, & ab ære, & à radica, & à faba commaducata, & à pulmone, & ab argilla, & ab aliis huiuscemodi possint, singulane vi eadem hoc efficiant, an diuersa? An æs ideo tollit, quoniam rubiginem præ se fert, quæ pro medicamento accipi potest. Faba verò, & pulmo, & argilla, eò quod ad se attrahunt propter sui corporis raritatem, cæteraque prædicta, aliis ex causis idem faciunt. An vltimum quidè in his omnibus idem est. Quod autè antecedit, hoc discrimini fore, nihil est quod prohibeat.

Cur cæteræ cicatrices nigrae, oculi albæ consistunt? An quod cicatrices colorem contrahunt contrarium parti, in qua efficiuntur. At in parte oculi nigra fieri solent: ergo albæ efficiantur, necesse est.

Cur ictus ferule dolorè amplius mouet, quam aliquod duriorum? Ita enim depræhenderetur, si quis cum verberat, ratione considerat, cum tamen ictum durioris, vehementiorem esse ratio potior exigit: acrius enim ferit, quod durius est. An quod caro non solum cum percutitur, sed etiam cum repercutit, dolet. Igitur à duris percuti tantum potest: cedit enim propter eorum duritiem. At verò à ferula vtrunque sanè accidit, ut & percutiatur, & repercutiat, propter ponderis leuitatem, cum scilicet non cedat, sed renitatur, ita ut ictus possit duplicari.

Cur thapsia, & cyathus, quæ contraria planè inter se sunt, pariter vibices possint discutere, *hic principio, illa post? Cyathus enim frigidus est: quod etiam poeta inquit Homerus:

-Et gelido dentes defixit in ære. Thapsia verò calida, & vrens. An quod ut animo deficientibus aqua, sic cyathus vibicatis occurrat. Obuians enim refrigeratio, calorem prohibet educi è sanguine, qui per ictum ad summa confluere corporis, atque concrefcere solet, vbi calor decesserit. Fit enim, ut perinde, ac si extrã

fit, congeletur, cum sub cute est, propèque abest, ut extra sit. At verò cum calori exitus negatur, non concrefcit, sed se rursus diffundit, & sedem vnde effluxit, repetit. Quod idem thapsia quoque præstare potest, quippe quæ caloris sui facultate prohibeat, ne sanguis gelaſcat.

10 Cur æneis quibusdam admotis, ut cyathis, aliisque generis eiusdem, vibices reprimi, resoluique possunt? An quoniam æs natura frigida est: ergo calorem effluere vetat è sanguine, quem ictus collegit. Eo nanque per summa corporis exhausto, vibex existit. Itaque celeriter admo- uendum est antè, quàm geletur. Et thapsia verò ex melle illita eadem de causa iuuat: quia enim calida est, sanguinem refrigerare prohibet.

11 Cur si eodem in loco sapius vlcus extiterit, cicatrix atra ducetur? An quacunque parte vlcus se ostenderit, hæc admodum debilitatur, eoque magis, quò vlceratum sapius sit. Debile autem omne frigescit, humorisque plenum est: quo fit, ut nigrum quoque appareat. Et quidem vlcera magna, & vetera, cicatrice atra obducta videmus. Sæpe autem vlcus cœpisse, non aliud est, nisi vlcus diu habuisse.

12 Cur vibicibus cyathos admouere solemus? An quòd locus, quo icti fuerimus, refrigeratur, calorque inde omnis decessit. Cyathus itaque admotus, facit æris frigiditate, ne calor abeat.

13 Cur pili cicatricibus nequeunt exoriri? An quòd omnes meatus obcæcantur, & variant, è quibus pili se promouere solent.

14 Cur ictus tumorem, liuoremque suscipiant? An quòd de loco percusso humores disiecti, in loca proxima ruunt, in quibus offendentes retorquentur. Itaque coniuncta, conglutinataque humorum copia, tumor per collectionem exurgit, & si quæ venulæ ruptæ sint, confluuium id humoris sub- euentum fiat, necesse est.

*Eorum, quæ ad res naturales pertinent,
Sectio decima, cuius quæstiones
L X V I I.*



Utr in animantium genere alia tuffiunt, alia non? Verbi gratia, homo tuffi, bos minimè. Vtrum quòd cæteris maxima ex parte excrementum aliòrum se vertit: homini autem eò conuerti Natura voluit. An quòd homo maximum, humidissimumque cerebrum continet. Tussis autem pituita destillante fieri solet.

2 Cur homini tantummodo ex omni animantium numero, sanguis è naribus defluit? An quoniam plurimum cerebri, idemque humidissimum homo continet. Vnde venæ excrementis per ora eodè tendentia nimium repletæ, profundere inde coguntur. Sanguis enim vitiatuſ quisque, integro tenuior redditur. Talis autem est, qui se cerebri excrementis misceuerit, & quasi in faniem degenerat.

3 Cur alia ex animantibus sub cutem, alia intra carnem, alia utroque modo pinguescere consueverunt? An quibus densa est caro, iis inter cutem,

& carnem humor prætenus cogitur: quòd is semper sua natura eminet, atque residet, qui tandem concoctus, pingue effici solet. Quæ autem carne sunt rariore, cutemque gerunt obuiam, hæc opima intra carnem redduntur. Quæ verò utroque modo se habent, utroque; etiã pinguescunt.

Cur vitiliginem pueri, mulieresque minus habent, quàm viri, & in eo ipso fœminino sexu, quæ prouectæ ætate sunt, magis habent, quàm minores? An quòd vitiligo exitus spiritus. Corpora autem puerorum contextu densò, non facili expiratu constant, & mulierum minus expirant, quàm virorum. Spiritus nanque in menstrua se auertit fœminæ: densitatem verò læuitas eiusdem fatis declarat. Quæ autem corpora ætate processerint, aut consenuerint, respiratoria euadunt: hæc enim modo ædificii veteris, structuram suarum partium laxiorem iam habent.

Cur homo tantum habeat vitiliginem? Vtrum quòd tenuissimam is ex omnibus animalibus cutem habet, simulque flatibus redundat: indicium verò, quòd vitiligo partibus tenuissima cute obrectis, maximè, primùmque existit. An & his ipsis de causis, & præterea quòd homo vnus ex omnium animantium numero canescit: quippe cum in vitiligine pili canitie immutentur. Itaque fieri non potest, ut vitiliginem habeant, quæ nunquam canescere soleant.

Cur capris, & ouibus lac plurimum demulgetur, quæ corpore non maximo sunt: homini autem, & boui minus, scilicet ad corporis proportionem? Vtrum quòd his copia in corpus absumitur, cæteris in excrementum se confert: ouibus autem, & capris, quantum excrementi accesserit, omne in lac transit. An quòd plura gignunt, quàm quæ magno sunt corpore: itaque plus attrahunt excrementi, quoniam plura alendum sit. An his grauidis plus excrementi propter corporis imbecillitatem redundat. Lac autem excremento consistere certum est.

Cur animantium alia, cum aquam mutarint, colore suum amittunt, similiisque loci illius domesticis redduntur, ut capræ: alia verò nunquam amittunt, ut homo.

Ad summam cur alia mutantur, alia non: ut coruus, qui semper incommutabilis persistit? An quorum natura vincere, perdomareque; humorem non potest, ut auium, quæ vesicam quoque nullam ob eam rem obtinent, hæc nusquam mutari possunt.

Sed cur non illa eadem, sed quæ nata ex his sunt, hæc mutantur? An quòd recens nata, suis parentibus sunt infirmiora.

Cur mares corpore maiori ex toto penè sunt, quàm fœminæ? Vtrum quòd mares calidiores fœminis sunt: quæ res vim obtinet augendi. An quòd mares præditi natura integra sunt, fœminæ manca, ob læsæque desciscunt. An quòd mares longo temporis spatio perficiuntur, fœminæ breui.

Cur in animantium genere alia breui tempore pariunt, alia diu gestant? An longius perfici solent, quibus longiora sunt vitæ spatia. Sunt autem partu tardiora, quæ longo tempore viuunt:

uunt: sed non vniuersaliter id est. Equus enim ut tardius maximè, quàm homo, parit, sic viuere minus potest. Cuius rei causam, vuluæ, siue vteri durities habet. Quomodo enim ager sitiens haud citò suas stirpes enutrit: sic durior vulua equarum, in formando, nutricandoque; suo fœtu remouetur.

12 Cur proles cæterorum animantium magis, quàm hominis, suis parentibus similem gerit naturam? An quòd homo vago, varioque; plurimum animo in coitu est: prout autem pater, materque; in conceptu affecti fuerunt, ita partus euariant. Cætera verò animantia omnia, aut certè plurima, rei tantum ipsi intendunt, totaque; sese Veneri dedunt. Adde quòd ob eam auuiditatem, minus repleri magna ex parte patiuntur.

13 Cur alibi tam homines, quàm equi, oculis magna ex parte cæcis sunt? An cum oculi triplici coloris genere distinguantur, nigro, caprino, & cæcio, corporis totius colorem oculi quoque color consequitur: itaque haud immeritò cæcius est.

14 Cur homines nana statura proueniunt? Vel potius quærendum in vniuersum, cur in animantium genere alia paruo, alia magno consistant corpore? Causa duplex sanè reddi potest: aut enim locus, aut alimentum id facit. Locus, si angustus est: alimentum, si exiguum. Quod etiam partu iam edito nonnulli efficere conantur, ut qui catellos in caueolis oclusos educant. Quibus itaque causæ locus est, hi pomiliones redduntur. Sunt enim latitudine quidem, profunditateque pro magnitudine suorum parietum, breues tamen omnino. Cuius rei causa est, quòd re- ctæ lineæ in aduncas se flectunt. Igitur quo modo tabernarum picturæ, quanuis breues, tamen distentæ in latitudinem, profunditatemque cernuntur: ita pomiliones quoque formari ex loci angustia incidit. At verò qui ob alimenti inopiam perfici non potuerint, hos membris quoque puerilibus constare videmus. Fitque ut aliqui, quanuis breues admodum sint, modicè tamen coagmentatas omnes sui corporis partes habeant, ut Melitenses catelli. Ratio enim quòd non ut locus, sic Natura suum efficere oportet.

15 Cur in animantium genere alia maris, ac fœminæ coitu creantur, alia concretis quibusdam proueniunt, simul atque primus eorū ortus extiterit? Quemadmodum qui de Natura docent, primum animantium ortum, mutatione, dimotioneque Mundi, vniuersique orbis ingente differunt extitisse. Et quòd nunc si rursus ortus eiusmodi futurus sit, tales motiones aliquas præcessisse oportebit. Principium enim rei cuiusque; maximum est, quippe quòd rei dimidium sit. Semen autem genitale principium esse, certum est. Ergo minorum animalium quorumque ortus, nullo agi mutuo concubitu solet: causa cur ut principio extiterunt, creati nunc etiam possint fœminis exiguitas est. Rei nanque minoris, minus quoque principium esse cõuenit. Quam ob rem huius etiam seculi mutationes, semen animantium minorum generi satis contrahere

possunt quod sapius vsu euenit. Tum enim maximè oriuntur, cum mutationes temporum incesserunt. Maiorum autem genus, mutationem quoque pro sui magnitudine desiderat ampliorum.

Cur animantium alia partu sunt numeroso, ut sus, canis, lepus: alia non, ut homo, ut leo? An quòd alia vuluas, siue vteros continent multos, totidemque formandi loculamenta, quibus impleri percipiunt, quibusque semen genitale diuidendum, inferendumque; est: alia contrà se habent.

Cur homo inter animantes oculorum minimum pro sua magnitudine habet interuallum? An quòd omnium maximè naturali solertia homo constat. Sensus autem contuendi partem versus priorem Natura posuit: id enim conspici oportet, in quod nos ducit ratio mouedi. Quanto autem oculorum plus discriminis sit, tanto magis conspectus vergent in latus: qui si secundum naturam sedem debeant obtinere, quàm minimum esse interuallum certè oportet. Sic enim partem versus priorem ingredi maximè possumus. Adhæc, cæteris animantibus, cum careant manibus, despiciant profus in latera, necesse est: itaque plus eorum oculi distant inter sese, & maximè ouium, eò quòd maximè prono capite ingrediuntur.

Cur cæteris animantibus partim nunquam profusio seminis per somnum incidere assolet, partim raro? Vtrum quòd nullum, homine excepto, resupinum cubare cõsuevit. Nullum autem, nisi resupinum, semen profundere potest. An quòd cætera non pariter, ut homines, somniant. Seminis autem per quietem illa profusio, non nisi cum imaginatione fieri potest.

Cur animalium alia caput moueant, alia non moueant? An quòd quæ collo carent, ea caput mouere nequeunt: nonnulla autem carèt collo.

Cur in animantium genere homo sternutare maximè solet? Vtrum quòd meatus obtinet ampliores, per quos spiritus, odorque subeunt: his enim spiritu repletis sternuimus. Indicium verò, datos esse meatus homini laxiores, quòd is olfactu minimè omnium valet. Quòd nanque arctiores meatus sunt, eò magis vim obtinent olfaciendi. Quòd si in ampliores plus humoris ingreditur, quo inflato, sternutametum fieri solet: tales autem genus hominum omnium maximè animantium obtinet, meritò homo solus sternuere sepius consuevit. An quòd homo breuissimis naribus est, ita ut humor concalfactus celeriter commutari in spiritum possit, cum cæteris refrigerat præ longitudine prius, quàm mutetur.

Cur nullius animalis lingua est pinguis? An quoniam pingue vnumquodque; densum est. Lingua autem rara sua natura propterea est, ut percipere possit genera saporum.

Cur fœminæ intento corpore mingunt, mares minimè? An quòd fœminarum vesica remotius, tum profunditate, tum longitudine sita est: iacet enim vulua earum interius sedem, atque vesicam. Itaque humor emittendus, vim propter spatium vuluæ desiderat pleniorum, quæ per spi-

ritum corpore intento acquiritur.

- 23 Cur sues hybernum pilum amittere non solent, cum ceteræ quadrupedes soleant? Nam & canes, & boues certè amittere assolent. An quod sus calidissimus omnium est, partique calenti corporis eius pili adhærent, quippe cum pingue tale esse necesse sit. Cæteris itaque, vel quia humor refrigerat, pili desluunt, vel quia suus calor alimentum concoquere non potest. Suibus verò non idem incipit, vel quia nihil humor interior affici potest, vel quia bene alimentum concoquitur: nam & si quando causa, cur desluant, sit, tamen pinguedo vetare potest. Oues, ac homines propter sui pili tum densitatem, tum copiam, non ita affici pulsu frigoris possunt: non enim altius refrigerationi subire licet, ut possit vel humorem gelare, vel calorem concoquendo seuocare.
- 24 Cur ouibus expilatis mollior pilus subnascitur, homini durior? An quod ouium pili summe cuti coherent, euellique ob eam rem sine villo possunt labore, cum initium alimenti integrum maneat, quod carni iunctum est. Meatibus itaque patefactis, excrementa respirare melius possunt: vellus enim proprio carnis vescitur alimento. Caro autem molli, dulcisque alitur pabulo. Hominum contra, quod altius pili inhærent, per vim, summoque cum dolore euelluntur. Constat id, quandoquidem sanguinem secum detrahunt. Corpore igitur saucio euenit, ut tandem cicatrix obducatur: vnde fit, ut vel finem pili amplius promendi faciant, qui euulsi fuerint, vel quandiu præterea promere possint, duri extrudantur, eò quod omne valens alimentum carnis exhaustum est, nec nisi materia inutili, & superuacua pilus prouenit. Indicium, quod hominum omnium plagan inhabitantium Meridianam, pili duritiem præ se ferunt: quoniam calor exterior altius corpus subiens, alimentum concoctum facile absumat in vaporem: contra, eorum qui sub Aquilonem incolunt, molles, lasciuique funduntur, quod his sanguis, dulcisque sapor per summam potius fluitat formam: quam ob rem his color quoque hilarior est.
- 25 Cur ouium pili eò duriores sunt, quod prolixiores: hominum contra molliores, quod prolixiores? An quod ouium pili, qui, quale diximus, capiunt alimentum, vbi procul se ab vno deduxerunt initio, ieiunius vescuntur: & alimentum, quod inest vi caloris, facile pro sua inconcoctione euaporatur. Itaque siccati duriores redduntur: molle nanque humidum est. Hominum verò pili minus alimenti, sed plus suo initio hauriunt: concoquitur autem plenius, quoniam minus est. Concoctum autem pilum efficit molliore: concocta etenim quæque molliora inconcoctis redduntur. Indicium, quod oues recentes vellera molliora gerunt, quam vetulæ: copia nanque excrementi, pilum & ouis, & hominis procreat.
- 26 Cur hirti homines, & aues, Veneris sunt audiores? An quod natura humida & calida sunt, qua quidem vtraque qualitate opus ad coitum est: calor enim excernit, humor excernitur. Hæc eadem ratio est, cur etiam claudi homines sint salaciores: his enim ut parum alimenti deor-

sum, propter crurium vitiationem, labitur, sic multum loca petit superiora, seque in semen conuertit.

Cur homini nulla iuba data à Natura est? An quoniam barba data est: ergo quod excrementitium alimentum cæteris animantibus in ceruicem se confert, id homini maxillas adire solitum est.

Cur pedes animalia pares habeant? An quod fieri non potest, ut aliquid moueatur, nisi parte aliqua sui consistat, dummodo non profiliat. Cum igitur ex duobus illis, motu, & statu confici ingressum, necessum sit, paritatis iam inde ratio patet: bipes enim altero pede mouetur, altero stat. Et quadrupes quoque cum duobus mouetur, reliquis duobus innititur. Parique modo de cæteris, quæ vel senis, vel etiam numerosioribus pedibus ingrediuntur, animaduertere licet.

Cur equis, & asinis pili è cicatrice promere sese possunt, hominibus autem non possunt? An quod cæteris animalibus tergus pars per se corporis est: hominis autem cutis veluti affectus carnis exultat, quippe quæ summa illius forme refrigerante, solidiuscula existere videatur: quemadmodum crustæ in pulte superducuntur, quas vetulas appellamus. Cum itaque illæ non nisi farina elixa sint, hominis quoque cutis nominata, non nisi caro putanda est. Vbi igitur hæc vel vulnus acceperit, vel attrita fuerit, incidit ut hominis quidem caro condensetur. Quam ob rem summa corporis parte immutata, vulnus non eandem compagem capit, qua corpus iam inde ab ortu Naturæ extitit. Cum itaque hæc immutata sit, nihil profecto absurdum fuerit, si ex ea non idem præterea proficiscatur. Sicut in areis quoque appellatis licet percipere: nam illas etiã corporis summi corruptionem, immutationemque esse nouimus. At iumentis attritis, vbi ad sanitatem redierunt, partes vitiatæ corporibus de nouo eisdem replentur, quanquam debilioribus, quam principio fuerint. Sed cum etiam cutis eorum pars sit, confici pili, prouenireque possunt: cute nanque pilos enasci certum est. Sed candidi propterea oriuntur, quoniam ut secunda hæc cutis imbecillior, quam prima est, sic pilus candidus ille imbecillimus exit.

Cur in animalium cæterorum genere feruari æquè gemini possunt, quæquam sexus sunt vtriusque: in hominum autem non possunt? An quod homini maximè partus geminatio contra suam naturam legem accidit: singulos enim parere sancitum est, tum in geminis ipsis marem, ac foeminam creari Natura omnino recusat. Ergo quod maximè contra Naturam est, id & imbecillum esse ratio postulat.

Cur equis, & asinis pili è cicatricibus possunt euenire, hominibus autem non possunt? An quod cicatrix vel suam ob densitatem impedimento est, vel quia deprauat nutrimentum hominibus. Itaque ex toto propter pili infirmitatem impedimento est. Equis autem, ne pili exeat, nunquam est, sed deprauat, facitque ne prior integritas seruetur.

Cur pares pedes Natura animantibus dedit?

An

An cuique, cum mouetur, partem aliquam requiescere necesse est. Quod si pedes impares essent, ne hoc fieri posset, accideret: agitur enim motus situ obuersione pedum.

33 Cur animalia, ut minus temporis dormiunt, quam vigilent, sic non continuè, sed vicissim modo vigilando, modo dormiendo, somnum suum perficiunt? An quod non simul omnis vacans materia coquitur: sed vbi pars aliqua est concocta, leuatum iam animal expergiscitur. Et verò sapius illi expergiscuntur, quibus ea pars frigida est, quæ quidem excrementum domat, & concoquit. Fit enim ut celeriter, sæpeque cessetur: cessatio autem, non nisi expergisfactio est. Suauis quoque res ea ipsa, quoniam requies est, non immerito esse videtur: sed nihilò quidem plus temporis in munere naturalium actionum consumimus. Nam etsi esse, suauius est, quam non esse, non tamen plus temporis propterea edimus, quam à cibo abstinemus.

34 Cur animantium alia statim parentes sectantur, alia serò, ut homo, vel vix nunquam? An quod alia citò vim recipiunt cognoscendi, alia serò, & alia rei sibi commodæ sensum obtinent, alia carent. Quæ igitur hæc ambo, sensum dico rei commodæ, sui que corporis perfectionem, fortiuntur, hæc parentem sectari protinus queunt. Quæ non vtrunque illorum habeant, hæc id facere ipsum nequeunt: opus enim est & viribus, & sensu.

35 Cur genus vitiliginis, quod leuca appellatur, quasi albam dixeris, cæteris animantibus contra hi nequeat? Vtrum quod hominibus morbo hæc est: cæteris autem animalibus tergora varia, pilique eodem modo albedine efficiuntur. Attamen ambiget aliquis, quæretque, cur non postea, sed statim ab ortu Naturæ varietas illa existere soleat. An quod cæterorum animantium tergora dura sunt: homo autem è Natura prætenue cute continetur. Vitiligo autem spiritus secretio est, qui cæteris animantibus excerni tergore denso prohibetur.

36 Cur vbi vitiligo, canities quoque est? recipiari autem non licet, ut semper vbi canities, sit etiam vitiligo. An quod pili omnes cute proueniunt: canities autem putredo veluti quedam est. Cum itaque cutis morbo laborat, pilum etiam laborare inde necesse est: cum autem pilus, cutem malè affici, necesse non est.

37 Cur animantium alia post partum sæuire solent, ut canis, ut sus: alia nihil efferantur, quod perpicuum sit, ut mulier, ut ouis? An quæ superuacua redundant materia, hæc suam clementiam seruant. Quantum enim doloris esset, secretum in partu est. Quibus autem secretio non à vacanribus, sed integris fieri materiis solet, hæc exasperantur, & sæuiunt. Vnde fit, ut extenuatio quoque iram ratione habitus moueat: ut etiam gallinæ furiant, non cum pepererint, sed cum incubant ratione inedia.

38 Cur spadonibus cætera in sexum foemineum vitia mutantur, (vox enim tenuis, corpus imbecillum? Denique ita homines commutantur, ut etiam cæterorum animantium quæcunque

castrata. Nam & tauri, & verueces sua cornua è contrario gerunt: quod foemina quoque eorum contra, quam mares armantur cornibus. Itaque alii maiora excisi gerunt, alii minora) magnitudo verò tantummodo, spadonibus dico, ad sexum virilem commutantur: maiores nanque redduntur. Quæ quidem res maris sua profectò est, quippe cum foeminae minores maribus esse soleant. An ne id quidem ad marem, sed ad foeminam pertinet. Haud enim omne magnitudinis genus, sed longitudinis duntaxat acquiritur, cum mas profunditate etiam augeatur, & latitudine: sic enim perfici ipse assolet. Adhæc, ut foemina ad marem, sic foemina ipsius virgo se habet ad mulierem: altera enim generosa iam est, altera nondum est. In eam igitur ipsam foeminae magnitudinem mutatur: crescere nanque in longitudinem corpus assolet foeminarum. Vnde carmen illud Homeri:

Virgo Diana dedit prælongi corporis vsum. utpote cum rem, quam suam ob virginitatem haberet, largiri nimirum posset. Ergo non magnitudine in marem mutatur, cum non in magnitudinis genus profectè commutetur. Spadones enim longitudine tantum in magnitudine proficiunt.

Cur spadones vel omnino varicibus vacant, vel minus habent, quam cæteri? An quoniam naturam suam, dum castrarentur, in genus feminis infecundum commutarint. Talis autè est puer, & mulier: quorum neutrum habere varices solitum est, præterquam si mulier raro.

Cur homo omnium maximè animantium oriri claudus potest? Vtrum quod cæterorum crura robustiora sunt: osse nanque, & neruo, tam quadrupedum quam auium constant, hominum carne redundant. Itaque facilius hæc ob suam molitiam lædi possunt, cum se in vtero mouent. An quod solus ex omnium animantium genere varia generationis tempora obtinet: nam & septimo, & octauo, & decimo mense venire in lucem potest. Cæteris tempus vnum perficiendi sine mora statutum est: hominum generi temporis multum, pro varia ratione immorandi consumi necesse est. Itaque cum foetus mouentur, extrema, quod tenerrima sunt, facile infringuntur, & eò magis, quò plus temporis intercessit.

Cur spadones cruribus putridis, vlcerosisque sunt? Vtrum quod etiam mulieres crura habent eiusmodi: spadones autem effoeminati omnino sunt. An hoc accidit. Causam autem mulieribus quoque reddere illam debemus, quod calor deorsum se vertit: quod etiam menstrua declarant. Vnde fit etiam, ut præ nimio humore, neque spadones, neque mulieres pilis valeant redundare.

Cur nullum animal, nisi homo, calculosum fieri potest? An quod iumenta, & quæ vnguibus sunt numerosis, vesicæ meatus obtinent ampliores. Quæ autem non protinus, sed post parere intra se animal consueuerunt, ut pisces nonnulli, ex his nullum vesicam habere nouimus. Sed humor subsidens, ille totus in aluum constringitur, sicut etiam in auibus fit: itaque celeriter

exit per sedem. At homo vesicam habet, & cernicæ eius canali angusto pro magnitudine porrectam. Ergo quod membrum id adest, quatum terreni humoris seuocatur, in vesicâ contruditur, ex quo vasa quoque vrinaria, id est, matula, eo ipso tinguntur. Loci autem calore efficitur, vt amplius cõcrescere, atque crassescere possit. Retinetur verò, augeturque propter canalıs angustiam: cum enim terrena illa subsidentia prodire ex facili nequeant, reuerfa cohærent inter sese, calculumque ita conficiunt.

43 Cur non iumenta, non boues, aut omnino, quæ cornua gerunt, nõ aues ructare soleant? An propter ventris siccitatem. Celeriter enim consumitur, percolaturque humor: qui dum immoratur, inflaturque, ructationem mouere potest. Iumentis tamen, ob colli etiam prolixitatẽ, flatus deorsum se vertit: quam ob rẽ his crepitus ventris maximè incitatur. Auium, cornigerorumque genera neutrum faciunt. Quinetiam ru-
44 Cur in animantium genere quæcunque domestica, eadem etiã fera reperimus: quæcũque autem fera, non vtique eadẽ domestica Natura creauit? Etenim homines feri nonnusquam cernuntur, & canes apud Indos, & equi alibi: sed non leones, non pantheras, non vipersas, non alia complura domestica esse nouimus. An quòd res praua, & facilis ortu est, & mutari quoque expedite in eam rem potest. Naturã enim non quæ prima, sed quæ vltima est, assequi statim perdifficile est. Quapropter omnia etiam domestica, principio fera potius, quàm domestica esse solent, vt puer feracior profecto, quàm vir, quippe qui omniũ edax, & iræ deditus sit, quanquam infirmus. Ergo quomodo in operibus artis, sic etiam in Naturæ licet perspicere. Nam in his quoque prauè omnia facta sũt, & plura sunt praua, quàm proba, vt lectus, vestis, quoduis, aliud: quòdque probum est, id omne prauũ etiam comperiri potest. Quod autem prauũ, id non omne probũ quoque reperies: vt si quis vetustissimorum pictorum, sictorumque opera cogitet: nondum enim peritè pingebatur, aut ex ære duebatur, sed pingui Minerua omnia effigiabatur, Natura etiã prauè omnia facit, & plura praua, quàm proba: proba verò pauciora præstare, nõ omnia, potest. Atqui domesticum omne melius est. Ferrum autem, atque syluestre prauũ natura, scilicet non quæ initia, ortusque continet, sed cui, opinor, factu difficile sit probũ illud, vrbani, atque domesticũ. Contrariũ verò, aut nõquam, aut raro efficitur. Attamen vel temporum, locorumque conditione, tẽperamentoque vniuersi quodam fieri potest, vt vrbana, & mitia reddantur omnium animalium genera. Hoc idem in omni etiam stirpium genere intelligere licet. Quæcunque enim vrbana sunt, eadem etiã cõperiri syluestria possunt. At quæ syluestria extitè

re, eadem omnia mansuescere nõ possunt. Non tamen desunt, quæ suis locis quibusdã peculiariter ita se habeant, vt neglecta, feræque prouenire præstantiora possint, & mitiora, quàm quæ alibi summo cum studio colantur.

Cur hominum vmbilici ampliores, cæterorum autem animantium exigui, incertique fiunt? An cæteris, quoniam temporis multum gestentur, vmbilicus arescit, inque directum porrigitur, denique vlceribus intumescit: quam ob rem nonnulli vmbilici deformes sunt. At verò homo imperfectus prodit: itaque humidus, atque sanguinolentus sequitur eius vmbilicus. Indicium verò, cætera perfecta, hominem imperfectum prodire, quòd illa statim inde ab ortu Naturæ viuere sua opera queunt: pueri curam desiderant, nec seruari, nisi alieno beneficio, possunt.

Cur animantiũ alia semel coeunt, alia sæpe, & alia anni tempore certo, alia nullo statuto tempore, sed prout inciderit? Homini semper cõcubitus opportunus est, feris non sæpe: & quidem sives agrestes semel concumbunt, domestici sæpe? An propter pabulum, calorem, atque laborẽ: quippe cum Venus comes satietatis sit. Nam eadem alibi semel, alibi sapius pariunt, vt oues in Magnesia, & Africa pariunt bis. Causam verò tempus pariendi prolixius obtinet. Vbi enim se impleuerunt, non amplius concupiscunt: quomodo nec cibum affectant, quæ satiata sunt. Quæ autem grauida iam esse incõeperint, minùs auidas Veneris euadunt, quoniam mienstruæ purgationes nullæ præterea veniant.

Cur homines, qui raris dentibus sunt, magna ex parte breuioris sunt vitæ? An indicium hoc est, densum os esse capitis: ergo cerebrum inuolidum est, quia minùs sit respirationibus opportunum: itaque celeriter putret, vt quod sua natura humidum sit. Nam & cætera, cum non mouentur, neque exhalant, facile corrumpuntur. Quo etiam fit, vt homo capite piloso maximè sit, & mas, quàm fœmina, diutiùs viuit, futurarum sui capitis beneficio. An in cæteris quoque idẽ sit, cogitandum.

Cur qui manus cæsuras per totam obtinent palmam, viuere diutiùs possint? An quoniam minùs viuere possunt, quæ carent articulis, incompactaque sunt, quale genus omne aquatile est. Quòd si quæ articulata non sunt, vitam breuiorem agere solent, constat contrã sese habere, quæ articulata. Cuius profecto generis illa etiã sunt, quæ, cum sua natura omni articulo careant, existunt tamen articulata nonnunquam quoad maximè licet, consistunt. Manus autem pars interior, penitus articulo vacat.

Cur animantium homini vel vni, vel maxime oculi deprauantur? An quòd homo vel solus, vel maximè morbo comitiali capi in puerili ætate solet, cum certè deprauari omnibus accidit.

Cur animantium homo maximè fumo affici potest? An quòd homo lacrymã maximè emittit: fumatio autem non nisi cum lacryma est.

Cur equus equo, homo homini, atque omnino cognata cognatis, sibi que similibus gaudent,

atq

atque cupiunt? non enim quia pulchrum videtur. Cupiditas autem formam sequitur elegantiorẽ: nam si id esset, rem pulchram suauiorẽ esse oporteret. Nunc autem contrã potius euenit, vt quia iucundum, suauẽque est, ideo pulchrum esse videatur. Nec etiã omnibus res eadem voluptati est, nec pulchrum idem lætitiæ: aliis enim esse, aut bibere, aliis concumbere lætabilius est. Sed causa cur vnumquodque iunctum suo cognato maximè, suauissimẽque concumbat, in aliam cadit quæstionem. Pulcherrimum verò id etiam esse, nondum asseri verè potest: sed nobis quod ad concumbendum suauius est, pulchrum certè videtur: quoniam rei, quam cupimus, aspectu quoque nimirum. Et quidem in cæteris etiam cupiendi generibus, res pariter sese habet. Cum enim siti detinemur, humorem suauius cernimus. Quod itaque ad vsum aliquẽ pulchrum est, & quod idem maximè cupere solemus, suauissimũ id esse ipsum videtur. Quod autem per se tale est, non præterea sic esse videbitur. Argumentum, quòd adulescentuli plerique formosi, aptique nobis esse videbuntur, cum ad concumbendi vsum respeximus. Nunquid igitur ita, vt etiam plus gestiamus, quàm si deformes quosdam intueamur? Non hercle, nisi eorũ auidi sumus: quo modo potio quoque videtur pulchrior. Nam si siti detinemur, humorem multo suauius aspiciemus.

52 Cur hominis prior pars pilosior, quàm posterior, est: quadrupedum contrã posterior, quàm prior, setosior? An quòd omne animal bipes partem priorem habet pilosiorẽ: nam aues quoque eodem modo, quo homines, se habent. An partes infirmiores Natura semper integere potius consuevit: infirmum autem vnumquodque loco sui corporis aliquo est. Quadrupedum verò omnium partes posteriores, infirmiores loci causa sunt, quàm priores: affici nanque à frigore æstusque amplius possunt. Hominum priores infirmiores sunt, incommodisque illis eisdem opportuniore.

53 Cur animantium homo maximè soleat sternutare? An quòd etiam grauedine maximè homo tentatur. Cuius rei causa est, quòd calor, qui circa cor est, sursumque sua natura effertur, cæteris animantibus in arnos se effert, vnde per refractionem dissectus, partim ceruicem, caputque petit, partim in spinam, lumbosque defertur: hæc enim linea recta, iuxtaque basim sita omnia sunt. Quòd cum æquẽ corpus penè totum recalescat, humores quoque in sese pariter digerit, planẽque partitur: humores enim calorem sequuntur. Ex quo fit, vt neque à grauedine admodum infestari, neque sternutare quadrupedes soleant. Sternutamentum enim, vel spiritus vniuersi delatio est, humore scilicet plus aliquid exhalante, vel crudi humoris conatus, excursusque. Quocirca destillationes solet præcedere, quæ quidem animantibus cæteris minimè incidunt, eò quòd caloris illa delatio, antè, retròque portionibus æquis se digerit. Homini verò, quòd erecta basi se in sublime, modo stirpium, attollit, euenit, vt caloris elatio plurima, & vehementif-

sima caput adeat, elatusque eò calor, meatus concalfacit, rarefacitque capitis, qui tales demum effecti, nimirum capaciores humorum, quàm meatus cordis inferiores redduntur. Quoties itaque accidit, vt caput humescat, refrigereturque extrinsecus amplius, quàm satis sit, efficitur vt calor, qui & alimentum habet, & se in partem interiorem contrahit, nimirum crescat, crescens sese in caput, meatusque capitis efferat, quo humores prætenues, crudique sectantes, implent meatus, destillationesque faciunt, & sternutamenta ratione simili mouent. Nam inter initia destillandi, calor humorem sursum præcedens, inflansque meatus, sternutamẽta expulsi spiritus, ductusque humoris tenuis, acrisque incitat. Vnde fit, vt post grauedinis sternutamentum, pituitam aquæ similem abstergamus. Hæc cum omnia sese mouerint, humores coacti, crassique subsidunt, & foramina capitis nasique intersepiunt. Facta enim tumidiora, distentioraque, caput dolore infestant. Argumentum, quòd nullus per eas spiritus foras mittitur. Ex quo sequitur, vt neque sternuere, neque olfacere possint, qui grauedine detinentur. Sternutamenta autem, quæ sine grauedine mouentur, has quidem easdem ob causas veniunt, sed exiguis, leuibusque initiis. Itaque vbi vi caloris collecti humores sunt, facile ab eodem calore pro sua exiguitate spirascentes, in nares interrumpunt. Strepitum verò spiritus, non minùs violentia sese efferendi, quàm sui copia, mouet. Cum enim calor directo tramite se ad cerebrum vsque extulerit, eique ipsi impegerit, ad nares reflectitur, eò, quoniam meatus illhac foras de cerebro pertendant. Quòd cum illa foras reflectendi delatio spiritus, nares versus contra naturam agatur, vehemens vt fiat, nimirum euenit: itaque strepitum mouet. Cæterorum autem animantium, aues maximè grauedinem sentiunt, quòd formam corporis maximè similem hominibus gerunt, verum minùs, quàm homines, afficiuntur: quoniam caput magna ex parte deorsum tenent, vt quæ victum ab terra petere soleant.

Cur maris animalia maiora, vegetioraque sunt, quàm terræ? An quòd vis Solis consumendo, quæ terram ambiunt, copiam detrahit nutrimenti: quam ob rem quæ abdita vitam agunt, vegetiora sunt. His igitur omnibus incõmodis cum genus maritimum sit immune, meritò tum adolefcere potest corpore ampliori, & vegetiorari.

Cur cætera animalia cibum sapius siccum, quàm humidum, capiant, homo humidum sapius, quàm siccum? An quòd homo natura calidissima est, plus refrigerationis desiderat.

Cur spadones calui effici nequeant? An eò quòd multum cerebri obtinent: quod sanè his contingit, quia rem Veneream non agunt: semen enim labi per spinam è cerebro videtur. Qua de causa boues quoque castrati cornua gerere maiora putatur: nec non & mulieres, & pueri cur calui non sint, eadem ratio esse creditur.

Cur animantium alia, vbi primùm in lucem edita sunt, nutriri per se ipsa possint, alia ne-

queant? An ea possunt, quæ in genere, quod memoria capax est, breuius viuunt: quocirca ocyus quoque morte eadem omnia occumbunt.

58 Cur homo plus excrementi humidi egerit, quam sicci: equi, & asini, plus sicci, quam humidum? An quod hæc animantium genera sicco pabulo largiori vtuntur: homo humidis magis, quam aridis, vesci solet. Ex cibo autem omne proficiscitur excrementum, & ex copiosiori copiosius. Igitur alia humido potius, alia sicco largiori vtuntur pabulo: quoniam alia sicca natura sunt, alia humida. Itaque humidum potius capiunt, quæ sicca constant natura: huius nanque sunt indigentia. Contrà, siccum affectant, quæ humida sunt natura, utpote quæ qualitatis eius inopia magis teneantur.

59 Cur aues, & homines, & genus quodque animantium forte, corpore sunt duriora? An quod animositas cum calore est: metus enim refrigeratio est. Quorum igitur sanguis amplius feruet, hæc & robustiora, & animosiora sunt: sanguis autem alimento corporibus est. Et quæcunque verò ex stirpibus terræ aqua tepida irrigaueris, omnia duriora euadent.

60 Cur monstra parua quadrupedes pariunt: homo autem, grandæsq; animantes omnes minus, ut equi, & alini? An quod parua, ut canes, fues, capræ, oues, longè sunt fecundiores, quam grandes: illarum enim alia omnino singulos pariunt, alia magna ex parte. Monstra autem tum cõfici solent, cum plura semina inter sese coherescunt, confundunturque, vel cum prodeunt ex mare, vel cum se in femina permiscet: unde aues etiã monstra edere possunt. Oua nanque vitello pariunt geminato. Monstrum autem ex geminatis illis consistit, quorū vitelli nulla interiecta membrana distinguuntur.

61 Cur hominum caput pilosius, quam reliquum corpus, nec ex proportione pilosum est: cæterorum autem contrà? An cætera vel in dentes exuperant præ nimia alimenti copia, vel in cornua, vel etiam in seram. Quæ igitur in cornua, capite minus setoso hæc sunt: absumptum enim illud in rem est. Quæ autem in dentes, plus quidem pili, quam cornigera, obtinet: capronarum enim non nihil fortiuntur, sed minus, quam aues. His enim illud etiam, quod homini, genus integendi Natura tribuit: sed quod illis pro copia nutrimenti multis luxuriat locis, id in capite homini abundat. Nec enim nullum habet, nec adeo multum, ut pilorum vndique excresecat congeries.

62 Cur vnus omnium animantium homo canescit? An quod pars animantium maxima pilum quotannis deciduum gerit, ut equus, ut bos: nonnulla deciduum non gerunt, tempus autem viuunt breue, ut oues, & quædam alia, quorum pilus, utpote non fenescens, canescere non potest. At homo nec deciduum gerit pilum, & longam degit ætatem: itaque breui tempore con-
60 fenescit, atque inueteratur.

63 Cur vita breui, imbecillisque viribus sunt, qui partem vmbilico subiectam maiorem, quam superiorem habent pertinentem ad pectus? An

quod venter suam ob breuitatem frigidus est: itaque ut vim paruam obtinet concoquendi, sic excrementis redundare aptissimus est. Morbis autem nimirum patent, qui tali ventre constituerint.

Quam ob causam animantium alia non solum coitu, sed etiam sponte naturæ procreantur, alia coitu duntaxat proueniunt, ut homo, ut equus? An quod etsi non aliam ob causam, tamen quod aliis gignendi tempus breue statutum est. Itaque fieri non potest, ut tempus, quod vim obtinet generandi, amplificetur, prorogeturque: sed temporum vicissitudine, commutationeque, ut procreentur contingit. Aliis multo generatio ampliari solet: etenim vel anno, vel decem mensum spatium confici assolent. Quapropter vel nullo pacto, vel ex coitu procreentur illa, necesse est.

Cur Aethiopum dentes candidi, & candidiores, quam cæterorum, vngues autem non dentibus in candore respondeant? An vngues ideo nigricant, quia cutis etiã nigra est, & nigrior, quam cæterorum: vngues autem ex cute proueniunt.

Sed cur dentes candeant, quænam ratio sit? An quod albescere illa solent, quibus vis Solis humorem detrahit, dummodo nihil superficiatur, quo modo etiam ceram albescere nouimus. At cutem superficit calor, dentes minimè: sed totus eorum humor in vaporem à calore conuertitur, atque exhalatur.

Cur animantium alia præciso capite vel protinus moriuntur, vel paulò post, alia minimè? An ita afficiantur quæ sanguine carent, exiguoque cibo contenta sunt: quippe quæ neque; continuo cibum desiderant, neque; in humore calor eorum diffundatur, quibus rebus priuatum animal sanguine constans viuere nequit. Illa verò sine respiratione viuere multò diutius possunt. Causam cur ita, aliàs abundè reddidimus.

Eorum, quæ ad vocis, sonique rationem pertinent, Sectio vndecima, cuius questiones LXV.



Vr sensuum auditus maximè ab ortu Naturæ offendi potest? An quod auditus, & vox ab eodem initio proficisci videantur. Atqui locutio ex facili posse deprauari videtur, quæ species vocis est, eademque perfici difficillimè potest. Indicium huius est, quod postea, quam nati sumus, diu obmutescimus, deinde balbutire tandem incipimus. Principio nanque; nullum proferre penitus verbum valemus. Cum itaque faciliè perueri locutio possit, idemque initium audiendi, loquendi que sit (vox enim quædam audiendi quoque primordium est) sequitur ut quasi per accidens, non per se omnium facillimè sensuum auditus interimi possit. Argumentum autem facile omnino loquendi principium destrui posse, vel ex cæteris animantibus erui licet: nullum enim loqui ex cæteris potest: sed homini tantum facultas hæc data est, & hic tamen serò (ut dictum est) loqui incipit.

Cur omnes surdi vocem reddere per nares assolent?

lent? An quod propè absunt ut muti sint: muti autem per nares vocem extrudunt: eo nanque; spiritus illorum compellitur, quia ore compresso sunt: quod compressum ideo est, quoniam lingua his ad vocem reddendam vsui nullatenus est.

3 Cur omnes, qui natura sunt calida, magnam vocem emittere solent? An quod multum in his aerè, feruidumque; inesse necesse est, vis enim caloris faciliè ad se & spiritum trahit, & aerem: eoque amplius id agit, quò amplior est. Vox autem magna tum oritur, cum aeris multum agitur: utque acuta, cum celeriter, sic grauis, cum tardè aer incitatur.

4 Cur omnes surdi per nares loquuntur? An quod surdi violentius spirant, quippe qui propè absunt ut muti sint. Meatus itaque narium ductu spiritus laxior redditur: ex quo fit, ut nisi per nares loqui non possunt.

5 Cur melius audiri quæque in nocte, quam die, possunt? An quod requies omnium noctu amplior est, quoniam calor abest: unde tranquilliora quoque magna ex parte omnia sunt: Sol enim est, qui omnia mouet.

6 Cur voces è longinquo acutiores esse videntur? Itaque cum hominum procul admodum absentium clamorem imitamur, vocem acutè emitimus, & similem iis, qui suam vocem in sonum adstringunt tenuiorem. Et strepitus quoque; resonandi acutior venit, quem peocul abesse palam est: non enim nisi per refractionem existere potest. Cum igitur in strepitus ratione, acutum quod velox sit, tardum autem quod graue, voces è longinquo delatas, tardiores videri oporteret: quæ enim feruntur, eò tardiùs omnia mouentur, quò longius à suo discesserunt principio, tandemque; collabuntur, & decidunt. Vtrum igitur qui imitantur, voce exili simulant, & sono tenui agere tentant vocem, quæ se è longinquo defert: tenuis autem grauis non est, neque; exigua, exilisque; vocis proferendæ vsus grauis est, sed acutus sit, necesse est. An non modò qui imitantur, ea de causa ita simulant, verum etiam strepitus ipsi acutiores existunt. Causa verò cur ita sit, quod aer, qui defertur, strepitum excitat, & quemadmodum primò illud obstrepit, quod aerem mouerit: sic rursus aer subinde mouendo agit, oportet, ut partim moueat, partim moueatur. Quo fit, ut continuari strepitus possit, quippe cum perpetuè mouenti mouens succedat, donec omnis conatus mouendi emarcescat: quæ quidem res in corporibus non nisi cadere est, cum scilicet aer non amplius impellere vel telum, vel aerem potest. Vox enim cõtina redditur, cum aer aerem propellit: telum autè fertur, cum corpus ab aere mouetur. Hic igitur corpus idem defertur assidue, vsque ad eum finem, dum corruat. At ibi alius, atque alius aer perpetua vicissitudine profluit, præcedentèque; subsequens minor est. Itaque velociùs quidem mouetur, sed per minus subinde aeris: qua de causa voces acutiores è longinquo tenuiores sentimus: est enim acutum, quod velocius est, ut ambigendo superius proposuimus. Hæc eadem causa est, cur &

pueri, & ægrotantes, acutè, viri autem, & bene valentes grauitè vocem emittant. Cur verò propinquis auribus vox grauior acutiore esse minimè pateat, & omnino cur similis proiectis ponderibus non sit, causa quod proiectum illud cum vnum assidue sit, identidem assidue fertur: strepitus autem, aer propulsus ab aere est. Itaque fit ut pondus vnum in locum cadere tantummodo possit: vox autem quoquouersus spargat sese, non secus, ac si proiectum pondus, dum fertur, in partes frangatur innumeras, atque; etiam se retrorsum disperiat.

Cur domus nuper illita magis resonat? An quod maior refringendi datur facultas, propter leuitatem. Læuis autem ideo est, quoniam cõtinnens adhuc, rimisque immunis penitus extat. Non tamen admodum humidam volo intelligi: nulla enim refractione de limo effici potest. Hæc profectò causa est, cur etiam opus omne tectorium magis resonet. Quinetiam aeris immobilitas fortasse aliquid facit: cõgestus enim, vniuersusque; cum sit, occurrentem illum retorquere vehementius potest.

Quam ob causam si quis dolium, & lagenas, & cætera id genus figulina inania obruat, operiatque, domicilia resonare amplius possint: necnon si puteus, vel cisterna, vel aliqua fouea in domo sit, magis, magisque; ita fiat, necesse est? An quod ratio resonandi non nisi refractione est: sic enim potissimum resonandi illa reciprocatio nascitur. Ergo puteus, & quælibet fouea, angustiam obtinet, & aerem colligere potest. Dolia, cæteraque; fistilia densitatem quoque suæ ambientis formæ præ sese fertur. Itaque vtraque; de causa illud euenit. Concaua enim omnia magis sonant, & æs quoque ob eam rem sonitum præcipuè omnium reddit. Nec verò absurdum quod obruta illud faciunt: vox enim non minus in ima se defert. Denique quoquouersus, atque etiam in orbem ferri putandum est.

Cur si vasa quis inania obruerit, faciet ut magis ædificium resonet? An quod vasa soliditate, perpetuitateque sua melius & concipiunt, & continent aerem, simulque accidit, ut ictus vehementior effici possit.

Cur aqua frigida de eodem profluens vase acutiùs, quam calida, obstrepit? An quod delatio aquæ frigidæ velocior est: grauior enim frigida est, acutiorem autem strepitum reddit, quæ velocior est. Calor verò & raritate alleuat, & elatione. Proximum illud est, quod faces quoque; ardentes ictum faciunt imbecilliorum.

Cur homini, qui vigilauerit, vox asperior redditur? An quod eius corpus ob cruditatè humescit, maximèque; loco superiori, unde caput quoque; grauescit. Et cum fauces humore redundant, vocem asperiorè existere necesse est: asperitas enim ob inæqualitatem, grauitas propter obseptionem exultat, retardius enim fertur.

Cur cibo ingesto mox tenor frangitur vocis? An quod membrum illud voci tributum crebro cibi occurso perclusum concalescit, concalescens humorem attrahit, qui ob assumpti cibi humefactionem & largior est, & paratior.

13 Quare qui flent, vocem mittunt acutiorem, qui rident, grauiorem? An quod alteri suam ob debilitatē parum spiritus mouent, alteri vehementer intendunt. quod facit vt spiritus velocius ferri possit: velox autem omnis acutus est, quippe qui ab intento proiectus corpore, feratur velociter: contrā, qui ridet, resoluitur, & debilitatur, itaq; vocem grauius edit. Quanquam ægri acutam emittunt vocem, parum enim aeris mouent. At verò qui rident, non solum parum, sed etiā leuius mouent: adhæc, qui rident, spiritum calidiorem emittunt: qui flent, frigidior. Dolor enim refrigeratio pectoris est. Calor itaque multum aeris mouet, ita vt tardè feratur: frigus autem parum ciet. Idem vel in tibiis fieri nouimus. Enimvero qui spiritu inflant calidiori, multò tardiùs agunt.

14 Cur pueri, cæteraq; recēns nata animalia vocem reddunt acutiorem, quàm quæ perfecta ætate sunt, cum tamen omne acumen vehementiā sit? An quod vox motio aeris est, & acutior quæ velocior: faciliùs autem, & velociùs parū, quàm multum, aeris mouetur. Mouetur autē quoties vel à frigore cogitur, vel à calore discernitur. Sed cum inspiratio frigida admisio sit, interior nimirum aer tantisper cogitur, cum spiritum capimus: cumq; expiratio caloris emissio sit, aere sanè à calore citato, vox effici potest: cum enim spiritum reddimus, non cum capimus, vocem formamus. Cum autem nouella calidiora sint, quàm vetusta, suosque meatus habent artiores, minus in se aeris possunt continere: cumque calor, qui moueat, amplior in his insit, res autem, quæ moueatur, minor substat, velociùs vtraque de causā aer moueri potest. At si velociùs, vox certè acutior dabitur, ob ea ipsa, quæ ante retulimus.

15 Cur vocem, qui flent, acutiorem emittunt, qui rident grauiorem? An qui flent intēdendo, contrahendōq; os vociferantur: itaq; properè aer interior corpore intento mouetur, cumque per os transeat angustum, ferri velociùs potest: vtraq; igitur ratione fit, vt vox acuta edatur. Contrā, qui rident, remisso corpore, hiscentēq; ore rident. Cum igitur ob eam rem latè, tardēq; profundant aerem, meritò vocem emittunt grauiorem.

16 Cur vocem reddunt acutā, qui expertes feminis sunt, vt pueri, mulieres, decrepiti, spadones: grauem autem viri, qui firmisima sunt ætate? An ea causā est, quæ lineæ, cæteraq; tenuia dimensionem vnā duntaxat sortiuntur: crassa autem, plenāq; plures obtinent: itaq; vox etiam tenuis vnā dimensionem habuerit. Vnum autem & efficere, & mouere, faciliùs est, quàm plura. Ergo cum prædicta illa spiritum habeant imbecillum, non nisi parum aeris moueri ab illo spiritu potest. Minimus autem est, qui dimensione vnica constat, quem prædictis rationibus tenuem esse, vocēq; talem ab eo proficisci necessum est: vox autem acuta, quæ tenuis est. Igitur qui prolifico illo semine carent, vocē hinc meritò reddunt acutiorem. Viri robusti, quoniā spiritu valeant, multum aeris incitare queunt:

quod cum multum sit, lentè mouetur, vocēq; efficit grauiorem. Motu enim veloci, & tenui, vocem reddi acutam iam constitit, quorum neutrum, vt in viro possit existere, accidit.

Cur voces nostræ grauiores sint tempore hyberno? An quod aer interior tunc, & exterior, crassior est: crassior autem cum sit, tardiùs mouetur: itaq; vox grauior non immeritò fit. Adde quod somnolentiores hyberno tempore sumus, quàm æstiuo, plūsq; temporis obdormire solemus: somnus autem facit, vt membris grauioribus simus. Quo igitur tempore plus dormimus, quàm vigilamus (quod hybernium profectò est) hoc vocem effici grauiorem, quàm qui è contrario agitur, ratio est. Cum enim tempus vigilandi, quod interuenit, breue sit, habitus corporis, qui inter dormiendum committitur, permanere vsq; ad somni repetitionem nimirum potest.

Cur ex potu, vomitu, atque frigore vocem emittimus grauiorem? An faucibus interseptis quam rem pituita subsistēdo committit: quippe quæ aliquid fluxionis in eas detrahat, aliis vomitus, aut potus, aliis præsentis temporis qualitas per obstrictionem fauces reddit angustiores: itaq; delatio spiritus tardiùs agitur: quæ autem tarda delatio est, grauem hæc efficit vocem.

Cur vox grauior è propinquo magis, quàm è longinquo sentiri potest? An quod grauior plus quidem aeris mouet, sed nequaquā in longitudo. Ergo à longe minùs sentitur, quoniam per minus spatium se deducit: è propinquo autem magis, quoniam plus aeris sensorium ferit audiendi. Acuta procul ideo audiri potest, quoniam tenuis est: tenue autem omne augeri in longitudinem potest. Dixerim etiam quod motio, quæ vocem reddat acutiorem, velocior est: quod fieri potest, si vt densus, sic angustus spiritus sit, qui aerem mouet. Nam & exiguus aer mobilior est, quippe qui ab angusto moueri queat: densus plures efficit ictus, qui strepitum reddant. Licet hoc in musicis perspicere instrumentis: fides nanque tenuiores cæteris eisdem substantibus acutiùs consonant.

Cur vox acutior illis esse videtur, qui longiùs absunt? Cum tamen acuminis ratio sita in eo sit, vt velociùs feratur, & quod longiùs fertur, moueri tardiùs soleat. An quod vocis acumen non solum in velocitate mouendi, sed obstrependi etiam nimia tenuitate consistat. Qui autem longiùs absunt, vocem tenuiorem excipiunt, ob aeris, qui mouetur, exiguitatem: motus enim ita marcescit. Vtq; numerus emarcescens in vnitatem relabatur, sic corpus in vnicam dimensionem extenuatur, quæ tam in corpore, quàm in voce, tenuitas est.

Cur vocem acutam & exercitati reddunt, & debiles? An debiles, quia parum aeris mouet: parum autem quàm multum velociùs fertur. Exercitati verò aerem excitant vehementiùs. Aer excitus vehementer, velociùs fertur: acutum autem in voce id est, quod velox in delatione.

Cur vox corrumpi his soleat, qui cibo ingesto clamitant? Itaq; omnes, qui vocē exercēt, vt

vt histriones, saltatores, & cæteros generis eiusdem, manè, ieiunōq; ore exercitationem adire licet inspicere. An vocem corrumpi non aliud est, quàm mēbrum, quæ spiritus transmeat, corrumpi. Quocirca rauci quoq; voce corrupta sunt, nō quod spiritus vitiatu est, qui vocē afformat, sed quod exasperata arteria est, quæ vehementer concalfactione exasperari maximè solita est. Quam ob rem neque qui febriunt, neq; qui vehementer febrierunt, statim cum febris cessauerit, cantare queunt: sunt enim asperis nimio ex calore faucibus. Cibis autē spiritū & largū reddi, & feruidum, contentaneum est. Qui talis autem est, exulceret arteriam transmeando, atque exasperet. Ratio est, quod cum incidit, meritò vox destrui potest.

23 Cur vox, cum aer quidā formatus sit, & qui, cum fertur, formam sæpe illā amittat, echo, id est, resonantia fiat? Cum enim aer vehementiùs in aliquod solidum offenderit, vox non dissoluitur, sed eandem expresse reciprocantem audimus. An quod refractione est, non perfractio: sic enim cum totum permanet, tum partes ab eodua vniformes proficiscuntur, quippe cum per similem angulum refractione existere soleat: itaq; vox resonandi similis primæ efficitur.

24 Cur cæterorum animalium nouella, recēsq; edita vocem mittunt acutiorem, quàm quæ perfecta ætate sunt: vituli autē grauius mugiūt, quàm boues perfecti? An quod infans quoque in genere similis fœminæ eiusdem generis est: boum autē fœminæ grauius mugiunt, quàm marum, cum cætera è contrario agant: at vituli similiore fœminis, quàm maribus, sunt: ergo vocem hi grauiorem emittere debent.

25 Quam ob causam paleis in Orchestra sparsis, chori vox minor sentiat? An propter asperitatem. Vox enim pauimento minùs læui occurrens, vt minùs vna, ita minor existit, quippe quæ minus continua sit: quomodo etiā lux amplior resplendet in leuibibus, eod quod nihil impedimenti interuenit, quo interpellatur.

26 Cur sal igni ingestus mouere crepitum soleat? An quia sal parum humoris intra se continet, quod mox à calore ignis conuersum in spiritum, violentōq; exiliens impetu salē rumpit: omne autē, quod rūpitur, mouere crepitū solet.

27 Cur pueri nonnulli antè, quàm ætas veniat, qua vocabula suo tēpore explanare possint, fari incipiant, & vbi aliquid expresse dixerint, rursus obmutescant, atq; vt priùs degant, quousque solitum tempus loquēdi accedat? Quæ quidem à plerisque portenta esse purantur: iam aliquos etiam statim cum in lucem euenerunt, locutos esse proditum est. An magna quidem ex parte secundū naturam homines prodeunt. Itaque illud paucis accidit, sed Naturæ ratione simul hæc contingere, ac perfici solent. Quam ob rem simul & audiunt, & vocem emittunt, simul & intelligunt facultate audiēdi, & loquuntur, & explicant. Euenit tamen interdum ne hæc simul contingant, sed vt alii priùs intelligant, quàm membrū id absoluat, quo loqui possumus: alii contrā, qui scilicet, quæ loquantur, intelligere

nequeant. Quæ enim audierint, simulatè eadem reddunt: sed cum tēpus affuerit, vtroq; iam munere Naturæ fungi incipiāt. Quibus autē priùs sensa auditus in animo valeant, quàm membrū id absoluat, quo primo vocē mouemus, orationēq; condimus, iis nonnunquam, vbi iam multa intellexerint, facultas quoq; membri illius, & absolutio properè cōtingit, maximè quidem à somno. Cuius rei causa est, quod somnus data requie tum corpora tota, tum membra singula facit segniora. Sed fieri potest, vt vel ob aliam huiuscemodi mutationē idem eueniat. Complura autē sunt, quæ vt efficere valeamus, breuissimū temporis adiumento opus est, & tamen eadem postmodū æquè agere nequaquam possumus. Quoties itaq; membrum illud ita se habet, vt liberum, absolutūq; sit, efficitur, vt quod per auditū intelligentiā mouit, idem, cum pendet, fluitatq; in sensū, remeet, verbūq; reddat. Hinc nobis & carmina, & vocabula sæpenumero nō ex voluntate occurrunt: & quæ priùs voluntate petita diximus, eadem postea non voluntariè dicimus. Hinc etiā sæpe quæ nouimus, ore explicare nō quimus. Ita fieri potest, vt pueri aliquid dicant, rursusq; membrum, cui fandi data potestas est, redeat ad suam naturā, ac obmutescat, dum tempus corroborandi, absoluedique vltimum veniat.

Cur aliqua obstrepunt, mouenturq; subito, vt arcæ, quæ nullæ, quod sensus mouerit, concitantur, & crepant, cum tamen potētius esse debeat quod mouet, quàm quod mouetur? Quæ eadem quæstio etiā de corruptione, ac senectute est: quippe cum à re insensibili omnia corrumpantur, quæ à tempore pereunt. An simile guttis hoc est, & lapidibus, quos plantæ emergentes attollunt, atq; reiciunt: non enim quod vltimum actionis est, id vel attollit, vel mouet, sed hæc vniuersa continuatio efficit: qua quidem re insensibili accidit, vt motus ille sensibilis nascatur. Sic etiā res cōtenta spatiis sensibilibus temporis mouetur, atq; in partes digeritur insensibiles: vniuersi tamen, & continui ratione, exultat & motus, & obitus. Continuum autem illud non in instanti temporis, sed in tempore, quod ab instanti determinatur, situm profectò est.

Qua de causā oscitantes minùs audire possumus? An quod multum spiritus effluentis inter oscitandum aures etiā intrinsecus subit, vt motio vel sensu percipi possit, quā trudit ad aures, maximēq; post somnum: strepitus autem vel aer, vel aeris affectio est. Igitur cum interior renititur exteriori illi occurrenti, efficitur, vt motus interioris strepitus, motum exterioris retor queat, atque offuscet.

Cur pueri magis, quàm viri, lingua hæsitant? An vt etiam manibus, pedibusque pueri minùs valeamus, & infantes ambulandi omnino facultate caremus, sic etiam linguæ parum compositæ pueri sumus, & infantes verbum nullum referre possumus, sed more brutorum animalium vociferamur, videlicet causa imbecillitatis, quæ non solum hæsitatem linguæ, sed etiam balbutiem, blæsitatemque faciat: quippe cum

cum blâsitas fit, literam quandam exprimere non posse, eamque non quamlibet, sed certam: balbuties, vel literam prætermittere, vel syllabam: hæsitans, alteram alteri syllabâ iungere prope non posse. Quæ quidem omnia imbecillitate eueniunt. Lingua enim subministrare intelligentiæ non potest: itidē etiâ vinolenti, senesq; afficiuntur propter debilitatē: viris autem hæc minùs vsu eueniunt.

31 Cur vox hominum tam metuentium, quam trepidantiū obtremiscere soleat? An quod emigrante calore cor concutitur. Nam vtrisque, & trepidantibus, & metuentibus accidit, vt ita afficiantur. Cum cor autem concutitur, ictus nequaquam effici vnus potest, sed plures proficiantur, vt è fidibus laxiùs intentis, necesse est.

32 Cur vocem homines trepidantes grauē, metuentes acutam reddant? An quod metuentibus locus cordis refrigeratur, cum calor deorsum se defert, ita quod parum aeris excitare possint: vires enim positæ in calore sunt. Trepidantibus autem calor loca petit superiora, vt etiam pudore affectis effert idem sese ad faciem. Cuius indicium est, quod pleniùs erubescunt. Resoluit igitur, multumq; aeris, quo loquimur, efficit: hic autem tardè propellitur: tardum verò non nisi graue in voce est.

33 Cur nox ad audiendū aptior est, quam dies? Vtrum (vt Anaxagoras ait) quod aer interdum frigidat à Sole cōcalfactus, & obstreperit, noctu requiescit, vtpote cum omnis calor abfuerit. Tūc autem quæq; audiri meliùs possunt, cum nullus strepitus est. An quod per inanius facultas audiendi amplior, quam pleniùs, datur. Est autem aer interdum densus, vt qui luce, radiisq; refertur: noctu autem rarior, quod ex eo ignis, & radii decesserunt, quæ corpora esse dixeris. An quod corpora multifariam interdum vim intelligendi dispersiuntur, inq; res varias deducunt: itaque clara audiendi eripitur sensio. Et eò quod omnia die magis, quam noctu, agimus, ipsa quoque intelligentia negociis corporis impedita est. Sensus autem, vbi seiunctus ab intelligentia est, laborem velut insensibilem habet: vnde dictū, Mens videt, mens audit. At verò noctu, cum noster intuitus omni sit munere liberatus, magisq; intelligentia requiescat, meatus aurium vel amplius patent, vel nihilò minùs, quam die, vt capax sonorum pariter est, sic meliùs eosdem sonos referre ad intelligentiam potest: quoniam nec ipsa intelligendi vis quippiam agat, nec ab aspectu tentetur, vt fieri interdum solet.

34 Cur omnes, qui humore prolifico vacant, vt pueri, mulieres, decrepiti, & spadones, vocē reddunt acutam, viri autem, qui firma ætate sunt, grauiorem? An propter membri imbecillitatē, quod mouere aerem solet. Mouet enim exiguum aerem, quod imbecillum est: exiguus velocius fertur: quod velociter fertur, acutum est. An quod primus meatus, quæ vox permeare solet, omnibus semine vacuis pusillus est: itaq; exiguum proficisci ab eo potest, quod astra moueat: exiguum verò cum sit, velociter per amplas superiores fauces fertur. At viris ætate vigētibus hic amplior

habetur, vt etiam qui ad testiculos pertinet. Itaque aer plurimus est, qui inde propellitur: tardior ergo cum transeat, merito grauior reddi potest.

Cur homines lingua hæsitantes, loqui nequeat voce submissa? An quod offensaculo quodam vox sistitur, retineturq;. Sed cum non pares requirantur vires, aut similis motus, cum quicquam non impedit motum, cumq; impedit, enitendum omnino est: vox autem motus est, vocemq; altiorem solent emittere, qui pro viribus conantur. Ergo cum ad expellendū quod obstat, enitendū sit, altiùs eos loqui necesse est, qui linguæ huiusmodi vitio tenentur.

Cur iidem illi trepidantes magis, quam vinolenti, hæreant lingua? An quoniam affectus hic similis generi stuporis, quam apoplexiâ vocamus, parti interiori cuiusdam tribuendus est, quam partem mouere nequeant impediendam propter suam refrigerationem. Vinum igitur, quod sua natura calidum est, refrigerationem tollit, trepidatio facit. Est enim trepidatio, metus quidam: metus autem, refrigeratio est.

Cur strepitus extrinsecus magis intus auditur, quam intrinsecus foris? An quod intrinsecus, cum vasta, immensaq; adeat spatia, discerpitur, dissipaturq;, vt pars eius vel minimè, vel minus sentiri possit. Extrinsecus verò, cum vox sese in locum arctiorem, stabiliorēq; aerē conferat, vniuersa ingreditur: itaq; cum maior sit, non immerito meliùs potest audiri.

Quam ob causam qui lingua hæsitant, melancholico habitu constant? An quod prope sequi imaginationem, non nisi esse melancholicum est. Hæsitantes autē illi tales proculdubio sunt. Impetus nanq; dicēdi præruit, anteceditq; facultatem eorum, vtpote cum animus visa sequatur. Balbis etiam idem accidit: hos etenim omnes membra voci accommodata tardiora habere, certum est. Indicium verò, quod tales vinolenti redduntur, cum suas maximè imaginationes, non rationem sequuntur.

Cur porrum profit ad vocem sonoram? Nam & pernici commodum eadem in re nouimus. An quod allium quoque elixum delinit, & quidem porrum lentitiam quandam obtinet, quæ fauces detergere possit.

Cur cætera animalia vocem tum acutiorem emittunt, cum validiora sunt: homo autē cum inualidior est? An quod homo inualidus exiguum aera mouet, aer exiguus velociter permeat, velocitas strepitum reddit acutiorem.

Cur meliùs audimus, cum spiritum retinemus, quam cum reddimus: itaque minùs spirare in venatione præcipitur. Vtrum quod per venationem vis sentiendi locum petit superiorem. Cum enim dormimus, deorsum se defert, & crebriùs tunc reddimus quam ducimus, spiritum, minimèq; audire valemus. An etiam sanguis, cum reddimus spiritum, ascendit. Itaque pars superior impletur, cum tamē per inane audiamus. An quod efflatio, strepitus quidam est: hic autem expiratio eueniens vim obtundit audiendi.

Cur sal exiguus ocyus crepat, & exilit, vehementius

mentius autem & crepat, & exilit, qui plenior est? An quod exiguus rupi celerius potest: haud enim multum id est, quod subeat ignis oportet, cum sal ipse totus exiguus sit. Plenior autē ille lentiùs domatur, quod plus negocii est, magnū disruptisse, quam paruum: crepat paruus parum, quia paruus inuehitur ictus: maior magis, quia magno agitur ictu. Crepitus autem, ictus est. Quod etiam robustius est, magis exilit, quoniam minùs cedit.

43 Cur si salem eadē magnitudine, qua modico igni ingestus crepat, nimio inieceris igni, vel nihil, vel minùs crepabit? An quod prius ab igne corrumpitur, quam rumpi possit: comburitur enim humor, quod consumptus est: crepat, quod discissus, disruptusque est.

44 Cur oscitantes minùs audire valemus? An quod spiritum intercludimus, qui se ad aures trahat: indicium, quod strepitus in auribus nascitur, cum oscitamus. Circumuentus autem, interclususq; illis spiritus facit vt minùs audiamus. Adhæc vox oscitantibus quædam oritur, quæ vim audiendi interpellare potest: & compri mi verò aures necesse est, quoties corpus se distrahit, atque intendit.

45 Cur vox, cum apta sua natura sit in sublimem effert, vt quæ aer quidem sit, non inferius sursum, sed superius deorsum meliùs audiri potest? An quod vox aer quidam iunctus humori est, qui pondere humoris grauescens deorsum labitur, non sursum effertur. Humor is nanque secundum naturam interest, vt deorsum feratur: itaq; ab imis sentiri pleniùs potest. An hoc voci duntaxat animalium reddi debeat: hæc enim non sine humore profluit. Illud verò accidere nimirum vel in cæteris omnibus strepēdi generibus nouimus. Ergo vt visus, si superius deorsum prociderit, sursum versus reflectetur, sed si inferius sursum pertenderit, deorsum se flectet: sic vox, quæ sua natura cogitur sursum ferri, vbi acci-

46 Cur vinolentis potius, quam sobriis frangi vox soleat? An repletio facit, vt vox celeriter frangi possit. Cuius rei argumentū, quod neq; chori, neq; ludiones statim à prandio, sed ieiuni vocē exercere consueuerunt. Cum igitur vinolenti impleti sint, merito voces eorum potius frangi solent.

47 Cur vocem acutiorem longiùs audire possumus? An quod vocis acumen velocitas est: moueri autem ocyus solent, quæ vehementius ferantur: quæ autem vehementius feruntur, hæc longiùs ferri possunt.

48 Cur spiritum retento meliùs audire valemus? An quod respiratio non nihil strepitus mouet. Merito ergo tunc meliùs sentimus, cum strepitus minus est: minus autem strepitus tum, cum spiritum retinemus.

49 Quam ob rem lux, quæ tenuior, & velocior, & deductior est, corpora penetrare densa non potest, strepitus autem potest? An quod lux directo itinere fertur: itaque si quid rectè illi profluentiæ lucis obuium sepiat, lucem penitus discludi necesse est. At strepitus, quia spiritus est, ferri non rectè etiam potest: itaq; efficitur, vt strepitus sentire vndiq; liceat, non eum tantum, qui se rectè nostris auribus obtulerit.

Quare qui rident, vocem grauiorē emittunt: qui flent, acutiorem? An quod corpore intento vox acuta depromitur: infirmum autem, quod acutum est. Quæ vtraque in flentibus inesse potius nouimus: sunt enim & intentiori corpore, & infirmiori.

Quam ob rem cum vox aer quidam formatus sit, & sapius dissoluatur, cum fertur: echo autem, id est, resonantia fiat, isto eiusmodi aere in solidum quippiam, vox ipsa non dissoluatur, sed expresse eadem percipi possit? An quod aer refringitur, ideòq; totū à toto proficiuntur. Tum etiam affectus hic non nisi de re simili existit: quippe cum aer reflecti de aere soleat in cauo, non de cauo.

Quam ob rem cum simul vocē multi emittunt, vnusq; tantum, quantum singuli reddit, multorum vox illa neque partem voci vnus offert sese, neq; longiùs pro ratione deducit? An quod singuli proximum aerem propellant, non eundem, nisi paulò tenuis: quod simile euenit, vt si multi quidem proiciant lapidem, sed singula, aut magna eorum pars mittat diuersum: neque enim ibi longiùs, aut pro ratione longè lapis vltus deueniet, neque hic longiùs cunctorum, quam vnus vox poterit audiri: vox etenim tanta non vnus est, sed multorum. Rectè igitur è propinquo vox multa esse pro ratione videtur: quandoquidem lapides quoque illi multi ita videri, atque idem assequi possunt, at è longinquo plus quam si singulae sint, sentiri non potest.

Cur trepidantes vocem reddimus grauiorē, metuentes autē acutiore? quanquam etiam pudor genere metuendi continetur. An multum inter se affectus hi distant. Quos enim puduit, erubescunt: trepidatio autē, pudor quidam est. Qui verò metuunt, pallent. Constat igitur, calorem in metu partem superiorē deferere, vt parū aeris præ sua exilitate monere spiritus possit: Velociter autem ferri potest, quod exiguum est: vocis verò velocitas, non nisi acumen est. Iis contra, quos puduit, calor partem superiorē, id est, pectus petere solet. Cuius rei indicium, erubescens facies affert: ampliore autem aerem amplior potentia mouet. Tardiùs verò omne fertur, quod amplius est, tarditatq; in vsu vocis, non nisi grauitas est.

Quæ causa est, vt lingua hæsitantes aliqui fiant? An membri, quo loquimur, refrigeratio causam habet, & tanquam stupens, & attonitum membrum id est: itaq; vino, continentq; oratione concalfacti, verba faciliùs possunt copulare.

Cur homo solus ex omnium animantium numero lingua hæsitans oritur? An quod solus compos sermonis est, cætera vocem tantum obtinent. Qui autem lingua hæsitant, vocem quidem

ἰπικριταί
ludiones.

49

quidem producent, sed verba copulare, sermo-
nemque condere nequeunt.

56 Cur sobrii tempore hyberno vocem acutiùs
mittimus, vinolenti autem æstiuo grauiùs? An
vox acutior, quæ velocior est: velocior autem, quæ
corpore intento se promit. Sobriorum i vero,
hyemèq; corpora magis constant, quàm vino-
lentorum, æstatèq; calores enim, teporèq; cor-
pora resoluunt, atque elaxant.

57 Cur homo solus omnium animantium lin-
gua hæsitans prouenire potest? Vtrum quod etiã
mutus solus existit: linguæ autem hæsitatio, mu-
titas quædam est: nec membrum, quo loquimur,
absolutum habetur. An quod homo solus com-
pos est sermonis, cætera autem vocem duntaxat
fortiuntur: linguæ autem hæsitatio, vt nomen
declarat, vnum non est, nec promptam, conti-
nentemq; parit orationem.

58 Cur homini vox seruiùs perfici solet, quàm
cæteris, quibus data est vocis proferendæ facul-
tas? An quod vocis humanæ genera, & discrimi-
na quàm plurima sunt: cætera enim animantia
literas, vel nullas, vel paucas exprimere possunt.
Quod autem summè varium, plurimisque di-
stinguendum differentiis est, id tempore lon-
gissimo perfici necesse est.

59 Cur cæteræ speciei eiusdem animantes vo-
cem fundunt eandem, homines autem variam,
& multiplicem agunt? An hominum etiam vox
vna est, multa autem genera loquendi.

60 Sed cur communis hæc vna hominum varia
est, cæterorum autem simplex? An homines mul-
tas proferre literas possunt, cætera vel nullam,
vel duas, aut tres exprimunt insonas, quæ voca-
libus iunctæ locutionem conficiunt. Oratio au-
tem non voce, sed vocis affectionibus signifi-
cando absoluitur: at vocis affectiones, literæ
sunt. Quinetiam pueri non secus, ac bestia, suas
exprimunt appetitiones, vtpote, qui nondum
proferre literas possunt.

61 Cur aspectus corpora penetrare solida non
potest, vox autem potest? An quod aspiciendi de-
latio simplex est, quæ per directum profluere so-
leat ad lineam. Cuius rei indicium, Solis radius
est, & quod nisi è regione cernere nõ possumus:
vox autem motu multiplici ferri potest, quippe
cum vndique liceat audire. Quoties igitur aspe-
ctui directus ille impeditur progressus, eò scili-
cet quod res obiecta meatuum incondita, siue
indisposita turba constipatur, transpicere ne-
quit: at vox, quoniam quoquoersus profertur,
omnia prorepat, penetrat, translapfa audiri vn-
dique potest. In humoribus tamen facultas tran-
spiciendi oculis data est: voci autem nulla, vel
minima, quoniam humor tenuior, quàm ter-
ra, est: quoniam humoris meatus parui, densi, con-
tinuatq; sunt, vt minimè aspectus impediatur,
quod minus tramite directo ingredi possit. Hæc
eadem causa est, cur etiã per vitrum, quod den-
sissimum est, transpicere liceat: per ferulã, quæ
rara, solutãq; est, nõ liceat: in altero enim me-
atus respondent inter sese, in altera variant. Nec
quicquam iuuat, amplos esse meatus, nisi rectè
ad lineam positi sint. Vox autem minimè in aqua

sentiri potest, quoniam minus aqua inanit, quàm
vt aerem capere, vocemq; transmittere possit:
vox enim, aer quidam est. Haud enim omne ra-
rius permeari se patitur, nisi etiam meatus ei re-
spõdeant, quod permeare conetur, & congruât,
vt vis etiam colligendi, & contrahendi sese, de-
sit, nisi meatus capaces corporum sint: quanquam
quod rarum est, molle est, & tale, vt in se ipsum
coire possit. Verum nonnulla præ nimia suorum
meatum angustia colligi impediuntur, vt vi-
trum: quippe vt flecti, contrahiq; non queat, quan-
uis rarius ferula est, ratione prædicta: vt etiam
aqua, & quicquid aliud generis eiusdem. Vnde
illud quoque palam fit, non quod rarius raro,
molliq; vel eodem, vel proximo est, id magis in
se ipsum colligi posse, & adduci. Causa enim om-
nibus eadem reddenda est.

Cur vox, quauis minor reddatur adimen-
do, speciem tamen seruat eandem? An quod cum
his ipsis miscetur, quæ dempseris. Res autem mi-
sta non partim est, partim non est: sed vsquequa-
que talis est: æquè igitur quibusdam vndique
detractis, æquè contrahitur, vt necesse sit, simul
& minorem esse, & similem.

Quid est, quod linguam faciat hæsitare? Vtrum
calor efficiat, vt procaciores sint: vtique offen-
dèdo adhærent quasi in salebris, quomodo affi-
ci iratos homines nouimus: incenduntur enim,
incitantur, anhelant, qui spiritu redundant: igitur
tua præ nimio caloris feruore. Anhelant autem,
quoniam frequens spiritus est, nec anticipat,
quatenus se tempore respirandi promere pos-
sit. An potiùs contrã, vt loci, quo vocem mit-
timus, refrigeratio causam det, tanquam mem-
brum id attonitum obstupescat: itaq; afficiatur,
vt vel concalfacti à vino, aut perpetua oratione
verba expeditiùs possint copulare.

Cur tempore hyberno voces grauiores red-
duntur? An quod aer crassior est. Talis autem
cum sit, motus tardior prouenit: itaque vox red-
ditur grauior. An quod aer perfectus lentiùs
permeat, fauces autem intersepieri, & constringi
à frigore, pituitaq; destillante coguntur.

Cur pueri, mulieres, spadones, senesque vo-
cem reddant acutam? An quod motus velocior,
qui acutior est. Et cum genus idem sit, motu fa-
cilius est, quod minus, quàm quod plus est. Quia
ob rem qui firma ætate sunt, plus aeris trahere
possunt: plus igitur illud tardiùs permeans vo-
cem efficit grauiorè. Pueris, & spadonibus con-
trã res euenit, quoniam minus aeris capiunt. Se-
nes autem ideo tremunt, quoniam vocem conti-
nere non possunt: quomodo imbecillibus, ac
pueris vsu venit, cum lignum prælongum parte ex-
trema ceperint: alterum enim extremum qua-
titur, quia nequeunt superare quod tenet, &
vincere. Quod idè & trepidantibus hominibus,
& metuëtibus, & rigëtibus causam vocis tremu-
læ afferre, credendū est. Cum enim, qui vocè ita
emittit, eius calor pulsus ab affectibus illis intrò
se colligat maxima ex parte, reliquū, quod exi-
guum extat, vocè continere nõ potest: quapro-
pter quatitur, atque intremittit. Vnde artium li-
beraliū professores, qui se solitos trepidare no-
uerunt,

uerunt, principio agunt voce submissa, dum re-
fideant, & stabiliantur: vocem enim exiguã vin-
cere, continerèque faciliùs possunt.

*Eorum, quæ ad res bene olidas pertinent,
Sectio duodecima, cuius qua-
stiones XIII.*

Quæ suffimenta omnia minùs è propin-
quo sentire possimus? Vtrum quod
odoris delibatio aere temperata val-
lidior redditur, vt myrrha medicina-
lis suauior est. An contrã agitur, vt ignis vi sua
cremandi tollit odorè, qui per suffitum effluat:
& quidem apud carbones ipsos nihil redolent:
longius verò purius, tenuissimūque fertur,
quod oleat.

Cur odores tam suffimentorum, quàm flo-
rum, minùs suaues è proximo sentiuntur? Vtrum
vnã cum odore, terræ quoq; particulæ prodeunt,
quæ præ suo pondere antè currunt, quàm ad sen-
sum odor deueniat: itaq; longiùs ille syncerum
se offert. An neq; cum principiū proximū est,
neque cum admodum semotum odor abundè
effluere potest. Nam si proximum, nondum lar-
gè emanat: si remotissimum, discerpitur.

Arbores reddi odoratas aiunt, in quas cæle-
stis arcus decubuit. Vtrum verum hoc sit, an fal-
sum? Et si verum, quam ob causam ita eueniat?
Ergo nec omnes arbores, nec semper aliquas
odorem ita acquirere palam est. Etenim sæpe
arcus cælestis constitit, & tamen arbores nihil
odoris spirarunt, quod quidem sensum mouere
posset: cumq; odor contrahitur, (accidit enim
id aliquando, itaq; narratur) non in quaque ma-
terie contrahi potest. Causa verò per accidens
ad arcum referenda est, præsertim si arcus ipse
nulla natura sit, sed obtuitus refringèdi tantum
affectio. Prouenit autem odoris ille affectus, vt
dictum iam est, non qualitercunque se materies
habeat: neque enim in viridi, neq; in arida: sed
in vsta post aquam, quæ arcui superuenerit, cer-
tam reddi suauitatem odoris pastores referunt,
maximèq; vbi aspalathus, aut etiam rhamnus
est, & genus ex iis aliquod, quorum flos suauiter
olet. Ratio autem odoris eadem est, quam etiã
de terra animaduertimus: hæc enim, cum fer-
uet, atque inuritur, quod ediderit, principiò be-
ne olet. Enimuero quæ parè humido quædam
in modum recaluerint, odorata redduntur: hu-
mor enim concoqui calore nimirum potest.
Qua de causa totius quoq; orbis terrarum, quæ
ad Solem orientem spectant, odoratiora exur-
gunt, quàm quæ ad Aquilonem: & eorum ipso-
rum, quæ ad ortum plus vergunt, quàm quæ ad
meridiem, eò quod loca Syria, & Arabia ple-
niora sunt, atque terrenosiora. Africæ verò are-
nosa, siticulosaq;. Nec enim humorem nimium
inesse oportet, (concoqui nanq; nimius nõ po-
test) nec nullum: sic enim nullus vapor inde ex-
tringi potest. Quod vel in ea materie solet acci-
dere, quæ & nuper cõbusta sit, & tale habeat ge-
nus, vt secum odoris ferat suauitatè. Quæ qui-
dem res floribus, declarari potest: odor enim in
eos transmittitur. Sed fieri putant in iis, in qui-

bus cælestis arcus institerit, quoniam nunquam
id sine aqua effici potest. Cum enim materies
imaduerit, calorèq; interiori concoxerit, re-
spirare iam incipit, vaporèq; intra se conce-
ptum emittit, Nec verò aquã nimiam accessis-
se oportet: eluit enim, atq; extinguit calorè ab
igne iniectum, quæ nimia venerit. Quæ autem
aquæ post arcum solent incidere, nõ multæ, sed
semper penè mediocres adueniunt: & si plures
constiterint arcus, aqua non largè, sed sæpe, &
parè accedit. Quia ob rem non immeritò, cum
hoc ita fiat, qui rem insignem præter arcum nul-
lam aspicerent, causam odoris illi attribuere.

Cur flores, & suffimenta suauius è longin-
quo olent, è propinquo autem herbam alia po-
tius redolent, alia fumum? An quia calor quidã
natura odoris est, odoratq; omnia calida sunt:
calidum autem quodq; leue est. Itaq; cum lon-
giùs permeant, odorem deferunt suum secretio-
rem, vendicatiuumq; ab cæteris tum foliorum,
tum fumi, qui vapor aqueus est, odoribus, qui
comitentur eum ipsum. An cum in propinquo
sunt admista illa, cum iis vnã redolent, quibus
inhærent, atque ita odorem deprauant.

Cur omnia plenius olent, cum mouentur? An
quod excita plus aeris implet, quæ quiescètia: itaq;
oculus ad sensum nostrum odor transmittitur.

Cur tempore hyberno minùs olfacere possu-
mus, minimèq; per gelu, & glaciem? An quod
aer à frigore immobilior redditur: itaq; motus
non æquè proficisci a corpore odorato potest,
scilicet propter difficilem delibationis motu,
& aeris, quo inuehitur.

Cur acriùs aromata olent: cinere suffita,
quàm igne, & plenius, ac diutiùs suum seruant
odorem, cum cinere suffiuntur? An quod in
cinere minùs concoqui odor potest, itaque ple-
nior est. Ignis autem, quod celeriter vires eorū
domat, & concoquit, odorem commutat. Con-
coctio enim, rei concoquendæ commutatio est,
siue alteratio.

Cur rosæ suauius olent, quibus vmbilicus
asper, quàm quibus leuis? An quod suauius o-
lent, quæ modum consecuta sunt suæ naturæ.
Rosa autem, spinosa natura est: ergo suauissimè
ideo olent, quod magis secundum naturã cõstiterunt.

Cur odores è proximo minùs suaues tam suf-
fimentorum, quàm florum spirant? An quod por-
tio terrena vnã cum odore se defert, quæ vt in
proximo mista vim hebetat, sic in longinquo
prona defertur, ac decidit. Hinc etiã flores con-
tusi suum amittunt odorem.

Vtrum odoris natura fumus sit, an aer, an va-
por? Hæc enim inter se differunt, quia alterum
ab igne, alterum & sine igne effici potest. Et vtrum
à sensu aliquid in res odoratas proficiscatur, an
ab illis in sensum, quod aera proximū moueat.
At si ab illis aliquid delibaretur, minora certè
ob eam rem reddi oporteret: nunc autem quæ
odoratissima sunt, hæc potissimum eadem vi-
demus edurare.

Cur aromata cinere suffita acriùs olent, quàm
igne? An quod in cinere minùs concoqui odor
potest, itaq; plenior est: multū ergo partis quoq;
ter-

terrenæ respiratur, fumusque redditur. At ignis terrenum properè illud rapit: itaque odor purior, syncerior sine villo fumo ad sensum deuenit. Vnde etiam fit, ut flores tritici hebetius oleant: partem enim terrenam ut contritus mouere potest, sic lentus calor absumere non potest.

- 12 Cur omnia odorata tam femina, quam plantarum, urinam ciere possint? An quod calida, & tenuia sunt: tale autem quodque urinam citat. Ce-
10 leriter enim calor inditus ille extenuat: nec odor ipse aliqua corpulentia concreta est. Nam & quæ non bene olent, velut allia, vi sui caloris urinam mouent, vel potius vim resoluendi, liquefaciendique; obtinent. Calida verò femina, quæ bene olent, ideo sunt, quod odor omnino calore efficitur: foetida sanè inconcocta sunt. Nec solum calida, verum etiam plene esse concocta debent, quæ prouocatura urinam sint, ut vnà descendendo humores possint extenuare.
- 13 Cur vinum dilutum olere ocyus definit, quam merum? An quod dilutum imbecillius mero est: quod autem imbecillius est, ocyus à quocumque; mutatur, quam quod validius. Tum etiam vinum dilutum facilius affici potest, quam merum. Quod autem affici facilius potest, id & recipi à quouis, & recipere quoduis facilius potest. Ita fit ut merum odorum, dilutum inodorum sit.

Eorum quæ ad res malè olidas pertinent, Sectio decimatertia, cuius quæstiones XII.

Vr foetidior urina redditur, quod diutius in corpore manserit, sterco autem minus? An quod sterco, quod diutius retentum sit, eò magis siccat: quod autem siccius est, minus id putredini patet: urina contra effici crassior solet, recentisque potioni ingesta similior est.

2 Cur esculenta malè olida minimè his olere videntur, qui illa ederunt? An quod olfactum peruium ad palatum habemus, idcirco sensus hic properè impletur: itaque nec interiorè odorem æquè amplius percipere potest. Principio enim omnes sentire queunt: vbi autem tetigerunt, non insuper possunt, quasi iam res consociata, natiuaque; reddatur, & exterior similis ille oblatu delitescit obtentu interioris.

3 Cur flores confusi deterius olent? An quod pars terrena, quæ flori inhæret, odori permiscens sese, vim hebetat odorandi.

4 Cur animantium nullum suauiter olet, excepta panthera? quæ etiam ipsa non nisi bestiis ita olet: ferunt enim suauem illis olentiam ab hac respirari. Scirpium autem multæ, & integre bene olent, & corruptæ, ac aridæ magis, magisque; suauem reddunt odorè. Vtrum quod mali odoris causa, cruditas quædam excrementi est: quam ob rem sudores etiam aliqui, atque aliquando ita olent. Sed è morbo maximè vitiantur, quibus tales esse non solent. Et flatus etiã, ructusque; crudorum foedius olent. Quam eandem causam de cæteris quoque; proportionem animaduertisse oportet: proportionem, inquam, quod animalium carne vacantium generi æstimandum aliquid

est, quod carnis vice habeatur: nam excrementum crudum, vel in hoc esse nouimus. Hoc igitur & viuis causæ foedi halitus est, & mortuis eum putrescit. Quam ob rem pingue, os, pilus, foedum nunquam reddunt odorem, scilicet illam ob causam, quod pingue concoctum est, ossa, & pili humore vacant. At genus plantarum nullum intra se contrahit excrementum. An etiã platis aliquid inest: sed quia sicca, & calida sunt natura, humor eorum non foeculentus est, sed concoqui expeditius potest. Constat hoc etiam plagis terræ, quæ ut feruentiores, sic odoratiores sunt, ut Syria, ut Arabia: & muneribus eardem regionum, quæ sicca, & calida nouimus, hoc idem probari potest: nullam autem sentire putredinem possunt, quæ huiusmodi sunt. At animalium genus tale non est: itaque excrementa eius cruda, foetidaque; sunt, flatusque itidem olent. Peremptis quoque; animantibus humor putret, plantis minimè: quippe cum humore plantarum genus haudquaquam redundet.

Quam ob causam res malè olidæ grauius, cum calent, quam cum frigent? An quod natura odoris vapor quidam, & delatio est, quæ calore existunt. Motus etenim quidam sunt: calor autem mouendi vim obtinet: frigus contra, efficit ut res consistat, & contrahatur. Deorsum etiam refrigerata omnia feruntur. Calor autem, odorèque omnes sursum feruntur, tum quia siti in aere sunt, tum quia sensorium eorum supra, non infra habetur, quippe cum odor ad cerebrum penetrans mouere soleat sensationem.

Cur si quis allia ediderit, urinam redolentem allium reddet? cum tamen alia pleraque odoris vehementioris ingesta, nihil in suam qualitatem urinam possint conuertere. Vtrum, ut quibusdam scholæ Heracliteæ placet, quod sicut in vniuerso, ita etiam in corpore nostro expiratur, deinde vapor denuò concrefcit, utque; ibi humor, sic urina hic est: exhalatio autem alimenti vbi reuertit vnde prodierat, odorem eundem non immerito recipit, quippe quæ illud reddat, in quod sese commutat. An si ita esset, cætera quoque idem facere deberent, quæ vehementem spirant odorem. Nunc autem nullum hoc posse efficere nouimus. Adhæc, vapor, qui postea concrefcit, non ad statum pristinum redit. Verbi causa, si vapor vini exhalarit, non postmodum in vinum concrefcit, sed in aquam. Ita falsum id etiam illi referunt. Ergo allium solum ex omnium numero, quæ odorem simul & vehementem, & urina mouentem reddunt, inflare ventrem inferiorem potest. Cætera enim vel sursum mouere spiritum solent, ut radícula, vel urinam citare non queunt. Allium verò tria mirum hæc facit, ut & urina augeatur, & spiritus excitetur, isque; deorsum, non sursum: quæ quidem situs vesicæ, testicularumque ideo sentit, quod & in vicino est, & spiritu opportunior habetur, ut tentigo abundè declarat. Constat igitur ut excrementum allii omnium maximè huiusmodi ad vesicam possit vnà cum spiritu deuenire, quod permiscens sese odorem plene urina committat.

Quam

7 Quam ob causam ora hominum, qui nihil ederint, sed ieiunarint, grauius olent, (quod ieiunam graucolentiam appellant) eorum autem, qui aliquid ederint, non olent, cum tamen eorum magis olere debeant? An quod ventre inani, minus agitatio aer factus calidior, spiritum, excrementaque pituitosa sua immobilitate putrefacere potest. Calidiorum autem effici, argumentum est, quod vel sitim patere ieiunium solet. At vbi ederimus, odor ciborum grauem illam olentiam offuscatur, ut maior minorum: calor enim ciborum calorem præcedentem illum exuperat, ita ut nihil affici possit.

8 Cur alæ omnium maximè partium nostri corporis malè olent? Vtrum quod omnium minimè respirare possunt: malus autem odor locis huiusmodi contrahi maximè solet, quoniam putredo quiete interioris qualitatis consistit. An ideo quod immobiles, inexcitataeque habentur.

9 Cur homines, qui virus redolent hirci, foediùs oleant, cum se odorificè vnguentarint? An hoc in multis accidere solet, velut cum accido dulce commistum est, dulcius totum exultat: tum etiã omnes, postquam sudarunt, grauius olent: vnguentum autem concalfaciendi vim habet, itaque sudorem potest prouocare.

10 Cur hominum incuruorum, gibborumque halitus grauior, ac foedior est? An quod locus pulmone accommodatus, conclusus, deflexusque; à sua proceritate est: itaque spiritum transmittere expedite nequit, sed euenit ut vapor, ac spiritus amplius interclusus putrescat.

11 Cur vnguentorum magna pars sudori permixta malè olet, aliqua verò suauior redditur, aut nihil deterior? An quæ motu, tractuque commutari solent, hæc deteriora redduntur: quæ autem eadem persistere possunt, hæc suauius redolent. At sunt, quæ resistere queunt, quomodo etiam florum, quibus odores conficimus: alii confusi, vel concalfacti, vel excitati exolefcunt, ut violæ albæ: alii sibi similes, ut rosæ. Et vnguentorum igitur, quæ ex floribus huiusmodi sunt, commutari utique; possunt: quæ non sunt, nequeunt: vnde rosaceum commutari minimè nouimus. Et quidem quod sudores foediùs olent, eò grauius vnguentum quoque redolere videtur, quoniam rei sibi contrariæ se permiscet: ut mel cum sale non magis, sed minus dulce sentimus.

12 Cur omnia plenius olent, cum mouentur? An quod aera implent, itaque odor citius ad sensum reducitur.

Eorum, quæ ad regionum habitus pertinent, Sectio decimaquarta, cuius quæstiones XVI.

Vr effertis & moribus, & aspectibus sunt, qui in nimio vel æstu, vel frigore colunt? An eadem causa est. Optima enim temperies non corpori solum, verum etiam intelligentiæ hominis prodest. Excessus autem omnes dimouent, & ut corporis, ita etiam mentis temperamentum peruertunt.

2 Cur frumentum in Ponto frigori expositum diu reseruari integrum potest? An propterea quia humor alienus vnà cum calore euanescit, ut in visis fieri nouimus: alia enim frigore, alia calore exhalat.

Cur potius in frigidissimis terris ardores febrium fiant? An quod frigus calorè intus circumobstitit: cuius rei contrarium æstiuo tempore agitur. Partes namque internæ frigidiores redduntur: ardor autem febris est: ergo partibus refrigeratis exterioribus, caloris copia interiores redundant.

Cur blæsis pedibus Aethiopes sunt, & Aegyptii? An quemadmodum ligna, ita etiam corpora animantium deprauari à calore solent. Quod etiam pili declarant, quos illi crispiores, quam cæteri, gerunt: crispitudo namque; veluti pilorum blæsitudo est.

Cur temporibus Austrinis initus sceminam potius generat? An quod largior humor tardiùs crassescit: Austrinis autem humor temperamenti facit, ut semen reddatur humidius.

Cur locis palustribus vlcera capitis curari celeriter possunt, crurium autem tardè? An quod humor est grauis, quia terrenus est: omne autem graue tendit deorsum: ergo vlcera superiora concoctioni sunt opportunitiora, quoniam humor delapsus ad ima est: inferiora autem ipsa multo excremento, putrefactaque facili redundant.

Cur qui loca edita, aperta que colunt, tardiùs senescunt: qui autem caua, & palustria ocyus? An senectus quædam putredo est: putret autem, quod quiescit: nullo modo, aut minus ita afficitur, quod mouetur, ut aqua profluens, & conclusa: igitur ut locis editis aer vndique afflante spiritu agitur, ita cauis manet immotus. Adhæc, locis apertis purus, ac diuersus assidue propter agitationem aer habetur, palustribus impurus, idemque semper emarcescit.

Cur timidi sunt, qui loca feruida incolunt, fortes, qui gelida? An quod natura contra, quam loca & tempora se habet, quoniam si se similem ageret, citò periret. Sunt autem fortes, qui calida sunt natura: timidi, qui exangues, refrigeratique sunt. Fit igitur, ut qui loca inhabitant calida, refrigerentur: qui frigida, concalescant. Vtrique tamen corpore magno adolefcunt, eò quod qui frigida colunt, infito calore abundant: qui calida, calore loci refouentur: quippe cum in calidis & à calore incrementum sequatur: frigus autem vim adstringendi, constipandique habeat. Cum igitur alteri principium inter se vehemens augendi obtineant, alteri nullo extremo frigore impediuntur, merito vtrique; augeri possunt plenius. Homines nostræ regionis augeri ideo minus possunt, quod & principium illud in se imbecillius continent, & frigore aliquantisper constipantur.

Cur diutius viuunt, qui locis calidis suam degunt ætatem? An quia natura sunt sicciore: firmiter autem, diuturniusque, quod siccius est: mors autem putredo quædam est. An quod mors, caloris interioris refrigeratio est. Refrigerari autem omnia solent ambientis aeris qualitate, qui ut locis calidis calet, sic frigidis friget: itaque interiorum calorem ocyus, magisque corrumpit.

Quam ob causam qui calida loca habitant, viuere diutius possint? An quod humorem, caloremque amplius seruant, quarum rerum interitus mors est.

Cur locis palustribus effici somnolentiores somnemus? An quod magis in his ipsis refrigeramur:

refrigeratio autem, cum requies quædam sit, somnum nobis conciliat, qui inter quiescendum solet accidere.

12 Cur qui in nauibus degunt, quanuis in aqua, coloratiores tamen sunt, quam qui in paludibus? An loca commodè aspirata coloris præbere hilaritatem possunt. Pallidos autem humor efficit, cum putrescit, quod euenire immobilitatis causa solet: quam ob rem subpallidi sunt, qui loca palustria colunt.

13 Cur locis hybernis æstus fieri vehementiores, quam tepidis, soleant? Vtrum propter nimium aeris humorem. Enimuero caloris opera eiusdem aqua reddi potest calidior, quam aer: ergo aer quoque humidior acrius, quam tepidus ille, recalescere potest. An non calidior aer locis huiuscemodi est, sed esse ob vehementiam qualitatis contrariæ videtur, quomodo Sol cum è nube illuxit, calidior esse ob contactum vmbra videtur.

14 Qua de causa, qui Meridiem versus habitant, nigris oculis potius nascuntur? An quod vt oculi cæli caloris interioris exuperantia redduntur, sic eiusdem absentia nigri efficiuntur, vt Empedocli etiam placet. Ergo quemadmodum qui Aquilonem versus positi sunt, oculis cæsiis ideo nascuntur, quod calor interior effluere à frigore exteriori vetatur: ita qui ad Meridiem vergunt, continent quidem suum humorem propter aeris circumfusi teporem obuium, sed calorem continere non queunt, quod nihil extrinsecus est, quod obsepiat, atque arceat. Itaque humor, qui relinquitur, nigrescit: lucis enim absentia omnia obfuscarit, opacarique solent. An reliqui corporis colorem oculorum color imitatur: itaque qui Aquilonem versus inhabitant, vt ipsi albo corpore sunt, sic oculos quoque cæsiis habent: hic etenim color propè album est: & qui ad Meridiem sunt, vt ipsi nigri, ita etiam oculos nigros fortiuntur.

15 Cur locis calidis homines sapientiores sunt, quam frigidis? Vtrum eadem de causa, qua etiã senes, quam iuuenes, sapientiores. Etenim qui sedes frigidas habent, frigore loci obistente, longè calidiores, quam sua sint natura, redduntur. Itaque vinolentis admodum similes esse videntur. Nec ingenio valent, quo prospiciant, rerumque rationes inquirant, sed fortes, fidentes, sperantesque sunt. Contrà, qui loca calida habitant, sobrii propterea sunt, quia possunt satis refrigerari. Fit autem quaque in re, vt qui metuunt magis, quam qui confidunt, velint inquirere: itaque magis valeant inuenire. An quod antiquius genus hoc hominum est. Cæteri enim eluuiæ perierunt, ita vt tanquam iuuenes sint ad senes, qui loca habitant frigida, ad eos, qui calida colunt.

16 Cur timidi, qui loca habitant calida: fortes, qui frigida? An quod Natura contrà, quam loca, & tempora, se habet: quoniam si se similem ageret, periret breui. Fortes autem sunt, qui natura calida constant: timidi, qui frigidi sunt. Accidit ergo vt qui calida colunt, refrigerari nimirum possint. Cum enim solutum, rarumque corpus eorum sit, calor foras profluere potest: qui autem in frigidis sedent, sua concalescunt natura, quod à frigore exteriori caro densetur, cuius densitate calor colligi intus potest.

Eorum, quæ ad res Mathematicas pertinent, & ad cælestia, Sectio decimaquinta, cuius questiones XII.




Vt linea de angulo ducta in angulum, sola ex omnibus, quæ figuras rectis constantes lineis bipartitò secant, diameter vocitata est? An quod diameter, vt nomen designat, duas partes figuram equè diametendo digerit, nihilo destruens quod subiacerit mensurandum. Ergo quæ per commissuras, hoc est, angulos diuidit, appellanda diameter est, quoniam hæc figuram non destruat, sed diuidat: quomodo faciunt, qui vasa militaria partiuntur. At quæ per lineas secant, figuram compositam destruit: angulis etenim constant, quæ rectis lineis continentur.

Cur diameter appellata est? Vtrum quoniam sola bipartitò figuram diuidat. An quod sola figuram secat per partes, siue membra, quibus inflexa coarctatur, cum cæteræ per latera diuidant.

Cur homines omnes, tam barbari, quam Græci, ad decem vsque; enumerare consueuerunt, non ad aliquem alium numerum, vt duo, tria, quatuor, quinque, tum repetendo vnum quinque, duo quinque, sicut vndecim, duodecim: nec verò vltra denarium numerum cessantes, inde replicare incipiunt? est enim numerus quisque, quod præcedit, ac vnum, aut duo, & deinceps quantitas aliqua: enumerant enim statuto termino denarii numeri. Haud enim fortè, casuque id facere semper, omnibusque in rebus putari debent, cum non fortuna, sed naturalis res sit, quæ semper, atque vbique effici solet.

Vtrum quod perfectus numerus denarius sit: continet enim omnia numerandi genera, vt par, quadratum, quadrantale, longum, planum, primum compositum. An quod denarius fons, atque principium est, quippe qui ex vno, duobus, tribus, & quatuor constet. An quia corpora, quæ feruntur, numero nouenario continentur. An quoniam decem proportionibus, quatuor cubales numeri consumantur, è quibus numeris vniuersum constare Pythagoreis placet. An quod omnes homines digiti decem lege naturali creantur: itaque sui numeri calculos quasi adipiscentes, hac eadem multitudine cætera quoque enumerant. Vna gens quædam Thracum ad quatuor numerandi seriem terminat, eò quod amplius meminisse, modo puerorum, non potest, neque vsum habet rerum multarum.

Quam ob rem cum Sol eodem cum vigore feratur, non pari tempore idem incrementum, decrementumque vmbra exultet? An quod anguli, quos radii sub æquis circumferentiæ spatiis ad res conspectas efficiunt, æquales inter se omnes consistunt: quod si illi æquales sunt, eductos quoque inde æquales esse necesse est, scilicet quos radii faciant in triangulo, qui radio primo, & re conspecta, & vmbra continetur. At si anguli æquales inter se sint, radium ab re conspecta, & prolapsum longius maiorem esse propinquirem necesse est: quod pro certo recipimus. Igitur totam circumferentiam in partes quasuis æquas inter se digeramus. Sitque res conspecta obuia G. cum itaque



itaque Sol in G ingruens de A, vmbra in G I aliquam reddet, rariùs in I prolaborur necesse est. Vbi verò ad B deuenit, radius inde proficiscès

intra G I radium decidet: ac rursus cum idem ad C se contulerit, pari modo suum radium mittet: aliter efficiet profectò, vt linea recta recta partibus duabus cõtingat. Cum ergo A B circumferentia æqualis B C circumferentiæ sit, anguli quoque illis subiecti apud D, æquales inter se constant, quippe qui ad centrum se colligant. Qui autem in triangulo habentur, æquales illis D angulis proueniunt, vt pote qui se per verticem illis iungant. Ergo cum totus angulus in æqua secetur, angulus D E maior, quam B F angulo D G est. Pari modo vel cæteri anguli se habebunt, quos radii circumferentia profecti reddiderint. Simulque etiam constat vmbra meridie minimam esse necessariò, minimasque tum effici accessiones: quippe cum Sol meridie maximè è perpendicularo sese nobis exhibeat. Aestus quoque meridie accenditur, tum ob eam, quam modò diximus, causam, tum etiam, quod omnis spiritus cessat, tunc enim spiritus excitari solet, cum Sol aerem terræ familiarem discernit. Quod si Sol cum medium cælum prorepat, minus id faciat, meritò noctes mediæ, atque meridies à spiritu silent.


Cur Sol per quadrilatera profluens, non rectis lineis figuram describit, sed circulum format, vt in cratibus patet? An quod aspectu turbinis agit: turbine autem basis in orbem se colligit: quam ob rem quocumque radii Solis incurrint, nimirum circulares apparent. An quod Solis quoque figuram rectis lineis contineri necesse est: siquidem radii recti proueniunt. Cum enim rectè in rectam incidunt figuram, rectis contentam lineis formant. Quod certè in radiis accidit: ad rectam enim cratium sese trudent, aut ad quodlibet, per quod liceat translucere: ac ipsi recti proculdubio sunt, itaque procidere ad rectam debuerunt. Verum quia radii, qui de aspectibus ad extrema linearum restarum discinduntur, imbecilli admodum sunt, idcirco anguli concerni nõ possunt, sed quantum recti in turbine sit, hoc tantum rectam agere potest: reliquum non potest, sed conculcati aspectus, indiscretique latitant. Nec mirum, cum multa videre nullo pacto possimus, quanuis nostro attinguntur aspectu, vt ea, quæ tenebræ opacant. Proximum est, cum quadratum speciem multanguli representat, atque etiam circuli, si amplius remoueat. Cum enim aspectus procedentia turbine specie figuretur, quoties figura vltèriùs seposita est, aspectus, qui se in angulos spargunt, quoniam & imbecilli, & pauci sunt, rem assequi nequeunt: qui autem mediam in partem concurrunt, hi nimirum persistere possunt, vt pote vniuersi, & validi. Ergo cum figura propè posita est, anguli quoque aspici possunt, aucto interuallo non possunt. Quam ob

rem circularis etiam linea remota recta esse videtur: & Luna rectis contineri die octauo videtur, si aspectus non latitudinem, sed lineam circundantem ineant. Vt enim cum circumferentia propè posita est, quantò pars altera orbis, quam altera, propius sit, aspectus discernere potest: ita cum procul abest, rectè sentire non potest, sed ex æquo partium situ cernere sibi videtur, itaque rectam etiam iudicat.


Cur Lunam, quæ in sphæræ faciem conglobatur, rectam cum semiplena est, cernimus? An quoniam eodem in plano aspectus noster versatur, & circuli ambitus, quem Lunæ Sol ingruens facit. Quod cum agitur, Sol recta linea videtur. Cum enim quod suum aspectum sphæræ admouerit, orbem videre necesse sit, Luna autem sphæræ faciem gerat, eamque Sol aspiciat, orbis profectò id esse debet, quod à Sole efficitur. Hic ergo, cum è regione se nobis præbet, totus videtur, itaque plenilunium iam apparet. Cum autem mutatur, & præterit, propter Solis discessum portio eius aspici potest. Itaque fit, vt Luna altera parte recta videatur, cum altera orbem colligat, quoniam hemisphærium aspectui ex diuerso positum est, quod semicirculum representarit. Semper enim aspectui obuia Luna est: quoties tamen Sol radios admouerit suos, aspici nequit. Repletur post diem octauum de medio, quia paulatim euadens, orbem nobis exhibet propensioem. Cumque ita circulus aspectui se opponit, sectionem turbine imitatur, curuatur in cornua iam Sole dimoto. Vbi enim circumferentia Solis ad puncta deuenit vltima, per quam orbis æqua portione secari videtur, circumferentia ipsius orbis apparet. Non enim insuper ex aduerso oculis est, sed iam præterire incipit. Quod cum ita agatur, ac circulus, siue orbis per eadem ducatur puncta, curuari in cornua necesse est: pars enim aliqua orbis prioris aduersi protinus aspectui se obducit, vt de parte lucida abscindi aliquid possit. Tum etiam extrema in eodem persistunt, vt curuari in cornua necesse sit: sed tamen plus, minusve, pro Solis dimotione. Cum enim Sol dimouet sese, circulus quoque in eadem reuertitur puncta: quippe cum fieri possit, vt infinito numero inclinetur: siquidem summi circuli per eadem puncta describi facillè infiniti possunt.

Cur Sol, & Luna plana esse videntur, cum tamen conglobari in sphæram certum sit? An vt plura, quorum quodnam plus, minusve distet, incertum sit, æquè posita esse videntur: sic etiam quod partes obtinet, nisi color varius adsit, partes ex æquo omnes collocatas habere videri necessum est: quod autem ex æquo aspectu obuiam sit, idem æquabile, compositum, & planum esse necesse est.

Cur Sol oriens, atque occidens vmbra efficit longas: efferens se, minores: obtinens cæli medium, minimas? An quod oriens principio vmbra terræ æquè distantem reddit, ac infinitam penè protrahit: deinde longam, atque ita minorem subinde: quia linea, quæ recta de puncto superiori elicitur, interiùs per diminutiones assiduas



cadit. Gnomon
A B. Sol ubi c
& ubi d. Ra-
dius igitur ex c
proficiscens, c
F exterius pro-
cidet, quàm ra-
dius D E. At
vmbra B E So-
le superiori exi-
stet: vmbra autē
B F inferiori.



Ergo quò Sol
superior fuerit,
eò minor vmbra
exultabit, tunc
erit, cum Sol super
capita nostra versabitur.

9 Cur vmbra Lunæ maiores, quàm Solis sint,
cum eodem proueniant perpendicularo? An quòd
Sol superior, quàm Luna, est: itaque radium, qui
de superiori prodierit, inferius cadere necesse est.
Gnomon A D, Luna B, Sol c, Lunæ radius B F.
Ergo vmbra Lunæ D F sequetur, Solis radius c E.
Ergo vmbra D E fore necesse est.

10 Cur deficiente Sole, si quis per cribrū, aut fron-
des veluti platani, vel alicuius ex cæteris latifoliis,
aut digitis manuum inuicem perplexis inspiciat,
splendores specie Lunæ nondum completæ incer-
nat? An quòd quemadmodum cum per angulatum
foramen lux non angulata, sed orbiculata, turbina-
tæque prodit: cuius ratio, quòd gemino directæque
commucronato turbine agitur, id est, eo, qui de
Sole ad foramen deuenit, & qui de foramine ad
terram: sic etiam in Solis defectu, figura, qua radii
veniunt, ut diximus, innotescit. Ergo cum pars or-
bi superiori detrahitur, quòd ex aduerso super ter-
ram eluxerit, speciem illam lunatam gerat, necesse
est: quippe cum prout orbis defecit, ita radii pro-
fluere debeant. Digitis tamen, & cribris, pro foram-
inū exiguitate, res certius explicatur, quàm
cum per foramina ampliora transmittitur. Luna
autem idem percipi non potest, neque deficiente,
neque increfcente, neque decrefcente: quia eius
extrema non plenè splendent, sed medio potissi-
mum lucet. Lunatam autem illam, minutamque fa-
ciem, medio adstringi exiguo, manifestum est.

11 Cur Sol nunquam cælo in medio geminatur,
nec supra se faciem illam ostendit secundam, sed
ex lateribus tantum? An quòd tum geminari Sol
potest, cum Solem versus aspectus refringitur.
Aeris autem concrefcentis illa soliditas, cui aspe-
ctus incurrens refringitur, neque prope Solem, ne-
que procul effici potest: nam si prope sit, resolu-
tur a Sole: si procul, aspectus refringi non pote-
rit. Cum enim longè de paruo speculo remeet, im-
becillus reddetur: quam ob rem t̄ area quoque fie-
ri non potest è regione. Quòd si suprā, & in propin-
quo inchoatur, à Solis feruore dissoluitur: sin
procul, aspectus minor euadet: sed si in latere, tum
nimirum seruari integer poterit, dum modo specu-
lum ita distet, ut nec Solis feruore absumi possit,
& aspectus vniuersus recurat. Nam si in terra spar-

12 sus feratur, deuenire ad Solem non potest. Sub So-
le etiam fieri non potest, quia si prope terram ex-
titerit, consumitur feruore: si autem suprā, cælo
in medio aspectus distrahetur, & euanesceat. De-
nique nec è latere quidem effici illud potest, cum
Sol cæli vmbilicum perreptat. Quoniam si aspe-
ctus admodum feratur in terram, exiguus ad spe-
culum veniet: itaque refractus omnino imbecil-
lus recedet.

13 Cur Solis vmbra extremum tremere videatur?
Haud enim quia Sol fertur, idcirco id contremi-
scit: nam fieri non potest, ut Sol in partes mo-
ueatur contrarias: tremorem autem fieri ita mani-
festum est. Adhæc, mutatio vmbra incerta est,
quomodo etiam Solis ipsius progressio later. An
ideo moueri videtur, quòd corpuscula contenta in
aere agitantur, quæ vulgò ramenta nominantur,
conspicua in Solis radiis, qui transmeant per fe-
nestras: hæc enim moueri solent, etiam sine vllo
spiritu. Ergo cum vicissim, modò de vmbra in lu-
cem, modò de luce in vmbra moueantur assidue,
terminus quoque lucis, ac vmbra communis con-
tinuò moueri videtur. Partim enim veluti vmbra-
m, partim lucem sua ipsa mutatione efficiunt:
itaque moueri vmbra videtur, cum nō hæc, sed illa
hunc in modum soleant agitari.

*Eorum, quæ ad res inanimatas pertinent,
Sectio decimasexta, cuius
quæstiones XIII.*



14 **U**t basis bullarum candida aquæ infi-
dit, & si Soli exposita est, nullam effi-
cit vmbra: sed reliquum quidem vmbra
bellæ corpus vmbra facit: basis au-
tem sola non facit, sed circum à Sole vndique
cingitur. Et quòd longè mirabilius est, nec si li-
gnum per aquam in sole apposueris, vmbra ligni
continua exultabit, sed iuxta basim bullæ à Solis
luce secabitur. Quòd si vmbra est quòd à Sole
non aspicitur, sequetur porrò ut moles bullæ cir-
cum tota aspici possit, quòd nunquam fieri posse
in opticis, id est, aspectuum rationibus, demon-
stratur: quippe cum ne minimum quidem à maxi-
mo totum circumaspici possit.

15 Cur bullæ specie hemisphærii exurgere solent?
An quòd tanquam de centro in aera sursum æqua-
liter circumundique adnuntur: quo quidem mo-
do hemisphærium exurgat necesse est. Portio au-
tem sphæra inferior aquæ planitie abscinditur, in
qua scilicet centrum situm est.

16 Cur in magnitudinibus, quæ profunditate sunt
inæquali, accidit, ut si partem moueas leuiorem,
circumferatur quòd iacitur: ut in talis fieri opplum-
batis videmus, si quis partem leuiorem ad se ver-
tens proiciat? An quòd fieri non potest, ut gra-
uius æquè ac leuius feratur, cum eisdem viribus
iactum est. Sed cum totum quidem moueri necesse
sit: fieri verò non possit, ut æquè omni ex
parte moueatur, sequitur prorsus, ut si parili ce-
leritate ferantur, eandem lineam peragant: sin au-
tem alterum altero feratur celerius, circulo ferti
necesse sit, cum hoc solo in genere figuræ effici-
tur,

tur, ut puncta eadem subalterna lineas inæquales
possint eodem tempore permeare.

4 Cur ea, quæ in terram cadunt, atque resiliunt,
angulos ad planitiem reddant similes vtraque ex
parte puncti, quo planum tetigerint? An quòd om-
nia sua natura ad rectam lineam feruntur. Quæ
igitur in locum æqualem deciderant, ubi ex perpen-
diculo, diametrique sese plano impegierint, pares
angulos ideo faciunt suo resultu, quòd æqua dia-
meter diuidit. Quæ autem in latera corruerunt,
quoniam non perpendicularo, sed puncto superiori
locum feriant, accidit, ut repulsa à loco dicto con-
trariam in partem se conferant: rotunda quidem,
quòd delapsa protinus in aduersum sui appulsus
sese euoluunt, siue quiescat eorum medium, seu
locum soleat permutare. Rectis verò compacta
lineis, quòd perpendicularum eorum in partem prio-
rem adductum retorquetur: ut his accidit, quibus
aut pars inferior raditur, aut colci violantur: hi
nanque omnes aduersam in partem, retrorsumque
corruunt: quoniam eorum perpendicularum æquat-
ur, pendet, atque priorem in partem expellitur:
contrarium enim in his retro, deorsumque esse ac-
cidit. Cum autem deorsum ferantur, grauiora
esse fatendum est. Quòd igitur his casus, idem re-
sultantibus latus euenit: ergo in angulum rectum
neutra eorum resultant, eò quòd perpendicularum
pondere bipartito diuidit corpora, quæ feruntur.
Fieri autem nō potest, ut plura perpendiculara idem
ad planum existant, quibus illa secantur: quòd sci-
licet ita accideret, si perpendicularum, dum resi-
liunt, oriretur, ubi rem delatam planum offendit,
diuidendumque rursus secundo perpendicularo fo-
ret. Quocirca primo illo perpendicularo, quo fe-
rebatur, secare necesse est. Sed cum aduersam qui-
dem in partem feratur, rectum verò in angulum
non feratur: reliquum est, ut acutus reddatur an-
gulus parte altera puncti, quòd plano incurrit.
Aduersorum enim inter sese angulorum terminus,
rectus angulus est.

monobrot,
colci.

gopæ, latus,
delatio.

5 Cur cylinder propulsus fertur in directum, suis-
que terminantibus orbibus lineas rectas describit:
turbo verò suo manente mucrone circumfertur, at-
que in suo terminante orbe, orbem describit? An
quòd circum vterque fertur. Verum cylinder re-
ctas lineas plano ducit: turbo orbem describit, eò
quòd inæquales orbis turbinis inter se sunt, ferri-
que velocius potest, qui amplior circa idem cen-
trum conuertitur. Qui cum simul omnes positi
in turbine orbis inæquali ferantur spatio, euenit
ut extimi, qui voluntur, plurimum loci, & li-
neæ tempore eodem decurrant. Vnde fit etiam,
ut circum omnes agantur: quippe cum omnes ea-
dem recta linea describantur, quæ cum conuertit-
tur, non omnia sita in ea puncta, æqualem produ-
cere lineam eodem tempore possunt, cum æqua-
lem non nisi ex directo agere soleant. Cylindri ve-
rò, quòd omnes orbis pares inter se sunt, cen-
trumque idem ambiunt, euenit, ut & simul suis om-
nibus punctis plenum contingendo parili celeri-
tate voluantur, cum nulla inæqualitate cylinder
euariet, & rursus in planum simul omnes deue-
niant, ubi suam quifque conuersionem absoluerit.

Vnde lineas quoque ductas per directum in plana,
pares inter se esse necesse est. Sua nanque tactio-
ne orbis æqui, pariterque volubiles illas duxere.
Atqui rectas confici paruit, quas linea eadem de-
ferens sese in dictum peregerit. Causa hæc est, cur
cylinder recto deferri tramite possit. Nil enim
refert, vtrum qua linea prima cylinder planum te-
git, hanc firmo cylindro protrahas, an volubi-
li circumagas. Semper enim ut æqua linea, simi-
lisque illis in cylindro contentis planum attinget,
siue protrahatur cylinder, siue prouoluatur.

6 Cur sectio chartarum, siue papyri, si quis æquè
à basi plana, rectæque dimetiendo absciderit, re-
ctæ euoluetur: sin autem inclinari, contorta exi-
stet? An euenit, ut cum orbis secturæ alterius eod-
em in plano positi sint, declinans illa cæsuræ non
æquè opposita sit, sed partim minùs: itaque cum
euolueris, orbis quidem, qui plano eodem con-
tinentur, suumque initium in plano habent eodem,
lineam explicabunt, quam suo ipsi conficiunt or-
dine: quippe cum ea ipsa extenta linea non nisi pro-
fecta ex orbibus sit, qui plano eodem continentur:
itaque vel rectam eam quoque esse necesse est, quæ
eodem in plano se porrigat. At obliquæ illius se-
cturæ linea, quoniam primæ non æquè apposta
est, sed partim plus distans, partim minùs, utpote
cum ipsa quoque secturæ ita se habeat, hinc eodem
esse in plano nequit: itaque nec recta hæc esse po-
test. Etenim fieri non potest, ut rectæ lineæ pars
alia in alio plano collocetur.

7 Cur omnis magnitudo diuisa minor esse suo
toto videatur? An quòd omnia numerum diuisa
recipiunt: quanquam magnitudinis ratione mino-
ra, quàm vnum illud, existunt. Magnum enim,
eò quòd continuum, quantumque quoddam est,
magnum dicimus: numerus verò partium omnis,
omni suæ magnitudinis numero maior est. Quam
ob rem ut partibus diuisis maius appareat totum,
consentaneum est. Cum enim partes, totumque
idem sint, totum naturam potius magnitudinis
præ se fert, ut constans & continuum. Partes verò
naturam numeri magis fortiuntur.

8 Quæ in vase eueniunt, quòd clepsydræ voca-
mus, omnino quidem referri ad causam debent,
quam Anaxagoras explicat. Aer enim, qui in ea
excipitur, causæ est, ne aqua ingredi possit, fistu-
la scilicet obturata. Non tamen simplici, absolu-
tæque ratione aer causam habere putandus est.
Nam si quis eam fistula apprehensa transuersam im-
mergat, humorem admitti nihil est quòd prohi-
beat: quam ob rem non satis author ille exposuit,
quemadmodum aer causam daret. Ergo causam
aera quidem tenere fatendum est: sed hic siue im-
pellitur, siue per se ipse fertur, nec quicquam co-
gitur, ferri per directum solitus est, ut etiam cæ-
tera elementa. Itaque clepsydra transuersè immer-
sa, aer, qui è directo situs est, pulsus ab humo-
re, liberè effluit per ea foramina, quæ demersis in
aqua foraminibus opposita sunt, eoque cedente
humor subiens implet. At si erecta in aquam de-
scendat, aer impotens sese efferendi per arduum,
quoniam consertæ sunt partes superiores, circa
prima foramina arcetur, quippe qui supprimi in

fe, contrahique non possit. Argumentum verò, aquam arceri posse ab aere immoto, quod in ipsa clepsydra deprehensum est: nam si aluum eius aqua repletam ad fistulam obturatam inuerteris, humor per fistulam in os minimè desfluere poterit: quippe cum ore patefacto non protinus, sed paulò post de fistula profluat, vt qui non in ipso ore fistulæ contineatur, sed postmodum in hoc per fistulam veniat, postquam patefactum iam est. Plena autem, erectaque clepsydra, fistula patefacta protinus per colum, id est, foramina inferiora effluit, quia illud attingit: extremam verò fistulam non contingit. Clepsydræ igitur humor ingredi ob prædictam causam nequit. Egreditur autem fistula patefacta, eò quòd aer contentus in fistula sursum, deorsumque agitur, humoris contenti in clepsydra motum excitat plenior: cumque deorsum pellatur, eodemque ipse etiam sua natura propentior sit, meritò effluit vim inferens aeri, qui clepsydræ extrinsecus circumfundit, excitus quidem & compar potentia aeri superius impellenti, sed renixu infirmior: quoniam per angustam fistulam influens, ille ocyus, ac vehementius labitur, vrgétque humorem. Causa verò, cur obturata fistula humor effluere non possit, quòd humor, dum clepsydræ subit, aera omnem per vim ab ea expellit. Cuius rei indicium spiritus, ructusque murmurans dant, quos ingrediente humore, nimirum intus excitari sentimus. Cum igitur humor subiens vehementer aera cogit, sese ad clepsydræ fistulam trudit, ac modo lignei cunei, aut aerei disiectu oppressus, adstrictusque hæret sine vlllo alio vinculo, quousque alia vi expellatur, quo modo præruptos clauos expellimus: quod sanè aperta fistula incidit ratione, quam superius exposuimus. Aut igitur ita effici potest, vt humor effluere nequeat, aut quod aer exiens inflatur, emergitque impetu violento, vt strepitus indicat: humor idcirco à spiritu sursum atrahitur, quemadmodum multis in rebus accidere certum est. Attractus autem humor, sibique continuus omni ex parte, constans manet, oppressus ab aere, donec pulsus ab eodem recedat. Cumque initium ita retineatur humoris, reliquus & omnis humor vnitus, atque continuus ex suo pendeat initio, nec verò temerè ita agitur, quandoquidem eiusdem interest rei, & dimouere quicquam suo de loco, & idem in eo continere, ad quem mouerit, idque diutiùs facere, si vel potentia quod tenet, quòdque tenetur, simili inter se contendunt, vel quòd tenet, potentius est, vt in re, de qua agitur, accidit. Spiritus enim potentior, quàm aqua, est.

9 Cur partes tam stirpium, quàm animantium, quæ nullis instrumentariis officiis deputata sunt, in orbem sese omnes colligant? Stirpium quidem caudex, & rami formari in orbem solent, & animantium crura, femora, pectus, lacerti ad hanc eandem speciem enituntur. Triangulum verò, aut multiangulum nullum neque ex toto, neque parte aliqua est. An, vt Architas auctor est, quoniam in motu naturali aqua proportio inest: moueri nanq; proportione omnia censet. Hanc autem solam in sese æqualiter solui, atque reuerti, vt orbis, ro-

tundaque affirmare possit, cum constiterit.

Cur extrema formari in orbem soleant? An quòd Natura res optimas, & pulcherrimas creat, quoad fieri potest. Figura autem ea pulcherrima est, quæ eadem vndique est, sibique ipsa simillima constat.

11 Cur si circulus proiciatur, primam lineam rectam ducet, deinde cochleam, siue clauiculam ager, dum decidat? An principio rectam ideo agit, quòd æqualiter ab aere hinc inde dirigitur. Cum igitur pari momento vtroque de latere pergat, lineam quoque effici talem necesse est, quæ locum æqualiter hinc atque inde possit diuidere: talis autem recta est. At vbi in partem alterutram vergere ob inæqualitatem circumfusi aeris cœpit, non ampliùs æqualem illam parte interiore, exteriorèque ducit, sed circularem, necessitate scilicet aeris diuersi, & incompositi.

12 Cur in magnitudinibus, quæ profundo sunt inæquali, accidit, vt si partem moueris leuiorem, circumferatur quod iacitur? quemadmodum in talis fieri opplumbatis videmus, quoties quis partem leuiorem ad se vertens proiciat. An quòd fieri non potest, vt quod grauius est, æquè cum leuiori feratur, cum proiectum eisdem à viribus est: quod cum moueri necesse sit, & tamen fieri non possit, vt æquè omni ex parte, directoque tramite moueatur, circumferri necesse est, dum se introuertit: quemadmodum si quid medio eius profectò extremum vltra in partem moueretur priorem, alterum intra ad eum tenderet, qui dimisit. Sed quoniam, cum totum moueri possit, pondus suo medio gerit, illud idem sequatur necesse est.

13 Quam ob rem corpora, quæ feruntur, vbi alicui occurrerunt, resilire partem in contrariam solent, quàm suapte natura ferri cogantur, nec nisi ad similes angulos resultare soleant? An quòd non solum eo feruntur impetu, quo pro sua parte ipsa ferri aptissima sunt, verum etiam illo, qui à mittente proficiscitur. Suus igitur cessat cuique impetus, cum suum ad locum peruenerint. Omnia nanque requiescere solent, vbi eam in sedem sese contulerunt, quam suapte natura desiderant. Sed externo illo, quem habent, impetu, necessitas oritur ampliùs mouendi. Quod cum in partem priorem effici nequeat, quia re prohibetur obiecta, vel in latus, vel in rectum agi necesse est. Omnia autem in angulos resiliunt similes, quoniam eodem ferri cogantur, quòd motus ducat, quem is dedit, qui miserit: eò autem vt angulo vel acuto, vel recto ferantur, omnino. Cum ergo quod retorserit, veter, quòd minùs directè motus agatur, pariter & rem, quæ fertur, & eius impetum nimirum prohibere potest. Vt igitur in speculis extremum lineæ rectæ, quòd se aspectus coniecerit, idem refringitur: ita in iis, quæ feruntur, fieri ex aduerso solet, quippe cum angulo tanto retorqueantur, quanto vertex constiterit. Ita enim intelligendum est, vt transferri simul & angulus, & delatio debeat: quo factò, in angulos resultare similes esse necesse, palàm est.

Eorum,

Eorum, quæ ad res animatas pertinent,
Sectio decima septima, cuius
questiones III.

1 **V**r homines, qui corpore constant immodico, maiores tunc esse videntur, cum appositi modicis inspiciuntur? An quòd res modica vnum est, & moderatio vnum quàm maximè. Vnum autem quod est, id indicium esse postulat, indiuiduum autem minus: res verò immodica, multa pro sui discriminis ratione ostendit. Quam ob rem vt cum per sese magnitudines inspiciuntur qualèsnam sint, latère faciliùs possunt: ita cum collatæ in propinquo spectantur, latère non possunt. Ergo vnum esse apparet, quod indiuiduum est, spectatúsque eius vnus modici ratione exultat: immodicum porò, vt quod plura sit, suspensionem plurium suggerit. Et maius propterea esse videtur, quòd vnum cum sit, plura esse videatur. Naturam enim & magnitudinis habet, propter continentiam, & numeri, propter partium inæqualitatem: itaque cum vtrunque obtineat incrementum, meritò magis tum esse apparet, cum spectatur ad id, quod simplex est, atque vnum.

2 Cur animantia omnia, & ea, quorum stirpes terra continentur, crescere potius in longitudinem soleant? An quòd ter longitudo augetur, bis latitudo, semel profunditas. Longitudo enim principio fit, primòque principio existit: itaque primò sola, secundò cum latitudine, tertio cum profunditate augetur. Latitudo autem bis, videlicet per se, & vnà cum altitudine crescit.

3 Quomodo prius, & posterius capi debeant? Vtrum quemadmodum qui tempore Troiano vixerunt, nobis priores sunt, & his ipsis priores, qui superiores, atque ad hunc modum in infinitum, vt qui superiores sunt, iidem priores habeantur. An si quod initium, & medium, & finis sint vniuersi, & cum quis senescens ad finem peruenit, rursus ad initium reuertatur, prioraque sint, quæ propius ab initio absunt, quid verat nos ab initio minùs distare? At si minùs distamus, esse quoque priores possumus: vt si cæli, syderisque cuiusque delatio quædam agitur circularis. Qui non etiam rerum caducarum ortus sit talis, atque inseritus, vt eadem rursus orientur, ac pereant? veluti etiam vulgò dicitur, circulum res esse humanas. Igitur homines numero quidem eosdem semper esse censere, furor est: specie verò seruari eosdem, probari meliùs potest. Itaque vel priores nos esse possumus, talèque aliquis statuet ferriom, vt eodem sit repetendum, vnde ortus extiterit, cogitandumque ordinem continuum, ac semper eodem constantem tenore. Homines enim ideo perire. Alèmaon inquit, quòd suum initium fini coniungere non possunt. Scitè perhercle, si quis non arctius recenseat, sed formula quadam eius verba accipiat. An si circulus sit, circulus autem vnà & principio, & fine careat, priores neque nos illis, neque illi nobis esse propinquitate initii possunt.

Eorum, quæ ad literarum studia pertinent,
Sectio decima octaua, cuius
questiones X.

1 **V**r alios, si legere cœperint, somnus occupat, etiam nolentes: alios vigilare volentes liber susceptus reddere peruiuiles potest? An in quibus motus spirituales sunt, scilicet ob frigiditatem vel naturæ, vel materiæ melancholicæ, qua excrementum spiritale crudum causa frigiditatis consistit, his, cum intelligentia mouetur, insistentique alicui intelligere nequit, repellitur motus alter, qui refrigerandi vim habet: itaque potius dormire incipiunt. At vbi aliqua in re suam intelligentiam firmarunt, quod lectio facere solet, nimirum à motu spiritali illo mouentur, cum nihil sit, quod eum repellat: itaque dormire non possunt. Quorum autem secundum naturam habitus est, eorum virtus intelligendi cum aliqua in re consistit, nec variè se dispergit, cætera quoque sita eo in loco hærent, quorum requies somnus est. Vbi autem mens constiterit, & quasi fatigata succubuerit, caput aggrauat, utpote quæ sita in eo sit, somnūque inducit: at cum secundum naturam animus noster agitur, nullo tum somno premitur: tum enim maximè viuunt: vigilantia autem, quàm somnus, causa potius est, cur viuere valeamus.

2 Cur contentiosa disputatio ingenia exercere possit? An quòd in eo disputandi genere accidit, vt crebrò quis aut vincat, aut vincatur: protinus ergo contentiosus hinc homo redditur, quando vel vincendo per lætitiā magis, magisque adducitur, vt in contendendo perseueret: vel victus enititur, vt quod amisit recuperet. Quod idem vel in cæteris certandi generibus euenit. Quam ob rem sæpe inter pugnandum, quanquàm quis inferior est, tamen cessare minimè patitur.

3 Cur homines in orando exemplis, & fabulis potius gaudent, quàm commentis? An gaudent, quia & discunt, & celeriter discunt. Atqui per exempla, & fabulas faciliùs discitur. Sunt enim quæ explorata habeantur, & particularia sint. Ratio autem commentandi demonstratio ex vniuersalibus est, quæ minùs, quàm partes, nouimus. Adhæc, iis credere magis solemus, quæ plurium testimonio confirmantur. Exempla autem, & fabellæ testimoniorum speciem gerunt: fides autem perfacilis est, quam testimonium fecerit: additur, quòd verisimile quisque libentiùs discit: exemplum autem, & fabellæ rem non nisi similem docent.

4 Cur oratorem, imperatorem, & mercatorem callidum appellare solemus: tibicinem, histrionem, hoc appellare nomine non solemus? An quòd horum facultas sine cupiditate est: nititur enim tantummodo ad oblectationem: illorum autem conatus omnis ad plus acquirendum sibi contendit. Bonus enim orator, & imperator, & mercator est, qui plus sibi acquirere potest: calliditas autem in acquirendo maximè sita est.

5 Cur hominem philosophum differre ab ore?

tore putemus? An quod alter quidnam iustitia sit cogitat, alter qui iniustus sit aliquid spectat: & alter qualisnam tyrannicus tenor sit, alter tyrannum quempiam esse animaduertit.

6 Cur in iis studiis, quæ aliquid sibi delegerint, quanquam interdum prauis, libentius tamen, quam in honestioribus versantur? Verbi gratia, præstigiatores, aut mimos, aut tibicinem se potius esse, quam astronomum, aut oratorem velit, quæ hæc sibi delegerit? An volunt quidem nonnulli res honestissimas tractare, sed quoniam minus sibi confidunt, posse efficere, ideo non ita agunt. An verò rem, in qua sese quisque posse præstare arbitratur, eam deligit sibi: quam autem deligit, eidem operam dat, illi obsequens partem diei maximam, ut se ipse vincat, sequæ sit præstantior. Quinetiam quæ principio aliqui sibi delegerint, quibusque insueuerint, in iis ne iudicare quidem possunt, quidnam melius sit: animus enim eorum corruptus iam est, propter prauas delectationes.

7 Cur alios, si legere coeperint, somnus occupat, vel nolentes: alios vigilare volentes liber susceptus reddere peruigiles potest? An in quibus motus sunt spirituales, ob frigiditatem vel naturæ vel humoris, multiplicique humore excrementum spiritale causa frigiditatis consistit, iis, cum intelligentia mouetur, insistentique alicui intelligere nequit, expellitur motus alter: itaque potius dormire incipiunt, cum non multum sua intelligentia mutantur: motus enim spiritalis ille superatur, & vincitur. At ubi aliqua in re suam intelligentiam firmarint, quod lectio facere solet, nimirum à motu illo spiritali mouentur, cum nihil sit, quod illum repellat: itaque dormire non possunt. Quorum autem habitus secundum naturam est, eorum virtus intelligendi, cum aliqua in re vna consistit, nec variè se dispergit. Cætera quoque sita eodem in loco hærent, quorum requies somnus est. Vbi enim pars vna, quæ potissima sit, insitit, cætera quoque partes insistere solent, perinde, ac in copiis, quæ versæ in fugam fuerint, agitur. Natura enim sursum offertur quod leue est, deorsum autem defertur, quod graue est. Cum igitur anima secundum naturam mouetur, non dormit: ita enim se habet. At ubi constiterit, & quasi fatigata succubuerit, mens immutatur, & vapores crassiores sursum sese efferentes ad caput, faciunt somnum. Lectio verò prohibere somnum videri sanè potest: quod non propterea est, quia tantisper intelligimus, (anima enim tunc magis definitur) sed quia mutatur, & ideo insomnia euenit. Nam intellectiones illæ vigiles sunt, quibus anima quærat, & dubitet, non illæ, quibus assidue contempletur, cum illæ faciant indefinitionem, hæc non faciunt.

8 Cur in disputationibus contentio sit: negatio nunquam incidat? An quod apparens syllogismus, id est, ratiocinatio est, ratiocinatio autem in paucis continetur: quinetiam si prolixius agatur, interposito tempore paralogismus, id est,

peruersa ratiocinatio interea deprehendetur, & reuocare quod dederit, aduersarius poterit.

Quam ob rem libentius eas historias audimus, quæ rem vnam exponunt, quam quæ plures? An quod rebus magis attendimus notioribus, easque libentius audimus. Notius autem est, quod definitum, vnum itaque finitum est, plura autem infinito participant.

10 Cur nos rerum narratio oblectat, quæ nec mihi veteres sunt, nec admodum nouæ? An quod rebus diffidere procul absentibus solemus, quibus verò diffidimus nunquam iis oblectamur: at quæ noua admodum sunt, adhuc quasi sentimus: itaque de his cum audimus, minimè oblectari possumus.

Eorum, quæ ad concentum pertinent, Sectio decimano, cuius questiones LI.



Vt tam in laborando, quam in fruendo solatio, tibiam adhibere solemus? An ut laborantes minus angamur, fruente magis oblectemur.


Cur idem voce eadem, longius sentiri cum aliis cantans, aut vociferans, quam solus potest? An quia viribus vniuersis agere quippiam, vel premere, vel impellere, non tantulum est, quantum singularum numerus est: sed quemadmodum linea bipedalis non duplum, sed quadruplum quiddam describit, sic composita omnia plus valent, quam eadem diuisa. Ergo cum vniuerso agit ore, vocis potentia constans, vnaque redditur, simulque aera propellit, ut prodire multiplex valeat: quippe cum vox, quæ à multis proficitur, multiplex sit, quam quæ à singulis.

Cur maximè in cantando parhypaten, vox rumpi non minus soleat, quam

40 in nete, supremisque, quam cum intervallo ampliori? An quod eius cantus & perdifficilis est, & cantandi primordium obtinet. Difficilis autem propter intentionem, pressuramque vocis est, quibus in rebus nimirum vrget: corrumpi autem quæque maximè solent, quoties labore acrius opprimuntur.


50 Sed cur hæc difficile, hypate facile cantatur, cum non nisi diesi discrepant? An quod hypate remissior est, atque etiam leuius à constitutione ascenditur: hæc eadem causa est, quam ob rem ad vnam cantari videantur, quæ ad hanc, paranetemque cantantur: agendum est enim cum intentione, conditioneque aptissima moribus pro voluntate & instituto. At consonantia, ut existat, quænam causa sit.

60 Cur suauis cantilenam, quam nobis, audire solemus, quam eam, quam ignoramus? Vtrum quia cum quod cantatur agnoscimus, tunc melius patet, quia veluti calcem, quod spectat, assequitur: id



id autem contemplatu suaue est. An quod discere lætabile est: cuius ratio est vel in capienda doctrina, vel in vtenda, agnoscendaque versatur: addo etiam quod res solita suauior, quam insolita auribus accidit.

6 Cur immutatio, & varietas in cantando tragicum sit? An ratione inæqualitatis hoc euenit: afficit namque tristitia, quod inæquale est, accommodaturque magnitudini calamitatis, aut mœroris: contra, quod æquale, atque continens est, minus id flebile auribus accidit.



7 Cur veteres cum se ptem fidibus concinitus disponent, hypaten, non neten relinquerebant? An falsò id dicitur: earum enim vtranque seruauerunt, sed triten adimeri solebant. An non, sed quia grauior sonum potest acutioris, idcirco neten reliquerunt: ergo hypate magis antiphonum, quam nete, reddebat: nam ut acutum vim desiderat plenior, sic graue exprimi facilius potest.

8 Cur grauis sonum valeat acuta? An quia maius, quod graue est: quippe tum ut graue obtuso, sic acutum acuto angulo simile habeatur.

9 Cur solitarias cantilenas suauis audire solemus, si ad tibiam, aut ad lyram vnam cantantur, cum tamen ad fides, cantumque idem modo vtroque peragatur. Nam si idem ita amplius sit, plus ad plures tibias, atque etiam suauis esse oportet. An quoniam euidentius in assequendo, quod spectatur, est, cum ad vnam vel lyram, vel tibiam cantatur, ad plures verò suauitas seruari non potest, cum cantilena offuscetur, totaque penè deleatur.

10 Cur si vox hominis suauior est, non eius, qui sine sermone cantat, suauior prouenit, verbi gratia teretantis, sed tibia, lyraue suauis sonat? An ne illa quidem, quæ vocalibus articulata emittitur, æque suauis est, nisi per simulationem formetur. Cæterum opere ipso efficitur, ut grauior sit: vox enim hominis suauior constat. Oris autem instrumenta pulsandi vim obtinent plenior, quam ob rem suauis cantatur, quam teretatur.

11 Cur vox, aut sonus definit, acutior sit? An quia minor, ut quæ facta imbecillior sit.

12 Quam ob rem quæ grauior è fidibus est, huic semper actus modulandi, committitur. Nam si proxima, quoque à media pulsanda sit, media tantum, nihil minus reddi medium potest. At si media subiungenda sit, per proximam à media idem reddi non potest. An quia magnum, quod graue est, itaque validum esse necesse est: & inest profectò in magno quod paruum est: & quidem duæ nete in hypate efficiuntur, si intercipiatur.

13 Cur in consonantia diapason graue quidem acuti antiphonum accipi potest, grauis verò acutum non potest? An maximè quod in vtroque modulus vtriusque contentus est: sed si minus, certe in graui

acutum est, maius enim hoc est.

14 Cur antiphonum diapason consonantiæ ita latitat, ut vnisonum esse videatur, velut in punico, aut atropo? quæ nanque posita in acutis sunt, non vnisona, sed ex proportione sibi diapason concinentia respondent. An modus proportionis facit, ut sonus quasi idem esse appareat: proportio enim in sonis æqualitas est: æquale autem omne ad vnitatem referendum est. Hoc idem in fistulis etiam euenit, ut falli aures possint.

15 Cur genus cantilenæ, quod lex appellatum est, non per antistrophos olim agebatur, cum tamen cæteris chorearum canticis antistrophi vsus non deesset? An quod olim leges à magistris, certandique peritis agebantur, qui eum iam egregiè simulare, valentisque pertendere possent, cantum & prolixum, & varium conciebant: itaque vt verba, ita etiam moduli, numerique variè subinde simulationem insequabantur. Imitari namque modulamine potius, quam vocabulis, necesse est. Quam ob rem dithyranbi etiam postea, quam simulare coeperunt, antistrophis amplius non vtuntur, quam plurimum antè vtentur. Cuius rei causa est, quod olim homines liberi, atque ingenui ad choream adire solebant: itaque multos esse, qui fungi cantu certatorio possent, erat difficile: quapropter illis in more fuerat, ut modulos enarmos cantarent. Vnus enim crebro cantilenam mutare, variamque cõtexere, facilius potest, quam multi: & qui certat, facilius, quam qui mores conseruat: quocirca simplicius illi modulari debebant. Antistrophus autem simplex est, quippe qui numerus sit, vnitatèque mensuretur. Hæc eadem causa est, cur in scena nullus, in chorea plurimus antistrophi vsus sit. Histrionamque simul & actor, & simulator est: chorus autem minus imitatur.

16 Qua de causa dissonantium copulatio, quod antiphonum nominamus, suauior, quam consonum est? An quod expressius ita consonantia percipi potest, quam cum voce consona addita cantatur: alteram enim vocem sonare necesse est, itaque quæ ad vnam resonare, quæ tertiam offuscare facilius possint.

17 Cur sola diapason consonantia cantetur? hæc enim magadare, nec vllam aliam consueuerunt magadare, An quod hæc sola ex fidibus inter sese obsonis constat: atqui in obsonis etiam si alteram canis, magadillare identidem efficit. Voces enim ambarum vna, quodam modo illa continet. Ergo in hoc consonandi genere cum vel vna canitur, consonantia tota perfici potest: & cum ambæ, aut cum altera canitur, altera tibia sonatur, vna quasi de duabus exultat. Atque ita efficitur, ut sola hæc cantilenam patitur, sed scilicet quod obsona vocem obtinent nerui eiusdem.

18 Sed cur solis obsonis datum hoc est? An quod sola pari intervallo distans à media: itaque medietas similitudinem quandam sonorum efficit, vt ferus aurium ambas & eandem, & extremas esse dicere videatur.

19 Cur in diapente, & diatessaron consonantiis

nunquam antiphonis cantatur? An quod non eadem consonandi ratio in iis est, quæ in diapason concinentia: quippe cum in illa grauis eundem ad proportionem modum obtineat, quem acuta acuminis: itaque fit, ut & eadem quasi & diuersa vox oriatur: at verò in diapente, atque diatessaron concinentiis non ita est: quam ob rem sonus vocis oppositæ perpendi non potest, quoniam idem non est.

Lichanon sonum ex mufices arte deprehenderis.

20 Cur si quis cæteris omnibus neruis concinnatis, medio verò inconcinno pulset instrumentum, non solum cum ad medii sonum deuenit, sed etiam cæteris modulandi partibus anget aures, modumque incompositum dissipatumque eliciet: sed si lichanon, aut quem sonum alium mouerit, tum discrimen duntaxat apparebit, cum eum pulsarit, quem mouerit? An ratione hoc euenit optima, quandoquidem omnia egregia modulandi genera medio neruo saepe vtuntur, omnisque probi fidicines crebro ad medium veniunt: & si discesserint, mox redeunt eodem, nec vllum alium toties repetunt. Ergo quemadmodum admotis ex oratione quibusdam coniunctionibus, vt *τε*, & *τοι*, oratio minus Græca relinquitur, aliis verò quibusdam detractis, nihilò insuauior accidit, eò quod aliis saepe in dicendo vti necesse est, aliis minimè: sic etiam medius veluti coniunctio est sonorum, maximèque elegantiorum: quoniam eius sonus assumi sapissimè soleat.

21 Qua de causa qui grauius cantant, si absont deprehendi facilius possunt, quam qui carant acutius: nec verò secus in numeris accidit: euidentior enim qui peccant in grauiori. Vtrum quod plus temporis graue obtinet: plus autem plenius à sensu aurium percipi potest. An quod in tempore ampliori agitur, hinc etiam plus sensus adhibetur: velox autem & acutum, facillè suam ob velocitatem latefcit.

22 Quam ob causam multi, cum cantant, melius numeros feruant, quam pauci? An quod multi melius vnum, suumque ducem aspiciunt, tardiusque incipiunt: itaque facilius esse qui idem possunt, quippe cum in accelerando eueniat vt plus erroris committatur.

23 Cur nete duplo acutior est hypate? An primum, quod cum neruus parte sui dimidia pulsatur, & totus diapason concinentia exultat: quod vel in fistulis æquè perspicere licet: vox enim, quæ per medium foramen emergit, diapason resonat; cum ea, quæ per totam fistulam promitur. Quin etiam in cæteris duplo interuallo capi diapasoni consonantia nouimus: nam & qui tibia perforant, ita disponere solent: & qui fistulas aptè concinnant, exterma tantum cera marginant foraminis. principalis neta verò ad dimidium implent. Et in triquetris nerui, quorum alter longitudine dupla, alter subdupla est, æquè intenti diapason consonantiam reddunt. Genus autem concinendi, quod diapente nominatur, sesquialtera constat: quod verò diatessaron vocamus, interuallo sesquitercio continetur.

24 Cur si quis netem pulsantem apprehenderit, hypate sola resonare videbitur? An quod tinnitus, qui ex hac proficisci solet, sono illius maximè concin-

liatur, & congruit, vtpote, qui consonus sit. Ergo quia suo cõsimili cõ crescit, solus apparet: ceteri verò incerti suam ob exiguitatem occultantur.

Cur neruum medium in cõcentibus appellamus, cum inter octo nullum medium sit? An quod olim concentus septem neruis constabant, septem autem medium obtinent.

Cur in acutum magna ex parte vox aberrare consuevit? Vtrum quod facilius acutum, quam graue, cantatur. An quod acutum graui deterius est: peccare autem nõ aliud est, quam rem agere deteriore.

Cur inter omnia, quæ sensum patiuntur, solum id mores obtinet, quod obuium auribus esse potest? Nam etsi quid sine sermone modulamur, mores tamen præ se ipsa modulatio fert, quos non color, non odor, non sapor gerere potest. An quod motu solum hoc obtinet, nõ dico quem strepitus reddit, (talis enim vel cæteris adest, quippe cum etiam color nostrum mouere aspectum possit) sed eum intelligi volo, quem genus id strepitus subsequenter sentimus: hic enim similitudinem gerit, tum in numeris, tum in sonorum ordine acutorum, & grauium non in mistione, quod esse in cæteris sensibilibus non potest. Atqui motum eiusmodi sibi actio vendicat, quæ morum index proculdubio est.

Cur leges pleræque contilenæ appellentur? An quod homines prius, quam literas scirent, leges cantabant, ne eas obliuioni mādarent: quod etiam nostra ætate Agathyrhis in morem est. Ergo primas quoque posteriorum cantilenarum eodem appellarunt nomine, quo omnes superiores vocabantur.


Cur numeri musici, & modi, qui voces sunt, moribus similes sese exhibent: sapes verò, aut colores, aut odores, nullam eiusmodi similitudinem gerunt? An quod numeri musici, & moduli motibus continentur, quo modo etiam actiones. At omnis efficientia moralis res est, morisque condere potest. Sapes verò, aut colores hoc idem æquè conficere non queunt.

Cur neque subdarium, neque subphrygium genus in tragediis choricum habeatur? An quoniam antistropho carent, vtpote quæ scenica sint, imitationique accommodata.

Cur Phryniens, cæterisque eius ætatis musici, modulandi potius scientiam exercebant? An quod tunc in tragediis carminis vis modulaminis longe amplior erat.

Cur diapason consonantiam dicimus non ratione numeri diaocto, vt diatessaron, vt diapente? An quod prisca non pluribus vti neruis, quam septem, fuit in morem: deinde Terpander tertia exempta, neta adiunxit, ac eius temporibus diapason hæc appellata est consonantia, non diaocto, quippe quæ septem, non octo constaret.

Quam ob rem aptius de acuto in graue canitur, quam de graui in acutum? Vtrum quod ita fit, vt a suo inchoetur principio. Neruus enim, qui medius, & dux est, acutissimus primi tetrachordi habetur:



betur: illo autem modo non à principio, sed à fine exordiretur. An quod graue generosius, sonantiusque ab acuto oriri potest.

34 Cur bis diapente, aut bis diatessaron consonantia componi non potest, bis autem diapason potest? An quod non bis diapente, neque bis diatessaron instrui potest, sed diatessaron, ac diapente proportionem aptè in vnam diapason continentiam copulantur.

35 Cur diapason consonantia omnium pulcherrima est? An quod integris terminis huius proportionem continentur, cæterarum autem nõ integris. Cum enim nete dupla ad hypaten sit, quocumque in genere nete duo tenuerit, hypate vnum habebit: & vbi hypate duo, nete quatuor resonabit, ac ita deinceps. At verò eadem nete mediæ sesquialtera est: proportio nanque sequialtera, qua consonantia diapente concluditur, non integris numeris posita est: maior enim minorem intra se continet totum, & partem eius dimidiam: quam ob rem non integri cum integris comparantur, sed partes supersunt. Consonantia quoque diatessaron proportionem sesquitercia continetur, quæ terminis constat, quorum maior minorem intra se totum continet, & insuper tertiam eius partem. An quod ex ambabus consistit perfectissima est. Et quoniam modulandi mensuram hæc tenet, merito omnium elegantissima constat.

36 Cur si neruus medius ex suo intentionis modo dimotus sit, cæteri quoque omnes sonos incompositos reddent, sed si integrè illo manente aliquis ex cæteris sit dimotus, solus hic aberrabit, qui modo suo caruerit? An quod ratio concinendi neruis omnibus apta intentione continetur, quæ non nisi per habitudinem quandam ad medium accommodanda omnibus est, ordoque ratione illius disponi singulis debet: ergo sublata continendi, concinendique causa, concentus æquè custodiri prætereà non potest. Cum tamen neruo medio sibi constante vnus ex cæteris aliquis discreparit merito illius pars duntaxat deest: cæteri nanque omnes modum suæ concinentiæ feruant integrum.

37 Quare cum vocis acumen effici momento possit exiguo, grauitas autem non nisi magno proveniat? Vt enim graue ob multitudinem graue est, ita acutum ob velocitatem acutum existit. Cur, inquam, si ita est, maius negotium canticum cecinisse acutum, quam graue sit? Et quidem pauci reperiuntur, qui superna cantare valeant. Leges quoque acutæ, & arduæ, difficilè idcirco cantantur, quia intentæ vehementius sunt, quamquam minus negotii sit mouisse quod exiguum, quam quod multum est. Itaque vel in aere hoc idem accidere oportet. An vocem è natura mittere acutam, non idem est quod acutum cantare: sed mittunt quidem acutam vocem omnia, quæ natura sunt imbecilla, eò scilicet quod aeris parum, non multum cieri possunt: parum autem aeris velociter fertur. Vnde hæcici, id est, qui consumpto corporis habitu emarcuerint, acutam proferunt vocem. At verò acutum, nisi viribus valeant, cantare non possunt. Cuius certè indicium, quod velociter ferri solet,

quod vehementer fertur. Ita bonarum virum index acutum est, cum superna cantare admodum difficile sit: grauia autem locum tenent inferiorem.

Cur numeris, modulis, canticis denique omnibus concinendi generibus oblectari omnes consueuerit? An quod motibus naturalibus oblectari datum à Natura omnibus est. Indicium, quod pueri adeò nuperediti his moueri, oblectarique possunt modis tamen adiectitiis canticorum vt delectemur, efficere affuscendi ratio potest. Sed enim numeri propterea mulcent, quia ratum, ordinatumque computandi numerum habent, mouent que nos pro sua æquabili serie ordinatè. Motus enim familiarior Naturæ est ordinatus quam inordinatus: itaque secundum Naturam hic magis esse probatur. Argumentum quod cum ordinatè & laboramus, & bibimus, & comedimus, naturam, virisque nostras & feruamus & augemus. Contra, inordinatè cum agimus, deprauamus naturam, atque de suo statu dimouemus: morbos enim naturalis ordinis corporum esse motiones, nullum dubium est. Consonantia verò demulcere ideo potest, quod mistio, siue temperatio contrariorum est iunctorum aptè inter sese, portionemque inuicem custodientium. Portio igitur ordo est, quem modò natura suauem esse proposuimus. Et temperatum quoque omne suauius, quam intemperatum est, præsertim si cum sensibile sit, pariter vim habeat vtriusque extremi, quemadmodum consonantia ex portionibus temperatur. Et proportio ipsa amborum extremorum potètiã æquè in consonantia tenet.

Cur suauius antiphonum æquifono est? An quod obsonum quoque consonum diapason est, quippe cum ex adulescentibus, virisque consistat, qui ita distant inter se tonis, vt nete, & hypate. At omnis consonantia sono simplici suauior est. Cur autem ita, dictum iam est: atque omnium suauissimè diapason personat, æquifonum autem illud simplici contineri sono, conspectum est.

Cur sola in diapason consonantia magadari solitum est? An quia vt pedes carminum portionem, aut paris ad par, aut dupli ad subduplum, aut aliquam aliam inter se obtinent: ita soni, quibus consonantia continetur, motus portionem inter se aliquam feruant, & rationem clausulæ. Cæterarum igitur consonantiarum alterius termini imperfecti sunt, cum finiant ad partem: quam ob rem fieri non potest, vt pari sint facultate. Cumque dispares sint, discrimen auribus accidit: quomodo in choreis, cum ad finem deuentum est, differentia ex ampliore voce aliquorum exultat. Adde quod hypate accidit, vt exitum soni circuitalis habeat cum neta: vltimus enim à nete ictus aeris factus hypate est: quod cum finiant in idem, quantum non id fecerint, euenit vt opus absolui, vnum communèque possit, non secus illis accidit, qui sub postremam cantilenam pulsant. Nam etsi cætera operis non adhibita tibia peregerunt, tamen quod in idem desierint, eo ipso fine magis delectant, quam discrimine angunt, quo ante finem discre-

discreparint. Cùm igitur in diapason consonantia ex diuersis, quod commune exultet suauissimum sit, magadare autem ex contrariis vocibus consistat, hinc magadare consonantia diapason confueuerunt.

41 Cur suauis cantum audimus, quem scimus, quàm quem ignoramus? Vtrum quoniam cùm cantilenam agnoscimus, melius patet, qui veluti calcem quod spectat assequitur. Hoc autem contemplationem facit suauiore. An incidit, vt auditor vnà cum eo afficiatur, qui notam illam exprimit cantilenam, quippe qui aliquid succinat, fociumque sese præbeat cantanti, Solet autem quisque hilari, securòque animo cantare, nisi aliqua coactus necessitate id faciat.

42 Cur non bis diapente, aut bis diatessaron reddi consonantia potest, vt bis diapason coaptari solet? An quòd diapente consonantia posita in proportione sesquialtera est: diatessaron verò in sesquialtera. Quòd si tres sesquialteri, aut sesquitercii numeri ordine disponantur, extremi nullam inuicem portionem habebunt. Neque enim super particulares, neque multiples esse poterunt. At diapason continentia, quoniam duplari proportione consistit, hac geminata quadruplam inuicem portionem extremi tenebunt. Itaque cùm consonantia sonorum inuicem portionem obtinentium sit, portionemque inuicem soni habeant, quibus diapason interuallum continetur, penitus verò careant, qui diatessaron, aut diapente habitudine copulatur: idcirco soni bis diapason esse consoni possunt, cæteri non possunt, ob eam, quã reddidimus, causam.

43 Cur si quis neten, cùm pulsauerit, apprehendat, sola hypate subsonare videatur? An quòd nete, cùm definit, elanguescitque, in hypaten transit. Indicium, quòd post hypaten protinus neten canere aptissimè licet: etenim quasi neten præ se ipsa ferat, similitudo ex ea petitur. Cùm autem echo quoque ipsa cantus quidam esse probetur, (est enim vocis nete iam desinentis tactio) tinnitufque ipse sono respondeat hypate, meritò ob suam affinitatem nete mouere hypaten posse videtur. Nete enim, vbi se moueat apprehensa, certò nouimus: at hypaten cùm videamus inaprehensam, & tamen eius sonum percipiamus, ipsam sonare credimus, quod in multis accidere solet, in quibus scilicet neque sensu, neque cogitatione perpendere veritatè possumus. Adhæc, si nete icu intentæ accidat vt iugum moueatur, nihil sanè mirū fuerit: eius autem motu neruos omnes commoueri, sonumque reddere aliquem, probabile est. Sonus igitur nete alienus ab cæteris est, & cùm definit, & cùm incipit: cum hypate verò cùm definit, idem existit. Quòd si eius propriæ motioni adiunctus ipse totus esse illius videatur, absurdum haud quicquam haberi debet. Amplior autem, quàm sonus reliquorum neruorum, promiscuus hic exultat: quoniam illi quidem à nete quasi impulsu, submisso, vel lentè, & leuiter, ac molliter sonant. Nete autem ipsa fidium omnium vehementissima sua tota potentia sonum reddit. Itaque secundaria eiusdem actio

meritò superior esse, quàm cæterarum, potest, præfertim cùm leuissimo motu ipsa moueatur.

Cur suauis cantilenam audimus, cùm ad tibiam, quàm cùm ad lyram cantatur? An omne suauis, quod mistum cum suauiori est, suauius redditur. Atqui tibia, quàm lyra, suauior est: ergo cantilena quoque mista cum tibia, quàm lyra suauior sit, quoniam quod mistum est, non misto est suauius, modo quis sensum amborum percipiat. Vinum enim aceto mulso suauius est, quoniam quæ Natura permiscet, longè ampliùs temperantur, quàm quæ à nobis miscentur. Vinum quippe ex acido, ac dulci sapore mistum est. Probari hoc idem potest vel malis punicis, quæ vinolenta appellamus. Ergo cantilena, & tibia misceri sibi met admodum suam ob similitudinem possunt: spiritu nanque vtraque conficitur. Sonus autem lyræ, quoniam non spiritu fit, aut minùs sensibili, quàm tibiaram; minùs voci immiscere se potest: quod cùm ad sensum discrimen pariant, non immeritò minùs demulcent: quomodo dictum de saporibus est. Adde quòd tibia sonitu, cognationeque sua errores multos cantilenæ occultat. Sonus lyræ cùm tenuis, vocique commisceri minùs idoneus sit, ipse per sese patens, suumque genus syncerum custodiens, omnes cantilenæ errores posita quasi regula patefacit. Cùm verò multa perperam in cantando agantur, quod promiscuum ex erratis, recteque actis prouenit, de terius esse necesse est.

Cur neruum medium inter septem vocamus, cùm inter octo nullum medium sit? An quòd olim concentus neruis septem constabat, quorum medium est. Eorum, item quæ inter extrema continentur, solum medium principium quoddam est. Quod enim in medio situm est, eorum, quæ in aliquo interuallo ad vtrumque vergunt, extremum hoc, principium, & medium est. Cùm autem extrema concentus nete, & hypate sint, hisque interiaceant reliqui soni, quorum medius nominatus, solus principium alterius tetrachordi est, iure medii nomen habuerat: principium enim idem esse duntaxat patuit, quod medium est eorum, quæ inter aliqua clauduntur extrema.

Cur melius multi, cùm cantant, seruire numeros possint, quàm pauci? An quòd multi magis vnum, ducemque respiciunt, tardiùsque incipiunt: itaque faciliùs assequi idem possunt: plus enim erroris solet committi in celeritate. Accidit autem, vt suo duci multi, quàm pauci, sint attentiores. Segregans verò sese, nemo eorum exuperata multitudine clarere potuerit, quanquam inter paucos faciliùs proculdubio poterit. Quam ob rem inter sese ipsi per se potius, quàm cum principe, certant.

Cur vox in partem acutam cantus magna ex parte degenerat? An quòd acutum faciliùs, quàm graue, cantatur. Acutum igitur crebriùs cantant: dumque id faciunt, errorem crebriùs committunt,

Cur veteres cùm neruis septem concentus disponerent, hypaten, non neten, reliquerunt? An non hypaten, sed eam, quæ paramese nostra tempestate vocatur, tonique interuallum reliquerunt. Vltima verò

verò densi in acutum pro media vsi sunt, quam ob rem mediam quoque eam appellarunt. An quòd superioris tetrachordi finis, principium erat inferioris, & medium tono proportionem extremorum tenebat.

49 Cur tragœdiarum choris neque subdorio, neque subphrygio cantandi genere vt mos est? An quòd modulum præstare concentus hi nequeunt, quo certè choris magnopere opus est. Mores verò subphrygium obtinet vsui rerum deputatos. Quam ob rem in Geryone excursus, & arma eo ipso concentu aguntur. Subdorium verò magnificentum constans, graueque est: quocirca omnium maxime concentuum citharæ accommodandum. Sed hæc ambo vt choris minimè congruunt, sic scenis esse familiariora probantur: etenim scena heroum facta dictaque simulat. Veterum autè solos duces fuisse heroas constat: populi homines sunt, quibus chori consistunt. Quapropter choro competunt mores, modulique tranquillii, & flebiles: hæc enim humana potius sunt, quæ minùs cæteri concentus præstare queunt, minimèque ipse subphrygius: hic enim animos lymphatis similes reddit, cogitque; de bæchari. At verò mixolydius nimirum illa præstare potest: itaque eo ipso affici possumus. Sunt autem paribiliores, qui inualidiores: quam ob rem id genus choro tribuimus: subdorio verò, atque subphrygio agimus, quod choro non conuenit. Est enim chorus cliens quidam, curatòrque otiosus: quippe qui benevolentiam duntaxat his exhibeat, quibus adest.

50 Cur sono grauiori mollior modulatio contineatur? An quòd modulus sua quidem natura mollis est, & quietus, sed admisti numeri ratione asperior redditur, & mouentior. Cùm igitur grauis sonus mollis, quietusque sit, acutus contra mouens, & irians, prorsus eorum quoque, qui eundem modulom habent, mollior esse debet, qui grauior eodem modulo continetur. Modulom nanque mollem esse eorum, dictum iam est.

51 Cur parium, similiùmque doliorum, si alterum inane, alterum dimidiatum sit, echodiapason consonantia resultabit? An quòd echo dupla dimidiati ad inanis existit. Quid enim in istis potius, quàm in fistulis, res euariet: motum nanque eundem acutiorem putamus, quem velotiorem. Amplioribus verò aer tardiùs occurrit, vt duplis duplo, & cæteris ad proportionem. Vtris quoque duplis diapason ad subduplum consonat.

Eorum, quæ ad stirpium genus, & oleracea pertinent, Sectio vicesima, cuius quæstiones XXXVI.

1 **C**ur aquam salnam apium recipit, porum recusat? An quòd alterius radix imbecilla, alterius valida est. Impatibilius autem, quod validius.

2 Cur in prouerbio est, Mentham belli tempore neque edito, neque serito? An quia mentha refrigere corpora potest, vt corruptione constat feminis genitalis. Id autem ipsum aduersum omnino

est ad fortitudinem, atque animositatem, quanuis genere sit idem.

Cur aliqua fructu vacent, cùm florem habeant, vt cucumer, cucurbita, malus punica? An his fructus non deest, sed ipsa pro fructibus habentur, quibus flos insidet. Fructus enim id est, quod florem gerit. Cucumeri autem florem inhærere, perspicuum est.

Cur eorum, quæ terra gignit alia cocta, alia cruda sunt cibo idonea? An quibus succus esculentus non protinus est, iis decoctis dulcior redditur à calore: quibus autem sapor vel protinus gratus consistit, hæc etiam cruda esitantur.

Cur alia elixa, alia assa melius edi possint? An quòd humidiora non eatenus humectari, sicciora non ampliùs exiccari oportet: elixa autem humidiora, mollioraque omnia redduntur: quæ verò minùs humida sunt, hæc igne confecta sicciora prorsus euadunt.

Cur alia esculenta, alia inesculenta experiamur? An causa succus est. Quod enim & ignis expers succum continet immitem, & igne confectum, nihilò minùs redditur, hoc cibo ineptum penitus est: quod autem succo esculento quidem, sed vehemèntiusculo constat, hoc pro condimento recipimus. Quod enim exiguo corpore vim magnam obtinet, id naturam condire potest ampliorum esculentorum.

Quam ob causam stirpium alia ad semen vsque viuere tantummodo possint, deinde, cùm semen tulerunt, exarescant, vt genus herbæ, & quæ olera nominamus: alia non, sed sæpius fructificare solita sint. Ipsarum etiam viuientium ad semen vsque ferendum, cùm magna pars annua sit, genus apii, quod ab equo hipposelinum appellatum est, quasi equapium dixeris, anno postero fructum affert, cùmque attulit, exarescit: cur ita? An omnia eatenus vigent ætate, quatenus semine quoque valeant: nam & homines ad annum trigessimum vsque proficiunt, aut copia, aut crassitudine. Vbi autem semen ferre non ampliùs possunt, modo stirpium, obarescunt, atque senescunt: quanquam alia ocyus, alia serius occidunt, idque portione. Sed quam ob causam aliis longum spatium, aliis breue datum est, porro alterius interest disputationi declarare: sed cùm omnibus finis, ac terminus sit perfectio seminis, quibus vita breui tempore continetur, hæc semel, aut certè non sæpe. Quæ autem esse longæua Natura voluit, hæc sæpe fructificare necesse est. Quam ob rem quæ imbecillima sunt, ferre non plus valeant, quàm semel, tum exarescant necesse est: ac eorum ipsorum alia anno primo simul & semel reddere, & vitam exple re Naturæ ratio sancit: alia postero, vt equapium. Quæ verò præualida surgunt, hæc annis plusculis post fructificare incipiunt, diùque vitam agere possunt, fructificareque sæpius, vt arbores.

Cur si quis apium radice tenuis circumfodiat, partique imæ panicum vndique ingerat, deinde terram accumulet, itaque irriget, radices mira magnitudine adolescent? An quòd natura panici fungo

fungosa, & calida pabulum attrahit, conceptumque non sursum transmitti patitur. Sed inter radicem contentum calore sibi indito concoquit, ut radicis amplissimum sequi incrementum necesse sit.

9. Cur si quis cucumeres, aut cucurbitas protinus paruulas condiderit in terram, maiores multo efficiet? An quod spiritus, & Sol exiccando incrementum impediunt, mollemque tum minorem, tum cripiorem reddunt: quemadmodum & arbores, quæ loca vento, Solique exposita tenent, quæque in cauis manent, & riguis: alteræ enim magnæ, fugo- sæque fiunt, alteræ parvæ, & spissæ. At verò inter terram occulta, quoniam contra afficiantur, contra euadant, necesse est. Quinetiam quæ valis includimus, ut cucumeres in ferulis cauis, aut tegulis, & mala punica, aut quæuis mala in ollis, ampla redduntur, & fungosa: contra quæ detecta sunt, parua, solidaque augetur, nullo ambiente operculo, quod alimoniam faciat largiorem, id enim obiectum facit, ne pabulum aut euanescat, aut are- scat.

10. Cur plantarum acrium semina acriora sunt, quam radices, & folia? An quod semine omnia oriuntur, inque cæteras omnes partes ex eo, veluti fonte quodam, (ut quidam aiunt) sapes, & odores deriuari necesse est: nam etiã odores omnium vnã cum seminibus esse suaues incipiunt. Quod si acritudo cæteris ex semine proficisci solita est, semen ipsum maximè esse tale, ratio exigit.

11. Cur tenues radiculae acriores sunt? An quod amphiores illæ spatio temporis longiori plenius concoctæ mitescunt,

12. Cur capparum locis prouenire cultis haud facile potest? multi nanque tentarunt & radice translata, & semine sparso, cum apud nonnullos commodior capparum sit, quam rosa, sed tamen efficere nihil potuerunt. Quid ergo causæ sit, ut cultis nec fiat hospitari, inculta, & auia persequatur, & maximè repulcris adhæreat? Igitur de hoc, cæterisque generis eiusdem accepisse illud oportet, quod non omnia eadem ex materia consistere solent, aut augeri: sed sunt quæ ex aliorum corruptione, & principio consistant, & post augeantur, ut pedunculi, & pili corrupto alimento, aut qua labe alia corporis prodeunt. Ergo ut in corpore nonnulla excremento proueniunt alimenti, quod certe cruditas est, & ubi naturæ vires superare non queunt, abscedunt quidem in vesicam, & aluum, quæ in promptu maximè sunt, aliqua verò animal producant: itaque in senectute, & morbis hæc augentur: sic in terra alia concocto alimento & consistunt, & augentur, alia excrementis, aduersaque concreione oriuntur. Culturæ autem officii est, ut concoquat, reddatque efficax alimentum, quo genus mite, vrbani- numque fructuum consistit. Quæ igitur in mitigatione, informationeque huiusmodi creantur, hæc vrbani vocabulo significamus, eò quod solertia hominis educata, quasi, eruditæque, meliora euadant. Quæ autem cura adhibita mitescere nequeunt, aut etiam aduerso habitu loci sui generis prodeunt, hæc syluestria sunt, & rustica, cultisque; viue-

re volunt. Cultus enim, dum ea melioribus instituere moribus contendit, deprauat, atque peruertit: quippe cum à sua natura deficere nequeant, quæ orta sunt ex corruptione: quo in genere capparum quoque profectò est.

Cur si quis radicularum folia tempore hyberno, cum maximè vigent, abscederit, & terram pedibus complanarit, conculcaritque, ut imbrem nullum admittere possit, radiculae ipsæ per æstatem amplitudine mira incrementum accipient? An propterea quia ne corrumpantur, causa conculcandi soliditas est, quæ humorem putrefacere prohibet: alimentum verò, quod aliter ad germen sursum transmitteretur, radix sibi ipsa totum dispensat: itaque vel amplior fiat, necesse est, vel suo de latere radices alias mittat geminans modo ceparum: has enim multiplices effici nouimus, si quis annuas non euellat, sed tempore hyberno relinquat. At cum vim istam procreandi, ut lateri ceparum Natura dedit, sic radicularum negarit, necesse profectò est, ipsas illas crassescere nimiam ob copiam alimenti.

Cur si quis cucurbitas, aut cucumeres apud puteum sitos in ipsum dimiserit puteum tempestiuos, benèque operuerit, vires per annum totum seruiabit? An quod vapor aquæ refrigerans efficit ne asiccantur, seruatque virides, & vegetiores: & obturatio illa, & spiritus fati alere possunt, quæ iam in plenum creuerunt: permanendi verò facultas propterea datur, quod relictis radicibus suppetit alimentum. Nam si quis cum fructificauerit, detrahit sarmentis, præcisæque planta terram aggerarit, conculcaritque circum radices, cucumeres faciet præcoques, utpote cum radix valeat conseruari. Haud enim cucumer annuam sortitur naturam, sed viuere vltèrius potest. Ferent autem isti fructum materiùs, quam qui semine prodierunt: quoniam radix, bona pars scilicet operis præcondita iam naturæ habetur, quod illis seminatis priùs confici necesse est. Terræ autem aggregatio, & constipatio teporem inducit: quo radix & seruari, & germen mittere celerius queat. Vnde etiam fit, ut si quis per hyemem cucumeris semen in qualis situm aqua irriget tepida, & modo Soli exponat, modò collocet apud ignem, præcoques admodum cucumeres faciat, si tempore congruo ad ipsum cum quallis in terram demittet.

Cur non meridie, sed manè nocturne irrigare consueuerunt? Vtrum ne Solis feruor humorem absumat: an quod si aqua calida sit, necabit quæ irrigantur.

Cur omne odoratum genus tam seminum, quam stirpium mouere vrinam potest? An quia calidum est, concoctumque facile: cuius sanè generis sunt, quæ vrinam ciere valent. Calor nanque interior citò extenuat, nec aliqua corpulentia odor continetur. Nam & ea, quæ minimè odorata sunt, ut allia, caloris sui ratione vim mouendi vrinam habent, vel potius colliquandi. Seminum autem genus omne odoratum, calidum esse proculdubio nouimus: odoris enim natura calore aliquo omnino creatur. At verò quæ malè olènt, haud quaquam apta concoctioni sunt. Esse autem non calida

calida solùm, sed etiam concoctu facilia debent, quæ sint prouocatura vrinam, ut scilicet vnã descendendo humores extenuent.

17. Cur ocyus olus excaulescat, quod semine vetustiori, ut trimo, aut bimo prodierit, quam quod nouo? An quod sicut in animantium genere semen id celerius affert quod viget: ita etiam seminum, quæ vetusta admodum sunt, vim suam omnem exhalarunt: quæ recentissima, imbecilliora propterea sunt, quod excrementum adhuc procreationi minimè conueniens continent: quæ media tempore, hæc humore inutili omni exacto, validissima esse probantur. Celerius igitur semen profundunt. Id autem ipsum non nisi excaulescere est, quippe cum semen ex caule proueniat.

18. Quam ob causam ruta insita in ficum pulcherrima, plurimæque proueniat? Inferitur verò inter corticem, limoque obducto fouetur. An quod ruta radix fomentum, teporemque desiderat: itaque cinere quoque circumdata iuuatur: ficus autem calida est, quod eius succus omnium acerrimus doct, & fumus, quem multum emittit. Habet igitur calorem, atque humorem talem, qualem etiam cinis. Quam ob rem si ille iuuare possit, ficus porrò copiam, ac vigorem eò magis præstabit, quò humor cineris quidem non perpetuò affluit: fici verò irrequieto confluuium manat, utpote cum arboris succus consumi ex toto non possit.

19. Cur stirpium nonnullæ caulem semper edant inanem? An illis, quarum natura imbecillior est, has rarum, inanemque emittere caulem, necesse est.

20. Cur in terra Attica fructus cæteri dulcissimi sunt, thymum verò acerrimum est, cum id etiam ipsum fructus quidem existat? An quod ager ille tenuis, siccusque est: quam ob rem non multum humoris continent, quæ in eo nascuntur. Ergo quæ dulcia sua constant natura, hæc ob humoris contenti mediocritatem, ubi Sol partem consumpsit maximam, facile reliqua concoquantur: etenim multum concoqui negotium magnum est, mediocre expeditius confici potest. Vnde fit, ut fructus, qui lege suæ naturæ dulces creantur, dulciores euadant: qui siccus est natura, minimèque dulces proueniunt, suam ob inopiam tantum humoris retinent, quantum suo conueniat generi, quod dulce nequaquam est. Sol autem quantum dulcissimum sit, & leuissimum, eximit. Itaque acerrimi relinquuntur, qui humore superuacuo carent, quem fructus cæteri obtinent.

21. Cur pulegium, & liriium, & cepe, suspensa florent solstitii tempore? An inest crudum in his alimentum, quod in hyeme concoqui ex frigore nequit, sic solstitio ex calore concoquens auget. Vtrum quia influxu carent assiduo, breui marcescunt. Etenim quæ nullum alendi initium, nullum influxum assiduum habent, intereunt, exiccanturque. Qua de causa accidit apud Scythas, ut frumentum diu in terra maneat, propter copiam niuis: & ubi emerferit, celeriter crescat.

22. Cur cepe vnum tam acriter mordere oculos potest? unde nomen quoque à Græcis κρόμμυον impositum putant, perinde quasi pupillam comprimere cogeret. Origanum verò nihil huiusmodi facit, nec

aliud quippiam ex cæteris, quanquam acre: neque enim nasturtium, quod mordacius est, oblatum oculis efficit æquè ut lacrymæ profluunt: ac cepe & cum oculis admouetur, & cum comeditur, lacrymas mouet. An quod acrium genus discrimine euariat numerofo, quo sua cuique vis consistit, ratæque habetur. Nasturtium ergo, quia calidius est, rescicare quod colliquauerit, amplius potest: nam extrudere lacrymam, cum editur, potest: admotum tamen ad oculos, nihil propterea mouet, quia nullum mittit vaporem: est enim id & siccius, & calidius. Origanus, cæteraque id genus, calida sunt leniter, & sicca. Quod lacrymas autem moueat, mordax id esse debet, & humidum, & lentum. Quas ob res oleum quoque lacrymam excutit, quauis leniter mordeat: subiens enim, irreptansque, suam ob lenitiam, atque tenuitatem, dolorem mouet, ac proinde humorem tabificat. At cepe vim eiusmodi sanè habet, ut quod & humore, & vapore sit calido, tenui, & lento: itaque oculis admotum, eò quod vapor eiusmodi est, humorque tenuis commeat, lacrymas mouet: cumque editur, itidem trāmissa respiratione facere potest. Allium, callidum quidem est, & acre, & humoris aliquid continens: sed lentum non est: itaque lacrymam mouere non potest.

Quam ob causam myrta collisa in manu dulciora sentimus, quam integra? An quemadmodum racemorum acini vindemiati dulciores sunt, quam non vindemiati. Etenim musto, quod natura suaue est, excepti acini quasi condiuntur: quippe qui vel extrinsecus mustum resident: at qui in racemo cohærent, utique inconditiores constant. Ergo myrta quoque naturæ dulcia, intusque suam dulcedinem acinorum in modum vnae continentia, ubi manu compressa, conflictataque sunt, diffusam intestina dulcedine, parte quoque exteriori inopplentur: itaque dulciora non immeritò sentiuntur.

Cur myrta enucleatiora sunt quæ minora, & palmulæ nucleo penè vacant, quæ minutæ adoleuerunt, & vuarum acini, qui passim constituerunt exigui, vinacea vel nulla continent, vel pauciora, minoraque? An quia minus perfecta sunt, quæ minora: idcirco semen continent indiscretum, cui perinde, ut finis, nucleus deputatus est: quam ob rem & minora sunt, utpote surculi quidem agnati exteriores, partisque imperfecti, & minus dulcia, quam quæ iustum continent nucleum: sunt enim minus concocta. Concoctio autem, non nisi perfectio est.

Quam ob causam fructuum alii partem radicis proximam habent amariorem, ut cucumeres, alii postremam superiorem, ut glandes? An quod aliis pars ista radici proxima crudo vescitur alimento, quoniam escæ confluuium per radicem frequentat: aliis, quia siccus est natura sunt, postrema pars succo dulci, concoctoque inde absumpto iam plenius ficitur, amarescitque modo salis. Redditur enim vnumquodque amarum, cum amplius exiccatur: ut oliuæ, ut glandes inueteratæ efficiuntur amaræ.

Cur aliqua germinare non terra contenta, sed abscissa, aut euulsa, vel recondita possint, ut caules

caules liliorum, vt alia, vt cepæ? An quòd omnes alimentum intra se continent, nec certo, definitòque loco omnes oriuntur. Crescere autem vnumquodque potest, non eò quòd in se continet alimentum, sed quòd decoctum iam, & digestum illud pabulum est. Continent igitur vel antehac alimentum, sed augeri tum duntaxat incipiunt, cum tempus ad id adest, cuius opera res illa effici potest: velut etiam oua crocodilorum tempus tutè operiri sibi commodum nouimus: incrementum tamen continuari non licet, quoniam aliud non superpetat alimentum.

27 Cur allia, & cepæ, quòd ficiora ferantur, eò meliora possint euadere: cætera autem deteriora? An quòd omnia istiusmodi maximè plena humoris conficiuntur: itaque terræ commissa ficiora temperamento commodo germinare incipient. Adde quòd minùs putrent, cum ficiora feruntur.

28 Cur alia, & cepæ solæ ex plantis reconditæ germinare possint? An quòd humore, alimētòq; sunt refertæ. Copia igitur alimenti est, quæ germen efficere queat: idque constat argumento tum squillarum, tum etiam bulborum, qui idem facere possunt. Crescere autem quoque solet, cum tempus venerit.

29 Quam ob causam, quæ aqua frigida irrigamus, dulciora, quàm quæ tepida euadant? An quòd sic interclusum calidum falsius est, vt calidius, quod falsius: dulce autem ita cōtrarium, vt frigidum est, & alimento oleribus humor est, vnde saporum genera oriuntur.

30 Cur allia cum excaulescunt, pleniùs, quàm recens edita, olent? An quod recentia humoris multum adhuc extranei continent, quo fit vt vim suam integram habere nequeant. Cum autem decocta iam sunt, secreto humore illo inutili, tum suū odorem syncerè adipiscuntur, qui scilicet acer est. Quinetiam cæteri nuper editi fructus dilutiores sunt, & cepas recentiores ob eam causam minùs acres sentimus.

31 Cur fructus myrtilorum non conditarum magis, quàm folia, defluant, conditarum autem, reseruarumque alga, vt fit, folia, defluant, fructus adherent? An ita euenit non conditis: quoniam natura sancitum est, vt fructus peracta decoctione flaccescant, ac decidant: quæ quidem decoctio repositis agi non potest, sed eatenus tantum efficitur, vt algæ vapor prohibeat, ne humor fructus immutetur: folia contra cum siccent, decidunt. Algæ autem, vt salsa exiccandi vim habent. Ergo non idem foliis accidit arbori adherentibus, & conditis, modo quo dictum est.

32 Quam ob causam cucumeres, cognomento pepones, optimi palustribus planis, id est, humidis fieri soleant, vt apud Orchomenum, & in Aegypto: aquarum etenim vberem terram esse Aegyptum putamus. Cur ergo cucumeres, qui humidi sunt, & ob id hortenses, ac rigui minimè laudati, locis palustribus, quæ madida sunt, egregiè fiant? Vtrum quòd ob terræ duritiam altiùs coguntur descendere. Solum nanque limosum, ac planum maximè indurescit: qui autem altiùs innituntur, meliores euadunt. An quòd terram siccam esse oportet, quoniã cucumeres naturà humidi sunt: ita enim sequetur,

vt per retractum in mediū veniant. Palustris verò, si plana, altaque sit, alimentum nec exiguum præbet propter soli altitudinem, locumque ipsum: neque nimium, quoniam solum resiccari necesse est.

Quam ob causam ruta, & nonnulla pigmenta odora sudorum faciunt fœditatem? An quorum in odore grauitas est, atque acritudo, ea cum excrementitiis mista humoribus deprauare odores possunt.

10 Qua de causa rutam fascinationis remedium esse aiunt? An propterea, quia tum effascinari se credunt, cum aut voraciter edunt, aut incommodatum aliquarum tenentur suspitione, aut cibum habent suspectum, quem capiunt: itaque cum de mensa eadem, qui priuatè sibi assumunt, participem intuentem quempiam faciunt, affanturque cum impertiant, ne me fascines: ergo cibum cum perturbatione sument, nec quid bibent, aut edent sine turbatione, & flatu, qui vnà hauriatur, & ingeratur. Quam ob rem flatu ipso vel cum extrudendus effertur, cibus quoque vnà elatus eiicitur, vel cum interclusus per humorem tenetur, tormina mouentur, & cruciatus. Igitur ruta præfinita vi sua & potestate calfactoria, vas, quod recipit cibos, elaxat, & reliquum corpus itidem afficit: ex quo fit, vt flatus ille interclusus, transmitti: atque secedere possit.

Quænam causa sit, vt origanus musto iniecta vinum dulce efficiat: duas enim in amphoram iniectis heminas satis est. An quòd tollit, quantum in musto est, aquabundum, & fœculentum in sua siccitate in se ipsa recipiens, quibus scilicet saporem confici austerum censemus: argumento, quòd vina, si quid aquæ habeant, sibi illatum minùs mollia redduntur: atque & si diutiùs stare in fœce sinantur, itidem fiet: & cum vinū dulce molimur, vvas multum temporis Soli exponimus, vt Sol quantum sit dilutum auferat, & reliquum decoquat: hoc autem idem facere vel origanus potest, quippe quæ sit & sicca, & calida.

Cur nigræ myrti fronde sunt frequentiore, quàm albæ? An quòd nigræ generis sunt syluestrioris. Cuius indicium, quòd locis rusticis istæ proueniunt, minimèque ex cultu mutantur: humida autem omnia fronde crebriore conduntur. Quòd enim minus suos fructus decoquere possunt, idcirco ad frondem alimentum se vertit.

Eorum, quæ ad farinam, & massam, cæteraque id genus pertinent, Sectio vicesima prima, cuius quæstione: XXVI.

Cur ptisana farina triticea oleo instillata reddi possint candidiora, cum rufum oleū sit? An quòd spumare solet, dum cum humore miscetur, quod non nisi albecere est. Mistio verò versatu, agitataque fit, & cum corpulentis humor committi meliùs potest: quod sanè in iis accidit, quæ aqua decoquit, atque ita candidiora efficiuntur.

Cur cibus triticeus maximè corporibus nostris competentiore, atque vescentiore est, quàm ordeaceus? An quòd hic mediocrem habet lentitiam, quàm cibus habeat, oportet, quippe qui adherere, conglutinarique corpori debeat: quæ res non nisi len-

lentore effici potest. Ordeum verò rigidius est: itaque massa eius longè pertrita validiùs alit, quàm parum attrahat.

3 Cur farinæ triticeæ primum, ordeaceæ vltimum candidius est? An alterum vt durius circumfrangitur, idque agitur, cum plurimum temporis molitur: alterum vt mollius, atque tenuius, quàm primam exprimitur: candidius autem in vtrisque, quod interius est.

4 Cur panes frigidi albiore cernuntur, quàm calidi? An eadem quodam modo causa est, cur inuenteratum quoque oleum candidius sit, quàm recens: causa nanque nigroris humor est: hic autem in hisce vtrisque, vt recentibus vberius continetur, sic tempore prouectis parcius in superficie residet, propter euaporationem. Euaporatur prorsus oleū vel tempore, vel Sole: panis autem calore inde egrediente per refrigerationem: humor itaque frigidis iam euauit, calidis adhuc inest.

5 Cur panes non saliti plus ponderent, quàm saliti, modò cætera omnia pari habeantur mensura? Contrarium nanque verisimilius dixeris, cum sal adiciatur, & grauior sit, quàm aqua. An quia sal exicare potest, ex quo incorrupta seruantur, quæ confecta sale reponimus. Absumitur enim à sale, resiccaturque humor, qui ex calore putrescit: & in pane igitur humor à sale consumitur, extraque afflatur: quocirca panes pridie facti leuiore, quàm calidi, sunt, vtpote frigidiores: contra iis, qui sale vacant, humor largior insidens efficit grauiore.

6 Cur panes frigidi humefacti, si inuicem tangant, non cohæreant, calidi cohæreant? An quòd frigidi lentorem suum cum vapore vnà emiserunt, quo exacto conglutinari non ampliùs queunt: humor enim, quo maduere, rigidus est. Calidi contra, lentoris aliquid continent: ex quo fit, vt cum madefactis vapor emigrat, calor ob suam tenuitatem respiretur, & euanescat. Glutinosum autem illud cum calore egrediens, seque cum humore permiscens, facit vt inter se panes cohæreant.

7 Cur farinæ triticeæ primum, ordeaceæ vltimum candidius prodeat? An quòd ordeum vt rigidius, protinus obfrangi, diffundique aptum est: quod maximè fit, cum diu contunditur. Triticū mollius est, atque ob eam rem parte exteriori leuiter diducta, interior quæ candidior est expressa, primum contunditur: est autem in vtrisque candidius, quod interius est.

8 Cur massa ordeacea, quòd pleniùs tractetur, teraturque, eò minùs aluum subducere, læuigarèque potest triticea contra, quòd pleniùs, eò magis? An quòd triticea maiorem in modum contrita minuitur: lentum etenim quodque affici ita solet: tū ignis humorem panis vndique eximit, itaque rigidiusculum humore sublato relinquit. Denique quanto pleniùs contrectatur, & teritur, tanto frigidior redditur: partes enim singulas deminui adeò agitata, extenuarique necesse est. Rigidius autem omne, concoqui faciliùs potest. Ordeacea contra, quòd ampliùs pressatur, & teritur, eò lentior, & tenacior humore imbibito euadit. Tenax autem omne, ac lentum diuidi sanè haud faciliè potest: qua quidem diuidendi facultate fit, vt ægrè concoquatur: quod enim concoctionem recepturum est, digeri

in minima debet.

9 Cur massa ordeæ contrita minor, tritici amplior reddi potest? An quòd ordeæ farina massata, contritæque compescitur, atque confidet, scilicet glutinamento humoris, quia rara, & crassiuscula est: triticea quoniam spissa admodum est, colleuatur, atque extollitur. Spissa etenim omnia subacta, pertritaque incalescunt, & incalescendo inflantur, ac extolluntur: quomodo etiã caro perfricata extollitur.

10 Sed cur massa triticea in igne amplior, quàm ordeacea, reddatur? An quòd humorem triticea continet indiscretum, qui cum calfactus egredi nequeat, scilicet ex pertritionis compressu, mox spiritus de eo concalfacto humore nascitur: largior autem humor largiorem pariat spiritum, necesse est.

11 Quam ob causam cum mel tenacius, quàm aqua sit, farina mulso subacta rigidior reddatur, vbi decocta est, quàm aqua subacta? An quòd aqua feruore ignis cogitur, atque consistit: mel contrahit quidem, sed non sine assiccatione: itaque rem facit rigidior causa nanque rigoris in siccitate est.

12 Cur biscoctus panis refrigeratus minùs duritiem præ se ferat? An quòd triticum dulcem quandam, ac lentum succum in se continet, qui veluti anima eius est: indicium, quòd cum siccat, omnino exinanitur: cum autem vaporis aliquid sentit, mox erumpit, & coalescit. Ergo cum humor hic in farina quoque tritici insit, maximèque in ea, quæ purissima est, efficitur, vt in massa ex ipsa farina confecta idem seruetur: argumentum, quòd decocta in pultem redditur lentior. Vbi igitur panis primò igni commissus est, portio rigidi, & leuis, cum humore euaporatur, & quantum in farina fureureum maximè est, totum deurit: mox planè educto cum denuò massa retritatur, pressaturque, pars farinæ tenuissima, & humoris lentissima, quæ solæ supersunt, miscentur ampliùs sibi, tum quia tales ampliùs euaserunt, tumque propter ignitionem: fit enim mistura eorum tincturæ consimilis, ita vt

40 massa post trita similis farinæ illi elixæ efficiatur, quippe quæ pertrita iam prima, relictaque parte farinæ tenuissima, & humoris lentissima, glutinosa, & resiccabilis redditur, vbi ignem præsentit: nam & disungi faciliè quod lentum est, nequit, & humorem nullum per se ipsum emittit, quod spissum est. Hac igitur eadem re panis quoque biscoctus ob causas prædictas efficitur, itaque minùs durefcit, cum semper inter se humiditatem contineat.

13 Cur nonnullis de genere cibi, tum humidis, tum ficci, multum temporis sine fastidio vti possimus, vt cibo, quem triticea ex farina, ordeaceave conficimus, & vinis austeris, & aqua: alii verò quauis suauioribus, non tamen sine fastidio toties vti possimus? An quòd eorum, quæ in cibo assumimus, alia validiùs alunt, suntque ad inundandum aptiora: itaque vel vbi cibo priore consumpto vacui sumus, inest prætereà facultas multa in corpore, quæ ad priorem corporis confectionem decocta est, sic ad finem, & ad succedentem coquendi vicem cruda animaduertitur. Cuius sanè generis pars plurima suauium est: quæ enim pinguis, & dulcia, & optima sunt, ea nobis gustu suauissima sunt, eademque omnia validè nutriunt, & decoqui possunt, solentque inundare quocunque inter se ipsa discrimine

distant. Vnde efficitur, si quis sese impleat, ut facultas eorum diutius immoretur, nec breui sensus deficiat: non enim solum pleno ventriculo satietas oritur, sed digesta quoque alimonia cæteras in partes identidem vsu euenit. An non id solum ipsum causæ est, verum etiam quod nonnulla perquam modicè naturæ vsui sunt, nobisque familiarissimè conueniunt. Hæc enim omnia, quia secundum naturam sunt, idcirco melius à corpore, quàm dulcia, recipiuntur, ut quæ præter naturæ rationem facile respuuntur. Alia verò aliis temperationibus congruunt: ut mel apibus secundum naturam sic suppetit, ut eo vesci tantummodo possint, quanquam viribus sunt imbecilliss. Itaque relinquendum quidem est quantum absumatur, sed id ex proportione ad vires hominis. Quæ igitur è suauibus ita sese habent, ea quoniam naturæ minùs propria conueniunt, suauia quidem sentiuntur, sed parum temporis moram faciunt, & fastidium pariunt. Quæ autem secundum naturam pro cibo deputata homini sunt, ea semper appetimus: itaque fit ratione naturæ, ut vsu quoque eorum assiduo minus, quàm suauium, fastidiri possimus.

14 Cur eadem ex assuescentibus suauia, & admodum crebrò vrentibus insuauia sentiantur, cum tamen assuescere, sit sæpe, & crebrò quicquam facere? An quia consuetudo rei cuiusquam capientem in nobis efficit, non satietatem. Frequens autem vsio desiderium explet: quod & ipsum quasi causa quædam est. Habitus ergo cum exercitantur, augentur, atque proficiunt. Conceptacula verò infarcta nihilò ampliora redduntur. Quam ob rem consuetudo cum exercitatio sit, auget habitum illum capientem. Quod autem vsu crebro in cibo assumitur, infarcit quidem, expleretque desiderium, quo expleto, non amplius escam recipimus: sed augere illud idem non potest, ob eam scilicet rem, quam modò de infarctione retulimus. Adhæc, non ideo suauius consuetudo est, quia semper delectet: nam res etiam solitæ molestæ sunt, si vsu quis agit crebriori: sed eò certè suauius agitur, quoniam operis principium libenter adimus, & diutius rem facere eandem assueti, quàm non assueti, valemus. Quia igitur re molestum hoc est, quanquam suaue sit, hac eadem cætera quoque suauia efficere possunt: vtraque enim cum crebrò vel sunt, vel pro cibo vramuntur, tædio nos certè afficiunt. Cuius sanè causa est, quod nos vires, siue virtutes vel recipientes, vel agentes, non infinitas, sed finitas habemus: quæ vbi quidem sibi: quod modicè competat, obtinuerint, (id enim est, quod continuè amplificari sentiatur) alteræ fati explentur, alteræ agere nequeunt.

15 Cur panes, ut parum triti, sic nimium triti rumpantur? An quod parum triti, quoniam partibus minùs connexis inter sese continentur, idcirco rumpi facile queunt: tritatio enim partes copulat, & coniungit: ergo suo ipsi discrimine ad disrptionem paratioribus reguntur. Adde quod multum humoris, & impromiscuum continent, qui minùs trituram, pressuramque recepere: at quos nimium tritos igni mandauimus, si sicci admodum sunt, quoniam humoris parum immodica agitatio tritandi reliquerit, idque decoctis totum exactum est.

Igitur rumpi utrosque necessum est, quoniam humoris multum educitur: multum enim, ut absolute in his continetur, quos parum tritaueris: sic reliqui comparatione in iis est, quos immodicè agitaris.

Cur massa triticea candidior pertrita efficiatur, ordeacea nigrior? Vtrum quod per summa ordeacea nimium assiccatur: calor autem humori permittus, candorem gignit. An quia, cum calfacta est, humorem ad se ipsam trahit, ut quæ partibus maiusculis constet.

Quam ob causam farina aqua subacta melius coeat, quàm oleo subacta, quod tenacius est, quanquam glutinatius quod lentius est: oleum autem lentius, quàm aqua? An quod aqua tenuior est, ut vsuqueaque subire, mollireque valeat. Cohæret item, & comprimitur inter se melius farina aqua subacta, quanquam etiam sine contritu comprimi queat.

Cur massa tota leuior sit, quàm seorsum humor, & farina? Vtrum quia cum miscentur, spiritus intercluditur. An quia pars aquæ à calore farinæ indito euaporatur: itaque minus id redditur, quod ex utroque mistum constiterit. Aer autem aquæ tametsi miscetur, nihilò tamen leuiorem facit: nam ipse quoque aer cum aere pondus auget.

Quam ob causam lac, vinumque dulce quoties cum farina ordeii bibitur, dulcius sentitur? Vtrum quod ad non dulce dulciora isthæc esse videntur.

Farina enim dulcis non est: aliter quia humor dulcis mistus cum farina, diutius immoratur. An propterea quia farina, quæ dulcedinem in se habet, aliquandiu immoratur: itaque diutius sensio habetur.

Cur eadem potio minùs mera appareat, si farina ordeii inspersa bibatur? Vtrum quod diuersa sibi miscentur, & temperantur. An quoniam farina humori obducta in sese retrahens abolet qualitatem.

Cur alica plus aquæ recipiat, quàm triticum, vnde confecta est? An propterea quod alica farina quodammodo est: farina autem plus aquæ imbibit: moles enim amplior eius, quàm tritici, est. Pressus nanque, & constipatus triticum est. At quod amplius est, plus id capere potest. At non solum ea ipsa de causa ita fit, sed etiam calore, quem intra se continet & farina, & alica, efficitur, ut bibaciùs hauriant. Quod enim calidum est, humorem id & efficacius ad se trahit, & expeditius in vaporem consumit.

Cur farina tritici massata, pertritaque longè amplior reddatur, quàm ordeii, scilicet ex proportione? An quod altera multum humoris sibi admittit, altera parum. Sed qua de causa plus admittat? Congruens enim potius dixeris, ut ordeacea bibacior sit: quippe cum ordeum tostum, triticum non tostum sit. An propterea ita fit, quia trituram plenior triticea patitur: cuius causa est, quod partibus minoribus constat. Fit igitur quasi ut quantuplo partibus contineri potest minoribus, tantuplo humorem sibi largiorem admittat, quippe quæ ipsum humorem pro glutine sibi capiat, ut Empedocles quoque suis in Persicis diuerticulo quodam ait:

Munus

Munus vbi larga Cereris coniunxerit vnda. multumque humoris proinde absumere queat.

23 Cur etiam igni mandata massa tritici amplius augeatur, quàm ordeii? An quod humorem in se continet indiscretum, qui recalescens extrudi nequeat: hic ergo cum in spiritu transeat, nec sese promere pariter, atque ex massa ordeii possit, videlicet propter tritici spissitudinem, (spissius enim est, quod partibus constat minoribus) idcirco extollit, molèmq; agit amplior. Adhæc, plus ista humoris continet, quo recalescente spiritus provenire solitus est. Ex quaque re autem pluri, plus proficiscatur necessum est.

24 Cur pistorum, cæterorumque officio fungentium frumentario, qui ordeum atrectant, imbecilli efficiantur, & destillationibus infestentur: qui autem triticum, corpore sint bene habito? An quod facilius triticum concoqui, quàm ordeum, potest, atque ea re delibamenta inde manantia esse faciliora necesse est.

25 Cur panis tostus durior, tabefactus humidior reddi aliquantisper possit? An quoniam cum torrefit, humor extruditur, itaque panis relinquitur durior. Leniter autem cum recalescit, humor consistens ab igne diffunditur, humidiorque proinde existit.

26 Cur farina tritici resiccata minùs constipetur, quàm ordeii? An quod intercapedine vacant, quæ ex partibus constant minutissimis: & plura, quæ grauiora sunt, compressa suo pondere tantundem occupant, quantum pauciora. Sed farina ordeii crassiuscula est: itaque siccata compesci, atque in minus contrahi potest, ut quod minus est suo compressu, plus illud constipet in se ipsum, capessatque: triticea porrò particulis minutissimis iam constat. Itaque non ideo resiccatur, ut partes reddantur minores, sed ut leuiores efficiantur, minùsque constipentur suo compressu, & nutu: natura enim grauior farina triticea, quàm ordeacea est.

Eorum, quæ ad fructus arborum pertinent, Sectio vigesima secunda, cuius quæstiones

XIII.



Vam ob causam poma non ita prius, ut postea, esitata, in repletionis mole respondeant? An quoniam cæteris esculentis genus pomorum longè grauius est. Quod argumento sicum constat, quæ nouissimè esitata, vltimæ tamen euomuntur. Poma igitur antè ingesta suo pondere in imum delapsa, spatii amplitudinem relinquunt superius, ut cibum sequentem admitti facile liceat. At si è contrario sumantur, vsu eueniet, ut quoniam deorsum ferri expeditè non queant, innatent, & partem totam ferè occupent inanem.

2 Quam obrè cum dulcia nobis similia, quàm acria sint, ocyùs à dulcibus impleamur? Congruum enim ut contrà eueniat, quandoquidem à similibus minùs satiari consentaneum est. An quoniam non æquè præmaturè conceptaculum, ex quo hausimus, & corpus, quod vescitur, impletur: sed venter quidem repletus aliquando est, ut

eorum, qui sitiunt: sitis autem nihilò minùs superest. Non enim ea de causa sitis cessat, quia venter plenus humoris est, sed quia membra corporis omnia humorem commodum sibi attraxerint: quod vbi illa satis suum desiderium expleuerunt, tunc sitire cessamus. Ita etiam fames, nec aliter tolli potest.

Cur ocyùs à dulcibus, quàm acribus, satiemur? An quia ocyùs dulce, quàm acre appetere desistimus: sed an pèrinde, ut venter impletur, nos quoque dulcibus satiari possimus, confessum non est. Cum igitur desiderium celerius his ipsis expleri possit, docendum est. Alimenti desiderium, siue cupiditas, ut simpliciter loquar, indigentia est, cum cibum vel nullum, vel pauculum habemus. Quod cum acria non validè nutrire queant, sed parum alimonie, multum habeant excrementi, meritò amplius hæc appetimus, parumque eorum cupiditatem explemus, quoniam alimento item indigemus, quo ipsa careant. At dulcia tota ipsa cibibus idoneus sunt, atque ex paruis quibusdam eiusmodi escam corpus capit vberiore. Quod cum se abundè referat, nihil edere prætereà potest. Plus enim tolerare non potest: atque ita efficitur, ut ocyùs à dulcibus satiemur.

Cur fructus arborum, & carnes, & cætera id genus, vtribus vehementer in flatibus contenta, valeant incorrupta edurare: nec minus quæ diligentissimè picata, obturataque circumundique fuerint? An quoniam corrumpi omnia solent cum mouentur: quæ autem plena sunt, immota persistunt. Haud enim fieri potest, ut motus sine inani spatio agatur. Atqui isthæc, quæ ita inclusa sunt, plena vndique: constat ergo incorrupta seruari ratione.

Cur vinum post pomum putre epotum, amarum sentiatur? An amarorem putredo habet. Itaque quod de pomo per summa insidet, linguæ humori, qui bibitur, permistum, diffusumque, amarum efficit potionem. Ipsum autem pomum per se esitatum, minùs depræhendi propterea potest, quia saporis id genus multa attingat, inque exigua discernatur.

Cur edenda bellaria sint vsusque secundarum mensarum adici debeat? An ut satis bibamus. Non enim sitis gratia solum, quæ per mensam primam nos teneat, bibendum, sed etiam post hauissæ aliquid iuuat.

Cur nuces tostæ refrigeratæ deteriores redduntur, & panis quoque, & glandes, & multa id genus alia, rursusque calefacta eadem meliora euadant? An propterea quod refrigeratis succus conrescit, & constat: tepescit rursus dilabitur. Suauitas autem non nisi per succum percipi potest.

Cur post fructuum esitationem, ut sicuum, cæterorumque generis eiusdem, vel vinum merum, vel aquam superbibere debeamus, quæ quidem aduersa inter se sunt? An quia genus pomorum, & calidum, & humidum causa suæ generationis est: habet enim tum ignis copiam, tum humoris. Itaque succus pomi veluti feruorem intus per ignem excitat, quomodo mustum foris effernat, vi tamen hebetiore: humor autem nimius cruditatem committit. Aqua igitur suo frigore feruorem illum

frangit, atque extinguit: & vinum suo calore idem plerunque efficere potest, quippe quod perinde, atque ignis igni, multus pauco vires subtrahat: amplius tamen humoris copiam suo calore emollit, & concoquit, suoque pondere innatantem illum feruorem vincit, ac reprimat.

9 Quam ob causam caricæ bifidæ tantum dulcissimæ sint, nec multifidæ, aut omnino infissæ dulcedinem præstent? An quod ex multifidis respirauit, euaporauitque cum humore pars dulcedinis plurima. In iis autem, quæ infissæ coierint, humoris diluti copia est, quod nihil ferè inde exactum fuerit. At quæ fissæ quidem, sed tamen fissura multiplici sunt, immunes utroque isto incommodo caruerunt.

10 Cur si ficus in furno siccantur, duriores efficiuntur, quàm si exemptæ foris refrigerentur? An quoniam in furno humor totus ex nimio calore euaporatur, foris aer circumfundens humorem contrahi, emanareque prohibet: ita enim ut leuiter euaporaretur potius accidit. Sunt autem, quæ siccant, dura: quæ hument mollia.

11 Cur ab acerbis vinum, aut aqua epota dulcior sentiat: exempli gratia, si quis glandes, aut myrta, aut tale quid ori mandauerit? An merito ita fiat, quemadmodum vel in cæteris agitur: omnia namque plenius eadem apud sua contraria innotescunt. Contrariorum autem saporis oppositi ferme inter se sunt. An ut res in iis est, quæ colore inficimus: ita etiam lingua acerbis conficitur illis, meatusque suos patefieri patitur, ut dulce subire amplius possit. Res enim quasque inficendas humoribus quibusdam acerbis ante immergimus, ut inde affectæ infici colore plenius, atque inelubilius possint.

12 Cur dulcia, minus dulcia sentiantur calida, quàm refrigerata? Vtrum propterea quod simul sensus duo existunt, id est calidi, & dulcis: itaque calidi sensus reliquum depellit, atque obfuscatur. An quod etiam succus dulcis calidus est, itaque ignis igni adiicitur: ergo calor est, qui impediatur. An quod ignis vires omnium minuit, quia vim obtinet commutandi: calida igitur propiora mutationi sunt, refrigerata resident, sibi que iterum constant.

13 Cur palæ, fructus duros, atque inconcoctos emolliunt, in maturitatemque adducunt, mites autem, & concoctos non putrefaciunt? An quod palæ, calida, & attrahens est. Suo igitur calore concoquit, & per vim illam attrahendi saniam omnem seuocat, atque imputridos seruat.

14 Qua de causa ficus, cum molles, dulcesque sint, dentes offendant? An quia gingiuis sua lentitate adhærent, seque præmolles inter dentes insinuant, & putredinem per suum calorem citò conficiunt. Forsitan & ob granorum suorum duritiem dentes celeriter effatigant, cum manducantur, conficiunturque.

Eorum, quæ ad mare salisamque omnem aquam pertinent, Sectio vigesimatertia, cuius quæstiones

XLI.



Vr fluctus præalti pelagi superfrangi non soleant, sed parui tantum, & breuis? An quia parum humoris cum fertur, discerni à spiritu facilius po-

test, quàm multum.

Cur nauigia onustiora in portu, quàm in alto esse videntur? Celerius etiam de alto in terram veniunt, quàm de terra in altum prouehuntur. An quod plus aquæ, quàm minus, reniti validius potest: pauca enim oppressa onere cedit, ut demergi necesse sit: multa è contrario repellit, ac sustinet. Vis enim ea est aquæ, ut sursum versus compellat inferius: ergo ut in portu maris parum, sic multum in alto est. Itaque plus oneris conuehi in portu videbitur: etiam mouebitur ægrius, quia magis immergitur, & aqua minus reniti potest. At verò in alto res contra vsu euenit.

Cur fluctus interdum prius eueniat, quàm venti? An quoniam primo spiritus ortu maris pars prima impulsæ, partem sibi continuam ipsa compellit, itidemque deinceps vice pari, serieque agitur perpetua. Quam ob rem cum mare ipsum continuum sit, efficitur ut quasi vnus ictus continuus ex his omnibus exulter, idque fieri vno in tempore possit. Itaque euenit ut prima, & vltima pars simul moueantur: quod aeri nunquam accidit: quia corpore vno continuo hic esse non potest, eò quod multiplicitate vndique repulsi retorquetur, atque conuoluitur, ut primus, validissimisque mouendi impetus refringatur, impediaturque. Quod mari accidere propterea nequit, quia grauius aere, motuque difficilior est.

Quam ob causam cum aliquid in mare vndabundum, & æstuans iactum est, ut anchora, vnda residet, & quiescit? An quod mare ponderi cedit, quod deferretur, quo cum aer delabatur: qui cum per directum in imum deferretur, atque attrahitur, secum eodem id trahit, quod mare de latere concitat: æstus autem maris non desuper tendit ad ima, sed per summa versatur, quo sedato tranquillitas oritur. Adhæc, cum mare in ea spatia coit, quæ ponderi descendenti cesserint, vertiginem mouet, quæ non nisi circulo agitatur. At cum linea recta circum per punctum attingat, fluctusque ad lineam rectam oblique ferantur, fieri potest ut fluctus ipsi per punctum oras vertiginis attingant, nec prædictam ob causam tantum, sed etiam quod ipsa vertigo accedens, suo impetu circum vndique illos depellit. Quod cum itaque fluctibus pars ea vertiginosa careat, merito vnda, iacta anchora, residet, tranquillaturque. Adde quod aer, qui cum pondere illo delapso descendit, mox sese referens, vndamque sursum compellens, bullas excitat: quippe cum bulla humore consistat, qui de imis ad superius ab aere efferatur. Omnis autem bulla lenis, serenaque est. Indicium verò quod vnda, quæ pondus in imum corruit, submissa in cauum paulò post refurgit, & mari circumdanti æquiparatur.

Cur interdum nauigia, dum cursum agunt, in mari quieto repente absorbentur, totaque ita pereunt, ut ne naufragium quidem fluitans vsquam appareat? An cum locus cauernosus terræ subditæ mari distrumpitur, simul in mare nauigia introrumpuntur, introrsumque spiritus impetu trahuntur: cumque impulsu pari circum vndique agitentur, deorsum ferantur necesse est. Hoc idem apud Messaniam quoque in freto fluctu reciproco euenit. Fiunt enim eo ipso vertigines, quæ in imum absorbent,

ben, tum ob eam, quam diximus, causam, tum etiã quod mare illud præaltum est, terraque ad longinquum vsque subhiat cauernosa. Vertigines igitur eousque per vim ducuntur: itaque efficitur, ut inibi fragmenta nulla valeant fluitare. Fluxus autem ille fieri solet, cum flatu desistente priore, mari item fluente, flatus aduersus primo occurrit, maximèque cum Auster. Cum enim vnda inuicem cursitant, in fluctu prætereunt mutuo, quo scilicet modo in fluminibus fieri nouimus: atque ita mare in gyrum vertitur, quæ vertigo, aut vertex vocata est. Fertur autem vnda in anfractum initio motus valido desuper irruente. Igitur cum vndas vrgere in latum non liceat, (impulsu namque repelluntur mutuo) compelli prorsus in imum necessarium est. Quam ob rem id quoque deferri eodem vnà cogitur, quod vertigo comprehendit: eademque causa est, cur etiam nauigia resimentur, repandaque deferantur, cum deuorantur à vertigine. Iam enim aliqua erecta ex toto descendisse, memoriæ proditum est.

6 Cur mare Ponti candidius, quàm Aegæi est? Vtrum propter visus refractionem factam de mari in aerem. Est enim aer Ponti crassus, & albidus: itaque fit ut etiam maris pars summa talis esse videatur, Aegæi verò, quoniam à longinquis vsque purus, & liquidus est, cæruleus cernitur: quocirca mare quoque aeri renitens, colorem eundem repræsentat. An quod lacus omnes, quàm mare, candidiores sunt. Pontus autem in lacus speciem propemodum transit, eò quod multi in eum fluuui efflunt: nec verò mari solum candidior lacus est, verum etiam fluuiis. Vnde pictores flumina pallida, mare cæruleum, lacum candidum pingere non ineptè consueuerunt. An quia per aquam bibi idoneam visus penetrare facile potest: aerem versus reflectitur: è mari autem nec sursum reflecti potest, quoniam leuis aqua non est, & deorsum progrediens fatigatur: itaque fit, ut mare nigrum esse videatur. Atqui mari, quod lacum simulat, pars dulcis per summa innat: salsa verò in imo est.

Quam ob rem quod id penetrare aspectus nequit, sed ad lucem reflectitur, albedinem per summa ostendit.

7 Cur mare minus, quàm aqua bibi idonea, frigidum est, omnesque falsi humores non ut dulces frigidum sunt? Vtrum quod mare spissius, & corpulentius est: tale autem quodque minus refrigerari potest: sicut etiam amplius incalescere aptum est, quippe quod calorem seruare suam ob densitatem melius possit. An quia mare pinguius est, quocirca flammam æquè extinguere, atque cæteræ aquæ, non potest: calidus autem, quod pinguius est. An quoniam multum terræ in se continet, propterea siccius est: quod autem siccius, idem calidius est.

Qua de causa qui de mari se lauerint, ocyus resiccantur, cum mare grauius sit, quàm aqua dulcis? An quia crassius, & terrosius est: ergo cum parum humoris habeat, merito siccati potest celerius.

9 Cur perflante Aquilone mare perspectius, atque translucidius sit, quàm Austro? An quia mare, cum serenum est, colorem trahere sibi assolet: inest enim aliquid pinguis in succo falso. Indicium, quod die tepidior oleosum quiddam secerni videmus. Er-

go tranquillo, tepidiorique mari succus iste sua leuitate per summa panditur: quod Aquilone fieri minus potest causa frigoris. Est autem aqua translucidior, quàm oleum: id enim colore obducitur. Aqua verò expers coloris visu obuia, apertiorum sui præstat suspensionem.

Cur fluctus ventum præ se omnes ferant? An quia flatus futuri indices sunt: flatus enim impulsus aeris est. An quia vice propellendi successiuè consistunt. Propellit autem flatus nondum continuus, sed exoriens. Primus igitur emarcuit, mox autem hunc alter propellit, factaque altera densitate elaguescit: quare cum hoc propulsum iam adest, propellens quoque illud venturum esse palam fit: facit enim id ipsum cum incipit.

Cur fluctus ante, quàm flatus, erumpit? An quia non simul flatus desistit, & mare vndabundum sedatur: sed mare postea cessat. Ideo fieri potest, ut qui mouerit spiritus, ante occidat, quàm sensui obuius sit: itaque non fluctus spiritu prior est, sed ille latet, hic patet. An flatus non vndique simul spirat, sed primum vnde exortus sit: simul autem spirat, & mare sibi proximum agitatur, quod exitum subinde proximum mouet: atque ita fieri potest, ut fluctus flatum possit anteire. Motus enim ille velocior à mari, non à flatu principium ducit.

Cur in mari melius, quàm fluuiis, natare possumus? An quod qui natat, sedulo aquæ admittendo natat: adniti autem firmius ad id possumus, quod corpulentius est: at aqua marina, fluuiali corpulentior est: crassior enim, & ad renitendum validior.

Cur mare deuri potest, aqua non potest? An & aqua deuritur: sed mare minus ignem extinguit, quoniam pinguius est. Cuius rei indicium oleum facit, quod ex sale depromi potest. An etiam meatus maris minus congruant igni, ut qui crassiores sint, & eò magis, quod salis ratio non deest. Ut igitur quod siccum est, minus extinguere, quàm quod humidum, potest, ita etiam quod amplius siccum est, idem ex ratione vrentius esse debet, & alterum magis altero: quò enim siccius, eò calidius est: mari autem isthæc ambo inesse plenius palam est.

Quam ob causam demersi in mare plus temporis valeant tolerare, quàm in fluuiis? An quia fluuialis humor tenuior. Subiens igitur copiosius strangulat.

Cur mare perspectius, & dilucidius est, quàm aqua potu idonea, cum crassius sit? dulcis enim, salsa tenuior est. An tenuitas causa non est, cur mare dilucidius sit, sed directi meatus id faciunt, quos tum plurimos, tum amplissimos continet: ergo illa potu idonea spissa ex tenuitate suarum partium est, salsa amplioribus interstitiis inanit. An quia mare purius, & syncerius est: terra enim nulla in eo permanat: arena suo pondere delapsa, in imum subsidet. At humor dulcis mistus cum terra est, quæ interueniens facit ut citò perturbetur.

Quam ob causam manè aura frigida de mari non spirat, de fluminibus spirat? An quoniam mare locis patulis, spatiosisque dilaturatur, flumina angustissimis concluduntur. Aura igitur maris per multa, vastaque spatia dispalata redditur imbecillis, fluminum autem vniuersa extinguitur: itaque amplius valet, & frigidiuscula merito occurrere potest. An

causa non in eo est, sed ut flumina sua natura frigida sunt, sic mare nec frigidum, neque calidum est: aura autem, omnisque respiratio, humore vel calefcente, vel frigescente excuti solet. Vtrum enim ex his fuerit, humor aerefcit, quo aerefcente, aer, qui inde ortus spirat, aura est: qui si à frigidis proficiscitur, frigidus merito spirat: si à valde calidis, citò refrigeratur. Fluuios igitur frigidos comperire omnes possumus: mare autem neque frigidum, neque calidum valde est: itaque nec frigidum esse id potest, quod ex eo respirat, cum scilicet mare frigidum ipsum non sit, nec citò refrigeratur, quia calidum valde non est.

17 Cur fluctus altioris pelagi tardiùs desistant, quàm breuioris? An quia res omnis seriùs ex motione multa, quàm pauca requiescit: æstus autem magni pelagi amplior, quàm parui est: ergo nihil temerè agitur, si tardiùs quietatur.

18 Cur aqua salia frigida bibi non potest, calida, refrigeratæve, postquam calfacta est, meliùs potest? An propterea, quòd de contrario in contrarium res quæque mutari solita est. Aqua autem salia dulci opposita est: & cum calefcit, portio falsi decoquitur: cum refrigeratur, in imum defertur, & subsidet.

19 Cur aquæ positæ propter mare, dulces magna ex parte, non falsæ comperiantur? An quia percolatæ potu aptiores redduntur: percolari autem id meliùs potest, quod mari propiùs situm est.

20 Cur aqua salia profluere nequeat? An quia stabile, quòd graue est. Salia autem aqua grauis est, quapropter calidæ tantummodo ex falsis profluere possunt: habent enim sibi leuitatem, quæ pondus falsuginis superat: calidum nanque, leuius est. Adde quòd aquæ profluente per terram nimirum percolari queunt. Itaque quantum crassius, & grauius est, id assidue magis, magisque defertur, & subsidet: quantum leuius, atque syncerius, id seuocatur, & profluit. Ut enim falsum graue, ita dulce leue est: atque ita efficitur ut sint dulces, quæ profluunt. Hæc eadem causa est, & cur aqua salia, cum mouetur, mutaturque, dulcior fiat: leuior enim per motum, atque syncerior redditur.

21 Cur si quis in Africa propter mare infoderit, aquam principio dulcem, post breui falsam eandem comperiet, cum cæteris in locis minùs id ipsum eueniat? An prima loci illius aqua concocta sub terra est, quæ cum diutiùs manserit, falsior à mari transmissio efficitur, ut quæ nuper constitit: cæteris autem locis aqua vel nulla est, vel plurima, nulla prohibente siccitate, est.

22 Cur sal eliquari ocyùs aqua salia, quàm dulci, possit? An quòd eliquari non aliud est, nisi ab humore, caloreve subeunte resolui, & dirimi, ita ut liquidum sit: eliquare autem nequeunt, quæ vel subire omnino non possunt, vel quæ ita subeunt, ut tangere nequeant. Vix illa verò eliquant, quæ facillè transmeant: contra, celerrimè dirimunt, quæ per vim se intrudunt. Subire autem nequeunt, quæ amplis admodum partibus constant, quippe quæ meatibus rei subeundæ excedant: contra, quæ minutioribus constant, transeunt sine ræfione. Atqui ut dulcis aqua tenuior, ita salia crassior est: ergo altera

sua tenuitate facillè penetrans vix liquefacit, altera subit quidem, sed minùs propter suarum partium magnitudinem: itaque cogere, & próinde dirimere celeriùs potest.

Cur aqua minùs candeat, si moueatur? quod vel maris æstu inspicere potest. Vnde Homerus, Flatu oriente, inquit, & flatu nigrescit pontus eodem.

An duabus de causis: nam si ex propinquo contumur, causa est, quòd visio magis transmeat, aqua manente, quàm mouente: eripitur nanque trames omnis directus, cum mouetur. Candidum autem id esse videtur, quod perfectum, atque perlucidum est. Per quod enim visus transire nequeat, id aerum esse affirmant. Quam ob rem aerem quoque nigrum è longinquo, candidum ex propinquo videmus: & maris, ut quod propè adest, candidum: ita quod procul, caruleum, & nigrum: sed si è longinquo spectatur, causa est motus quidam, quo aspectus mouetur, cum se ad elongiora deducit. Quinetiam cum aqua quiescit, aspectus vniuersus in lucem reflectitur: quod fieri nequit, cum illa mouetur.

Cur fluctus præalti pelagi nequeant superfringi, quemadmodum parui? An quoniam aqua parua distrahi ab aere magis potest, quàm multa, propterea percussa faciliùs frangitur. Atqui in alto multa, in breui pauca est, quæ in fluctus compellitur.

30 Cur loca Austrum versus spectantia aquas continent falsiores? An propterea quòd mare in terram sub Austro interruptit, dulces cum falsis miscentur.

Cur aqua salia vino dulci magis, quàm austero, supernatat? Vtrum quòd dulce plus terræ continet, sicuti vna passa. An quia grauius, & lentius dulce est, itaque minùs miscetur, immisumque residet, atque innatat.

Sed cur omnino possit innatare, cum terrena sit? nanque delatio huius deorsum est. Vtrum propter calorem modo salis: excremento nanque per summa erumpenti res similis est. An alia causa sit: nam si non propterea ita fiet: vel dulci innatare minùs incredibile erit: calidissimum enim est.

Cur fluctus antè interdum veniant, quàm venti? An ea de causa, qua etiam postea desistant. Primus etenim flatus priùs quasi languescit, quàm fluctus ille impulsus: deuenit autem in terram, non ea vnda, quæ prima impulsæ est, sed id vice pari subinde impellitur, quod proximum deinceps exceperit.

Cur litora fluctuosiora solida sæpe efficiantur, adeò, ut planè pauimenta videantur: & ut solida sunt, quæ frequentia fluctuum concalluerunt, ita pars remotior soluta sit admodum, & cedens? An propterea quòd fluctus arenam non minutissimam, sed maiusculam procul eiicit, ut & manus non quod minimum est, id maximè longè iacere potest. Tum etiam cum permulta, & varia promiscuè conquatantur, versenturque pars minimorum interlapsa spissat, atque consolidat: mox fluctus residentis motio nihil propterea protrudit, sed opprimit, pauimentatque: ergo quòd exigua procul

exilire non queunt, indicit ut ex paruulis moles coagmentetur, quæ quoniam motu frequenti agitatum est, continua redditur, arena scilicet interlapsante prætenui, dum compages contentione perpetua consistat, cum fluctu ultimo pauimentatur, & humor leniter, sensimque irrorans conglutinet. At pars seposita oræ arida, digregatur, & finditur: lapillis etiam constat maiusculis, minùsque complanata est.

30 Cur superius mare, falsius, & calidius sit, quàm inferius: & puteis quoque potu idoneis pars superna falsior sit, quàm ima? quanquam esse è contrario debuit: grauius enim, quod falsum est. An quia Sol, & aer partem humorum leuissimam assidue detrahunt: dulcissimum autem, quod leuissimum est, potissimumque de propioribus locis hauriunt. Et maris igitur, & aquarum dulcium summa, vis Solis exercet: itaque falsius id esse necesse est, quod his residuum extat, vnde humor dulcis exactus est, quàm vnde nihil, vel minus abiit: propterea calidior quoque pars eadem superior est: falsum enim, quàm dulce, calidius est. Quapropter quibusdam ex iis, qui à disciplina Heracliti sunt, placet, ut dulci ex aqua siccata, concretæque, lapides, terræque creentur: mare autem sit, vnde Sol exhalationes eliciat.

31 Cur maris pars terræ proxima dulcior est? An quia frequentius mouetur: falsus autem humor, cum mouetur, dulcior redditur. An quoniam aqua in profundo falsior est: minùs autem alta, quæ proximè terram est. Quam ob rem quæ statim à terra præcipiti altitudine descendit, salia est: nec dulcedinis tantundem reddere potest. Cuius rei causa est, quòd salia suo pondere in imum potius deferatur.

32 Cur mare solum omnium aquarum deuri potest? Non enim pluuia, non fluuialis, non aliqua potu idonea. Vtrum quia multum continet terræ, quod salis argumento ipsius constat. An quoniam pinguisculum est, quod oleum demonstrat, quod in sale resudetur.

33 Cur lacus arenam vel nullam faciat, vel minùs, quàm mare, & fluuius? An quia saxa in mari consistunt, & terra deusta maximè est, arena autem saxum in parua, minimaque perfractum est, quod ictu fluctuum frangitur. At in lacu saxa non æquè consistunt pura, synceræque, neque frangi itidem possunt, eò quòd fluctus non pari modo excitantur. Sed in fluuiis confici arenam potius dixerim, quoniam terram hi detrahunt, saxaque suo fractu perfrangunt.

34 Quam ob causam cum lacus vel diminutus, vel exiccatus est, frumentum in campo acriùs gelu deurit? Vtrum quòd humor lacus aerem suo vapore tepescit, ut minùs, atque imbecilliùs congelascit, quàm locis palustribus, & cauis. An de terra, ut vulgò dicitur, frigus incipiat, & subeat sensim. Lacu igitur assumpto, frigus per terræ spatia ampliora plenus inuadens gelu instringit, deuritque amplius. Locis autem cauis, atque palustribus frigora de imis aspirant, quod etiam vulgò creditur: & quanquam terra caleat tempore hyberno, tamen quia humida est, calor per summa insidens, refrigeratur, & perit. Humor enim nec adeò procul est, ut refrigerari caloris interioris beneficio nequeat: nec

adeò paucus, ut nihil madeat: madet enim terra vbertim. Fit igitur eo ipso congelascente, ut quasi super glaciem & ambuletur, & habitetur.

Cur mare simul falsum, & amarum est? An plures esse in mari sãpores nihil prohibeat, quippe cum genus falsum amaro coniungi, esseque simul, latissimè pateat.

Cur lapides, & testæ in mari rotunda reddantur? An quia extrema compari ademptu circumfracta, in rotundam se colligunt speciem: hæc enim sola simili extremo clauditur, mare autem quoquo versus agitando pariter circum vndique frangit, atque obtundit.

Quam ob rem nonnusquam si quis circa mare infodiat, aqua dulcis principio emanet, post verò falsa efficiatur? An propterea quòd mare ipsum dulcem illum humorem sub terra transmittit, percolatque, merito principio dulcis est: leuior enim dulcis, quàm falsus est, itaque prior occurrit: & mare dulcis aliquid humoris in se habet, quod terræ permistum faciliùs innatare potest. Salsum verò, quoniam & grauius est, & aptius, ad secandum in imum defertur. Siue igitur ita est, siue per venas ex continente in mare dulcis profluat humor, non immerito per maris summa extare possit, qua se cum eo committat: ergo meatibus postea patefactis humor falsus copiarum suarum ratione vincendo, falsugine totam afficit aquam. Accidit enim, ut superis obseptis meatibus, confluuium falsi humoris iter aliud faciat, contraque patefactis totum isthuc perferatur, quomodo in corporis venis fieri nouimus.

Cur mare, cum grauius, quàm aqua, potu idonea, sit, clarius, atque perspectius est? Vtrum quia pinguis est: nam si oleum affusum efficere potest, ut meliùs per aquam incernere sit, merito cum ipsum mare in se pinguis aliquid habeat, perspectius, & dilucidius sit: ipsum enim oleum aqua leuius est, quanuis non perspectius. An mare non perspectius est, sed esse tale videtur: quippe cum aqua dulcis, aut fontis, aut fluminis sit, fons suam aquam non sine terra emittit, ut purissima esse nequeat, flumen tum terram, tum faciem detrahat. Causa igitur hæc sit, cur dulcis minùs perlucida appareat.

Qua de causa qui mari natant, ventre salubriter euacuantur? haud enim quia laborant: nam qui curriculo eunt, vehementius elaborant, sed tamen non ita euacuantur. An non omnis labor id faciat, sed solus, qui nullam dat causam tabescendi intestinorum: maris autem mora vel omnino edaciorem, & ventris inanitate adustiorum hominem reddi videmus: est etenim vapor maris calidus, & siccus.

Cur lacus Passa, qui potu idoneus est, lauat simul & purgat vestimenta? humor enim dulcis lauare potest, amarus purgare, atque abstergere: quæ quidem haberi simul non possunt. An nullus humor vestimenta suo amarore possit purgare, sed lentore tantummodo: quam ob rem trunculi, & quæcunque mucosa, vim absterforiam obtinent. Igitur & amara, quæ fermè lentescunt, purgare queunt, cætera nequeunt. In hoc autem lacu accidit, ut nitrosæ virtutis amarum totum deustum sit, pingue, & lentum remaneat. Hoc igitur abstergit, & purgat, lauat autem suo dulci humore.

41 Cur maris vndabundi, quod desistit, albicat: quod prouoluitur, nigricat? An quia quod minus cernimus, nigrius id esse videtur: minus autem cernimus, quod mouetur, quam quod quiescit. An quoniam candet, quod transpicitur, nigrescit, quod aspectu peruium non est: minus autem id transpicitur, quod mouetur.

Eorum, quæ ad aquas calidas pertinent, Sectio vigesima quarta, cuius questiones

XIX.

Vr aqua perfusi calida, minus calorem percipimus, cum peruncti oleo sumus? An propter corporis læuitatem facile aqua dilabitur, minusque immoratur, quam vt calor subire valeat.

2 Cur puteorum aquæ tepidæ à meridie æstate reddantur? An quia tunc frigiditate aeris iam superata, calor plenè inualuerit: antè autem frigor calore soluitur, & cessat. Non enim simul alter cessat, alter inualescit, sed spatio temporis.

3 Cur aqua interdum facta calidior, quam flamma, ligna deurere nequeat, flamma queat? An quia flamma prætenus est, spiritusque ex ea proficiscens partibus tenuissimis constat: aqua profectò crassiuscula est, itaque subire non potest. At verò flamma, carbonumque ignitamentum suam ob tenuitatem facile subeunt, atque resoluunt.

4 Cur aqua feruens liquefacere nequeat, venter queat? Vtrum ventris calor sua tenuitate subire potest, aqua sua crassitudine nequit. An quòd cætera quoque liquefieri humor prohibet. Nulla enim res est, quæ inter humorem dilabi, & tabescere possit. At in ventre humore in vesicam secluso, facultas resoluendi acquiritur.

5 Cur fundus vasorum non vrit, quæ aquam feruentissimam continent, sed plerique fundo sustinentes deportant, aqua verò ipsa exempta vrere potest? An eò quòd calor in fundum vasis contractus, extingui ab aqua potest. Quo fit etiam, vt eliquari res nequeat, eliquabilis, si quid humoris admittatur.

6 Cur aqua non pèrinde hyberno tempore, vt æstiuo, efferueat, non solum pari concalfacta igni, sed etiam pleniori, & tantundem calens, atque etiam vehementius? An propterea quòd aquæ efferuentia bullarum elatio est: aqua igitur ipsa non minus hyeme, quam æstate, calefieri potest: sed bullas efferri frigoris ambientis aeris prohibet, itaque minores, paucioresque consistunt: at æstate contra omnino est. Ille autem efferuendi æstus non nisi frequentia, magnitudinèque spumæ exultat.

7 Cur calida aqua rugare potest, ignis, qui tam calidus est, non potest? An quia ignis spiritum agit, vt tumefacere valeat: circum enim cutis obtenditur: ruga autem, cutis contractiuncula est.

8 Cur fundi vasorum, quibus calfacimus aquam, tandiu calidiores sunt, dum aqua ipsa frigidiuscula est? An quoniam aqua adhuc frigida calor concludatur circum, obsistatque; intus, cum ei exitus omnis denegetur. At verò aqua concalfacta, quòd nihil præterea calor arceatur, sed liberè respiret, diminua-

turque, fundus frigidior redditur, non secus ac balnear: has enim hyeme, quam æstate, calidiores experimur, quoniam calor hyberno potiùs, quam æstiuo, tempore aeris circumfundentis frigore intercluditur.

Cur aqua feruens nunquam expaflat: fresum omne, atque lenticula solida expaflantur? quamquam his leuior aqua est: leuius autem, procul proiici facilius potest. Quinetiam argentum, cum decoquitur, idem hoc facit. Itaque qui in officinis argentariis defæcandi funguntur officio, argenti reliquias colligunt lucro. An quia expaflationem calor agit euaporando, cogendòque ea, quæ suo naturali impetu obstant. Aqua igitur, quoniam leuis, & prætenus est, nihil per vim reicit: itaque nimius calor colligi non potest, sed antè, quam contrahatur, reprimatur omne, atque excutitur, quod subinde accessit. At verò quæ corpulentiora sunt, vt polenta, vt argentum, hæc vt per sui corporis grauitatem arcent, repelluntque, ita vi per renixum erumpunt, vt calor, quæ vicerit, exiliat vehemens. Facit enim corpulentie spissitas ne transeat, sed arceatur, dum icu calor superfluentis extrusus sit, atque eiaculatus. Fit ergo icus non impulsus, vt pote cum calor inferius sursum versus efferatur celeriter.

Qua de causa quæ parum temporis calido in humore maduere, tument: quæ multum, hæc collabuntur, & rugant? An quoniam calor vt ex concretis humorem elicit, ita ex humore spiritum creat, densaque omnia laxat. Principiò igitur concreta tepesciunt, facit humidiora, cum spiritum ex humidis ducens diffundit, & tumefacit. Cumque amplius calfacit, partem summam elaxat, vt vapor inde respiret: humorque exiccatus facit, vt moles concidat, qua collapsa, cutis omnium summa rugatur: quò autem magis contractione inæquali flaccescunt, eò rugosa multiplice asperitate efficiuntur.

Cur aquis calidis potiùs, quam frigidis, lapides concrecant, atque coagmententur? Vtrum quòd lapis defectu humoris consistit, caloreque potiùs, quam frigore, humor deficit, & lapidescit calore: vt etiam Empedocles, Lapides, inquit, & saxa feruentium aquarum opera conficit. An non solum calor elapidat, sed frigor etiam humorem nimio gelu absumendo indurat, facitque lapidem. Quod nimium frigus ita agit, simpliciter quoque ita agi posse, certum est.

Cur, si inter aquam pedem quis teneat calidam, pede quiescente aquam minus calidam sentiat, mouente calidiorè? An idem quod vel in toto corpore accidat. Si quis enim curriculo it, aerem, qui subinde obuiam fuerit, sentit frigidiorè, eoque magis, quòd cursum agit prolixiorè.

Cur amplius in Sole res calidæ, quam in vmbra, refrigerantur? Vtrum quia minor calor à maiori absumitur. An quòd in vmbra frigor circumfundens, calorem interiorè reprimat, nec effluere finit. Quod idem moribundis aqua offusa frigida aduehit, quippe quæ calorem concludat, & arceat, ne foras se promat. Denique per hyemem omnibus accidit calidiorè suam esse partem interiorè. At in Sole vi nulla arcente calor effluit, atque ocyùs euanescit.

Cur aqua minus salubris balneo sit, quam Sol tepescerit?

pefecerit? Vtrum quia corpori adhuc insidens refrigeratur, horroremque mouet. An est etiam istud: veruntamen & si quis ea sæpe vtatur, valetudini fiat obnoxius. Res enim calida, omnino vim coquendi, siccandique obtinet: frigida compescere, atque contrahere potest. Itaque vtraque aliquid boni affert: quapropter aqua & frigida, & calida ex igne balneum præstat commodum. At quæ sub Sole tepuerit, ob sui caloris imbecillitatem, præbere illorum neutrum habet, sed humificat tantum pèrinde, ac Luna.

15 Cur aqua Sole calfacta parum salubris sit? An quia rigorem aduehit, vbi refrigeratum est.

16 Cur aquæ Magnesiæ & Artanæ feruidæ satis sint potu idoneæ? An quoniam aquæ copia dulcis ad profluentem calida sese applicat, eo tum modo, vt salugo tollatur, & calor eduret.

17 Cur aquæ Magnesiæ feruidæ feruere quidem aliquando desierunt, salæ tamen nihilo esse desierunt? An quòd aquæ copia frigidæ aliunde fusa in fontes feruidos calorem omnem extinxit. Itaque terra tamen salæ persistere potuit, calida tamen esse propter aquæ adiunctæ copiam non potuit. Proximum igitur id accidit aquæ, quam per cinerem transmissam colamus: hæc enim transmissa per calidum cinerem, nec ipsa suum frigorem amittit, & cinerem frigidum reddit: salæ tamen, amaræque per cinerem est. Sed cum aqua, quæ frigida accesserat, alienigena esset, calor vernaculus terræ frigorem illum pauciorè euincere vice versa potuit, atque ita suum calorem aquæ receperunt.

18 Cur aquæ feruidæ salæ magna ex parte proueniant? An quòd pleræque omnes per terram aluminosam percolantur: quod odore earum constat: exustorum autem omnium cinis salis est, sulphurque redolet: quapropter feruida omnia modo fulminis vrunt, & quidem plura fulminis tactu calida extiterunt.

19 Cur calidæ balnear sacra habeantur? An propterea quòd sulphure, atque fulmine, rebus igne sacræ proueniant.

Eorum, quæ ad aerem pertinent, Sectio vigesima quinta, cuius questiones

XXII.

Vr membra corporis nostri in vtribus obtenta inflatis doleant? Vtrum propter pressuram aeris. Vt enim extrinsecus vtrum prementi aer non cedit, sed repellit: sic etiam quæ intus tenentur, aer comprimit, atque afflicat. An quia per vim aer retinetur, stipaturque, foras versus suapte natura vndique impetens: nimirum ad id corpus enititur, quod medium continet.

2 Cur paludibus iuxta fluuios positæ fieri soleant, qui bomugi appellantur, quos tauros numinis religiosos fabulæ narrant? Est id sanè fremitus mugitui tauri adeò similis, vt qui voces audiunt, non secus afficiantur, quam si taurum senserint mugientem. An cum aut fluuii in paludes se fundunt, aut paludes restagnant, & vel à mari offensæ retorquentur, vel flatum vniuersum emittunt, tum fremitus

ille excitatur. Causa verò, quòd terræ cauernæ infodiuntur, in quas aqua interrumpens, quoniam fluctus in eiusmodi redundatione mouetur, aerem per angustias, ceu si quis in amphoram inanem strepitum per osculum mouerit, mugimento similis sonus exultabit: mugitus etenim bobus per id ipsum figuræ genus profertur. Multas autem, mirasque voces informare figuræ cauernarum variæ possunt: nam & amphoræ fundum si quis detractò operculo vicissim modò intus attrahens, modò extra depellens perterat, sonum per intercapedinem tam ingenuum reddet, vt belluæ pertimescant, & fugiant, quod pomariorum custodes emoliri consueuerunt.

Cur aer, cum aquam tangit, non humescit: nihil enim de cæteris est, quod si tetigerit, humidum non reddat. An ita eorum extrema coeunt, vt simul sine vllò interstitio sint, nec plano diuerso distinguantur. Igitur cætera quoniam grauiora sunt, subsidunt, itaque humorem sibi admittunt. Aer vt leuior nihilo inferius vergit, quam extremum limitet. Tangit ergo, quia nihil interiacet: remanet ex pers humoris, quia semper super aquam extat.

Cur nocte media, & meridie maximè cælum soleat tranquillari? An quia venti tranquillitas aeris statio, & requies est, qui tum constare maximè assollet, cum aut vincit, aut vincitur: etenim quandiu pugnat, mouetur, atque inquietatur. Vincit autem maximè nocte dimidiata, vincitur meridie: vt enim medio noctis Sol remotissimus, sic meridie proximus est. Adhæc, status vel ortu Solis, vel obitu incipit: cessat, qui ortu cœperit, cum victus est: qui vespera, cum parta victoria desinit. Itaque fit vt alii meridie, alii noctis medio cessent.

Cur prima luce, & iam manè frigus sit amplius, quam nocte, cum Sol à nobis propius absit? An quoniam cum dies instat, ros cadit, atque pruina, quæ frigida sunt: ergo insperis locis omnibus frigidus humore, merito acrius refrigeratur.

Cur in Ponto intensius & æstus, & frigora fiant? An aer regionis illius sua crassitudine nec hyeme tepescere, nec æstate refrigerari potest. An propter varium Solis cursum: recedit enim per hyemem, accedit per æstatem.

Cur noctu potiùs, quam interdiu, serenum sit? An quòd & status, & perturbationis causa Solis vis est. Ist hæc enim motu accito quodam oriuntur: Calor igitur causæ est, ob eamque rem cum is adest quiescunt omnia, & Sole abeunte magis, quam veniente, & quod dici solet:

Nauibus hyberno ventos dat terra secundos,
Tunc mare fert sæuos: calidi sed mensibus anni,
Terra dabit sæuos, ponti feret vnda secundos.
Hoc sibi vult, quòd vbi motus maximus est, ibi minime quicquam vel feruari, vel consistere potest: æquabili nanque statu, viribusque efficacioribus esse id debet, quod consistendum, conservandumque sit. Mare autem hybernis temporibus, terra æstiuis sæuire illum in modum solita est.

Quam ob causam humor pleno contentus in dolio, diffusus in vtres, non solum cum vtribus recipi ab eodem dolio possit, sed etiam locum relinquere, quo etiam plus humoris capiatur? An quoniam aer in humore inest, qui dum in dolio est, excerni propter dolii magnitudinem non potest: fit enim

vt exprimi de maiori vel humor, vel spiritus difficilius possit: quemadmodum etiam de spongiis amplioribus minus exprimitur. At cum in parua digeritur, extrudi iam de vtribus expeditius potest. Itaque dolium, & vtres, & humorem etiam alium capit, magisque in vino id accidit, quia plus in vino aeris inest, quam in aqua. Huic sane proximum cineris, & aquæ tantundem simul vas idem capere posse, quantum plurimum vtriusque seorsum infusi capiat. Cineris enim complura caua, & inania esse videntur, quibus aqua sese insinuat, vt quæ tenuior sit: & constipat verò, spissatque arctissimè, quoniam particulatim constipatio agitur. Densantur enim, adductanturque omnia plenius, cum paulatim constipantur, quam cum vniuersa: quod cum ita fiat, cinis collabitur, & subsidet, simulque humorem in se per cauorum suorum opportunitatem admittit. At si cinis, qui in aquam immittitur, calidus est, aquam dirimit, vertitque in aerem. Idem illud agetur etiam, si primam aquam infundatur, post cinis iniiciatur: vnde aquam etiam ipsam caua quedam, & hiantia in se continere putaueris. An non aqua cinerem sibi admittat, sed cinis aquam. Quod enim tenuius est, subire id posse congruum est. Constat item experimento: cum enim cinis inspergitur, eodem reliqua aqua confluit, quo loco inspersum est. Cuius contrarium certè fieri debuit, si aqua cineris effect capiens. An si prius aqua vas extoto impleuerit, nihil præterea capiet, sed addito quolibet effundetur. Sin autem vbi semel aliquid aquæ infusum est, cinis descenderit, iam tunc, quod dixi, eueniet: quippe cum cinis sit ipse, qui capere valeat. Hæc eadem ratio est, cur foueæ terram exemptam recipere nequeant. Locus enim ab aere occupari videtur: itaque fieri non posse, vt tantundem recipiatur.

9 Cur aer, qui luce crassior est, solida valeat permeare, lux ipsa non valeat? An quia lux per directum tantummodo fertur, ob eamque rem oculus, qui transpicere per rara non possit, vt per pumicem, quia meatus euariant, per vitrum facile possit, quia meatus positi è directo sunt. At aer impedimento nullo arcetur, quoniam quæ transit, tendere è directo non solet.

10 Cur aer per aquæ tactionem frigidus reddi possit, humidus non possit, etiam si quis in aqua vehementer inflarit, vt fluctus inde moueatur, & inundetur. Frigidum autem reddi constat, eò quod qui ex aquis aspirat, refrigerat? An frigidus esse, calidusve naturæ suæ habilitate potest, vt rei tactu immutetur, quam tetigit, humidus esse idcirco non potest, quia leuior est: neque ima humoris vnquam sua ipse petit natura, sed summa semper, planumque attingit: & si deorsum cogatur, humor quoque feretur inferius, ita vt nunquam in profundum sese ire patiat.

11 Cur aer bullis contentus, aut de imis aquæ ascendens, haud vnquam madidus emergat? An quia humor non infidet, sed dilabitur: qui tamen continet bullas, vel minor est, quam humefacere valeat.

12 Cur aer madere non possit, aqua autem queat, quippe quæ etiam translata in aerem madeat? An eadem causa sit, qua & lapis madere nequeat. Haud enim madendi omnibus vis data est, sed iis tan-

tum, quæ lenta sunt, & humida.

Cur vtres inflati valeant fluitare? An propterea, quod aer sursum effertur. Vtres enim vt inanes deorsum feruntur, sic inflati supra ideo resident, quod ab aere sustinentur. Sed si aer eleuet, atque prohibeat quod minus deorsum feratur, cur inflati grauiiores efficiantur? Et qui fieri potest, vt cum grauior sit, emineat: cum leuior, deferatur?

Cur aer non sursum feratur? Nam si ex motu caloris spiritus excitari debeat, ignisque sublimia petere natus sit, spiritus eodem currere debuit. Siquidem mouens illud sursum versus impellit, quodque mouetur, eodem ferri aptissimum est. Hunc enim tramite ferri obliquo latissimè patet.

Cur aurora frigidior, quam vespera est? An quoniam altera noctis medio propior est, altera meridiei. Est autem vt diei medium calidissimum, quia Soli proximum est, sic noctis medium frigidissimum, quia remotissimum.

Cur temporis feruidi noctes molestiores, quam dies sunt? An quia flatus omnes tunc consulescunt: anniuersarii nanque illi, & præuii minus nocte, quam interdiu, spirant.

Cur in corrupta durare possint, quæ vtribus continentur in flatibus, aut vasis bene operitis? An quia putent omnia, cum mouentur: immotaque omnia sunt, quæ plena: isthæc autem plena.

Quam ob causam aere sudo, apertoque frigus fit acrius, quam nubilo, cum stellæ sint calidæ, & cælum? An quia nihil tunc est, quod vaporem arcere, continerique valeat, sed diffundatur necesse est: at cælo nubilo arcetur, & Aquilone magis, quam Austro, eadem illa de causa: Auster enim nubes colligit, Aquilo dispellit: & quidem Aquilone magis, quam Austro, euaporari videmus, & hyeme potius, quam æstate, aut propter dissimilitudinem, aut quia vapor, non nisi refrigerato humore calido, depromi potest.

Cur minus, quam plus, aeris calidius sit, cum angusta omnia sint calidiora? An quia magis mouetur, qui plurius est: motus autem frigorem acciere potest: cuius indicium, quod calida, cum mouentur, refrigerantur.

Cur aqua, & terra putreant, aer, & ignis non putreant? An quoniam omne, quod putret, calidissimum fiat necesse est: igne autem calidius nihil est. An quia refrigerari prius oportet, quod putredinem concepturum est: ignis autem calidissimus semper est, aer verò igne refertus est: nihil autem putret, cum calidum est, sed refrigeretur antè oportet, quam putreat. At aqua, & terra vicissim modò calida, modò frigida effici possunt.

Cur cælum nubilum tepidius sit, quam apertum, & placidum? Vtrum vt veteres authores dixerunt, quia stellæ frigidæ sint. An id absurdum admodum est, sed quia cælo sereno vapor extrinigi melius potest: indicium, quod vento silente ros, & pruina consistunt. Cum igitur serenum est, calor diffatur, quo humor eruitur, atque effertur. Itaque aer frigidior fit: qua de causa humor à calore demissus irrorat: ast cum nubilum est, arcetur, & constat: quocirca nec ros, nec pruina contrahi potest, cum nubilum est: ergo calor ad terram remanens, facit vt tepor amplior esse possit.

Cur

22 Cur altis ædibus aer soleat ventilari, reciprocarique, præsertim cum tempus quietum est? An quod aer præ laxo quodam contextu, & hiato lento est: ergo cum hic extrinsecus introire incæperit, cedit, & contrahitur aer, quem domus continet: quo collapsò, adductoque, inanius redditur, qui foris est, & spatia multò laxiora capefit: quæ in spatia aer domesticus relabitur, ferturque expeditè eodem, quoniam & ipse pendeat, & natura inanis reniti nequeat. Quod cum per multa eius membra eueniat, proximus hunc aer sectatur, adductus propulsione primoris. Tum eo largè foras iam profuente, locus internus inanis redditur, & vacuus, externus contra repletur, spissescitque: ac deinde in hunc modum reciproco fluxu actitur.

VIGESIMAE QUINTAE PROBLEMATVM SECTIONIS FINIS.

Eorum, quæ ad ventos pertinent, Sectio vigesima sexta, cuius quæstiones

LXIIII.

1 Vr ventus Cæcias solus ex omnium ventorum numero, nubes ducere ad se possit? Vtrum quod ventus aduersus refat eodem tempore. An quoniam de locis eminentioribus spirat: sunt enim partes, quæ ad Solem orientem vergunt, eminentiores, quam quæ ad occasum: indicium maris occidui magnitudo facit, & latitudo. Quod cum desuper in aduersum spiret, lineam sua delatione ista terram versus conuexam agit, regionemque inuadens, vt dixi, occiduam, nubesque per lineæ suæ figuram contrahens, ad se suo inde reflexu eas vocat, atque impellit. Quod solus hic propterea facit, quia cæteris loca vel editiora sunt, vel submissiora, quæ versus, vt aut de imo, aut è directo flatus feratur deuenus, terram versus necessum sit, ita vt ad postremum reflexus effici nullus queat, eò quod flatus non ad terram subditam aeris amplitudini finem protrahendi faciat, nec vbi aer cogi in nubes possit. Subsolanus, ac cæteri minus caui, quoniam humidi non sunt, nubes non cogunt: itaque vel nullatenus, vel minus id ipsum facere possunt.

2 Cur Aquilones anniuersarii fiant, Austri non fiant? An Austri quoque fieri possunt, sed continui, quia initium Austri longè à nobis est, Aquilonis in vicino est, quippe cum sub Aquilone habitemus. Item Aquilones anniuersarii tranquillo aere spirant, quippe qui per æstatem moueri soleant: Austri vere oriuntur, cum aer minus quiescit. Adde etiam quod auster humidus est, humido autem superior locus alienus. Quam ob rem humores, qui eo in loco consistunt, citò resoluuntur, & euanescent: & cum humores erratici, vagabundique sint, accidit vt aer quoque eodem ducatur, quod humores ipsi variè dilabantur. Qui cum non loco eo-

dem agitetur, efficitur porro vt flatus diuersi orientur: flatus enim non nisi motus aeris est.

3 Cur Auster post pruina spirare soleat? An quia pruina, nisi facta decoctione, haud vnquam consistere potest: mutatio autem post concoctionem, purgationemque fieri in contrarium solet. Aquiloni autem contrarius Auster est. Hæc eadem causa est, cur post niuem Auster spiret. Omnino enim & nix, & grando, & imber, & omnis id genus purgatio, concoctionis indicium est. Vnde fit etiam, vt post imbres, cæterasque eiusdem generis tempestates, flatus desistant & consternentur.

4 Cur procellæ, hoc est venti, qui excusui nubibus sæuiunt, imbre superueniente ocyùs cessant? An quoniam aqua expressa ventres nubium confident, vnde flatus origo est.

5 Cur non iidem venti imbrem vbique afferant? An quia non iidem montibus vbique occurrunt, sed aliis partes aliæ sunt obiectæ. Nubes enim ibi magis consistunt, vbi ventus vix quasi loca ardua superans depellere præterea nequit: cum autem consistat, premuntur, rumpuntur, imbrèmque demittunt.

6 Quam ob causam cælum purum, & placidum, serenum indicat, tempus turbulentum hyemem prænuntiat? An propterea, quod hyems aere consistente, spissescenteque fieri solet: ergo cum Sol euincit, discernit, illustratque aerem: cum euincitur, nubibus obfuscat, atque incaffat. Quod si constituto valida, hyems continuo luce prima erumpit: sed si imbecillior sit, nec tamen ex toto succumbent, occasum versus depellitur, quod consistit, ac inibi manet, eò quod aer terræ proximus hyeme instante crassissimus est, & mox reliquus quoque consistit, quoniam initium, firmamentumque obtinet stabilitatis, quod suscipere, atque colligere possit, quantum subinde accesserit. Vt enim in acie conuersa in fugam vno resistente, cæteri quoque omnes insistant, sic in aeris ratione fieri solitum est. Quam ob rem citò, imò repente interdum fit, vt cælum nubilum reddatur. Cum igitur occasus est perturbatus, constitutionem minimè vicinam esse à Sole diu pugnante firmissimè indicatur: itaque plus item posse consistere, consentaneum est. Et quidem minus timendum, cum hyeme prægressa, quam cum post serenum id accidit, quippe cum illa ratione veluti reliquias quasdam restare, ac initium consistendi oriri videatur.

7 Quid est, quod flatus moueat tropæos, id est quos versarios, aut reciprocos appellamus? An eadem ratio est, qua Euripi mari reciprocante agitantur: nam & mare, & aer eatenus fertur, quatenus profluere licet. Deinde cum obice quadam amplius prograssandi licentia his tollitur, qui terra pergunt, ob eam scilicet rem, quod suæ motionis, delationisque primordia parum habeant valida, tunc reciprocantur, & redeunt.

8 Cur iidem illi tropæi de mari spirare soleant? Vtrum quia mare vicinum est. An quia tropæus apogæ, id est, flatus abterraneo contrarius est. Versarius enim tanquam reuersio abterranei est: quippe cum abterraneus flatus ex terra in mare profluens sit, cuius reciprocatio versarius est: itaque de mari terram versus spirare necessum est. An veniro

venire inde putandum, quoniam aer collectus in mari est, qui illò fluxerat. Sed ratio cur nec in terram consistat, & reflectatur, cum profluit, quòd mare in cauo est. Aer autem, modo aque, ad id fluit, quòd cauisimum est.

9 Cur dici solet, Tertia lux nunquam nocturno Aquilone laborat? An quòd flatus Septentrionis imbecilli sunt, cum nocte spirare incipiunt. Argumentum enim, non multum aeris esse motum, quòd eo tempore spirare exorsus est, quo caloris exiguum est: exiguum nanque caloris, exiguum aeris mouet. Atqui flatus minimi omnes intra triduum finiuntur, ergo nec is diuturnior esse debet.

19 Cur Aquilo crebrius, quam Auster, spirat? An quoniam Aquilo parti orbis terrarum habitata vicinus est, idcirco latere non potest. Simul enim ex sui temporis breuitate & spirat, & adest: at Auster, quia è longinquo admodum, nisi vehemens sit, venire non potest.

11 Cur Auster minus hybernis noctibus, quam diebus, spirat? An est quidem Sol noctis etiam tempore Australi regioni propinquus, & noctes ibi tepidiores, quam dies Aquilonem versus: itaque aeris multum mouetur, & nihilò minus, quam interdiu. Sed calor dierum vehementior omnem absumendo humorem, efficit vt minus spiretur.

12 Cur Auster Canicula oriente moueatur, idque lege Naturæ certissima fieri solet? An propterea, quòd regio inferior orbis, Sole scilicet remoto, minus calida est, itaque vapor inde largè emigrat: & multi profectò Austri spirarent, nisi aduersarii prohiberent.

13 An omnibus austris tum orientibus, tum occidentibus, aer soleat commutari, sed Cane præcipue? quòd quidem flatibus latissimè constat, qui eius ortu, & post ortum sequuntur. Quòd cum æstus tunc vigeant, spiritus calidissimos per idem tempus oriri congruum est. Auster autem calidus est, & cum ex contrariis in contrarium maximè commutari solitum sit, ortumque Canis præui nuncupati antecedant, quia Aquilones sunt, merito post eum Auster spirat: quandoquidem assignari necesse est, idque Austris fieri orientibus. Huic autem verbo, cum assignari dicimus, subiecta notio est, aerem insigniter commutari, & quidem mutari flatuum omnia genera in ventos aduersos, aut dextros solent. Quòd cum Aquilo non transeat in latus dextrum, reliquum est vt in aduersum, hoc est, vt in Austrum transeat. Quinetiam dies post brumam quintodecimus, Austrum præ se fert, eò quòd bruma initium quoddam est, moueturque à Sole is potissimum aer, qui brumæ vicinus est: Solem autem tunc ad Austrum vergere, certum est. Vt igitur cum ortum perrepat, flatus excitat Subsolanos, ita cum meridiem adit, Austros euocat. Nec tamen statim à bruma id facit, quoniam breuissimas tunc agit distantias: sed quintodecimo, quia tempus id modicè se habeat ad primam discessus sententiam. Tòtum enim id tempus, pars conspicua est.

14 Qua de causa Orionis exortu dies maximè varient, flatusque importuni moueantur? An quoniam in mutatione varia maximè omnia sunt, quæ non vno, certoque tempore, motuue describuntur,

Atqui oritur Orion ineunte autumno, occidit hyeme. Ergo quia non vno tempore constat, sed alio incipit, alio cessat, flatus etiam inconstantes esse necesse est, vt pote cum incipiti conditione proueniat, quos sibi tempus vtrunque sortitum est. Et quidem difficilem esse Orionem & cum oritur, & cum occidit, ex temporis varietate rectè affirmant. Turbulentum enim, atque inæquabilem esse, necesse est.

10 Cur Aquilo nocte exorsus die tertia cessat? Vtrum quia ex paruo, imbecillique initio prodit, tertius autem dies decretorius est. An quoniam vniuersus modo *ἐκνεφῶν*, id est, procellarum, & nubibus excussorum flatuum funditur, idcirco compendio cessat.

Cur plurimi Aquilones spirent? An quoniam pars orbis terræ habitata Septentrionibus subdita, est eminentior, & extra solstitium posita, & niuis plena: quæ nix montibus nonnullis nunquam deest. Cum igitur concreti humores tabescunt, flatus magna ex parte oriuntur: is autem Aquilo est, qui à Septentrionibus mittitur.

Cur Austri hyeme, atque ineunte vere, atque autumno cessante spirare soleant, vndabandique sint, & contortuosi, atque Africæ non minus frigidus, quam regionis nostrati Aquilones? An propterea, quòd Sole propinquo spiritum moueri necesse est: Sol autem per hyemem Austrum versus perfertur, & ineunte vere, desinentique autumno iam calfacere incipit: æstate contra, Septentriones petit, & loca relinquit meridiana. Calidus autem propterea est, quia spiritus aer Africæ miscetur, qui calidus est: hinc etiam in mare corrumpens ingentes excitat fluctus, facitque australem æstatem.

Cur Auster fetidi halitus causæ sit? An quoniam humida, & calida corpora reddit, quæ maximè putredini opportuna sunt.

Cur Auster profectus ex mari commodus iis sit, quorum stirpes terra continentur? Nam & Triasio campo terræ Atticæ Auster de mari occurrit. An quoniam refrigeratus accedit: rubigo autem per humorem calidum, alienumque consistere solet.

Cur ventus magna ex parte ante Lunæ defectus excitetur initio noctis, cum defectus medio incipit noctis, medio verò cum manet? An quoniam calor Lunæ propterea hebetatur, quia cursus iam proximè est, quòd defectus exultet. Remisso itaque calore, quo retentus aer quiescit, rursum moueri, ac spiritus reddi incipit.

Cur Auster non incipiens, sed desinens imbrem afferat? Vtrum quòd aerem cogit è longinquo, quo coacto, aqua exprimitur: cogitur autem postea, quam coeptum est. An quoniam incipiente calidus adhuc aer est, quippe qui profectus à calido sit: processu autem temporis refrigeratus, in aquam meliùs consistere potest.

Quam ob causam cum minor Auster est, nubes nullas obducit: maior, nubilus, & diuturnior est? Vtrum, vt quidam aiunt, initii causa ita accidat. Nam si ex minori proficiscantur, liquidus, sudisusque est: si ex ampliori, nubilus, & crassus. An quia minor, cum incipit, est, itaque non multum aeris compellere potest, sed ad postremum amplificari consuevit. Vnde illud Prouerbiu m,

Cum

Cum cessat Boreas, cumque Auster surgere cœpit.

23 Cur tempore hyberno flatus parte veniunt exortiuæ, æstiuo occidua? An vbi Sol amplius non euincit, aer liberè profluit: cum igitur nobis occidit, nubes relinquit, quibus Fauonii prodeunt: cumque incolis inferioris hemisphærii oritur, spiritum illis parte exortiuæ producit: contra, cum parti inferiori occidit, Fauonios illis, Subsolanos nobis confectante aere facit. Vnde fit, vt si quem alium ventum occupauerit, augeat, eò scilicet, quòd non nihil adiunxerit.

24 Cur afflante Fauonio canes vestigia minus valeant comperire? An quia plurimum hic ventus confundit, quoniam ventorum omnium continetissimus est, maximèque terram attingit.

25 Quam ob causam cum stellæ profiliunt, venti indicium datur? An propterea, quòd à flatu feruntur, priùsque ibi, quam apud nos, flatus excurrit. Quo fit etiam, vt vnde stellæ feruntur, huc flatus accedat.

26 Cur nubes maximas Fauonius agit? An quia de alto spirat, regionèque maritima nubes per ampla spatia colligit ampliores.

27 Cur venti ad postremum vehementissimè spirant? An quia vbi vniuersi efflarunt, caloris parum relinquitur.

28 Cur si circa æquinoctium Africus spirauit, aqua fiat necesse sit? An quo loco orbis Sol fuerit, inde soleat spiritus excitari: itaque pro Solis discursu vicissitudo spirituum agat. Quod cum æquinoctium hyemis, atque æstatis confinium sit, dum Sol nobis conspectum æquinoctium agit, aut iustum transgressum limitem regioni se dedit hybernæ, accidit, vt venti partis illius vernaculi spirent, quorum primus Africus est naturà humidus: & cum Sol partem orbis terrarum hybernæ perlustrat, statusque regionis eiusdem mouet, euenit vt hyems suis fungatur muneribus: cuius generis imber est. Adhæc, cum æquinoctium, tanquam paribus examinatis viribus hyemis, atque æstatis, constet, si alterutris quicquam additum sit, obitus momentum exultabit conspicuum, vt in æquilibrio pondus lanci adiunctum alteri efficit. Quòd cum Africus hyberni ordinis sit, naturæque humidus, æquinoctio additus, hyemem, imbrèque merito affert: imber enim hyems est flatibus familiarissima.

29 Cur Auster, atque Euris, cum flatibus sibi obiectis calidiores sint, alter Aquilone, alter Fauonio, aquæ fertiliores sint? quanquam frigus est, qui humorem ex aere depromat: haud enim quòd Aquilo nubes hinc pellit, idcirco aqua non prouenit. Nam & Fauonius, & Euris nubes abigit, quippe qui ex altero pari modo proueniat: quin etiam ceteri omnes vnde spirant, inde depellunt. Vtrum quia frigus amplius introrsum circumobstitit, cum calor extrorsum amplius vrget. An etiam regio facit vnde spirant, vt sereni, illustrésque veniant. Euris nanque ex ortu, Fauonius ex occasu aduentat. Quinetiam ratio sit, quòd aer præcalidus, celerrimè, ac plenissimè refrigeratur, quomodo etiam aqua: igitur Euris aer de ortu calidus, Austri de meridie fertur: cumque frigidissimum lo-

cum adiere, compendio concresecunt, atque in aquam consistunt: magisque Euris aquam agit, quoniam aerem de Solis parte nec minus calidum ducit. Auster aquam mittit, cum cessat: quoniam aer, qui primus ex mari accedit, frigidus est: vltimus autem tepidus ex terra occurrit. An non id solum causa sit, sed etiam quòd ad postremum Auster crescit. Vnde illud prouerbiu m,

- Cumque Auster surgere cœpit.

19 Atqui frigidiores, qui vehementius spirant: igitur merito in nubes aerem postea cogit. An ea ipsa ratio sit, cur post, quam principio, fertiliores aquæ occurrat.

30 Cur venti siccant, cum frigidi sint? An quoniam qui frigidissimi sunt vaporem eliciunt.

31 Sed cur amplius siccent, quam Sol? An quia vaporem non solum euocant, verum etiam abducunt: Sol autem relinquit. Itaque vt magis humificat, sic minus assiccet.

32 Cur vnus ventorum Cæcias nubes ad se vocat? quod etiam prouerbiu m illud declarat:

Vt Cæcias nubes, sic ille trahit opes.

Cæteri nanque vnde spirant, inde tantummodo expellunt. Vtrum ventus aduersus eodem in tempore spirans, id facit. An si hoc esset, haud vnquam latere potuisset: etenim spiritus hic suapte natura, circulari linea fertur: ergo ceteri per terram vagantur, hic cælum versus suæ lineæ cauum erigens, non ad terram resupinans, suam originem repetit: itaque nubes facilè ad se ducit.

33 Cur Fauonius serenus, ac iucundissimus ventorum omnium est? & qualè Homerus flare per campos Elyfios carmine illo dixit:

Sed Zephyri assidue spirant, auræque salubres.

An primùm, quòd aeris temperiem planè obtinet: neque enim calidus est, vt qui de meridie, ortuque spirant: neque frigidus, vt qui de Septentrionibus eueniunt: sed medium frigidorum, & calidorum flatum tenet. Quòd cum vtriusque in vicino sit, particeps vtrarumque virium euadit: itaque temperatissimus est, & vere maximè spirat. Adhæc, flatus omnes transire vel in sibi aduersos, vel in dextros consueuerunt: itaque cum post Aquilonem Fauonius spiret, (dexter enim hic est) efficitur adeò, tanquam mitis ad imitem, & simul vbi desinit hyemps, serenum magna ex parte subsequi solitum est. Atqui flatus hybernus Aquilo est. Subsolanus, quanuis inter calidos, & frigidus situs, minus qualitatis eorum particeps est: hic enim, cum spirat, flatus vergentes ad Austrum motitat quidem, (isthuc enim transferre affolet) sed miseri tamen cum his minimè patitur. At verò Fauonius & mouetur ab Austro, & ipse, cum spirat, mouet Aquilonem: huc enim vsque progrediens, vicissitudo spirituum finem sui circuitus facit. Quòd cum vnus facit, alterius finem, alterius initium secum habeat, merito suauius & est, & esse videtur.

34 Cur Fauonius horis postmeridianis spirare non manet soleat? An quòd Sol magna ex parte vel oriens, vel occidens, author spirituum est: quoties enim aerem humidum tepesciendo percoquit, atque discernit, in spiritum sanè illum extenuat: quod si tantisper acciderit, vt aer spirantiusculus sit, magis, magisque à Sole vertetur in spiritum. Quoties

Quoties igitur Sol in exortu est, procul à Fauonio abest: hic enim ab occasu se promit: & cum iam occidere proximus est, aer omnino extenuatus, discretusque fluit. At dum confecto meridie pergat ad postmeridianum, tantisper ad aerem tepescendum, discernendumque modicè admodum habet. Subfolanus quoque ob eam rem manè spirare incipit: aerem enim, qui supra terram sublimis impendens nocte humefactus, solo sui ponderis ratione appropinquaret, Sol manè discernens proximum sibi excitat primum: qui autem ex Sole oriente spirat, Subfolanus hic appellatus est.

35 Cur Sole se attollente, spiritus & sternuntur, & augmentur? An quia spiritus vel aeris, vel redundantis humoris commotio est: quæ ut cum parua est, compendio à Sole consumitur, itaque nullus spiritus inde existit: ita cum magna est, Solis exortu amplior redditur: Sol enim author, & parens motuum est.

36 Cur Fauonius horis postmeridianis spirare soleat? An quod spiritus omnes Sole humorem diffundente proueniunt: humor enim, qui antehac concresecbat, tabescit, cum vis caloris in propinquo est. Itaque spiritum mouet: atqui Fauonius de occasu spirat. Rectè igitur postmeridianis exoritur: tunc enim Sol eius ad locum accedit.

37 Cur Aquilo, & Auster sæpissimè spirant? An quia contrarium à suo contrario, è directo scilicet oppugnatum minimè edurare potest, sed ex latere potius aduersam vim tolerat: Auster verò, & Aquilo ex cursu Solis lateribus spirant, cæteri aduersi potius occurrunt.

38 Vtrum spiritus fonte quodam emergat, quem admodum aqua, supra quem fontem efferri nequeat, an non? & vtrum vno ex puncto, an ex loco profluat ampliori? Sunt certè nonnulla in aere, quæ vel in aqua accidere pari ratione videmus: quippe cum aqua per prona ocyùs fluat, quàm cum in planis, & aque æqualibus stagnat: hoc enim & spiritus faciunt. Nam locis editis, atque excelsis aer assidue mouetur: cauis è contrario sæpe quiescit, & consilescit. Adhæc, super excelsissimos montes spiritus nulli excitantur, ut super Athon, ac reliquos generis eiusdem. Indicium, quod quæ reliquerint, qui anno superiori sacrificarunt, posteriori incorrupta comperire affirmant. Constat igitur, spiritus quoque prolationem veluti ex fonte quodam aditari, super quem nihil præterea efferre se potest. Vnde fit, ut locis excelsis, quod modò diximus, accidat: quod idem datum etiam aquæ putauerim. Nec enim aquam vehementem, nec spiritum rapidum locis excelsis fieri nouimus.

39 Cur Austro spirante cæruleum mare fiat, Aquilone obscurius, atriusque? An propterea, quod Aquilo minùs mare perturbat. Omne autem, quod tranquillius est, atrum esse videtur.

40 Quam ob causam Austri, cum leniter spirant, nequeant nubilare: cum intentè, nimirum queant? An quoniam cum leniter, frequentiam nubium agere nequeant. Itaque breue sit, quod obduci nubibus possit: at verò ubi excreuerunt, multas depellunt: itaque amplius obnubilare videntur.

41 Cur Aquilo ut magnus incipit, ita paruus desi-

stat: Auster contra, ut paruus incipit, ita magnus cessare solet? An quia nobis Aquilo in vicino est, Auster longè abest. Alter igitur, ubi primùm exortus est, nos occupat: alter suo disperso principio utpote diu pertracto, exiguus ad nos primùm deuenit: at finem alterius sentimus, alterius minimè. Itaque meritò alter imbecillus, cum cessat, est, (omnium nanque finis imbecillus est) alter validus. Finem enim istius, nihil præterea, sentimus.

Cur versarii, quæ mare sinuatur, reflare soleant: quæ porrecta, pansaque maria sunt, reflare non possunt? An quoniam flatus in sinum interrumpens nihil distrahitur, imò magna parte vniuersus perferitur: at in dispalatis, porrectisque abterranei, & protinus magis distrahantur, & inter profluendum hac eadem re patiuntur: quoniam nihil obstitit, quò minùs multas in partes prouant. Versarius enim, non nisi reflexus abterraneus est.

Cur dici solet, cum cessat Boreas, cumque Auster surgere cœpit? An quoniam Boreas, quod nos ei subditi sumus, parsque habitata terræ vergit ad Septentriones, intentus protinus accidit: quippe qui statim, cum ortus est, adest: Auster, quod ex longinquo ad nos deuenit, non primùm, sed post intentior est.

Cur spirantibus Austris homines grauiore, inualidioresque sese redduntur? An propterea quod humor corporis flatus eius calore tabescens, multus ex paucis redundat, atque humor grauis leui ex spiritu consistit: quas ob res vires hominis debilitari necesse est.

Cur spirantibus Aquilonibus cibi auidiores sumus, quàm Austris? An propterea quod Aquilones frigidiores sunt.

Cur Auster oris terræ Aegypti non afflat, nec interiùs iter diei, ac noctis: super Memphim verò vel iter diei, ac noctis ingenuus spirat: nec verò occasum versus iter duùm dierum, totidemque noctium adit: exortum autem versus Africæ incitantur? An quoniam terra Aegyptus caua secundum partes suas interiores est, superiores, femotioresque eminentior: hinc enim Auster, ut caua intacta supergredi, sic excipi ab eminentioribus potest.

Cur Auster paruus oritur, magnus desinit, Aquilo contra? Vnde prouerbiū illud secundæ nauigationi delegatum est, cum cessat Boreas, cumque Auster surgere cœpit. An quod ad Septentriones potius, quàm ad Meridiem positi sumus: Aquilo autem ex Septentrionibus spirat, Auster ex Meridie, meritò alter statim, cum ortus est, vehemens proxima sibi loca inuadit, post deinde suam vehementiam in loca transfert remotiora: alter è contrario homines Meridie incolas inter initia vrget, post ubi præterit, ingenuus ad nos venit.

Cur dici soleat, fit glacialis hyems, Boream si duxerit Auster? An quod Auster talis est, ut nubes largè, & aquam colligat. Cum igitur Boreas tali temporis conditioni superuenit, gelu indurat, hyememque efficit. Vnde celebre illud est,

Offendente lutum Borea, mox terra gelascit. Lutum enim, & omnino aquam ab Austro vel maximè, vel sæpissimè fieri palam est.

Cur

42 Cur post Austrum citò Aquilo spirat, post Aquilonem non citò Auster? An quoniam alteri ex propinquo, alteri ex longinquo veniendum est, quippe cum sedes nostra Aquilonem versus posita sit.

50 Cur flatus frigidi veniunt, cum caloris commotione orientur? An motionem à calore profectam calidum esse necessarium non sit, nisi modo quodam prodierit. Nam si vniuersa interrumpit, calida est: sin per angustum, paulatimque extinguitur, nec ipsa calida prouenit: & aer, qui inde commotus est, talem efficit motum, qualis ipse præfuerit: quomodo etiam eodem de corpore modò calidum, modò frigidum posse spirari inquit. Sed id verum nequaquam est. Semper enim quod exit, calidum est. Cuius indicium, quod tale propius admouenti percipitur: sed interest, quo prodierit modo. Nam si multò post hiante ore emisimus, calidum idcirco videtur, quoniam sentire id possumus: sed si per angustum extrudamus, calidius profectò extrictum aerem sibi proximum impellit, atque ille sibi continuus. Sed quod aer frigidus est, motio eius quoque frigida profluit. Nunquid igitur in flatuum quoque ratione hoc idem eueniat, sitque per angustum prima eorum motio, cum aere priore prolato, subinde alius affluat? Quapropter hyeme frigidi, æstate calidi orientur, eò scilicet, quod talis eorum temporum aer præest: nec enim à se ipsum aërem moueri, neque à calore conuictum eo motu proferri constat, non solùm quod calore ampliori contento spiritus calfaciunt, verùm quod fursum etiam efferuntur. Ignis enim natura huiuscemodi est: frigidum contra deorsum ferri aptissimum est. Spiritus autem meritò in latus se vertunt. Cum enim alterum fursum, alterum deorsum versus nitatur, & neutrum alterum superet, nec fieri possit ut maneat, obliquè perferri necesse est.

51 Cur Austri frigidi in Africa sint, ut apud nos Aquilones? Primùm, quia ut nobis Aquilonem origo, sic Africa Austrorum propior est. Nam si, ut dictum est, flatus per angustum extrudi soleant, ut dictum est, flatus per angustum extrudi soleant, propioribus certè frigidiores occurrunt, propter vehementiam sui motus, quam diffundi, hebetarique necesse est, cum se longius protrahit: qua de causa Aquilones frigidi apud nos sunt: colimus enim propius, imò iuxta ipsos Septentriones.

52 Cur Austri ficci, & aquæ omnino expertes, febres contrahant? An quoniam humorem calidum alienum in corporibus creant, quippe qui natura humidus, & calidus sint: quæ quidem qualitates febri ficæ sunt: febris enim earum consistit exuperantia. Quoties igitur per Solis ardorem omni viduati humore spirant, habitu planè huiuscemodi sunt: at eum vnà veniunt cum aqua, refrigerari nimirum aquæ ipsius beneficio possunt.

53 Cur flatus anniuersarii eodem tempore, atque modo afflare semper soleant: & cur desinente die desinunt, noctisque non spirant? An id quidem ipsum, quoniam nix liquefieri cessat à Sole, cum vesperscit, totamque noctem manet indomita: omnino autem spirandi tempus tunc est, cum Sol vincere, atque resoluere glaciem ad Aquilonem positam cœpit. Cum igitur incipit, præui appellari spirant: cum iam amplius resolutum est, anniuersarii.

Cur Fauonius ventorum omnium lenissimus, & frigidissimus est, duobusque temporibus maximè spirat, vere, ac autumo, cumque vesperscit, potissimumque terram attingit? An lenis, quia ex mari, campisque planissimis spirat, frigidus tamen minus, quàm Aquilo, est: quoniam aqua inflata non niue spirat. Cæteris tamen frigidior est, quia vel post hyemem Sole adeò nuper reuigente, vel autumno, cum Sol amplius non viget, spirare incipit: vicinus hic maximè terræ afflat, quod è directo, nullaque aduersante vi ex mari ad terram transit. Haud enim ut per terram materia obistente arceretur, sed liberè quoque versus vagatur, quoniam humorem perreptat, & æquabili quoque discursu hac eadem de causa profluit. Non enim ex montibus, neque niue per vim tabescente, sed tanquam per fauces expeditè profunditur: pars quippe ad Aquilonem, aut ad Austrum vergens, montosa est: occasum versus nullus mons, nulla terra est, sed mare Atlanticum spatiat: itaque efficitur, ut terræ proximus, atque sibi æqualis permanet. Spirat, cum vespera propè est, loci ipsius ratione: tunc enim Sol proximè ad locum accedit, vnde Fauonius oritur. Noctu quiescit, quoniam tunc Solis motio deest.

Cur Euro spirante omnia maiora videantur? An quoniam eo flatu aer obscurior, caliginosissimusque reddatur.

Cur tempore hyberno flatus de ortu spirare manè, æstiuo de occasu post meridiem consuevit? An propterea quod flatus, qui nobis æstiuo veniunt, hyberno his spirant, qui oppositum terræ hemisphærium tenent. Nobis autem hyberno manè, atque de ortu spiritus veniunt, quod præhumidus noctis aer discernitur, moueturque manè à Sole: atque is primus, qui proximè Solem est: quod etiam ante suum exortum Sol agere potest, ex quo auræ spirare non minùs ante Solis exortum solent. Ergo cum Sol humores ad se attrahat, moueatque ante suum ortum aera, qui per hyemem humidus apud nos est, constat vel ad se posse attrahere, cum inferius hemisphærium inspicit, idque post meridiem ibi efficere, quod tempus nobis antelucanum est. Quam ob rem accidit, ut aer, qui ante ortum hinc à Sole attrahitur, Fauonius inferis sit, aspiratque horis postmeridianis. Itaque flatus hyemis nostræ exortiuus nobis, postmeridianus illis est: & nostræ æstatis nobis postmeridianus, illis exortiuus accedit. Aestas enim apud illos est, cum apud nos hyems: nostrumque postmeridianum, illis antelucanum est, quo illis auras exortiuas, nobis Fauonios aspirare prædicta euenit ratione. Nihil de ortu per æstatem spirare solet, eò quod Sol ad aera fedis nostræ ficciorem exoritur: parum enim temporis abfuit. Fauonii post meridiem nulli per hyemem aspirant, quod exortiuus eodem tempore nulli inferiori hemisphærio flare ob eam, quam modò diximus causam, possunt: Sol enim humores inde ad se attrahens, nobis Fauonios præstat.

Cur Fauonius illustris, serenus, atque gratissimus ventorum omnium est? An quia medium calidorum, & frigidorum flatuum tenet, vicinisque illis oriens particeps qualitatum generis vtriusque euadit, temperatusque pròinde accedit. Subfolanus,

nus, quauis inter eosdem positus sit, minùs tamen communem se exhibet: hic enim mouet quidem, cum spirat flatus, qui Austrum versus spectat: eò nanque transire solitus est, sed misceri his nescit. At verò Fauonius & mouetur ab Austris, & spirans ipse agitat Aquilones. Isti enim vltimus spirandi circuitus ducitur: vnde cum idem in se alterorum finem, alterorum initium contineat, iure gratissimus & est, & esse videtur.

58 - Cur venti alii locis aliis imbrem afferant? Verbi causa, Hellepontias terræ Atticæ, insulisque vicinis: Aquilo Helleponto, atque Cyrenæ: Auster Lesbo. An vbi frequentia nubium, inibi imbrem obuenire necesse est. Ibi enim frequentia cogitur, vbi absidere nubes, accersique est. Itaque montibus magis, quàm planis pluit. Ergo apud Hellepontum Aquilo multas desuper nubes cõpellit. Quod idem ad Atticam, insulasque vicinas Hellepontias, quasi iam conditam nactus materiem efficit: quippe cum copia larga congesta ab Aquilone sit. Lesbo Eurus, atque Auster nubes affatim ex alto adducunt, atque in hunc modum vel de cæteris cogitare par est.

59 - Cur dici solet, Nauibus hyberno ventos dat terra secundos, Tunc mare fert sæuos: calidi sub mensibus anni: Terra dabit sæuos, ponti feret vnda secundos? An quoniam mare per hyemem calidius est: itaque si quid in eo constitit, initio constitisse validiori certum est: nam si inualidum esset, facile maris tempore absumeretur. At per æstatem mare frigidum est, spiritusque maritimi omnes frigent. Terra è contrario tunc calida est: quare si quid ex terra tunc fertur, primordio id constitit ampliori. Nam si exiguum, imbecillumque esset, facile solueretur, & euanesceret.

60 - Cur apud Arcadiam, qui locus excelsus est, flatur nihilò frigidiores, quàm cæteris locis sentiantur: & cum flatus silet, cælumque nubilum est, frigor perinde, atque in planis palustribus oritur? An quòd Arcadia non dissimilis palustribus est: aquarum enim confluentium nullos in mare exitus habet. Quapropter fauces, hiatisque præcipites ea in terra numero ampliori sunt. Cum igitur ventus spirat, vaporem ortum ex terra frigidum auertit, & reiicit. Flatus autem ipsi frigidi propterea esse nequeunt, quia ex mari deueniunt. Spiritu tamen silente, vapor de aqua stagnante, liberè ascendit, atque refrigerat.

61 - Cur si ventus manè incæperit, edurare amplius possit? An quoniam Sole oriente impetus sit vehementissimus, idcirco protrahi longius potest. Indicium, quòd constitutio facta præualida est.

62 - Cur Aquilo interdiu spirat ingenuus, noctu desistit? An quod imbre gignitur congelato, cum Solis calore respirandum est: ergo sternitur noctu, quia Sol abest, qui gignendi causa est.

63 - Cur flatus futuri indicium datur, cum per aerem multæ feruntur araneæ? Vtrum quòd aranea suo fungitur opere, cum cælum serenum est: feruntur autem fila, quoniam refrigeratus aer in terram corruit: refrigeratio verò hyemis primordium est, itaque indicium fit illa araneorum perlatio. An quòd post imbres, atque hyemes araneæ vniuersim ferun-

tur: opus enim suum araneus tunc exequitur, cum cælum serenum est, & occulit se impatiens frigoris, cum hyems vrget, tractusque à flatu nimium, eruit filum: post imbrem autem, flatus magna parte oriri solitum est.

Cur locis frigidis Aquilo per hyemem vehemens spirat, & vt proximè nubilus, sic transuorsum liquidus fertur, atque illustris? An ratione quia frigidus, eadem etiam vehemens sit. Quod tamen è propinquo frigidior est, occupat, priusque nubes gelu indurat, quàm repellar: quæ indurata pondere suo obsistunt, & manent. Transuorsum autem vehementia sua potius, quàm frigore agit.

Eorum, quæ ad metum, & fortitudinem pertinent, Sectio vigesima septima cuius questiones. XI.

Vt tremunt, qui metuant? An propter refrigerationem: deficit enim calor, atque contrahitur, ex qua alius quoque plerisque ob timorè effundi solitus est.

Cur metuentes nonnulli sitiunt, vt qui sunt tormenta adituri? Cum enim per timorem refrigerentur, sitire minimè debeant. An non eodem loco refrigerentur, & caleant, sed refrigerentur per summa corporis, vnde calor discedit: caleant per intima, calor scilicet introrsum contracti efficientia: cuius rei indicium, alui quoque solutio facit. Sitis autem parte quadam interiore siccata, solet accidere: nec aliter agi videtur, quàm in iis, quos epiala exercet, qui simul & frigent, & sitiunt. Nec enim illis pars eadem corporis inalgescit, & concalescit.

Cur homines cum excandescunt, calore scilicet introrsum collecto, feruidi, furibundique redduntur: cum metuant, contra efficiuntur? An non eundem in locum calor se colligat, sed homini irascenti cor calore circumfusum efferuet, ex quo fidibundus, rubicundus, spirabundus efficitur, cum calor sursum versus se efferat, metuenti sanguis, & calor in imum perfugiunt: vnde fit etiam vt aluus fundatur. Nam & cordis compulsio non similis agitur, sed metuenti, vt pote ex caloris inopia frequens ac feriens est: irascenti è contrario, vt pote cum calor collectus sit copiosior. Quam ob rem efferuescere animo, excitari, perturbari, cæteraque id genus verba non ineptè, sed accommodatè dicuntur. Nunquid igitur sitis ea de causa obueniat: nam & siccum expuere, & linguam hæere, & reliqua huius spiritus elatio facit, & sanguis. Sitis quoque excalescente corpore nasci certum est: sed quemadmodum pars eadem corporis, qua sitis lacessit, resicari vtrique metuenti, & irascenti possit. Metum enim sitim posse afferre constat militum argumento, qui superati fugam rapuerint: nunquam enim tam grauiter sitibundos sese fuisse fatentur. Et verò qui in dicendo conturbantur, sitire vehementer consueuerunt: itaque eluunt, & non nihil subforbent, vt Parmenon histrio facit. An hosce conturbatos non sitis, sed siccitas pulso sanguine teneat: vnde etiam accidit vt palleant. Indicium verò, quòd non multum ebibunt, sed interdum desorbuisse tantum satis est. At qui se in fugam vertunt, laborant: itaque sitiunt. Et quibus tormenta instant, eadem ipsa efficiendi ratio est. Nec mirum quic-

20

30

40

50

60

64

3

40

50

60

quicquam id est: fit enim in re bellica, vt nonnulli etiã viri fortes, ac strenui, vbi structa acie hostes sunt petitori, obtremiscant, non perterriti, sed fidentes, qui etiam sua corpora verberare lata ferula, aut suis manibus assolent, vt vndiq; vorsum pari calore inferueat: quidam enim inæqualis, ac tumultuarii motus in eorum corporibus per acumen, & nimium impetum calor oriri fermè animaduertitur.

4 - Cur homines fortes magna ex parte vinosi sunt? An quia fortes calidi sunt: calor autè in pectore cõditus est. Ibidem enim metum quoque refrigeratione quadam effici nouimus, vt cor fortibus calor copia fultum persistat, timidus refrigeratum insiliat. Ergo qui sanguinolentum habent pulmonem, calidum hunc, modo vinolentorum, gerunt, ita vt rei aduersæ suspitione refrigerari non queant. At qui ita se habent, bibendi auidi esse consueuerunt: nam & bibendi cupiditas membri eius calore oritur, vt aliàs dictum est: & cupiditas ipsa, non nisi rei vim sedandi habentis desideratio est. Vinum autem, etsi natura calidum est, sitim tamen ampliùs, quàm aqua, extinguere potest, maximèque id genus hominum: quam ob causam dictum aliàs est, ex quo & qui spirandi difficultate laborant, aut infania vexantur, vinum admodum cupiunt: quãquam alteris ex restrictione, alteris ex perturbatione pulmo efferueat. Cum igitur magna ex parte homines eosdem sitibundos, ac fortes esse obueniat, vini autem auidi, qui sitibundi, talesque gestiunt, naturas vicissim inter se confectari necesse est, vnde fit etiam, vt vinolenti, quàm sobrii, fortiores sint.

Cur fortitudinem maximè honore prosequuntur Republicæ, quæ tamen virtutum præcipua non est? An quia semper vel ipsa bellum aliis inferunt, vel ab aliis sibi illatum patiuntur: hæc autem virtus perutilis vtranque in partè est. Honorant verò non quæ optima sunt, sed quæ optima sibi existiment.

6 - Cur voce, & manibus, & labro inferiori tremant, qui metuant? An quoniam hic affectus caloris defectio ex locis superioribus est, ex quo vt palleant accidit. Quòd igitur calor pectus deserit, vox obtremit: id enim refrigeratur, quod vocem mouet. Et manus quoque pari ratione sunt, sed quæ optima, vt pote quæ ex pectore pendeant. Inferius tamen, non superius labrum quatitur, quia superius eo pèdet, quo suapte natura vergit. Inferius sursum caloris beneficio stabilitur, atque quiescit: quo sublato, inalgescit, & tremit. Et verò in excandescendo imum labrum eadem de causa laxatur, & pendet. quod latè in pueris patet. Calor etenim in cordis sedem conferre se consuevit.

7 - Cur homines metuentes tremunt, maximèque vocem, & manus, & imum labrum? An vocem quia calor hinc deficit, quo in loco vox posita est: labrum verò, & manus, quoniam partes istæ nobiliores sunt, minimèque sanguinolentæ: bilem quoque iidem deiiciunt, & testiculos contrahunt. Deiiciunt, quia calor descendens diffundit, & liquefacit. Contrahunt, quia metus inue-

ctus extrinsecus est, vt fugam in aduersum agi oporteat.

Cur homines metuentes, & algent, & sitiunt, quæ quidem affectiones aduersæ inter se sunt? An algent refrigerati, sitiunt calfacti. Calor enim in metuendo superiora deserit loca, quòd facie, aluòque constat: facies enim pallet, aluus interdum funditur. Ergo quòd calor locis superioribus deficit, algor oritur: quòd humor deficit, sitis exultat.

Quam ob causam cum & metus, & dolor quadam sit ægritudo, qui dolent, clamant, qui metuunt, silent? An qui dolent, suum retinent spiritum: itaque is vniuersus erumpens, cum clamore emittitur: metuentibus corpus refrigeratur, calorque ima petit, qui spiritum mouet. Quò igitur hic se contulerit, ibidem spiritum potissimum excitabit: quapropter venter eorum, qui metuunt, obcrepare solitus est. Vox autem spiritus sursum versus elatus est, partibus quibusdã veluti instrumentis cõficiendus, absolueudusque. Causa verò, cur homines dolentes suum retineant spiritum, est, quòd omnes inditis à Natura nobis præsiis, aliquo detrimèto affecti, sine vlla cogitatione vti solemus, vt etiam cætera omnes animantes: aliæ nanque cornibus, aliæ dentibus, aliæ vnguibus repugnant, seseque defendunt: atqui ad dolores vel omnes certè, vel plurimos calor adiuuat, què profectò is auget, qui suum cohibet spiritum. Calfacit enim doloris incitabula, contracto introrsus calore per spiritum, atque excoquit.

Cur metuentibus alui fundantur, libidòque vrinæ lacestat? An quia calor insitus nobis, quasi animans est: hic ergo rem quamcumque timuerit, defugit: quod cum extrinsecus, tum conturbandi, tum cæterorum metuendi generum ratio inuehatur, atque in ima de superis defluat, & è summis ad intima sese penetrat, efficitur vt alui, vesicæque fundantur, facilesque reddantur. Nam & anethum, & absinthium, & quæcumque vrinæ alii, anisum. nam moueant, eadem calida esse, manifestum est.

Quinetiam medicamenta aluo accommodata calorifica esse nouimus, & partim eorum soluedi vim tantum obtinet, partim vel aliter tabefacere queunt, vt allium vrinæ tabificum est. Hoc igitur idem, quod ea ipsa, calor quoque efficere potest, qui de summis in hæc loca sese cogit, & contrahit.

Cur homines metuentes suos testiculos contrahunt? contrarium enim, vt remittantur, & flacciant, congruum dixeris, cum calor metuentium in eum locum se colligat. An metuentes omnes ferè similes frigentibus sint. Cum igitur calor summa corporis deseruit, retrahendū sanè est: quam ob rem ventris quoque murmur citatur, cum timor vehemens detinet. Cuius quoque algentium summam videmus contrahi, vt pote cum calor inde destituerit omnis, ex quo subsequi horror consuevit. Scrotum ergo sursum conuellitur, atque eo contracto, vnà testiculi contrahuntur: quod melius in coitu Venereo patet. Metus enim excernit, multisque conturbatis aut perterritis, genituræ mouetur profluuium:

*Et nihil
prope
Hinc
adulans.*

Eorum, quæ ad temperantiam, & intemperantiam, & continentiam, & incontinentiam pertinent, Sectio XXVIII. cuius quæstiones VIII.



Utr aliqui ægrotent, ubi vitam luxuriosam vivere assueti, agere luxuriose cessarunt? ut Dionysius tyrannus, quod in urbis suæ obsessioe aliquantum temporis à potu solito destitit, tabe protinus interea laboravit. An consuetudo res magna cuique sit. Iam enim in naturæ habitum ferme absoluitur. Ergo ut pisces inter aerem, aut homo in aqua degens male habeant necesse est: ita qui morem mutarint solitum, ægrè, atque molestè ex consuetis discunt: & eodem rediisse, sibi saluberrimum habent, perinde quasi ad suam naturam statim redierint. Tabescunt item alimentis carentes, quò antehac copioso, suavisimòque uti solebant. Quod enim cibo solito non vescuntur, perinde afficiuntur, ac si nullum penitus capiant. Quin etiam materia excreta, atque inutilis, mixta cum alimonia copia, hebetescit, exolescitque; immixta autem ipsa innat, ferturque in oculos, aut in pulmonem. Quapropter cibo deinde ingesto solito remperatur, diluraturque, & innoxia redditur. Redundat præterea vacans ista materia homini immoderatè, luxuriosèque viventi, ubi luxuriari aliquantisper desit, eò quod multam in se materiam continet indigestam, vitæ scilicet superioris congeriè, qua tabescere, calore genuino, ac intimo efficitur, ut fluentia vberius, veluti copia niuis, liquefacta moveantur.

Cur duorum tantummodo sensuum ratione homines incontinentes vocamus, id est, tactus, & gustus? An propter voluptates, quæ pariter nobis, ac cæteris animantibus omnibus per hoc sensus administrantur. Quod igitur communes eas cum bestiis habemus, spernimus, & solas omnium, aut maximè vitio, probròque damus. Itaque hominem eis additum vituperamus, etià incontinentem, atque intemperatè appellamus, quoniam à teterrimo voluptatù genere ducatur.

Cur homines incontinentes, ratione tantum cupiditatis dicimus, cum etiam in irascendo incontinentia sit? An quia incontinens est, qui contra rationem aliquid agit, & incontinentia est assuetudo rationi contraria. Sunt autem cupiditates ferè omnes contra rationem, iræ vero cum ratione, non tamen ita cum ratione, ut ratio iubeat, sed inuectam contumeliam, causamve significet.

Cur continentiam, & temperantiam in iuuenibus, atque ditibus maximè recensemus: iustitiam vero in pauperibus? An quia si quis re abstinet, cuius maximè indiget, laudabilior est, quam si è contrario. Pauper igitur facultatibus indiget: iuuenis, & diues, fruitione.

Cur minus sitim, quam famem, tolerare possumus? Vtrum quia sitis res magis anxiosa est: cuius indicium, quod suavis sitientes bibimus, quam esuriètes comedimus: tristius autè, quod suaviori aduersum est. An quia calor, quo vivimus, humidum magis, quam siccum, desiderat.

An quia sitis, rerum duarum libido est, potio- nis, inquam, & cibi: fames, vnius cibi tantummodo est.

Cur minus sitim, quam famem patiamur? An quia siti amplius contristamur, quam fame: cuius indicium voluptas sanè facit, quam inter bibendum capimus vehementiorem. Tum etiam qui sitit, res duas desiderat, cibum, atque refrigerationem: isthæc enim ambo potio exhibet. An qui esurit, alterius tantum appetens est.

Cur incontinentes eos appellare solemus, qui voluptati contrectandi, aut gustandi exuberant? Nam qui immodicè re utuntur Venereâ, & qui luxu delectantur ciborum, incontinentes vocamus. Ciborum tamen non eadem ratio est, sed partim linguam, partim gulam suam mouent suauitate: Vnde Philoxenus gulis collum à diis immortalibus sibi dari optabat. At verò qui in videndo, audiendove modum excedunt, non eodè vocabulo significamus. An quoniam voluptates sensibus hiscè accommodatas, communes cum cæteris animantibus habemus: ergo ut communes spernimus, notamus, solasque omnium, aut maximè probro damus: itaque hominem his deditum reprehendimus, & incontinentem, intemperatèque appellamus, quod vitus à teterrimo voluptatum genere ducitur. Sed cum sentiendi genera quinque sint, cætera animalia duobus tantum, quæ modò dixi, voluptatem sibi acquirunt, cæteris vel nihil omnino delectantur, vel per accidens ita afficiuntur. Quod enim videt, aut olfacit, tantisper gaudet, quoad gustus, tactusque officio fruiscatur. Cum genus id ipsum concupiscendi expleuit, illorum quoque suauitas desit. Ut etià nobis falsamenti odor, cum indigemus, suavis est: ubi satiati, repletique sumus, amplius suavis non est. Ros autem odor semper suavis est.

Cur minus risum tetinere possumus, cum amicos nostros, familiarisque videmus? An volubilius, quod elatius, atque suspensius sit. At qui benevolentia ferè huiusmodi est: ergo meritò tunc ad subridendum mouemur.

Eorum, quæ ad iustitiam pertinent, Sectio XXIX. cuius quæstiones XVI.



Quam ob causam cum maior iniuria sit offensa, quæ maius in bonum accepta est, honorque maius sit bonum, maior iniuria pecuniæ æstimetur, quam honoris: & homines iniusti potius in re pecuniaria esse videantur? An quia multitudini, pecuniæ honori antepontuntur, omnibusque communes maximè habentur: honor autè paucis, raròque vsu contingit.

Cur depositum denegare iniquius sit, quam mutuum? An quod amico iniuriam facere turpe est. Depositum igitur qui negat, amico iniuriam facit: nullus enim quicquam deponit, nisi erèdens, confidensque. At is, cui debetur, amicus non est: non enim mutuatur, sed dat, qui amicus est. An quia maior iniuria committitur. Præter damnum enim, fides negligitur: cuius gratia quan-

quantis nil aliud cogat, abstinendum ab iniuria est. Adhæc, non par pari reddere, vitio datur: hic igitur rem suam credidit tanquam amico, ille denegat tanquam inimico. At qui mutuauit, non dedit ut amico. Item qui deposuit, custodiendi, reddendique gratia dedit: qui mutuauit, fructus etiam sui gratia dedit: minus autem ægrè ferimus iacturam, si quæstum, emolumentumque nobis petimus, ut piscatores factam iacturam retium, æquo animo ferunt: periculum enim exploratum sibi habebant. Addo etiam, quod qui suum deponunt, hominum vitantes perfidiam, fortunamque laborantes aduersa, plerumque id faciunt: qui verò mutant, pecuniis abundant, fortunatèque degunt. Iniquius autem est, iniuriam homini infortunato, quam fortunato, intulisse.

Quam ob rem in foris nonnullis, familiæ potius, quam testamenti ratione sententiam fieri solitum sit? An propterea quod de familia ementiri non licet, sed vera fateri necesse est. Testamenta autem multa iam falsa esse redargui potuerunt.

Cur paupertas apud homines bonos potius esse, quam apud prauos, soleat? An quia omnibus odio habetur, atque expellitur, ad probos perfugit, rata maximè apud eos salutem, permanendique locum se posse assequi: è contrario, si ad prauos venerit, nunquam eos fortuna ista fore contentos, sed vel furta, vel latrocinia adituros: quibus rebus futurum, ut ipsa amplius apud illos manere nequeat. An quia homines probos optimè se vsuros existimat, nec sibi petulanter, contumeliosèque; quippiam facturos. Itaque ut nos pecuniarum deposita tantè hominibus bonis credimus, sic etiam hæc sibi dispensat, & statuit. An libenter se ad viros optimos confert, quia femina est, inopsque: proinde & virium, & consilii, ut eiusmodi hominibus commendatam se esse magnoperè velit, atque desideret. An quia mala est, nunquam se malis iungere velit. Nam si ita maluerit, omnino malum irremediabile ipsa reddetur.

Cur non quemadmodum amplificatur iniuriæ in pecuniis, ita cæteris etiam in rebus valeant augeri? Verbi causa, qui leue aliquid dixerit, non propterea rem quoque reticendam aperiet: neque qui vnum prodiderit, vel totam Republicam proderet propterea velit: sicut qui obolum abstulerit, etiam talentum auferet. An quia sunt, quæ paucis quidem per impotentiam, sed voluntate amplius iniquè committantur.

Cur depositum etiam paruum denegare turpius est, quam debitum magnum? An qui depositum negat, hominè fraudat, à quo bonus ipse existimatus est. An quoniam qui hoc facit, illud etiam facere velit.

Cur homo, qui adeò eruditione præditus est animantium omnium iniustissimus sit? An quia ingenio, cogitationeque plurimum valet. Voluptates igitur, & felicitatem rimatur maximè, atque perpensat, quæ nisi cum iniuria nemo assequi potest.

Cur diuitiæ magna ex parte ab hominibus prauis potius, quam bonis, habeantur? An quia

Fortuna cæca est, discernere sibi, atque seligere quod melius non potest.

Cur iustus habitus est hominibus vita fundis opem ferre, quam viuus? An quia viuus præsidio esse possunt, illi defuncti nihil præterea possunt.

Quam ob causam qui moram cum homine sano traxerit, nihilò reddi integriore corpore possit: neque qui cum robustiori, aut pulchriori versatur, quicquam in eiusmodi habitus proficiat: iusto autem, & temperato, & bono, qui se iunxerit, melior in his ipsis bonis animi euadet? An quoniam bona corporis animo imitari non possumus, bona animi possumus: est autem quisque bonus virtute animi, sanus virtute corporis. Assuescit igitur, exemplo melioris, rectè modò lætari, modò contristari: quod is assuescere nequit, qui cum sano est: haud enim quisquam sanus in eo est, ut lætetur, quibus rebus lætandum: tristetur, quibus tristandum sit: nihil enim ex his sanitatem creare potest.

Cur mulierè interfecisse iniquius sit, quam virum? quam Naturæ ratione, mas femina præstantior est. An quia mulier imbecillior est, minusque: proinde facere iniuriam potest. Item eniti aduersus id, quod longè infirmius est, nihil virile, imò stolidum, atque iniquissimum est.

Quam ob causam reo dexter apud iudicem locus datur? An ut ratio compensandi habeatur. Cum igitur res faciat accusatorem superiorem reo, status conceditur melior, ut se aduersario possit æquare. Tum etiam reus magna ex parte cauere consuevit, quod melius facere ita possit, si locum dextrum obtineat.

Cur si suffragia pari numero accusatori, & reo fuerint, reum vincere sancitum est? An quia cum agitur causa, tunc primùm ea audit reus, atque respondere, testesque adhibere debet, aut aliquid facere aliud, unde sibi præsidium erueret possit: facile autem nemini est diuinare, quæ sibi præmolienda, præparandaque sint, ut testes, aut aliquam fidem aliam, qua se innocentem ostendere valeat. At verò accusator, & antè, quam in iudicium vocet, rem disponere, atque statueret potest, prout sibi libitum est, & cum iam accesserit, factis veri quibusdam similibus agere: quibus rebus, cum legum author minui partes rei videret, fauendum censuit ei, quoties sententiæ iudicum pares inter se fiant. Quinetià hoc in iis maximè intelligere licet, quos metus terruerit. Multa enim ibi prætermittunt, quæ vel dictu, vel factu sibi necessaria statuerunt. Atqui reus periculo semper ferè vitur grauiori, ut amplius metuat: ergo si ea prætermittere cogitur, quibus possit suam augere defensionem, dubium nullum est, quin nisi prætermitteret, vincere aduersarium posset: quando illis prætermittis, potuit tamen sui iuris præsidio æquiparare. Adhæc, nostrum vnusquisque nocentem potius velit liberare, quam innocentem condemnare: ut si de assertionem libertatis, aut homicidii agitur, reum liberare potius velimus nocentem, quam condemnare innocentem. Cum enim quis ambigit, errorem suscipere debet leuiore.

Nam et si iniquum etiam est liberum afferuisse, qui seruus est: longè tamen iniquius, seruum sanxisse, qui liber est. Item, quemadmodum si Q. inuehit crimen, C. litigat, non protinus rem criminanti restituendam censemus, sed possidenti tenendam vsquequo iudicatum sit: ita etiam de pluribus par esse putamus, cum scilicet iudicium asserentium iniuriam, & negantium, parem numerum esse constat. Vt enim in principio cum alter criminatur, alter inficias it, legum author non criminanti fauere, sed reum iubere dominum rei esse tantisper debere, dum accusator suiperet, oportere existimamus: itidem cum suffragiorum iudicatur examina, reum suorum compotem esse censemus, cum sententiis paribus nihil exuperantiæ legum author accusatori reliquerit. Magnis item delictis, magna supplicia statuta sunt. Itaque si iudices iniusta sententia hominem capite damnarint, post ut suum errorem emendare queant, nullam temporis facultatem nascuntur: sed si minus integrè liberarint, si hoc ita cautè, tutèq; fecerint, ut nihil præterea delinquere ille vellet, quid quæso, errauerint iudices, quod hominem vsque eò emendatum liberarint? Sed si posthac etiam delictum idem commiserit, morte tum vtriusque delicti causa mulctandum lex præcepit. Item, hominis est profectò iniquioris ea committere, quæ criminari assignari iniquè minus consentaneum est. Iniuria enim vel per iram, per metum, per libidinem, per multas alias huiusmodi causas aduehi potest, non tantummodo ex còsulto: crimen autem ex còsulto magna ex parte iniuste obicitur: quam ob rem cum sententiæ accusatorem iniuste agere, pariter & reum deliquisse affirmant, improbusq; habitus sit, qui iniuste accusat, victoriam lex iure optimo impertit. Item, nos etiam ipsi nostris cum familiaribus ita agimus, ut cum eos deliquisse aliquid suspicamur, & tamen nihil certi habemus, sed pariter culpa vacare existimamus, non protinus ad plectendum veniamus: atque si nihilò rem amplius percèdere possimus, culpa eos omnino absoluiamus. Item, grauiorem his facit iniuriam, qui ex còsulto, quam qui non ex còsulto iniuriatur. Atqui planus, atque calumnius semper ex còsulto lacepsit: qui autem iniuste aliquid fecit, aut per necessitatem, aut per imprudentiam, aut prout aliter fors tulerit, delinquit: cumque pares sententiæ sint, accusator iam ex còsulto iniuriam facere dimidio iudicatur sententiarum; reum autem facere quidem iniuriã reliquo sententiarum dimidio asseritur, sed facere tamen ex còsulto non constat: ergo cum grauiorem accusator, quam reus, facere iniuriã iudicatur, meritò legum author eum vincere censuit, qui iniuriam fecit leuiorem. Adde etiam, quod semper iniustior est, qui se latere non putat, & tamen facit iniuriam, quam qui se latere posse existimat. At qui iniuste crimen cuiquam obicit, eum quidem ipsum, quem suis vexat calumpniis, haud vnquam latere se posse arbitratur. Cateri, qui iniuriam faciunt, latere sese plerique omnes eum existimant, in quem iniuriam

animaduertunt: ergo iudicari iniustiores accusatores debent, quam rei.

Quam ob causam qui ex balneis furatus est, aut ex palæstra, aut ex foro, aut ex aliquo eiusmodi loco, morte mulctatur: qui autem ex domo priuata, furti pretium duplum exoluit? An quia in domibus rem custodire melius possumus: nam & paries firmus & clauis est, & familiaribus res domesticæ curæ omnibus sunt, ut tutò seruentur. At in balneis, cæterisque publicis locis facilis cuique faciæoris perpetratio est: nil enim ad custodiam satis, qui sua posuerit, habet, præter oculos. Itaque facultas datur furandi, etiam si aspectum paulisper diuerterit. Quam ob rem legum author, ratus sua ipsos custodire satis non posse, legem adhibuit minitantem acerrimè, vitam futuram nemini, qui furtum publicis locis commiserit. Item in domo penes dominum ipsum est, quem velit recipere, & cui minus eredit, cauere. At ei, qui in balneis quicquã posuit, prohibere neminem licet, nec ingredi, nec ingressum vestem suam ibi deponere, vnde surrepturus sit, sed prout libitum est, eodem in loco surrepturi, & amissuri amacula promiscuè iacent. Quapropter legum author hominis rebus: qui sua sponte furem suam in domum exceperit, sibi que errauerit, non magnis admodum supplicii censuit consulendū: iis verò, qui communem balnearum aditum, conuersationemq; habeant necesse est, supplicium furti grauissimum præsidio statuit. Item, qui locis, quorum aditus omnibus patet, furtum committunt, omnibus patent eo animo esse, ut & vitæ seruati, ne sui quidem commodi gratia probi esse vnquam videri velint, utpote qui frustra se probos apud eos ementiantur, qui rem norunt. Iam ergo palam suam nequitiam, prauitatemq; exercere incipient. At qui vni tantum palam fuerint, dissuadere vel pecunia, vel re aliqua conantur, ne facinus patefaciat: quocirca non tota vita hi prauiperseuerent. Itaque legum conditor damna his leuiora præscripsit. Item ea potissimum delicta dedecus Reipublicæ afferunt, quæ in conuentibus collegiisque publicis committuntur, ut è contrario honorem comparant summum ea maximè, quæ integrè publicè aguntur. Ita enim fit, ut ciues & sibi, & cæteris conspicui sint virtutem præ se ferre, & colere. Atqui eiusmodi furtis, non solum priuatis, qui suum amisit, detrimento afficitur, verum etiam tota Respublica conuiciis lacepsitur, & maledictis. Igitur damnis meritò grauioribus is punitur, qui locis publicis, quam qui priuatis in ædibus, furtum egit. Item qui ex domo priuata rem suam amiserit, sine vlla contumeliosa affectione domi manens, suum perferat casum. Atqui in balneis, aut alio id genus loco amiserit, ægrè inde nudi discedit, & plerique omnes iridentur. quod longè molestius, quam rei iactura, est. Qua de causa legumlator damna his statuit grauiora. Quinetiã alia complura simili ratione leges præcipiunt: ut qui homini magistratu prædito maledixerit, grauius mulctari: qui priuato, nullo affici detrimento, & re: quidem: sic enim non tantum in

magistratū deliquisse, qui maledixit, iudicatur, sed in Rempublicam etiã contumeliosè egisse. Pari sanè ratione, & qui in portu furatus est, non solum priuatum offendisse, verum etiam Reipublicam dedecus aduexisse putatur. Hæc eadem vel in cæteris reddenda ratio est, vbi aliquis sit publicus conuentus, & compitum.

15 Cur si iudicium sententiæ pares aduersariis fiant, reum vincere solitum est? An quod reus nullo ab aduersario detrimento affectus sit, sed sub suffragiis paribus victor euaserit.

16 Cur super furto damnum capitale statutum est: super contumelia, quæ grauior iactura est, æstimatur quod pati suo corpore, aut quantum soluere debeat, qui deliquerit? An propterea, quod agere contumeliosè, humana quædam affectio est, omnèsq; homines plus, minusve eius participes sumus: at furari nulla necessitate humana cogimur. Adde quod qui furtum commiserit, idem agere quoq; maluerit contumeliosè.

Eorum, quæ ad prudentiam, & mentem, & sapientiam pertinent, Sectio XXX. cuius quæstiones X III.

Vt homines, qui ingenio claruerunt, vel in studiis philosophiæ, vel in Reipublica administranda, vel in carmine pangendo, vel in artibus exercendis, melancholicos omnes fuisse videamus? & alios ita, ut etiam vitis atræ bilis infestarentur, ceu inter heroas de Hercule fertur: hic enim ea ipsa fuisse natura putatur, & morbum comitialè sacrum ab illo, & Herculeū prisca nominauerunt. Puerorum quoque motio mentis idem hoc explicat, & eruptio vlcera, quæ mortem interdum antecedit. Id enim plerisque atra bile consistit. Et Lysandro Lacedæmonio proximè ante obitum genus id vlcera emerit. Adde Aiacem, & Bellerophontem, quorum alter penitus ad insaniam prorupit, alter loca persequebatur deserta. Vnde illud Homeri, In campos solus latos, inque auia rura, Ipse suum cor edens, hominum vestigia vitas. Quinetiam plerisque alios ex heroum ordine morbo eodem laborasse compertum est. Annis verò posterioribus Empedoclem, Socrate, Platonem, & alios cõplures viros insignes hoc fuisse habitu nouimus, atque etiam partem ordinis poetarum ampliore. Nam & multos id genus hominum morbi ob eiusmodi habitum corporis exercent, & aliqui suapte natura in eos ipsos affectus perspicuè vergunt: omnes tamen ferè, ut dictum iam est, natura huiusmodi extiterè. Ergo causam primùm ex eplo haud sanè incommodo vini capiemus. Vinum enim immodicum tales maximè homines reddere videtur, quales melancholicos esse affirmamus, morèsq; varios id condit, cum bibitur, ut iracundos, humanos, misericordes, audaces, quorum nihil melius, aut aqua, aut lac, aut eiusmodi aliquid efficere potest. Intelligi planè, quam varios reddat homines licet, si quis potantes ipsum animaduertat, ut gradatim euariat. Vbi enim vinum hominem frigentem, taciturnumq; à sobrietate accipit, paulò liberaliori poculo refouet, excitatque ad verba, tum largiori potu verborum vberem, eloquentem, fidemq; reddit: posthac processu potandi ampliori, audacem, propensumq; facit ad agendum: deinde plenius amplificatò, in contumeliam, & petulantiam vertit: mox ad insaniam propemodum accendit: postremò, nimio ex potu resouit, stultumq; agit, in modum eorum, qui à pueris morbo laborant comitiali, aut etiam eorum, qui vitis atræ bilis maiorem in modum continentur. Igitur ut homo idem inter bibendum moribus immutatur variis, vniq; mensura quadam idem crebro à se discerpit, ita sunt, qui singulis ad eò generibus adeò inualuerint, ut aliorum nequeant commutari. Qualis enim vinolentus hic est, talis quisquam alius factus à Natura est, scilicet alius loquax, alius mente commotus, alius lacrymabundus: nam tales vinum quoque informat. Ex quo illud Homeri, Me visum Baccho lacrymas effundere dicunt. Quippe misericordes interdum redduntur, & aliàs efferi, aliàs taciturni. Sunt enim qui rursus taceant, & maximè qui ex melancholicis mente fermè summoti, cogitabundi esse soliti sunt. Quinetiam ad amandum propensiores vinum facere idoneum est: indicium, quod sæpe qui potat, vel osculari eos adducitur, quibus nemo sobrius dare osculum velit, vel quia deformes sunt, vel quia ætate prouecti: vinum tamen non longo hæc auget tempore, sed breui. Natura sanè, dum vita eduret, assiduis incrementis amplificat. Alii nanque audaces, & temerarij, alii taciturni, alii misericordes, alii timidi per naturam & instituuntur, & augentur: quas ob res eandem esse causam constat, qua vel vinum, vel Natura mores cuique infeminare possit, & augere. Confici nanq; in dies vi calor omnia solent. Habitui igitur, naturæq; atræ bilis flatus cieri datur est. Quocirca vitia corporis, quæ flatur præ se ferunt, illumq; dolores, atræ bilis medici tribuunt. Et vinum verè flatus mouere nimirum potest: quã ob rem similem ambo isthæc sortiuntur naturam, atra bilis, & vinum. Constat, vinum eam habere vim è spuma, quam excitat. Oleum enim, quantum calidum, nihil spumat: vinum largè, ampliusque nigrum, quam album, quia calidius, & corpulentius est. Vnde fit, ut cupiditatem Veneris accendere vinum possit. Quare non ineptè Venerem iunctam Baccho antumant. Et melancholici quoque magna ex parte libidine affluentiùs concitantur. Concubitus enim flatus copia agitur: cuius indicium, quod penis ex paruo citissimè in molem augetur insignem: nisi enim flatus, non ita extumescere potest: atque etiam prius, quam tempus promendi seminis sit, voluptas quædam gestiens pueris adhuc oritur, cum iam pubi propinqui, testiculos per libidinem pruriunt: quod scilicet ob id ipsum fit, quia flatus per meatum transit, quã postea humor perfertur. Et seminis quoque in concumbendo profusionem, eiectionemque,

magistratū deliquisse, qui maledixit, iudicatur, sed in Rempublicam etiã contumeliosè egisse. Pari sanè ratione, & qui in portu furatus est, non solum priuatum offendisse, verum etiam Reipublicam dedecus aduexisse putatur. Hæc eadem vel in cæteris reddenda ratio est, vbi aliquis sit publicus conuentus, & compitum.

15 Cur si iudicium sententiæ pares aduersariis fiant, reum vincere solitum est? An quod reus nullo ab aduersario detrimento affectus sit, sed sub suffragiis paribus victor euaserit.

16 Cur super furto damnum capitale statutum est: super contumelia, quæ grauior iactura est, æstimatur quod pati suo corpore, aut quantum soluere debeat, qui deliquerit? An propterea, quod agere contumeliosè, humana quædam affectio est, omnèsq; homines plus, minusve eius participes sumus: at furari nulla necessitate humana cogimur. Adde quod qui furtum commiserit, idem agere quoq; maluerit contumeliosè.

Eorum, quæ ad prudentiam, & mentem, & sapientiam pertinent, Sectio XXX. cuius quæstiones X III.

Vt homines, qui ingenio claruerunt, vel in studiis philosophiæ, vel in Reipublica administranda, vel in carmine pangendo, vel in artibus exercendis, melancholicos omnes fuisse videamus? & alios ita, ut etiam vitis atræ bilis infestarentur, ceu inter heroas de Hercule fertur: hic enim ea ipsa fuisse natura putatur, & morbum comitialè sacrum ab illo, & Herculeū prisca nominauerunt. Puerorum quoque motio mentis idem hoc explicat, & eruptio vlcera, quæ mortem interdum antecedit. Id enim plerisque atra bile consistit. Et Lysandro Lacedæmonio proximè ante obitum genus id vlcera emerit. Adde Aiacem, & Bellerophontem, quorum alter penitus ad insaniam prorupit, alter loca persequebatur deserta. Vnde illud Homeri, In campos solus latos, inque auia rura, Ipse suum cor edens, hominum vestigia vitas. Quinetiam plerisque alios ex heroum ordine morbo eodem laborasse compertum est. Annis verò posterioribus Empedoclem, Socrate, Platonem, & alios cõplures viros insignes hoc fuisse habitu nouimus, atque etiam partem ordinis poetarum ampliore. Nam & multos id genus hominum morbi ob eiusmodi habitum corporis exercent, & aliqui suapte natura in eos ipsos affectus perspicuè vergunt: omnes tamen ferè, ut dictum iam est, natura huiusmodi extiterè. Ergo causam primùm ex eplo haud sanè incommodo vini capiemus. Vinum enim immodicum tales maximè homines reddere videtur, quales melancholicos esse affirmamus, morèsq; varios id condit, cum bibitur, ut iracundos, humanos, misericordes, audaces, quorum nihil melius, aut aqua, aut lac, aut eiusmodi aliquid efficere potest. Intelligi planè, quam varios reddat homines licet, si quis potantes ipsum animaduertat, ut gradatim euariat. Vbi enim vinum hominem frigentem, taciturnumq; à sobrietate accipit, paulò liberaliori poculo refouet, excitatque ad verba, tum largiori potu verborum vberem, eloquentem, fidemq; reddit: posthac processu potandi ampliori, audacem, propensumq; facit ad agendum: deinde plenius amplificatò, in contumeliam, & petulantiam vertit: mox ad insaniam propemodum accendit: postremò, nimio ex potu resouit, stultumq; agit, in modum eorum, qui à pueris morbo laborant comitiali, aut etiam eorum, qui vitis atræ bilis maiorem in modum continentur. Igitur ut homo idem inter bibendum moribus immutatur variis, vniq; mensura quadam idem crebro à se discerpit, ita sunt, qui singulis ad eò generibus adeò inualuerint, ut aliorum nequeant commutari. Qualis enim vinolentus hic est, talis quisquam alius factus à Natura est, scilicet alius loquax, alius mente commotus, alius lacrymabundus: nam tales vinum quoque informat. Ex quo illud Homeri, Me visum Baccho lacrymas effundere dicunt. Quippe misericordes interdum redduntur, & aliàs efferi, aliàs taciturni. Sunt enim qui rursus taceant, & maximè qui ex melancholicis mente fermè summoti, cogitabundi esse soliti sunt. Quinetiam ad amandum propensiores vinum facere idoneum est: indicium, quod sæpe qui potat, vel osculari eos adducitur, quibus nemo sobrius dare osculum velit, vel quia deformes sunt, vel quia ætate prouecti: vinum tamen non longo hæc auget tempore, sed breui. Natura sanè, dum vita eduret, assiduis incrementis amplificat. Alii nanque audaces, & temerarij, alii taciturni, alii misericordes, alii timidi per naturam & instituuntur, & augentur: quas ob res eandem esse causam constat, qua vel vinum, vel Natura mores cuique infeminare possit, & augere. Confici nanq; in dies vi calor omnia solent. Habitui igitur, naturæq; atræ bilis flatus cieri datur est. Quocirca vitia corporis, quæ flatur præ se ferunt, illumq; dolores, atræ bilis medici tribuunt. Et vinum verè flatus mouere nimirum potest: quã ob rem similem ambo isthæc sortiuntur naturam, atra bilis, & vinum. Constat, vinum eam habere vim è spuma, quam excitat. Oleum enim, quantum calidum, nihil spumat: vinum largè, ampliusque nigrum, quam album, quia calidius, & corpulentius est. Vnde fit, ut cupiditatem Veneris accendere vinum possit. Quare non ineptè Venerem iunctam Baccho antumant. Et melancholici quoque magna ex parte libidine affluentiùs concitantur. Concubitus enim flatus copia agitur: cuius indicium, quod penis ex paruo citissimè in molem augetur insignem: nisi enim flatus, non ita extumescere potest: atque etiam prius, quam tempus promendi seminis sit, voluptas quædam gestiens pueris adhuc oritur, cum iam pubi propinqui, testiculos per libidinem pruriunt: quod scilicet ob id ipsum fit, quia flatus per meatum transit, quã postea humor perfertur. Et seminis quoque in concumbendo profusionem, eiectionemque,

De sobrietate

melancholici

Melancholici sunt qui ingenio claruerunt, vel in studiis philosophiæ, vel in Reipublica administranda, vel in carmine pangendo, vel in artibus exercendis, melancholicos omnes fuisse videamus? & alios ita, ut etiam vitis atræ bilis infestarentur, ceu inter heroas de Hercule fertur: hic enim ea ipsa fuisse natura putatur, & morbum comitialè sacrum ab illo, & Herculeū prisca nominauerunt. Puerorum quoque motio mentis idem hoc explicat, & eruptio vlcera, quæ mortem interdum antecedit. Id enim plerisque atra bile consistit. Et Lysandro Lacedæmonio proximè ante obitum genus id vlcera emerit. Adde Aiacem, & Bellerophontem, quorum alter penitus ad insaniam prorupit, alter loca persequebatur deserta. Vnde illud Homeri, In campos solus latos, inque auia rura, Ipse suum cor edens, hominum vestigia vitas. Quinetiam plerisque alios ex heroum ordine morbo eodem laborasse compertum est. Annis verò posterioribus Empedoclem, Socrate, Platonem, & alios cõplures viros insignes hoc fuisse habitu nouimus, atque etiam partem ordinis poetarum ampliore. Nam & multos id genus hominum morbi ob eiusmodi habitum corporis exercent, & aliqui suapte natura in eos ipsos affectus perspicuè vergunt: omnes tamen ferè, ut dictum iam est, natura huiusmodi extiterè. Ergo causam primùm ex eplo haud sanè incommodo vini capiemus. Vinum enim immodicum tales maximè homines reddere videtur, quales melancholicos esse affirmamus, morèsq; varios id condit, cum bibitur, ut iracundos, humanos, misericordes, audaces, quorum nihil melius, aut aqua, aut lac, aut eiusmodi aliquid efficere potest. Intelligi planè, quam varios reddat homines licet, si quis potantes ipsum animaduertat, ut gradatim euariat. Vbi enim vinum hominem frigentem, taciturnumq; à sobrietate accipit, paulò liberaliori poculo refouet, excitatque ad verba, tum largiori potu verborum vberem, eloquentem, fidemq; reddit: posthac processu potandi ampliori, audacem, propensumq; facit ad agendum: deinde plenius amplificatò, in contumeliam, & petulantiam vertit: mox ad insaniam propemodum accendit: postremò, nimio ex potu resouit, stultumq; agit, in modum eorum, qui à pueris morbo laborant comitiali, aut etiam eorum, qui vitis atræ bilis maiorem in modum continentur. Igitur ut homo idem inter bibendum moribus immutatur variis, vniq; mensura quadam idem crebro à se discerpit, ita sunt, qui singulis ad eò generibus adeò inualuerint, ut aliorum nequeant commutari. Qualis enim vinolentus hic est, talis quisquam alius factus à Natura est, scilicet alius loquax, alius mente commotus, alius lacrymabundus: nam tales vinum quoque informat. Ex quo illud Homeri, Me visum Baccho lacrymas effundere dicunt. Quippe misericordes interdum redduntur, & aliàs efferi, aliàs taciturni. Sunt enim qui rursus taceant, & maximè qui ex melancholicis mente fermè summoti, cogitabundi esse soliti sunt. Quinetiam ad amandum propensiores vinum facere idoneum est: indicium, quod sæpe qui potat, vel osculari eos adducitur, quibus nemo sobrius dare osculum velit, vel quia deformes sunt, vel quia ætate prouecti: vinum tamen non longo hæc auget tempore, sed breui. Natura sanè, dum vita eduret, assiduis incrementis amplificat. Alii nanque audaces, & temerarij, alii taciturni, alii misericordes, alii timidi per naturam & instituuntur, & augentur: quas ob res eandem esse causam constat, qua vel vinum, vel Natura mores cuique infeminare possit, & augere. Confici nanq; in dies vi calor omnia solent. Habitui igitur, naturæq; atræ bilis flatus cieri datur est. Quocirca vitia corporis, quæ flatur præ se ferunt, illumq; dolores, atræ bilis medici tribuunt. Et vinum verè flatus mouere nimirum potest: quã ob rem similem ambo isthæc sortiuntur naturam, atra bilis, & vinum. Constat, vinum eam habere vim è spuma, quam excitat. Oleum enim, quantum calidum, nihil spumat: vinum largè, ampliusque nigrum, quam album, quia calidius, & corpulentius est. Vnde fit, ut cupiditatem Veneris accendere vinum possit. Quare non ineptè Venerem iunctam Baccho antumant. Et melancholici quoque magna ex parte libidine affluentiùs concitantur. Concubitus enim flatus copia agitur: cuius indicium, quod penis ex paruo citissimè in molem augetur insignem: nisi enim flatus, non ita extumescere potest: atque etiam prius, quam tempus promendi seminis sit, voluptas quædam gestiens pueris adhuc oritur, cum iam pubi propinqui, testiculos per libidinem pruriunt: quod scilicet ob id ipsum fit, quia flatus per meatum transit, quã postea humor perfertur. Et seminis quoque in concumbendo profusionem, eiectionemque,

à spiritu impellente fieri perspicuum est. Igitur vel in esculentorum, potulentorumque ordine merito ea libidinem mouent, quæ locum genitalem flatu implent. Ex quo fit etiam, ut vinum atrii coloris talem hominem reddat, qualis melancholicus flatulentus est. quod latè in nonnullis patet: sunt enim magna ex parte duri, venisque tumidi, quibus atra bilis redundat. Cuius sanè causa est, non sanguinis, sed flatus copia. Sed cur non omnibus melancholicis, aut fuscis colore inuecta duritas est, sed iis tantum, quibus vitium amplius inualuerit, alia ratio est. Nunc de eo, quod principiò explicare maluimus, agendum est. Humoris id genus, quam atram bilem vocamus, protinus sese constantiæ, naturæque; vniuersi corporis intermiscet, confunditque. Temperamentum enim omne calidi, & frigidi est: quippe cum ex his duobus natura & feruetur, & constet: quam ob rem atra etiam bilis, & calidissima, & frigidissima reddi potest. Pati nanque isthæc ambo eadem aptissima suapte natura est: ut etiam aqua, tametsi frigida est, tamen si satis concalfacta est, velut quæ feruet, calidior, quam flamma ipsa, sentitur. Et lapis quoque, & ferrum ignita, carbone calidiora euadunt, quæ quidem natura frigida esse, nullum dubium est. Sed de his dictum planius est, ubi de ignis natura, & opera docuimus. Atra autem bilis non per summa, sed natura penitus frigida omnino ita se habet, ut dictum iam est. Si modum excedit, hominem facit attonitum, aut obtorquentem, aut anxium, aut formidolosum: sed si admodum incalescit, securitatem animi, cantilenasque parit, & mentis alienationem, & vlcera eruptionem, & alia pleraque generis eiusdem. Parti igitur hominum maximè victu quotidiano redundans, mores nihilò immutat, sed morbum melancholicum tantummodo creat. At quibus habitu natura tali constiterit, mox his multa, & varia morum genera exoriuntur, prout scilicet alius aliam habitus intemperiem sortitus est. Exempli gratia, in quibus multa, & frigida bilis est atra, hi stolidi sunt, & ignaui: in quibus permulta, & calida, ii perciti, & ingeniosi, amali, propensi ad omnem excandescantiam, & cupiditatem, nonnulli etiam loquaciores. Multi etiam propterea quod ille calor sedis mentis in vicino est, morbis vesaniæ implicantur, aut instinctu lymphatico inferuescunt, ex quo sibyllæ efficiuntur, & bacchæ, & omnes, qui diuino spiraculo instigari creduntur, cum scilicet id non morbo, sed naturali intemperie accidit. Maracus cuius Syracusanus, poeta etiam præstantior erat, dum mente alienaretur. At quibus minus ille calor remissus ad mediocritatem sit, ii prorsus melancholici quidem, sed longè prudentiores: & quanquam aliqua in parte minus excedant, multis tamen in rebus ceteris sunt omnibus præstantiores, alii in studiis literarum, alii in artibus, alii in Republica. Magnam etiam ad subeunda pericula discrimen hic habitus affert: quippe cum multi metu varietate moueantur, ob eam scilicet rem, quod ita à

se ipsi differunt, prout incidit, ut vices eius habitus gererent. Habitus enim melancholicus, ut morbos varios creat, ita etiam ipse inæquabilis est, quippe qui aliàs frigidus in modum aquæ, aliàs calidus sit. Quam ob rem cum formidolosum quicquam denuntiatum est, si habitus iusto frigidior sit, timidum reddet. Iam enim metui aditum patefacit, & metus ipse refrigerat, ut ex iis constat, qui metu percussi obtremescunt. Sed si amplius caleat, metus inuectus ad mediocritatem reducet, temperabit, intrepidumque proinde hominem seruabit. Quinetiã cum sponte molestiis animus tabescit, quod frequenter vsu euenit, ratio perquam similis est. Fit enim sæpenumero, ut angamur, & animo succumbamus: sed cur ita, nullam reddere causam habemus: aliàs contra, ut securitate animi gettiamus: sed quam ob rem, minimè constat. Affectus igitur tam isti, quam illi superius explicati, paulisper quidem consistere in omnibus solent. Omnes enim aliquid illius materia, facultatisque sibi intermixtum proculdubio continent: sed quibus altè, ampliterque cõstiterint, ii iam morum qualitate quadam notescunt, & nominantur. Ut enim specie inter se distant, non quia faciem habent, sed quia faciem talem, id est, alii pulchram, alii turpem, & qui nihil superuacui gerunt, ii stata sunt forma: sic etiam qui leuiter habitu illo constant, ii medium tenent: qui plene, ii iam dissimiles multitudini euadunt. Nam si omnino merus bilis atra habitus sit, melancholicos admodum esse necessum est: si autem quendam in modum temperetur, egregii, singularesque instituuntur: hi tamen si parum suæ valetudini consulunt, facile in vitia bilis atræ labuntur, alii, parte alia sui corporis: alii nanque in morbum comitalem incidunt, alii attoniti fiunt, alii vehementissimè anxii, aut formidolosi redduntur, alii maiorem in modum sibi cõfidunt, & sperant: quod etiam Archelao regi Macedonia vsu euenisse accepimus. Causam verò tam variæ potestatis ipse habitus dat, scilicet prout frigidus, calidusve constiterit. Nam si vltra modum frigidus sit, molestiæ, anxietatésque sponte sine vlla ratione nascuntur: ex quo mortem laqueo sibi consciscunt, maximè quidem iuniores, interdum tamen & seniores. Multi etiam vinolenti sese interimunt. Nonnulli verò ex melancholicis, ubi abundè potarunt, dolent, & animo vehementer succumbunt. Calor enim naturalis à calore vini extinguitur. Calor autem, qui eam continet sedem, quæ speramus, & sapimus, facit ut securo animo simus, qua de causa omnes ad vinolentiam vsque prompto animo bibimus. Omnes animi spe bona vini copia afficit, quemadmodum iuuentus adolescētulos. Senectus enim parum sperare potest, iuuentus spe plena est. Non desunt, quos angor inter potandum eadem illa de causa comprehendat, qua etiam post potum nonnullos occupat. Quibus igitur calore natiuo emarcescente oritur agridudo, ii sibi laqueum potiùs petunt: quare iuuenes potiùs, quam senes, laqueo se interimunt. Alteris enim calor

calor per ætatem marcescit, quod Naturæ agitur ordine. Alteris per vim ipsius affectus, quod contra Naturam est. Quibus autem calor extinctus subito est, ii repente se interficiunt, ut omnes mirentur, eò quod nullum indicium præcesserit. Cum igitur atra bilis perfriget, (ut dictum est) varias animi molestias, anxietatésque; gignit. Calidior autem cum est, securitatem, & lætitiã præstat. Quocirca pueri lætiores, senes tristiores esse cõsueuerunt: alteri enim calidi, alteri frigidi sunt: quippe cum non nisi refrigeratio quædam sit ipsa senectus. Accidit verò ut calor subito causis quoque externis extinguatur, quemadmodum quæ præter suam naturam candent, ceu carbones, aqua superinfusa extinguuntur: vnde fit etiã, ut sedata ebrietate nonnulli se ipsos enecent. Calor enim ex vino adiectus est, quo extincto, vsu euenit illa perniciosa affectio. Et post coitum quoque Venereum animo plerique omnes succumbunt, reddunturque; tristiores. Qui tamen copiam excrementi suo cum semine effuderint, ii lætiores, hilarioresque; euadunt: quippe qui sic excremento, & flatu, atque calore nimio leuentur: ceteros tristiores, demissioresque sæpe Venus reliquit, eò quod parti necessariæ aliquo subtracto refrigerantur: quod humoris eius paucitate, qui effluxerit, patet. Summam igitur rationum colligamus. Homines melancholici varii, inæqualesque propterea sunt: quia vis atræ bilis varia, & inæqualis est: quippe quæ vehementer, tum frigida, tum calida reddi eadem possit. Et quoniam vim eandem morum obtinet instituendorum, (mores enim calidum condit, & frigidum omnium maximè, quæ nostro in corpore habentur) idcirco nos morum qualitate afficit quadam, informataque; ut vinum, quod prout plus, minusve corpori intermixtum, infusumque est, varios reddit. Flatuosum autem vtrunque est, & vinum, & atra bilis. Cumque ratio sit, ut portio quoque aliqua temperata illius inæquabilis ordinis habeatur, flatusque modo quodam acquiratur integrè, habitusque respondere calidior, frigidiorque possint ob exuperantiam qualitatis, hinc efficitur porro, ut melancholici omnes non per morbum, sed per naturam sint ingenio singulari.

- 2 Cur per aliquas scientias habitum nos habere censeamus, per aliquas non? An habitum non nisi per eas tantum adipisci putamus, quibus vim inueniendi acquirimus: inuētio enim ex habitu est.
- 3 Cur omnium animantium homo prudentissimus est? Vtrum quia capite minimo est, scilicet ad sui corporis proportionē. An quia variè minimo est: ob id enim ipsum, capitis quoque; minutio accidit, & inter homines ipsos, qui minori sunt capite, prudentiores nascuntur, quam qui sunt grandiori.
- 4 Cur seniores amplius mente valeamus, iuniores ocyùs discimus? Quia Natura parens, & author omnium, instrumenta nobis duo inseruit, quorum opera instrumentis extraneis uti valeremus: manum, inquam, corpori dedit,

animo mentem. Est enim mens quoque rebus à Natura nobis imperitis annumeranda, vicem sanè gerens instrumenti. Cetera omnes scientiæ, artésque nostra opera sunt: mentem ipsam opus esse Naturæ fatendum est. Ut igitur manu non iam inde ab ortu Naturæ uti possumus, sed cum eam Natura absoluit, perfecitque; (procedente nanque ætate, manus suum opus maximè efficere potest) ita etiã mens, quæ res naturalis est, non protinus, sed in senectute maximè nobis contingit, atque tunc potissimum consummatur, atque absoluitur, nisi detrimento aliquo lacera, læsaque; sit, quemadmodum cetera quoque opera naturæ. Mens verò posterior, quam manuum facultas, accedit: quoniam instrumenta etiã mentis posteriora sunt, quam manuum instrumenta: est enim mentis instrumentum scientia. Menti nanque utilis scientia est, ut tibicini tibia. Manuum instrumenta, res pleræque naturales sunt: Natura autem ipsa, eiusque; res omnes priores sunt, quam scientia. Quorum autem instrumenta priora sunt, facultates quoque eorundem prius contingere congruum est. His enim crebro vtentes, conficere habitum solemus. Et ista sic recipiuntur, ut quam vicem hæc inter se gerunt, quorum instrumenta sunt, eandem instrumenta quoque ipsa inter se habeant: vicissimque; quam instrumenta inter se, eadem illa, quorum sunt instrumenta. Mens igitur ea de causa nobis senioribus potiùs cõtingit: discimus autem ocyùs iuniores, quia rem fermè nullam tenemus. Cum enim res pleraque scimus, non æquè præterea capere alias possumus. Quomodo etiam meminisse melius ea valemus, quæ manè primùm percipimus: deinde procedente die, memoria hebetatur, quoniam multa iam perreptauius.

Cur homini potiùs, quam cuiquam ex ceteris animantibus, credendum est? Vtrum ut Platonis Neocli respõdit, quia homo solus omnium animantium nouit enumerare. An quia solus deos veneratur, & colit. An quia omnium maximè vim obtinet imitandi: hinc enim discere tam multa, & varia potest.

Cur nihil in eo delectamur, quod triangulum duobus rectis pares angulos internos vel habere spectamus, vel habiturum speramus: neque in aliquo generis eiusdem, nisi fortè in speculatione ipsa delectandum sit? hæc tamen æquo modo iucunda sanè sit, etiam si tribus rectis, aut etiam pluribus pares angulos habeat: sed nimirum tunc delectari est, cum aut ludis Olympiæ nos vicisse meminimus, aut apud Salamina, nauali pugna hostes superasse, aut tale quid futurum speramus, non cum his ipsis contraria expectamus. An in rebus istiusmodi delectemur, quod vel fuerint, vel sunt consilio nostro, aut omnino humano, & opera. Quæ autem Natura lege incommutabili ita esse voluerat, hæc suæ tantummodo rationis contèplatu nos alliciunt, & oblectant: sed cum rerum gestarum perquam aduersa ratio sit, efficitur porro, ut quæ inde profecta sint, in parte lætabilia, in parte tristia veniant. Omnia au-

tem lætitiæ, tristitiæve ratione, aut vitamus, aut persequimur.

7 Cur medicus ad sanitatem vsque tantummodo suam operam præstat? Primùm enim corpus extenuat, dehinc siccat, tum sanitatem inducit, posthac nil vltius agit. Vtrum quod fieri nõ potest, vt ex sanitate aliud quicquam efficiatur. An si quid fieri possit, ad aliam spectet scientiã, afferrique præterea ex sanitate aliquid licebit. Ergo si omnia fieri, vel ex cõtrariis, vel ex mediis soleant, constat vt illud ægrotet, quod vel siccius, vel humidius, vel tale aliquod est. Igitur ex nimis frigidum, in minus frigidum, & postremò in iustam vicem caloris, vel siccitatis, vel humoris medicus adducit, transferens sese ex contrariis, aut mediis, dum ad eum deueniat habitum, qui sanitati accomodatus est: ex quo quidem nihil esse Natura fert, nisi quid medium. Ergo aliquid præterea facere potest. Vt enim eatenus venit, sic retrorsum abire potest. Sed ars nõ isthuc proficitur: semper enim quod melius est, id artis ratio & spectat, & facit. Itaque nec vlla alia, nec ipsa medendi ratio de sanitate quicquam aliud faciet, cum vel nihil effici necesse sit, vel rei destinandæ contrarium: quãdoquidem eadem est scientia contrariorum. Itaq; vel in ædificandi ratione nihil est, quod contrarium faciat. Nec verò vlla ars alia est, quæ ex hoc quicquam faciat, nisi veluti ex parte: quemadmodum suendi ratio ex proficisso calceũ reddidit. Fieri nanque bifariam aliquid ex aliquo ita potest, vt vel cum illud componitur, vel cum hoc destruitur, consistat.

8 Cur hominem philosophum differre ab oratore putamus? An quia philosophus in rerum speciminibus agitandis, exquirendisque suum studium posuit: orator his rebus versatur, quæ confortes illorum speciminum sunt. Verbi causa, alter quid iniustitia sit, nouit: alter, quis iniustus est: & alter, quid tenor tyrannidis sit, cognitum habet: alter, qualis ipse tyrannus sit.

9 Cur genus id hominum, quod Dionysiacos technitas, id est, artifices bacchanales, aut histriones appellamus, improbis esse moribus magna ex parte consueuerunt? An quia minimè sese studio sapientiæ dedunt, eò scilicet, quod in artibus necessariis magnam ætatis suæ partem consumunt, vitamq; plurimùm traducunt incontinentem, partim etiam cum inopia, quod quidem vtrunque vitia & gignit, & auget.

10 Cur veteres præmia certaminibus corporũ posuerunt, sapientiæ nullus quicquam statuerit? An quia iudices, quod ad ingenium attinet, vel præstantiores, vel nihilò deteriores nimirũ esse iis debent, qui inter sese certant. Quod si homines sapientiã excellentiores certare deberent, proponereturque præmium, arbitris sanè sibi carerent. At verò in certaminibus gymniciis, quisque suo tantum aspectu iudicare integre potest. Item author ille præmiorum tale suis hominibus certamen proponere noluit, vnde inimicitia, seditionesque maximæ exorirentur: homines enim cum in re sui corpo-

ris aliqua improbantur, non molestè omnino ferunt, neque iis infesti redduntur, qui ita iudicant: at si stolidiores iudicati sunt, iudicibus admodum ipsis succensent, ægreque vehementissimè ferunt: quæ quidem res seditiosa, & stolidi est. Adhæc, præmium præstantius esse suo certamine decet. Itaque certaminum gymniorum præmium optatius, & præstantius, quàm ipsa concertatio est. Prudentia verò quodnam præmium præstantius esse possit?

11 Cur homo maximè aliud intelligat, aliud faciat? An quia contrariorum eadem scientia est. An quia mentis officium plura contingit, appetitus in vnum tantummodo profluit. At qui homo mente magna ex parte viuit, & ratione: bestia appetitu, ira, cupiditatēque ducuntur.

12 Cur nonnulli pecunias acquirere, non impendere consueuerunt? Vtrum quod suis moribus viuunt: an oblectamine, quod in spe positum est, alliciuntur.

13 Quam ob causam qui grauius, & suauissimè dormiunt, nihil somniant? An quia & sensus, & intelligentia hominis tunc suo fungi officio potest, cum animus tranquillatur, & requiescit: qua quidem requie, vel ipsa sciendi ratio constare videtur, quippe quæ animum sistat, atque ex temeraria agitatione in tranquillitatem adducat. Cum enim animus mouetur, vagaturque, fieri non potest, vt aliquid vel sentiatur, vel intelligatur. Ex quo fit etiã, vt amentes sint pueri, & ebrii, & insani. Facit etenim calor, qui nimis in his est, vt motu plurimo, vehementissimòque inquietentur: quo motu desistente, prudentiores esse incipiunt. Cum enim vis illa intelligendi sedata est, facilius sistitur, rerumque rationibus adsistit. Et quidem qui inter dormiendum somniant, non alia de causa videre sibi illa videntur, quàm intelligentia constante, requiescentēque: quod quidem somno contingit leuiori. Iactatur enim animus noster maximè in somnis, calore scilicet, qui vndique in partem se colligit interiore: atque ita efficitur, vt plurima, vehementissimãque illa obstante iactatione, nullum interuenire somnium possit. Nec putandum, vt animus tunc conquiescat, & per se maximè sit, cum nullũ somnium trahitur, vt multitudini opinio est. Sed contrã omnino incidit, vt qui in motu plurimo est, nec paulisper quiescit, hic intelligere nequeat. Plurimus autem motus, cum suauissimè quis obdormiscit, meritò præterea est, quod tunc maximè larga caloris copia in partem contrahitur interiore. Animum verò concitatum non solum inter vigilandum, sed ne per quietem quidem intelligere posse, argumentum illud etiam est, quod in somnis, quos cibo ingesto primos agimus, nulla facultas videndi somnii datur, eum maximè accidit, vt animus propter cibum ingestum concitetur: somnium verò ipsum occurrit, cum cogitantibus nobis, & ante oculos rem ponentibus, somnus accedit. Quapropter ea maximè somnia

somniamus, quæ agimus, aut acturi sumus, aut volumus: de his enim maximè cogitationes, imaginationesque obueniunt. Et qui instructi virtutibus sunt, meliora somnia vident, quod etiã vigilantes meliora animaduertunt: qui deterius, vel animo, vel corpore sunt adfecti, deteriora concipiunt, quippe cum etiam adfectio corporis faciat ad somni visionē. Hominis enim morbo laborantis proposita quoque animi vitiosa sunt, atque etiam propter corporis perturbationem animus quiescere nequit. Melancholici idcirco in somnis crebrò excitari consueuerunt, quod calore largiore vrgente, animus moueri æquò ampliùs cogitur: quod cum motus vehementior sit, meritò dormire minimè possunt.

*Eorum, quæ ad oculos pertinent,
Sectio trigesima prima,
cuius quæstiones
XXX.*



1 Vt oculo perfricato sternutare cessamus? An ob eam rem humoris respiratio moueatur. Lacrymam enim oculus perfricatus emittit: sternutamentum humoris copia excitatur. An quia plus caloris minus corrumpit, absumitq;. Oculus autem perfricatus plus caloris sibi acquirit, quàm nares contineant: quam ob rem etiam si quis nasum perfricauerit, ipsum sternutamentum desistet.

2 Cur vno oculo exquisitiùs cernitur, quã duobus? An quia plures motus duobus, quàm vno excitantur: quemadmodum oculis peruerfis multiplicem agitari motum certum est. Ergo duorum vnus motus non est: vnus vnus, & simplex est. Itaq; efficitur, vt exquisitiùs vno, quàm duobus, cernatur.

3 Cur homines irati oculis maximè erubescunt, pudefacti auribus? An quoniam oculi refrigerantur eorum, quos puduit. Pudor enim in oculis est: nec respicere valēt, quos pudor tenet. Et timor quoque refrigeratio loci eiusdem est: calor autem in partem transit aduersam, quæ posterior est: aures verò satis ex aduerso positæ sunt: itaque pudore maximè erubescunt. Iratis porrò præsidium in eam partem tanquam violatam transmittitur, quæ & sensu, & motu facilius est: nã & in metuendo calor eam ipsam maximè deserit.

4 Cur altero oculo apprehenso, alter constantius cernat? An quia oculorum initia ex eodem dependent. Cum igitur alter mouetur, commune quoque illud mouetur initium, quo mouente, alter etiam oculus moueatur necesse est: quã ob rem altero apprehenso, vis illa communis tota alterum mouebit: itaque plenius contendere poterit.

5 Quam ob causam qui cæci ab ortu Naturæ sunt, calui nunquam efficiantur? An quia humor, cum redundat in capite, oculos vehementer infestat: qua de causa quibus fluxiones

oculos vrgent, venas temporum ferro candente medici tangunt, quo humoris foramina obcæcentur, atque spissescant, & caput quoque dissecta cute, obscalpere consueuerunt. Cum igitur humor excrescens, vacansque in capite oculis detrimento sit, fieri potest, vt minus humoris in caluaria ob id ipsum cõsistat, quia magna parte lapsus in oculos est: & cū excrementis humorum, materiãq; inutuli capillus poueniat, (quæ quidem in capite cæcorum ob ortu Naturæ largè redundant) meritò nunquam isti calui efficiuntur.

6 Cur homines, qui oculis prominentioribus sunt, magis à fumo infestantur? An quia fumus citissimè oculis protendentibus incurrat.

7 Quam ob causam vtrunque aspectum simul diuertere dextro, sinistroque versus, & ad nares demittere, atque etiam alterum dextrorsus, sinistro versus deducere possimus: vtrunque verò seorsum, alterum sinistro versus, alterum dextrorsus simul distrahere nunquam possumus: quin etiam deorsum, sursumque haudquaquam ita conuertere licet, quauis facultas simul dimittendi in idem detur, vt dictũ est? An præterea, quod quãquam duplex aspectus sit, ex eadem tamen origine, æquo modo nexus, aptusque dependet. Vbi autem ita est, quoties alterum extremũ mouetur, reliquum consequatur eodem necesse sit: alterius enim extremi principium, extremũ reliquum est. Quod si res vna simul, ac eodem in tẽpore nunquam in partes aduersas moueri queat, nec aspectus ita moueri poterit: quippe cum ita committatur, vt extrema in partes moueantur aduersas, siquidem alter sursum, alter deorsum mouebitur, initiumque sequi vtrunque necesse sit, quod impossibile est. Oculorum verò limitas euenit, quia globi continentur principio, quo & sursum, & deorsum, & latera versus lubrico sese vertere possint. Cum igitur ita positi sunt, vt situ inuicem simili respondeant, atque medium teneant, mouendi sese sursum, deorsum, laterumque versus, eodemque in puncto sibi pupillam habeant, tunc situ integerrimo constant, præcipueque mobiles circumaguntur: at qui eodem in puncto pupillas continent, limitas quidem non sunt. Discrepare quoque inter se possunt, & aliis parte alba retracta, nigra non nihil occultitur, modo eorum, qui sternutaturi sunt: aliis in angulum exteriorem nigra conuellitur, vt furiosis: aliis in interiorem nares versus incumbit, vt tragicis, laruis, hominibusque acerbis, seuerisque: sunt enim contuitu graui, cogitabundòque. Quoties verò situ dissimili globi positi sunt, sed puncto eodem radii profuunt, aut situs similis est, sed punctum non idem, limitas oculis hominem esse necesse est: itaque hic suspicit, & oculos contrahit: globum enim eundem in habitum collocare conatur, atque alterum firmum continet, alterum agit. Haud enim fieri potest, quin limus sit, qui non eodem de puncto radios deproinat, quippe qui dimotum contuendi principium habeat, perinde ac ille, cui res vna geminari oculo suppresso videtur. Ergo si oculus sursum di-

motus est, terminus inspiciendi deorsum est: sed si oculus lapsus deorsum est, terminus sursum habetur. Oculo tamen vno situ suo dimoto moueri quidem res visa sursum, deorsumve ob id ipsum videtur, quia pupilla ita se mouet: sed geminari haud vnquam videri potest, nisi duplex conspectus sit, peruertaturque ratio videndi. Ita fit, ut strabonibus res eadem geminari videatur. Causam situs habet, eò scilicet, quòd oculus nò suo medio nexus, locatusque est.

8 Quam ob rem qui cognomen lusciosi habuerunt, literas minutas scribere consueuerunt? Mirum enim ut qui obtusis sunt oculis, rem faciãt, quam eorum facere interest, qui acumine valeãt oculorum. Vtrum quia proximè posita magna esse videntur: illi autem oculis proximè admotis scribere solent. An quia contractis palpebris scribant. Fit enim per imbecillitatem, ut si laxatis, diductisque oculis scribant, aspectus distractus, passusque hebetescat: si adductis, & conuidentibus, vniuersim depromptus acutiùs videat. Quod tamen angulum informat exiguum, efficit necessariò, ut exigua litera scribantur.

9 Cur nonnulli post lippitudinem acutiùs videant? An quia purificati oculi sunt. Fit enim sepe, ut exterior densitas pupillæ acie arceat, quæ lacryma emissa laxatur, atque resoluitur. Quam ob rem profunt interdum quæ mordent, lacrymam euocant, ut cepe: obsunt, quæ tantummodo assiccant, ut organum.

10 Cur vno videre oculo impatibilis sit? An quia minus animo, qui ita cernit, afficitur: quo fit, ut minus affectionis contrahatur.

11 Cur distracta conspectuum societate, res vna geminari videatur? An propterea quòd oculi vtriusque radius non ad punctum idem deuenit: ergo quod bis noster animus inspexit, inde geminum se inspexisse existimat. Proximè euenit, cum digitos mutatis vicibus implicamus, itaque aliquid tangimus: duo namque sentimus, eò quòd vnum his tangimus.

12 Cur sensus dextri nihilò sinistris præstantiores sint, cum in cæteris omnibus dextra sinistris commòdiora habeamus? Vtrum ex consuetudine ita fiat. Statim enim, cum nati sumus, vtrunque sensum exercere incipimus. Pars autem dextra exercitatione insuescere, inque frugem eua dere meliorem videtur: effici namque vtriusque; dextri per consuetudinem possunt. An quia sentire affici est. Pars autem dextra præstantior propterea est, quòd efficacior: & affici peruicacior, quam sinistra, est.

13 Cur in cæteris dextra suis sinistris præstantiora sunt, sensus nullus dexter suo sinistro interest? An quia parte sentiendi vtraque pariter vti à primo natali die consuescimus. Adde tamen quòd ratio sentiendi, affectio quædam est: dextrarum autem partium differentia in efficiendo, non patièdo sita est.

14 Cur exercitatio corporis incommoda oculorum acumini est? An quia exercitatio sanguinè efficiat sicciorem, sicut etiam reliquum corpus. Siccitas autem totam cutem indurat: ergo vel eam, qua pupilla integitur. Quapropter homi-

nes nati iam grandes, obtusius videt. Oculi namque senum tunica dura, simulque rugosa teguntur: itaque vis illa conspiciendi cooperitur, & delitescit.

Cur homines luscii cognominati, qui obtusè vident, literas scribere minutissimas possint, cum rem minutam perspicere illi valeant, qui acumine oculorum præstant? An quia conspectu sunt imbecilli, palpebras contrahant in angustum. Cum enim radius profluit vniuersus, acutiùs explorare potest: contra, laxo, diductoque oculo diffunditur, ob eamque rem hebetescit. Ergo imbecillitas facit, ut palpebras contrahat in angustum: quòd cum ex angusto inspiciant, exigua magnitudinem videant, quantaque vident, tanta perscribant necesse est.

Sed cur iidem illi contractis palpebris videant? An propter sui conspectus imbecillitatem. Vt enim manum rebus sepositis admouent, sic palpebras iuxta positis perinde, quasi manum, adiciunt. Quod fanè faciunt, ut radius per locum sese depromens angustior, congestior profluat, ne protinus ex patulo proficiscens distrahatur. Videt autem is acutiùs, qui frequentior, collectiorque prodierit.

Cur non res vna geminari videtur, cum in latum oculum vertimus? An quia conspiciendi primordium eadem item in linea situm est: tunc enim res geminari videtur, cum illud mutatum sursum, deorsumve est: in latum verò nil refert, nisi vna etiam sursum moueat.

Cur in ratione videndi tantum fieri possit, ut res vna geminari videatur, si quodam modo inuicem oculi locentur: in cæteris sentiendi generibus fieri identidem nequeat? An etiam in ratione tangendi, cum digitos mutatis vicibus implicauimus, fit ut res vna duæ sentiatur: in cæteris hoc idem fieri nequit, quia cætera membra quibus sensio administratur, neque foras versus deducta, neque bina tam inter se apta, colligataque suo funguntur officio: fit ita in ratione videndi, eadem de causa, qua in tangendo perplexis, ut dictum est, digitis. Tactus enim visum æmulatur, & sequitur.

Cur oculus sinister nihilò imbecillior est, sed æquo modo, atque dexter videre potest, cum relique corporis partes omnes sinistra inualidiores, quam dextra sint? An quia pars dextra in eo discrepat à sinistra, quòd efficacior est, non in eo, quòd affici aptior. Videndi autem vires non ut afficerent, sed ut afficerentur, comparatum à Natura est.

Quam ob causam cum cæteras intuiumur res, conspectus noster fatiscit, atque deterior redditur, cum ad virides, & herbescentes inspiciamus, ut olera, cæteraque his similia, recreatur, meliùsque euadit? An conspectum in alba, nigraue intendere minimè possumus, propterea quòd vtrunq; id genus coloris videndi viribus officit. Colores autem illi, quibus oculi acquiescunt, medium albi, nigriue obtinent. Itaque aspectus cum mediocri, lenisque obuio afficiatur, nihil debilitatur, imò verò corroboratur, atque reficitur. Et forsitan quemadmodum cum corp

corpora nostra vehementer laborant, deterius habent, cum mediocriter optimè afficiuntur: ita etiam oculi, cum ad res solidas contendunt, laborant, lassanturque: cum ad humidas, mollisque, quòd nil sibi obstat, passim oberrant, & licentia perliquescunt: cum ad virides, quòd ista vtriusque mediocriter sunt, ita satis humoris continet, neque vllò detrimento afficiuntur, & ad immorandum in hisce amplius inantuntur, eò quòd coloris huiusmodi habitus modicè se conspectui offert.

21 Cur cætera meliùs vtroque oculo cernimus, rectam versus virgulam vnilateris admouentes inspiciamus exquisitiùs? An quia radii oculi vtriusque non sine perturbatione in idem concidunt, ut authores rationum conspiciendi affirmant. Itaque cum vno inspiciamus, ad rectum conspectum, tanquam regulam, meliùs quòd rectum est depræhendere, iudicareque habemus.

22 Cur fumus oculos potius infestat? An quia infirmissimi sunt. Infirmissima namque omnia, quæ corpori interferta occidunt. Indicium, quòd æetum, & quodque acre carnem non exteriorè, sed interiorè demordet. An quia laxiores, refertique meatibus sunt. Conspectus enim per quodam meatus protruduntur, & excidunt. Itaque quòd his mordacissimum est, cæteris corporis partibus obuium subire densiora non potest, sed perrepat, & decedit: æquo modo & cepe, & quæcunque talia oculos mordent. Oleum omnium omnium maximè humorum id facit, quia tenuissimum est, ob eamque rem meatibus se expeditè insinuat: acetum reliquis partibus corporis pro medicamento est.

23 Cur oculus solus omnium membrorum non rigeat, cum infirmissimus sit? An quia optimus est, nec carnis quicquam in se continet. Quod autem tale est, securum manere à frigore potest. Haud enim audiendi sunt illi, qui propterea rigere oculos negant, quia vis illa conspiciendi ignis est: non enim talis in oculo ignis est, ut calcifacere valeat.

24 Cur lacrymæ, quas mærendo emittimus, calidæ sunt: quas oculis laborando, frigidæ? An quia frigidum, quòd incoctum, crudumque est: calidum, quòd concoctum. Languorem autem omnem ex cruditate proficisci, nullum dubium est. Quod cum lacryma cruda eorum sit, qui valetudine oculorum laborant, non immeritò frigida est. Hinc medici sudorem frigidum, argumentum grauis esse morbi existimant: calidum contra, decretorium esse, & salutarem. Cum enim vacans materia multa est, satis à calore interiori concoqui minimè potest: itaque frigidam esse necesse est. Cum pauca est, penè à calore victa concoquitur: morbos autem copia vacantis materiae concifici, certum est.

25 Quare cum partes corporis nostri dextræ mobiliiores sint, oculus sinister expeditiùs, quam dexter, contrahitur? An propterea, quòd omnia sinistra dextris humidiora sunt: humidiora autem contrahi plenius possunt. An dexter amplius efficere possit: sinister vel ex se, ut humidior, obsequentior sit.

Quam ob causam cum senex, & lusciosus per imbecillitatem parum oculis valeant, alter proximè admouet, si quid inspiciere vult, alter procul abducit? An quia dissimilis eorum imbecillitas est. Senex enim quia videre non potest, vbi minus radii coeunt, rem videndam eò abducit, vbi visurus maximè est: procul enim coire radii solent. Lusciosus ille videre quidem rem isthæc potest, sed quænam rei conspecta: caua sint, quæ excedant, discernere nequit, itaque in his fallitur: caua quippe, & excedentia splendore discerni maximè possunt: quem, quoniam procul percipere, quemadmodum rei obuia ingruat, nequeant, proximè adducunt.

Cur homo solus, aut certè maximè animantium omnium oculis deprauetur per limitatem? An quia vel solus, vel maximè comitali morbo in tenera ætate laborat, cum deprauari omnibus accidit.

Cur vni animantium homini transuerti, deprauarique per limitatè oculi possint? Vtrum quòd oculos minimo interstitio discretos, è directoque positos homo habet, perspicit idcirco menda in eo maximè possit. An quia cæterorum animantium oculi vnicolores maximè sunt? Nec deprauatio sequeretur, si vno quolibet colore præditus oculus esset. An quia solus ex omnium animantium genere morbo comitali rapitur: quòd genus morbi transuerrere oculos, sicut cætera etiam membra, potest. Nonnullis tamen, ut serò eo morbo vexari inceperet, sic lumina serò deprauantur.

Quam ob causam manu præ lucerna, aut Sole obiecta meliùs inspiciere possumus? An quia lucerna, Solisve lux nostris occurrentis luminibus, reddit suam ob nimietatem infirmiora: quippe quæ rem etiam sibi cognatam interimere præ sua possit exuperantia: at verò manu ita accente, nec luminum acies officii potest, & res visui obuia nihilò minus in luce posita est: vnde fit, ut & acies plenius agat, & res inspectanda nihilò minus videatur.

Cur manus dextra, & pes dexter à suis sinistris differunt, oculus, & auditus nullo discrimine distant? An quia immista, synceraque elementa susque deque sunt. Discrimen verò situm in his est, quæ elementorum coitu constant. Sunt autem sensus isti è synceris illis, immistisque visus scilicet ex igne, auditus ex aere.

Eorum, quæ ad aures pertinent, Sectio XXXII. cuius quæstiones XIII.



Ut aures, quæ omnium maximè partium nostræ faciei exangues sunt, rubore magis afficiuntur, vbi nos pudor apprehenderit? Vtrum quòd peregrinus humor partem adire inanem aptus natus est: itaque cum calore per pudorem orto resoluitur, statim se in aures colligit. An quia temporibus apposita sunt, quòd versus maximè humor confluit. Cum enim hominem pudet, calor se in faciem recipit, itaque ruborem adducit: aures verò minimo in ea profundo extant, naturaque calidissimæ sunt, & coloratæ, nisi longè frigoris rigore obtorp

obtorperunt: ideo hæc particula omnium faciei particularum coloris est optimi. Quam ob rem passus, dispersusque calor, quod per summa res tenet, rubicundas reddere potest.

2 Cur vrinantibus aures, dum inter mare sunt, rumpi soleant? Vtrum quia retentus spiritus impetu cogit vehementiori. An si causam hoc haberet, idem vel in aere fieri posset. An quod non cedit, disrumpi ocyus potest, & à duriori, quam molliori, facilius. Quod itaque inflatum est, minus cedit: aures verò, vt dictum iam est, spiritu retento inflantur: itaq; ab aqua, quæ aere durior est, obtunduntur offensæ, atque rumpuntur.

3 Cur vrinantes spongas alligare auribus conseruere? An ne mare per vim occurrens, aures rumpat: haud enim ita stipatæ impleri, vt inanes, exemptis spongiis, possunt.

4 Cur sordes aurium amaræ? An quia putri sudore contrahuntur, qui falsus, amarus est.

5 Cur spongiarii suas dissecant aures, & nares? An vt spiritum commodius reddant: hæc enim esse spirandi itinera videntur. Laborare quippe difficultate spirandi eos affirmant, dum foras emittere animam non possunt, leuariq; cum propellentes extrudunt. Mirum tamen si respirandi assequi facultatem refrigerationis gratia nequeant, sed esse id necessarium magis videatur. An merito plus in retinendo laboris sit, cum corpus extumescat, distendaturque: spiritus verò foras sponte efferri posse videtur. An intus etiam tenere ita possit: cogitandum tamen æquè videtur. Pleriq; verò lebetes demisso, respirandi viam vrinatoribus moliuntur: haud enim aquæ lebes impletur, sed aera seruata ad demersum hominè vsque: quippe qui erectus per vim dimittatur, vt vndiq; æquali nutu descendat: nam si quantumlibet inclinauit, humore protinus interrumpente impleatur, necesse est.

πρὸς τὴν ἀφροδίαν, canali &c.

6 Cur nonnulli, cum suas in scalpant aures, tussiant? An quia sensus audiendi foramen cum pulmone, canalique ab asperitudine cognominato sortitur: indicium, quod his ipsis repletis, obseptisque homo surdescit. Humoris itaq; aliquid è frictione ista aurium liquefcit, atque in canalè, quem modò diximus, per foramen illabitur, quod tussim mouere potest.

7 Cur sinistra auris ocyus magna ex parte perforata consolidari, quam dextera potest? quocirca mulieres alteram marem vocant, alteram foeminam. An quia partes sinistræ humidiores, calidioresque sunt: quæ autem habitu huiuscemodi sunt, consolidari possint facilius. Vnde in plantis etiam tenellis, atque viridibus, coitus, concorporandique vnio facilius agitur. Et verò vlcera iuniorum promptius compaginantur, quam seniorum. Argumentum, partes sinistras esse humidiores, quod molliores sunt, atq; effeminatiores.

8 Quam ob causam pudæfactis aures summè rubescant, iratis oculi? An quia pudor in oculis refrigeratio quædam cum timore est: itaque calor iure oculos deserit: quod cum inde secedendum sit, locum sui capacissimum petat necesse est, quales certò summæ sunt aures. Cæteræ nanque partes longæ ossibus omnes compactæ sunt. Ira-

tis contrà, calor in oculos, totamque faciem reuocatur: sed conspectior in oculis est, videlicet albi eorum coloris ratione.

9 Cur aurium sonitus accito strepitu cesset? an quia minorem strepitus amplior pellit & eruit.

10 Cur si aqua lapsa in aurem sit, oleum, quo humor effluat, instillamus? nullo nanque humore alio effluere potest. Vtrum, vt quoniam oleum per summa aquæ innatat, eique aqua præ lentitate adhæret, effluente oleo aqua etiam ipsa effluat. An vt per lubricam aurem labens aqua excurrat: oleum enim, vt pote leuè, facit vt propere labescere possit.

11 Cur minus aures vrinantibus rumpantur, si oleum sibi instillarum habentes, in mare interrumpant? An ratio cur rumpi aures possint, antè exposita est. Oleum verò in aures instillatum, facit vt mare superueniens relabi facilius possit: quomodo in parte corporis exteriori peruncta fieri nouimus. Labens autem ictum parti interiori auris nullum inuehit, itaque disrumpere non potest.

12 Quam ob causam aures cum exangues adeo sint, pudore erubescere possint? An res quæque ferri in eum soleat loci, qui sui vacuus est. Cum ergo sanguis efferri sursum calidus videatur, aures maximè, partemque inanissimam adit: itaq; rubore inibi afficit. Quod idem intelligendum de genis etiam est. Adde quod tenuissima cutis, quæ distenta est, ita fit, vt rubor percipi in auribus præcipuè possit.

13 Cur nemo oscitans aurem in scalpere suam audeat? an quia membrana etiam, per quam audimus, inflatur, cum oscitamus: indicium, quod audiendi facultas tollitur, cum oscitamus. Spiritus enim vt in os, ita etiam in aures interrumpens, membranam expellit, ac prohibet, quò minus somnus ingrediatur. Quod cum ita sit, si sedem audiendi, cum oscitamus, auriscalpio tetigerimus, plurimum membranam lædemus. Ictus enim ad obiectum, renitentemque spiritum, non ad cedentem inferetur, & membranam abiunctam solidis esse, certum est: quare dolor ita moueri, vulnusque excipi facile potest.

Eorum, quæ ad nares pertinent, Sectio XXXIII. cuius questiones XVIII.



Vt singultus sternutamento sedari queat, ructus nequeat? An quia non partis eiusdem vtrique; ista affectio est, sed ructus ventriculi, singultus verò refrigeratio, cruditasque spiritus, atque humoris pulmone coniunctissimi est, sedes autem cerebri re cū pulmone comunem sortita est. Quod quidè ratione constat aurium: interdum enim surditas accidit, simul & morbus ipse aurium, in pulmonis vitium transit, & nonnullis tussis statim mouetur suas scalpentibus aures. Locum autem sternutandi rem naribus esse cum pulmone comunè respiratio docet, quæ comunis vtrique est. Sternuimus itaq; loco eo ipso calfacto. Calorè autè eius

eius locus sentit inferior, cuius singultus est, calor verò vim obtinet & concoquendi. Quam ob rem aceto etiam, retentioneq; spiritus finiri singultus leuior potest: spiritus enim retentus satis concalfacit. Vnde fit etiam inter sternutandum, vt spirandi retentio idè obducta efficiat, & conuenièter quoq; expirantia superiori de loco educitur: quippe cum fieri nequeat, vt quis sternutet, nisi expiret: impetus itaque spiritum interclusum rumpit, dispellitque, qui singultum cieere potest.

2 Cur si quis sternutaturus oculum perfricauerit, minus sternutet? An propterea quod sternutamentum à quodam excitatur calore: fricatio autè calorè cieere potest: qui calor, quoniã locus, quo sternutamus, oculis in propinquo est, alterum sternuendi calorè tollit, quemadmodum minor ignis ab ampliori emarcescit, atq; absimitur.

3 Cur bis sternuere magna ex parte solemus, non semel, aut sapius? An quia binis naribus sumus: per vtranque itaque narem venula partita diffurrit, qua spiritus solet permanere.

4 Quam ob causam, qui Solem aspexerint, sternutare magis consueverunt? An quia Sol calfaciens mouet perinde, atq; qui nares penna sollicitant. Idem enim vtrique; agunt, quippe qui per motum calfacientes ocyus spiritum ex humore eliciant, cuius excursio spiritus sternutatio est.

5 Cur singultus sternutamento finitur, & retentione spiritus, & aceto? An sternutamento, quia spiritus cohibetur inferior, atque circumobfistit: quemadmodum medicina parti superiori adhibita alius sentit, ac immutatur, spiritus retentione leuiorè tolluntur singultus, eò quod exiguus spirandi impetus, si paulisper retinui-mus, vt in tussi desistit, sic etiam in singultu reprimitur, cogitur, strangulatur. Aceto idcirco sedatur, quia humor circumstans, ac prohibens eruicandi licentiam, in spiritum per vim aceti calfactoriam extenuatur. Fit enim ructus, cum ventriculi humor recalescens inflatur, atq; concoquitur: singultus verò, quoties spiritus vacans ab humore in loco spiritui deputato retinetur. Hinc enim dum enititur, nec erumpere potest, distentionem inducit, quæ distentio appellata singultus est. Inde fit, vt singultus vbi inalguimus, oriatur. Frigus enim humorem spiritui obductum coangit spiritus circumuentus exilit, cuius commotio non nisi singultus est.

6 Cur aquam nonnullis frigidam in faciem fundimus, cum è naribus sanguis effluit? An ita calor intus se colligit, atq; circumobfistit, qui sanguinem summum reddit liquidiorè.

7 Cur sternutamentum pro numine habetur, non tussis, neque grauedo? An quia de capite membrorum præcipuè omnium diuino, vnde cogitatio est, suum ducit principium. An quia cæteri illi affectus ratione morbi eueniant, hic fecus exultet.

8 Cur oculo perfricato sternutamenta desistunt? An quia humor sic respirat: lacrymam quippe oculis post frictionem emittit: sternutamentum autem humoris copia excitatur. An quia minor calor corripit ab ampliori, consumique potest.

Oculus autem perfricatus, plus caloris sibi acquirit, quam sit, quem nasus complectitur. Hinc etiam fit, vt si nasum quis perfricet, ipsum sternutamentum desistat.

9 Cur eruptio cæterorum, vt flatus, vt ructus, sacra haudquaquam habetur, sternutamenti sacra habita est? Vtrum quoniã cum tres partes principes sint nostri corporis, caput, thorax, & aluius, flatuque alui expiratio sit, ructus ventriculi, sternutamentum capitis, quæ pars sacra præcipuè est, spiritum hinc exeuntem, vt sacrum veneramus, & adoramus. An quia spiritus omnis eruptio, partes, quas modò dixi, melius sese habere significat. Cum enim minus sternuere queunt, spiritus erupens leuat, ac mitigat. Ergo sternutamentum quoque bene caput valere, posseque concoquere, indicio est. Cum enim capitis calor humorem, spiritum ve conuincit, tunc moueri sternutamentum solitum est. Quam ob rem moribundos interdum sternutatorio excitamus, tanquam si hoc affici nequeant, spes nulla salutis sit. Perinde igitur quasi bonè indicium valetudinis partis optimæ, atque facerrimæ, sternutamentum adorant, benèque augurantur.

10 Cur homo omnium maximè animantium sternutare solitus est? An quia foramina sui corporis obtinet latiora, per quæ spiritus interrumpere potest: his enim spiritu impletis sternuimus. Latiora autem esse indicium, quod omnium animantium homo olfactu valet: foramina quippe tenuiora sentiunt exquisitius. Quod si latiores meatus plus humoris, ac sapius subeat, necesse est, quo inflatu sternutamentum moueri solet, talisque homo maximè animantium habet, merito sapius sternutat, præsertim qui naribus breuissimis est. Sic enim humor concalfactus celèrius effluere conuersus in spiritum potest. Cæteris verò præ longitudine narium antè refrigeratur, quam effluat.

11 Cur sternutamenta, quæ de medio noctis ad meridiem vsque moueantur, damnum, quæ de meridie ad noctis mediū approbentur? An quia cum rem aliquam exordimur, tunc sternutamentum potius obseruandum sit. Itaque cum rem agere pergimus, atque inter initia sternuisse acciderit, amouemur, remque inceptam prosequi temperandum censemus. Dies igitur, & aurora, & de medio vsque noctis quasi initium quoddam esse: itaque ominusum tantisper sternutamentum esse putamus, temperamurque sternutare, ne pergentem quempiam ad agendum reuocemus: post meridiem verò, adque medium vsque noctis, finis veluti quidam est, tempusque illi contrarium, itaque contrà tunc & existimatur, & agitur.

12 Cur senes laboriosius sternutant? Vtrum quod his foramina, per quæ spiritus permanere solet, adducta, atque coniuncta sunt. An quia senes faciliè eleuare nequeunt, per vim demittunt, atque concalfant.

13 Cur si spiritum quis retineat, singultus desistat? An quia refrigeratio est, quæ singultum inducat: quam ob rem & qui timent, & qui algent, singultiunt. Spiritus verò retentus, partem corp

corporis calfacit interiorem.

14. Cur homines surdi e naribus magna parte lo qui consueverunt? An quia pulmo eorum vitia tus est. Surditas enim detrimentum pulmonis est. Vox itaq; ferri expedite non potest: sed quemadmodum qui spirandi laborant difficultate, spiritum vniuersum suam ob imbecillitatem reddunt, sic vocem illi emittunt. Nituntur itaq; naribus, etiam dum loquuntur, qua vox protrudens sese, sono per attritum raucido illo profertur. Fit enim vt verba per nares afformentur, cum pars nasi superior, qua per palatum foramina patent, causa est: resonant enim tintinnabuli instar, ob claustrum inferioris angustiam.

15. Cur sternutamentum solum non dormientibus, sed, propere dixerim, semper vigilantibus fiat? An quia fieri sternutamentum non potest, nisi a calore, qui partem eam commoueat, qua effici solet: ex quo faciem Soli obicimus, cum sternuere placet. Dormientibus autem calor intus circumobstitit. Quam ob rem ima dormientium partes calidiores redduntur, spiritusq; abundat: qua quidem res causam habet, cur genitura in somnis pre libidine profluat. Merito igitur dormientes non sternutamur. Cum enim calor sedat capitis, qui eius partis humorem natus mouere aptus est, quo in aera extenuato, sternutamentum exultat, affectionem consequentem illam obueneri non posse, consentaneum est. Crepitus tamen inferius, ructusq; superius dormientes magis, quam vigilantes, extrudimus. Quod enim venter inflari in somnis amplius solet, accidit vt eius inflati humores loca sibi proxima adeant: eod nanque vel a spiritu per quiete excito copelluntur. Retinere enim potius, quam emittere, potest, qui sopitus est: itaque intus calorem contrahit. At qui spiritum retinet, deorsum impellat necesse est, quippe cum imum deferri spiritum preter suam naturam sit. Vnde fit etiam: vt perdifficile sit spiritum retinere. Quinetiam cur dormiamus, hac eadem ratio est: cum enim vigilia motus sit, qui membra sentiendi officio accommodata magis cum vigilamus exerget, constat somnum posse accedere, cum eadem illa membra quiescunt. Cum vero vis ignea sit, qua membra corporis nostri mouere possit, & hac intus se contrahat, circumstitatq; in somnis caput relinquens, quod sensus retinet omnes, tunc maxime sensuum sedes quiescere possint, qua quidem res causam afferat dormiendi.

16. Quam ob causam vbi sternutamimus, aut minimum, membra nostra inhorrescere solent? An quia vtraque re illa venæ aeris inanes redduntur, quem calidum ante continebant. Inanes aer extrinsecus alius subit illo frigidior, qui ante in venis fuerat, quam sternutaremur, aut mingere mus. Quod cum talis subeat aer, merito facit vt membra inhorrescant.

17. Cur singultus sternutamento desistere potest? An propterea quod singultus non quemadmodum ructus a ventre, qui cibi conceptaculum est, sed a pulmone proficiscuntur. Quod maxime refrigeratione, aut rigore, aut dolore, aut medicatione superiore accidere solet. Quod enim

membrum id calidum sua natura est, quoties refrigeratum sit, totum admittere spiritum non potest, sed ballas quodam modo excitat: quam ob rem retento etiam spiritu, singultus finitur. Sic enim pars ista recalescere incipit, & aceto quoque hausto desistit, quoniam vis aceti calefactoria est. Cum itaque calidum quodque concalfatum reddatur, sedesq; cerebri foraminibus peruia pulmoni respondeat, efficitur vt retentio spiritus, qua sternutationi antecessit, repressusque desuper illatus, affectione istam pulmonis membri calidi abigere valeat.

Cur homines capillo crispo, & tortili, magna ex parte resimiores sint? An si crispitudo sita in crassitudine est, & crassitudo non sine duritia constat, & durus sanguis calidior est, & calor materiam excrescere inutilem minus patitur, & os ex vacante materia consistit, & cartilago non nisi os est, merito diminutio nasi consequatur. Indicium ætas adhibet puerilis: sunt enim pueri omnes naso resimato.

Eorum, que ad os, & ad ea, que in eo sunt, pertinent, Sectio XXXIII. cuius questiones XII.



Vt homines, qui raris dentibus sunt, vitam longè agere nequeant? An quia longè animantia viuunt, qua dentium ordine prædita sunt numerosiore, vt mares, quam femina, longius: viri nanque diutius, quam mulieres: atque in pecudum genere, cæterorumque animalium perspicui identidem licet. Qui itaq; raris dentibus sunt, habere quasi pauciores indicantur.

Cur dentes, qui longè solidiores, quam caro, sunt, frigus amplius sentiant, quam caro? An quia meatibus nituntur infixi tenuibus, quorum exiguus calor celeriter a frigore vincitur, mouetque dolorem.

Cur dentes frigidum amplius, quam calidum sentiant? caro e contrario? Vtrum propterea, quod caro mediocri, temperatoque habitu est, dentes vero perfrigidi sunt, itaque rem frigidam sentire plenius possunt. An quoniam meatibus continetur tenuibus, quibus calor inditus exiguus est: itaque re aduersa potius patiuntur: caro, quia calida est, vt nihil affici a frigido potest, ita calidum compedio sentit. Ignis enim quasi igni adicitur.

Cur lingua rerum index plurimum esse potest? Nã & febris ardentioris, & grandinũ, si qua insunt, & pecoris versicoloris varia est. An quia humoris capiens est, & super pulmone posita, vnde febrium principium ducitur. Versicolorum autem ratio referri ad humorum varietatem debet. Inficitur tamen id primum, per quod humor primum manat, colaturque, cuius generis lingua est. Grandines vero lingua propterea contrahit, quod inanis, spongiosaq; est: quippe cum grandio veluti panis inconcoctus, crudusq; parte interiore corporis nasci soleat.

Cur lingua amara, salsa, & acida fieri potest, dulcis non potest? An quod naturæ corruptiones isthæc

isthæc sunt. Constantiam vero ipsam, naturamq; sentire nequaquam fieri potest.

6. Cur totidè coloribus lingua euariat, quot cutis? Vtrum quod ea quoque in membrorum numero exteriorum recipitur, quanquam in ore abdita est. Verum quia prætenui cute integitur, vel minima in ea varietas deprehendi potest. An quod aquæ ratio est, qua facit vt colores mutentur: lingua autem affici ex potione maxime potest.

7. Cur halitum ex ore tum calidum, tum frigidum reddere possumus? quippe qui frigidum efflemus, calidum vero exhaemus: indicium, quod manus ori admota, exhalanti calferi potest. An utroque modo aer comotus calidus est. Sed quoniam qui efflat, non vniuersum aera mouet, sed ore angustiori extringit: paucum expirat, quod multum externi aeris excitat. Itaque calor ore profectus, passus in eo sua ob exiguitatem delitescit: at qui exhalat, vniuersum; ob eamque rem calidiorum expirat. Est enim efflatio, spiritus strictim protrusus: exhalatio vero spiritus vniuersum profusus.

8. Cur si vehementer, vniuersimque expiramus, iterum expirare nequeamus? quod idem in respirando etiam accidit: bis enim ex ordine id facere nequimus. An quoniam alterum dilatatio, alterum contractio loci est: idcirco quadantenus, non vsquequaque possunt. Constat igitur ambo vicissim fieri necessum: bis vero ex ordine posse neutrum.

9. Quam ob causam cum alius locus sit, qua cibibus, potusque transeunt, alius qua spiramus, vbi grandiore buccellam deuorauimus, strangulamur? An nihil absurdum id est: non modo enim si alicuius interuentu locus spirandi stipatus sit, verum et si adductus sit extrinsecus, æque, imò magis, abstrangulamur. Isthæc vero proxima inter sese posita sunt, quo cibi excipimus, & quo spiramus, quare vbi iusto amplius frustum incidit, locum spirandi proximum adducit, intringitque, vt via spiritui omnis denegetur.

10. Cur homines, qui virgulam suæ palmæ ducta per totam latitudinem habent, vitæ longissimæ esse possunt? An quia brevis ætatis, imbecillaque sunt, qua artuum beneficio carent. Imbecillitatis indicium ætas prima, atque tenerrima affert: vitæ autem brevis testimoniũ dat genus omne aquatile: qua cum ita sint coarctata, compactaque omnia contra sese habere liquidum est: quo in genere illa etiam sunt, qua cum ex natura artubus maxime careant: articulari tamen contingit: palmæ autem partem interiorem penitus carere articulo certum est.

11. Quam ob causam dum longè spiramus, venter trahentibus adducitur, reddentibus diducitur, atque repletur? Veri enim simile dixeris esse, vt contra veniat. An quia cum respiramus, venter adductis costis in imum comprimitur: idcirco distendi in ampliore molle folliũ instar appareat.

12. Quam ob causam spirare necesse habeamus? An quemadmodum humor dissolui in spiritum potest, sic spiritus transire potest in ignem. Calor itaque naturalis vbi bonam spiritus partem in ignem conuertit, dolorem admouet, atque etiam meatus diducit, & ampliat. Quam ob rem igne

cum spiritu expellere cogimur: quibus extrusis meatus contrahuntur, atque refrigerantur: itaque dolor iterum tentat. Rursum igitur aerem trahimus, atque vbi posthac spirandi meatus patefecimus, vocemque reddimus; ignis iterum oritur, atque iterum pre dolore spiritum reddimus, idque vicissim ordine perpetuo agimus: sicuti etiam palpebras agitare solemus, vt corpus oculorum refrigeretur, assicceturque. Et vero cum ambulamus, ingressui nostro attendimus, scilicet ex ordine gubernandi, atque regendi, quem vis nostra intelligendi percommode astruit. Hunc ergo in modum spirandi quoque vsu exequimur ingenio quippe trahendi aeris reddimus, atque illico rursus attrahimus.

Eorum, que ad tactum pertinent, Sectio XXXV. cuius questiones X.



Vt inhorrescere magis solemus, cum alius modo quodam nos tangit, quam cum nos ipsi tangimus? An quia tangendi sedes rem plenius externam, quam suam sentit: quod enim natium, atque insitum est, id sensum effugit. Quinetiam quod clanculo atque subito fit, terribilius certe occurrit. Metus autem, refrigeratio quædam est: at vero tactus extraneus pre suo vtrunque id habet. Denique affici vnumquodque ab alio vel tantundem, vel magis aptum natura est: quod etiam in titillando constat accidere.

Cur in alis, & pedum vestigiis titillamur? An propter cutis tenuitatem. An quia tactus earum partium insolens est, vt etiam auris.

Cur non eisdem in rebus inhorrescere omnes soleamus? An quemadmodum nec in eisdem omnes delectamur, nec in eisdem angimur omnes: ita nec in eisdem omnes horrescimus. Quædam enim refrigeratio æqua omnibus ratione inuehitur. Sed alii tamen, cum vestis rumpitur, inhorrescunt: alii, cum ferra vel acuitur, vel trahitur: alii, cum pumex secatur: alii, cum pillus mola perfrangitur.

Quam ob causam cum ætas calida, hyemis frigidissima sit, corpora tactu frigidiora per ætatem sint, quam per hyemem? Vtrum quoniam a sudore refrigerari corpora possint, qui, vt fieri per ætatem solet, sic ab hyeme alienus est. An quia in contrarium tempore tum frigus, tum calor circumobstitit, intusque per ætatem calor refugit: itaque sudorem potest exprimere: per hyemem vero vis frigoris ardet, & corpus perinde, quasi terra, euaporat.

Quanam causa pilos inhorrescere faciat? An merito cute contracta exurgant, qua contrahitur tum a plerisque aliis affectionibus potest.

Cur nemo seipsum valeat titillare? An ne ab alio quidem titilletur, si rem præsentit, vel potius si ipsum videat titillantem: ergo minime titillari quis possit, si qua tactio affertur, non lateat. Ritus vero, lapsus quidam, & fraudatio est, qua cum in sede præcordiorum quis verberatur, ridet. Haud locus quilibet est, quo ridemus: clandestinum autem omne, fraudulentum est.

est. Qua de causa fit, vt illa eadem res & moueat risum, & non moueat.

7. Cur labris maximè inticillamur? An quia membrum, quod titillari possit, non longè à se de potissimum sentiendi abesse debet: labra autem eo maximè in loco posita sunt: sed omnium maximè locorum capitis propterea titillantur, quòd carne ex toto constant, quare mobilissima esse possint.

8. Cur si quis locum nostrarum alarum moueat, in risum continuò labamur, si quam aliam moueat partem, nullam possit ridendi causam afferre? Et quænam ratio est, cur naribus penna tenentis sternutamentum moueatur? An quia loca quædam venularum habemus, quibus vel refrigeratis, vel contrà affectis, venulæ ipsæ aut humectantur, aut in spiritum ex humore dissoluntur, quemadmodum si venas ceruicis dormienti quis premat. Læticia itaque gestiens, concalfactio quædam est: spiritum autem, cum redundarit, foras mittimus vniuersum. Sternutamenti quoque ratio illa eadem est: cum enim penna mouemus, atque tepescimus nares, humor in spiritum soluitur, quem mox redundantem expellimus.

9. Cur sæpè numero vsu euenit, vt ingesto cibo inhorrescamus? An quòd cibus frigidiusculus admissus, vincit principio magis naturalem calorem, quàm vincitur.

10. Quam ob causam quod digitis vice mutata implicatis circumagitur, duo esse videatur? An quia duplici sentiendi parte attingimus. Nunquam enim fieri potest, vt lateribus digitorum exterioribus vtrisque idem complectamur, & agitemus, dum manus ordinem suum obtinet naturalem.

Eorum, quæ ad faciem pertinent, Sectio XXXVI. cuius questiones III.

1. Vt faciem effigiare consueuerunt? Vtrum quòd qualisnã simus, ea ipsa corporis parte intelligi possit? An quòd ea præcipuè qui simus, agnosci potest.

2. Cur faciem maximè sudare solemus, quæ carnis omnino expers, atque gracilis est? An quòd ea propensiora sunt ad sudorem, quæ humida, laxaque sunt. Caput autem tale est, quippe quòd humorem suum plurimum habeat, quem venæ tendentes inde declarant, & destillationes, quæ è capite venire solent. Cerebrum item humidum est, & foramina capitis permulta. Capilli profectò foraminum multitudinem foras vsque productam latissimè indicant. Sudor igitur non ex parte inferiore, sed ex capite oritur: quam ob rem frons prima, & maximè sudat. Prima enim subiecta vertici est. Humor autem deorsum, non sursum, fluit.

3. Cur in facie maximè tubercula oriri solent, quos varos vocamus? An quia locus iste rarus, atque humidus est. Indicium, pilorum eruptio, & sentiendi potentia faciunt. Tuberculorum autem genus id, veluti pustula, minutusque abscessus cuiusdam inconcocti humoris est.

Eorum, quæ ad totum corpus pertinent, Sectio XXXVII. cuius questiones VI.



Vam ob causam cum corpus assidue fluat, defluxusque ab excrementis proficiscatur, leuari non potest, nisi exudet? An quia non satis fecerni sic potest, diutius tamen fecernitur. Cum enim ex humore mutatur in aera, plus certè oritur ex minori. Plus nanq; quod fecernitur est: quare tempore ampliori fecerni necesse est.

Sed cur ita fiat? An quia foraminibus longè angustioribus effluit. Pars enim humoris lenta, glutinosaque, vt excerni permista cum liquida potest, ita cum spiritu nequit: quæ quidem res maximè infestat. Quapropter vomitus magis, quàm sudores leuare queunt: quoniam in partem illam lentam secum educunt, vt qui crassiores, corpulentioresque sint. An etiam quòd locus, qui partem humoris lentam, glutinosamque continet, semotus à carne est: ventri autem in propinquo manet. Aut enim in eo, aut in vicino lentum illud contrahitur: vnde fit, vt aliter educi vix possit.

Quam ob causam frictiones carnem augeant? An quia vim præcipuam obtinent augendi ea, quæ nostro in corpore calida habemus: molem quidem adipiscitur ampliorem, quod assidue ipsam in motu est, sursumque effertur, & in spiritum humores extenuat intestinos, quæ certè fieri in perfricando videmus. Quare vbi vsus defuit perfricandi, corpus decrefcit, atque minuitur. An ita fieri possit, vt vel per alimentum auctior caro reddatur, concalfaciendi scilicet beneficio. Calidum enim omne, humoris detrahens est: alimentum autem, quod in carnè digeritur, humidum est. Plus quoque alimenti caro ex laxitate sibi admittit, quippe quæ laxior copiosius capere, instar spongiæ, possit. Frictio autem nimium carnem elaxat, & spiritibus reddit opportunior, & prohibet quòd minus inutiles coitiones in corpore contrahantur: quæ si absunt, tabes nulla consequitur. Vitiosum enim illud ieiunium corporis, & tabes nasci ex materia solet, quæ inutilis cõgesta est. Quòd si caro spiratior, laxior, atque æquabilior sit, molem capiat ampliorem, consentaneum est. Nam & alimenti capaxior, & excrementorum fecernentior redditur.


Quam ob causam vbi perfricauimus, eodem calore vehementius vrimum, atque dolemus? Vtrum quòd caro sua densitate calorem interrumpentem coerct: quare plumbum calidius, quàm lana est. An quia caloris transitio per vim agitur, quoniam corpus strictum à frigore constat.

Cur sicca fricationes carnis soliditatem moliantur? An quia caro perfrictione recalescit, humor consumitur. Adde quòd caro perfricata densatur. Quæ autem frictionem, attritumque pleniorum experiuntur, omnia maiorem in modum densari, reddiq; solida consueuerunt: quod multis in rebus planè intelligi potest. Nam & farina, & terra, & reliqua generis eiusdem, si aqua infusa trahas, humida titubabunt, & fluida: sed si plen

pleniùs atteras, longiorémque tractationem adhibeas, spiffescunt, solidescunt, lentescuntque celescunt.

6. Cur ampliùs frictio, quàm cursus corpus imple re potest? An quia cursus, carnem refrigerat, nec alimenti reddit capaxiorem, sed pars in imum conuertitur, pars à naturali calore penitus extenuata, transit in spiritum: at manus carnem permulcet, laxat, capaxem alimonix facit. Et verò exterior ista intentio premendo, stipandóque refringit interiorum impetum, obsistensque arctius continet, & carnem attollit.

Eorum, quæ ad colorem pertinent, Sectio XXXVIII. cuius questiones X.



Vr oleum, & cera Solis calore candescunt, caro nigrescit? An illa Sol propterea candefacere possit, quòd humorum nimium eximit: nigricat enim per naturam, quod præhumidum est, propter humoris terreni mistionem. Carnem verò, quòd nullam inde humoris copiam detrahit, adurit, atroque afficit colore.

2. Quam ob causam piscatores, & purpurarii, & omnino qui rem exercent marinã, rufi sunt omnes colore? Vtrum quòd mare sua salsugine calidum, & squallidum est: tale autem quodque pilos conficere rufos potest, vt lixiua, vt auripegmentum. An parte exteriori calidiores, interiore frigidiores reddantur, eò quòd summa corporis vicissim modo madefiunt, modo à Sole resiccantur, idque perpetuò agitur. Itaque pili assiccati extenuantur, & omnes quidem incolæ plagæ. Septentrionalis rufi sunt pilo, & tenui.

3. Qua de causa cursus, quem induti agimus, & olei sub vestem perunctio pallidulos reddat? An propterea quòd vt spiratio comoda gratum affert colorem, sic obseptio, & strangulatio contraria afficiat, necesse est. Quòd itaque humor passus per summa corporis cum incaluerit, refrigerari non quit, pallorem facillè trahit. Quod idem vtrunque illud, sudor, & oleum sub amictum committit: calor enim introcluditur, atque arcetur. Cursus verò, quem nudo corpore agimus, colorem præstat amœniorem, scilicet ratione contraria. Delibamenta quippe excrementitia, quæ subsistunt, aer refrigerat, corpusque ita diffilat, euaporaturque commodiùs. Adhæc: oleum, cum tenue, atque humidum sit, subter perunctum, meatusque corporis intersepiens, neque humorem, ac spiritum è corpore profluere finit, neque spiritum exteriorem admitti patitur. Quapropter materia vacans in corpore humida, putrescens pallorem inducere potest.

Qua de causa spiratio comoda colorem parit amœniorem? An quia pallor putredo quædam per summa corporis est. Cum itaque humor summum obtinens corpus, calidus est, vt palleat accidit, nisi refrigeretur, diffleturque.

Quare qui mediocriter insudarint, statim ab exercitio colore hilarantur amœno, athletæ verò pallidi longè euadunt? An quia labor mediocris colorem leuiter prouocat, & ad corporis summa inuitat. Nimius verò cum sudore, & spiritu extrudit, dum corpus inter laborandum rarefcit, atque laxatur. Cum igitur calor per summa residet corporis, color ille exultat, quemadmodum calfactis, aut putrefactis euenire solitum est. Vbi verò inde euanuit, pallor continuò succedit. Cæteri itaque mediocriter se exercent, athletæ prorsus vehementer laborant.

Quam ob causam qui se exercent, ampliùs à Sole vtuntur cum sedent, quàm cum mouentur? An cum in motu sunt, aera agitant: itaque spiritu quasi ventilantur. Cum verò sedent, quia aer immotus est, vim Solis acriorem experiuntur.

Cur Solis calor summum adurere potest, ignis non potest? An quia Sol tenuior est, carnem subire ampliùs potest: ignis verò etiam si adurat, per summa tantum colorem inducit nigrum, quas phædas nominant: interius autem subire minimè potest.

Cur ignis hominem nigrum non reddit, fictile reddit: Sol contrà, hominè nigrore afficere potest, fictile non potest? An non eadem vterque ratione agit, sed Sol adurèdo nigricat, ignis fictile replet, obducitque fuligine, quæ fauilla prætenui, dum carbones franguntur, simul & flagrant, contrahitur: hominem nigrum Sol reddit, ignis minimè: quoniam Solis calor lenis, mollisque est, & præ sua tenuitate cutem ipsam leniter per summa adurit. Quoniam itaque carnem non attingat, dolorem nullum potest infligere: quoniam vrat, nigrorem inuehit. Ignis profectò vel nihil tangit, vel intro irrumpit: nam arbuta quoque igni atra redduntur. Verum hic non eatenus tantummodo vrat, quatenus color ater se pandit, & auget.

Cur homines, cum senescunt, nigriores reddantur? An quia res omnes, excepto situ, nigriores, cum putrescunt, euadant: senectus autem non nisi quædam putredo est. Adhæc, cum sanguis siccescens nigrior reddi soleat, meritò senes sunt nigriores: sanguis etenim est, qui nostra corpora colore intingere valeat naturali.

Quam ob causam oleum Sol candefacit, carnem nigricat? An quia olei terrenam eximit partem, quæ nigrioris causa est, vt etiam vinum fortis ratione terrenæ nigrum est. Carnem verò nigram propterea reddit, quoniam vrat: terrenum nanque omne, cum vratur, nigrum effici solitum est.

CLARISSIMO VIRO

GVLIELMO A SAVI-

GNI, ARMATAE SIMVL

& Togatae militiae orna-

mento singulari,

Hieronimus Gemusæus S. D.

DAECLARIVS est oraculum hoc, ab homine nostri seculi doctissimo non ita pridem editum, quam vt aut à quopiam ignorari, aut à nobis silentio præteriri conueniat. Cum nemo, inquit, nec ante Aristotelem, nec post ipsum exortus esse memoretur, in cuius mente, ceu purissimo in speculo, lucidius, meliusque, & expressius Natura rerum tota refulsit, solusque palmæ huius laudem vir prorsus incomparabilis sic teneat, vt in participationem eius, societatemque neminem omnium admittat: decet equidem, vt quemadmodum ipsa beneficiis suis toto cælo & terra communiter omnibus impertit sese, sic summus vtique Naturæ interpres vnus ab omnibus in toto Mundo legatur, discatur, ametur, celebretur. Hoc illius de Aristotele oraculum est. Cui sanè oraculo obtemperandum esse, imò verò promouendum quoque id esse, ac perficiendum, rectè nostris visum est. Pròinde adornata postrenum fuit hæc editio, in quam versiones hominum doctorum, in opera authoris huius pleraque, quæ ex omnibus scilicet præstantiores visæ sunt, vndique collectas iuxta ordinem suum digessimus. Cætera quoque, quæ malè adhuc Latina supererant, pro virili curatum est, vt quoad eius fieri nunc posset, emendarentur. Porrò huiusce editionis non minima pars est, quæ in hoc tomo continetur, siue molem spectes eius, siue vtilitatem, dignitatemque. Continet enim tractationem de moribus totam, quam sanè philosophiæ partem, siue dignitate, siue vtilitate, nulla cæterarum inferiorem esse, rectè arbitrantur. Equidem quod dici solet, pulcherrimarum rerum vsus quantò pateat latiùs, tantò magis admirabiles res ipsas esse. Nam & Solis globus cum pulcherrimus per se sit, hoc ipso tamen nomine angustior est, quòd nulli non mortalium lucem impertiatur suam. Hæc certè philosophiæ totius pars latiùs, quam reliquæ, patet, quæ nulli non mortalium, nulli non atati, aut terrarum loco sua beneficia non distribuit, amabilem omnibus, tutamque tranquillitatem, æquitatemque comparans. Nam per hanc ipsam & initio constitutæ, & stabilitæ postmodum, ac seruatae sunt Rerum publicarum omnes formæ. Siquidem ea est, quæ legibus omnibus principia præbet sua, & tanquam fundamenta subdit quædam. Dignitate quoque hanc cæteris antecellere philosophiæ partibus inde constat, quòd tanquam finis esse cæterarum disciplinarum videatur. Finis autem, causis ipsum præcedentibus, dignitatem omnino habet maiorem, nam ob hunc eæ ipsæ comparari initio, constituique solent.

ARISTOTELIS

STAGIRITAE ETHI-

corum ad Nicomachum,

Liber Primus,

Ioanne Argyropylo Byzantio Interprete.

Argumentum primi Libri.

PRIMVS docet de bono quòd ipsum omnia appetant: de diuersitate finium: de fine agendorum: quòd civilis sit facultatis: de auditore morali: de summo bono: quòd bene educatū esse oporteat huius disciplinae auditorē: quòd felicitas non sit voluptas, non honor, non virtus, neque diuitiæ: quòd non sit idea: de fine perfecto: de felicitate, & quid sit ipsa: de præceptis, quæ decet in omni disciplina obseruari: de còcordia dictorum antiquorum cum vera felicitate: de triplici bono, extrariorum, corporis, & animi: de externis bonis, quòd felicitati conducant: de modo, quo acquiritur felicitas: quòd quis in vita dici queat felix: de fortuna: de ipso felice: de prosperitatibus, & aduersitatibus amicorum, & quomodo pertineant ad defunctos: quòd felicitas, bonum non sit laudabile: de anima, & de duplici parte animæ.

De vniuersali boni appetitu, ac finium diuersitate. Cap. I.

OMNIS ars, omnisque doctrina, atque actus, ita dè & electio, bonum quoddam appetere videtur. Quapropter bene veteres bonum ipsum id esse dixerunt, quod omnia appetunt. Finium autem differentia quædam esse videtur. Quidam enim sunt operationes: quidam, præter has ipsas, opera quædam. Atque in quibus præter operationes alii quidam sunt fines, in iis ipsa opera sunt operationibus præstabiliora. Cum verò còplures sint actus, & artes, atque sciētia fit, vt multi sint etiā fines. Medicinæ nanque finis est sanitas: artis extruedarū nauium: nauis: facultas rei militaris, victoria: & familiaris rei gubernandæ, diuitiæ. Quæ autè taliùs, sub aliqua vna potentia sunt, vt ars conficiendorū frænorum, cæterarumque omnes instrumentorū equestrium effectorum, sese habent ad facultatē equestrē, & hæc cū illis, omnisque actio bellica ad militarē facultatē, & ad alias aliè simili modo. In iis omnibus fines earum, quæ rationem architecturæ subeunt, magis sunt expetibiles, quam omnes fines inferiorum: illi nanque horum gratia expetuntur. Atque nihil interest, siue fines

actuum ipsæ sint operationes, siue præter ipsas aliquid aliud, vt in dictis facultatibus intueri licet.

Quòd vnus agibilium finis, qui civilis sit facultatis. Cap. II.

UGitur si quispiam rerum agendarum est finis, quem nos propter se ipsum, cetera autè propter hunc volumus, (neque fit vt omnia propter aliud expetamus: esset enim hoc modo sine vlllo sine progressus, atque hinc noster appetitus inanis esset, & vanus) constat hunc talem finem summum bonum, ipsumque optimū esse. Et ad humanam igitur vitam, magnam huiusce cognitionem opem affert. Nam vt sagittarii signum habentes, magis id, quod oportet, attingere possumus.

Quod si ita sit, enitendum est, hunc ipsum figuram quidnam sit còprehendere, & cuius sit sciētia vel facultatis percipere. Videbitur autè eius esse, quæ maximè dominatur, maximèque ratione subit architecturæ. Talem autè sese offert ipsa civilis facultas. Hæc enim, & quas sciētias in ciuitatibus esse, & quales quenque discere, & quousque oportet, instituit re solet. Eas præterea facultates, quæ summis afficiuntur honoribus: vt rei militaris, resque familiaris facultatem, ac oratoriam artē huic subesse facultati videmus. Cum igitur cæteris actiuis sciētis hæc vtatur, & leges ferat, atque instituat quid quisque agere, & à quibus abstinere debeat: huius finis cæterarum omnium facultatum còtinet fines. Quo fit, vt hic finis sit bonum ipsum humanum. Quamquam enim vnus hominis idem & ciuitatis est bonum, ciuitatis tamè còparare, còseruareque bonum, maius, atque perfectius esse videtur. Nam amabile est, et si vni soli: maius autè, atque diuinius est, si gèti, ciuitatibusve sit acquisitum, partemque conseruetur. Hæc igitur appetit hæc doctrina, cū sit facultas quædam civilis.

*De modo procedendi, & auditore morali.**Cap. III.*

Dicetur autem satis, si declarabitur perinde, atque subiecta materia postulat. Ipsum enim exactum, non est in omnibus simili modo rationibus flagitandum, sicut nec in hisce, quæ per artē conficiuntur. Honestas autè, & iusta, de quibus civilis còsiderat, tantam differentiam, errorumque habet, vt lege tantum esse videatur, & non Natura. Talem etiam quendam errorem habent & ipsa bona, quia còpluribus ex ipsis accidunt detrimenta. Iam enim quidam ob diuitias, quidam ob fortitudinem periere. Amabile igitur de talibus, atque ex talibus dicentes, pingui Minerua, figuramque verum ipsum ostendere, & de iis, quæ sunt plerumque, atque ex talibus dicentes, talia & concludere. Eodem modo

& vnumquenque auditorem ea, quæ dicuntur, accipere oportet. Est enim eruditi, exactum ipsum eate. nus in vnoquoque genere flagitare, quatenus fert ipsius rei natura. Simile namque videtur esse, mathematicum suadentem probare, & ab oratore demonstrationes exigere. Atqui bene quisque iudicat ea, quæ cognoscit, & ipsorum bonus est iudex. Is ergo in vnaquaque re bene iudicat, qui in illa est eruditus. Absolutè autem, qui est in omnibus eruditus. Quapropter iuuenis, ciuilibus disciplinæ non est idoneus auditor. Est enim rudis actuum vitæ. Ex his autem, & de his ipsarum rationes efficiuntur. Præterea, cum perturbationes sequatur, incassum, & sine fructu audiet: quippe cum finis non cognitio sit, sed actio. Interest autem nihil, iuuenis sit astate, an moribus iuuenis similibus. Non enim defectus est obtemperare: sed quia vivit, & persequitur singula cum perturbatione. talibus enim inutilis sit ipsa cognitio perinde atque incontinentibus ipsis. Iis autem, qui suas rationi subiiciunt appetitiones, cum rationeque agunt, magnam afferre potest utilitatem. De auditore igitur, & quonam modo rationes sint acceptandæ, quidque proponimus, tot exordii loco dicta sint.

De summo bono, & recta auditoris educatione. Cap. IIII.



Ed nunc repetentes dicamus, cum omnis cognitio, atque electio bonum quoddam affectet, quidnam sit id, quod civile appetere dicimus facultatem, & qui id, quod omnium rerum agendarum supremum est bonum. Nomine igitur omnes ferè de ipso consentiunt. Nam & vulgus, & elegantes felicitatem inquit esse: atque bene vivere, beneque agere, & felicem esse, eadem esse putant. De felicitate autem quænam sit, dissentiunt, & non similiter vulgus, ac sapientes eam assignant. Quidam enim vnum quid eorum, quæ clara, manifestaque sunt, ipsam esse putant: ut voluptatem, aut diuitias, aut honorem. Quidam aliquid aliud. Persape etiã vnus idemque diuersum. Nam cum ægrotat, sanitate: cum pauper est, diuitias. Ignorantionis verò conscientiam suam, eos admiratur, qui magnam aliquid, & ultra vires ipsorum dicunt. Quidam autem præter hæc plura bona, aliud quoddam per se esse putant, quod quidem & his vniuersis, ut sint bona, censuere causam esse. Omnes igitur opiniones scrutari, superuacaneum est fortasse. Satis autem erit, si eas scrutabimur, quæ maximè extant, aut rationem aliquam habere videntur. At enim ne lateat nos, eas inter sese rationes differre, quæ à principiis proficiscuntur, & quæ ad principia pergunt. Rectè enim & Plato dubitabat, atque querebat, vtrum à principiis, an ad principia sit ipsa via: ut in stadio, ad calcem ex iis, quæ præmia ponunt, an contra? Enimvero semper est à notis incipiendum. Hæc autem duobus modis talia sunt. Alia namque sunt nobis, alia simpliciter nota. Nobis igitur forsitan ex iis incipiendum est, quæ nobis sunt nota. Quocirca bene institutum moribus esse oportet, qui de honestis, & iustis, & omni civili ratione est sufficienter auditorus.

Est enim principium ex se. Atque si hoc factis constet, non opus erit ipso, cur, & quam ob causam est. Talis autem, aut habet principia, aut accipere facile potest. Cui verò neutrum horum inest, is Hæsi-

di sententiã audiat hisce carminibus explicatam.

Optimus ille quidem est, ex sese qui omnia nouit: Præceptis, quæ post, & semper sunt meliora. Is rursus bonus est, paret qui recta monenti: Atqui ex se nescit, cuiquam nec porrigit aures, Ut bona percipiat, demens, & inutilis ille est.

Quod felicitas non sit voluptas, honor, virtus, aut diuitiæ. Cap. V.



Ed nos eò redeamus, unde digressi sumus. Summum enim bonum, felicitatemque, non sine ratione ex viuendi modo videntur existimare. Vulgus quidem, & importunissimum, voluptatem, quapropter & deditam voluptatibus vitam amat. Tres enim sunt maximè, quæ præcellunt: ea, quæ nunc dicta est, & ciuilibus, & contemplatiua tertia. Vulgus igitur macipii simile penitus esse videtur, pecorum vitam deligendo. Habet autem rationem, quod complures eorum, qui sunt in potestatibus constituti, perinde atque Sardanapalus, viuunt. Elegantes autem, & ad agendum idonei, honorem. Honos enim, finis ferè ciuilibus est vitæ. Videtur autem ab eo distare quod querimus. Nam in iis potius, qui afficiunt, quam in iis qui afficiuntur honoribus, esse videtur. Summum autem bonum, proprium quid, talisque esse vaticinamur, ut auferri facile nequeat. Præterea, honorem persequuntur homines, ut se ipsos bonos esse credant. Itaque à prudentibus, & apud eos, qui ipsos cognoscunt, & ob virtutem, honoribus afficiuntur. Constat igitur, secundum hos ipsos honore præstantior esse virtutem. Atque forsitan & finem quispiam ciuilibus vitæ magis hæc esse putauerit: verum & ipsa videtur imperfectior esse. Videtur enim posse virtutem habentem, & dormire, aut non agere quicquam per vitam, & insuper maximis malis, atque aduersa fortuna laborare: eum verò, qui ita se habet, nemo felicem dixerit, nisi qui positionem cõseruat. Sed hæc hæc tenent. Satis enim de his est & in cõuersionibus dictum. De contemplatiua autem vita, quam tertiã diximus, in sequentibus cõsiderationem faciemus. Ea verò, quæ pecuniis incumbit, violenta quædam est vita: ipsaque diuitiæ, non sunt id, quod querimus, bonum. Vtiles enim sunt, & ob aliud queri solent. Quapropter ea, quæ prius sunt dicta, potius quispiam fines esse existimauerit: quippe cum propter se expetantur. At neque etiã illa videtur, quanquam ad ipsa complures iactant sunt rationes. Hæc igitur missa faciamus.

Quod non sit idea. Cap. VI.



Ræstat autem fortasse de vniuersali bono cõsiderare, & quonam modo dicitur dubitare. Quanquam hæc quæstio per ardua nobis est, propterea quod amici sunt, qui formas ipsa introduxerunt. Verum melius forsitan, & oportere videbitur, sua quoque, præsertim philosophos, pro veritatis salute refellere. Nam cum ambo sint amici, sanctum est, honore veritatem præferre. Qui igitur hæc attulerunt opinionem, in his rebus non faciebant ideas, in quibus prius & posterius esse dicebant. Idcirco neque numerorum ideam ponebant. At bonum & in substantia dicitur, & in quali, & in eo, quod est ad aliquid. Atque id, quod est per se, substantiave, prius est eo natura, quod est ad aliquid. Est enim hoc appendici, & accidenti eius, quod est, simile. Quibus efficitur, ut non sit in omnibus com-

Propagini
propagandi.

bus communis quædam idea. Præterea, cum bonum æquè ad id, quod est, dicatur, (nam & in substantia dicitur bonum, ut mens, & Deus: & in quali, virtus: & in quanto, mediocre: & in relatione, vtile: & in tempore, occasio: & in loco, mora: & alia istiusmodi) constat non esse commune quicquam vniuersale, ac vnum. Non enim in omnibus prædicamentis, sed in vno tantummodo diceretur. Præterea, cum eorum, quæ vnã habent ideam, vna sit & scientia, bonorum etiam omnium vna scientia quædam esset. Nunc autem plures sunt & eorum, quæ sub eodem prædicamento sunt collocata: ut temporis, in bello quidem militaris facultas, in ægritudine autem ars medendi: & medicis, in alimento quidem medicina, in laboribus autem ars corporis exercendi. Dubitauerit autem quispiam, quidnam & velint dicere ipsum quodque, si vna & eadem hominis est ratio, & in ipso homine, & in homine. Nam quo vterque est homo, hoc differentiam inter sese nullam habebunt. Quod si ita est, neque quo vtrunque est bonum. At verò neque quia perpetuum est, ideo magis erit bonum. Siquidem neque diurnum album, magis est album, quam vnus album diei. Probabilius autem de ipso videntur dicere Pythagorici, ipsum vnum in bonorum serie collocantes: quos secutus videtur & Speusippus. Sed de his quidem alius erit sermo. In iis autem, quæ dicta sunt, cõtrouersia quædam videtur, quod rationes non de omni bono sunt dictæ. Dicuntur autem vna specie bona, ea, quæ amantur per se: ea verò, quæ hæc efficiunt, aut aliquo modo cõseruant, aut cõtraria prohibent, propter hæc ipsa, modoque alio bona dicuntur. Constat igitur, bona bifariam dici: Alia per se, alia propter illa. Seiunctis igitur per se bonis, à bonis vtilibus, cõsideremus si ea, quæ sunt per se, vna idea bona dicantur. At quænam quispiam posuerit per se bona: an ea, quæ & fine aliis persequimur, quale est sapere, & videre, & voluptates nonnullæ, atque honores? Hæc enim tametsi propter aliud quippiam persequimur, tamen ex iis esse posuerit quispiam, quæ sunt per se bona: an nihil aliud præter ideam ponendum est, quare forma res quædam erit inanis. Quod si hæc quoque per se sunt bona, eandem in his omnibus ipsius boni rationem inesse oportebit, perinde atque albedinis ratio eadem est in niue, atque cerusa. At honoris, prudentiæ, voluptatis, hoc ipso, quo bona sunt, diuersæ sunt rationes, ac differetes. Ipsum ergo bonum non est quid commune vna idea. At quonam modo dicuntur? non enim iisce similia sunt, quæ nomine eodem fortuito nuncupantur. Dicunturne igitur, quia sunt ab vno, aut ad vnum omnia conferuntur: an cõparatione potius rationum. Etenim ut est in corpore visus, sic est in anima mens, & aliud ite in alio. Sed hæc in præsentia forsitan omittenda sunt. Nam exactè ipsa discutere, ad aliam magis spectat philosophiam. Et de idea similiter. Constat enim & si est aliquod vnum bonum, quod cõmuniter dicitur, aut separatim quid ipsum per se, non tamè aut agi, aut acquiri ab homine posse, nunc autem tale queritur. Fortasse autem cuiuspiam melius esse videbitur cognoscere ipsum, ad ea bona, quæ possideri, ac agi possunt. Nam velut exemplar id habentes, magis ea, quæ nobis sunt bona, sciemus: & si scierimus, assequemur. Hæc igitur ratio habet quidem quandam probabilitatem, à scientiis autem discrepare videtur. Vniuersæ namque bonum

affectantes quoddam, idque, quod deest, perquirentes, huius prætermittunt cognitionem. Tantam tamen operè vniuersos artifices ignorare, & non perquirere, non est cõsentaneum rationi. Dubium autem est, & quidnam ad suam artem, aut textori cõfert, aut fabro, si ipsum scierit bonum: aut quonam modo, vel medicus, vel dux euadet peritior, qui ideam ipsam aspexerit. Neque enim valetudinè hoc modo medicus, sed hominis, imò verò huius fortasse cõsiderat: quippe cum singulis hominibus medeatur. Sed de his hæc tenent.

De felicitatis subiecto, substantia, & præceptis in vnaquaque scientia obseruandis. Cap. VII.



Vnc rursus redeamus ad id, quod querimus, bonum, & quid tamè sit ipsum, inuestigemus. Esse enim aliud in alia actione, & arte videtur. Aliud est enim in medicina, & in re militari, & in cæteris simili modo. Quid igitur vnicuique bonum est? an id, gratia cuius cætera aguntur? Hoc autem in medicina quidem est fanitas: in rei verò militaris facultate, victoria: & in extruendarum ædium arte, domus: & in alia aliud. In actione etiam omni, electioneue, id, quod est finis. Huius enim gratia cætera omnes agunt. Quare si quis omnium rerum agendarum sit finis, is ipsum bonum agendum erit: sin verò plures, hi ipsi. Oratio igitur mirando ad idem accessit. Enitendum autem est magis hoc declarare. Cum itaque plures sint fines, & horum quosdam ob alios expetamus, ut diuitias, fistulas, instrumentaque omnino, perspicuum est, non omnes fines esse perfectos. At finem optimum, perfectum quid esse cõstat. Quare si tantum vnus perfectus sit finis, is hic erit, qui queritur: sin plures, is, qui horum est perfectissimus. Eum autem, qui per se est expetibilis, perfectior eo dicimus esse, qui est propter alium expetendus: & eum, qui nunquam ob alium expetitur, iis vniuersis, qui per se, & propter illum etiã expetitur. Et eum igitur perfectum simpliciter, qui per se semper est, & nunquam ob alium est expetendus. Talis autem finis, ipsa felicitas maximè esse videtur. Hæc enim propter se ipsam semper, & nunquam ob aliud quicquam expetimus. Honorem autem, voluptatem, metem, virtutem denique omnem, & propter se expetimus, (quippe cum ipsorum vnusquodque expeteremus, si nihil inde etiã proueniret) & felicitatis etiã gratia, per hæc ipsa felices fore nos arbitrantes. Sed illorum gratia felicitatem, aut ob aliud profus, expetit nemo. Idem & ex sufficientia videtur accidere. Perfectum namque bonum, per se sufficiens est. Sufficiens autem dicimus, non ipsi soli qui vitam solitariã agit, sed & paribus, & natis, & vxori, & amicis omnino, ac ciuibus: quadoquidem homo natura ciuilibus est. Atque sumendus est in his terminus quidam. Nam si ad paretes hoc ipsum, & natorum natos, & amicorum amicos extenderis, in infinitum fiet progressio. Sed de hoc cõsiderandum est postea. Id autem sufficiens esse ponimus, quod solū à cæteris segregatum, expetibile vitam facit, reique nullius indigentem. Talem autem felicitatem ipsam esse existimamus. Et insuper cum non numeratur cum cæteris, maximè omnium expetibilem: cum numeratur, magis expetibilem cum minimo bonorum esse putamus. Augmentum enim bonorum fit, id quod adiungitur. Id autem semper magis est expetibile, quod maius est bonum. Perfectum igitur quoddam, & sufficiens est felicitas, cum sit rerum agendarum omnium finis. Sed for-

fitan felicitatē quidē summū esse bonū dicere, ab vniuersis conceditur. Desideratur autem, vt dilucidius, quidnam sit ipsa, dicatur. Hoc igitur fortasse fuerit, si opus hominis caperetur. Vt enim modulatoris, statuarii, ceterorumq; artificū, & eorū omnium omnino, quorū est opus aliquod, actiove bonum, & id, quod bene sese habet, in ipso opere videtur consistere: sic & hominis bonū in opere ipsius esse constabit, si sit ipsius aliquod opus. Fabrice igitur, & sutoris, opera sunt quedā, actionesve: hominis autem nullū est opus, sed est otiosus homo natura? An vt oculi, manus, pedis, & cuiusque omnino partis aliquod opus est, sic & hominis præter hæc omnia quispiā aliquod posuerit opus. Quid igitur id fuerit tandē? Viuere enim hominī cū plantis cōmune est. Opus autē propriū ipsius hominis queritur. Segreganda est ergo, nutriēdi, augēdiq; vita. Hanc sentiendi sequitur vita: at ipsam etiā hominī cū equo, ac boue, omnīq; animali cōstat esse cōmunē. Restat igitur actiua quedā vita rationē habētis. Huius autē aliud est vt obediēs rationi, aliud vt eā habēs, atq; intelligēs. Sed cūm hæc etiā bifariam dicatur, ea ponēda est, quæ est actiua: hæc enim magis proprie dicitur vita. Est igitur opus hominis operatio animæ per rationem, aut nō sine ratione: at verò opus huius, ac studiosi huius, idē esse genere dicimus: vt Citharcedi, studiosiq; citharcedi, & hoc in omnibus absolute, operi adiuncta perfectione, quæ est à propria virtute. Citharcedi nanq; opus est, citharā pulsare: studiosi verò, bene pulsare. Eodem modo cūm hominis opus vitā quandam esse ponamus, & hæc ipsam operationē animæ, atq; actus cū ratione: studiosi profectō viri hæc ipsa sunt, cūm bene, recteq; fiūt: singula autē bene, per propriā virtutē efficiuntur. Quæ cūm ita sint, fit vt bonū humanū animæ sit operatio per virtutē: & si plures sint virtutes, per optimam nimirū, & perfectissimā, & insuper in vita perfecta. Ver enim nec vna facit hirundo, nec vnus dies: & beatū hominē eodē modo, felicēme, nec vnus dies, nec breue vllū efficit tēpus. Summū igitur bonū hoc circūscriptū sit modo. Primū nāq; forsità, vt figurā quādā describere, postea depingere ipsum oportet. Videtur autem cuiuslibet esse ea, quæ bene sunt circūscripta, producere, & explicare, atq; exponere. Tēpūsq; taliū inuētor esse, atq; adiutor bonus. Vnde & artiū facta sunt incrementa. Est enim cuiusuis id, quod deest, supplere, ac addere. Oportet autē & ea, quæ suprā diximus, in memoria habere, & ipsum exactū non in omnibus eodē modo, sed in singulis, & vt patitur subiecta materia: & eousq; quousq; ad doctrinā attinet flagitare. Nā faber, & geometra diuerso modo angulū rectū inquirūt. Alter enim, quoad utilis est ad opus: alter quidnam sit, & quale quid, ipsum inquirunt, cōtemplator enim est veritatis. Idē modus & in cæteris est seruandus, ne hisce quæ instituiamus agere, plura fiant ea, quæ fines illorū egrediūtur. Nec in omnibus simili modo causa postulada est, sed sat est in quibusdā, si bene demonstrata fuerint esse: quod quidem & in ipsis principiis fit. Atque hic modus primus est, & principiu. Principiorū autem alia inductione, alia sensu, alia assuetudine quadā, alia alio modo perspicuntur. Enitendum est autē singula pertractare, vt suapte natura percipi possunt: & adhibēda est dili-

Excessu, qui est à virtute ad ipsum opus adiuncto.

gentia, vt bene definiantur, nam magnā ad ea, quæ sequuntur, afferunt opem. Principium enim plus, quam dimidium totius, esse videtur: & eorum, quæ queruntur, cōplura, per ipsum manifesta fieri solēt.

De dictorum antiquorum cum vera felicitate consensu, ac de triplici bono ad felicitatem necessario. Cap. VIII.



Considerādū est igitur de ipso, nō ex cōclusionē solū, & iis, ex quibus est ipsa ratio, sed ex iis etiā, quæ de ipso dicuntur. Vero nanq; omnia, quæ cōpetunt, cōsona sunt: à falso autē citō ipsum discrepat verū. Cūm igitur bona in tria sint diuisa, & alia externa, alia circa animā, alia circa corpus bona dicantur: ea, quæ sunt circa animā, propriissimē, maximēq; dicimus bona. At actus, & operationes animæ, circa animā esse ponimus. Quare hac opinione cū antiqua, tum à philosophantibus cōcessa, bene dicitur, finē ipsum actus quosdam, & operationes esse. Sic enim fit, vt fit ex ipsis animæ bonis, & nō ex bonis externis. Cōsonū est etiā ipsi rationi & id, quod dicitur, felicē, in quā, bene viuere, benēq; agere. Finis enim bona quedā vita, bonāq; actio dictus est. Cūta præterea, quæ circa felicitatē querūtur, ei, quod dictū est, inesse videtur. Aliis nāq; virtus, aliis prudentia, aliis sapiētia quædā, aliis hæc, aut horū aliquod cū voluptate, aut non sine voluptate felicitas esse videtur. Sunt & qui externā etiā affluētiā simul accipiūt. Atq; hæc partim multi, & antiqui, partim pauci, viriq; dicitur præclari: quorū neutros tota via aberrare, sed aliqua ex parte, & in pluribus vera attingere cōsentaneū est rationi. Eorū igitur sententiā, qui vel omnē, vel aliquā virtutē felicitatē afferunt esse, ipsa ratio consona est. Huius est enim ea operatio, quæ per ipsam efficitur. Interest autē fortasse nō parū, in possessione an in vsu, & in habitu, an in operatione, summū consistere bonum putare. Fieri enim potest, vt habitus quidē & si inest, nullū efficiat bonū: vt in dormiente, vel etiā alio modo quodā otioso facto. Vt operatio autē nihil efficiat boni, fieri nequit. Qui nāq; operatur, aget vtique; necessariō, & bene etiā aget. Atq; vt in Olympia non hi, qui sunt elegantissimi forma, præstantissimiq; robore, sed ii, qui decertant, coronis afficiuntur, (ipsorū enim aliqui vincunt) sic & qui bene agunt, eorum, quæ sunt in vita pulchra, bonāq; cōpotes fiunt. Est autē vita ipsorū per se iucūda. Nam voluptate quidē affici ex his est, quæ ad animā pertinet, id autem est cuique voluptati, cuius amator dicitur vnusquisq;: vt equus equorū amator: & spectaculū spectaculorū identidē amator: eodē modo & amator iustorū, iusta: & omnino virtutū amator, & ea, quæ per virtutē efficiuntur. Quæ igitur voluptati sunt vulgo, ea repugnātia sunt, propterea quod nō natura talia sunt. Sed amatoribus honestatis ea sunt voluptati, quæ sunt natura iucūda. Tales autem eæ sunt actiones, quæ à virtute emanant: quare & his ipsæ sunt voluptati, atq; per se ipsas iucūdæ. Ipsorū igitur vita nō indiget voluptate, tãquā aliqua foris adiungenda, sed habet in se ipsa voluptatē. Præter enim ea, quæ dicta sunt, neq; bonus is est, qui bonis actionibus nō delectatur. Nā neq; iustū eū quicquā dixerit, qui iustus nō gaudet: neq; liberalē eū, qui liberalibus

Et honestalibus

ralibus actionibus nō delectatur: & in cæteris eodē modo. Quod si hæc ita sunt, actiones eæ, quæ à virtute proficiscuntur, per se ipsas sunt voluptati, atq; iucundæ. At verò bonæ quoq; sunt, & etiā pulchræ, atq; horū vnumquodq; maximē ipsis cōpetit, si reatē de his ipse iudicat studiosus: iudicat autē, vt est dictum. Optimum ergo, & pulcherrimū, & iucundissimum est ipsa felicitas, & non seiunguntur hæc, pèrinde atq; in illo Deliaci carmine separantur: Summē est pulchrū, ex aстреa quod gignitur alma: Optima, si valeas, res est, quod quilibet optat, Summē est iucundum, si re potiaris amata.

Hæc enim operationibus omnia competunt. Has autem ipsas, aut vnam ipsarū, quæ sit optima, felicitatem ipsam dicimus esse. Videtur tamen & externis indigere bonis, vt diximus. Fieri enim nō potest, aut nō facilē fit, vt is res agat præclaras, cui facultates defunt. Multa nanq; per amicos, per diuitias, per ciuilem potentiā, tanquam per instrumēta agūtur. Quibusdā autē carētes, vt nobilitate, bona prole, pulchritudine, beatitudinem maculant. Non enim satis ad felicitatē idoneus est, qui penitus est deformis, aut ignobilis, aut solitarius sine prole: & minus etiam fortasse, si cui perprauī sint filii, vel amici, aut boni mortui sint. Vt igitur diximus, videtur felicitas, & talis indigere prosperitatis. Vnde quidam prosperitatem Fortunæ, quidam virtutem, felicitatem esse dicunt.

De modo assequende felicitatis. Cap. IX.



Vnde & dubitatur, vtrum disciplina, an assuetudine, an alio quodam modo per exercitiū acquiri possit: an aliqua diuina sorte, an & ob Fortunam proueniat. Si igitur & aliquid aliud Deorū est munus hominibus, consentaneū est rationi & felicitatē à diis ipsis dari: & eò magis, quò cæteris humanis bonis est præstabilius. Verūm hoc ad aliam magis considerationem forsitan pertinet. Videtur tamē, & si nō à diis immortalibus mittitur, sed virtute, disciplinave quadam, vel exercitatione cōparatur, diuinissimum esse. Præmiū enim, finisq; virtutis, optimū, & diuinū quoddā, atq; beatū esse cōstat. Est præterea

ἐν δ' αὖτις πολυκονορ. fuerit etiam multum cōmune.

multum cōmune. Fieri nanq; potest, vt disciplina quadam, ac diligētia ab vniuersis iis cōparetur, qui nullo principio labefactato, idonei sunt ad consequendam virtutem. Quod si melius est hoc modo, quàm ob fortunā felicē esse, re ita se habere cōsentaneū est rationi. Siquidē ea, quæ sunt secūdū naturam, vt quàm optimē sese habere possunt, sic se habent suapte natura: & ea similiter, quæ per artē conficiuntur, atq; à quacūq; proueniūt causa: & ea maximē, quæ à præstabiliissima proficiscūtur. Id autē, quod maximū, aut pulcherrimū est, Fortunæ adscribere absurdū videtur in primis. Patet etiā ex ipsa ratione, quod queritur. Dicta est enim operatio animæ per virtutē. Cæterorū autē bonorū, alia insunt necessariō, alia adiunāt, sūntq; vtilia, vt instrumenta: hæc & iis consona sunt, quæ in principio diximus. Ipsum enim finē facultatis ciuilis optimū ponebamus. Hęc autē magnā adhibet diligētiā, vt ciues ipsos disponat, bonosque faciat, & ad honestas res agēdas idoneos reddat. Meritō igitur, nec bouē, nec equū, nec aliud quicquā animatiū dicimus felix. Quippe cūm fieri nequeat, vt ipsorū quicquā ta-

lis sit particeps operationis. Hæc autem ob causam neq; puer est felix, nondum enim est idoneus ad res tales agendas propter aetate. Qui dicuntur felices, ob spem dicūtur. Est enim opus, vt diximus, & perfecta virtute, & perfecta etiā vita. Multæ nanq; mutationes in vita fiunt, variēq; fortunæ: atq; fieri potest, vt is, qui maximē bonis abundat, in magnas incidat in senectute calamitates, vt in heroicis de Priamo dicitur. Eum autem, qui tali fortuna est vsus, & miserabiliter obiit, nemo felicem dicit.

Quod quis in hac vita dicendus sit felix, & quid felix. Cap. X.



Vllūne igitur homo felix, quando viuunt dicendus est, sed Solonis sentētia, finem spectare oportet? Quod si & ita ponendum est, tūmne felix est, cūm è vita decesserit? An id absurdū est penitus, nobis præsertim, qui felicitatē, operationē quādā dicimus esse? Quod si mortuū felicē nō dicimus, neq; Solon id vult: sed tūc dici beatū hominē tutō posse, quia iam est extra omnia mala, calamitatēsq;. Habet quidē & hoc cōtrouersiā quādā. Mortuo nāq; bonū & malū videtur aliquod esse, siquidē & viuētī, nō autē sentienti: vt honores, infamię, & filiorū, posterorūmq; omnino prosperitates, atq; aduersitates. Dubitatio nem autē & hæc afferūt. Ei nanq;, qui ad senectutē vsq; beatē vixerit, secūdūmq; rationē decessit, multas circa posteros accidere mutationes cōtingit: & alios ipsorū esse bonos, vitamq; cōsecutos esse pro dignitate: alios contrā. Constat autē & distantis ad parentes, multis, variisque modis ipsos sese habere posse. Absurdum igitur est, si defunctus simul etiam mutaretur, & nūc felix fieret, nunc miser. Absurdū est etiā, & minimē, nec aliquod ad tempus, posterorum ad parētes res pertinere. Sed redeundum est ad id, quod prius est dubitatū. Ex illo nanque & id, quod nunc queritur, fortasse perspicietur. Si igitur finem spectare oportet, & tūc beatū dicere quenq;, nō quia beatus tūc est, sed quod prius erat: quo modo nō est absurdū, si, cūm est felix, non verē de ipso dicitur quod inest. Quia viuētes, dicere beatos ob mutationes nolumus: & quia felicitatē quidē stabile quiddā, nullōq; modo facilē mutabile esse putamus: fortunā autē in eisde sæpe reuolui. Nā si fortunā sequamur, sæpenumero felicē, ac miserū eūdē dicemus, chamæleontē quēdā ostendētes ipsum felicē esse, ac debiliter collocatū. An Fortunā sequi, nullo modo est rectū. Nō est enim in ipsa bene vel malē viuere sitū, sed indiget humana vita ipsius, vt diximus. Operationū autē eæ quidē, quæ à virtute proficiscūtur, felicitatis: eæ verò, quæ sunt contrariæ, cōtrarii dominæ sunt. Attestatur huic sentētiæ & id, quod nūc dubitauimus: etenim nullis in operibus humanis tāta est firmitas, quāta est in operationibus hisce, quæ à virtute proficiscuntur, hæc nanq; stabiliiores & sciētis ipsis esse vidētur. Harū autem ipsarū eæ, quæ cæteris antecellunt, maximē stabiles sunt, propterea quod in his ipsi beati, & maximē, & cōtinuatissimē viuūt. Hoc enim simile est causę, vt ipsarū nō fiat obliuio. Id igitur, quod queritur, cōpetit ipsi felici, & erit talis per vitā. Nā semper aut maximē ea aget, & cōtēplabitur, quæ prodeūt à virtute, fortunāmq; feret pulcherrimē, & omni ex parte concinnē, ac æquabiliter: quippe qui verē bonus, atque

sententia christiana

atq; quadratus est, sine vituperatione. Cùm autem à Fortuna multa eueniāt, & magnitudine, paruitatēq; differant: parua quidē, siue sint secūda, siue aduersa, cōstat nō facere vitæ momentū. Grandia verō, ac multa, si secūda sint, beatiorē vitam efficiūt: quippe cū ad decorādum sint apta, & vsus ipsorū pulcher, studiosūque fiat. Sin aduersa, premunt, læduntq; vitā beatā. Afferūt enim dolores, & multas operationes impediūt. Attamē & in iis ipsis perlucet ipsa honestas, cū multas quispiam, ac magnas aduersitates facillē perfert, nō ob sensibilitatem, sed quia generosus est, atq; magnanimus. Quod si operationes dominæ sunt (vt diximus) vitæ, nemo beatorum fuerit miser. Nūquā enim odiosum quicquam, atq; improbiū gerit. Eum enim, qui verē bonus est, atq; prudens, fortunā omnē decore perferre, pro facultatēq; rerum semper res pulcherrimas agere: vt & ducem bonū præsentibus vti castris ad optimē gerendū bellū, & bonū item futurē ex sibi datis pellibus pulcherrimū conficere calceū, cæterōsq; omnes identidem artifices, arbitramur. Quæ cū ita sint, miser quidē nunquā fuerit ipse felix. Beatus tamē nō erit, si in Priami calamitates incidit. Nec igitur varius, facillēq; mutabilis erit. Neque enim ex felicitate facillē aut à quibusuis, sed ab ingētibus, & multis aduersitatibus dimouebitur: & ex talibus nō in paruo, sed in longo quondā, perfectōve tēpore rursus fuerit felix, magnas in eo res, præclarāsq; naūs. Quid igitur obstat, eū felicē dicere, qui per virtutē operatur perfectā, & bonis externis satis abundat, nō quouis in tēpore, sed in vita perfecta? An est addendū, & ita est victurus, & secundū rationē moriturus? quippe cū futurū quidem incertū sit nobis: felicitatem autem finem, & omnino perfectā omni ex parte ponamus? Quod si ita sit, viuentiū eos, quibus ea, quæ diximus, & insunt, & inerunt, beatos dicemus: beatos autem homines. Sed de his quidem eousque sit definitum.

Quod posteriorum fortunæ ad defunctos pertineant. Cap. XI.



Ortunam autē posteriorū, amicorūq; omniū nihil cōferre, longē ab amicitia finibus discedere, & opinionibus contrarium esse videtur. Cū verō multa sint ea, quæ eueniunt, variāsq; differētiās habeāt, & alia magis, alia minū cōferāt: in singula quidē ipsa diuidere, prolixū, & infinitū esse cōstat: sat autē erit fortasse, si de his ipsis vniuersaliter, figurāque dicatur. Vt igitur aduersitatū earū quæ beatis eueniunt, aliā pondus aliquod, momentūq; habent ad vitam, aliā sunt leuiore: sic sese habēt & ea, quæ circa amicos accidūt omnes. Viuentibus autē, an mortuū calamitas accidat, multō magis refert, quā res nefandæ, grauēsq; agantur, an in tragœdiis recitentur. Animaduertenda est igitur differentia hoc etiam modo: imō verō considerandū forsitan est, si cuiuspiā boni vel mali participes sint defuncti. Videtur igitur etiā si quippiam ex his ad ipsos perueniat, siue bonū, siue contrariū, exile quid, ac parū, aut simpliciter, aut illis esse: siquidē tantū, ac tale, vt neq; beatos eos efficiat, qui beati nō sunt, neq; beatitudinem auferat à beatis. Videtur igitur tam prosperitates, quā aduersitates amicorū, aliqua de-

functis afferre: tale autem, ac tantum, vt neq; felices, infelices, nec aliud quicquam huiuscemodi faciat.

Quod felicitas bonum sit honorabile potius, quā laudabile. Cap. XII.



Is determinatis, de felicitate cōsideremus, vtrū laudabile sit quiddam, an potius honorabile. Constat enim potētia non esse. Omne autem laudabile ex eo laudari videtur, quia est affectū aliqua qualitate, & aliquo modo sese habet ad aliquid. Iustum enim, & fortē, & bonū omnino virū, atq; virtutē, ob opera laudamus & actiones. Robustū etiā, idoneūq; ad cursum hominē, & cæterorū quenq; similiter laudamus, quod affectus est aliqua qualitate, & ad bonum aliquod, studiosūq; refertur. Id ita esse patet & ex Deorū laudibus. Nam cū ad nos referūtur, ridiculæ sanē videntur. Quod quidē ex eo fit, quia laudes (vt diximus) per relationē efficiuntur. Quod si laus taliū est, constat optimorū nō esse laudem: sed maius aliquod, præstabiliusve, quemadmodū & videtur. Nam & Deos beatos, felicēsq; dicimus, & viros etiā eos, qui maximē sunt diuini, & rerū bonarum simili modo. Nemo nanq; felicitatē laudat, vt iustitiā, sed vt diuinius quiddā, præstabiliusve, rem dicit esse beatā. Videtur autē & Eudoxus rectē voluptati primas detulisse partes. Id enim (voluptatē, inquam, quæ quidē est bonū) non laudari, indicare putabat, præstabiliorem ipsam esse rebus laudabilibus vniuersis. Talem autem Deum & summū bonum esse dicebat. Ad hæc enim cætera vniuersa referri. Etenim laus quidem virtutis est, hac enim ad res honestas agendas idonei fiunt. Commendationes autem operum sunt simili modo, tam corporis, quā etiam animæ. Verū hæc quidem exactē discutere, magis ad eos forsitan pertinet, qui laudandi munere funguntur. Nobis autem perspicuū ex his, quæ diximus, fuerit, felicitatē ex his esse, quæ honorabilia sunt, & perfecta. Videtur autē & ex eo sic se habere, quia principium est. Cætera enim gratia eius agimus omnes: principii verō, causamq; bonorum, honorabile quiddam, & diuinū dicimus esse.

De duplici animæ parte, ac virtutis diuisione. Cap. XIII.



Vm autē felicitas animæ quædā per virtutem perfectā sit operatio, de virtute cōsideremus oportet. Hoc enim modo meliūs fortasse de felicitate etiā contemplantur. Videtur autē & is, qui verē ciuilis est, circa hæc maximē elaborare, Vult enim ipsos ciues bonos efficere, legibūsq; obtēperantes. Atq; horū exemplū legū latores, tum Cretensū, tum Lacedæmoniorū habemus, & si qui alii tales fuere. Quod si hæc consideratio ciuilis est facultatis, constat inquisitionē hanc pēinde, vt ab initio proposuimus, ac instituius fore. De virtute autē humana considerandum est. Bonum enim humanum, ac felicitatem querebamus humanā. Virtutem verō humanā dicimus, non eam, quæ corporis est, sed eam, quæ animæ: nam & felicitatem, operationē animæ dicimus. Quæ cū ita sint, patet, ipsum ciuilem aliqua ex parte de anima scire oportere: quemadmodum & eum, qui curaturus est oculos, totūq; corpus,

pus, de ipsis scire oportet: & eō magis, quō facultas ciuilibus honorabilior est, atq; præstabiliior medicina. Elegantes etiā medici multa planē circa cognitionem corporis tractant. Et ciuilibus igitur ipse de anima cōtempletur oportet. Horum autē gratia, & quod satis est ad ea, quæ hīc quærentur. Nam vltimū, exactiusve considerare, maius est opus, difficiliusve fortasse, quā ea, quæ proponuntur. Dicuntur autem & in externis sermonibus aliqua de ipsa sufficiētē, & vtendum est ipsis: vt partū eius aliam ratione vacare, aliam rationē habere. Atq; nihil in præsentī refert, distinctæ sint hæc pēinde, atq; corporis partes, & omne partibile: an ratione quidem sint duæ, re verō seiungi nō possint: vt in circumferentia sese habent concuum, & conuexum. Partis autem ratione vacatis, alia quidem cōmunis est, & vegetatiua. Loquor autē de ea, quæ causa est, vt id, quod ipsam habet, nutriatur, incrementaque suscipiat. Tale enim animæ potētiam, in vniuersis, quæ nutriuntur, quispiā posuerit, & in fœtibus, & hanc eandem etiā in perfectis. Est enim magis cōsonum rationi, hæc eandem, quā aliquam aliam, ponere. Huius igitur virtus cōmunis quædā, & non humana videtur. Nam hæc pars & potētia in somnis maximē operatur: bonus autē, & malus minimē in somno discernitur. Quapropter inquit, à miseris felices in dimidio vitæ nihil differre. Hoc autē rectē accidit. Somnus enim, otii est animæ, tam studiosæ, quā vitiosæ, nisi parumper motus proueniant aliqui, atq; ita modestorū meliora, quā quorūuis visa fiant. Sed de his quidē hæcenus. Et nutriendi potētia, cū expers sit humanæ virtutis, omittenda est. Videtur autē & alia quædam esse natura animæ, vacans ratione, aliqua tamen ex parte particeps rationis. Continentis enim, & incontinentis rationem, idq; animæ quod rationem habet, laudare

solemus. Rectē nanque & ad optimas res inuitat. In ipsis autem & aliud quid præter rationē inesse constat, quod quidem repugnat, resistitq; rationi. Nam vt dissolutē corporis partes, si ad dextrā mouerē velis, in sinistram feruntur: sic planē fit & in anima, ad contraria enim, incontinentiū appetitiones feruntur. Verū in corporibus quidē cernimus ea, quæ ad cōtrariam partē feruntur, in anima verō nō cernimus. Fortasse autē nō minū & in anima putandū est esse aliquid præter rationē, quod huic aduersatur, & obstat. Dicere verō quo modo est diuersum, nihil refert. Videtur autē & hoc rationis (vt diximus) particeps esse. Paret enim in ipso continente rationi, & in temperatē, ac forti, magis forsitan eadem obtemperat. Omnia enim in illis sunt cōsona rationi. Pars igitur animæ ratione vacans, est duplex. Vegetatiua nanq; nullo modo rationis est particeps: sed cupiendi vis, & omnino appetēdi, rationis est quodā modo particeps, ea ratione, qua obedit ipsi, atq; obtemperat. Sic & patris, & amicorū, & nō vt rerum mathematicarū, dicimus rationem habere. Hanc autem partē ratione vacantē rationi obtēperare, admonitiones, & increpationes, & cohortationes etiā indicāt. Quod si oportet, hæc quoque partē dicere rationē habere, duplex & ea pars erit, quæ rationē habet: & vna quidē propriē, & in se ipsa: altera verō vt is, qui obtemperat patri. Diuiditur autē & virtus hac differentia. Virtutum enim alias intellectiuas, alias morales dicimus esse. Sapientiam quidem, & prudentiam, & sagacitatem intellectiuas: liberalitatem autem, & temperantiam morales. Nam cū de moribus cuiuspiam loquimur, non sapientem illum, aut sagacem, sed mitem, aut temperatum dicimus esse. Laudamus autem & sapientem ob habitum. At habituum eos, qui laudabiles sunt, virtutes appellare solemus.

ARISTOTELIS STAGIRITÆ Ethicorum ad Nicomachum Liber Secundus,

Ioanne Argyropylo Byzantio Interprete.

ARGUMENTVM LIBRI



SECUNDVS hæc: de virtute intellectiua, & morali: de excessu, & defectu: de voluptate, & dolore, de affectu, potentia, & habitu: de mediocritate: de virtute moralī, quid sit: de mediocritatū dispositione: de verecundo, stupido, pudoris experte: de indignante, inuido, maleuolo: de oppositione rum extremorum inter se, tum ipsorum ad medium: de præceptis, quæ ad medium ipsum ducunt.

De productione virtutis intellectiue, ac moralis. Cap. I.



Vm autem virtus sit duplex, intellectiua, inquam, atq; moralis, intellectiua quidem plurimum ex doctrina & generationem habet, & incrementum: quapropter experiētia indiget, temporēque. Moralī autem,

assuetudine comparatur: vnde & nomen habuit tale. Ex quo patet, nullam fieri virtutem morum in nobis natura. Nihil enim eorum, quæ sunt natura, aliter assuescit: vt lapis, cui quidem natura competit ferri deorsum, nunquā affuescit ferri sursum, non si millies ipsum affuescendi causa quispiam sursum proiiceret. Simili modo nec ignis ferri deorsum, nec aliud quicquam aliter, quā sibi natura competet, assuescet. Neque igitur natura, neque præter naturam virtutes in nobis efficiuntur: sed idonei quidē ad ipsas suscipiendas sumus natura. Suscipimus autem ipsas, atq; perficimur per consuetudinem. Præterea eorum, quæ in nobis fiunt natura, potētias prius accipimus, deinde reddimus operationes, quod quidē in ipsis sensibus intueri licet. Non enim ex eo quia vidimus, vel audiimus sæpe, sensus accepimus: sed contrā, habentes vsi sumus, non vsi accepimus. At virtutes accep

accepimus operati prius, quemadmodum & in artibus. Quæ nanq; postea, quàm didicerimus, facere oportet, ea facientes discimus. A edificatores etenim, ædificantes, & citharædi, pulsantes citharam fiunt: pari modo iusta agentes, iusti, & modesta modesti, fortiaq; fortes efficiunt. Testatur hoc & id, quod in ciuitatibus fieri solet. Legum nanq; latores ipsos ciues assuefacientes, bonos efficiunt. Atque omnis quidem legumlatoris hæc est voluntas. Qui verò non bene id faciunt, peccant. Atque hoc ipso Respublica bona, à mala Republica differt. Insuper ex eisdem & per eadē omnis virtus, & ars similiter & fit, & corrumpitur. Ex eo nanq; quia pulsant citharam, & boni, & mali fiunt citharædi: simili ratione & edificatores, & cæteri omnes. Nam ex eo quia bene ædificant, boni: & ex eo quia malè, mali fiunt edificatores, & fabri. Quod nisi ita sese haberet, nō esset opus docente, sed omnes boni fierent, aut mali. Sic igitur & in virtutibus res sese habet. Agētes enim ea, quæ sunt in commerciis hominū, alii iusti, alii iniusti fiunt. Agentes etiā ea, quæ sunt in terribilibus rebus, timerēq; assuescētētes, aut confidere, alii fortes, alii timidi fiunt. Idem & circa cupiditates, & iras euenire videtur. Alii enim temperati, ac mites fiunt: alii intemperati, ac iracundi: ex eo planè quia hoc in ipsis, aut hoc modo versantur. Atq; vt breuiter dicam, omnes habitus ex operationibus similibus fiunt. Quapropter tales quasdam operationes reddere oportet: ipsarum nanque differentias habitus ipsi sequuntur. Non igitur, parum, sed plurimum, quin potius totū refert, sic, aut non sic homines ab adolescentia consuecant.

Quod virtus ab excessu, & defectu corrumpatur ad mediocres inclinans operationes. Cap. II.



Utm autem præsens tractatio, non contemplationis sit, vt cæteræ, gratia. Non enim vt sciamus quidnam sit virtus, sed vt efficiamur boni, consideramus, nam nulla ipsius esset utilitas. De actibus quonā modo sint agendi, considerare necesse est. Hi nanque sunt authores, vt tales quidam ipsi habitus fiant, quæadmodum diximus. Agere igitur ratione recta cōmune est, & supponatur: posteriùs autem de ipso dicitur: & quid est ipsa recta ratio: & quomodo ad cæteras sese habet virtutes. Illud autem antea confiteamur oportet, omnē sermonē, qui est de rebus agendis, figura, & non exactè fieri debere, quemadmodum & ab initio diximus: rationes, inquam, vt materia postulat, semper esse efflagitandas. Actiones autem, & ea, quæ profunt, nullam habent stabilitatem, quemadmodum neq; salubria ipsa. Atq; cum talis sit sermo vniuersalis, multò minùs is sermo certitudinis habet, qui de singularibus est. Nam neque sub artem, neq; sub præceptionē vllam cadunt. Sed oportet ipsos agentes ea semper considerare, quæ ad tempus accommodantur: quemadmodum & medicina fit, & in gubernandi etiam arte. Verum & si præsens sermo talis est, vt diximus, enitendum est tamen opem, & auxilium ferre. Primùm igitur hoc contemplerur oportet, res istius modi tales esse, vt à nimio corrumpantur, & paucò, vt in vi-

Virtutes ex operatione,

ribus videmus, ac valetudine fieri. Nam pro rebus aut defectibus, obscuris, claris indiiciis vtamur oportet. Nihil nanq; labores, pauciq; vires corrumpunt. Similiter potus, cibiq; tam nimii, quàm pauci, valetudinem auferunt: moderati verò faciunt, augent, & conseruant. Sic igitur & in fortitudine, ac temperatiā, cæteri q; virtutibus res sese habet. Qui nanq; cuncta fugit, atq; formidat, neq; quicquam subire, perferreque patitur, is timidus fit. Qui nihil omnino timet, sed aggreditur omnia, is audax nimirum efficitur. Simili modo qui voluptate omni potitur, nec excipit vllam, intemperas: qui cunctas fugit, pèrinde atq; agrestes homines, insensatus euadit. Etenim tam temperatiā, quàm fortitudo, à nimio quidem, & paucò corrumpitur, à mediocritate autem conseruatur. At enim non solùm ortus, & incrementa, corruptionesve ex eisdem, & ab eisdem efficiuntur, sed & operationes in eisdem etiā erunt. Nam & in cæteris, quæ sunt manifesta magis, res ita sese habere videtur, vt in viribus. Vires enim non tam copia cibi, quàm multorum laborum tolerantia, comparantur: & robustus ipse multum sumere cibum, & multos labores tolerare maximè potest. Sic fit & in virtutibus ipsis. Nam abstinendo à voluptatibus, efficiuntur temperati: & facti iam temperati, maximè ab ipsis possumus abstinere. Idem & in fortitudine fit. Etenim assuescendo formidolosas res paruipendere, subirique ipsas, atque perferre, fortes euadimus: factique fortes, maximè res formidolosas poterimus ferre.

Quod virtus moralis sit circa voluptates, ac tristitias. Cap. III.



Tqui signum habituum sit oportet ea voluptas, quæ ipsis actionibus aduenit, & identidem dolor. Qui nanque à corporis abstinet voluptatibus, si hoc ipso gaudet, temperans est: sin molestè fert, intemperans. Rursus qui pericula subit, & gaudet, aut saltem non dolet, fortis: qui verò dolet, timidus est. Moralis nanque virtus circa voluptates, dolorēque versatur. Ob voluptatem enim res improbas agimus: ob dolorem verò res posthabemus honestas. Quapropter homines ab ipsa statim adolescentia, vt inquit Plato, ita institutos esse oportet, vt iis gaudeant, doleantque, quibus dolere, gaudereq; oportet. Hæc est enim educatio, ac eruditio recta. Prætereà, si virtutes sunt circa actiones, atque affectus, omnem verò affectum, & actionem omnem voluptas sequitur, aut dolor, virtus ob id ipsum etiā circa voluptates, dolorēque versatur. Indicant id ita esse & poenæ, quippe cum per ipsos fiant dolores. Sunt enim medicamenta quædam: medicamenta autem per cōtraria fiunt. Prætereà, omnis habitus animi (vt & antea diximus) ad eas res & in his suā habet naturam, à quibus deterior, meliorque efficitur. At ob voluptates dolorēve, prauus habitus fiunt. Ex eo sanè quia persequuntur homines, atque fugiunt, aut quas, & quos non oportet, aut cum nō oportet, aut quemadmodum non oportet, aut quot modis aliis à ratione, talia præscribuntur. Quapropter & sunt, qui definiētes virtutes, affectuum ipsas inquiunt esse vacuitates, trāquillitatēve quasdam. Sed nō rectè, quia simpliciter dicunt, & nō addunt

vt

vt oportet, & quādo oportet, & cætera, quæ adduntur. Virtus ergo talis supponitur esse facultas agendi res optimas circa voluptates, atq; dolores: vitiū autem, contrariū. Fuerit autem nobis de ipsis, & ex his etiam manifestum. Nam cum tria sint, ob quæ quispiam expetit, honestū, vtile, incundum: & tria illis contraria, ob quæ fugit, turpe, inutile, atq; molestum: bonus quidē vir circa hæc omnia rectè agit: malus autem peccat, & maximè circa voluptatem. Hæc enim & communis est animalibus, & omnia, quæ in expetitionē cadunt, comitatur: quippe cum & honestum, & vtile, videatur esse incundum. Prætereà cunctis vnà cum hominibus ab ipsis incunabulis est enutrita. Quapropter arduum est, hūc affectum insitum vitæ extrudere. Iudicamus etiam & actiones ipsas alii magis, alii minùs, voluptate, atq; dolore. Idcirco totū ipsum negotiū circa hæc esse necesse est. Non enim parum potest ad actus, bene, aut malè, gaudere, aut dolere. Difficilius est etiā, vt Heraclito placet, voluptati repugnare, quàm iræ. At circa difficilium semper & ars fit, & virtus. Id enim, quod in hoc efficitur bene, præstabilius est. Quare propter hoc etiā, circa voluptates, dolorēq; totum negotiū est & ipsius virtutis, & civilis etiā facultatis. Qui nanq; bene his vtitur, bonus erit, qui verò malè, malus. Dicitur sit igitur, virtutem circa voluptates, dolorēq; versari: & ex quibus fit, ab iis ipsis augeri: & cum non eodē modo fiunt, corrumpi: & circa illa etiam operari, ex quibus est orta.

Discrimen inter iusta agere, & iuste agere. Cap. IIII.



Vbitauerit autem quispiā, quonam modo dicimus iusta agētes iustos, & temperata temperatos fieri oportere. Nam si iusta, temperatq; agunt, iam iusti sunt, & temperati, pèrinde, atq; si grammatica, musicæve faciunt, grammatici sunt, atq; musici: an nec in artibus res ita se habet. Fieri nanq; potest, vt grammaticum aliquod quispiā faciat, & fortuna, & alio admonente: at tunc erit grāmaticus, cum & grammaticum quippiam, & grammaticè faciet, id est secundum eam, quæ est in ipso, grammaticā artem. Prætereà, nec simile in artibus, & in virtutibus est. Nam ea, quæ ab artibus fiunt, bonū ipsum in se ipsis habent. Sufficit igitur, si ipsa aliquo modo sese habentia fiant. At ea, quæ à virtutibus t̄ prodeunt, nō iuste, aut temperatè aguntur, si sint iusta, aut temperata: sed si & agens sic sese habēs agat, primò quidem si sciens, deinde si eligens propter ipsa, tertio si firmo animo, ac immutabili agat. Hæc autem ad habitus quidem cæteros habendos nō requiruntur præter ipsum scire: ad virtutes autem scire quidem parum, aut nihil potest, cætera verò non parū, sed totum possunt. Quæ quidē & ex eo, quia pèrsepe res iuste temperatēq; aguntur, proueniunt. Res igitur iustæ, temperatq; dicuntur, cum sunt tales, quales vir iustus ageret, aut temperatus. Iustus autem, ac temperatus est, nō is, qui has agit, sed qui sic etiam agit vt iusti, temperatq; agūt. Rectè igitur dicitur, iustum fieri agentē iusta, & temperatum etiā temperata. Qui verò hæc non agit, nunquā euasurus est bonus. Verum plerique hæc quidem non agunt. Ad sermones autem cōfugientes, sese philosophari putant, & studiosos hoc fore modo: atq; pèrinde

Fiunt iustovjau.

ἐπιτηδεύουσα δὲ ἀρετὴ τὴν ἀρετὴν ἀναγαίρει καὶ ἰσχυρὴν ἕξει τὴν ἀρετὴν καὶ τὸν ἀρετῶδη ἄνθρωπον.

vt ægroti faciunt, qui medicos quidem diligenter audiunt, nihil autem eorum agunt, quæ præcipiuntur ab illis. Vt igitur illis corpus non bene sese habebit, si ita curantur, sic nec his animus planè, si ita philosophantur.

De affectu, potentia, & habitu, & quod habitus genus virtutis. Cap. V.



Ost hæc autem quidnam sit ipsa virtus, consideremus oportet. Cum igitur tria sint, quæ sūt in anima, affectus, potentia, habitus, horum aliquid ipsam virtutem esse, necesse est. Atq; affectus quidē voco, cupiditatem, iram, metū, fiduciam, inuidiam, gaudium, amicitiam, odium, desiderium, æmulationem, misericordiā, & ea omnino, quæ voluptas comitatur, aut dolor. Potentias autem eas, quibus ad hos affectus suscipiendos idonei dicimur esse: vt quibus dolere possumus, vel irasci, vel misereri. At habitus eos, quibus bene, vel malè nos ad affectus ipsos habemus: vt ad irascendū, si vehementer, aut remissè simus dispositi, malè habemus: si mediocriter, bene, & ad cæteros affectus simili modo. Virtutes igitur, vitiāq; non sunt affectus. Nam affectibus quidē studiosi, vel vitiosi nō dicimur: virtutibus autē, & vitiis dicimur. Et ob affectus neq; laudamur, neq; vituperamur. Non enim qui metuit, aut irascitur, laudatur: neque qui simpliciter, sed qui modo quodam irascitur, vituperatur. At ob virtutes, vitiāq; laudamur, aut vituperamur. Prætereà irascimur quidem, & timemus sine electione. Virtutes autē, electiones sunt quædam, aut nō sine electione. Insuper affectibus quidē moueri dicimur: virtutibus autē, aut vitiis nō moueri dicimur: virtutibus autē, aut vitiis nō moueri dicimur: sed aliquo modo disponi. Propter hæc eadem neq; potentia sunt. Nam neq; boni, vel mali dicimur, neq; laudamur, aut vituperamur, quia t̄ possumus simpliciter affici. Et insuper potentes quidem sumus natura: boni verò nō efficiuntur, aut mali natura, quemadmodam antea diximus. Quod si virtutes neque affectus sunt, neque potentia, restat, ipsas habitus esse. Quid igitur sit ipsa virtus, genere diximus.

De duplici mediocritate, & virtutis substantia. Cap. VI.



Portet autem nō solūm ita dicere, virtutem habitū esse, sed etiam qualisnam habitus sit. Dicendum est igitur, omnē virtutē, & id ipsum, cuius est virtus, bene sese habere facere, & opus ipsius reddere bene. Oculi nanq; virtus, & oculū, & opus ipsius studiosum facit: quippe cum videamus virtute oculi bene. Virtus itidē equi, studiosum efficit equū, & bonum ad currendū, portandūq; equitē, & expectandum etiā hostem. Quod si id ipsum ita sese habet in omnibus, & virtus ipsius etiā hominis habitus is erit, à quo bonus efficitur homo, & quo bene suum opus ipse reddet, efficietq;. Quomodo autē id erit, & antea quidem diximus, & nūc etiam magis patebit, si contemplerimur qualisnam sit ipsius virtutis natura. In omni itaq; re continua, diuisibilisq;, aliud plus, aliud minus, aliud æquale, vel ex parte ipsius rei, vel respectu nostri accipi potest. Aequale autē, mediū est quoddā inter exuperationē, atq; defectū. Atq; rei quidem ipsius medium id esse dico, quod æquè

Possimus irasci vel timere simpliciter.

Propter hæc eadem neque potentia sunt.

æquè ab extremorum utroque distat: idque est apud omnes unum & idem. Respectu autem nostri, quod neque exuperat, neque deficit: idque non est apud omnes unum & idem. Ut si decem sint multa, & duo pauca, sex ipsius rei media capiuntur: æquè nanque excedunt, & exceduntur. Atque hoc in arithmetica comparatione rationum medium esse constat. At id quod est nostra ex parte medium, non eodem sumendum est modo. Non enim si cui decem quidem minas comedere nimium est, duas autem parum, sex ei minas ludi magister præcipiet. Est enim & hoc fortasse nimium ei, qui accepturus est, aut parum. Miloni namque parum: incipienti verò sese exercere, nimium est. Simili modo res sese habet in cursu, ac in palæstra. Hoc igitur modo quivis artifex exuperationem quidem fugit, atque defectum, medium autem querit, & expetit: non quidem rei, sed quod ad nos medium dicitur. Quod si omnis scientia suum hoc modo bene cōficit opus, ad medium ipsum respiciens, & in hoc sua redigens opera. Unde & dici solet in iis, quæ bene sese habent, operibus, nec auferri quicquam, nec addi posse: propterea quod bonum ipsum corrumpunt & nimium & parum, mediocritas verò conseruat: atque boni artifices ad hoc respicientes, ut diximus, operantur. Virtus autem omni arte exactior est, & præstantior, quemadmodum & natura. Ipsa profectò virtus medii ipsius est coniectatrix. Loquor autem de morum virtute: hæc enim circa affectus, actusque versatur, in quibus est, nimium, & parum, & medium. Fit enim ut magis & minus quispiam & metuat, & confidat, & cupiat, & abhorreat, & irascatur, & misereatur, & omnino delectetur, ac doleat, & utroque modo non bene. Et etiam quando oportet, & pro quibus, & ad quos, & cuius gratia, & ut oportet. Hoc autem medium est, & optimum, quod est ipsius virtutis. Similiter circa actus nimium est, & parum, & medium. Virtus autem circa affectus, actusque versatur, in quibus exuperatio quidem peccatum est, & defectus vituperatur, medium autem laudatur, & rectè conficitur, quorum utrunque virtutis ipsius est. Virtus igitur, mediocritas est quædam, cum sit ipsius medii coniectatrix. Præterea, peccare quidem multis modis contingit. Malum enim est infiniti, ut Pythagorici putant: bonum verò finiti: at rectè agere, vnicè. Quapropter & alterum facile, alterum difficile est. Facile quidem non attingere signum, difficile autem illud attingere. Et ob hoc igitur nimium quidem, atque parum vitio adscribuntur, mediocritas verò virtuti.

Vno namque modo bonus est, multusque, nefandus. Est igitur virtus, habitus electivus, in mediocritate consistens, ea, quæ est ad nos, definita ratione, & ut definerit ipse prudens. Mediocritas autem, duorum est vitiorum, unius per exuperationem, alterius per defectum: & ex eo etiam, quia illa quidem partim deficiunt, partim exuperant id, quod oportet, & in affectibus, & in actibus. Virtus autem medium ipsum & inuenit, & expetit. Quapropter ipsa virtus, essentia quidem & ratione quid est dicere, mediocritas est: at optimi respectu, & bene sese habentis, extremitas. Non autem omnis actus, nec omnis affectus, suscipit mediocritatem. Sunt enim affectus nonnulli, qui continuo nomine suo sunt cum prau-

tate connexi, ut malevolentia, ut imprudentia, ut inuidia: & actus identidem, ut adulterium, furtum, homicidium. Hæc enim uniuersa, & talia ita dicuntur, quia ipsa sunt praua, sed non exuperationes ipsorum, atque defectus. Circa igitur talia nullum est tempus rectè agendi, sed semper delinquitur. Neque fit ut quicquam bene, vel malè talium quicquam agat, qui cum oportet, & quando, & ut oportet adulterium committendo: sed simpliciter quicquid istorum efficiatur, delinquitur. Simile igitur est & circa iniusticiam, timiditatem, & luxuriam, & mediocritatem esse censere, & id quod nimium dicitur, & parum. Hoc enim modo exuperationis, & defectus erit utique mediocritas, & exuperationis exuperatio, & defectus item defectus: sed ut temperantia, fortitudinisve non est exuperatio, atque defectus, quia medium ipsum est modo quodam extremum: sic nec illorum est mediocritas, nec exuperatio, & defectus, sed utcumque agantur, semper delinquitur. Omnino namque nec exuperationis, nec defectus est mediocritas, nec mediocritatis exuperatio, & defectus.

Mediocritatum inter duo extrema dispositio. Cap. VII.

AT enim id ipsum non solum uniuersaliter dicere, sed ad ipsa singula etiam accommodare oportet. Sermonum enim eorum, qui circa actus versantur, uniuersales quidem magis communes, particulares verò magis sunt veri. Actus namque circa singula sunt, quibus sermones, rationesque cōsentaneas esse oportet. Hæc igitur ex descriptione sumenda sunt. Circa timores itaque, fiduciaeve, mediocritas quidè est fortitudo: at exuperantium is quidem, qui non timendo exuperat, nomine caret. Sunt autem complura, quæ nominibus vacant. Is autem, qui confidendo exuperat, audax est. At is, qui timendo quidem exuperat, confidendo autem deficit, timidus. Circa voluptates, atque dolores, non omnes quidem, & minus circa dolores, mediocritas quidè est temperantia, exuperatio autem intemperantia. At deficientes circa voluptates perpauci fiunt: quapropter nec his est positum nomen, sed insensati vocentur. Circa dandas, capiendaque, pecunias mediocritas quidè est liberalitas, nimium, atque parum, prodigalitas, & illiberalitas, quibus contrario modo exuperant, & deficiunt homines. Prodigus enim in erogando exuperat, in capiendo deficit. At illiberalis, atque avarus in capiendo exuperat, in erogando deficit. Atque de hisce nunc quidè figura loquimur, & in summa, hoc ipso contenti, postea verò exactius de ipsis determinabimus. Sunt & alia circa pecunias dispositiones, & mediocritas quidem est magnificentia. Differt enim hoc à liberali magnificus, quod hic circa magna, ille circa parua versatur. Exuperatio autem ruditas circa decorum, atque sordiditas, & defectus circa decorum pusillitas. Atque hæc differunt ab iis, quæ circa liberalitatem diximus esse, & differetiam posterius explicabimus. Circa honorem & eius oppositum mediocritas quidem est magnanimitas, exuperatio verò lentitudo quædam, & defectus pusillanimitas dicitur. Ut autem ad magnificentiam sese habere diximus liberalitatem, hoc differentè ab illa, quod circa parua versatur:

versatur: sic sese habet & ad magnanimitatem, (quæ quidem circa honorem magnum versatur) alia quædam dispositio, quæ circa paruum versatur. Fit enim ut appetatur honor ut oportet, & magis, quam oportet, & minus. Atque is, qui in honore exuperat appetitione, ambitiosus vocatur: is autem, qui deficit, appetitione vacans honoris: & medius nomine caret. Dispositiones etiã ipsæ præter unam nomine carent. Ambitosum namque, ambitio vocatur. Quocirca fit, ut extremi de medio loco decerent. Nos quoque medium hunc modò ambitiosum, modò vacantem honoris appetitione vocamus: Et nunc ipsum ambitiosum, nunc alterum laudamus. Cur autem id fiat, in sequentibus explanabitur. Nunc de cæteris eundem seruantes modum dicamus. Est igitur & circa iram mediocritas, & nimium, atque parum. Atque cum ferè nominibus careant, medium mansuetum dicentes, mediocritatem mansuetudinem appellabimus: extremorum autem is quidem, qui exuperat iracundus, & vitium iracundia vocitetur. Is verò, qui deficit, ira vacans, & defectus iræ, vacuitas nuncupetur. Sunt & alia tres mediocritates, quæ tametsi similitudinem quandam, & conuenientiam inter sese habent, differunt tamen. Omnes enim sunt circa verborum, actuumve communem usum: sed differunt quod earum una circa verum, quod est in ipsis, cætera circa iucundum versantur: quod quidè partim est in loco, partim in cæteris congressionibus uniuersis. Et de his igitur est dicendum, ut magis cernamus in uniuersis mediocritatè quidem laudabilem esse, extrema verò, neque, recta, neque laudabilia, sed vituperabilia esse. Atque horum etiã pleraque nominibus carent: verum enitendum est & his perinde, atque cæteris, ponere nomina diluciditatis gratia, & ut facile sequi possimus. Circa verum igitur, medius quidem verax quidam, & mediocritas veritas appelletur. Fictio verò, si ad maiora pergat, arrogantia, & arrogans, qui ipsam habet, dicatur. Sin ad minora, dissimulatio nuncupetur, & qui habet ipsam, dissimulatio. Circa iucundum, quod in ioco consistit, medius quidem comis, & urbanus, & dispositio comitas, atque urbanitas appelletur. Exuperatio autem, scurrilitas, & qui ipsam habet, scurra: & qui deficit, rusticus quidam, & habitus, rusticitas, nuncupetur. Circa verò reliquum iucundum quod est in vita, is quidem, qui est, ut oportet, iucundus, amicus dicatur, & mediocritas, amicitia. Is autem, qui exuperat, si nullius gratia rei, placidus: si sui emolumentum causa, adulator est appellandus. At is, qui deficit, & in cunctis est iniucundus, contentiosus quidem, difficilisque dicatur. Sunt & in affectibus, & in iis, quæ sunt circa affectus, mediocritates. Verecundia namque, virtus quidè non est, laudatur tamen & ipse etiam verecundus: nam & hic dicitur esse medius, & exuperans, atque deficiens. Et exuperat quidem is, qui in uniuersis verecundatur, qualis est ipse pauidus: qui verò deficit, aut nulla in re verecundatur, appellatur impudens: medius verò, dicitur verecundus. Indignatio autem, mediocritas est inuidia, & malevolentia. Versantur autem circa dolorè,

& voluptatem, quæ oriuntur ex iis, quæ proximis accidunt. Indignans enim dolet, cum aliqui prosperitate Fortunæ indignè fruuntur. Inuidus autem huc exuperans, de omnibus dolet: sed maleuolus adeo deficit in dolendo, ut gaudeat. Verum de his erit & alio loco tempus dicendi. De iustitia verò postea pertractabimus. Atque cum non dicatur simpliciter, distinguemus ipsam, & de utraque dicemus quomodo mediocritas est, & similiter de rationis virtutibus.

De virtutum, ac vitiorum mutua oppositione. Cap. VIII.



VM autem tres sint dispositiones, & duæ quidem sint vitia, quorum alterum in exuperatione, alterum in defectu consistit: una autem virtus, quæ quidem est mediocritas, omnes inter se, & si non æquè, suscipiunt oppositionem. Extremae namque cum mediæ, tum inter sese contrariae sunt, media verò extremis. Nam ut æquale maius quidè est cum comparatur ad minus, minus autem cum comparatur ad maius: sic & habitus medii respectu quidem defectuum exuperant, respectu autem exuperationum deficiunt, tam in affectibus, quam etiam actibus. Fortis enim, cum ad timidum comparatur, audax, cum ad audacem, timidus esse videtur. Pari modo temperans respectu quidè insensati intemperans, respectu autem intemperantis, insensatus videtur. Liberalis etiã, prodigus, si ad illiberalem: illiberalis, si cum prodigo conferatur. Quapropter & extremorum utroque medium ipsum à se compellit ad alterum: atque fortem, audax quidem timidum, timidus autem audacem appellat, & in cæteris simili modo. Hæc cum hoc modo inter sese opponantur, maior est utique contrarietas extremorum inter sese, quam ad medium. Logius enim hæc inter sese, quam à medio distat: & perinde, atque magnū magis à paruo, paruumque à magno, quam ab æquali utrunque distat. Extremis insuper nonnullis ad medium similitudo quædam esse videtur: ut audacia ad fortitudinem, & prodigalitati ad liberalitatem. At extremorum inter sese maxima est dissimilitudo: atque ea, quæ plurimum inter se distant, deficientes, contraria dicunt, quo fit, ut ea, quæ magis distant, magis contraria sint. At verò medio in quibusdam exuperatio, in quibusdam defectus magis opponitur. Fortitudini namque non audacia, quæ est exuperatio, sed timiditas, quæ est defectus, magis opponitur. Temperantia verò non insensibilitas, quæ quidem est defectus, sed intemperantia, quæ est exuperatio, magis contraria est. Id autem ob duas accidit causas. Atque una quidè est ex ipsius rei natura. Nam quia propinquius, atque similis est extremorum alterum medio, ideo non hoc ipsi, sed contrarium oppositum esse magis asserimus. Ut cum audacia quidè similis fortitudini videatur, atque propinquius esse: timiditas autem dissimilior: haud illi magis oppositam esse censemus. Etenim ea, quæ plus à medio distant, eidem contraria magis esse constat. Hæc igitur una est causa, quæ quidem est ex ipsius rei natura. Altera autem in nobis sumitur ipsis. Ea namque medio

contraria magis esse videntur, ad quæ nos ipsi quodam modo natura sumus propensiores. Nos enim ipsi quia magis ad voluptates sumus proclives, idcirco facilius ad intemperatiam, quam ad modestiam, inclinamur. † Hæc igitur magis contraria dicimus virtuti, quæ in nobis augentur magis: & propterea intemperantia, quæ est exuperatio, magis est contraria temperantiæ.

Hæc igitur magis contraria dicimus, ad quæ fit magis accretio: et propter eam.

De præceptis, quæ ad ipsum medium ducunt. Cap. IX.

Virtutem igitur moris mediocritatem esse, & quomodo sit, & vitiorum duorum mediocritatē esse, vnius per exuperationē, alterius per defectū, & talē esse, propterea quod coniectrix est eius mediū, quod in affectibus est, atq; actibus, satis iā diximus. Quapropter difficile est studiosum esse. Est enim difficile in vnoquoq; mediū capere: vt circuli mediū inuenire, nō cuiuslibet, sed sciētis est tātū. Pari modo irasci quidē, & dare argētum, sumptusve facere, cuiuslibet est, & facile: sed cui, & quantum, & quando, & quomodo, & gratia cuius oportet, nō cuiuslibet est, neque facile: quod quidem est ipsum rectum, & est perrarum, & laudabile, & perpulchrum. Idcirco eum, qui mediū ipsum coniectat, primū quidem à magis contrario discedere oportet, & pèrinde arque Circe monebat.

Extra vndam, & fumum longè cōpelle carinā. Extremorum enim altero magis, altero minùs delinquitur. Cū igitur cōsequi medium summè sit difficile, secunda, vt inquit, nauigatione, minima malorum sunt capienda. Idque erit hoc maximè modo, quem diximus. Considerare

autem oportet & ad quæ nos sumus propensiores: nam alii ad alia natura sumus proclives. Quod quidem ex voluptate, dolorēq; inde proveniente percipietur: atq; nos ipsos ad contrarium oportet retrahere. Longè nanq; à delinquēdo sese dētes, ad ipsum tandem medium accedemus: vt solent ii facere, qui ligna obliqua ad rectitudinem redigunt. In vniuersis autem cauendum est maximè à voluptate. Nō enim incorrupti iudicamus de ipsa. Vt ergo Troianorum fenes erga Helenā sese habuerunt, sic & nos ad voluptatem ipsam esse affectos, in omnibusq; † illorum dicere vocem oportet. Hoc enim modo remouentes à nobis ipsam, minùs peccabimus. Hæc igitur facientes, vt in summa dicam, maximè medium attingere, consequiue poterimus. Id autem ipsum difficile est fortasse, & in singulis maximè. Non enim faciliè determinari potest, quomodo, & pro quibus, & quanto in tempore irascendum est. Etenim nos interdum eos, qui deficiunt, laudamus, & mites dicimus esse. Interdum ipsos infensos appellamus viriles. Verū qui parum à recto exorbitat, non capitur, siue ad defectū, siue ad exuperationem se flectat: qui verò multum, vituperatur: non enim later egressus. Facile autem non est excipere ratione, quousque, & quātum à recto quispiam egressus, carpendus est. Neq; enim aliud quicquam sensibilem determinari facile potest. Talia verò in singulis sunt, & iudicium est in sensu. Verū illud est manifestum, medium habitum in vniuersis laudabilem esse. Oportet autem nunc ad exuperationem, nūc ad defectum declinare. Hoc enim modo facillimè medium ipsum, & rectum attingemus, ac allequemur.

illud, y. ubi na. x. et. na. n. p. q. r. s. t. u. v. w. x. y. z.

**A R I S T O T E L I S
S T A G I R I T A E E T H I -**

corum ad Nicomachum

Liber Tertius,

Ioanne Argyropylo Byzantio interprete.

Argumentum Libri.

TERTIVS hæc: De voluntario, & inuoluntario: de iis, quæ sunt maiorum malorum metu, an sint voluntaria: de circumstantiis, & regulis prudentiæ: quid voluntarium, & quid inuoluntarium: de electione, quid sit: de consultatione: de voluntate, & voluntate affectabili: de iis, quæ in nostra sunt potestate: de fortitudine: de forti: de infano: de audace: de timido: de quinque modis fortitudinis non veræ: de temperantia: de cupiditate: de temperante: de intemperante, & infansato.

De voluntario, & inuoluntario. Cap. I.



QUAM autem virtus circa affectus, actusq; versetur, & in iis quidem, quæ sua sponte quis agit, laudes, & vituperationes, in iis autē, quæ inuitus facit, venia nonnunquam, & misericordia locū habeat, eos forsitan, qui de virtute considerant, de eo, quod sua sponte quis facit, atq; inuitus, determinare necesse est. Vtilis est etiam legū latoribus, hæc sanè confide

consideratio, ad præmia, pœnasq; instituendas. Videtur itaq; ea inuitus facere quispiam, quæ violentia, vel per ignorationē facit. Id autē est violentum, cuius principium est foris, in quod nihil is, qui agit, aut patitur, confert: vt si ventus aliquod tulerit, aut homines potestatem habentes. At ea, quæ maiorum metu malorum, aut ob aliquod bonū aguntur, vt si tyrannus quempiam aliquid agere turpe iuberet, habens in potestate & parentes, & liberos, hac lege, vt si illud agat, illi sint incolumes, si non agat, dispereant: controuersiā habere videntur, vtrū hæc inuiti, an sponte faciāt homines. Tale etiā quid accidit, & circa iactus eos, qui in tempestatibus fiunt. Simpliciter enim nemo suas fortunas eiicit sponte: sed omnes propter suam, ceterorumq; salutem eiiciunt, modò sint mentis sanæ. Tales igitur actus, misti quidem sunt. Iis autem magis sunt similes, quos sponte homines agunt. Expetuntur enim tum cū agitur, atq; finis actionis in temporis conditione consistit. Et sponte igitur, & inuitū vnumquemq; dicendū est agere, cū agit: agit autem sua sponte. Est enim in ipso principium mouendi partes eas, quæ sunt in huiuscemodi actibus instrumenta. At quorū principium est in ipso, ea agere, vel non agere, in ipso est sitū. Talia igitur sua sponte quisque agit: at simpliciter fortassis inuitus. Nemo nanq; talium quicquam per se expeteret vnquam. In actibus autem huiuscemodi nonnunquam homines & laudantur, cū pro magnis, & honestis rebus aliquid turpe ferunt, aut molestum. Si verò contrā faciunt, vituperantur. Est enim improbi, pro nulla re honesta, vel mediocri, res turpissimas ferre. In quibusdam autem laus quidem nō sit, sed venia locum habet, cū ea, quæ non agere oportet, quispiam egerit ob huiuscemodi res, quæ naturā humanam superant, nemōque perferret. Sunt autē quædam, ad quæ forsitan non licet quenquā esse compulsum, sed potiùs oportet summa perpessum tormenta mortem obire. Ridicula nanq; videntur ea, quæ ad necem matris Alcmeonē Euripidis cōpulerunt. Est autem interdum difficile, quale pro quali sit expetendū, & quid pro quo sustinendū discernere. Difficilius etiam est, postea, quàm cognoueris, in sentētia permanere. Fit enim plerunq; vt ea quidem, quæ expetatur, molesta: ea verò, ad quæ coguntur, turpia sint. Vnde laudantur, atque vituperantur ii, qui fuerunt, aut non fuerunt cōpulsi. Quænam igitur dicenda sunt violenta? An ea quidem simpliciter inuitus quispiam agit, quorū externa est causa, & ipse agens nihil omnino confert? quæ verò per se quidem inuitus facit, sed nūc & pro his expetuntur, principiumq; est in ipso agente, ea per se quidem inuitus facit, nunc autē & pro his sponte agit. Magis autē his similia sunt, quæ sua sponte quis agit. Actus enim sunt circa ipsa singula, quæ quidem sponte facit. Qualia verò pro quibus expetenda sint, nō faciliè assignare possumus: quippe cū in ipsis singulis cōplures sint differentiæ. Quod si quispiam ideo iucunda, & bona violenta dixerit esse, quia & extra sunt, & cōpellunt, omnia erunt eius sentētia violenta, ho-

rum enim gratia omnes omnia agunt. Atq; qui violentia, inuitiq; agunt, ii cum dolore: qui ob iucundum, hi cum voluptate agunt. Est autem ridiculum externa quempiam accusare, sed non se ipsum, qui quidem ab huiuscemodi rebus faciliè capitur: & honestorum quidem se, turpium autem ea, quæ afferunt voluptatem, celsere causam esse. Id igitur violentum est, cuius principium est foris, nihil profus eo conferente, cui vis est illata. Omne autem, quod ob ignorationem est actum, non sponte quidem est actum. Ab inuito tamen id effectum est omne, pro quo dolet qui egit, ipsumque pœnitentia subit. Qui nanq; ob ignorationem aliquid egit, & non fert molestè se illud egisse, sponte quidem sua non egit quod nesciebat. Non tamen erit inuitus, quippe cū non doleat ob id ipsum. Qui igitur ob ignoracionem quippiam egit, si ipsum pœniteat, inuitus fecisse videtur: si non pœniteat, cū is alius sit, nō sponte dicatur egisse. Cū enim differat, meliùs est vt proprium habeat nomen. At enim hæc etiam ipsa, ob ignoracionem, inquam, agere, & ignorantem agere, diuersa sunt. Nam ebrius, aut iratus non videtur ob ignoracionem agere, sed ob aliquid eorū, quæ dicta sunt, non sciēs, sed ignorans. Omnis igitur prauus ignorat quæ agere oportet, & à quibus est abstinendū. Et ob huiuscemodi errorem, iniusti homines, malique omnino fiunt. Inuitus autem dicitur quispiam agere, nō si ignorat id, quod conducit. Nō enim ea ignoratio, quæ facta est electione, causa est vt aliquid inuitus quispiam faciat: sed prauitatis. Nec etiam ea, quæ est vniuersalis, homines enim propter hanc ipsam reprehenduntur: sed ea, quæ est singulorum, in quibus, & circa quæ est ipsa actio. In his enim & commiseratio locum habet, & venia. Qui nanque aliquid eorum ignorat, inuitus agit. Forsitan igitur non ab re fuerit, si quæ, & quot sunt ipsa determinabimus. Quis itaque, quid, & circa quid, vel in quo agit, nonnunquam & quo vt instrumento, & cuius gratia, vt salutis, & quomodo, vt sensum, vel vehementer. Omnia igitur hæc nemo ignorauerit, modò non sit infans. Patet autem, neque ipsum agentem: quo nanq; modo se ignorabit? Ignorauerit autem quispiam id, quod agit: vt dicentes, inquit, excidisse sibi, aut nescisse reticenda esse. Quemadmodum Aeschylus ipsa arcana Cereis: aut ostendere volens immisisse, vt qui telum iecit. Putauerit autem quispiam & filium hostē esse, vt Merope putauit: & hastam cuspidem habentem, ea carere: & lapidem, pumicem esse. Et interfecerit quispiam salutis percussum causa, & monstrare volens (vt faciunt qui manibus extremis luctantur) percusserit. Cū igitur circa hæc omnia, in quibus est ipse actus, sit ignoratio, qui horū aliquid ignorauit, is inuitus egisse videtur, & maximè in præcipuis. Hæc autem ea videntur esse, in quibus est ipse actus, & id, cuius agitur gratia. Eius igitur, quod ab inuito ob ignoracionem talem dicitur esse factum, oportet actionem, dolorem insuper, pœnitentiāq; afferre. Cū autem id inuitus quispiam agat, quod vi, & ob ignoracionē agitur, id sua profectò spō-

quiritat.

te quispiam videbitur agere, cuius principium est in ipso agente sciente singula, in quibus est ipse actus. Forsitan enim non rectè dicitur, ea fieri ab inuitis, quæ per iram, aut cupiditate aguntur. Primò nanq; nulla bellua sponte aget, neq; pueri. Deinde vtrum nihil eorū sponte agamus, quæ cupiditate, vel ira agimus: an honesta quidem sponte, turpia verò inuiti? An ridiculū est eum vna sit causa? Absurdum est etiam forsitan, ea ab inuitis agi censere, quæ oportet appetere. Oportet autem & irasci pro quibusdam, & cupere nonnullas res, vt sanitatem, atq; disciplinam. Videntur etiam ea quidem, quæ ab inuitis sūt, dolorem: ea verò, quæ cupitate aguntur, voluptatem afferre. Præterea quid interest inter ea, quæ per rationem, & quæ per iram peccantur, hoc ipso quòd ab inuitis agantur? Etenim fugienda quidem sunt ambo. Affectus autem rationis expertes, non minùs humani esse videntur: & actus ipsius hominis ab ira, cupiditateque fiunt. Absurdum est igitur hæc ab inuitis agi censere.

De electione. Cap. II.



eterminatis his, eo, inquā, quod sponte, & eo, quod inuitus quispiam agit, consequens est, vt de electione dicamus. Ipsa nanq; virtuti est familiarissima, & magis, quàm ipsi actus, diiudicat mores, atq; expendit. Electio itaq; sponte quidem nostra videtur fieri. Non tamen est idem, quod illud, quod sponte fit. Sed quod fit sponte, ad plura sese extendit. Est enim cū pueris, & animalibus cæteris nobis cōmune: electio verò nō est cōmunis. Et ea, quæ à nobis repente sūt, sponte quidē nostra fieri dicimus, electione verò nō dicimus. Qui dicūt ipsam esse cupiditatem, vel iram, vel voluntatem, vel opinionem quandam, non rectè dicunt. Etenim electio non est commune homini cum rationis expertibus: at cupiditas est, & ira. Et incontinens, cupiens quidem, non tamē eligens agit. Continens autem contrā, eligens quidem, at non cupiens agit. Et cupiditas quidē aduersatur electioni, cupiditati verò cupiditas non repugnat. Cupiditas præterea iucundi est, & molesti: electio verò, neq; molesti, neq; iucundi. Ira etiā minùs esse videtur: quippe cū ea, quæ fiunt ira, minimè per electionem fieri videantur. At verò neq; voluntas est, tametsi finitima hæc esse apparent. Electio nanq; nō est eorum, quæ fieri nequeunt. Quòd si quis eligere dixerit ea, amens esse videbitur. Voluntas autem est, vt immortalitatis. Et voluntas quidem est circa ea quoq; quæ per ipsum, qui vult, nequaquam agerentur. Volumus enim histrionem aliquē vincere vel certamen: at eligit talia nemo, sed ea, quæ per se ipsum existimat fore posse. Præterea, voluntas quidem magis est ipsius finis: electio autem eorum, quæ ferunt ad finem. Vt sani quidē esse volumus, eligimus autem ea, quibus erimus sani. Et felices quidē esse volumus, atq; ita dicimus, eligimus autem nō conuenit dicere. Atque omnino in his versatur electio, quæ in nostra sunt potestate. Opinio quoq; nō est. Opinatio nanque circa vniuersa videtur esse: nec minùs

circa æterna, & ea, quæ fieri nequeunt, quàm circa ea, quæ nostra in potestate sunt collocata. Et falso, veròq; diuiditur, non malo, bonòq;: electio autem hisce magis. Electionem igitur idem esse & opinionem omnino, nemo forsitan dicit. At nec etiam est idem quod opinatio quædam. Eligendo nāq; bona vel mala, quales quidem sumus, opinando autem non sumus. Et eligimus quidem capere aliquid, aut fugere, aut aliquid talium: opinamur autem quidnā sit, vel cui conferat, vel quo pacto cōducatur: sed capere, aut fugere non nimium opinamur. Et electio quidem laudatur ex eo, quia est eius, quod oportet magis, vel quia est recta, opinio verò ex eo quia est vera. Et eligimus quidem quæ maximè scimus esse bona: opinamur autem ea, quæ non nimium scimus. Videntur præterea non idem homines eligere optima, atq; etiā opinari: sed quidam opinari quidem melius, ob vitium autem non ea, quæ oportet eligere. Nihil autem refert si antecedit electionem, aut comiteretur, opinio: non enim id ipsum nunc perscrutamur, sed si idem sit electio, quod opinatio quædam. Quid igitur, aut quale quid est electio: cū nihil sit eorum, quæ diximus? Videtur itaq; sponte quidem à nobis fieri: attamen nō omne, quod sponte agimus, est eligibile, sed id, cuius consultatio antecessit. Electio nanq; cum ratione est, atque mente. Subsignificare autem id & nomen videtur, innuens ipsum ex aliis eligibile esse.

De consultatione. Cap. III.



T est ne de omnibus consultatio, & omne quoduis est consultabile, an de quibusdam non est consultatio? Atq; dicendū est forsitan consultabile non id esse, de quo quispiam insipiens, vel mente capus, sed id, de quo sanæ mentis vir consultaerit. De æternis autē nemo consultat, vt de Mundo, vel de communis mensuræ diametri laterisq; vacuitate. Sed neq; de iis, quæ consistunt quidem in motu, semper autem fiunt eodē modo, siue necessitate, siue natura, siue propter aliquam aliam causam: vt de solstitiis, atq; exortu. Neq; de iis, quæ aliās aliter sese habent: vt de ficitatibus, imbribusve. Nec itē de iis, quæ eueniunt à Fortuna: vt de thesauri inuentione. Sed neq; de humanis omnibus rebus. Nam quonam modo Respublica Scytharum optimè gubernaretur, Lacedæmoniorū consultat nemo: nihil enim horum per nos ipsos fieri potest. Consultamus autem de iis rebus agendis, quæ in nostra sunt potestate: hæc enim & restant. Causæ nanq; videntur esse, natura, necessitas, fortuna, & mens insuper, ac omne, quod per hominē efficit. Hominem autē quisq; de iis consultat, quæ agi per ipsum possunt. Atq; circa exactas quidem scientias, & sufficientes, non est consultatio, vt de literis. Nō enim ambigimus quomodo literæ scribendæ sint. Sed de iis consultamus, quæ sūt quidem à nobis, non tamen semper eodē modo: vt de agendis per medicinam, vel pecuniariam artem: & eò magis in gubernandi facultate, quàm in exercēdi arte deliberamus, quò minùs exacta est

Diametri laterisq; vacuitate.

est: & de cæteris simili modo. Atq; magis etiam in artibus, quàm ipsi scientis: nam circa ipsas magis ambigimus. Consultatio autem in iis versatur, quæ plerunq; quidem fieri possunt, incerta tamen sunt quonā euenient modo: & in quibus est indeterminatio. Atq; cū magnis de rebus deliberare volumus, assumimus & alios ad consilium, diffidentes nobis ipsis, tanquam non sufficientibus ad id discernendū. Consultamus autē non de finibus, sed de iis, quæ ad fines ipsos perducūt. Nec enim medicus si sanabit, nec orator si persuadēbit, nec Reipublicæ gubernator si bene recteq; legibus ciuitatem instituet, nec deniq; cæterorum quisquam de fine deliberat, sed omnes posito quodam fine, quemadmodum, & per quæ fiet ille, considerant. Atq; si per plura posse fieri videtur, per quod illorum facillimè, optimèq; fiet, perquirunt. Sin per vnum, quonā modo per illud fiet, & illud item per quid efficitur, considerant: idq; faciunt, donec ad primam perueniant causam, quæ quidem in inuentione est vltimum. Qui nanq; consultat, is quærere videtur, dictòq; modo perinde, atq; designationē linearum resolvere. Non autem omnis perquisitio, cōsultatio est. Mathematicæ nanq; perquisitiones non sunt. Omnis autem consultatio, est continuò perquisitio. Idq; quod vltimum est in resolutione, primum esse cōstat in generatione. Atq; si consultantes in aliquid inciderint, quod quidem fieri nequeat, desistunt. Vt si sit pecuniis opus, has autem habere nō possint. Quod si videatur fieri posse, tunc agere aggrediūtur. Ea verò dicimus fieri posse, quæ per nos ipsos fieri possunt. Nam ea, quæ per amicos fiunt, per nos ipsos quodam modo fiunt, quippe cū principium sit in nobis. Quæruntur autem quandoq; quidem instrumenta, quandoq; autem vsus ipsorum: & in reliquis simili modo. Interdum, per quod: interdum, quonam modo, aut per quem, solet quæri. Videtur igitur, vt dictum est, hominum principium actuum esse, & de iis esse consilium, quæ agi ab ipso possunt, & actus aliorum esse gratia. Finis igitur non consultabilis, sed ea, quæ deducunt ad fines. Nec etiam singula: vt si panis sit hoc, vel confectū sit vt oportet. Hæc enim sensus ipsius sunt. Quòd si semper quispiam cōsultauerit, in infinitum abibit. Consultabile autem, & eligibile idem est. Ipsum tamen eligibile definitum iam est. Quod enim cæteris ex consultatione prætulimus, id eligibile est. Desinit enim tunc demum vnusquisque perquirere quonam aget modo, cū in se ipsum principiu rededit, & in id sui ipsius quod antecedit, hoc est enim quod eligit. Patet hoc ita esse & ex vetustissimis rebus publicis, quas imitabatur Homerus, quæ nanque reges eligerent, ea populo renūtiabant. Cū igitur ipsum eligibile sit consultabile, appetibile ex iis, quæ in nostra sunt potestate: & ipsa electio deliberatiua appetitio rerum erit earum, quæ in nostra sunt potestate. Nam simul atq; diiudicauimus ex consultatione, affectamus deliberatione. Quid est igitur electio, figura sit dictum, & circa quæ versatur, & eorū esse, quibus ad ipsos fines acceditur.

De voluntate, & voluntate affectabili.

Cap. IIII.



Voluntatem autem finis quidem ipsius esse, iam paulò antè diximus. Sed videtur aliis quidē esse veri boni, aliis apparentis boni. Atque fit sententia quidem eorum, qui verum bonū id esse cēsant, quod est affectabile voluntate, vt id non sit affectabile voluntate, quod is, qui non rectè expetit, vult. Nam si sit, erit & cōtinuò bonū, at erat forte malum. Sententia autem eorum, qui bonum apparens inquit esse, quod est affectabile voluntate, vt nihil sit prorsus, quod suapte natura sit affectabile voluntate, sed id, quod vniciq; videtur. At aliud alii videtur, & repugnantia forte. Quòd si hæc non placent, dicendū est simpliciter quidem, & re vera verum bonū esse affectabile voluntate: vniciq; verò id, quod vniciq; videtur. Studioso igitur id est affectabile voluntate, quod verè est bonū: vitioso verò, quicquid cōtigerit. Fitq; hoc perinde atq; in corporibus ipsis. His enim, quorū corpora bene sese habent, salubria sunt ea, quæ verè talia sunt: iis autem, quorum corpora sunt ægrota, non hæc ipsa, sed alia. Similiter & amara, ac dulcia, & calida, atq; grauia, & cætera id genus. Studiosus enim homo rectè singula iudicat, & singulis in rebus id ipsi videtur, quod verè est tale. In vnoquoque enim habitu sunt propria quædam honesta, atq; iucunda: atq; in singulis plurimum fortasse præstat vir studiosus in dignoscendis iis, quæ verè talia sunt: propterea quòd est vt norma quædam, atq; mensura ipsorum. Multitudo verò decipitur ob voluptatem. Ipsa nanq; bonum quidem noc est, bonum tamen esse apparet. Persequuntur igitur ipsam, tanquam bonum: dolorem autem fugiunt, tanquam malum.

De iis, quæ in nostra sunt potestate.

Cap. V.



Vm igitur finis quidem sit affectabilis voluntate, ea verò, quibus itur ad finem, cōsultabilia sint, atq; eligibilia: fit vt actus ii, qui circa hæc versantur, ab electione proficiantur, nostraq; sponte fiāt. At operationes virtutū circa hæc ipsa versantur. Nostra igitur in potestate ipsa virtutes, & identidem vitia collocantur. Quibus enim in rebus nostra in potestate situm est agere, in iis & non agere: & in quibus non agere, in iis est & agere. Quare si agere bonū (quod honestum est) in nobis est sitū, & non agere quod est turpe in nobis est collocatum. Et si non agere malū (quod est honestum) in nostra est potestate, & agere (quod est turpe) in nobis est sitū. Quod si in nobis est situm tam honesta quàm turpia agere: & simili modo non agere. Hoc autem erat bonos, & malos esse. In nobis ergo est situm, nos probos, & improbos esse. Dicere autē sua sponte neminē prauū, nec in inuitū quenquam beatum esse, alterum falso est simile, alterū vero. Nā beatus quidem nemo est inuitus. Sponte autem nostra prauitas cōparatur. Vel obstandum est iis, quæ mo-

dò sunt dicta, & hominè non esse principiū est dicendum, neq; procreatorem actuum perinde, ac liberorū. Quòd si hæc vera videntur, nec in alia vlla principia nostros actus, quàm in ea, quæ sunt in nobis, reducere possumus: quorū principia sunt in nobis, ea quoq; in nobis sunt sita, spōtèq; à nobis fiunt. Hæc ita esse, testes sunt & priuatim singuli homines, & ipsi legum latores. Nā eos quidem, qui praua faciunt, si modò non vi, nec ob ignorationem eā, cuius ipsi non fuerunt causa, illa agant, castigant, ac puniunt. Iis autem, qui honesta agunt, honores instituunt: vt homines partim horrentur, partim prohibeant. At ad ea agenda, quæ nec in nostra sunt potestate, nec nostra sponte efficiuntur, nemo prorsus hortatur: quippe cum vanū sit, persuasum esse cupiam nō callere, aut nō dolere, aut non esurire, aut quiduis aliud tale: nam nihilominus hæc ipsa patietur. Etenim pro ignoracione etiam ipsa pœnas instituunt, si quispiam ignoracionis esse sibi causa videretur. Ebrios nanq; duplici pœna afficiēdos esse putarunt. Principiū enim ipsis est: quippe cum in ipsorum sit potestate ebrietatem vitare, quæ quidem ignoracionis est causa. Puniunt etiā eos, qui aliquid eorum ignorant, quæ legibus continentur, quæ quidem scire oportet, nec sunt difficilia cognitu. Similiter & in aliis quæcunq; per negligentiam homines ignorare videtur: ex eo planè, quia in ipsis est non ignorare. Est enim in ipsorum potestate diligentiam adhibere. At fortasse tales sunt quidam, vt diligentiam non adhibeant. At vt tales fierent, & iniusti, aut intemperantes, ipsi sunt sanè causa dissolutè viuentes, & res iniustas agentes, & potui, & rebus talibus indulgētes. Operationes enim, quæ sunt circa singula, tales efficiunt. Quod quidem ex his patet, qui cuius ludo, vel actu student: perseverant enim in operando. Ignorare igitur ex operationibus, quæ sunt circa res singulas, habitus ipsos emergere, nimium hebetis hominis est. Præterea metas rationis egreditur, iniurias facientem hominem, aut intemperatè agentē, nollet se iniustū, aut intemperatū esse. Quòd si quis ignorans agit ea, ex quibus erit iniustus, is sua sponte erit iniustus. Non tamen si vult, cum est iniustus, desinet esse talis, ac iustus erit. Nec enim qui ægrotat, si vult, erit sanus, & fortè sua sponte ægrotat, si incontinenter viuebat, & præcepta medicorum negligebat. Tunc igitur licebat ipsi non ægrotare: sed postea, quàm valetudinem prodidit suam, non licet. Sicut neque fit, vt quisquam resumat lapidem, quem proiecit: erat tamen in ipso situm, sumere ipsum, atque proiecere. Principium enim erat in ipso. Modo eodem & iniusto, & intemperanti licebat quidem ab initio talem non fore. Quapropter sua sponte est talis. Sed postea, quàm talis est factus, non licet ipsi non esse talem. Non solum autem animi vitia nostra sponte fiunt, sed corporis etiam interdum à nonnullis identidem comparatur. Quos quidem & increpamus. Eos enim, qui natura sunt turpes, reprehendit profecto nemo: sed eos, qui per inertiam tales, atque otium euaserunt. Idem & circa imbecillitatem

634
euenire constat: & cum quispiam membris est captus. Nemo nanque exprobrauit cuiquam ipsum, si sit aut natura, aut ægritudine, aut vulnere cæcus, sed potius miserebitur. Quòd si ebrietate, vel aliquo alio flagitio captus sit oculis, omnes utique carpent, ac increpabunt. Vitia igitur corporis ea quidem, quæ in nostra sunt potestate, repræhenduntur: ea verò, quæ non sunt, non increpantur. Hæc cum ita sint, & in cæteris ea vitia, quæ increpantur, nostra in potestate sunt collocata. Sed fortasse quispiam dicet, vniuersos quidē homines id affectare semper, quod bonum apparet, ipsius tamen apparentiæ dominos ipsos non esse, sed qualis tandem vnusquisque est, talem & finem ipsi videri. At si habitus ipsius aliquo modo sibi quisque est causa, erit & apparentiæ ipse sibi quodam modo causa. Sin verò nemo est sibi mala agendi causa, sed hæc ob ignoracionem finis ipsius agit, putās per ea sese summum bonum consecuturum, affectatiōque finis non in nostra est potestate: sed ita natum esse oportet, vt habeat quasi visum, quo quidē rectè discernet, & id expetet, quod verè est bonum. Atque is est ingenio bono, cui id ipsum bene sese habet natura (id enim, quod maximum est, atque pulcherrimum, & quod fieri non potest vt ab alio accipiat, atque discat, habebit qualem dicimus naturalem aptitudinem, & ingenitum acumen) atque hoc rectè natura bene ortum esse, ipsa est habitus perfecta, veraque naturæ. Si igitur hæc vera sunt, cur magis virtus sponte nostra, quàm vitium comparabitur? Ambobus enim similiter, tam bono, quàm malo finis ipse natura, aut quouis modo videtur, ac ponitur: cætera autem agunt quouis modo, ea ipsa referentes ad illum. Sine igitur finis non natura tale vniciueque videatur, sed sit aliquid etiam apud ipsum, siue quidem finis sit naturalis, cum sua sponte vir studiosus cætera agat, & virtus sponte comparetur, atque acquiratur, vitium quoque non minus cōparabitur sponte. Est tamen similiter & malo homini facultas in actibus, etiā si nulla sit in fine potestas. Si igitur, vt dicitur, nostra sponte comparantur virtutes (ipsorū enim habituum nos ipsi causa quodam modo sumus, finemque talem ex eo ponimus, quia nos tales sumus) vitia quoque sponte ab hominibus acquiruntur: similes enim subeunt modos. Communiter igitur dictum est de virtutibus, & genus ipsum figura, mediocritates, inquam, ipsas esse, ac habitus: & à quibus fiunt: & principia esse illa per se agendi, nostraque in potestate collocatas esse, & nostra fieri sponte, atq; ita vt ipsa recta ratio iubet. Verum non similiter nostra sponte actus, ac habitus fiunt. Actuum enim à principio vsque ad finem domini sumus ipsa singula cognoscentes: habitū verò, principii. Singulorum autem additio non est nota, quemadmodum & in aduersa fit valetudine: sed nostra sponte ideo fiunt, quia nostra erat in potestate sic, aut non sic agere, atque vt. At nunc repetentes, de singulis dicamus virtutibus, quænam sint, & circa quæ versentur, & quo etiam modo. Ex quibus & illud simul

Et homini
namq; modo
eandē comparatur,
& actus,
& finis respectu.

635
mul emerget, quot sunt ipsæ virtutes. Atque de fortitudine primū dicamus.

De fortitudine, & forti. Cap. VI.

Fortitudinem itaque circa metus mediocritatē esse, fiduciāsque, perspicuū iam euasit. Metuimus autem ea, quæ terribilia sunt: atque hæc, simpliciter dicendo, sunt mala. Quapropter & veteres metum definiētes, expectationē inquirunt esse mali. Metuimus igitur omnia mala, vt infamiā, paupertatem, morbos, inimicitias, mortem. At non circa hæc omnia vir fortis esse videtur. Sunt enim nonnulla mala, quæ quidem metuere oportet, & honestum est: & non metuere, turpe. Infamiam nanq; qui timet, est probus, & verecundus: qui non timet, impudens. Fortis tamen translatione dicitur à quibusdam: quippe cum aliquid simile videatur habere. Est enim & ipse fortis, interritus quidam. Paupertatem autem metuere forsitan non oportet, nec morbum, nec omnino quicquam eorum, quæ nec à vitio, nec à nobis ipsis proueniunt. Nec tamē is est fortis, qui hæc non metuit, sed hunc etiam fortem similitudine quadam vocamus. Nonnulli enim homines in bellis quidem periculosi metulosi sunt: liberales autem sunt, & ad erogandas pecunias animosè se habent. At neq; si quis pro filiorum, atque vxoris pudicitia timet, aut inuidiā metuit, aut aliquid tale, timidus est. Neq; etiam fortis, si, cum est verberibus cædendus, confidit. Circa quæ igitur terribilia vir fortis versatur? An circa ea, quæ sunt maxima? Etenim nemo tolerantior est malorum homine forti. Mors autem maximè omnium est terribile: est enim vltimum vitæ: & nihil post homini mortuo aut bonum, aut malum esse videtur. At enim neque circa omne genus mortis vir fortis est, & habetur. Nō enim circa mortem eam, quæ fit in mari, aut euenit morbis. Circa quam ergo mortem vir fortis erit? an circa eam, quæ est pulcherrima? Talis autem est ea, quæ fit in bello. In maximo nanq; fit, & pulcherrimo certè periculo. Eodem accedūt & ipsi honores, qui tum à ciuitatibus, tum à regibus sunt instituti. Is igitur homo fortis proprie dicitur, qui circa honestā mortem, & ea omnia, quæ repente eueniunt, atq; asserūt ipsam, interritus est. Huiusmodi verò sunt ea, quæ in bello contingunt. Quinetiā & in mari, & in ipsis morbis vir fortis timore vacat, non tamē ita vt nauæ. Fortes enim & de salute sua desperant, & genus tale mortis molestè ferūt: illi verò spe propter experientiam sunt freti. Simul autem & viriliter, fortiterq; agunt, in quibus vires habent locum, aut honestum est mori, quorum neutrum est in tali genere mortis.

De terribilium diuersitate, & fortitudinis extremis. Cap. VII.

Non est autem idem vniuersis terribile. Et dicimus etiā aliquid esse, quod facultatem superat hominis: id igitur vniciueque terribile est homini sanæ

mentis. At ea, quæ metas facultatis non egrediuntur humanæ, magnitudine differunt, & intentione, remissionēque. Similiter autem & ea, in quibus confidimus. Fortis itaque, impudicus est vt homo: atque timebit quidem & huiusmodi res formidolosas: verum vt oportet, & vt dicitur ratio, tolerabit honestatis causa: hæc enim ipsius virtutis est finis. Fit autem vt hæc & magis, & minus timeant homines: & etiam vt ea, quæ non terribilia sunt, vt terribilia metuant. Atque delinquitur, cum metuunt aut ea, quæ nō oportet metuere, aut non quemadmodum oportet, aut non quando oportet, aut aliquid tale. Similiter peccatur & circa ea, in quibus confidimus. Qui igitur & ea, quæ oportet, & gratia cuius oportet, & vt oportet, & quādo oportet, fert, & metuit, & identidē cōfidit, is homo est fortis. Fortis enim tper habitum, & vt ipsa ratio iubet, tam patitur, quàm etiā agit. Finis autem operationis omnis is est, qui accommodatur habitui. Et viro etiam forti, honestum est ipsa fortitudo, Talis igitur & ipsius est finis. Singula nanq; suo fine definiuntur. Fortis igitur honestatis causa, subit, & agit ea, quæ ad ipsam fortitudinem pertinent. Exuperantium autem is quidem, qui in non metuendo exuperat, nomine caret. Atque dictum est antea nominibus complura vacare. At vocari potest insanus quidem vel stupidus, si nihil omnino neque motus terræ, neque fluctus (vt de Celtis dicitur) metuat. Sed is, qui circa res formidolosas exuperat confidendo, audax est. Videtur autem ipse audax & arrogans esse, & fortitudinis simulator. Qualis igitur est fortis circa res ipsas formidolosas, talis & ipse videri vult: itaque imitatur illum, in quibus potest. Quapropter & complures ipsorum audaces sunt simul, & timidi: in his enim audentes res formidolosas non sustinent. Is autem, qui metuendo exuperat, timidus est: nam timet ea, quæ non oportet, & vt non oportet, & omnia talia ipsum sequuntur. Deficit autem & in confidento. Sed in doloribus exuperans magis est manifestus. Meticulosus igitur malè sese habet circa spem, quippe cum vniuersa metuat. Fortis verò contra sese habet. Confidere nanque, bene sperantis hominis est. Circa igitur hæc versatur & audax, & meticulosus, & fortis. Sed diuerso modo sese habent ad ipsa. Illi nanque exuperant, & deficiunt: at hic mediocriter sese habet, & vt oportet. Et audaces quidē præcipites sunt ante ipsa pericula, & volunt ea: sed, cum in ipsis sunt, tergiuersantur. Fortes autem in ipsis quidem operibus feruidi sunt, antè verò quieti. Vt igitur dictum est, fortitudo mediocritas est circa ea, quibus confidimus; & ea, quæ terribilia sunt, in iis, quæ diximus: & eligit, atque fert ipsa, quia est honestum, & quia est turpe, nō subire, atque perferre. Mortem autem sibi consciscere ob fugiendam paupertatem, aut amorem aut molestum aliquid, nō fortis est hominis, sed potius timidi. Est enim mollitiei laboriosa fugere. Atq; non quia res est honesta, oppetit mortem, sed quia malum fugit. Fortitudo igitur tale aliquid est.

Pro dignitate.

Quòd quinq; modi fortitudinis non veræ.
Cap. VIII.

Dilectantur & aliæ fortitudines quinque modis. Atq; prima est ipsa ciuilis. Maximè autè similis est. Ciues enim ob increpationes, quæ sunt ex legibus, & probra, honorésve, pericula subeunt: & propterea fortissimi quidem videntur esse, apud quos timidi quidem infames sunt, fortes autem afficiuntur honore. Tales & Homerus affert, vt Diomedem, ac Hectorem. Dicit enim Hektor:

Nā me polydamas ante omnis ipse reprædet.
Iliad. 9. & Diomedes.

Inter enim dicit Troianos optimus Hektor, Tydides metuens puppes confugit ad altas. Hæc autem ex eo maximè similis est ei, de qua supra diximus, quia fit ob virtutem. Ob pudorè enim, & appetitionem honestæ rei, honoris, inquam, & ob fugiendâ reprehensionè, quæ quidè est turpis. In eodè posuerit quispiam & eos, qui compelluntur à magistratibus. Verùm deteriores eò sunt, quòd non ob pudorè, sed ob metù id faciunt: & fugiunt non rem turpem, sed molestâ. Cogunt enim ii, qui potestatè habet. vt Hektor.

Què procul à pugna trepidatè fortè videbo, Is canibus fiet, fiet quoque vulturis esca. Idem faciunt & qui imperant: & si recedunt, verberibus afficiunt. Et qui ante fossas, & huiusmodi loca, cõstruunt aciem: omnes enim cogunt. At non necessitate, sed quia res est honesta, fortem esse oportet. Videtur etiam & ipsa singularium rerum peritia fortitudo esse. Quapropter & Socrates fortitudinem, scientiam esse putauit. Tales autem alij quidè in aliis sunt: in rebus autem bellicis milites. Sunt enim in bello complures res vanæ, quæ quidem maximè ipsis sunt notæ. Atq; ideo fortes videntur, quia quales sunt illæ, alij nesciunt. Deinde & aduersarios offendere, & se ipsos tueri maximè experientia possunt, & cui rare hostis conatus, & illù percutere, cum armis uti possint, & talia habeant, vt & ad faciendù sunt & non patiendum aprissimi: quibus efficitur, vt ipsi tanquam aduersus inermes armati, & tanquam aduersus rudes ludi magistri, decertent. Etenim in huiusmodi certaminibus, non ii sunt pugnacissimi, qui fortissimi sunt, sed ii, qui vires amplissimas habent, & optimè sese habent corporibus. At verò milites tunc timidi fiunt, cum exerescit periculum, & inferiores sunt copiis, ac apparatu. Primi nanq; fugam arripiunt: vrbana verò copia manet, atq; intereunt, quod quidem & in Hermæ accidit. Hæc nanq; turpe fugerè, & mortem tali saluti præferendâ esse cèlent: illi verò vt superiores ab initio sese obiectant periculis, re autè intellecta fugâ arripiunt, mortem magis, quàm dedecus formidantes. Sed vir fortis non est talis. Atqui iram etiam ad fortitudinem referunt. Fortes enim & ii videntur, qui ob iram feruntur pèrinde, atq; feræ, in eos, qui ipsos vulnere affecerunt: quia & fortes concitantur ira. Est enim ira, res impetuossimâ ad aggredienda pericula. Quapropter & Homerus dixit: Vires iniecit iræ. Et, Animum ira concitauit. Et, Acuta per nares vis. Et, Efferbuit sanguis. Hæc enim vniuersa iræ cõcitationem, impetumve significare videtur. Fortes igitur ob honestatem agunt, & ipsis opem ira subministrat: feræ autem ob dolorem, quia nanq; vulnus acciperunt, vel quia timent. Nā si suis in lustris sint, non inuadunt. Non igitur sunt fortes, propterea quòd à dolore cõcitantur, ac ira, ad periculum irruunt, nihil prouidentes malorù. Nam hoc modo & ipsi asini, cum esuriunt, fortes essent: non enim à pabulo verberibus dimouentur. Adulteri quoq; propter libidinem multa audent. Non igitur fortes sunt, qui ob dolorem, ac irâ ad pericula compelluntur. Maximè autem naturalis ea esse videtur, quæ est ob iram, & esse fortitudo electione sumpta, finèque: & ipsi etiâ homines, cum irascuntur, dolent: cum vlciscuntur, capiunt voluptatem. Qui autem propter hæc agunt, pugnaces quidem sunt, at non fortes. Nō enim ob honestatem agunt, nec vt ratio præcipit, sed ob ipsum affectum. Aliqua tamen ex parte sunt similes fortibus. Nec etiâ ii, qui sunt spe freti, sunt fortes: nam ex eo quia sæpe, multosq; vicerunt, fiduciam in periculis habent. Sunt autem similes fortibus, quia vtrique confidunt: sed fortes quidem ob eas res, quas paulò antea diximus, illi verò quia se superiores esse putant, & nihil vicissim suscepturos mali. Tale & ipsi ebrii faciunt. sperant enim omnia sibi prosperè euenire: cum verò non eueniunt ipsis talia, fugam arripiunt. At viri fortis erat, res eas, quæ sunt hominibus, & videtur formidolosæ, ferre: quia honestum est, ferre, & turpe non ferre. Quam ob rē & magis fortis esse videtur, subitis potius in terroribus interritum esse, ac sine turbatione, quàm in prouisis. Est enim ab habitu magis, aut minus ex apparatu. Nam antea visa, cogitatione, & ratione quispiam eligeret. At ea, quæ repenti eueniunt, habitu. Fortes etiâ esse videntur & qui ignorat: & sunt non longè ab iis, qui spe freti confidunt. Deteriores autem sunt, quātum dignitatis nihil habent, illi autem habent: quapropter & aliquo tempore manent. Hi verò decepti, si cognoverint, vel suspicati fuerint aliud esse, quàm putabant, fugiunt. Quod quidem Argiuis contigit, cum in Lacedæmonios, tanquam in Sicyonios incidissent. Dicitur est igitur qualesnam sint ipsi fortes, & ii quoque, qui fortes esse videntur.

De proprietatibus fortitudinis. Cap. IX.

Sed quanquàm circa fiducias, metusq; fortitudo versatur, tamen non simili modo circa vtrunq; , sed magis circa res formidolosas cernitur. Qui nanq; non turbatur in hisce, atq; se habet circa has vt oportet, magis est fortis, quàm is, qui circa ea, in quibus cõfiditur, se habet vt oportet. Fortes igitur ex eo dicuntur, quia res (vt dictum est) inferentes dolores tolerant. Idcirco fortitudo dolores affert, & non iniuria laudatur. Difficilius enim est dolores ferre, quàm à voluptatibus abstinere. Enimvero fortitudinis finis iucundus est: verùm ab euenientibus doloribus obscuratur. Vt & in certaminibus fieri solet. Nam pugilibus

gilibus finis quidem ipse iucundus est, gratia cuius certant, coronæ, inquam, atq; honores: sed cædi molestū est, cum sint è carne, dolorésq; affert, & omnis omnino labor. Atq; quia hæc sunt multa, ideo id, gratia cuius certant, cum sit res parua, nihil iucundi videtur habere. Quod si tale & circa fortitudinem est, mors quidem, atque vulnera forti viro molesta erunt, atq; inuito: ferret tamen, quòd honestum est ea ferre, vel turpe non ferre. Atq; quò magis omni virtute pollet, & felicior est, eò magis ob mortem sanè dolebit. Vir enim talis maximè dignus est vita, maximisq; bonis priuatur, id ipsum sciens quòd quidem dolorem affert. Verùm nihilominus est fortis: & eò magis fortasse, quòd honestatem, quæ est in bello, his anteponebat. Nec fit vt omnibus in virtutibus cõvoluptate operemur, nisi quoad attingitur finis. Nihil autem fortasse vetat, non eos, qui tales sunt, præstantissimos milites esse: sed eos, qui minùs quidè sunt fortes, nullū autè aliud bonū habent: hi nanq; parati sunt sese periculis obiectare, vitæq; pro paruo emolumento produnt. De fortitudine igitur hætenus dixisse sufficiat. Quid autem est, ex iis, quæ diximus, non est difficile cõprehendere, ac assignare figura.

De temperantia. Cap. X.

Rost hanc de temperantia dicamus. Hæc nanq; virtutes partiu earum esse videtur, quæ sunt rationis expertes. Atq; temperantiam circa voluptates mediocritatem esse, iam antea diximus. Minùs enim, & non similiter circa dolores versatur. In eisdem autem & temperantia est. Sed nunc circa quas est voluptates, determinemus oportet. Diuidantur igitur animæ, atq; corporis voluptates, vt honoris cupiditas, & auiditas disciplinæ. Nam tam ambitiosus, quàm auidus disciplinæ eo gaudet, cuius est auidus: & corpus nihil, sed mès potius, patitur. Atq; ii, qui voluptatibus huiusmodi alliciuntur, nec temperantes, nec intemperantes dicuntur. Pari modo neq; qui circa cæteras voluptates, quæ non attribuuntur corpori, occupantur. Eos enim qui fabulis, & narrationibus delectantur, & circa talia dies consumunt, verbosos quidem, atq; deliros, intemperates autem non consueuimus appellare. Nec eos etiam, qui pecuniarum, vel amicorù causa dolent. Temperantia igitur nō circa animæ, sed circa corporis voluptates versatur: non tamen & circa has ipsas omnes. Qui nanq; rebus iis gaudent, quæ visu percipiuntur, vt coloribus, figuris, pictura, nec temperantes, nec intemperantes dicuntur: est videntur & his homines, & vt oportet, & magis quàm oportet, & minùs etiam, gaudere. Simili modo neq; qui rebus iis gaudet, quæ auditu percipiuntur. Nemo enim aut eos, qui cantu, vel histrionis gaudet voce, plus, quàm oportet, intemperantes: aut eos, qui, vt oportet, eisdem gaudent, temperantes appellat. Nec etiam ii, qui circa odores gaudent, nisi per accidens. Non enim eos, qui malorum, aut rosarum, aut vaporum, sed eos potius, qui vnguëtorum, aut epularù odori-

bus delectantur, intemperates dicimus esse. His enim intemperates ex eo gaudent, quia per hos ipsis rerù earum, quas cupiunt, recordatio fit. Videre etiam licet & cæteros, cum esuriunt, epularum gaudentes odore. At his delectari, intemperantis est, quippe cum eius hæc obiectantur cupiditati. Atqui neq; cætera animalia voluptatem, nisi per accidens, per hosce capiunt sensus. Neq; enim odore leporù, sed esu gaudent canes: odor autè sensum ferit. Neq; voce bouis leo, sed esu. Per vocem autem sensit illum esse propinquum, atq; hoc ipso gaudet. Pari modo neque si vidit, aut inuenit ceruum, aut feram capram, hoc ipso gaudet, sed quia cibum habebit. Circa voluptates igitur tales temperantia, intemperantiæque versatur, quæ quidem & cæteris animalibus sunt cõmunes. Quocirca seruales, & ferinæ videtur. Hæc autem sunt, quæ tactu, gustuq; suscipiuntur. At enim & gustu intemperantes parum, vel minimè vt videntur. Gustus enim officium, saporum iudicium est. Quod quidem ii faciunt, qui vina probant, & epulas condiunt. Non nimium autem hisce gaudent intemperantes, sed voluptate, quæ fit omnis per tactum, & in esculentis, ac poculentis, & in hisce, quæ Venerea nuncupantur. Quapropter & quidam voluptatibus deditus epularum, Philoxenus, inquam, Eryxius, precatus est, vt longius sibi guttur, quàm gruis, fieret, propterea quòd tactu delectabatur. Sensuum igitur maximè communis est is, circa quem intemperantia versatur. Atque propterea iure vituperanda est, quòd hominibus non ratione, qua homines sunt, accidit, sed qua animalia. Talibus igitur gaudere, maximèq; talia consecrari, ferinum est. Etenim liberalissimæ voluptates, quæ per tactum proueniunt, exceptæ sunt: vt eæ, quæ in ludis, ac certaminibus per fricationem, caloremque fiunt. Non enim intemperantis tactus circa vniuersum est corpus, sed circa quasdam corporis partes.

Quòd diuersæ sint cupiditatu species. Cap. XI.

Cupiditatum aliæ cõmunes sunt, aliæ propriæ, atque adiunctæ. Alimentum nanque cupiditas, naturalis est. Omnes enim, cum indigent nutrimento, siccum, aut humidum alimentum, & nonnūquam vtrunque cupiunt. Cubile etiam cupit, vt inquit Homerus, iuuenis, atq; vigenis. Non autè omnes tale, vel tale, vel eadem cupiunt: quocirca nostrum id ipsum esse videtur. Habet tamè & aliquid naturale: alios enim alia delectant, & quædam quibusdâ magis, quàm alia quæcunq; sunt voluptati. Hæc cum ita sint, in naturalibus quidem cupiditatibus pauci peccant, & ad vnū, ad ipsum, inquam, plus. Cum enim quispiam quæuis comedit, aut bibit, donec impleatur superfluo, fit tum rei naturalis exuperatio multitudine. Ipsa nanque naturalis cupiditas, indigentia est repletio. Quapropter hi furentes circa ventrem dicuntur, quia vltra, quàm oportet, ipsum implēt, atq; fariunt. Tales autè ii fiunt, qui mæcipiis sunt persimiles. At circa proprias cupiditates, cõplures homines, multisq; modis delin-

quint, Nam cum talium amatores ex eo dicantur, quia vel gaudent quibus non oportet, vel magis, quam oportet, ut ipsi multi, vel non ut oportet, in vniuersis intemperantes excedunt: gaudent enim quibusdam, quibus non oportet gaudere, quippe cum sint odio digna. Et si talibus quibusdam oportet gaudere, magis illis gaudent, quam oportet, & quam ut ipsa gaudet multitudo. Eam igitur exuperationem, quæ est circa voluptates, intemperantiâ esse, & vituperabilem constat. Circa verò dolores, non ut in fortitudine, sic in ipsa temperantia fit: ut temperans quidem dicatur quispiam ferendo dolores, intemperans autem non ferendo. Sed intemperans quidem ex eo dicitur, quia dolet magis, quam oportet, cum voluptate non potitur, atque ipsum dolorem affert ei ipsa voluptas. Temperans autem ex eo, quia absentia rerum earum, quæ efficiunt voluptatem, non dolet, illisq; abstinet. Intemperans igitur ea omnia, quæ afferunt voluptatē, vel ea, quæ maximè concupiscit: & à cupiditate adeò ducitur, ut illa cæteris omnibus anteponat. Quapropter & non adipiscens, & cupiens dolet: cupiditas enim est cum dolore. Absurdo autem est persimile, ob voluptatem dolere. Atqui deficientes in voluptatibus, & minus gaudentes homines, quam oportet, non nimium fiunt. Non est enim insensibilitas talis humana. Etenim animalia cætera cibos discernunt, & quibusdam quidem gaudent, à quibusdam verò abhorrent. Quod si quis sit, cui nullus prorsus est voluptati, nec vllus ab alio differt, is longè ab homine distat: nomen autem non habuit talis, quia non facile fit. Vir autem temperans in his mediocriter sese habet. Nec enim iis gaudet, quibus intemperans maximè delectatur, sed potius molestè fert: nec iis omnino, quibus delectari non decet, nec vehementer vllis rebus huiusmodi delectatur: neq; si absint, dolet, neque cupit, nisi mediocriter semper, nec magis, quam oportet, nec quando nã oportet, vlla res omnino talis ipsum delectat. Mediocriter autem, & ut oportet, eas res appetit, quæ voluptate quidem efficiunt, ad sanitatem autem & bonam corporis habitudinem conferunt: & res cæteras voluptatis effectrices identidem, si nec impedimento sint dictis habitibus corporis, nec honestatis cancellos, nec facultatum metas egrediantur. Nã qui ita sese habet, magis, quam dignum est, eiusmodi voluptates amare videtur. At temperans non est talis: sed ita sese habet, ut ipsa ratio recta præscribit.

De temperantiæ extremis. Cap. XII.

Nostra autem sponte, magis intemperantia, quam timiditas, comparatur. Hæc enim ob voluptatem, timiditas fit ob dolorem: quorum alterum expetimus, alterum fugimus. Et dolor quidem distrahit, atq; corrumpit naturam eius, qui habet ipsum: voluptas autem nil tale facit. Magis igitur intemperantia nostra sponte, quam timiditas, acquiritur. Quapropter & reprehensione magis est digna. Nã ad res afficietes voluptate, facilius est alluescere: sunt enim coplures tales in vita. Et assuetudo fit sine periculo: in rebus autem fortidosis, contra. Videbitur etiam timiditas non perinde, atque singula, sponte agendi principio subiici. Hæc enim dolore vacat: sed illa adeò dolore distrahunt, ut & arma proicere, & cætera contra decus agere compellant: quapropter & violenta esse videntur. At intemperantia fit contra. Singula namq; sponte agendi principio, magis subiiciuntur: quippe cum intemperans ea percipiat, atq; affectet: totum autem minus: nemo enim cupit intemperans esse. Nomen autem intemperantiæ, & ad puerilia delicta transferimus: habet enim similitudinē quandam. Vtrum autem ab utro dicatur, nihil ad præsentem refert sermonem: constat tamen à priore, posterius dici, atq; non absurdè videtur esse translatum. Est enim castigandum, & temperandum id omne, quod turpia concupiscit, & incrementum suscipit magnū, atq; luxuriat. Tale autem est ipsa cupiditas maximè, atque puer. Nam & pueri cupiditate viuunt, & in his ipsis maximè viget appetitio rerum earum, quæ voluptate afficiunt. Si igitur non obtemperet, neq; subiici patiatur, nimirum efferetur. Est enim voluptatum appetitio insatiabilis, & vndiq; ad est imprudenti, & ipse cupiditatis actus id, quod eiusdem generis est, auget. Quod si magnæ sint, vehementesq; cupiditates, rationem quoq; exrudunt, atq; eiiciunt. Quam ob rem mediocres sint ipsæ, & perpauca, & rationi non aduersentur oportet. Atq; id, quod est tale, obediens, & temperatum, castigatumque vocamus. Sed ut viuere puerum sub pædagogis præceptis oportet, sic & cupiendi vis cupere debet perinde, atque ratio iubet. Idcirco temperantis cupiditatem concordem esse cum ratione oportet: nã vtriusq; propositum est honestas. Atq; vir temperans ea cupit, quæ cupere oportet, & ut oportet, & quando oportet. Hoc autem modo & ipsa ratio dicitur. Hæc igitur sint de temperantia dicta.

Aristo

A R I S T O T E L I S

S T A G I R I T A E E T H I -

corum ad Nicomachum

Liber Quartus,

Ioanne Argyropylo Byzantio Interprete.

Argumentum Libri.

Virtus hæc de liberalitate, liberali, & prodigo: de magnificentia, magnifico, circa decorum rudi, ac sordido, & pusillo: de magnanimitate, magnanimo, lento, & pusillanimo: de modestia, modesto, ambitioso, & honoris appetitione vacante: de mansuetudine, mansueto, iracundo, & ira vacuo: de affabilitate, de affabili: de placido: de adulate, & contentioso: de veritate, de verace: de arrogante, dissimulatore, delicato, & malitioso: de comitate, de comi: de scurra, & rustico: de verecundia.

De liberalitate, & eius extremis. Cap. I.

DE INCEPS autem de liberalitate dicamus. Videtur itaque mediocritas circa pecunias esse. Non enim bellicis in rebus ipse vir liberalis, nec in quibus laudatur vir temperans, nec etiã in iudiciis, sed in dandis, capiēdisve, & magis in dandis pecuniis laudatur. Atq; pecunias ea dicimus vniuersa, quorum æstimatio mensuratur numero. Est autem circa pecunias exuperatio quidē prodigalitas, defectus autē illiberalitas: & illiberalitatem quidē, ac auaritiam iis semper accommodamus, qui magis, quam oportet, pecuniis studēt. Prodigalitatē verò, neſtentes nonnunquam afferimus. Nã eos homines, qui sunt incōtinentes, & ob intemperantiã pecunias profligat, prodigos vocitamus. Quapropter tales homines sunt flagitiosissimi: multa namq; vitia simul habent. At non propriè tali nomine nuncupantur. Est enim prodigus, qui malū vnum aliquod habet, corrumpere, inquam, patrimoniū. Prodigus enim est, qui ob se ipsum perditur. Videtur autem & patrimoniū dissipatio, interitus quidē ipsius esse, propterea quod patrimonio, ac facultatibus viuatur. Hoc igitur modo prodigalitate accipimus. Rebus autem his, quarum est aliquis vsus, & bene uti, & malè etiã possumus, at diuitiæ res sunt tales. Is autem optimè, re quavis utitur, qui eã virtutē habet, quæ ad rem illã accommodatur. Et diuitiis igitur optimè is utitur, qui virtutem eã habet, quæ ad pecunias attinet. Hic autem est ipse vir liberalis. Atqui sumptus quidē, dationeque pecuniarum, est vsus earum: acceptio verò, conferuatioq; possessio potius esse videtur. Quocirca viri liberalis est potius dare quibus oportet, quã capere vnde oportet, & nō capere vnde nō oportet. Est enim ipsius virtutis, beneficia potius conferre, quàm suscipere: & honesta potius agere,

quàm nō agere turpia. Nō est autē obscurū, cum das quidē, sequi ut beneficia conferas, honestaq; agas: cum capis verò, ut suscipias, aut non turpia agas. Gratia præterea sequitur eū, qui dat, nō eū, qui nō capit. Et laus etiã magis. Facilius est etiã non accipere, quàm dare. Homines enim multò minus erogant sua, quàm non accipiunt aliena. Ii quoq; qui dant, liberales dicuntur: sed qui nō accipiunt, nō ob liberalitatē, sed ob iustitiam potius laudantur. Qui verò capiunt, nō laudantur valde. Liberales insuper homines, maximè omnium ferè studiosorum amat: profunt enim. At id consistit in dādo. Omnes autē actus virtutum honesti sunt, & honestatis causa fiunt. Et liberalis igitur honestatis causa dabit. Et rectè. Dabit enim quibus oportet, & quot oportet, & cū oportet: cæteraq; omnia obseruabit, quæ dādi actū rectū sequuntur. Et etiã cū voluptate, vel sine vlllo dolore. Id enim, quod per virtutē efficitur, afficit voluptate: aut fit cū indolētia sanè, minimè verò affert dolorem. At is, qui dat quibus nō oportet, aut nō honestatis gratia, sed ob aliquā aliā causam, nō liberalis, sed alius quidā dicitur. Et itidē is, qui dando dolet: honestis enim actibus talis pecunias anteponet, quod quidē nō est liberalis. At verò neque capiet vnde non oportet. Talis enim acceptio nō est eius: qui pecunias nō magnificat. Nec etiã, ad postulandum propensus erit. Facile namq; suscipere beneficia, nō est hominis beneficia conferentis. Verum vnde oportet accipiet, ex propriis, inquam, rebus: nō quia id ipsum honestum sit, sed quod necessarium ut donare possit. At neq; res suas negliget: quippe cum per illas quibusdā affectet opē afferre. Neq; quibusuis dabit, ut quibus oportet, & quando, & vbi est honestum, donare possit. Ad hominem præterea liberale pertinet in primis, ut in dando adeò exuperet, ut sibi ipsi pauciora relinquat. Est enim liberalis, nō ad se ipsum respicere. At enim pro facultatibus ipsa liberalitas dicitur. Liberalis enim actio, non in multitudine rerum, quæ dantur, sed in habitu dantis consistit. Hic autem pro facultatibus erogat. Nihil igitur prohibet, eū magis esse liberalem, qui pauciora donat, si modò minores ei sint facultates. Magis autem ii liberales sunt, qui non comparant sibi facultates, sed ab aliis acceperunt. Nec enim experti sunt indigentiam, & opera omnes sua amat, ut parentes, atq; poetæ. At verò facile non est, liberale diuitem esse: quippe cum non sit ad capiendum, & conferuandum, sed ad erogandum procliuus, neque magni

magni per se faciat ipsas pecunias, sed causa dandi. Quapropter & accusatur Fortuna, quod homines ii, qui maximè sunt digni, minimè sunt locupletes. Accidit autè id ipsum non sine ratione. Fieri enim nõ potest, ut is pecunias habeat, qui nõ adhibet diligentiam, ut paret ipsas: quæ admodum & cæteris in rebus fieri solet. Attramen nõ dabit quibus nõ oportet, neq; quando nõ oportet, & de cæteris talibus simili modo. Nõ enim ageret liberalitatis ipsius lege: & cõsumptis ad hæc ipsa fortunis, ad ea, quæ oportet, & cum oportet sumptus facere, dareque non posset. Etenim is est, ut paulò antè diximus, liberalis, qui pro facultatibus erogat, & in quibus oportet. Qui verò exuperat, prodigus est. Quocirca tyrannos prodigos nõ dicimus, nõ enim facile videtur esse dando, ac erogando, tantã rerum, quas habent, copiã exuperare. Cum igitur liberalitas mediocritas sit, circa dandas, capiendãsq; pecunias, liberalis dabit in quibus oportet, & quot oportet, tam in paruis, quàm etiã in magnis, atq; cù voluptate. Et accipiet vnde oportet, & quot oportet. Nam cum virtus circa vtrunq; sit mediocritas, vtrunq; faciet ut oportet: sequitur enim dationẽ bonam, talis acceptio. Ea verò, quæ non est talis, cõtraria est. Hæc igitur, quæ sequuntur, fiunt in eodem simul: contrariæ verò non fiunt. Quod si præter id, quod oportet, & bene sese habet, cõtigerit ipsum pecunias erogare, dolebit sanè, moderatè tamè, & ut oportet: ad virtutem enim pertinet, ut pro quibus oportet, & ut oportet, voluptas fiat, ac dolor. Est etiã in rebus pecuniariis lenis socius ipse vir liberalis. Potest enim iniuriã pati, quandoquidem pecunias non multifacit: magisq; molestè fert, si quid, cum oporteret, nõ erogauerit, quàm dolet, si quid, cum nõ oporteret, erogauerit, Simonidãsq; sententiã non probat. Prodigus autè & in his ipsis delinquit, nec enim lætatur, nec dolet pro quibus oportet, & ut oportet. Atq; hoc magis patebit per ea, quæ deinceps dicemus. Diximus autè, exuperationem quidè esse prodigalitatẽ, defectum autem illiberalitatẽ: & in his duobus, in datione videlicet, atq; acceptione, & sumptũ enim in datione ponimus. Prodigalitas igitur in dando quidè, & nõ in capiẽdo exuperat, in capiẽdo autem deficit. At illiberalitas, ac auaritia, deficit quidè in dando, exuperat autem in capiẽdo, in paruis tamen. Prodigalitatẽ igitur illa duo non nimium simul persistunt. Non est enim facile, nulla ex parte capientẽ cunctis donare. Citò nanq; deficiunt patrimonia priuatorũ hominũ erogantium: qui quidè & prodigi sunt. Atq; talis non paulò melior videbitur esse illiberali. Et ab ætate enim, & ab egestate facilè curari, & ad mediocritatẽ accedere potest. Nã habet ea, quæ sunt hominis liberalis. Dat enim, & nõ accipit, quanquã neutrũ facit ut oportet, ac rectè. Quod si ad hoc assuescat, vel aliquo alio modo mutetur, fiet vtiq; liberalis. Etenim dabit quibus oportet, & capiet vnde oportet. Quapropter & videtur non esse moribus prauus. Nõ est enim improbi, nec ingenerosi, tam in dando, quàm in nõ capiẽdo exuperare: stolidi tamè. Qui verò hoc modo est

prodigus, multò melior est illiberali, atq; auaro: cum ob ea, quæ dicta sunt, tũ etiã quia prodigus quidè cõpluribus prodest, illiberalis autè nemini, ne sibi ipsi quidè. Sed pleriq; prodigorũ, ut dictum est, & accipiunt vnde nõ oportet, & sunt hoc ipso liberales. Ad capiẽdũ autè proni sũt, quia cupiunt quidè erogare. Hoc autè facilè nequeunt facere, cum citè facultates ipsis deficiãt. Itãq; ex alienis dare coguntur. Et simul quia nulla est eis honestatis cura, sine villo discrimine, & vndiq; capiunt. Dare nanq; percipiunt: quonã autè modo, aut vnde, nullũ est apud ipsos discrimen. Quapropter nec dationes ipsorũ sunt liberales. Non enim sunt honestæ, nec honestatis gratia, nec ut oportet, efficiuntur. Sed interdum quos oportet esse pauperes, eos diuites faciunt: & iis quidem, qui moderati sunt moribus, nihil dant, adulatoribus autem multa, aut quampiam aliam afferentibus voluptatẽ. Quam ob rẽ & pleriq; ipsorũ intemperantes sunt. Nam cum facilè erogent, proni sunt & ad sumptus in flagitiis faciendos. Atq; quia nõ ad honestatem viuunt, ad voluptates declinant. Prodigus igitur si nullam prorsus habeat emendationẽ, ad hæc transgreditur: cura verò, diligentiaq; adhibita, ad mediũ, & ad id, quod oportet, tandè deuenit. At illiberalitas, ac auaritia, incurabilis est. Etenim & senectus, & imbecillitas omnis, auaros efficit. Estq; hominibus insita magis, quàm prodigalitas. Pleriq; nanq; cupidi sunt magis pecuniarũ, quàm ad dandũ procliues. Extenditur præterea longè, & plures species subit. Complures enim sunt illiberalitatis, ac auaritiæ modi. Nã cum in duobus hisce cõsistat, in defectu, inquã, dandi, & exuperatione accipiẽdi: non in omnibus inest tota, sed interdũ feiungitur: & quidã in capiẽdo exuperant, quidã in dãdo deficiunt. Qui nanq; talibus appellationibus nuncupantur, parci, tenaces, aridi, omnes in dando deficiunt, aliena verò nõ appetunt, neq; accipere volunt. Quidam enim in dãdo deficiunt, propter modestiã quãdam, turpiũmq; rerũ cautionem: videntur enim nõnulli, vel saltè aiunt, ob eã rem sua cõseruare, ne cõpellerentur aliquando turpe aliquid agere. Ex his est & ipse cumini sector, & quiuis talis: qui quidè ab exuperatione nõ dandi cuiquã nomẽ habuit tale. Quidam verò ob metũ abstinet alienis: quippe cù nõ facile sit ipsos aliena, & nõ alios res ipsorũ accipere. Itãq; nec accipere ipsis nec dare placet. Quidã autem in capiẽda exuperant vndiq;, & quiduis capiẽtes: quales sunt ii, qui operationes illiberales exercet, ut lenones omnes, & omnes tales, & fœneratores, & qui dant parua pro magnis: hi nanque omnes, vnde non oportet, & quantum non oportet, accipiunt. Cõmunis autem ipsis omnibus esse videtur, turpis comparatio lucri. Vniuersi nanque gratia lucri, & huiusce quidem parui, probra sustinent. Eos enim, qui grandia vnde non oportet, & quæ nõ oportet, accipiunt, ut tyrannos ciuitates expugnant, & templa spoliantes, non illiberales, sed perniciosos, sed impios, sed iniustos potiũs appellamus. Aleatores tamen, & fures, atque latrones, illiberales sunt. Turpi enim versantur

in lucro. Omnia nanque causa quæstus agunt, & sustinent probra. Atq; fures quidem capiendi gratia, maxima pericula subeunt. Aleatores autè ab amicis, quibus dare oportet, lucrãtur. Vtriq; igitur vnde nõ oportet lucrari volentes, turpi in lucro versantur: & omnes tales accipiẽdi actus, illiberales sunt. Meritò autem illiberalitas liberalitati cõtraria dicitur. Nam & maius est malum, quàm prodigalitas: & homines magis hac ipsa peccant, quàm ea, quam diximus, prodigalitate. De liberalitate igitur, & vitiis ipsi contrariis, hæc dicta sufficiant.

De magnificentia, & eius extremis.
Cap. II.

Sequitur iam ut de magnificentia disseramus. Est enim & ipsa virtus quædam circa pecunias: non tamen sese extendit ut liberalitas ad omnes pecuniarios actus, sed ad sumptus tantum. Atq; in his ipsis liberalitatẽ exuperat magnitudine. Nã ut ipsum nomẽ significat, decens fit per ipsam in magnitudine sumptus. Magnitudo autè est ad aliquid. Nõ enim idẽ sumptus triremis, & spectaculorum præfectũ decet. Decens igitur est & ad ipsum, & in quo, & circa quæ fit. Qui verò paruis in rebus, aut mediocribus, pro dignitate sumptus facit (qualis est ille, qui dicit. Atq; ego sepe dedi peregrè veniẽtibus vtrò) non dicitur magnificus: sed is, qui in magnis. Nam magnificus quidè liberalis est: at liberalis, nõ continuò magnificus est. Talis autè habitus defectus quidem, circa decorũ pusillitas nuncupatur: exuperatio verò sordiditas, & circa decorũ ruditas appellatur. Et quot sunt tales, nõ circa quæ oportet exuperantes magnitudine, sed in quibus non oportet, & quemadmodum nõ oportet, quærentes sibi splendorẽ: de quibus posteriũs dicemus. Magnificus autem scienti similis est. Nam decorum ipsum comtemplari potest, & magnos concinnè facere sumptus. Ut enim in principio diximus, habitus operationibus, & iis, quorum est, definitur. Sumptus igitur magnifici, magni sunt, & decentes. Talia autem & opera sunt. Sic enim magnus erit sumptus, & decens ad opus, ut sumptus quidem opus, opere verò dignus sit, vel etiã exuperet sumptus. Atqui magnificus, honestatis causa tales faciet sumptus. Hoc enim omnibus est commune virtutibus. Et etiam cum voluptate, & sine parsimonia erogando. Exacta nanque ratio, ad pusillitatem nimirum attinet. Atque potiũs quonam modo pulcherrimum, maximèque decẽs fuerit ipsum opus, cõsiderabit, quàm quãti constiterit, & quonam modo confectum per quàm minimos fuerit sumptus. Necessè est igitur, ipsum magnificum liberalem etiam esse. Etenim liberalis, sumptus faciet quos oportet, & ut oportet. In his autem est magnũ ipsum, magnifici, ut magnitudo circa hæc, liberalitatis. Et ab æquali sumptu magnificentius faciet opus. Non enim eadem est virtus rei, quæ possidetur, & operis. Etenim illa quidem est ea, quæ quàm plurimo pretio digna est, & pretiosissima, ut aurũ, & opus, quod magnum est, atque pulchrum: talis

enim operis aspectus est admirabilis. At quod est magnificum, est admirabile. Virtus operis, est magnificentia in magnitudine. Impensæ verò sunt hæc, quas dicimus honorabiles: ut ea, quæ deorum, heroũque causa fiunt, dedicationes, inquam, & extruções, ac sacrificia, & ea, quæ ad Rempublicam liberaliter fiunt, ut si aliquo in loco ludos splendidè facere oportere putant, aut præfecturas subire nauium, aut etiã epulum publicum exhibere. Atq; in vniuersis, ut diximus, & ad agentẽ habent respectus quisnã sit, & quas habeat facultates. Digna enim his esse oportet, & non solũ opus, verum & ipsum facientem decere. Quocirca, pauper non erit magnificus: quippe cum ei non sint ea, è quibus multos decorẽ faciat sumptus. Qui verò aggreditur, fatuus est: nam præter dignitatẽ facit, & id quod oportet: id verò, quod rectè sese habet, à virtute emergit. Decent autem & eos, quibus talia antecedunt, aut per se ipsos, aut per maiores, aut per eos, ad quos ipsi se referunt propinquitatis aliqua ratione: & nobiles etiã, & gloriosos, & quotquot sunt huiuscemodi. Hæc enim vniuersa amplitudinem habent, & dignitatem. Maximè igitur talis est ipse magnificus: & in talibus impensis versatur ipsa magnificentia, quemadmodum diximus: & maximæ enim, & honorabilissimæ sunt. Et priuatis verò hæc pertinent ad magnificum, quæ semel fiunt, ut nuptiæ; & si quid aliud tale. Et si circa aliquid tota ciuitas, aut qui sunt in dignitatibus studeant, & circa hospitum susceptiones, & misiones, & munera. Non enim ad se ipsum, sed ad publica sumptus facere magnificus solet. Ipsa autem munera simile quid habent iis, quæ diis dedicantur. Ad magnificum etiã pertinet, & domum à se extructã, ut diuitias, decenter habere. Est enim quoddam & hæc ornamentum. Et item iis magis operibus sumptus facere, quæ diuturno tempore persistere possunt: hæc enim sunt maximè pulchra. Atque in singulis decorũ ipsum seruare. Non enim eadem diis, & hominibus, & ad templum, atque sepulchrum accõmodantur. Est autem vnusquisque sumptus magnifici suo in genere magnus: & magnificentissimus quidem is est, qui est magnus in magno: hic autem is, qui est in his magnus. Et differt magnũ, quod est in opere, à magno, quod est in sumptu. Pila nãq; pulcherrima, aut pulcherrimus vrceus, puerilis quidem muneris magnificentiam habet: pretium autem eius pusillum est, atq; illiberalis. Quapropter magnifici est, quocunq; in genere faciat, magnificè facere: tale nanq; neque facilè superari potest, & sese habet ut sumptus dignitas postulat. Talis est igitur ipse magnificus. Is autem, qui exuperat, quique sordidus est, sumptus faciendo ultra id, quod oportet, exuperat, ut est dictum. Nam paruis in rebus multa consumit, & splendorem inconcinnè captat, nunc his, qui pecunias conferunt ad conuiuia sibi paranda nuptiali apparatus epulum præbens, nunc subministrans comœdis, exhibens in eorum transitu purpuram, ut facere Megareses consueuerunt, & omnia talia nõ honestatis, sed ostensionis diuitiarũ causa facit, &

ut admiratione propter hæc, ut putat, afficiatur. Atque ubi quidem multos facere sumptus oportet, paruos facit: ubi verò opus est paruis, magnos. Pusillus autè in decoro circa vniuersa deficit, & maximis factis sumptibus in paruo perdit decorum: & quicquid facit, tardè, differendè que facit, consideratque; quoniam modo quàm minimos faciat sumptus: & etià queritur, cunctaque maiora, quàm oportet, se facere putat. Sunt igitur hi duo habitus, vitia quidem: non tamen afferunt probra, propterea quòd neque detrimento sunt aliis, neque nimium sunt deformes.

De magnanimitate, & eius extremis. Cap. III.

Magnanimitas autè circa magna quidem, vel ex ipso nomine versari videtur. Circa quæ verò versatur, primum accipiamus oportet. Atque nihil refert, siue habitum ipsum, siue eum consideremus, qui habitum habet. Itaque magnanimus is est, qui magnis est dignus, & dignum sese magnis censet. Qui namque non pro dignitate hoc facit, stolidus est: at eorum, qui præditi sunt virtute, nemo demens, nemo stolidus est. Is igitur, què diximus, magnanimus est. Qui namque parua meretur, & hisce dignum sese censet, modestus quidè, at non magnanimus est. Magnanimitas enim in magnitudine, sicut & pulchritudo corpore in magno consistit: parui verò, & formosi quidem sunt, & membris apti, sed non pulchri. Is autem, qui est indignus, & magnis dignum se ipsum censeat, lentus est. Non est autem omnis lentus, qui maioribus, quàm meretur, dignum se ipsum censet. At is, qui se dignum minoribus, quàm dignus sit, opinatur, pusillanimus est, siue magna, siue mediocria mereatur: siue parua quidem, minoribus verò se dignum esse existimet. At maximè videbitur is, qui magnis est dignus: quid enim faceret, si tantis non esset dignus? Est igitur ipse magnanimus, magnitudine quidem extremus, ratione autem eius, quod oportet, medi-
20
30
40
50
60

go, qui verè magni est animi, bonum esse oportet. Atque magnanimi videbitur id esse, quod est in vnaquaque virtute magnum: nullòque modo conuenit magnanimo pericula fugere ob timorem, aut iniuriam facere. Gratia namque cuius is aget turpia, cui nihil est magnum? Singula verò consideranti, magnanimus si non fit bonus, ridiculus omnino videbitur. Nec etiam dignus erit honore, si paruus sit: quippe cum honor præmium sit virtutis, ac bonis hominibus tribuatur. Videtur igitur ipsa magnitudo animi, tanquam ornamentum quoddam esse virtutum: nam maiores efficit ipsas, & sine illis ipsa non fit. Quam ob rem difficile est, verè magnanimum esse: non enim esse potest, si non omnis probitas adsit. Magnitudo igitur animi maximè circa honores, & oppositum versatur. Atque magnanimus pro iis quidem honoribus, qui & magni sunt, & à studiosis hominibus offeruntur, moderatè lætabitur, tanquam accommodatos sibi, vel minores etiam adipiscens. Virtuti enim cumulata nullus dignus honor fieri potest. Acceptabit tamen, quia maiora nequeunt exhiberi. Sed eos honores, quos cuius homines & paruis tribuunt, paruipendet omnino: non est enim his dignus. Similiter & id, quod est honori contrarium: non enim iure fuerit circa ipsum. Ut igitur dictum est, vir magnanimus maximè circa honores versatur. Et circa tamen diuitias, & potestates, & omnem prosperitatem, aduersitatemque Fortunæ quocumque euenerit modo, moderatè sese habebit. Et neque vehementer in prosperitate lætabitur, neque nimium in aduersitate dolebit. Neque enim circa honorem in sese habet, qui quidem maximum bonum est. Potestates enim, diuitiarumque propter honorem expetuntur. Itaque, qui hæc habent, per ipsa honoribus affici volunt. Cui igitur & honor est paruum, huic & cætera parua sunt. Quapropter ipsi magnanimi contemptores sunt. Videntur autem & prosperitates Fortunæ, ad magnanimitatem conducere. Nobiles enim, & ii, qui sunt in potestatibus constituti, vel diuites, digni censentur honore. In excellentia namque consistunt. Atque omne bonum, quod excellit, dignum est magis honore. Quapropter & talia magis magnanimos faciunt. A quibusdam enim honorantur. Re autem vera solus bonus est honorabilis. Atque ii quidem, quibus insunt ambo, digni magis honore censentur. Qui verò sine virtute talia bona habent, immeritò se dignos magnis honoribus æstimant, neque magnanimi rectè dicuntur. Non enim sunt hæc sine cumulata virtute. Contemptores autem, petulantisque fiunt. Non est enim facile, sine virtute res moderatè ferre secundas. Atque cum æqualiter ferre non possint, putentque se cæteris antecellere, illos quidem despiciunt. Ipsi verò quicquid contigerit, agunt. Imitantur enim magnanimum, & si similes ei non sunt. Idque faciunt, in quibus possunt. Ea igitur, quæ à virtute proficiuntur, non agunt: despiciunt autem cæteros. Sed magnanimus iure despicit: opinatur enim verè: vulgus autem ut contingit. Non autem parua pericula subit,
nec

nec periculorum est cupidus, propterea quòd res paucas multifacit: sed subit magna, atque cum in periculo versatur, vitæ suæ non parceret, quasi non sit dignum omnino viuere. Est etià talis ut beneficia conferat, & pudeat ipsum, si suscipiat beneficia. Illud enim superioris est, hoc inferioris, & in retribuendo maiora beneficia conferat. Hoc enim modo debitor insuper fiet is, qui primus contulit, atque suscipiet beneficium. Videtur etiam & eorum quidem meminisse, in quos beneficia contulit: eorum autem non meminisse, à quibus ipse suscepit. Est enim is, qui suscepit, inferior eo, qui contulit beneficium: ipse verò vult superior esse. Et cum voluptate quidem audit ea, quæ contulit: sine autem voluptate quidem audit ea, quæ ipse accepit. Quapropter & Thetis non enarrat beneficia Ioui: nec Athenienses sibus Lacedæmonii, quæ contulerunt in illos, sed quæ susceperunt ab illis. Est etiam magnanimi, neminis, aut vix indigere, subministrare autem promptè. Et ad eos quidem homines, qui in dignitate sunt constituti prosperitatibusque vtuntur Fortunæ, magnū esse: ad medios autem mediocrem. Illos enim superare, difficile est, & gloriosum: hos autem facile. Et inter illos quidem gloriari, non est ingenerosum: inter humiles autem, est importunum, quemadmodum viribus contra imbecillos contendere. Est etiam magnanimi, non audire ea, quæ afficiuntur honore, & ubi alii primas occupant partes, & otiosum esse ac tardum, nisi ubi magnus est honos, vel opus: & paucas quidem agendas res aggredi, magnas autem & præclaras. Necesse est etià palam ipsum, tam odisse, quàm etiam amare: quippe cum metuentis sit occultare. Et magis ipsi curæ veritatem, quàm opinionem esse. Et apertè loqui, ac agere: est enim hoc contemptoris. Quapropter vtitur libertate: est enim & libertate vtentis. Idcirco contemptor est, & etiam verax, nisi dissimulatione vtatur, qua quidem ad multitudinem vtitur. Et non posse ad alium viuere, nisi ad solum amicum: est enim seruire. Quapropter & omnes adulatores, seruales sunt: & omnes humiles, adultores. Nec est procliuis ad admirandum. Nihil enim apud ipsum est magnum. Nec est sibi mali memor illati. Non est enim magnanimi meminisse, præsertim mala, sed potius despiciere. Nec de hominibus loquitur. Etenim neque de se ipso, neque de alio dicit: nec enim ut laudetur ipse, nec ut alii reprehendatur, est ipsi curæ, nec rursus est laudator. Idcirco nec maledicus, ne in inimicos quidem, nisi ob contumeliam. De necessariis prætereà rebus, vel paruis, minimè est querulus, nec ad precandum procliuis: est enim studentis circa hæc ita sese habere. Est etià talis, ut res magis pulchras, sinèque fructu, quàm fructuosas, vtilesque possideat. Est enim magis sufficiens. Insuper ipsius magnanimi motus, tardus esse debet, & vox grauis, & locutio tarda. Non enim properat is, qui circa pauca studet: nec est vehemens, qui nihil existimat magnū. Acumè autem vocis, & celeritas, propter hæc ipsa fieri solent. Talis est igitur ipse magnanimus. Is autem, qui deficit, pusillanimus est. Qui verò ex-

perat lentus. Nec igitur hi mali homines sunt, quippe cum mala non faciunt: sed aberrant. Pusillanimus enim meretur quidè bona, his tamen se ipse priuat, quibus est dignus. Atque malum quoddam habet, quia bonis se dignum non censet, & se ipse ignorat. Appeteret enim ea, quibus est dignus, cum sint bona. Non tamen stolidi tales homines, sed pigri potius & sunt, & dicitur. Talis autem opinatio deteriores ipsos efficit. Singuli namque appetunt ea, quibus sunt digni. Dimouent sese & à præclaris actibus, & officiis, quasi sint indigni: & à bonis externis simili modo. At lenti, stolidi sunt, & se ipsos ignorant, & etià clar. Nam quasi sint digni, res eas aggrediuntur, quæ honorantur: deinde redarguuntur. Vestitumque se, & gestu, & similibus ornant: & prosperitates suas manifestas esse volunt. De ipsis etiam dicunt, ut ob ipsas afficiantur honore. Magnitudini autem animi, pusillanimitas opponitur magis, quàm lentitudo. Fit enim magis, & peior est. Magnitudo igitur animi circa honorem, ut diximus, versatur.

De modestia, eiusque extremis. Cap. IIII.

St etiam circa honores, ut antè diximus, & alia quædam virtus, quæ quidem perinde sese habet ad animi magnitudinem, atque sese habet ad magnificentiam liberalitas. Hæc namque virtutes ambæ à magnitudine quidem discedunt: circa verò mediocria, paruaque; nos, ut oportet, disponunt. Atque ut in capiendis, dādīsque; pecuniis mediocritas est, & nimium, atque parum, sic & in honorum appetitione fit, ut magis, quàm oportet, & minus, & vnde oportet, & ut oportet, appetantur honores. Reprehendimus enim & ambitiosum hominem, atque honoris appetitione vacantem: illum, quia plus, quàm oportet, & vnde non oportet, honorem appetit: hunc, quia ne ob res quidem honestas honoribus affici vult. Interdum autem illum, tanquam virilem, & rei cupidum pulchre. Interdum hunc, tanquam moderatum, modestumque laudamus: quemadmodum & antè diximus. Constat autem cum pluribus modis quispiam alicuius cupidus rei dicatur, non ad idè nos semper ambitiosum ipsum referre: sed cum laudamus, ad plerosque, quia magis, quàm plerique, honores cupit. Cum reprehendimus, ad id, quod oportet, quia magis, quàm oportet, honores affectat. Cum autem nomine mediocritas vacet, contendere de ipsa, tanquam regione vacua, videntur extrema. In quibus verò nimium est, atque parum, in iis est & medium. At honores & magis, quàm oportet, affectantur, & minus: ergo fit ut affectetur, & ut oportet. Laudatur igitur hic habitus, quo, ut oportet, affectantur honores, cum sit mediocritas circa honorem nomine vacas. Atque ad ambitionem quidem vacuitas appetitionis honoris, ad vacuitatem autem appetitionis honoris ambitio. Ad vtrumque autem vtrumque; quodam modo esse videtur. Quod quidem & in cæteris esse virtutibus constat. Extremi autem hic opponuntur, quia medio nullum est positum nomen.

De mansuetudine eiusque extremis.

Cap. V.

Mansuetudo est quidem mediocritas circa iram. At cum medium, & extrema ferè nomine vacent, ad medium quidem mansuetudinem ipsam adducimus, cum ei, quod est parum, & nomine vacat, propior sit, quàm nimio: quod iracundia quædã dici potest. Etenim affectus quidam est ira. Ea verò, quæ ipsam efficiunt, multa sunt, & diuersa. Is igitur, qui pro quibus, & quibus oportet, & vt oportet, & cum oportet, & quanto in tẽ pore oportet, irascitur, laudatur. Estq; hic mansuetus, si quidem laudatur ipsa mansuetudo. Mansuetus enim, ac mitis, perturbatione vacare, & non ab affectu duci, sed pro his, & tanto in tempore irasci solet, pẽrinde atq; ratio iubet. Peccare autem circa defectum magis videtur. Non est enim vindex ipse mansuetus, sed potiùs clemens, & ad veniã propensior dandam. Defectus verò siue sit quædam iræ vacuitas, siue aliquid aliud, vituperatur. Qui nanq; non irascitur pro quibus oportet, & vt oportet, & cum oportet, & quibus oportet, fatui sunt. Nam neq; sentire, neque dolore videntur. Atq; qui non irascitur, nõ est aptus ad vlciscendum. Perferre autem contumelias, & suos negligere, seruire est sanè. Exuperatio verò per omnia quidem fit. Nam fit & in quibus non oportet, & pro quibus non oportet, & magis, & velociùs, & maiore in tempore, quàm oportet. Non tamen vniuersa eidem insunt: quippe cum esse non possit. Malum enim, & se ipsum perdit: & si integrum sit, intolerabile fit. Iracundi igitur citò quidem irascuntur, & quibus non oportet, & magis, quàm oportet. At citò desistunt, quod quidem & optimum habent. Hoc autem ideo fit, quia non detinent irã, sed reddunt. Idcirco & manifesti sunt ob celeritatem: deinde cessant. Exuperatione autẽ sunt celeres, & ad quiduis, & pro quouis iracundi, qui summæ sunt bilis. Vnde & summæ bilis homines appellantur. Amari autem cum difficultate placantur, & longo tempore sunt sub ira: detinent enim ipsam, sed vbi reddiderint, cessant. Vltio nanque ponit iræ modum, pro dolore voluptatem efficiens. Quod si hoc non fiat, habet ipsum pondus. Etenim quia non manifestum, nemo persuadet ipsis. Vt in se antè concoctio fiat iræ, tempore opus est. Sunt autem tales homines & sibi ipsis, & amicissimis permolesti. Insensos autem eos dicimus, qui pro quibus non oportet, & magis, quàm oportet, & longiore tempore irascuntur, sineque vltione, vel pœna, non recõciliantur. Mansuetudini autem magis exuperationem opponimus. Fit enim magis, quippe cum humanius sit punire: & ipsi insensu difficilius sunt ad vitam simul agendam. At enim (quod & antè dictum est, & ex iis, quæ dicuntur, emergit) non est facile determinare, quonã modo, & quibus, & pro quibus, & quanto tempore irascendum sit, & quousque iratus, rectè faciat quis, aut peccet. Qui nanque parum transgreditur, nõ reprehenditur, siue ad id, quod est ni-

mium, declinet, siue parum. Nonnunquã enim deficientes laudamus, mansuetosque vocamus: & ipsos insensos, tanquam aptos ad dominandum, viriles dicimus esse. Facile igitur non est assignare ratione, quantum, & quomodo quispiam egressus vituperandus est. In singulis enim & sensu, iudicium est. Illud tamen est manifestum, medium quidem habitum (quo quibus oportet, & pro quibus oportet, & vt oportet irascimur, & simili modo de cæteris) laudabilem esse: t̄ extrema verò vituperantur. Atque si parum distent à medio, leuiter: si plus, magis: si nimium, vehementer carpenda sunt. Constat igitur habitum medium comparandum esse, ac amplectendum. Sed de habitibus, qui sunt circa iram, satis iam diximus.

De affabilitate, eiusque extremis.

Cap. VI.

In congressionibus autem, & conuictu, & vsu communi verborum, ac rerum, quidam placidi sunt. Qui quidem pro voluptate afferenda, laudant omnia, & nihil aduersantur: putantes haudquam sese molestos cuiquã esse oportere. Quidam contrã, in omnibus aduersantes, neque curam vllam habentes si dolorem afferant, difficiles, contentiosique vocantur. Patet igitur, hos quidem duos habitus esse vituperandos, mediũ autem inter hos laudandum quo quidem quispiã ea, quæ oportet, & vt oportet acceptabit, similiter ægrè feret. Verum ipsi nomen nullum est positum. Persimilis autem est amicitia. Talis est enim is, qui medium hunc habet habitum, qualem probum hominem, amicum dicere solemus sumpta dilectione. Sed differt ab amicitia, quod est sine affectu, dilectioneque eorum, quibus cum is congregitur, qui hunc habitum habet. Non enim amore, vel odio, sed quia talis est ipse, probat singula vt oportet. Nam similiter tã ad notos, quàm ad ignotos, tam ad familiares, quàm ad non familiares, id ipsum aget: in singulis tamen vt conuenit. Non enim æquè familiarium, & externorum curam habere, neque dolore similiter eos afficere oportet. Vniuersaliter igitur dictum est, ipsum cõgredi vt oportet. Respiciens autem ad honestatem, vtilitatẽq; cõiectabit dolorem nõ afferre, vel delectare. Videtur enim hic circa voluptates, dolorẽsque eos versari, qui in congressionibus fiunt. Atq; quibus voluptatibus non est honestum ipsi, vel afferre damnũ, delectare, eas molestè feret, & eliget dolorem inferre. Et si facienti deformitatem non paruam afferat, aut damnũ: oppositio verò paruam dolorem, non probabit, sed ægrè feret. Diuerso autem modo cum iis, qui sunt in dignitatibus, & cum priuatis, & cum magis, minùsve notis, & cum aliarum identidem differẽtiarum hominibus cõgredietur, singulis tribuens id, quod decet, & per se quidem expetens delectare. Cauens autem dolorem afferre, & sequens ea, quæ eueniunt, si sint maiora, honestum, inquam, & id, quod conducit: atque voluptatis gratia magnã

Exuperationes verò, de sectioneque vituperandi

quæ

quæ eueniet, dolorẽ affert paruam. Talis est igitur ipse medius: sed nomen non habet. Is autẽ, qui delectat, si id agit studens esse iucundus, non ob aliud quicquam placidus vocatur: sin emolumentum causa sui, vt inde sibi proueniat in pecuniis, & in iis, quæ pecuniis comparatur, vtilitas, adulator: eum verò, qui molestè fert omnia, difficilem, contentiosumq; quendam dicimus esse. Videntur autem extrema inter sese oppositionẽ suscipere: quia medium nomine vacat.

De veritate, & eius extremis. Cap. VII.

Ircæ eadem ferè versatur & arrogantia mediocritas, quæ quidẽ & ipsa nomine caret: atq; nõ inutile fuerit de his etiam pertractare. Nã & ea magis quæ ad morẽ pertinent, percipiemus, si de singulis fuerit pertractatum. Et virtutes etiã ipsas, mediocritates esse credemus, si id in omnibus fuerit ita sese habere perspectũ. De iis igitur, qui in conuictu ad voluptatẽ congregiuntur, atq; dolore iam diximus: sed nunc de veracibus, mendacibusve similiter, & in verbis, & in actibus, & in fictione dicamus. Arrogãs itaq; præclara, & ea, quæ non insunt, & maiora, quàm insunt, sibi inesse fingit. Dissimulator autẽ contrã, negare quæ sibi insunt, aut imminuere solet. At medius cum sit talis, vt vnumquodq; quale est ipsum, dicat, atq; ostendat, tam vita, quàm verbis est verax, ea sibi inesse confitendo, quæ insunt, & neq; maiora, neq; minora. Fit autẽ, vt horũ vnumquodque quispiã & alicuius, & nullius rei causa faciat. Atq; qualis est vnusquisq; talia tam dicit, quàm agit, & ita viuunt, nisi alicuius gratia agat. Per se autem mendaciũ quidẽ improbũ est, & vituperabile: verum autẽ, probũ, ac laudabile. Itaq; verax quidem, cum sit medius, est laudabilis: mendaces autem ambo vituperabiles sunt, sed arrogãs magis. At enim de vtroq; dicamus oportere, prius autem de veraci. Atq; nõ de illo nunc dicimus, qui in stipulationibus verũ dicit, & in iis, quæ ad iustitiã, & iniustitiã pertinent, (hec enim ad aliã virtutem accõmodatur) sed de eo, qui in quibus hoc nihil refert, & in verbis, & in vita ex eo vera dicit, quia habitus talis est: atq; talis æquus, & bonus esse videbitur. Qui nãq; verũ amat, & in quibus etiã nil refert, vera dicit, is multò magis vera dicit, in quibus refert. Vt turpe enim, mendacium fugiet, quod & per se fugiebat. Talis verò laudabilis est. Magis autem ad defectũ veritatis declinat: hoc enim æquabilis est, propterea quod exuperationes sunt permolestæ. Sed qui res sibi maiores, quàm insunt, fingit, si nullius causa rei, prauo quidẽ est similis. Non enim mendacio gauderet: vanus tamẽ magis, quàm malus est. Sin alicuius gratia: si gloriæ, vel honoris, nõ nimium est vituperandus, vt arrogans: sin argenti, & eorũ, quæ ad argentũ rediguntur, deformior est. Arrogãs autẽ non in potentia, sed in electione consistit. Habitu nãq; quia talis est, arrogans est: sicut & mendax quidam ipso mendacio gaudens, quidã gloriã, aut lucrũ affectãs. Qui igitur gloriæ causa sunt arrogantes, ea simulat, pro quibus homines laudantur, aut beati esse dicuntur: qui verò gratia lucris, ea, quorũ vsus ad proximos

transit, & quæ non inesse latere possunt. fingunt enim se medicos, vel vates egregios. Quapropter pleriq; talia simulant, ac arroganter sibi assumunt. Sunt enim in ipsis ea, quæ dicta sunt. At dissimulatores, extenuates sua, elegãtiores sunt moribus. Non enim id lucris causa tacere videntur, sed fugiẽtes tumiditatẽ. Maximè autẽ hi negãt ea, quæ sunt præclara, vt & Socrates faciebat. Sed qui parua, manifestaq; dissimulat, ii delicati simul, maliciosiq; dicuntur, & facile sperni possunt. Atq; id ipsum arrogantia videtur interdũ, qualis est Lacedæmoniorũ vestitus. Nã & nimium, & parũ ad arrogantiam pertinet. Sed qui moderatè dissimulatione vtitur, nec ea dissimulat, quæ nimis ante oculos sunt, & extãt, gratiosi sunt. Arrogãs veraci opponitur. est enim dissimulator deterior.

De comitate, & eius extremis. Cap. VIII.

Vm verò sit & requies in vita, atque in hac ipsa ioco sese recreent, homines, videtur & hic esse quædam æquabilis cõgressio, & dicẽdo, & audiẽdo ea, quæ oportet, & vt oportet. Differt autẽ & dicẽdo inter tales, & audiẽdo tales. Atq; patet etiam in his esse nimium atq; parũ. Qui igitur in ridiculis exuperat, scurrẽ sunt, ac importuni, affectãtes omnino ridiculũ, & magis cõiectãtes facere risũ, quàm honestè loqui, & non afficere eũ dolore, in quem facetẽ dicunt. Qui verò neq; dicerent quicquã ridiculi, neq; alios dicere paterentur, rustici sunt, & duri. At is, qui cum moderatione iocatur, comis, atq; vrbani vocatur: talem sanè moris iam habitum assecutus, vt ad bene, recteq; iocandum sese flectere possit. Huiuscemodi nanque motiones, mores ipsius esse videtur: atq; vt corpora, sic & ipsi mores, motionibus discernuntur. Cum autem exundat ipsum ridiculum, plurimiq; ioco, salibusve magis, quàm oportet, gaudeant, scurræ quoq; eodem nomine nuncupantur, vt gratiosi, elegantes. Sed eos differre, atque non parum, ex iis, quæ diximus, constat. Accommodatur autem huic habitui medio, ipsa dexteritas. Atq; ipsius est dextræ, ea dicere, & audire, quæ ad modestũ virũ, liberalẽmq; accõmodantur. Sunt enim quædã, quæ ioco dicere, & audire, talem hominẽ decet. Atq; ipsius liberalis iocus, & eruditi à seruilis ioco, rudisq; differt. Licet hoc tã in antiquis quàm in nouis comediis intueri. Quibusdam enim verborũ obscenitas, quibusdã potiùs subintellectio, ridiculũ erat. Atque hec nõ parũ honestatis differunt ratione. Inne igitur dicendus est rectè facetiis vti, qui dicit ea, quæ liberũ hominẽ decet? An is, qui eũ, qui audit, dolore nõ afficit, vel etiã delectat? An & hoc indefinitum esse cõstat? Est enim aliud alii odio, & iucundum. Talia autem & audiet. Quæ nanque fert audiendo, ea videtur & facere. At non quiduis faciet. Etenim facetiæ, conuicia quædã sunt. Et legum latores nonnulla conuicia dicere vetant. Fortasse autem illos & nonnulla prohibere faceret dicere oporteret. Vir itaq; gratus, ac liber, ita sese habeat quasi sibi ipsi lex sit in ioco. Talis est igitur ipse medius, siue dexter, siue vrbani, siue comis dicatur. Scurra autem à ridiculo superatur, & neque sibi, neque aliis par-

y y

cit, modò moueat risum: eaq; dicit, quorù nihil prorsus gratiofus ipse diceret: & aliqua tñe audiret. Sed rusticus ad tales congressiones inutilis est: quippe cum nec ipse quicquam afferat salis: & cum afferunt alii, agrè, molestèq; ferat. Requies autem, & iocus, in vita necessaria sunt. Tres igitur eæ sunt, quas diximus, mediocritates in vita. Sunt autem omnes circa verborum quorundam, actuumve communem vsum. Sed differunt, quòd vna circa veritatem, ceteræ circa voluptatem versantur. Atque harum altera quidem est in ioco, altera autem in congressionibus reliquæ vitæ consistit.

De verecundia. Cap. IX.

DE verecundia autem, vt de aliqua virtute, dicere non potest. Est enim affectui magis, quàm habitui, similis. Itaque definitur timore, timorq; dicitur dedecoris quidam: & fit pèrinde, atq; circa res for midolosas timore fieri solet. Nam qui verecundantur, erubescunt: qui timent mortem, pallefcunt. Vtrunq; igitur ad corpus quodam modo accommodatum est, quod quidem magis ad affectum videtur, quàm ad habitum pertinere. Non autem ad quamuis ætatem is affectus, sed ad iuuenilem, accommodatur. Censemus enim eos, qui huius ætatis sunt, verecundos esse oportere:

vt cum non sine perturbatione viuant, multumque ob hoc peccent, à verecundia prohibeantur delinquere. Atq; laudamus quidem eos iuuenes qui sunt verecundi. Sed nemo ex eo seniorè hominem laudabit, quia est verecundus. Nihil enim eorum ipsum oportere censemus agere, pro quibus emergere verecundia solet. Neque enim homini probo verecundia competit, quippe cum pro rebus improbis fiat. Non enim sunt res tales agenda. Quòd si quædam re vera, quædam opinatiõne sunt turpes, nihil refert: neutre nanq; sunt agenda. Quare non erubescendum. Sed improbi est & talè esse, vt aliquid turpe agat. Probum autem ideo quempiam esse putare, quia ita se habet, vt si turpe quid egerit verecundetur, absurdum est sanè. Verecundia nanq; fit pro iis, quæ sua sponte quispiam facit. Sed nunquam sua sponte vir bonus res ager turpes. Erit autem verecundia probum, ex suppositione. Nam si egerit, verecundabitur. Hoc autem in ipsis virtutibus non est. Quòd si impudentia, & quempiam non pudere res turpes agentem, improbum est: nihilò magis ob id ipsum probum erit, quempiam res turpes agentem erubescere. At verò neque continentia virtus est, sed est quædam permista. Ostendetur autem de ipsa post paulò. Nunc de iustitia dicamus oportet.

ARISTOTELIS STAGIRITÆ
Ethicorum ad Nicomachum Liber Quintus,

Ioanne Argyropylo Byzantio Interprete.

ARGUMENTVM LIBRI.

QUINUS hæc: de iustitia, de iniustitia: quid iustitia, quid iniustitia: de modis iniustitiæ: de proportionalitate: de iusto distributione: de iusto commutatio: de lucro: de repatione: de nummo: de indigentia: de iniuria: de iusto civili: de iusto herili: de iusto æconomico: de iusto naturali: de iusto legitimo: de triplici nocumento, quod aliis irrogatur: de pati iniuriam: de æquitate & bonitate: de equo, & bono, & quid æquus, & bonus: & de eo, quod est iniuriam facere.

De iustitia, & iniustitia, & modis iniusti. Caput I.

DE iustitia iam, & iniustitia consideremus oportet, circa quales actus versentur, & qualis mediocritas sit ipsa iustitia, & inter quæ iustum ipsum medium est. Atque hæc consideratio eundem seruet modum doctrinæ, quo antea dicta considerauimus. Videmus itaque omnes talem habitum dicere iustitiam velle, quo homines apti sunt ad res iustas agendas, & quo iusta agunt, & volunt

iusta. Eodem modo talem habitum & ipsam iniustitiam dicere, quo iniurias agunt homines, resq; volunt iniustas. Quapropter & nobis hæc primùm vt in figura subiiciantur. Non enim in scientiis, & potentiis, atque habitibus res sese habet eodem modo. Eadem nanque potentia, scientiæque contrariorum est: sed contrarius habitus non est contrariorum. Nempe à sanitate sana duntaxat, & non contraria fiunt. Dicimus enim quempiam ambulare sanè, cum pèrinde ambulat, atque sanus. Sæpe igitur contrarius habitus ex contrario cognoscitur: sæpe etiam habitus ex subiectis. Nam si bona corporis habitudo sit nota, & ipsa mala corporis habitudo fit manifesta. Et ex iis, quæ bonam habitudinè efficiunt corporis, ipsa bona habitudo fit nota: & ex ipsa rursus ea, quæ faciunt ipsam. Si enim habitudo bona sit spissitas carnis, & malam habitudinem raritatem esse carnis, & id, quod efficit habitudinem bonam, efficere spissitatem in carne, necesse est. At verò plerunque sequitur, si alterum pluribus modis dicatur, & alterum pluribus dici: vt si iustum, & ipsum iniustum. Videtur autem tam iustitia, quàm iniustitia pluribus modis dici. Sed quia propinqua est ipsarum æquiuocatio

tio, latet, & non ita, vt in iis, quæ longè distant, est manifesta. Multum enim talia differunt forma. Patet enim, clauem æquiuocè dici, & eam, quæ sub collo est animalium, & eam, qua ostia clauduntur. Sumatur igitur quot iniustus dicitur modis. Atq; videtur iniustus esse, & qui à legibus exorbitat, & qui plus capit atq; iniquus. Quare patet & iustum esse eum, qui legitime facit, & eum, qui æquus est. Iustum ergo est, quod est legitimum, & quod est æquum. Iniustum verò, quod est contra leges, & quod est iniquum. Cum autem iniustus, & pluri sit audis, nõ erit ipse circa omnia bona, sed circa ea duntaxat, in quibus consistit prospera fortuna, atq; aduersa: quæ simpliciter quidem semper sunt bona, alicui verò non semper. Homines autem illa sibi optant, atq; persequuntur: at non oportet. Sed optare quidè ea, quæ sunt simpliciter bona, & sibi ipsis esse bona. Expetere autem ea, quæ sibi ipsis sunt bona, oportet. Iniustus autem non semper plus, sed minus etiã expetit in iis, quæ sunt simpliciter mala. Sed quia videtur & minus malum quodam modo bonum esse, & plus habendi cupiditas ipsius est boni: fit vt pluri ob id ipsum videatur audis esse. Est autem iniquus (hoc enim continet, & est commune) & legum transgressor: hoc enim, legum, inquam, transgressio, id est iniquitas, omnem iniustitiam continet, & est ad iniustitiam omnem commune. Cum autem legum transgressor sit iniustus: qui verò legitime facit, iustus constat, omnia legitima esse quodam modo iusta. Ea nanque, quæ à facultate ferendarum legum sunt definita, legitima sunt, & horum vnumquodque iustum dicimus esse. Ipsæ autem leges de omnibus dictant, coniectantes aut commune omnium vtilitatem, aut optimorum, aut principum, vel virtute, vel aliquo alio tali modo. Quare vno modo dicimus iusta ea, quæ felicitatem, eiusque partes societati civili efficiunt, & conferunt. Præcipit autem lex & ea agere, quæ ad virtutum pertinent fortem: vt non deserere locum in acie, non fugere, non abiicere arma. Et item ea, quæ sunt temperantis: vt non committere adulterium, non libidine vti. Et etiam ea, quæ sunt mansueti: vt non pulsare, non conuicia dicere. Et in ceteris identidem virtutibus, atque vitiis, alia iubens, alia vetans. Rectè quidem ea, quæ rectè posita est: deterius autem ea, quæ inconsultè est exarata. Hæc igitur iustitia, perfecta quidem est virtus: at non absolutè, sed ad alium. Atque ob id ipsum iustitia præclarissima pèrsæpe virtutum esse videtur. Et neque est Hesperus ita, neque Lucifer admirabilis. Et prouerbio dicere consueuimus:

Iustitia in sese virtutes continet omnes.

Atque perfecta maximè virtus est, quia perfecta virtutis est vsum. Idque est ex eo, quia non ad se solum, sed ad alium etiam is, qui ipsam habet, vt virtute potest. Complures enim in propriis quidem vt virtute possunt, sed in iis, quæ sunt ad alium nequeunt. Et propterea sententia Biantis illa bene sese habet: Magistratus virum ostendet. Ad alium enim est, & in societate iam ipse magistratus consistit. Ob id autem ipsum &

alienum bonum ipsa iustitia sola ex omnibus virtutibus & habetur, & est, cum sit ad alium. Agit enim ea, quæ alii vel principi, vel Reipublicæ conferunt. Pessimus igitur est, qui ad se ipsum, & ad amicos vitur prauitate. Optimus autem, non qui ad se ipsum, sed qui ad alium vitur ipsa virtute: hoc enim est opus difficile. Hæc igitur iustitia non pars virtutis, sed tota est virtus. Similiter & iniustitia huic contraria non vitii pars, sed totum vitium est. Quid autem interest inter hanc iustitiam, & virtutem, ex iis, quæ diximus, innotescit. Sunt enim idem: esse autem non est idem. Sed quo quidem est ad alium, est iustitia: quo verò talis est habitus simpliciter, virtus.

Quid iustitia particularis, & quotuplex. Cap. II.

Verimus autem eam iustitiam, quæ virtutis est pars. Est enim quædam, vt diximus. Et item iniustitiam eam, quæ pars vitii quædam est. Esse autem hanc iniustitiam, hoc indicat signum. Qui nanque ceteris vitiis, operatur, iniuriam quidem facit: at non plus capit: vt qui clypeum timiditate proiecit, aut qui conuicia ob iracundiam dixit: aut qui non attulit ob illiberalitatem per peccunias opem. At cum quispiam sæpe plus capit, nullo tum eiusmodi vitio is operatur, nec etiã vniuersis, aliqua autem prauitate. Vituperamus enim illum, atque ob iniustitiam. Est ergo alia quædam iniustitia, vt pars totius iniustitiæ quædam: & iniustum itidem quoddam, vt pars totius iniusti: quod quidem est præter legem. Prætereà, si quidam lucradi causa facit adulterium, atq; pecunias accipit, quidam erogat, damnumque patitur ob cupiditatem: hic quidem intemperans potius, quàm pluri audis: ille autem iniustus, sed non intemperans esse videbitur. Patet ergo, talem illum videri, quia lucratur. Insuper per aliæ quidem omnes iniuræ, ad aliquod semper vitium rediguntur: vt si commiserit quispiam adulterium, ad intemperantiam: si deseruerit in acie socium, ad timiditatem: si pulsauerit quempiam, ad iracundiam: sed si lucratus fuerit, ad nullam aliam prauitatem, quàm ad iniustitiã ipsam, refertur. Quare perspicuum est, præter totam, aliã esse quandã iniustitiam, vt partem vniuersam: quia definitio genere est in eodè: ambæ nanq; id possunt, vt sint ad aliũ. Verũ hæc quidè circa honorem versatur, vel pecunias, vel salutem, vel si quo vno nomine completi hæc vniuersa possumus: & circa voluptatem, quæ fit à lucro. Illa verò circa omnia ea, in quibus studiosus versatur. Iustitias igitur esse plures, & aliam quandam esse præter ipsam totam virtutem, perspicuum iam euasit. Sed quænam sit, & qualis, sumamus deinceps oportet. Determinatum est itaque, iniustum quidè esse, quod est contra leges, & quod est iniquum. Iustum autem quod est legitimum, & quod est æquum. Iniustitia igitur antea dicta est, à qua proficiscitur id iniustum, quod contra leges dicimus esse. At cum iniquum, & iniustum

quod contra leges est, non eadem sint, sed alterum sese habeat ad alterum, ut pars se habet ad totum, (nam iniquum omne, iniustum, quod contra leges, iniustum autem quod contra leges non omne, iniquum plus nanq; omne iniquum: iniquum autem non omne, plus.) Iniustum etiã, & iniustitia, non eadem sunt, sed diuersa ab illis: & hæc sunt ut partes, illa ut tota. Hæc enim iniustitia, totius est iniustitiæ pars: & iustitia iustitiæ simili modo. Quare de iustitia, quæ quidem est pars, & de iniustitia similiter est dicendum: & de iusto etiã, & de iniusto. Ea igitur iustitia, quæ perinde, atq; tota virtus, est ordinata, & ea iniustitia, quæ aduersatur illi, quarum altera virtutis, altera vitii totius ad alium vsus est, omittatur. Et iustum id, & iniustum, quod ad has attinet, patet quonam sit modo definiendum. Etenim pleraq; legitima ea ferè sunt, quæ à tota virtute aguntur. Lex enim iubet vniuscuiusq; virtutis vi uere ratione, & vetat vitii cuiusvis viuere modo: nec non legitima, quæ ad publicam pertinet disciplinam, ea sunt, quæ virtutem totam efficere possunt. Sed de singulorum disciplina, qua quidem vir bonus est absolutè, vtrum sit ciuili, an ad aliam facultatem pertineat, determinabitur postea. Non est enim idem fortasse, virum esse bonum, & ciuem bonum. Iustitiæ autem eius, quæ est pars, & eius, quod ad ipsam attinet, iusti, vna quidem species est ea, quæ in distributione consistit, aut honoris, aut pecuniarum, aut cæterarum rerum, quæ inter eos diuidi possunt, qui in eadè ciuili societate versantur. In his enim fit, ut quipiam & non æquum habeat ad alium, & etiã æquum. Alia autem ea, quæ in cõmerciis est hominum emendandis: cuius sunt duæ partes. Commercia nanq; quædam sua sponte faciunt homines, quædam inuitis ipsis efficiuntur. Et ea quidem, quæ sponte faciunt, talia sunt, venditio, emptio, mutuatio, vadimonium, locatio, depositio, mercede conductio. Atq; propterea sponte hæc fieri dicuntur, quod principium ipsum sponte procedit, ac agitur. Ea verò, quæ inuitis hominibus fiunt, aut clandestina sunt, ut furtum, adulterium, veneficium, lenocinium, feruorum seductio, cædes cum dolo, falsum testimonium. Aut violenta, ut verberatio, vincula, mors, rapinæ, mēbro-rum captio, conuicium, contumelia.

De iusto distributio. Cap. III.



Um autem iniustus sit iniquus, & iniustum iniquum, constat & aliquod mediū esse iniqui: atq; hoc est ipsum æquū. Quo enim in actu plus est, & minus, in eodè est etiam æquum. Si igitur iniustum est iniquum, iustum est æquū. Quod quidem & absque ratione patet omnibus. At cum æquū sit medium, iustum medium quoddam erit. Ipsum autem æquum in minimis est duobus. Necessè est igitur, ipsum iustum & medium esse, & æquum, & ad aliquid, & quibusdam. Atq; quo medium quidem est, hoc aliquorum est, quæ quidem plus sunt, & minus: quo autem æquū est, duobus est. At quo iustum est, quibusdam est. Ipsum ergo iustum, in minimis quatuor consistat, necessè est. Homines enim, quibus est iustum, duo sunt: & res, in quibus,

& ipsæ duæ sunt. Atque eadem est æquitas, quibus, atque in quibus. Nam ut sese habent ea, in quibus, sic sese habent & illa. Si enim non sunt æqui, non æqua habebunt. Sed hinc pugna nascuntur, & incusationes, atque querelæ, cum æqui non æqua, aut æqua non æqui habent, ac potiuntur. Id ita esse ex eo, quod pro dignitate fit, constat. Iustum enim, quod in distributionibus est, omnes vno ore pro dignitate quadam oportere esse dicunt. Ipsam tamen dignitatē non eandem omnes iniqui esse: sed populares quidē, libertatem: pauci verò potentes, opulentiam; nonnulli, nobilitatem: optimates verò, virtutē. Iustum ergo, rationum quandam comparationē subit. Comparationem nanq; rationum subire, non absoluti numeri solum, sed numerabilis etiam omnino proprium est. Etenim comparatio rationum, æqualitas est rationum, & in quatuor minimis est: & seiuncta quidem in quatuor esse constat. An non continua in quatuor est? Vno nanque termino utitur, ut duobus: & bis illud sumit, hoc modo: Ut a sese habet ad b, sic b sese habet ad c.

xij.	vj.	ij.
a.	b.	c.

Bis igitur dictum est ipsum b. Quare si b bis positum fuerit, quatuor erunt ea, quæ comparationem subeunt rationum. Est autem & ipsum iustum in quatuor minimis: & ratio eadē est. Sunt enim seiuncta similiter, & quibus, & quæ. Erit ergo ut est a terminus ad b terminum, sic c terminus ad terminum d. Et mutato ergo ordine, ut a sese habet ad c, ita b sese habebit ad d. Quare & totum ad totum, quod quidem distributio ipsa coniungit. Et si ita compositum fuerit, iustè coniungit. Coniunctio igitur a termini cum c, & b cum d, iustum est id, quod ad distributionem accommodatur, & est medium eius, quod comparationem rationum non subit. Quod enim subit ipsam, medium est. Iustum autem subit,

xij.	vj.	vij.	iiij.
Achilles	Aiax	Munus Achillis	Munus Aiakis
a	b	c	d

xij.	vij.
Achilles	Munus Achillis
a	c

vj.	iiij.
Aiax	Munus Aiakis
b	d

Talem autem rationum comparationem Mathematici Geometriam vocant. In Geometria namque fit, ut & totum ad totum perinde sese habeat, atque ad vtrunque sese habet vtrunque. Non est autem continua hæc comparatio rationum: nō enim fit terminus vnus numero, cui, & quod. Iustum igitur hoc in comparatione rationum consistit. Iniustum autē est id, quod à comparatione rationum exorbitat. Fit igitur aliud plus, aliud minus. Quod quidē & in ipsis actionibus accidit. In bonis enim, qui iniuriam facit, plus

plus habet: qui iniuriã patitur minus. In malis autem contra. Boni nanq; rationē subit minus malum, ad maius malum. Minus enim malū magis, quàm maius, est expetibile. At quod expetitur, bonum est: & quod magis, maius. Hæc est igitur vna species iusti.

De iusto commutatio. Cap. IIII.



Est id iustum, quod fit in emendandis cõmerciis, tam iis, quæ sua sponte faciunt homines, quàm iis, quæ inuitis ipsis efficiuntur. Hoc autē aliam habet speciem à priore. Iustum enim distributiuum eorum, quæ cõmunia sunt, in dicta semper comparatione rationū consistit. Nam si è pecuniis publicis distributio fiat, eadem erit ratio, quæ habent inter sese ea, quæ in Rempubicã sunt collata. & iniustum, quod huic opponitur, id est, quod à comparatione rationū exorbitat. Iustum autē, quod est in cõmerciis, est quidem æquum quoddam: & iniustum, iniquū. Sed non illa cõparatione rationum, sed arithmetica. Nihil enim refert, si probus prauo detraxerit, an prauus probi: neque si aduiterium probus, an prauus cõmiserit. Sed ad differentiã nocenti lex respicit tantum: & utitur ut æqualibus, si hic iniuriã facit, ille patitur: & si hic nocuit, ille est læsus. Quare iniustum hoc, cum sit iniquū, iudex æquare conatur. Nam cum hic quidē percussus est, aut occisus, ille verò percussit, aut occidit, passio, atq; actio diuisa est in partes non æquas, sed ad æqualitatem auferendo lucro damni respectu nititur redigere iudex. Dicuntur enim hæc in talibus absolutè dicendo. Atq; quanquã hæc nomina quibusdã accõmodata non esse videntur, ut ei, qui percussit, lucrū: & ei, qui passus est, damnum: cum mensurata tamen fuerit passio, hoc damnum, illud lucrū vocatur. Quare æquū quidem inter plus, & minus mediū est. Lucrum autē, atq; damnum plus sunt, & minus. Contrario modo, plus boni, & minus mali lucrum: contrariū autē damnum, quorū medium est ipsum æquum, quod quidem dicimus esse iustum. Quare iustum emendatiuum, medium est inter damnum, & lucrum. Quapropter & cum controuersiam habent, ad iudicem ipsum confugiunt. Ire autē ad iudicem, est ire ad ipsum iustum. Iudex enim ut iustum est animatum suapte natura. Et quærunt iudicem medium. Et vocat nonnulli mediatorē, ut ipsum iustum assecuturi, si mediū iustum consequantur. Mediū ergo quoddam est ipsum iustum: siquidē & iudex medium est. Iudex autem ad æqualitatem redigit. Et perinde, atq; si linea in æquales duas partes diuisa, id, quo maior pars dimidiū excedit, abstulerit, minorq; addiderit parti: cumq; totum diuisum fuerit duas in partes æquales, tum suum aiunt habere, cum æquū acceperint. Aequū autē mediū est inter maius, & minus, in Arithmetica cõparatione rationum. Nam si sint duo æqualia, & ablatam ab altero quantamuis partē addideris alteri, talibus duabus excedit partibus alterum. Si enim ablata fuisset, & nō addita, vna sola parte excederet. Excedit ergo mediū vna: & ipsum medium excedit id, à quo est ablatio facta, vna. Hoc ergo cognoscemus & quidnā addendū ab

eo fit, qui plus habet, & quid addendum sit ei, qui minus habet. Id enim, quo medium excedit, addendum est enim ei, qui minus habet. Id autem auferendum à maximo est, quo exceditur mediū. Sin æquales lineæ tres, a, b, c, d, e, f: atque ab a, b, pars auferatur a, g, & addatur ipsi lineæ e, f: sitque illa h, e. Quare tota linea h, e, f excedit g, b lineæ parte h, e, & parte e, k. Excedit ergo mediam c, d lineam h, e parte.

a	g	b
c		d
h	k	f

Est autem hoc & in cæteris artibus. Etenim è medio tollerentur, nisi agens ageret, & quantum, & quale: & patiens pateretur hoc, & tantum, & tale. Nomina autem hæc (damnum inquam, & lucrum) ex iis cõtractibus, quos sua sponte faciunt homines, tracta sunt. Qui enim emendo, vendendo, cæteraq; agendo, quæ lege concessa sunt, plus habent quàm suū, ii lucrari: qui minus, quàm in principio, ii damnum pati dicuntur. Sed qui neque plus, neque minus habet, sed sua per se ipsa sunt facta, ii se sua iniqui habere, & neque damnum pati, neque lucrari. Quare iustum medium est inter lucrum quoddam, & damnum (quæ fiunt inuitis hominibus) æquale, inquam, & prius, & posterius habere.

De repassione, numo, & indigentia. Cap. V.



Idetur nonnullis & ipsa repassio simpliciter esse iustum, ut Pythagorici censuerunt: qui quidem absolutè deficientes iustum, repassioem esse dicebant. Verum repassio nec ad distributiuum iustum, nec ad emendatiuum accõmodatur. Quam quàm eam ipsam & Rhadamanti ipsius iustum asserunt esse,

Si quæ fecerit, hæc etiam patietur & ipse, Iudicium fuerit perreçtum, atque exitus æquus.

Persepe enim discrepat. Nam si quis magistratum gerens percusserit quempiam, non decet eum repercuti. Et si quispiam eum, qui magistratum gerit, percusserit, is non solum repercutiendus est, verum etiam supplicio afficiendus. Præterea multum inter se differunt, id, quod sponte, & id, quod inuitis quispiam fecit. Sed in societatibus commerciorum, tale iustum (repassio, inquam) per comparationem rationum, & non per æqualitatem continet ciuitatem. Ciuitas enim tum conseruatur, cum retributio fit, ut comparatio flagitat rationum. Nam homines aut reddere malum quærunt, quod nō faciāt, feruitus esse videtur: aut retribuere sibi bonum, quod nisi fiat, actus dandi, beneficiūque non fit: at ciuitates his conseruantur. Quam ob rem & Grætiarum templum in ciuitate media condunt, ut retributio sit: hoc enim gratiæ propriū est. Nam is, qui suscipit, subministret vicissim ei, qui munus contulit, & ipse rursus incipiat conferre oportet. Coniunctio autem, quæ per diametrum est, facit eam retributionem, quæ per comparationem rationum efficitur. Hoc modo: Sit Aedificator quidem a, Sutor autem b, Domus in c, & calceus collocetur in d.

*videm famillie
21. e. Agelium
lib. 20. op. p.*

Aedificator. Sutor.

Coniunctio per diametrum.

Domus. Calceus.

Aedificatorem igitur à futore accipere opus illius, & ipsum illi suum dare oportet. Si igitur primum sit id iustum, quod comparatione rationum est æquū, deinde repassio fuerit, erit quod dicitur: sin minus, non erit æquum, neque constabit societas. Nihil enim prohibet vnus opus alterius opere præstabilius esse. Hæc igitur, ad æqualitatem redigantur oportet. Est autem hoc & in cæteris artibus. Etenim è medio tollerentur, nisi agens ageret, & quantum, & quale: & patiens pateretur hoc, & tantum, & tale. Nō enim duobus ex medicis sit societas, sed ex medico, atque agricola: & ex diuersis omnino, ac in æqualibus: verūm hī redigantur ad æqualitatem oportet. Quapropter ea vniuersa, quorum est permutatio, inter sese comparabilia quodam modo esse oportet. Pro quo nummus in vsum hominū venit, & fit quodam modo medium: metitur enim cuncta: quare & nimium, atq; parum: quotnam calcei domui, vel victui sunt æquales. Oportet igitur quod est aedificator ad futorem, tot pro domo, vel alimento calceos esse. Quod si hoc non fuerit, non erit permutatio, neque societas. Hoc autem non erit, si non æqua quodam modo fuerit. Oportet ergo aliquo vno mensurari cuncta, sicut & antea diximus. Hoc autem est re vera quidem indigentia ipsa, quæ omnia continet. Nam si non indigeant, aut non similiter, non erit permutatio, aut non eadem erit. Nummus autem ex instituto factus est, vt pro indigentia sit. Et propterea nomen hoc habet, quod non natura constat, sed lege. Et in nobis est situm ipsum mutare, atque inutilem facere. Erit igitur tunc repassio, cum redacta fuerint ad æqualitatem, vt quod est ad futorem agricolā, id sit opus futoris ad agricolæ opus. Oportet autem in figuram comparationis rationum ducere, cum permutare voluerint. Sin minus, t alterum extremum plus in se habebit, & minus. Sed cum habent sua, sic æquales, & focii sunt: quia hæc æqualitas in ipsis fieri potest. Atq; sit agricola quidem a, & alimentum c, sutor autem b, & opus ipsius, quod in æqualitatem iam est redactum, d. Quod si hoc pacto non esset repassio, non esset sanè societas.

Agricola, Sutor,
a b
c d
Alimentum, Calcei,

Ipsam autem indigentiam continere, vt quiddā vnum, hoc sanè declarat. Cum enim aut ambo sese non indigent mutuo, aut aliter, non fit permutatio. Sicut fit, cum eius quispiam indiget, quod habet ipse: vt vini, pro quo dat ille triticū exportandum. Oportet igitur hæc redigi ad æqualitatem. Quod si nunc non indigeat, nummus, quasi vas, intercedit pro permutatione futura, si ipsa indiguerit fore. Liceat enim oportet hunc afferenti accipere. Patitur igitur idem & ipse. Non enim semper æquale potest: attamen magis ipse persistere solet. Idcirco definita sint pretio res omneis oportet. Sic enim erit permutatio semper: quæ si erit, societas erit. Numus igitur, vt mensura, res ipsas metiendo, redigit ad æqualitatem. Etenim neque societas fuerit sine permutatione, neq; permutatio sine æqualitate, neque æqualitas sine cōmuni mensura. Atq; re quidem vera fieri nequit, vt ea, quæ adeo differunt, conueniant cōmuni mensura: attamen indigentie ratione satisfieri potest. Vnum quid igitur esse oportet, atque hoc ex suppositione: quapropter nummus vocatur. Hic enim facit vt omnia mensura cōueniant: mensurantur enim omnia nummo. Sit domus quidem a, vnciæ autem decem b, & lectica collocetur in c. Atq; a quidem dimidium sit ipsius b, si pretium domus quinque vnciæ sint, aut æquale, c autem id est lectica, sit pars decima ipsius b. Patet igitur quot lecticæ domui sunt æquales, sunt enim quinque.

Domus. Vncia decem. Lectica.
a b c
v. j.

Hoc autem modo permutatio erat antea, quàm esset nummus. Nihil enim interest, siue lecticæ quinque, siue pretium quinque lecticarum detur pro domo. Dictum est igitur quidnam sit iustū, atque iniustum. His autem determinatis, constat iuris actionem medium inter hæc esse, agere, inquam, ac pati iniuriam. Alterum enim est plus habere, alterum minus. Iustitia autem non eodem modo, quo priores virtutes, mediocritas est: sed quia medii est, hoc est æqui, iniustitia verò extremorum. Et iustitia quidem est, quæ iustus dicitur actiuus electione iusti, atque distributiuus, & sibi ipsi ad alium, ac alii ad alium: nō hoc modo vt commodi quidem plus sibi tribuat, & proximo minus, incommodi autem contra: sed æqui, quod ex comparatione rationum exoritur, & alii simili modo ad alium: iniustitia autem contra iniusti. Hoc autem est excessus, & defectus commodi, vel incommodi, contra comparationem rationum. Quapropter iniustitia exuperatio est, & defectus, quia est exuperationis, & defectus: in se quidem exuperationis eius, quod est simpliciter commodum, & defectus eius, quod est incommodum. In aliis autem in toto quidem similiter, eius profectò, quod à comparatione rationum exorbitat, vt contigerit. Iniuria autem minor quidem est iniuriā pati, maior autem iniuriam facere. De iustitia igitur, ac iniustitia, quænam sit vtriusq; natura, sit dictum hoc modo. Similiter & de iusto vniuersaliter, atque iniusto.

De

De iniuria iusto civili, herili, & æconomico.

Cap. VI.



Vm verò fieri possit, vt iniuriā quispiā faciat, & nondū sit ipse iniustus: qualēs nā iniurias quispiā faciēs vnaquaq; iniustitia iā est iniustus, fur, inquam, vel adulter, vel latro? An hoc modo nihil intererit? Etenim fieri potest vt quispiā coeat cū muliere sciens cū qua coit, sed nō ob electionis principium, sed ob affectum. Atq; iniuriam quidem agit, sed iniustus non est: veluti neq; fur: si rarus est tamen: neq; adulter, qui adulterium tamen fecit: & eodem de cæteris modo. Quomodo igitur sese habet ad ipsum iustum repassio, dictum est antea. Oportet autem non latere, iustum, quod nunc quæritur, id esse, quod est simpliciter iustum, ipsum, inquam, iustum civile. Hoc autem est inter socios vitæ: vt sit sufficientia liberorum, atque æqualium, aut in comparatione rationum consistens, aut in numero. Quare in quibus hoc non est, inter eos civile iustum non est, sed quoddam iustum, & per similitudinem quandam. In iis enim est iustum, quibus inter se ponitur lex. Lex autē iis poni solet, in quibus est iniustitia. Iudiciū enim diiudicatio est iusti, atq; iniusti. In quibus verò est iniustitia, in iis est etiā iniuriā facere. Sed nō in omnibus est iniustitia, in quibus est iniuriā facere. Hoc autē est plus quidem ex simpliciter bonis, minus autem ex simpliciter malis sibi tribuere. Idcirco non finimus hominem dominari, sed rationem: quia sibi ipsi id facit, & fit tyrānus. Magistratus autem custos est iusti: quod si iusti, & æqui. Atq; quia nihil sibi ipsi plus tribuendum esse censet, si est iustus, (ex simpliciter enim bono plus sibi non tribuit, nisi comparatione rationum sit ad ipsum accommodatum) ideo alii non sibi ipsi laborat. At ob id ipsum, alienū bonum iniquiunt iustitiā esse, sicut & antea diximus. Merces ergo quædam tribuenda est ipsi, honos, inquam, & præmiū: sed quibus hæc non sufficiunt, ii sunt tyranni. Herile autē, paternūq; iustum non idem, sed his est simile. Non est enim iniustitia ad sua simpliciter. Id autem quod possidetur, & filius, quādiu sit paruus, & non separatus, vt pars ipsius est patris. Se verò nemo vult lædere: quapropter non est ad ipsum iniustitia. Neq; ergo iustum, neque iniustum civile. Est enim lege, atq; in his est, in quibus lex esse potest. Qui quidē ii sunt, quibus inest æqualitas imperandi, atq; parendi. Idcirco magis ad vxorem iustum esse videtur, quàm ad filios, & ea, quæ possidentur. Hoc enim est rei familiaris iustum: verūm & hoc aliud est à civili.

De iusto naturali, & legitimo.

Cap. VII.



Iuillis autem iusti aliud est naturale, aliud legitimum. Et naturale quidem est, quod vbique vim habet eandem, & non quia videtur, vel non videtur. Legitimum autem, quod à principio quidem nihil refert, sic an aliter habeat: cum verò positum fuerit, refert. Quale est, mina captiuos redimi, vel capram diis, sed non duas oues mactare: &

etiam ea, quæ de singulis lege iubentur, vt sacra Brasidæ facere, & quæ publicis decretis instituuntur. Videntur autem quibusdam omnia talia esse. Propterea quod omne, quod natura constat, immobile est, & vim eandem habet vbique: sicut ignis hīc, & apud Persas vrit. Iusta autem moueri vident. Verūm hoc non ita sese habet, sed alio quo modo. Atque apud deos quidem nihil vllō modo forsitan est, quod ita sese habet. Apud nos autem est quidem aliquid, etiam natura constans, mutabile, verūm non omne. Attamen aliud est natura, aliud non natura. Patet autem, quidnam eorum, quæ possint, & aliter se habere natura, & quid non, sed lege, ac instituto, si ambo mutari similiter possunt. Et ad cætera eadem accommo dabitur definitio. Dextra nanque manus, validior est læua, natura: & tamen fieri potest, vt omnes euadant apti ad vtendū manu sinistra perinde ac dextra. Iusta autem ea, quæ ex instituto sunt, & ob vtilitatem, similia sunt mensuris. Nō enim omnibus in locis æquales sunt vini, triticique mensuræ: sed vbi quidem emunt, maiores sunt: vbi autem vendunt, minores. Simili modo & ea, quæ non naturalia sunt, sed humana iusta, non eadem sunt vbique. Nam neque Respublica: sed vna tantūm vbique secundū naturam est ipsa optima. Vnumquodque autem iustum, & legitimum, vt vniuersale sese habet ad singula. Etenim ea, quæ aguntur, sunt multa. Vnumquodque autem illorum est vnum: est enim vniuersale. Interest autem inter iniuriam, & iniustum, & inter ius, & iustum. Iniustum enim est natura, vel instituto. Id autem ipsum, cum actum fuerit, iniuria est: antea verò, quàm sit actum, nullo modo est iniuria, sed iniustum: pari modo & ius. Vocatur autē magis iuris actio ipsum commune: ius autem, iniuriæ emendatio. Quæ verò, & quot species vniuersiusq; ipsorum sint, & circa quæ versantur, considerandum est postea.

De triplici nocumento quod alijs irrogatur.

Cap. VIII.



Vm autē iusta sint, & iniusta ea, quæ diximus, iniuriam quidem quispiam facit, & ius agit, cum ea sua sponte agit: sed cum inuitus, non iniuriam facit, neque ius agit. Agit enim ea, quibus accidit vt sint iusta, aut iniusta. Iniuria autem, atque iuris actio tunc est, cum à sponte agente fit: tunc enim vituperatur, & simul tunc iniuria est. Quare erit quid iniustum quidem, sed nondum iniuria, si non à sponte agente sit factum. Equidem id à sponte agente fieri dico, (quemadmodum & prius est dictum) quod quispiam in se situm sciens agit, & nō ignorans, neq; quem, nec quo, neq; gratia cuius: vt quem pulsat, & quo, & gratia cuius: & vnumquodq; illorū neq; per accidens, neq; vi: vt si quispiam vi mouens t manum ipsius alium pulset. Sponte enim ipse tum sua nō pulsatur, quippe cum non sit in se situm. Fieri etiā potest, vt qui pulsatur sit pater: ipse autem sciat quidem illum hominem esse, vel aliquem eorū, qui adsunt, ignoret autem esse patrem. Idem dicendum est & de eo, gratia cuius agitur, & circa

Qui moues vi manū alterius, ipsum pulsatur.

torum etiam actum. Quod igitur ignoratur, aut non ignoratur quidem, non est autem in ipso situm, sed vi fit, id omne agitur ab inuito. Et eorum enim, quæ nobis natura competunt, complura scientes agimus, atque patimur, quorum nihil aut nostra sponte, aut inuitis fit nobis: ut senescere, aut mori. Est autem in iniustis, ac iustis similiter id, quod per accidens dicimus. Nam si quisquam depositum inuitus, & ob timorem reddiderit, non est dicendum hunc iustum, aut ius agere, nisi per accidens. Similiter est dicendum, & eum iniuriam facere, atque iniusta per accidens agere, qui cogitur, atque inuitus non reddit depositum. Eorum autem, quæ sponte agimus, alia cum electione agimus, alia sine electione. Ea cum electione agimus, quæ antecessit deliberatio. Ea sine electione, quæ non antecessit deliberatio. Cum igitur læsio sit in societatibus triplex, tunc sunt cum ignorantia peccata, cum quisquam egerit, aut circa quem, aut quod, aut quo, aut gratia cuius agere non putauit. Nam aut non percutere, aut non hoc, aut non hunc, aut non gratia huiusce putauit: sed accidit id, cuius gratia non putauit, ceu ut non ut vulneraret, sed ut pungeret, aut non quem, aut non modo hoc. Atque cum extra rationem sit læsio, infortunium est: cum non extra rationem, sine tamen vitio, peccatum. Etenim peccat quidem quisquam, cum in ipso est principium causæ: aduersa verò fortuna vititur, cum est foris. Cum autem sciamus quidem, sed non deliberatione promissa quisquam lædit, iniuria est. Cuius generis ea sunt vniuersa, quæ per iram efficiuntur, aliisque animi perturbationes, quæcunque necessario vel natura hominibus accidunt. Hæc enim iniuriæ sunt. Atque ii, qui ob hæc nocent: ac peccant, iniuriam quidem faciunt, tamen nondum ob hæc ipsa sunt iniusti vel prauis. non enim nocent ob prauitatem. Sed cum nocet electione, iniustus est, atque prauus. Quapropter perrecte ea, quæ proficiuntur ab ira non diiudicantur ex prouidentia fieri. Non enim is incipit, qui facit ira, sed is, qui prouocauit ad iram. Præterea non fit in talibus controuersia si factum sit, necne, sed si iure sit factum. Ira namque ob apparentem oriri iniustitiam solet. Non enim de facto perinde, atque in commerciis contendunt, ubi necesse est alterum improbum esse, si non id faciat obliuione: sed de re conuenientes, iure, an iniuria sit factum, disceptant.

Qui autem fecit insidias, non ignorat. Quare alter putat iniuriam pati, alter non putat. Quod si electione nocuerit, iniuriam facit. Atque his iam iniuriis est iniustus, qui iniuriam facit, cum comparationem rationum, aut æqualitatem transgreditur. Pari modo iustus etiam est, cum ius agit electione. Ius autem agit, si solum sua sponte agit. Eorum autem, quæ ab inuitis sunt, alia sunt venia digna. Nam ea, quæ non solum ignorantes, sed ob ignorantiam etiam faciunt, ignoscenda sunt. Sed ea, quæ faciunt non ob ignorantiam, sed ignorantes quidem, ob affectum non naturalem, neque humanum, non sunt venia digna.



Mbiget autem quisquam si determinatum sit satis, de faciendo, patienti dōque iniuriam. Atque si ita sit, ut Euripides inquit, absurdè dicens:

Quæris parentem quomodo occidi meam? Sermo est breuis, non exitus longos habet.

Volens volentem, vel volentem, non volens. Verum enim re vera sua sponte quisquam iniuriam patitur, an nemo, sed omnes inuiti, quem admodum & omnes, qui iniuriā agunt, sua faciunt sponte? Et utrū omnes hoc modo, an quidam sponte, quidam inuiti? Similiter & cum patiuntur homines ius: nam omnes, cum ius agunt, sua faciunt sponte. Quare consentaneum est rationi, similiter opponi eos, qui iniuriam, & qui ius patiuntur, ut aut sponte patiantur, aut inuiti. At absurdum videbitur, si omnes etiam ius pati sua sponte dixerimus. Nonnulli namque non sua sponte ius patiuntur. Enimvero de hoc quoque, quisquam dubitauerit, si omnis, qui passus est iniustū, iniuriam patitur. An ut in agendo, sic & in patiēdo res sese habet. Etenim fit ut ad utrumque per accidens, ipsa iusta accommodentur: & eodē modo iniusta. Non enim est idem iniusta agere, & iniurias agere, neque iniusta pati, & iniurias pati. Similiter & in agendo, patiendōque ius. Fieri enim non potest ut patiatur quisquam iniuriam, nisi quis iniuriam faciat: aut ius patiatur, nisi ius quisquam agat. Quod si simpliciter iniuriam facere, sit sua sponte quempiam lædere: & id ipsum, sponte, inquam, lædere, sit lædere scientem, & quem, & quo, atque quo modo: inconueniens autem ipse, sibi sua noceat sponte, ipse mirum iniuriam patitur sua sponte: fierique potest ut sibi ipsi iniuriam faciat. Atque hoc etiam ipsum, vnum quid est eorum, quæ dubitantur: si fieri, inquam, possit, ut sibi ipsi quisquam iniuriā faciat. Præterea fit, ut sua sponte quisquam ob incontinentiam ab alio sponte nocente lædatur. Quare fit, ut sua sponte aliquis iniuriam patitur. An definitio dicta non rectè sese habet: sed huic, lædere, inquam, scientem, & quem, & quo, atque quo modo, hoc est addendum, præter illius voluntatem. Læditur igitur aliquis sua sponte, patiturque iniusta. Sed iniuriā sua sponte patitur nemo: nemo namque vult. Neque incontinens ipse, sed præter voluntatem agit. Neque enim vllus id vult, quod non existimat esse bonū. Incontinens autem id agit, quod non putat esse agendū. Qui verò dat sua, quemadmodum arma Diomedis Claucus dedit, ut dicit homerus, Iliad. 3.

Prōque nouem centū, pro ferro tradidit aurū. Is iniuriam non patitur. Dare namque est collocatum in ipso. Sed ut iniuriam patiatur non est in potestate ipsius situm, sed is fit, qui iniuriam agat, oportet. Patet igitur sua sponte neminem iniuriā pati. Insuper ex iis, quæ proposuimus, hæc duo restant deinceps dicenda, vter iniuriā faciat, isne, qui plus præter dignitatem tribuit, an is, qui illud habet? Et si fieri possit, ut sibi ipsi quisquam iniuriam faciat? Etenim si sit illud, quod prius est dictum, & qui distribuit, non qui plus habet,

habet, iniuriā faciat, si quispiā plus alii, quam sibi tribuat sciens, sponteque: quod quidē moderati homines faciunt (bonus enim, & æquus minora sibi tribuere solet) is profectō sibi ipsi iniuriam facit. An neque hoc simplex est? Ex alio nanque bono plus fortè consequitur: ut gloriā, aut absolute honestū. Soluitur præterea & per definitionem agendi iniuriā. nihil enim ipse præter suā patitur voluntatem. Quare non iniuriā patitur ob id ipsum, sed si minus capit, læditur tantum.

Patet autem & distribuentē iniuriā agere, sed non eum semper, qui plus habet. Non enim is iniuriā facit, cui inest iniustum, sed is, cui potestas inest id faciendi sponte. Hæc autem est, unde est principium actus: quod quidē in ipso est distribuyente, non in accipiente. Præterea, cum facere multis dicatur modis, & modo quodam expertia animæ, & manus, & seruus occidat heroi iubente: iniuriam quidem non agit, iniusta autem facit. Insuper si iudicauit ignorans, non iniuriam facit legitimo iusto, nec est iniustū iudicium. Est tamen aliquo modo iniustū. Aliud enim est legitimū iustum, aliud primum, & naturale. Sin verò cognoscens iudicauit iniuste, plus habet, & ipse vel gratiam, vel vindictā. Perinde igitur & is, qui ob hæc iudicauit iniuste plus habet, atque si quisquam acceperit iniuriæ partem. Nam in illis, qui fundum peruerso iudicio tribuit, non fundū cepit, sed argentū. Atqui putant homines in se ipsis esse situm, iniurias facere. Quapropter & iniustum esse facile arbitrantur. hoc autem non ita sese habet. Coire namque eū vxore vicini, & pulsare proximū, dareque argentum manu facile est, & collocatur in ipsis. Sed hæc agere sic se habentes, neque facile est, neque in ipsis est situm. Simili modo cognoscere iusta atque iniusta nullam sapientiam esse putant, propterea quod non est difficile ea, de quibus leges dicunt, intelligere. At non hæc sunt ipsa iusta, nisi per accidens. Sed tunc sunt iusta, cum quodā aguntur modo, & quodam distribuuntur modo. Id autem difficilius est, quam ea, quæ sanitate efficiunt, scire. Et ibi namque mel, vinū, veratrum, adustionē, incisionēve scire per facile sanè est. Sed quonam modo ad sanitatem efficiendam, & cui, & quādo sint tribuenda, tanta est difficultas scire, quanta est medicum esse. Ob id autē ipsum, & iusti non minus esse putant iniuriā facere, quia vir iustus non minus, sed etiā magis horum singula facere potest: vitare, inquam, vxorem cuiuspiam, & pulsare aliquem, & vir fortis in acie proicere clypeum, tergisque versus fugam arripere. At timidè agere, & iniuriam facere, non est hæc facere nisi per accidens, sed sic se habentē hæc facere. Quemadmodum & mederi, atque curare, non est incidere, vel non incidere, aut medicamenta dare, aut non dare, sed hoc modo sese habentē hæc agere. Iusta autē in iis sunt, qui participes sunt eorum, quæ sunt simpliciter bona. Habent autē & exuperationem in his, & defectū. Nam quibusdā non est ipsorum exuperatio, ut diis fortasse: quibusdā verò nulla pars est utilis, incurabilibus, inquam, malis, sed omnia nocent: quibusdā autem vsque ad ali-

quem terminum. atque hoc est humanum.

De æquitate, & bonitate, æquo, & bono. Cap. X.



Einceptum dicendum est de æquitate, & bonitate, atque æquo, & bono, quonā modo sese habet, æquitas quidem, & bonitas ad iustitiam, æquum autē, & bonū ad iustū. Nam cōsiderantibus neque simpliciter idem, neque genere diuersum esse videtur.

Atque interdū laudamus æquū & bonū, virūque talem. Quare & ad alia laudantes transferimus pro bono, ipsum æquius declarantes melius esse. Interdū rationē sequentibus absurdum videtur, si æquum, & bonū (si sit quid præter iustum) laudabile sit. Nam aut iustum non est studiosum, aut æquum, & bonū, si aliud sit à iusto: aut idē sunt, si utrumque est studiosum. Hæc igitur dubitatio ob ea ferè, quæ dicta sunt, nascitur de ipso æquo & bono. Rectè autem aliquo modo sese habent omnia, & nihil prorsus ipsis aduersatur. Nam æquū, & bonū iustum est, & est aliquo iusto melius, & non ut aliquod aliud genus, melius est ipso iusto. Idem est ergo iustū, atque æquū, & bonum. Et utrumque quidē est studiosum: præstabilius autē est ipsum æquū, & bonum. Fit autē hæc dubitatio, quia æquū, & bonū iustū quidem est, non autē lege, sed emendatio legitimi iusti. Causa autē est, quia lex quidem omnis vniuersalis est. Fieri autē non potest, ut de quibusdā vniuersaliter rectè dicatur. In quibus igitur vniuersaliter quidem dicere necesse est, fieri autē non potest ut rectè dicatur. In iis lex id accipit quod fit plerumque, non ignorans peccatū. Et est nihilominus recta. Peccatū enim non est in lege, nec in legislatore, sed in ipsa rei natura. Cōtinuō namque rerū earum, quæ sub actionē cadunt, materia talis est. Cū igitur lex quidē vniuersaliter loquitur, in his autē præter vniuersale quippiā accidit, tum rectè sese habet, ut ea parte, qua legislator omisit, atque peccauit absolute locutus, emendetur defectus. Quod & ipse legislator si adesset, hoc modo dixisset: & si sciisset, iubētē legē tulisset. Quapropter iustum quidē est, & præstabilius aliquo iusto, non tamen simpliciter iusto, sed eo quod peccat, propterea quod simpliciter dictū est. Atque hæc est natura ipsius æqui & boni. Emendatio legis ea ex parte, qua deficit ob vniuersale. Hæc enim est causa, & ut non omnia sint lege: quia de quibusdā impossibile est ponere legē. Quare decreto est opus. Indefinita namque rei indefinita & regula est: sicut & adificationis Lesbæ plumbea norma. Ad lapidis enim figuram mutatur, & non manet. Et decretū ad res ipsas simili modo. Patet igitur quid est æquum & bonum, & esse iustū, & quo iusto præstabilius. Ex quo etiam patet & quisnam sit homo bonus & æquus: est enim is, qui talia eligit, & agit, & qui non exactè iustum in deteriore exequitur partem, sed imminuit, tametsi legem adiutricem ad illud habet. Et habitus hic æquitas, & bonitas dicitur. quæ quidem iustitia quædam est, & non alius quisquam habitus.

PAtet autem ex iis, quæ diximus, si fieri possit ut sibi ipsi quispiam iniuriã faciat necne. Iusta enim quædam ex omni virtute à lege sunt ordinata. ut lex non iubet se ipsum quenquam occidere: quæ verò non iubet, verat. Præterea cum quispiam cõtra legem lædit non lacepsitus, tum is iniuriam sponte facit. Sponte autem is iniuriam facit, qui scit & eum, cui facit, & modum, quo facit. At qui se ipsum ob iram occidit, sponte id, quod lex non permittit, contra legem efficit rectam, iniuriam ergo facit. Sed cuius, quæso, an ciuitati, non sibi ipsi? nam sua patitur sponte: nemo verò sponte iniuriam patitur. Quapropter & ciuitas mulctat: & instituta est ignominia quædam aduersus eum, qui sibi mortẽ consciuit, ut ciuitati iniuriam facientem. Præterea, fieri non potest ut sibi ipsi quisquam iniuriam faciat ea ratione, qua iniustus est, qui solum iniuriã facit, & non omnino est vitiosus. Hic enim differt ab illo. Homo nanq; iniustus est modo quodam, sic prauus, ut ipse timidus, non ut totam habens prauitatem: quare ne hac iniustitia sibi ipsi quisquã iniuriam facit. Nam idem simul ablatum ab aliquo, ac eidem additum esset, quod fieri nequit. Sed semper inter plures iustum atque iniustum esse necesse est. Præterea, qui iniuriam facit, sponte agit, & electione, & prior. Qui nanque læsus idem vicissim facit, iniuriam facere non videtur: ipse autem simul eadem patitur, sibiq; facit. Præterea, sua sponte quispiã iniuriam pateretur. Insuper sine singulis iniuriis, iniuriam facit nemo. At nemo

adulterium sua cum vxore committit: nemo parietem confodit suum: nemo res suas furatur. Omnino autem hoc, sibi, inquam, iniuriam facere, soluitur definitione iniuriam patendi, Sua nanqua sponte patitur iniuriam nemo.

At verò constat, vtrunque prauum esse, facere, inquam, iniuriam, atque pati. Alterum enim est, plus, alterum minus habere medio. Quod quidẽ perinde sese habet, atq; in medicina quidem, quod ad sanitatem: in exercendi autem arte, quod ad habitudinem corporis bonam conducit. Peius tamen est, iniuriam facere. Hoc enim cum vitio est, atque vituperatur. Et vitio vel perfecto, & simpliciter, vel propè. Non enim omne, quod sponte fit, cum iniustitia est: sed pati iniuriam, sine vitio, & iniustitia est. Pati igitur iniuriam per se quidem minus est malum, per accidens autem nihil prohibet maius esse malum. At non curæ est arti. Sed dolorem lateris maiorem morbum, quàm pedis offensioem esse dicit. Quamquã fieri potest nonnunquam contrà per accidens, si euenerit ut quispiã offenso pede caperetur ab hoste, & trucidaretur. Atqui per translationem, atque similitudinem est iustum non sibi ad seipsum, sed suorum quibusdam. Non omne autem iustum, sed herile, vel rei familiaris. His enim rationibus distat ea pars animæ, quæ rationẽ habet, ab ea parte, quæ est rationis experta. Ad quas inspiciẽtib; ad se ipsum iniustitia esse videtur: propterea quòd in his est pati aliquid contra suas appetitiones. Vt igitur est quid iustum magistratum gerenti, & quibus ipse præest, sic & his etiã esse videtur. Sed de iustitia quidem, cæterisque morum virtutibus, hoc sit modo determinatũ,

ARISTOTELIS STAGIRITÆ ETHICORUM AD NICOMACHUM LIBER SEXTUS,

Ioanne Argyropylo Byzantio Interprete.

ARGUMENTVM LIBRI.

SExtus hæc: de recta ratione: de duplici virtute: de partibus animæ, & de principiis agendi: de electione: de quintuplici habitu intellectus: de scientia: de arte: de prudentia, & quid sit: de intellectu: de sapientia: de partibus prudentiæ: de bona cõsultatione: de sagacitate: de sententiã: ad quid sapietia, & prudentia proficiunt: de insita virtute: de conexione virtutum, ac prudentiã.

De recta ratione, duplici virtute, & partibus animæ.

Cap. I.

Medium autem antea dictum sit, medium expetendum esse, non id, quod nimium est, atque parum, & medium perinde sese habeat,

atque recta ratio dicat: hoc ipsum deinceps diuidamus oportet. In omnibus enim dictis habitibus, quemadmodum & in cæteris, est quoddam signum, ad quod is inspiciens, qui rationem habet, intendit, atque remittit. Estque quidam terminus mediocritatũ, quas inter exuperationem defectumq; dicimus esse, ita sese habentes ut recta ratio statuit. Atque sermo talis est quidẽ verus, non tamen dilucidus. Nam & in quauis opera, atq; cura, circa quam versatur scientia, verum est dicere, neq; nimium, neq; parum esse elaborandum, vel quiescendum, sed mediocriter, & ut ratio recta præscribit. At qui hoc tantum habet, nihil plus scierit: ut si quispiã dixerit, ea esse corpori afferenda, quæ medicina, & ut is, qui hanc habet scientiam, iubet. Quapropter & circa habitus animi non modo

verè

verè hoc dictum esse oportet, sed etiam determinatum quænam sit ipsa ratio recta, & quæ eius sit definitio. Virtutes itaque animæ superioribus in locis diuisimus, & alias moris, alias mentis diximus esse. Atque de moris quidem virtutibus iam transegimus. De reliquis verò dicamus oportet, prius hisce de anima declaratis. Duas igitur esse animæ partes antea diximus. Eam, quæ rationis est particeps, & eã, quæ eiusdem est experta. Nunc autem identidem pars ea, quæ rationem habet, est diuidenda. Atq; sit suppositum, duas esse partes, quæ sunt participes rationis: vnã, qua contemplamur ea, quorũ principia, ut aliter sese habeant, minimè fieri potest: alteram, qua perspicimus ea, quæ aliter sese habere possunt. Eã nanque animæ partes diuersæ sunt genere, quæ sunt aptæ ad res eas cognoscendas, quæ genere differunt. Siquidem ipsis inest rerum cognitio similitudine quadam, atq; accommodatione. Atq; harum altera, vis sciendi: altera, vis subducendi rationẽ, vocetur. Conscultare nanque, rationemq; subducere, eadem possunt. Nemo autem de iis rebus consultat, quæ aliter sese habere non possunt. Quare vis subducendi rationem, vna pars eius partis est animæ, quæ rationis est particeps. Sumendum est igitur quisnam vtriusque sit optimus habitus. Hic enim vtriusque est virtus. virtus autem est ad proprium opus.

De principiis agendi. Cap. II.

Ria autem sunt in anima, quæ habentur agendi, veritatũque principia: Sensus, intellectus, appetitus. Atque sensus, nullius est principium actus. quod quidem ex eo patet, quia belluæ sensus quidem habent, actionis autem sunt expertes. Est autem id in appetitu perfectio, atque fuga, quod est affirmatio, negatioque in mente. Quare cum moris quidem virtus, habitus sit electiuus, electio verò appetitus deliberatiuus, ob hæc ipsa & rationem veram, & appetitũ rectum esse oportet, si electio sit studiosa, atq; eadem, illam quidem dicere, hũc autem persequi. Hæc igitur mens, atque veritas actiua est. Mentis autem eius (quæ contemplandi, non agendi, neq; faciendi principium est) bonum, ac malũ, verum est, atque falsum. Hoc enim mentis est omnis, opus: sed actiuæ mentis veritas est cõsentanea appetitui recto. Electio igitur actus principium est, vnde est motus, sed non id, gratia cuius. Appetitus autem, eaque ratio, quæ alicuius est gratia, electionis principium est. Idcirco neq; sine intellectu, menteq; neque sine habitu moris est ipsa electio. Sine nanque mente, atq; more non est actio bona, nec item contraria. Mens autem ipsa nihil mouet, sed ea, quæ alicuius est gratia, & actiua. Hæc enim & effectrici menti præest. Nam omnis, qui facit, gratia huius facit, & non est simpliciter finis, sed ad aliquid: & alicuius id, quod efficitur, sed non id, quod agitur. Ipsa nanque bona actio, finis est, & huius est appetitus. Quapropter electio, vel intellectus est appetitiuus, vel appetitus intellectiuus: & tale

principium est homo. Nulla autem res facta, est eligibilis. Nemo enim eligit Ilium expugnatum se: neque enim de eo quisquam consultat, quod factum est, sed de futuro, ac contingente. factum autem non contingit non factum esse. Quapropter rectè Agatho dixit:

Hoc etiam ipse Deus, solõq; carere videtur, Infectũ ut faciat, quod factũ est, atq; peractũ. Opus igitur vtriusq; partis intellectiuæ, veritas est. Quare quibus habitibus maximè pars vtraque verum dicit, ii sunt ambarum virtutes.

Habituum intellectualium enumeratio, quòd sit scientiæ obiectum, & quæ proprietates.

Cap. III.

DE ipsis igitur rursus dicamus oportet, altiũs initio sumpto. Sint itaque ea, quibus verũ anima dicit affirmando, aut negando, numero quinque. Hæc autem sunt, ars, scientia, prudentia, sapientia, intellectus. Fieri enim potest, ut falsum existimatione, opinionemq; dicat. Scientia igitur quidnam sit, hinc perspicuum est, si exactè dicere oportet, & non similitudines sequi. Omnes enim putamus id, quod scimus, aliter sese habere non posse. Quæ verò possunt aliter se habere, post contemplationem latent si sint, an non sint. Ipsum ergo scibile necessariò est: ergo est æternũ. Quæ enim necessariò simpliciter sunt, æterna sunt omnia. At æterna, ingenita, & incorruptibilia sunt. Præterea, omnis scientia doceri, & scibile disci posse videtur. At ex antea notis (ut in resolutiuis etiã diximus) sit omnis doctrina. Nam alia per inductionem, alia per ratiocinationem efficitur. Atq; inductio quidem principium est ipsius vniuersalis. Ratiocinatio autem est ex vniuersalibus. Sunt enim principia, ex quibus ipsa ratiocinatio constat, quorũ non est ratiocinatio: ergo inductio. Scientia ergo demonstratiuus est habitus: & cætera, quæ in resolutiuis determinauimus. Tum enim quispiam scit, cum aliquo modo credit, & sunt ipsi principia nota, si enim non sint magis, quàm conclusio, nota, per accidens habebit scientiam. De scientia igitur sit hoc modo determinatum.

De arte. Cap. IIII.

Eorum autem, quæ aliter sese habere possunt, est, & aliquid, quod sub effectione, & aliquid, quod sub actione cadit. Diuersa verò sunt effectio, atq; actus. De his autem ipsis, & exterioribus sermonibus credimus. Quare & habitus, qui cum ratione actiuus est, diuersus est ab eo habitu, qui cum ratione est effectiuus, neque alterum ab altero cõtinetur. Neq; enim effectio actus est, neque actus effectio. Atqui cum extruendarum ædium facultas ars quædam sit, ac habitus quidam faciendi cũ ratione, nullaq; sit ars, quæ nõ sit habitus faciendi cum ratione, nec vllus habitus talis, qui nõ sit ars, sit ut idem sit ars, atq; habitus faciendi vera cum ratione. At verò circa generationẽ ars omnis versatur, & inuentionẽ, contemplationemve, quonam modo fiat eorum aliquid

aliquid, quæ & esse, & non esse possunt, & quorum principium non in eo quod efficitur, sed in ipso est faciente. Nam neq; eorū, quæ necessariō sunt, vel fiunt, est ars, neq; eorum, quæ sunt secundum naturam. Hæc enim in se ipsis habent principium ipsum. Cū autem effectio, atq; actus diuersa sint, artem effectiois esse, non actus, necesse est. Atque circa eadem quodam modo versatur ars, & Fortuna, quemadmodum & Agatho dicit:

Quippe ars fortunā, fortunāq; diligit artem. Ars igitur (vt diximus) habitus est quidam faciendi, vera cum ratione. Contrarium autem artis habitus est faciendi, falsa cum ratione, circa id, quod sese aliter habere potest.

De Prudentia. Cap. V.



DE prudentia verò quænam sit percipiemus, si cōtemplabimur quosnam ipsos prudentes dicimus esse. Videtur itaq; prudentis esse, bene consulere posse circa ea, quæ sibi sunt bona, ac profunt, non aliqua ex parte, vt quænam ad sanitatem, vel vires, sed quæ ad bene viuendū omnino conducant. Argumēto est id ita esse, eos etiā qui circa aliquid versantur, prudentes dici, cū bene ad finem studiosum aliquē, excogitauerint ea, quorū nulla est ars. Quare & omnino prudens is est, qui ad consultandū est aptus. Consultat autem de iis nemo, quæ aliter sese habere non possunt, aut de iis, quæ ipse agere nequit.

Quare si scientia quidem est cum demonstratione, (quorum autem principia aliter sese habere possunt, eorū non est demonstratio: cuncta enim & aliter sese habere possunt) neq; de iis, quæ sunt necessariō, consultatio fieri potest: ipsa prudentia profectō, neq; scientia, neq; ars esse potest. Scientia quidem, quia quod sub actionē cadit, aliter sese habere potest. Ars autē, quod aliud actionis, aliud affectionis est genus. Restat ergo, habitū ipsam esse agendi vera cum ratione, circa ea, quæ sunt bona homini, atq; mala. Finis enim effectiois, est quid aliud præter ipsam effectiois: actionis verò non semper. Est enim ipsa bona actio finis. Quocirca Periclē, & viros tales arbitramur esse prudentes, quia quæ sibi ipsis, & quæ cæteris hominibus sunt bona, perspicere possunt. Esse autē eos tales putamus, qui ad rem familiarē, atq; ad Rempublicā administrandā sunt apti. Vnde & temperantiā, conseruatricē prudentiæ appellamus. Conseruat autē talem existimationem. Voluptas enim, & dolor, non omnem existimationem corrumpit, atq; peruertit. non enim hanc, triangulum tres angulos æquales duobus rectis habere: sed eas quæ circa id habentur, quod cadit in actionem. Nam principium quidem rerum agendarū id est, gratia cuius sunt ipsæ: ei verò, qui corruptus est ob voluptatem, aut dolorem, continuo non videtur principium ipsum, nec huius gratia, ac propter hoc ipsum, expetēda esse vniuersa atq; agēda. Vitium enim, principii corruptiuum est. Quare prudentiam habitū esse agendi circa humana bona, vera cum ratione necesse est. At

verò artis quidem est virtus, prudentiæ verò non est. Et in arte quidem, qui sua sponte peccat, magis est expetendus: circa verò prudentiam, minus: quemadmodum & circa virtutes. Patet igitur, prudentiam virtutem quandā esse, non artem. Cū autem duæ sint animæ partes rationem habētes, alterius erit ipsa prudentia virtus, ipsius, inquam, opinatiōis: nam & opinatio circa id versatur, quod aliter sese habere potest, & prudentia ipsa. Atqui neq; habitus est cum ratione solūm. Huius autē indicium est, talis quidem habitus obliuionē esse, prudentiæ verò non esse.

De Intellectu. Cap. VI.



Sicut autem scientia existimatio sit de vniuersalibus, & iis, quæ necessariō sunt, sintq; demonstrabiliū, scientiæq; omnis principia (est enim ipsa scientia cum ratione principii rei scibilis) nec est scientia, nec ars, nec prudentia. Scientia, quia ipsum scibile, demonstrabile est. Ars, & prudentia, quia in iis versantur, quæ sese aliter habere possunt. At neque sapientia est. Est enim sapientis, de quibusdā demonstrationē habere. Quod si ea quidē, quibus verū dicimus, & nunquam falsum in iis, quæ possunt, aut nō possunt aliter sese habere, hæc sunt, scientia, prudentia, sapientia, intellectus. Horum autem trium habituum nullus esse potest: atque tres dico, prudentiam, scientiam, sapientiam. Restat intellectum esse principiorum.

De Sapientia. Cap. VII.



Sapientiam autem in artibus iis tribuimus, qui in ipsis sunt exactissimi. Phidiam enim sapientē sculptorem lapidum dicimus, & Polycletum, statuariū itidē sapientē. Atq; hīc per sapientiam nil aliud intelligimus, quàm ipsius artis virtutē. At quosdā etiam esse sapientes omnino, nō aliqua ex parte, nec aliquid aliud, quàm sapientes arbitramur, vt in Margite dixit Homerus

Diuū is munere, nec fossor, nec durus arator, Nec sapiens alia vlla nimirum extitit arte. Quare constat exactissimā scientiarum ipsam sapientiam esse. Sapientem ergo non solūm ea scire, quæ ex principiis cognoscuntur, sed etiā circa principia dicere vera oportet. Quare sapientia, intellectus est, & scientia, & (vt caput habens) scientia rerum earum quæ summis asferuntur honoribus. Per absurdum est enim si quispiam facultatem ciuilem, aut prudentiā studiosissimam esse putet, si non sit homo eorū optimum, quæ sunt in Mundo. Quod si salubre quidem, ac bonum aliud est hominibus, aliud piis scibus, album autem, & rectum semper est idem, & sapiens omnes idem profectō, prudens verò diuersum dixerint esse. Quod enim circa se ipsum rectē singula perspicit, id prudentiam habere dixerint, & huic ipsa cōmiserint. Quapropter & nonnullas belluas prudentiam habere dicunt, quæcunq; in sua vita prouidendi vim habere videntur. Constat autem, eandem nō esse sapientiam, & facultatem ciuilem. Nam si eam facultatem sapientiam esse dicent, quæ circa contem-

moda propria versatur, multæ sanè sapientiæ erunt. Non enim vna circa omnium animalium bonū, sed alia, atq; alia circa vnumquodq; versatur, nisi de omnibus, quæ sunt, vna sit & facultas medendi. Quod si homo præstantissimū esse cæterorum animalium diceretur, nil refert. Etenim homine sunt alia longè diuina natura: vt ea manifestissimè, ex quibus ipse constitit Mundus. Patet igitur ex iis, quæ diximus, sapientiam scientiam esse, & intellectum eorum, quæ honorabilissima sunt natura. Quapropter Anaxagoram, & Thalem, & similes, sapientes quidem, at non prudentes inquirunt esse, cū vident ipsos propria cōmoda ignorare. Et superflua quidem, & admiranda, & difficilia cognitu, diuināq; scire ipsos: sed inutilia dicunt, quia nō quærunt bona humana. Prudentia autem circa humana versatur, & in quibus habet consultatio locum. Prudentis enim hoc maximè opus dicimus esse, bene, inquam, cōsultare. Consultat autem de iis nemo, quæ aliter sese habere non possunt, & quorum non est aliquis finis: atq; is ad bonum agendum. Is autē ad bene consulendum est simpliciter aptus, qui coniectura quod est homini optimum eorum, quæ cadunt in actionē, excogitando mente capere potest. Neq; prudentia est vniuersalium solūm, sed singula etiā oportet cognoscere. Est enim actiua: & actio circa singula ipsa versatur. Quapropter & nescientes nonnulli, magis, quàm nonnulli scientes, idonei sunt ad agendum: & in cæteris ii, qui sunt experti. Nam si quispiam sciat leues carnes facile concoqui, ac esse salubres, quæ verò sint leues ignoret, non efficiet sanitatem. Sed qui scit animum carnes leues esse, atque salubres, is efficiet magis. Prudentia autem est actiua. Quare vtraque cognitionem, aut hanc potius habere oportet. Fuerit autem quædam & hæc architecturæ subiens rationem.

De partibus prudentiæ. Cap. VIII.



Atqui ciuilis facultas, & prudentia idem est habitus: esse tamen ipsarum non idem est. Eius autem, quæ in ciuitate versatur, ea quidem, quæ est vt architectura, prudentia, legum est ferendarū facultas. Quæ verò in singulis versatur, ciuilis, nomine communi, vocatur. Hæc autem est actiua, & deliberatiua. Decretum enim in actionem venit vt vltimū. Idcirco rem ciuilem hos solos gerere dicunt. hi nanq; soli agunt pèrinde, atque ii, qui suis manibus artis conficiunt opus. Videtur autem ea maximè prudentia esse, qua sibi ipsi quispiam vni quærunt, ac prospicit bona. Atq; hæc ipso cōmuni nomine prudentia nuncupatur. Illarum autē gubernandæ rei familiaris, alia ferendarum legum facultas, alia ciuilis vocatur: atque huius, alia est deliberatiua, alia iudicialis. Cognitionis igitur quædam species fuerit, ea, quæ bona sunt sibi, scire: sed magnam differentiā habet. Atque qui sciunt ea, quæ sibi ipsi sunt bona, in illisque versantur, prudentes esse videntur: ciuiles autem, negotiosi. Quapropter & Euripides dixit,

Qui nanque prudens sum, negotio sine?

Licebat inter milites cui viuere, Aequamq; partem habere cunctis ex bonis. Quærunt enim quod sibi ipsis est bonū, & hoc arbitrantur esse agendum. Ex hac igitur opinione est ortū, prudentes hos esse. Et tamen proprium vniuscuiusq; bonum, non est fortasse sine rei familiaris gubernatione, atq; ciuilis. Præterea autem, quonam modo sua cuiusq; administranda sit res, non est manifestū, atq; cōsiderandum est. Indicatur id, quod dicitur illo signo. Geometræ enim iuuenes, & mathematici, ac sapientes in talibus fiunt: prudentes autem fieri non videntur. Causa autem est, quod & singularem rerū est ipsa prudentia: quæ quidem per experientiam notæ fiunt. Iuuenis autem non est expertus. Experientiam enim temporis efficit longitudo. Nam & hoc quispiam considerauerit, cur puer mathematicus quidem fieri potest, sapiens autē, aut naturalis nō potest? An quia mathematica quidem per abstractionē, horū verò principia experientia innotescunt? Et hæc quidem adolescentes non credunt, sed dicunt. Illorum autem definitiones non sunt obscuræ. Præterea, peccatum, quod fit in consulendo, aut circa vniuersale, aut circa singulare fieri solet. Ignorare nanque quispiam potest, aut omnes aquas ponderosas esse prauas, aut hanc pōderosam esse. Prudentiam autem non esse scientiā patet: est enim, vt dictum est, ipsius extremi. Tale enim id, quod cadit in actionē: opponitur igitur intellectui. hic enim est terminorum, ratio quorum non est. Hæc autem est vltimi, cuius nō est scientia, sed sensus: non priorum quidem, sed qualis est is, quo sentimus id, quod vltimū in mathematicis est, triangulum esse. Stabitur enim & ibi: sed hīc prudentia magis est, quàm sensus. Illius autem est alia species.

De bona consultatione. Cap. IX.



At verò quærere, ac consultare differunt. Consultare nanq; est aliquid quærere. Oportet autē & bona consultatione quidnā sit accipere: vtrū scientia quædam sit, an opinio, an cōiectatio bona, an aliquod aliud genus. Scientia igitur nō est. Non enim de iis quærunt, quæ sciunt. At bona consultatio, quædam est consultatio: qui verò consultat, quærunt, rationemq; subducit. Atqui neque bona coniectatio est. Ipsa nanq; sine ratione, & citō fit. Ad consultationem verò longum temporis spatium adhibetur. Atque aiunt celeriter quidem deliberata esse agenda, cum mora autem, consulendum. Præterea, diuersa sunt, solertia, & consultatio bona. Solertia verò, bona quædam est coniectatio. Et neque opinio vlla est. Sed cū is, qui malè deliberat, peccet, is autem, qui bene cōsultat, rectè deliberet: constat, bonam consultationem, rectitudinem esse quandam. Non autem scientiæ, neq; opinionis. Scientiæ nanq; non est relictio, quippe cū neque peccatum sit. Opinioni verò relictio, veritas est. Et insuper determinatum iam est id omne, cuius est opinio. At verò

verò neq; sine ratione est ipsa cōsultatio bona: deficit ergo à mente. Hæc enim nondum est enuntiatio. Etenim opinatio, non inquisitio, sed quædam iam enuntiatio est. Qui verò cōsultat, siue bene, siue malè cōsulet, quærit aliquid, rationemq; subducit. Sed ipsa cōsultatio bona, cōsiliū quædam est rectitudo. Quapropter quærendum est primùm quidnam sit cōsiliū, & circa quid ipsum versetur. Cùm verò multipliciter rectitudo dicatur, cōstat, non omnem rectitudinem, bonam cōsultationem esse. Incontinentens enim, & prauus, id quod videre proponit, attinger, cogitādo, rationemq; subducendo. Quare rectè quidem cōsultabit: malum autem magnum, existimabit. Bene verò cōsultasse, bonum quoddam esse constat. Talis enim rectitudo cōsiliū, qua bonum quispiā assequi potest, bona est cōsultatio. At potest quispiam & hoc ratiocinatione falsa attingere, atque id quidem, quod facere oportet, assequi, non autem per quod oportet, sed falsus medius terminus esse potest. Quare nec ipsa bona est cōsultatio, qua quispiam adipiscitur id, quod oportet, non tamen per quod oporteret. Præterea, fieri potest, ut alius longo deliberans tempore id cōsultatur, alius citò. Igitur nec illa bona est cōsultatio. Sed eadem rectitudo bona est cōsultatio, qua quispiam ratione conducentis assequitur quod oportet, & ut oportet, & cùm oportet.

Insuper fit ut & absolute quispiam bene cōsulet, & ad aliquem finem. Atq; bona quidem cōsultatio absolute est ea, qua ad eum finem, qui est absolute finis, pergitur rectè: quædam autem ea, qua ad aliquem finem. Quod si bene cōsultare prudētium est, cōsultatio bona rectitudo est, qua ratione conferentis ad aliquem pergitur finem, cuius ipsa prudentia est existimatio vera.

De sagacitate. Cap. X.



St autem & ipsa sagacitas, cui contrarium est hebetudo, quibus sagaces dicimus, ac hebetes, nec idem omnino, quod scientia, aut opinio, (omnes enim scientes, vel opinantes, sagaces essent) nec vna quædam sciētia: ut aut medicina de sanis, aut geometria circa magnitudines. Neque enim de iis est, quæ sunt semper, & non mouentur: neque de iis, quæ à quouis fiunt, sed de quibus dubitauerit quispiam, aut cōsultauerit. Quapropter est quidem de iis, circa quæ versatur prudentia. Non est autem idem sagacitas, & prudentia. Prudētia nanque præceptiua est. Finis enim ipsius est, quidnam sit agendum, aut non agendum, præcipere. Sagacitas autem, vis iudicandi duntaxat. Idem est enim sagacitas, & bona intelligentia: quippe cùm sagaces sunt & boni intelligentes. Neque autem habere, neque accipere prudentiam, est ipsa sagacitas: sed in opinationis vsu ad ea bene iudicanda, de quibus est prudentia, alio dicente consistit: sitq; hic perinde, atque cùm discipulus ea discit, ac comprehendit, quæ à scientiam tradente præcipiuntur.

ταυτὸ δὲ ἐστὶν
νεὴς καὶ δι-
ξύνεσις. καὶ
δὲ οἱ συνέλοι,
καὶ δὲ οὐνε-
τοί

De sententia. Cap. XI.



A verò, quæ vocatur sententia, qua bene sentientes homines dicimus, sententiāq; habere, iudicium est rectum æqui, & boni viri. Cuius hoc iudicium est. Bonum enim, & æquum virum, ad ignoscendum procliuem dicimus esse: & veniā in aliquibus dare, bonum & æquum esse. At venia, sententia est iudicatiua, recta, æqui, & boni viri. Recta autem est ea, quæ est ipsius veracis.

Omnes autem habitus non sine ratione ad idem tendunt. Nam sententiam, sagacitatem, prudentiam, & mentem ad eisdem afferentes, prudentes illos, atque sagaces, & sententiam habere, mentemque dicimus. Omnes enim hæc potentia, extremorum sunt, ac singularium. Atq; idem ea ratione, qua est idoneus ad ea iudicanda, de quibus est prudens, sagax est, beneq; sentiens, aut ad dandam veniam aptus. Bona enim, & æqua, omnibus sunt communia bonis, ea ratione, qua ad alium tendunt. Sunt autem singularia, & extrema ea omnia, quæ agi possunt. Et prudentem oportet ipsa cognoscere. Et sagacitas, & sentētia circa hæc ipsa versantur. Hæc autem sunt extrema. Et intellectus extremorum est ad partem vtranque. Etenim primorum terminorum, ac extremorum intellectus est, & non ratio. Is quidem ad demonstrationes atinet immobilium terminorum, atque primorum. Is autem, qui in agendis rebus versatur, extremi & contingentis, atque alterius propositionis. Hæc enim principia sunt eius, gratia cuius. Ex singulis enim oritur ipsum vniuersale. Horum igitur sensum habere oportet. hic autem est intellectus. Quapropter & naturalia hæc esse videntur. Atque sapiens quidem natura est nemo, sententiam autem habet, & sagacitatem, & intellectum natura. Signum autem est, nos hæc etiam ætates sequi putare: atque hæc ætas intellectum, & sententiam habet, tanquam causa sit ipsa natura. Quocirca principium & finis est intellectus. Ex his enim & de his, ipsæ demonstrationes efficiuntur. Quare non minus eorum, qui sunt experti, & seniorum, vel prudentium & demonstrabilibus sententiis, opinionibusque, quam ipsis demonstrationibus, metem adhibere oportet. Quia nanque iam experientia visum habent, principia ipsa cernunt. Quid igitur prudentia, & sapientia est, & in quibus vtraque versatur, & diuersarum animæ partium vtranque virtutem esse, iam diximus.

De utilitate sapientie, atq; prudētia. Cap. XII.



Vbitauerit autem quispiā ad quidnam habitus hi sunt vtilis. Nam sapientia quidem nihil eorū contēplatur, ex quibus fuerit homo felix: nullius enim est generationis. Prudentia autem hoc quidem habet. Sed cuiusnam gratia opus est ipsa? si prudentia quidem est ea, quæ circa iusta, & honesta, bonaque homini versatur, hæc autem sunt ea, quæ viri boni est agere, atq; ipsa sciendo, non magis ad agendū nos sumus idonei. Si quidem virtutes sunt habitus. Quemad-

ponendus
prudens.

Quemadmodum nec ea sana, quæ non efficiunt bonā corporis habitudinem, sed ab ipsa proueniunt: non enim apti sumus ad hæc agenda, mendendi artem, aut exercendorum corporū facultatem habendo. Quod si non horum gratia sit proponenda prudentia, sed ut studiosi homines fiant, iis non fuerit vtilis sanè, qui iam sunt studiosi. At nec etiam iis, qui studiosi non sunt. Nihil enim refert siue ipsi habeant, siue aliis habitibus pareant. Atque hoc satis est nobis, quemadmodum & in sanitate. Nam & si valere volumus, medicinam tamen non discimus. Insuper absurdum sanè videbitur, si prudentia, quæ quidem est inferior sapientia, sit magis domina, quàm ipsa, magisq; princeps. Nam ea, quæ agit, dominatur in singulis, atq; iubet. De his igitur est dicendum. nunc enim de ipsis dubitauimus tantum. Primùm itaq; dicimus, has expectandas necessariò per se ipsas esse, quippe cùm sint partium vtrarumq; virtutes, etiam si neutra ipsarum quicquam efficiat. Deinde & faciunt quidem. An non ut medicina sanitatem: sed ut sanitas, sic sapientia felicitatem. Nam cùm sit pars totius virtutis, felicem efficit, ex eo quia habetur, ac operatur. Præterea, opus ipsum, & per prudentiam, & per virtutem moris efficitur. Etenim virtus quidem propositum ipsum efficit rectum: prudentia autem ea, quæ in illud perducunt. Quare autem partis animæ, quæ quidem est principium vegetandi, nulla est talis virtus: quippe cùm in ipsa sit agere, aut non agere situm. De eo verò, quod dictum est, non esse magis aptos ob prudentiam homines ad honesta, iustaq; agenda, paulò altius incipiendum est, hoc principio sumpto. Nam ut & iusta agentes, quosdam nondū iustos esse dicimus, ut eos, qui faciunt ea, quæ legibus sunt instituta, inuiti, vel ob ignorationem, vel ob aliquid aliud, & non ob ipsa: & si agunt ea, quæ oportet, & quod virum oportet agere studiosum, sic (ut videtur) agere singula vnumquenq; oportet modo quodam affectum, ut sit homo bonus, ob electionem, inquam, & ipsorum gratia, quæ aguntur. Electionem igitur rectam efficit virtus. Sed ea, quæ illius gratia sunt agenda, non sunt ipsius virtutis, sed ad aliam potentiam spectant. Dicendum autem de ipsis dilucidius est. Est igitur quædam potentia, quam habilitatem vocat. Hæc talis est, ut ea possit agere, atque attingere, quæ ad suppositam intentionem conducunt. Si igitur propositum sit honestum, laudabilis est: si improbum, versutia est. Quapropter & ipsos prudentes habiles, & versutos dicimus esse. Ipsa verò prudentia non est quidem hæc dicta potētia: non tamen est sine ipsa. Habitus autē ipse huic oculo imprimatur animæ. Neque absque virtute, sicut diximus, atque constat. Ratiocinationes enim agendarum rerum principium habent, cùm talis sit ipse finis, & ipsum optimum, quicquid tandem sit illud. Sit autem, verbi gratia, quiduis: hoc autem non nisi bono viro videtur. Præterea enim peruerterit, facitq; ut circa principia rerum agendarum homo fallatur. Quare patet, prudentem neminē esse posse, nisi sit bonus.

*De natua virtute, virtutum, ac prudentie con-
nexione. Cap. XIII.*



Onsiderandum est iterū & de virtute. Etenim ut prudētia sese habet ad habilitatem, quæ non est idem, sed simile: sic & propriè virtus sese habet ad naturalē virtutē. Omnibus enim singuli mores inesse quodā modo natura videtur. Etenim & iusti natura, fortesque, atque ad temperantiā nati videmur, cæteraq; continuo habemus ex ipso ortu. Sed esse tamen quærimus aliquid aliud, quod est propriè bonū: & alia modo alio nobis inesse. Pueris enim, ac belluis naturales habitus insunt. At absque mente nocere videntur. Atque ut robusto sit in corpore sine oculis se mouente (errat enim vehemēter ex eo, quia non habet visum) sic & hic accidit. Si verò mentem acceperint, in agendo differt. Atque habitus ille similis, tunc erit propriè virtus. Quare ut in opinatio duæ sunt species, habitus, atque prudentia: sic & in morali sunt duæ, vna naturalis virtus, altera propriè virtus. Atque harum ea, quæ est propriè virtus, non fit sine prudentia. Quapropter, inquit, virtutes omnes, prudentias esse. Et Socrates partim rectè quærebatur, partim peccabat. Peccabat, quia virtutes omnes prudentias esse putabat. Bene dicebat, quod non esse sine prudentia ipas aiebat.

Hoc autem huius indicium est: Etenim nunc omnes, cùm virtutem definiunt, dicentes ipsam habitum esse, & afferentes ea, circa quæ versatur, addunt: Secundum rectam rationem. At recta est ea, quæ est secundum prudentiam. Videntur igitur omnes vaticinari quodam modo, talem habitum esse virtutem, qui est secundū prudentiam. Oportet autē parumper migrare. Est enim is habitus virtus, qui non solum est secundum rationē rectam, sed cum recta etiā ratione. Recta autē de talibus ratio ipsa est sanè prudentia. Socrates igitur virtutes ipsas rationes esse arbitratur. Omnes enim scientias esse dicebat. At nos cū ratione esse censemus. Patet igitur ex dictis, fieri non posse, ut sine prudentia sit homo propriè bonus, & absq; morū virtute prudens. At enim & ea ratio, qua quispiam disseruerit separari virtutes, hinc solui potest. Non enim idē ad omnes suscipiendas aptissimus est ingenio: quare aliā iam accepit, aliā nondū accepit. Hoc enim in naturalibus quidem virtutibus fieri potest. At in iis, quibus absolute dicitur homo bonus, fieri nequit. Etenim cū prudētia, quæ est vna, simul inerunt vniuersæ. Cōstat autē, & prudētia opus esse, etiā si non esset actiua, quia partis est virtus. Et sine prudētia, sineq; virtute, electionem rectā non fore. Altera nāq; finem, altera ea, quæ sunt ad finem, agere facit. At verò neq; sapientia præest, neq; præstabilioris est partis: sicut neq; ars medendi præsidet sanitati. Non enim vitur ipsa, sed videt ut fiat. Illius igitur gratia, nō autē illi, iubet. Præterea, simile est, ac si quispiam facultatē ciuilem principem esse deorum dicat, propterea quod præcipit de omnibus, quæ aguntur in ciuitate.

ARISTOTELIS STAGIRITAE ETHICORUM ad Nichomachum, Liber Septimus,

Ioanne Argyropylo Byzantio Interprete.

Argumentum Libri.



Septimus hæc: de heroica virtute, de continentia: de incontinentia fera: de incontinentia iræ: de differentiis voluptatum: de vitio humano: de incontinente: de continente: de molli: de constante: de speciebus incontinentiæ: de pertinace: de voluptate.

De heroica virtute, continentia, & earum oppositis. Cap. I.



POST HÆC dicendū est, alio sumpto principio, tres esse species eorum, quæ circa mores sunt fugienda: vitium, incontinentiam, feritatem. Atq; contraria quidem duobus manifesta sunt: aliud enim virtutem, aliud cōtinentiam appellamus. Ad feritatem autem, & immanitatem, maximè virtutē eam conuenit dicere, quæ est supra nos, Heroicam, inquam, quandam, atque diuinam, vt Homerus de Hectore, propterea quod eximia bonitate præstabat, dicentē Priamū induxit, Nec iam hominis sanè mortalis filius ille, Esse videbatur, sed diuo semine natus. Quare si ex hominibus ob virtutis excellentiā dii fiunt, vt aiunt: talis quidem is habitus fuerit, qui feritati opponitur. Etenim vt feræ, neque vitium est, neq; virtus, sic neq; Dei. Sed hoc quidem præstabilius est virtute, illud autem diuersum quid à vitio genus. At vt rarò fit, virum esse diuum, vt appellare Lacones consueuere, cum valde aliquem admirantur, (dicunt enim vir diuus hic est) sic & ferus, atque immanis est inter homines rarò. Maximè verò inter nationes Barbaras est. Fiunt autem quidam tales & ob morbos, læsionesque principii. Et eos etiam homines, qui in vitiis exuperat, hac infami consueuimus appellatione notare. Sed de tali quidem dispositione mentio aliqua posterius fiet. De vitio verò prius est dictum. Nunc de incontinentia, mollitiæ, luxurij, & de continentia, atq; constantia est dicendum. Neque enim vt idem quod virtus & vitium, neque vt diuersum genus, hæc sunt putanda. Atque vt in cæteris egimus, afferre ea, quæ videntur, oportet, & dubitare primū. Deinde omnia, quæ probabilia sunt, aut saltem plurima, maximèq; præcipua circa hos affectus, ostendere. Nam si soluantur

quidem ea, quæ difficultatē afferunt, relinquuntur autem ea, quæ probabilia sunt, satis sanè fuerit demonstratum. Videtur itaq; cōtinentia quidem, constantiaq; studiosa esse, ac laudabilis; incontinentia verò, & mollities, praua, atq; vituperabilis: & idem esse continens, & in ratione persistens: & idem etiam incontinens, & rationem egrediens. Et incontinens quidem, improba sciens improba esse, agit ob perturbationem. Continens autem, cupiditates sciens prauas esse, non sequitur ob rationem. Et temperantem quidem continentem esse aiunt, atq; constantem. Talem autem alii temperantē esse omnem, alii nullum dicūt. Et item intemperantem incontinentem esse, & incontinentem intemperantem confusè nonnunquam diuersos inquirunt esse. Interdum etiam ipsum prudentē incontinentem esse non posse: interdum nonnullos homines, qui prudentes, ac habiles sunt, incontinentes esse dicunt. Præterea incontinentes, & iræ, & honoris, & lucri dicuntur. Ea igitur, quæ dicuntur, hæc sunt.

De Continente & Incontinente. Cap. II.



Dubitauerit autem quispiam, qui fit vt rectè aliquis existimans agat incontinenter. Scientē igitur, inquirunt quidam, impossibile esse. Nam absurdum est, vt arbitrabatur Socrates, si scientia insit, aliud quippiam vincere, & ipsum perinde, atque mancipium, trahere. Socrates enim omnino contra rationem ipsam pugnabat, incontinentiamq; exerminebat. Neminem enim textimantem, præter id, quod est optimum, agere, sed ob ignorationem dicebat. Hæc igitur sententia iis aduersatur, quæ manifestè apparent. Atque quærere oportet, quisnam in ipsa perturbatione, si ob ignorantiam agit, ignorationis sit modus. Constat enim, incontinentem non putare illud esse bonum, antè, quàm in perturbatione sit constitutus. Sunt autem qui hæc partim concedunt, partim non concedunt. Etenim scientia quidem nihil esse validius confitentur: at huic non assentiuntur, neminem agere præter id, quod visum est melius. Quapropter inquirunt, incontinentem à voluptatibus superari, non scientiam quidem, sed opinionem habentem, At verò si sit opinio, non scientia, neq; vehemens existimatio, quæ resistit, sed remissa (sicut

cut in ambigentibus) venia danda est, si non in his persistit aduersus vehementes cupiditates. At prauitati non est venia danda, nec aliorum cuiquam, quæ vituperabilia sunt. Estne igitur id, quod resistit, prudentia? Hæc enim est validissima. At est absurdum. Erit enim idem prudens, atque incontinens simul. Nemo autem dixerit, prudentis esse, ea sponte agere, quæ prauissima sunt. Et insuper demonstratum est antea, prudentem aptum ad agendum esse, (est enim quidam extremorum) & cæteras virtutes habere. Præterea, si cōtinentis est ex eo, quia vehementes, ac prauas habet cupiditates, neq; temperans continens erit, neq; continens temperans. Etenim neque vehementes habere cupiditates, neque prauas, est temperantis. At oportet. Nam si cupiditates sint bonæ, prauus est habitus ille, qui prohibet non sequi. Quare non omnis continentia est studiosa. Sin imbecilles, & non prauæ, non est quid egregium, nec etiam magnum quid, si sint prauæ, ac imbecilles. Præterea, si cōtinentia in quavis opinione facit persistere, praua etiam est, vt si & in falsa. Et si incontinentia à quavis opinione dimouet, erit aliqua incontinentia studiosa: quale fecit Neoptolemus apud Sophoclem in Philoctete. Est enim laudabilis, quia non persistit in iis, quæ suaserat Vlysses, ob mentiendi dolorem. Præterea, captio mentiens, dubitatio est. Quia nanque admirabilia, præterq; opinionem, sophistæ inferre volunt redarguendo, vt cum attigerint, videantur acuti: ratiocinatio facta dubitatio fit. Ligatur enim mens, cum manere quidem non vult, quia conclusio non placet: procedere autem non potest, quia rationem soluere nequit. Fit autem aliqua ratione, vt imprudentia cum incontinentia sit virtus. Qui nanque habet vtrunque, contraria iis, quæ existimat, ob incontinentiam ager. Existimat autem bona esse mala, & agere non oportere: quare bona ager, & non mala. Præterea, qui persuasus agit, voluptatēque sequitur, atque eligit, melior eo videbitur esse, qui non ob rationem, sed ob incōtinentiam agit. Nam facilius curari potest, quippe cum possit illi dissuaderi. At incōtinentis obnoxius est ei proverbio, quo dicimus: Quid insuper bibere opus est, cum strangulat aqua? Etenim si non persuasum esset ipsi, ea non agenda esse, quæ agit, dissuasus tandem cessasset. Nunc verò persuasus est ei, & nihilò minus talia agit. Insuper si circa vniuersa continentia sit, atque incontinentia, quisnam sit ille, qui est incontinens absolutè? Nemo enim habet incontinentias omneis. Dicimus autem quosdam simpliciter incontinentes esse. Tales igitur quædam hac in materia dubitationes emergunt. Horum autem alia tollere, alia relinquere oportet. Dubitationis enim solutio & intentio est.

Quonam pacto continentes agunt.

Cap. III.



Rimūm itaque considerandum est, si incontinentes scientes agant, necne, & quonam modo scientes: deinde circa quæ sit incontinens ponendus, & continens. Vtrum circa voluptatem omnem, atq; dolorem, an circa definitas quædam voluptates, atq; dolores, Et vtrum idem sit, an diuersus, continens,

atque constans. Similiter & de cæteris, quæ ad hanc attinent contemplationē. Est autem cōsiderationis initium, Vtrum cōtinentis & incontinens, iis, circa quæ versantur, differant, an modo. Dico autem sic, vtrū incontinens ex eo solū sit incontinens, quia circa hæc versatur, an nō, sed ipso modo, an vtriusq;. Deinde si continentia & incontinentia sint circa vniuersa, necne. Neque enim circa omnia versatur is, qui est incontinens absolutè, sed circa ea, circa quæ est intemperans. Neque simpliciter sese habet ad illa. Effet enim incontinentia, ac intemperantia idem, sed hoc modo. Nam ille quidem eligens ducitur, putans semper oportere persequi voluptatem præsentem. Incontinens autem non putat quidem, persequitur tamen. Si itaq; vera sit opinio, sed non scientia, qua transgredientes incontinenter homines agunt, nihil refert ad rationem. Nonnulli nanque eorum, qui opinantur, non ambigunt, sed arbitrantur exactè se scire. Si igitur opinantes ex eo, quia remissè credunt magis, quàm scientes, contra suam agent existimationem, nihil differret ab opinione scientia. Sunt enim, qui non minùs opinioni suæ, quàm alii suæ scientiæ credunt, vt ex Heraclito patet. Sed cum dupliciter dicatur scire, (nam & is, qui scientiam quidem habet, non autem vitur ipsa: & is, qui vitur, dicitur scire) hæc inter sese different: habentem, inquam, scientiam, at non contemplantem, & habentem, ac contemplantem, agere ea, quæ agere non oportet. Hoc enim videtur absurdum. Sed non si agat nō contemplando. Præterea, cum propositionū duo sint modi, nihil prohibet, vt quispiam agat contrarium eius, quod scit, si habeat quidem vtrasque, vniuersali tamè, & non particulari propositione vtatur. Nam ea, quæ aguntur, singularia sunt. Differt autem & ipsum vniuersale. Nam aliud est in ipso, aliud in re. Vt omni homini sicca conducunt, & hic est homo: vel siccum est, quod est tale. Sed si hoc sit tale, aut non habet, aut non operatur. Magna igitur per hos emerget vtique differentia modos: atque adeò vt hoc quidem modo non absurdum esse, alio verò modo mirabile videatur. Præterea, fit vt homines scientiam habeant alio modo, quàm nuper diximus. Nam in habendo quidem, sed non in vtendo differentem cernimus habitum, vt quispiam & habeat quodam modo, & non habeat ipsum: qualis est dormiens, & furens, ac ebrius. At hoc modo disponuntur ii, qui sunt in perturbationibus constituti. Nam iræ, & cupiditates Venereæ, cæteraque similia, corpus etiam manifestè permutant, atque nonnullos & in furorem, ac insaniam adigunt. Patet igitur, dicendum esse, incontinentes perinde sese habere, atque hi sunt affecti. Dicere autem eas sententias, quæ à scientia proficiuntur, nullum est signum. Etenim ii, qui sunt in hisce perturbationibus constituti, demonstrationes, & carmina dicunt Empedochlis. Et qui primū discunt, nesciunt quidem orationes, sed nondum sciunt. Oportet enim, ipsorum insideant menti, ad quod tempore opus est. Quare putandum est, vt histriones poemata recitant, sic & incontinenter agentes, sententias dicere. Insuper & hoc modo quispiam naturaliter inspexerit causam. Opiniorum enim alia est vniuersalis, alia de singularibus est, quibus iam ipse præsidet sensus. Atque

cùm ex ipsis ratio fuerit vna, anima conclusum ipsum in contemplandis quidem dicat, in agendis autem rebus continuo agat, necesse est. Nam si omne dulce gustare oportet, & hoc est dulce, vt vnumquid singularium, is hoc simul & agat, qui potest, nec prohibetur, necesse est. Cùm igitur vna quidem vniuersalis inest opinio gustare verans, alia verò dicit, omne dulce voluptatem afferre, & hoc esse dulce: hæc autem operatur, atque inest fortè cupiditas: illa quidem hoc fugere dicit, cupiditas autem ducit, mouere enim singulas partes potest. Quare fit, vt à ratione quodam modo, & opinatione incontinenter agatur: non tamen per se contraria, sed per accidens. Cupiditas enim rectæ rationi, sed non opinatio aduersatur. Quare & propter hoc bestiarum non sunt incontinentes, quia non vniuersalem existimationem, sed singularium imaginationem, atque memoriam habent. Quomodo autem soluitur ignoratio, ac rursus fit incontinens, sciens, eadem est ratio, & de ebrio, & dormiente, & non est huius propria perscrutationis: quam quidam à Naturalibus audire oportet. Cùm autem vltima propositio rei sit sensibilis opinatio, atque actuum domina, hanc incontinens aut non habet, dum est in perturbatione: aut sic se habet, vt in habendo non sit scire, sed dicere perinde, atque temulentus. Empedoclis carmina profert. Et quia terminus extremus non est vniuersalis, nec ad scientiam vt vniuersalis attinet: atque id accidere videtur, quod Socrates querebat. Non enim ea, quæ propriè scientia est, præsentè, fit perturbatio: nec ipsa ob perturbationem distrahitur, sed sensitua. De his igitur, si sciens, inquam, incontinens, an non sciens, & quonam modo sciens incontinenter agat, tot à nobis sint dicta.

Circa quæ continens, & incontinens versatur. Cap. IIII.



trum autem sit aliquis incontinens absolute, an aliqua ex parte sint omnes, & si sit, in quibusnam sit, dicendum deinceps est. Patet igitur hæc, continentes, atque constantes, & incontinentes, ac molles, circa voluptates, dolorisque versari. Quoniam autem eorum, quæ voluptatem efficiunt, alia sunt necessaria, alia per se quidem expetibilia sunt, exuperationem autem habent. Atque necessaria quidem dico, quæ ad ipsum pertinent corpus, alimentum, inquam, Veneris usum, & huiusmodi cætera, circa quæ temperantiam, intemperantiamque posuimus. Non necessaria verò, per se autem expetibilia, victoriam, honorem, diuitias, & quæ sunt similis generis, quæ bona sunt, & delectant. Eos quidem, qui in his præter rectam rationem, quæ est in ipsis, exuperant, absolute quidem incontinentes non dicimus, sed hæc addentes, pecuniarum incotinentes, & lucri, & honoris, & iræ dicimus, vt diuersos, & similitudine nomen idem habentes: vt homo, qui ludo in Olympico vicit. Communis enim ratio parum ab illius ratione propria differebat: attamen erat diuersa. Atque huius signum est illud: nam incontinentia quidem non solum vt delictum, sed etiam vt quod-

dam aut simpliciter, aut aliqua ex parte vitium vituperatur. At horum nemo. Eorum autem, qui circa corporis voluptates versantur, in quibus temperantem, intemperantemque ponimus, qui non eligendo, sed præter electionem, ac mentem, efficientium quidem voluptatem exuperationes persequitur, dolorem autem inferentium fugit, famis, sitis, æstus, frigoris, & omnium, quæ ad tactum, gustumque pertinent, is non additione circa hæc, inquam, (vt circa iram) sed absolute solum incontinens dicitur. Cuius hoc indicium est: Circa nanque has voluptates, & non circa vllam illarum intemperantes dicuntur. Et propterea in eodem incontinentem ponimus, & intemperantem, & continentem, ac temperantem: sed illorum neminem, quod circa voluptates easdem quodam modo, dolorisque versantur. Atque sunt quidem hi circa hæc eadem, sed non eodem modo. Sed illi quidem eligunt: hi verò non eligunt. Quapropter potius eum intemperantem dixerimus, qui non cupiens, aut remissè exuperationes voluptatum persequitur, ac mediocres fugit dolores, quam hunc, qui ob vehementes cupiditates eadem agit. Quid enim faceret ille, si cupiditas adueniret ingens, & circa rerum necessariorum indigentiam vehemens dolor? Cùm autem cupiditatum, ac voluptatum, alia genere sint honestæ, studiosæque, alia non sint, (Eorum enim, quæ voluptatè efficiunt, quædam expetibilia sunt natura, quædam hisce contraria, quædam media, quemadmodum prius distinximus, vt pecuniæ lucrum, honor, victoria) in omnibus talibus, atque mediis, non ex eo vituperantur homines, quia his afficiuntur, cupiunt, atque amant: sed ob modum, & quia exuperant. Quapropter qui præter rationem aut vincuntur, aut sequuntur quippiam eorum, quæ natura sunt honesta, & bona, non laudantur, vt ii, qui circa honorem magis, quam oporteat, student, aut erga filios, & parentes. Etenim bona sunt hæc, & laudantur qui circa hæc student. Attamen est & in his exuperatio quædam, si quispiam (vt Niobe) & aduersus Deos contenderet, aut sic erga patrem afficeretur, vt Satyrus ille, qui patris amator appellabatur, insanire nanque nimium videbatur. Circa igitur hæc nulla est prauitas, propterea quod vnumquodque per se (vt diximus) natura est expetibile. Exuperationes tamen ipsorum improbæ sunt, ac fugiendæ. Similiter nec incontinentia. Etenim incontinentia non solum est fugienda, sed etiam vituperanda. Ob perturbationis autem similitudinem adiungentes singula, incontinentiam circa vnumquodque dicunt: vt malum medicum, aut malum histrionem, quem absolute non dicerent malum. Vt igitur neque hæc absolute dicitur malum, quia non est vitium quicquam ipsorum, sed rationum comparatione simile: sic & illhic solam existimandum est incontinentiam, & continentiam esse, quæ in iis est, circa quæ temperantia, intemperantiaque versatur. Circa autem iram per similitudinem dicimus. Quapropter & ipsam addentes, incontinentem dicimus iræ, quemadmodum & honoris, & lucri.

Quod

Quod circa delectabilia præter naturam non sit incontinentia, & eius duæ sint species. Cap. V.



um autem quædam natura voluptatem efficiant, quorum alia simpliciter, alia generibus animalium voluptatem, atque hominum afferunt: quædam non natura, sed partim ob morbos, partim ob consuetudinem, partim ob naturas prauas delectent: licet & circa horum figura similes habitus cernere. Dico autem ipsos immanes, vt mulierem illam, quam grauidas rescindentem, fœtus deuorare aiunt, aut qualibus ferunt nonnullos circa Pontum efferatos homines delectari, quorum alios inquirunt crudis, alios humanis carnibus gaudere, alios suos filios in conuiuio comedendos mutuo dare: aut id, quod de Phalaride dicitur. Atque hi quidem ferini habitus sunt. Alii autem quibusdam ob morbos, & ob insaniam fiunt: vt qui mactauit matrem, atque comedit, quique conserui iecur item comedit. Alii sunt ex morbo, vel ex consuetudine: vt euulsiones pilorum, & vnguium efus, & carbonum, & terræ: & insuper Venereorum habitus maribus. Aliis enim natura, aliis ex consuetudine accidunt: vt iis, qui à pueritia consuescunt. Quibus igitur causa est natura, eos nemo dixerit incontinentes: quemadmodum neque mulieres, quod Venerem non agant, sed patientur: pari modo neque eos, qui ob consuetudinem, morbosve habent. Igitur singula quidem hæc habere, extra fines est vitii, quemadmodum & ipsa feritas. Habentem autem vincere, aut vinci, non est ea, quæ absolute est incontinentia, aut incontinentia, sed ea, quæ per similitudinem dicitur. Quemadmodum & is, qui circa iram sic se habet, dicendus est cum affectu, & non incontinens absolute. Omne nanque vitium exuperans, & dementia, & timiditas, & intemperantia, & acerbitas, aut est ferinum, aut ex morbo. Nam qui talis est natura, vt vniuersa formidet, etiam si obstrepuerit forex, timidus est timiditate ferina. Quidam etiam selem ob morbum pertimescebat. Et dementium, qui natura quidem ratione carent, sensuque tantummodo viuunt, immanes sunt: quales nonnullæ nationes sunt longè habitantium Barbarorum. Qui verò non natura, sed ob morbos aut comitiales, aut insaniam, ii sunt morbofi. Fieri autem potest, vt horum aliqua quispiam interdum habeat tantum, sed non superetur: vt si Phalaris puerum percipiens comedere, sese detineret, aut ab nefanda libidine abstereret. Fit etiam vt non solum habeat, verum etiam superetur. Vt igitur & prauitas ea quidem quæ est humana, absolute dicitur prauitas, alia verò cum additione, ferina, inquam, aut ex morbo, & non absolute: sic & incontinentia, alia est ferina, alia ex morbo. Absolute autem ea est sola, quæ intemperantiæ humanæ non egreditur fines. Perspicuum igitur est, incontinentiam, & continentiam in iis esse duntaxat, circa quæ intemperantia, temperantiæque versatur, & in cæteris speciem aliam incontinentiæ, quæ quidem non absolute, sed per translationem, incontinentia dici solet.

De incontinentia iræ, voluptatum differentijs, & vitio humano. Cap. VI.



ost hæc autem, & minus esse turpem, iræ, quam cupiditatum, incontinentiam ostendamus. Ira nanque aliqua ex parte, & non perfecte, rationem audire videtur: perinde atque veloces ministri, qui quidem antea, quam totum id audirent, quod dicitur, excurrunt, deinde in agendo aberrant. Canes etiam antea, quam considerent, si sit amicus, si tantum pulsauerit ostium, latrant. Sic & ira propter caliditatem, celeritatemque naturæ, audita quidem ratione, non præcepto autem audito, ad ipsam properat vltionem. Ratio nanque, vel imaginatio contumeliam, aut paruipensionem esse ostendit: illa autem, ac si ratiocinatione facta conluserit, oportere tali bellum inferre, statim insurgit. At cupiditas, si solum dixerit ratio, aut sensus, hoc afferre voluptatem, pergat ad fruendum. Quare ira quidem sequitur quodam modo rationem: cupiditas autem non sequitur, turpior igitur est. Nam incontinens quidem iræ, à ratione quodam modo vincitur: cupiditatis autem, non à ratione, sed à cupiditate. Præterea, magis est ignoscendum, si quispiam naturales appetitiones sequatur: quippe cum & cupiditates tales sequenti, quæ sunt omnibus communes, & quoad communes sunt, venia magis detur. At ira, atque acerbitas, magis est naturalis, quam hæc cupiditates, quæ exuperant, & quæ non sunt necessaria. Vt qui se excusabat quod patrem pulsaret: & hic enim, inquit, suum patrem pulsabat, & ille suum: & hic etiam, ostenso puero, cum vir fuerit, me pulsabit, est enim nobis gentile. Et qui trahebatur à filio, sistere iubebat in ostio, & se enim patrem eousque traxisse dicebat. Præterea, iniusti magis sunt ii, qui magis occultè procedunt, ac insidias faciunt. Iracundus igitur non insidias facit, nec ira, sed est manifesta. Cupiditas autem contra, quemadmodum Venerem aiunt, nam ipsam dolos neçtere dicunt: & Homerus baltheum ipsi tribuit, in quo fraudem etiam inesse dicit. Fraus quoque inest, quæ prudentem persæpe fefellit. Quare si cupiditas magis sit iniusta, quam ira, & incontinentia, quæ est circa ipsam, turpior erit ea, quæ est circa iram: & absolute incontinentia, atque quodam modo vitium. Insuper, nemo vitur libidine dolens: sed qui facit per iram, dolens omnis facit: qui verò exequitur libidinem, id facit cum voluptate. Si igitur ea sunt magis iniusta, quibus irasci magis est iustum, & incotinentia profectò, quæ fit ob cupiditatem, magis erit iniusta, non est enim in ira libido. Incontinentiam igitur circa cupiditates, turpiorem esse incontinentiam circa iram, & continentiam, atque incontinentiam circa corporis cupiditates, voluptatèsq; versari, ex iis, quæ diximus, perspicuum euasit. Harum autem ipsarum differentiæ sunt sumendæ. Nam, vt ab initio diximus, alia sunt humanæ, ac naturales, & genere, & magnitudine: alia ferinæ, alia ob labefactatum principium, atque morbos emergunt. Circa autem harum tantummodo primas, temperantia, intemperantiæque versatur. Quapropter & feras, nec temperatas, nec intempe-

ratas, nisi per translationem, dicimus, & si quod omnino aliud genus animalium ab illo differt petulantia, coitu, voracitateque. Non enim habent electionem, nec rationem, sed dimotæ sunt à natura perinde, atque homines ii, qui sunt mente capti, atque infani. Feritas autem minus est malum, quam vitium, sed terribilius. Non enim corruptum est id, quod est optimum, ut in homine: sed non habet. Fit igitur perinde, atque si quispiam inanimatum cum animato compararet, vtrum sit peius. Semper enim prauitas eius, quod non habet principium, minus nocere potest, at mens est principium. Perinde est igitur, atque si quispiam iniustitiam ad iniustum hominem compararet. Est enim vtrunque aliquo modo peius. Homo nanque malus millies plura mala, quam fera, facere potest.

De continente, incontinente, constante, & molli. Cap. VII.



It autem ut circa voluptates, dolorisque per tactum, gustumque, & cupiditates, ac fugas, circa quæ versari temperantiam, & intemperantiã prius est definitum, ita sese habeat quispiam, ut aut superetur ab iis ipsis, quæ plerique superant homines, aut superet ea ipsa, à quibus plerique vincuntur. Atque si circa voluptates ea sese habeat, primo quidem modo incontinens est, secundo autem continens. Sin circa dolores, primo quidem modo mollis est, secundo autem cõstans. In horum autem medio plurimorum hominum habitus collocantur, & si ad deteriores magis declinant. Sed quoniam quædam voluptates sunt necessariæ, quædam nõ necessariæ, & vsque ad quendam terminum, exuperationes vero defectusque non sunt necessarij: & simili modo res sese habet, & in cupiditatibus, atque doloribus: qui voluptatum exuperationes, aut exuperates voluptates ob electionem, atq; ob ipsas, & ob nullam rem aliam inde prouenientem persequitur, intemperans est. Hunc enim non pœnitere necesse est: quare est incurabilis. Quem enim non pœnitet, is est incurabilis. Qui vero deficit, oppositus est. At qui inter hos medius collocatur, temperans est. Similiter intemperans est, & qui, non quia vincitur, sed ob electionem, dolores corporis fugit. Eorum autem, qui non eligunt, alius ob voluptatem, alius ob eius fugam doloris, qui à cupiditate prouenit, ducitur. Quare inter se differunt. Cuilibet enim deterior esse videbitur, si quis non cupiens, aut remissè, quippiam ageret turpe, quam vehementer cupiens: & si non iratus pulsaret, quam concitatus ira. Quid enim ageret, si esset in perturbatione? Quapropter intemperans incõtinente deterior est. At eorum, quos diximus, alter mollitiæ magis subiicitur speciei, alter est incontinens. Atq; incontinenti quidem continens, molli vero constans opponitur. Constantia nanq; in resistendo, continentia vero in superando consistit: suntque diuersa resistere, ac superare, sicut non vinci, & vincere. Quapropter & continentia magis, quam constantia, est expetenda. Qui autem in his, quibus plerique resistunt, deficit, is mollis est, & delicatus, (deliciæ nanque sunt mollitiæ quædam) qui quidem vestem trahit, ne subeat laborem tollendi: & cum imitetur

ægotantem, se non putat miserum esse, qui misero similis est. Similiter res sese habet & circa continentiam, & incontinentiam. Non est enim mirum, si quis à vehementibus, & exuperantibus, aut voluptatibus, aut doloribus vincitur, quin ignoscendum est, si resistens vincitur tandem: ut Theodecti poetæ Philoctetes à serpente morsus: aut Carcini Cercyon in Halope: & ut homines ii, qui detinere risum ententes, accumulatum illum effundunt, ut accidit Xenophanto. Sed si quis iis, quibus multitudo resistere potest, succumbit, & non aduersari potest, non ob generis naturam, aut ob morbum, qualis est mollietas, quæ regibus Scytharum inest ob genus, & ut mulier à viri distat natura. Videtur autem & is, qui est ad iocum propensior, intemperans esse: est tamen mollis. Nam iocus relaxatio est, siquidem requies est. Qui vero ad iocum procliuius est, ex iis est, qui in hac exuperant. At qui incontinentiæ alia est temeritas, alia infirmitas. Quidam enim deliberatione facta, nõ persistunt in iis, quæ statuerunt ob perturbationem: quidam ex eo quia non consultarunt, à perturbatione ducuntur. Sunt enim qui antè sentientes, & prouidentes, ac se ipsos, rationemque excitantes, nõ superantur à perturbatione, siue voluptatem id, quod mouet, siue dolorè efficiat: perinde atque pertitillati non titillantur. Maximè autem celeres, ac biliosi atra bili, temeraria incontinentia sunt incontinentes. Illi enim ob velocitatem, hi ob vehementiam non expectant rationem, ex eo quia ipsius sunt imaginationis sequaces.

Discrimen incontinentis ab intemperato. Cap. VIII.



T vero intemperantè quidem non pœnitet, ut est dictum. In electione nanque persistit. Incontinens autem facilis est omnis ad pœnitentiam: quocirca non ita res sese habet, ut dubitauimus: sed ille quidem incurabilis, hic autem est curabilis. Vitium enim morbis est hisce persimile, aquæ intercuti, inquam, & tabi. Incontinentia vero morbo comitali. Etenim illud continua, hæc non continua est improbitas. Atque omnino diuersum est genus incontinentiæ, atque vitii. Vitium enim latet, incontinentia vero non latet. Horum autem ipsorum ii, qui ante rationem ducuntur, meliores iis sunt, qui rationem quidem habent, nõ autem persistunt in ea. A minore nanque perturbatione vincuntur, & non absque deliberatione, ut illi. Incontinens enim similis est iis, qui cito fiunt ebrii, & paucio vino, & pauciore, quam plerique. Patet igitur, incontinentiam vitium non esse, nisi aliqua ex parte fortasse. Nam hæc quidem est præter electionem, illud autem cum electione. In actionibus tamen est similitudo, ut Demodocus in Milesios dixit. Milesii nanque insipientes quidem non sunt, ea tamen faciunt, quæ agunt insipientes. Et incõtinentes iniusti quidem non sunt, iniuriam tamen faciunt. Cum autem alter sit talis, ut non ex eo quia est ipsi persuasum, exuperantes corporis voluptates, præterque rationem rectam sequatur: illi quidem dissuaderi facile, huic autem haud facile potest. Principium enim ipsum, virtus quidem conseruat, vitium vero corrumpit. Id autem gratia cuius, principium est in actibus,

actibus, perinde ut suppositiones ipsæ in mathematicis. Neque igitur ibi docendorum principiorum est ratio, neque hîc. Sed virtus aut naturalis, aut assuetudine parata, causa est opinandi circa principium rectè. Talis igitur homo temperans est: at contrarius est intemperans. Est autem quidam alius ob perturbationem à recta ratione discedens, quem perturbatio, ut non agat quidem ut recta ratio iubet, superat: ut sit autem talis, ut ipsi sit persuasum, oportere persequi voluptates liberè, tales non vincit. Atque hic est incontinens, qui quidem intemperante melior est. Nec est autem absolute prauus: conseruat enim id in ipso, quod est optimum, principium, inquam, ipsum. Alius autem est huic contrarius, qui persistit, & non ob perturbationem à ratione discedit. Ex his igitur patet, hîc quidem studiosum, illum autem improbum habitum esse.

De continentis, & pertinacis conuenientia, & differentia. Cap. IX.



Quærendum est autem, vtrū is sit incontinens, qui quavis in ratione, electioneue perstat, an is, qui in recta persistit. Et vtrum is sit incontinens, qui non permanet in quavis electione, rationeue, an is, qui non persistit in ratione falsa, & electione non recta: quemadmodum antea dubitauimus. An per accidens quidem in quavis, per se autem in ratione vera, rectaque electione alter perstat, alter nõ perstat? Nam si quispiam hoc ob hoc expetit, aut sequitur, per se quidem hoc expetit, aut sequitur, per accidens autem, ipsum prius. At quod est per se, id simpliciter esse dicimus. Quare fit, ut aliquo quidem modo quavis in opinione, absolute autem in vera alter persistat, alter non persistat. Sunt autem quidam in opinione persistentes, quos pertinaces appellant: hi non nisi cum difficultate dimoueri à sua sententia possunt. Et simile quidem quid habent eum continente, sicut & prodigus cum liberali, & audax cum confidente. Sunt autem in multis ab illo diuersi: continens enim non mutat sententiam ob perturbationem, atque cupiditatem. Nam cum acciderit, facilem sese offert recta persuadenti. Illi vero non à ratione mutantur: nam cupiditates cupiunt, atque à voluptatibus pleriq; ducuntur. Sunt autem ii pertinaces, qui suæ sunt sententiæ: & qui sunt indocti, ac rustici. Atque suæ sententiæ homines, ob voluptatem, atq; dolorem sunt pertinaces. Gaudent enim vincentes, si non è sua sententia dissuasione vlla dimoueantur: & dolent, si sua sint irrita ut decreta. Quare potius sunt incõtinenti, quam continentii, similes. Sunt etiam qui non ob incontinentiam in sententia non persistunt, ut Neoptolemus apud Sophoclem in Philoctete: quanquam ob voluptatem non perlitit, sed honestatem. Erat enim honestum illi, vera loqui: ab Vlysse autem fuerat illi persuasum mentiri. Etenim non omnis, qui propter voluptatem quippiam agit, intemperans est, aut prauus, aut incontinens: sed qui agit ob turpem. Cùm autem sit & quidam talis, ut minus, quam oporteat, corporis gaudeat voluptatibus, nõ persistens in ratione: inter hunc, & incontinentem, medius ipse continens collocatur. Incontinens enim non persistit in ratione: quia magis, quam

oportet, voluptatibus delectatur: Hic vero nõ permanet, quia minus, quam oportet, eisdem gaudet. At continens perstat, & ob neutrum sententiam mutat. Oportet autem, si continentia sit studiose, habitus hos utrosque contrarios improbos esse, quemadmodum & videntur. Sed quia per paucis alter hominibus inest, raroq; admodum fit temperantia, soli contrarium intemperantiæ esse videtur, sicut & continentia soli incontinentiæ aduersari putatur. At vero cum ob similitudinem multa dicantur, factum est ut temperans per similitudinem continens dicatur. Continens enim talis est, ut nihil præter rationem ob voluptatem corporis agat: & temperans etiam talis est. Sed ille quidem habet prauas cupiditates, hic autem non habet. Et hic quidem est talis, ut nõ delectetur præter rationem, ille vero talis, ut delectetur quidem, sed non ducatur. Similes etiam sunt incõtinentes, & intemperans, qui quidem diuersi sunt: vterque enim corporis sequitur voluptates, sed alter & oportere putat, alter non putat.

Quod prudentia, & incontinentia in eodem simul non sint. Cap. X.



T qui neque fieri potest ut idem sit prudens, atq; incontinens simul. Est enim demonstratum, prudentem simul, & more studiosum eundem esse. Præterea, non solum ex eo quia scit prudens est, sed ex eo etiã quia idoneus est ad agendum. At incontinens non est idoneus ad agendum: habilem autem nihil prohibet esse incontinentem. Quapropter & interdum nonnulli prudentes esse videntur, atq; incontinentes, quia differt habitus à prudentia eo modo, quem supra diximus: & sunt ratione quidem propinqua, electione vero diuersa. Nec incontinens sese habet ut is, qui scit, ac contemplatur, sed ut is, qui dormit, aut est vinolentus: & spõte sua quidem agit, scit enim quodam modo & quid, & cuius gratia facit. Malignus tamen non est: electio nanque est bona. Quare semimalignus est, & non iniustus: non est enim insidiator. Nam ipsorum alter quidem non persistit in his, quæ statuit consultando. Biliosus autem atra bili, nec ad consultandum omnino est aptus. Et similis est igitur incontinens ciuitati, quæ decernat quidem omnia, quæ sunt agenda, & leges habeat bonas, sed non vtatur: ut Anaxandrides faceret dixit: Vrbs consultabat, leges quæ negligit almas. Malignus autem Ciuitati, quæ Legibus quidem vtatur, sed prauis. Est autem continentia, atque incontinentia circa id, quod multitudinis exuperat habitum. Alter enim magis, alter minus persistit, quam plurimi possunt. Facilius autem ea curari potest incontinentia, qua biliosi atra bili incontinenter agunt, quam eorum, qui deliberant quidem, sed non persistunt. Et ii facilius curari possunt, qui per assuetudinem, quam ii, qui naturam incontinentes sunt. Est enim facilius consuetudinem, quam naturam, mutare. Ideo enim & consuetudinem mutare difficile est, quia similis est naturæ, quemadmodum & Euenus poeta dixit: Vnus, longus mos est, ac meditatio crebra: Hunc tandem assero naturam mortalibus esse.

Quid igitur continentia sit, & incontinentia, & quid constantia, mollitiâque, & quomodo inter sese habeant habitus hi, iam diximus.

De voluptate. Cap. XI.



AD ipsum autem civilem philosophum pertinet de voluptate contemplari, atque dolore. Hic enim architectus est finis, ad quem respicietes, vnumquodque aut malum, aut bonum simpliciter dicimus. Insuper & necessarium est de ipsis cõsiderare. Et virtutem enim morum, & vitium, circa dolores, voluptatesque posuimus. Et felicitatem plurimi cum voluptate asserunt esse. Quibusdam igitur nulla voluptas aut per se, aut per accidens, bonum esse videtur. Non enim idem bonum esse putant, ac voluptatem. Quibusdam nonnullæ quidem bonæ, pleræque autem prauæ esse videntur. Sunt & qui tertio censent, & si omnes sunt bonæ, summum tamè bonum voluptatem esse non posse. Non bonum igitur omnino esse putatur: quia omnis voluptas, generatio est sensibilis ad naturam. Generatio verò nulla genus idem subit, quod fines, nulla enim ædificatio domus est. Præterea, vir temperans fugit ipsas voluptates, Præterea, prudens persequitur vacuitatem doloris, non id, quod afficit voluptate. Præterea, voluptates impedimèto prudentiæ sunt: atque quò magis hisce quispiam gaudet, eò magis impeditur: vt in Venerea fit voluptate. Nemo namque dum est in illa, mente quicquam perspicere potest. Præterea, ars nulla est voluptatis: & tamen omnne bonum artis est opus. Insuper & pueri, & feræ ipsas voluptates sequuntur. Non esse autem omnes studiosas, existimatur: quia sunt & turpes, atque infames: & quia afferunt detrimètum. Eorum enim, quæ voluptatem efficiunt, nonnulla pariunt morbos. Ex eo verò voluptas summum bonum nõ esse putatur, quia non est finis, sed generatio. Hæc igitur ferè sunt, quæ de voluptate dicuntur.

Improbatio rationum de voluptate.

Cap. XII.



ON effici autem ob ea, quæ dicta sunt, vt voluptas bonum nõ sit, nec id, quod est optimum, ex hisce sanè constabit. Primum namque cum bonum sit duplex, (est enim aliud absolutè, aliud alicui bonum) & naturæ ipsæ, & habitus hæc sequuntur: quare sequuntur & motus, & generationes. Atque earum, quæ quàm prauæ videntur esse, quædam sunt, sed expetibiles huic, quædam nec huic, sed nonnunquam & tempore paruo, expetibiles verò nõ sunt: quædam neque voluptates sunt, sed videntur, quæ sunt cum dolore, & medicaminis gratia, quales sunt ægrotantium. Præterea, cum bonorũ aliud sit operatio, aliud habitus, operationes, quæ naturalè constituant habitum, per accidens afficiunt voluptate. Est igitur operatio in cupiditatibus, & indigētis habitus, atque naturæ. Nam & sine dolore, cupiditatèque, sunt voluptates, vt operationes contemplandi, non deficiente natura. Signum autem est, quòd non eisdem gaudent homines, cum repletur, & cum est constituta natura. Sed cum est constituta his, quæ simpliciter afficiunt voluptate, cum

Hic Graecus addit: διὸ καὶ τὸν μακάριον ἀνομάκασιν ἀπὸ τῆς χαίρειν.

† restantis.

repletur & contrariis. Nam & acribus gaudent, & amaris, quorum nihil profus aut natura, aut simpliciter afficit voluptate, quare nec voluptates. Nam vt ea, quæ voluptatem efficiunt, inter sese distant, sic & voluptates eæ, quæ ab illis proueniunt. Atqui non necesse est, aliquid aliud esse præstabilius voluptate, vt quidam inquit generationis ipsius finem. Non enim generationes sunt voluptates, neque cum generatione sunt omnes, sed operationes, & finis. Nec eueniunt dum fiunt, sed cum fit vsus: nec omnium est finis aliud quicquam, sed earum, quæ ducunt ad perfectionem naturæ. Quapropter & non bene sese habet, voluptatem dicere generationem esse sensibilem: sed dicendum est potius, operationem eius habitus esse, qui est secundum naturã, & pro hoc insensibilem, sine impedimento. Videtur autem ex eo generatio quædam esse, quia est propriè bonum. Operationem enim generationem esse existimant: est autem diuersum. At verò si voluptates esse prauas ex eo censent, quia nonnullæ rerum afferentium voluptatem morbos efficiunt, idem & in salubribus rebus censent. Nonnullæ namque obsunt pecuniariæ rei: hoc igitur modo prauæ sunt ambe. At nõ sunt ob id ipsum prauæ: nam obeit interdum ad sanitatè, & contemplatio. Impedit autem neque prudentiam neque habitum vllum voluptas ea, quæ ab vnoquoque prodit, sed alienæ. Nam eæ voluptates, quæ à contemplatione emergunt, & disciplina, conferunt potius ad contemplandum, atque discendum. Id præterea, quod dicitur, nullam vllius artis opus voluptatem esse, cum ratione accidit, nec enim vlla alia operatio artis est, sed potentia: quãquam & vnguentaria ars, & coquinaria, voluptatis esse videtur. Temperantem autem fugere voluptatem, & prudentem sequi vacuitatem doloris, pueros denique persequi, belluasque, afficientes res voluptate, eodem omnia modo soluuntur. Nam cum voluptatum, vt dictum est, aliæ sint absolutè bonæ, aliæ nõ bonæ, tales voluptates tam pueri, quàm belluæ, persequuntur: & harum indolentiam prudens, quas cupiditas comitatur, & dolor, quæque corporis sunt. Hæc namque tales sunt, & harum exuperationes, quibus intemperans, intemperas est. Quapropter has temperans fugit. Nam sunt voluptates & temperantis.

De voluptatum speciebus.

Cap. XIII.



QUI malum & ipsum dolorem esse, ac fugiendum, conceditur. Alius enim est simpliciter malum. Alius aliqua ex parte, ex eo quia affert impedimentum. At contrarium fugiendo, quo fugiendum quid est, atque malum, est bonum. Igitur voluptatem bonum quid esse, necesse est. Eo namque modo, quo Speusippus soluebat, non conuenit solutio: vt minori maius, & æquali voluptatem contrarium esse. Non enim sub malo voluptatem ipsam, vt speciem dixerit sub genere collocari. At verò nihil prohibet, voluptatem aliquam optimum esse, si nonnullæ voluptates sunt prauæ: quemadmodum & scientiam aliquam, si sunt nonnullæ sciētia prauæ. Quin potius forsitan & necesse est, expetibile esse aliquam summè. Si sunt vniuscuiusque habitus operationes sine

sine impedimèto, siue omnis operatio sit felicitas, siue vnius cuiuspiam ipsorum vacans impedimento: hoc autem est voluptas. Quare fit vt aliqua voluptas, ipsum sit summum bonum, etiã si fortè pleræque voluptates sint simpliciter prauæ. Atque ob id ipsum felicem vitam iucundam esse omnes arbitrantur, nesciuntque ipsam voluptatem cum felicitate, non absque ratione. Nulla nanque operatio perfecta est, si impediatur. At felicitas, operatio est perfecta. Quapropter felix indiget bonis, & corporis, & externis, ipsaque fortuna, quo non hæc impediatur. Qui autem aiunt, eum, qui rota torquetur, & magnis in calamitatibus est constitutus, felicem esse, si modò sit bonus, nihil profectò dicunt, aut sua sponte, aut inuiti. Quia verò felix indiget & fortuna, ideo quibusdam fortunæ prosperitas, & felicitas idem esse videtur, quod non est ita. Nam & ipsa, si exuperet, impedimentum affert, atque fortasse iure tum non est prosperitas appellanda. Definitio enim ipsius, est ad ipsam felicitatem. Illud etiã belluas, hominèsq; persequi voluptatem, indicat ipsam esse quodam modo summum bonum. Quam populi celebrant, omnino fama perire, Nulla potest. Sed quoniam eadem naturã, habitusque optimus neque est, neque videtur, nec voluptatem eandem omnes sequuntur. Voluptatem tamen omnes sequuntur, Fortasse autè & persequuntur, non eam, quam putant, neque quam dicerent, sed eandem. Omnia namque diuinum quid habent natura. Sed corporis voluptates ex eo sibi nomen hoc vendicant, quia sæpissimè occurrunt, & omnes sunt ipsarum participes. Solas igitur has esse putant, quia solæ sunt notæ. Patet etiam, nisi voluptas, & operatio sit bonum, felicem viuere cum voluptate non posse. Cuius namque gratia ipsa est opus, si bonum nõ est? At simul & cum dolore ipsum viuere contingit. Dolor enim neque malum est, neque bonum, si neque voluptas. Curnam itaque fugiet? Neque igitur studiosi ipsius vita iucunda erit, si nõ sint & operationes ipsius iucundæ.

De corporeis voluptatibus.

Cap. XIII.



E corporis voluptatibus cõsiderandum est eis, qui dicunt, nonnullas voluptates expetibiles esse valde, vt honestas, sed non corporis, & in quibus intemperans ipse versatur. Cur igitur contrarii dolores sunt prauis? Malo namque bonum contrarium est. An necessariæ voluptates sic sunt bonæ, quia & id, quod est non malum, est bonum? An vsque ad aliquem terminum bonæ sunt? Habituum enim eorum, ac motuum, quorum non est melioris exuperatio, neque voluptatis est. Eorum autem, quorum est, est & voluptatis exuperatio. At bonorũ corporis est exuperatio, & prauus in persequendo exuperationem, sed non necessarias voluptates consistit. Omnes enim gaudent quodam modo, & epulis, & vino, & Venere, sed vt oportet. Contrà autem in ipso dolore facit. Non enim exuperationem, sed omnino fugit dolorem. Non est enim exuperationi dolor contrarius, nisi ipsi persequenti exuperationem. At enim cum non solum ipsum verum, sed etiam falsi cau-

sam oporteat dicere, (hoc enim ad faciendam fidem conducer: nam cum id rationi consentaneum fuerit visum, ob quod verum esse videtur, quod non est verum, facit vt ipsi vero magis assentiamur) dicendum est, cur corporis voluptates expetibiliores videntur. Primum igitur, ex eo quia pellunt dolorem, atque ob exuperationes doloris, voluptatem exuperantem, vt medelam, & omnino voluptatem corporis persequuntur, ipsæ autem medelæ vehementes fiunt. Quapropter & ipsas sequuntur, qui tales videntur, cum contrarium adest. Et propter hæc igitur duo, sicut dictum est, voluptas nõ studiosum esse videtur: quia aliæ prauæ natura sunt operationes: aut ab ortu, quemadmodum feræ: aut & ob consuetudinem, quales prauorum sunt hominum. Aliæ sunt medicamenta, quia sunt indigentis, & melius est habere, quàm fieri. Aliæ accidunt dum perficiuntur: per accidens igitur sunt studiosæ. Præterea, ipsas, quia sunt vehementes, ii persequuntur, qui aliis nequeunt gaudere. Ipsi itaque sitim quandam comparant: quæ cum sine quidem nocimento fit, non est increpandum: cum verò cum detrimto, perprauum est. Neque enim habet alia, quibus gaudent, & nec aliud habere plerisque permolestum est ob naturam. Nam animal semper laborat, vt naturales etiam sermones testantur, videre, ac audire, dolorem inferre dicentes: sed consueti iam sumus, vt aiunt. Similiter in iuuentute quidem ob incrementa, perinde disponuntur, ac vinolenti. Et iuuentus ad voluptates propensior est. Biliofi autem atra bili natura semper egent medicamento, semper enim corpus ob complexionem mordetur, & semper in appetitione sunt vehementi. Voluptas autem contraria, & quæuis etiam, modo sit vehemens pellic dolorem. Et propterea intemperantes homines, prauisque fiunt. Voluptates autem eæ, quæ sine dolore sunt, exuperationem non habent. Atque hæc proficiscuntur ex iis, quæ natura, & non per accidens afficiunt voluptate. Ea verò dico per accidens afficere voluptate, quæ medentur. Etenim quia fit vt homini medeatur, eò quòd sanum permanet, aliquid agente, ideo talia afficere voluptate videntur. At ea natura voluptate afficiunt, quæ faciunt operationem talis naturæ. Nulla autem res eadem ex eo nos semper delectat, quia non est simplex nostra natura, sed inest & aliquid aliud, quo corruptibiles sumus. Quare si quippiam agat alterum, id est alteri naturæ præter naturam. At cum æquatur, neque molestum, neque iucundum videtur quod agitur. Quòd si alicuius natura sit simplex, semper eadem operatio iucundissima erit. Idcirco Deus vna semper, simplicique gaudet voluptate. Non enim solum motionis est operatio, sed & immobilitatis: & voluptas in quiete potius, quàm in motu consistit: mutatio verò omnium dulcissimum est secundum poetam, ob prauitatem quandam. Vt enim homo prauus, facile est mutabilis, sic & natura praua est ea, quæ indiget mutatione. Non est enim simplex, nec bona. Sed de continentia quidem, atque incontinentia, & de voluptate, dolore, & quid vnumquodque ipsorum est, & quonam modo alia ipsorum sunt bona, alia mala diximus. Deinceps autem de amicitia dicemus.

ARISTOTELIS STAGIRITAE Ethicorum ad Ni- comachum Liber Octauus,

Ioanne Argyropylo Byzantio Interprete.

ARGUMENTVM LIBRI.



CTAVVS hæc: de amicitia: de speciebus amicitia: de amicitia in excellentia: de speciebus Reipublicæ: de amicitia regia: de paterna: de œconomica: de fraterna: de fodalitia: de filiali: & duplici iusto: de compensanda amicitia: de abdicatione.

De amicitia. Cap. I.



OST hæc consequens est de amicitia pertractare. Est enim quædã virtus, aut est cum virtute. Res est præterea summè necessaria in vita. Nemo enim habens cætera omnia bona, sine amicis expeteret viuere.

Nam & locupletes, & in principatu, potestâque constituti, plurimum amicis indigere videntur. Quid enim prodest talis prosperitas beneficio sublato: quod quidem maximè fit in amicos, ac maximè commendatur. Aut quonam modo sine amicis custodiri, conseruarique potest? Quò nanque magis abundat, eò magis periculis subiacet. In paupertate quoque, cæterisque calamitatibus vnicum esse confugium amici putantur. Iuuenibus etiam conferunt ad compescenda peccata: & senibus ad obsequium, atque ad eos actus perficiendos, quos ob imbecillitatem ipsi peragere nequeunt. Et iis item, qui sunt in statu, ad actiones honestas. Etenim si duo simul eant, intelligere magis, atque agere possunt. Inesse etiam amicitia videtur natura ei, quod genuit, ad id, quod est ortum ab eo. Non in hominibus solum, sed in plurimis etiam animalibus, & iis inter sese, quæ sunt eiusdem generis, & hominibus maximè. Quapropter amatores hominum laudamus. Cernere etiam quispiam potest & in ipsis erroribus, familiarem omnem hominem homini, atque amicum esse. Ciuitates etiam amicitia continet. Et legumlatores circa hanc magis, quàm circa iustitiam student. Concordia nanque simile quid amicitia esse videtur. Hanc autem maximè affectant, seditionem autem, vt inimicam, maximè expellunt. Et si sint

20 quidem amici, iustitia non est opus. Sin verò sint iusti, indigent amicitia. Et in quod maximè iustum est, ad amicitiam attinet. Non solum autem necessarium est, sed & honestum. Laudamus enim eos, qui amant amicos, copiaque amicorum honestum esse putatur: & quidam eosdem viros bonos esse, atque amicos putant. Est autem controuersia de ipsa non mediocris. Quidam enim similitudinem quandam ipsam esse posuerunt, & similes esse amicos. Vnde & similem ad similem pergere inquirunt, & monedulam ad monedulam, & similia. Quidam contra, singulos inter sese omnes tales inquirunt esse, & de his ipsis aliis, naturali-ve perquirunt. Euripides quidem inquitens:

Cùm est sicca tellus, ipsa certè tum imbrè amat:
Cùm turget æther, imbre cùm cælum turet,
Affectat vt telluris in sinus cadat.

Heracitus autem contrarium dicens esse con-
ducens, & ex differentibus pulcherrimum concen-
tum oriri, & per discordiam omnia fieri. Sed his
contraria complures alii sentiunt, & Empedocles,
qui quidem simile appetere simile dicebat. Na-
turales igitur dubitationes omittamus. Non enim
ad hanc sunt accommodata considerationem.
Quæ verò sunt humanæ, & ad mores, affectusque
pertinent, eas consideremus. Vt sitne inter omnes
homines amicitia, an impossibile est, prauos esse
amicos: & vtrum vna species amicitia sit, an plu-
res. Qui nanque vnam esse putant, quia magis est,
atque minùs, non sufficienti argumento ducuntur.
50 Nam & quæ sunt diuersa specie, magis sunt, atque
minùs. Sed de his antea diximus.

De amabili. Cap. II.



ATEBUNT autem hæc fortasse, si ipsum amabile fuerit notum. Non enim omne quoduis amatur, sed ipsum amabile. Hoc autem, aut bonum, aut iucundum, aut vtile est. Atque id vtile videbitur esse, per quod efficitur aliquod bonum, aut voluptas. Quare fit vt amabilia sint ipsum bonum, & iucundum, vt fines. Vtrum igitur ipsum bonum ament homines, an id, quod ipsis est bonum?

Discrep

Discrepant enim nonnunquam hæc. Similiter & circa ipsum iucundum. Videtur autem id quisque amare, quod bonum est sibi. Et esse simpliciter quidem amabile, ipsum bonum: vnicuique autem id, quod est vnicuique bonum. Amat autem quisque non id, quod est sibi bonum, sed quod apparet: neque quicquam id refert erit enim ipsum amabile apparens. Cùm itaque tria sint ea, propter quæ homines amant, circa benevolentiam quidem inanimatarum rerum, non dicitur amicitia, quippe cum non sit reciprocus amor, neque voluntas boni illarum. Est enim ridiculum forsitan, vno bonum quempiam velle. Quod si vult, saluum illud vult esse, vt habeat ipse, at oportere aiunt amico boni illius gratia velle. Eos autem, qui hoc modo volunt bona, benevolos dicunt, si non idem, & ab illo fiat. Mutuam nanque benevolentiam, amicitiam esse dicunt. An adiungendum est, non latentem? Sunt enim complures iis benevoli, quos non videntur: putant autem studiosos esse, vel frugi. Atque fieri potest vt illorum etiam quispiam similiter ad hos afficiatur. Igitur hi mutuo quidem sibi benevoli esse videntur. Amicos autem ipsos quonam modo quispiam dixerit latentes, vt erga sese mutuo sunt affecti. Oportet ergo amicos mutuam habere benevolentiam, & velle sibi mutuo bona, nõ latentes, ob vnum quid eorum, quæ dicta sunt.

De speciebus amicitia.

Cap. III.

Philosophus.



IFFERUNT autem hæc specie, & amores ergo, & amicitia. Tres igitur sunt amicitia species, æquales numero amabilibus ipsis. Ob vnūquodque enim est mutuus amor, non latens. Atque qui sese mutuo amat, hoc bona sibi inuicem volunt, quo amant. Qui igitur ob vtilitatem se mutuo amant, nõ per se amat, sed quo aliquod a se inuicem capiunt bonum. Similiter & qui amant ob voluptatem. Non enim facetos amant, quia sunt tales, sed quia ipsis afferunt voluptatem. Qui igitur ob vtilitatem amant, ob suum diligunt bonum. Et qui ob voluptatem, ob id, quod est ipsis iucundum, & non quò talis est is, qui amatur, sed quò est vtilis, aut iucundus. Per accidens igitur hæc sunt amicitia. Non enim amatur quomodo talis est is, qui amatur: sed quo vel bonum aliquod affert, vel voluptatem. Tales autem amicitia, facile dissolui possunt, non permanentibus ipsis similibus. Nam si non vterius iucundi sint, aut vtilis, amare desistunt. Vtilitas autem non permanet, sed aliàs alia fit. Dimoto igitur eo, propter quod erant amici, dissoluitur & amicitia, vt pote quæ ob illud erat. Maximè autem amicitia talis in senibus fieri videtur. Huius enim atatis homines, non voluptatem, sed vtilitatem sequuntur, & in iis iuuenibus, atque viris, qui suæ student vtilitati. Tales autem nec multum simul viuunt. Interdum enim nec sunt iucundi, nec indigent, igitur tali congressione, si non sint vtilis. Nam eoque iucundi sunt, quousque boni consequendi spem habent. Cum his amicitia & hospitalitatem ponunt. Iuuenium autem amicitia, ob voluptatem constat. Viuunt enim cum affectu, & id ma-

ximè sequuntur, quod est sibi ipsis iucundum, & præsens. At cùm mutatur ætas, alia fiunt & ipsa iucunda. Quocirca citò fiunt amici, citòque desistunt. Nam simul cum eo, quod ipsos afficit voluptate, & amicitia ipsa mutatur. Talis verò voluptatis, celeris fit mutatio. Proinde sunt etiam ipsi iuuenes ad amores. Plurimum enim amatorum amicitia perturbatione fiunt, & ob voluptatem. Quapropter amant, & citò desistunt, eadem die propositum sæpe mutant. Hi volunt totos dies, vna versari, simulque viuere: sic enim fit ipsis id, quod per amicitiam suam affectant. Bonorum autem amicitia, similitudinemque virtute perfecta est amicitia. Hi nanque mutuo sibi bona similiter volunt, quo boni sunt. Boni verò sunt per se ipsos. Atque ii maximè sunt amici, qui bona amicis illorum gratia volunt. Propter se ipsos enim ita sese habent, & non per accidens. Permanet igitur horum amicitia quandiu sunt boni. At virtus res permanens est. Atque horum vterque bonus est simpliciter, & amico. Boni enim ipsi, & absolute, & sibi mutuo boni sunt, & vtilis, & iucundi, simili modo. Nam boni, & absolute, & sibi mutuo sunt iucundi. Singulis enim propria actiones sunt voluptati, & quæ sunt tales. Bonorum autè actiones tales sunt, aut similes. Talis autem amicitia, non sine ratione, permanens est. Coniunguntur enim in ipsa omnia, quæ in amicis esse oportet. Nam omnis amicitia, aut est ob bonum, aut ob voluptatem, vel simpliciter, vel amanti, vel ob similitudinem quandam. Hæc autem omnia bonorum per se ipsos amicitia insunt. Huic enim similes sunt & cætera. Et id, quod est absolute bonum, est & iucundum simpliciter. Maximè igitur hæc sunt amabilia: & amare, ac amicitia, in his est maximè, & optima amicitia. Sunt autè merito tales amicitia raræ. pauci enim sunt tales. Tempore insuper, & consuetudine opus est. Secundum enim prouerbum, non fit vt mutuo se cognoscant prius, quàm simul confirmant dictam salis mensuram. Nec igitur fit, vt prius recipiant se, sintque amici, quàm amabilis vtrique videatur esse, atque credatur, vterque. Qui verò ea celeriter inter sese mutuo faciunt, quæ ad amicitiam attinent, volunt quidem esse amici, sed non sunt, nisi sint & amabiles, & id ipsum sciant. Amicitia nanque voluntas, non amicitia celeriter fit. Hæc igitur & tempore, & cæteris perfecta est amicitia, & per hæc omnia fit. Et vtrique similis est ab vtroque, quod quidem amicis insit oportet.

Quòd studiosa amicitia proprie dicatur amicitia, alia verò per accidens.

Cap. IIII.



A verò, quæ ob voluptatem, & ea, quæ ob vtilitatem est, similitudinem huius habent. Boni nanque, & iucundi, & vtilis sibi mutuo sunt. Maximè autem & tales amicitia permanent, cùm æquale fit ab vtriusque, vt voluptas, & non solum hoc modo, sed etiam ab eodem: vt inter facetos fit, & non inter amatores, ac adamatum. Hi nanque non delectantur eis-

dem: sed ille quidem aspectu gaudet adamati, hic autem obsequio amatoris. Desinente verò pulchritudine, amicitia quoque nonnunquam desinit. Illi namque aspectus non est iucundus, huic autem obsequium non præstat. Plerique autem in amicitia permanent, si ex consuetudine mores dilexerint, eosdem mores habentes. Sed qui non voluptatem in amoribus, sed utilitatem commutant, ii & minus sunt amici, minus permanent. Qui verò sunt ob utilitatem amici, ii simul cum utilitate dissoluntur. Non enim hi sese mutuo, sed utilitatem amabant. Fit igitur ut & pravi pravis, & boni pravis, & neutri quibusvis amici sint ob voluptatem, atque utilitatem: sed boni soli sunt propter se ipsos amici. Mali namque se ipsis non gaudent, nisi utilitas proveniat aliqua. In sola etiam bonorum amicitia, nullum calumnia locum habet. Non enim facile cuiquam quispiam de eo credere potest, quem ipse diuturno tempore comprobavit. In his ipsis est, & sibi mutuo credere, & nunquam iniuriam facere, ceteraque omnia, quæ amicitia verè censetur inesse. In ceteris autem amicitias, nihil prohibet ea, quæ sunt hiscè contraria, fieri. Interdum namque homines eos etiam dicere consueverunt amicos, qui ob utilitatem amant ut civitates (societates enim à civitatibus utilitatis gratia fieri videntur) & item eos, qui se propter voluptatem mutuo diligunt, ut pueri. Nos etiam forsasse tales quidem amicos dicere oportet: & asserere autem species amicitia plures esse. Atque primo quidem, & proprie amicitiam eam esse, quæ bonorum est hominum, ratione sanè, qua boni sunt: ceteras autem per similitudinem. Quo namque bonum quoddam in ipsis est & simile, hoc sunt amici. Id enim, quod afficit voluptate, bonum quoddam iis est, qui voluptatem amant. Non autem multum hæc copulantur, nec iidem ob utilitatem, voluptatemque fiunt amici. Nam ea, quæ per accidens sunt, non nimium coniunguntur. In has autem species amicitia distributa, pravi quidem erunt ob voluptatem, aut utilitatem amici, hac ratione similitudinem subeuntes, boni autem sunt propter se ipsos amici: ea namque ratione, qua boni sunt. Hi igitur sunt absolute amici, illi verò per accidens, & quia sunt similes his.

Qui dicendi amici, & qui ad amicitiam apti.

Cap. V.

NT autem in virtutibus alii habitu, alii actu boni dicuntur, sic & in amicitia. Amicorum enim alii simul viuentes gaudent se mutuo, bonaque conferunt. Alii dormientes aut locis seiuncti non operantur quidem, sed ita sese habent, ut operentur amicè. Loca namque non dissolunt amicitiam absolute, sed operationem. Quod si diuturna absentia fuerit, amicitia quoque videtur obliuionem efficere. Unde dictum est: Taciturnitas amicitias complures dissolvit. Atqui neque senes, neque seueri, videntur esse ad amicitiam apti. Exigua enim afficiunt voluptate. Nemo autem conuersari cum eo potest, qui dolorem afferat, aut non sit iucundus. Maxime namque natura videtur molestiam quidem fugere, oblectamenta autem affectare. Qui verò se quidem mutuo acceptant, non simul autem viuunt, ii bene-

uolis magis sunt similes, quam amicis. Nihil enim tam proprium est amicorum, quam viuere simul. Nam egentes quidem, utilitatem affectant: simul autem viuere & ipsi beati. Etenim solitarios quidem hos esse minime conuenit. Ut simul autem degant, fieri non potest, nisi sint iucundi, eisdemque gaudeant, quod quidem amicitia sodalitia videtur habere. Bonorum igitur amicitia maxime est (ut sepe diximus) amicitia. Nam amabile quidem id & expectabile esse constat, quod est absolute bonum, aut iucundum: vnicuique verò, quod ipsi est tale. Bono autem propter hæc vtraque bonus. At verò amor quidem similis est affectui, amicitia verò habitui. Amor namque non minus est ad inanimata. Amici autem amant sese mutuo cum electione: electio verò ab habitu proficiscitur. Et volunt iis bona, quos amant, illorum gratia, non per affectum, sed habitum: & amantes amicū, id amant, quod sibi ipsis est bonum. Vir enim bonus factus amicus, bonum fit ei, cui iam est amicus. Vterque igitur & id, quod sibi bonum est, amat, & par reddit voluntate, atque iucunditate. Dicitur enim amicitia equalitas: maxime autem bonorum hæc amicitia insunt.

In qua amicitia plures possunt esse amici.

Cap. VI.

IN seueris autem, atque senibus, tanto minus fit amicitia, quanto difficilioribus sunt, & minus congressionibus gaudet. Hæc enim ad amicitiam maxime spectare, & ipsam efficere videtur. Quocirca iuuenes quidem citò, senes autem non citò fiunt amici: non enim fiunt iis amici, quibus non delectantur. Similiter nec seueri: sed tales beneuoli quidem mutuo sibi sunt. Etenim & bona volunt, & prompti sunt ad necessitates. Amici verò non valde sunt, propterea quod non simul degunt, neque sese mutuo delectantur: quæ quidem ad ipsam amicitiam pertinent maxime. Non fit autem ut amicitia perfecta multis quispiam sit amicus, quæ admodum nec ut complures simul adamet, est enim exuperationi similis. Tale autem ad vnum aptum fieri. Multos verò eidem vehementer placere non facile est, forsasse autem nec bonos esse. Oportet autem & experientiam accipere, & consuetudinè fieri, quod quidem est perdifficile. Ob utilitatem autem ac voluptatem multis placere quis potest. Complures enim sunt tales: & subministrations manifestæ, breui in tempore fiunt. Harum autem ea magis est similis amicitia, quæ est ob voluptatem: cum eadem ab vtrisque proueniunt, & sese mutuo gaudent, aut eisdem: quales sunt iuuenum amicitia. Inest enim magis in his liberalitas. At ea, quæ ob utilitatem constat, eorum est hominum, qui quæstui vacant. Beati etiam vtilibus non indigent, sed iucundis. Cum quibusdam enim simul viuere volunt, & molestum paruo quidem tempore ferunt: continuè verò nemo, nec ipsum bonum toleraret, si dolore ipsum afficeret. Quare iucundos querunt amicos. Sed forsasse & bonos oportet: cum sint tales & etiam ipsis. Sic enim ipsis inerunt, quæ amicis inesse oportet. Qui autem sunt in potestatibus constituti, diuisi videntur amicis. Alii enim sunt ipsi vtilis, alii iucundi. Ut autem ambo sint iidem, non nimium fit.

Neque

Neque enim cum virtute iucundos querunt, neque vtilis ad honesta: sed facetos quidem querunt, voluptatem appetentes: habiles autem ut agant ipsum præceptum. Atque hæc homine in eodem non nimium fiunt. Studiosus autem homo iucundus est simul, ut diximus, atque vtilis. Sed talis amicus non fit excedenti, si & non virtute excedatur. Sin minus non æquatur, cum rata sit inferior ratione: non nimium autem tales fieri solent. Hæc igitur amicitia dicta, in equalitate consistunt. Eadem enim ab vtrisque fiunt, & sibi mutuo volunt: aut aliud pro alio (ut voluptatem pro utilitate) commutant. Dicitur etiam has minus amicitias esse, minusque permanere. Videntur autem & ob similitudinem, dissimilitudinemque eiusdem, & esse amicitia, & non esse. Nam similitudine amicitia, quæ est ob virtutem, videntur amicitia esse. Altera namque voluptatem, altera habet utilitatem, quæ quidem insunt & illi. Sed quia illa quidem omni calumnia vacat, & stabilis est, hæc verò citò dissoluntur, aliisque compluribus differunt, non videntur ob illius similitudinem amicitia esse.

De amicitia in excellentia.

Cap. VII.

ST & alia species amicitia, quæ in excellentia consistit: ut amicitia patris ad filium, & omnino senioris ad iuniorem, virique ad uxorem, & principis omnis ad eos, qui ipsi subiiciuntur. Atque hæc inter sese etiam differunt. Non est enim eadem amicitia parentibus ad liberos, & principibus ad subditos: nec patri ad filium, & filio ad patrem: nec viro ad uxorem, & uxori ad virum: diuersa enim est vniuscuiusque; hoc virum virtus, ac opus. Diuersa etiam sunt & ea, propter quæ amant: diuersi ergo & amores, & amicitia. Atque eadem quidem vtrique ab altero nec fiunt, nec sunt querenda. Sed cum liberi quidem ea parentibus tribuunt, quæ tribuenda sunt genitoribus, parentes autem filiis, quæ natis tribui debent: stabilis talium, & bona est amicitia. Oportet autem & amorè omnibus in amicitias, quæ in excellentia consistunt comparatione fieri rationum. Magis enim amari præstabiliorem, vtilioremque, quam amare oportet: & ceterorum vnumquemque similiter. Nam cum amor est pro dignitate, tunc fit aliquo modo equalitas, quod quidem amicitia esse videtur. Aequale autem in iustis, & in amicitia non similiter sese habet. Est enim in iustis quidæ æquale primo, quod est pro dignitate: secundo, quod est in quantitate. In amicitia autem id quidem, quod est in quantitate, primo: id autem, quod est pro dignitate, secundo. Constat autem, si in virtute, vel vitio, vel diuitiis, val in aliqua alia re magna distantia fiat: non enim ulterius sunt amici, nec dignum putant se esse amicos. Maxime autem hoc est manifestum in ipsis diis immortalibus: hi namque plurimum bonis omnibus antecellunt. Constat autem & in regibus: nec enim his se esse amicos dignum ii putant, qui sunt valde inferiores: nec item optimis viris, aut sapientissimis, ii, qui nullius sunt pretii. Exacta igitur in talibus non est definitio, quousque sint amici: multis enim ablati, adhuc amicitia manet. Quod si nimis fuerint separati, ut

à Deo, non permanet. Unde & dubitatur, si amici velint amicis ea bona, quæ maxima sunt, ut deos esse. Non enim ulterius erunt ipsis amici: quare nec bona amici nanque bona sunt suis amicis. Quod si bene sit dictum. Amicū amico bona, illius gratia, velle: manere oportet, qualiscūque sit ille. Homini autem volet maxima bona inesse, & forsasse non omnia. sibi enim ipsi maxime quisque vult ipsa bona.

Quod amicitia magis consistat in amari, quam amare.

Cap. VIII.

RERIQUE autem ob ambitionem, magis amari, quam amare, velle videtur. Quapropter plerique amant ipsos adultores. Adulator enim inferior est amicus, aut fingit se talem, & magis amare, quam amari. Amari autem propinquū huic esse constat, affici, inquam, honore. quod quidem plerique affectant. Non per se autem, sed per accidens videtur honorè appetere. Nam plerique gaudent, cum honorantur ab iis, qui sunt in potestatibus, propter spem: putant enim se, si quo indigeant, id ab illis impetraturos. Gaudent igitur ipso honore, ut signo beneficii suscipiendi. Qui autem appetunt à bonis viris, atque scientibus honorari, confirmare opinionem eam, quam ipsi habent de se, affectant. Gaudent igitur, quia sunt boni, credentes eorum iudicio, qui id dicunt. Amari autem per se gaudent. Quapropter præstabilius ipsum esse, quam honorari: videbitur & amicitia expectanda per se ipsam esse. Videtur autem magis in exhibendo amorè, quam in suscipiendo consistere. Argumento sunt matres, amando gaudentes. Nonnullæ namque suos tollendos filios dant: & amant quidem scientes, ut amentur autem ab illis non querunt, si vtrunque fieri nequeat: sed satis est ipsis, si in prosperitate videt illos esse constitutos. Amantque illos, & si illi non possunt ob ignorancem ea, quæ sunt exhibenda, retribuere matri. Cum igitur amicitia magis in amando consistat, & laudentur qui amant amicos, virtus amicorum videtur esse amare. Quare in quibus hoc fit pro dignitate, ii stabiles sunt amici, & amicitia talium est stabilita. Hoc autem modo & qui sunt inæquales, maxime fuerint amici: æquales enim fieri possunt. Aequalitas autem, & similitudo, est amicitia. Et maxime quidè eorum similitudo, qui similes sunt virtute, nam cum stabiles per se ipsos sint, & tales inter se sunt: & neque indigent pravis, neque talia subministrant, quin potius prohibet. Est enim bonorum hominum neque ipsos delinquere, neque amicos permittere prava subministrare. Pravi autem stabilitatem quidem non habent, quippe cum neque se ipsis similes perseverent: breui verò tempore fiunt amici, sua gaudentes mutuo prauitate. Vtilis autem, & iucundi permanent magis: permanent enim quousque voluptates, aut commoda sibi mutuo præstant. Ex contrariis autem maxime videtur ea fieri amicitia, quæ ob utilitatem afficitur. Nam fit amicus pauper diuiti, ac in doctus scienti. Cuius enim quis indiget, id affectas aliud affert pro ipso. Huc trahere quispiam & amatorem, ac adamat, & pulchrum, ac turpem potest. Quapropter & amatores ridiculi videntur.

inter-

Talii, indignum, interdum, dignum esse censentes perinde amari, vt amant. At si similiter quidem amabiles sint, amari di sunt fortasse vt censent: si verò nihil amabilis habent, ridiculum est profecto, sese vt amant, amari oportere censere. Fortasse autem neque contrarium per se contrarium appetit, sed per accidens: Appetitio verò ipsius est mediū: hoc enim est bonum. Veluti sicco, non vt humidum fiat, sed vt accedat ad mediū, & calido, & cæteris simili modo. Sed hæc quidem missa faciamus: non enim ad hunc locum accommodantur.

De ciuili amicitia. Cap. IX.

Videtur autem amicitia, & iustum (vt in principio diximus) circa eadem, & in eisdem esse. In omni nanque societate iustum aliquid, & amicitia esse videtur. Itaque & amicos appellant, simul nauigantes, & commilitones, & cæteros similiter socios. Atque quatenus communicant, eatenus est amicitia, & iustum enim eodem modo. Et prouerbiū rectè ea, quæ sunt amicorum, communia dicit esse. Amicitia nanque in communicatione, societateq; consistit. Atq; fratribus quidè, sodalibusve cuncta communia sunt. Cæteris autem definita, & aliis quidè plura, aliis verò pauciora. Et amicitiarum enim, alia magis, alia minùs amicitia sunt. Differunt autem & iusta: non enim eadem sunt parentibus ad filios, & fratribus inter se, neque sodalibus, atq; ciuibus, & in cæteris similiter amicitias. Diuersa igitur sunt & iusta ad horum singulos. Et incrementa suscipiunt, quòd sunt ad magis amicos. Est enim grauius sodali, quam ciui, pecuniam auferre: & fratri, quam extraneo, opem non ferre: & patrem, quam quemuis alium, pulsare. Crescit autem & iustum cum amicitia simul, quippe cum sint in eisdem, & æquè sese extendant. At verò societates omnes, similes sunt partibus societatis ciuili. Nam ob vtilitatem aliquam conueniunt homines, & aliquid eorum consequuntur, quæ ad vitam conferunt. Ciuilis quoq; societas, gratia vtilitatis ab initio constitui, permanereque videtur. hoc enim & latores legum conieciunt, & iustum id inquirunt esse, quod publicè prodest. Cæteræ igitur societates per partes vtilitatem appetunt: nauæ quidem eam, quæ ex nauigatione prouenit, acquisitionem, inquam, pecuniarum, aut aliquid tale: milites autem eam, quæ fit ex bello, siue pecuniam, siue victoriam, siue ciuitatem affectent. Eodem modo contribulésque & populares. Nonnullæ autem societates gratia voluptatis constant, vt eorum, qui choros simul exercent, aliaque similia: & eorū qui pecunias cõferunt ad cõuiuia sibi paranda: hæc nanque sacrificii, cõuictusque causa sunt. Omnes autem hæc sub ciuili societate collocantur. Non enim præfens commodum ciuili affectat, sed ad omnem vitam. Atque sacrificia, & cœtus circa hæc faciunt, honorem diis tribuentes, & sibiipsis quietem præstâtes cum voluptate. Veltusta nanque sacrificia, conuentusque, post frugum perceptionem (vt primitiæ) celebrabantur: hoc enim in tempore maximè otio indulgebant. Societates igitur vniuersas, partes esse ciuili, manifestum est. Tales autem amicitia, tales societates sequuntur.

De speciebus Reipublicæ.

Cap. X.

Reipublicæ tres sunt species, & totidem etiã transgressiones, & quasi labe illarū. Et illæ quidè sunt, regnū, & optimorū potestas, & tertia est ea, quæ est censibus fit, quam censu potestate dicere, accommodatū videtur: plurimi autè Rempublicam appellare cõsueuerunt. Atque harū optima quidè est Regnū: determinata verò Censu potestas. Transgressio autè regni quidem tyrannis est. In vtraq; enim vnus est princeps: sed inter sese plurimū differunt. Nam tyrannus quidem suum, rex autem eorum, qui ab ipso reguntur, considerat commodum. Non est enim rex, nisi sit ex sese sufficiens, & bonis omnibus antecellat. Talis autem nullius indiget rei. Non ergo suas ipse, sed eorū, qui reguntur, vtilitates cõsiderat. Qui nanq; talis nō est, sorte potiùs quidā est princeps, quam rex. Tyrannis autè est cõtraria regno: suum nanq; bonū sequitur ipse tyrannus, quò magis patet, ipsam esse pessimā. Pessimū enim id est, quod est contrarium optimo. Fit autem in tyrannidè ex regno transgressio. Tyrannis enim eius principatus est prauitas, in quo vnus est princeps. Præuus autem rex, fit tyrannus. Ex optimatum verò potestate ad paucorum potentiam fit transgressio, vitio principum, qui res ciuitatis præter dignitatem distribuunt, & cuncta bona sibi, vel plurima tribuunt, & magistratus semper eisdem, plurimi diuitias facientes. Pauci igitur, & prauis pro optimis dominantur. Sed ex censu potestate ad popularem fit transgressio. Sunt enim hæc finitimæ. Nam & censu potestas, multitudinis esse solet: & pares sunt omnes, qui sunt in censu. Minimè verò paruum est popularis potestas: parum enim Reipublicæ transgreditur speciè. Res igitur publicæ hoc maximè modo mutantur. Minima enim sic, atque facillima fit ipsarum migratio. Similitudines autem ipsarū, & quasi exèpla quispiam & in domibus accipere potest. Societas enim patris ad filios, regni præ se fert effigie. Nati nanq; patri sunt curæ. Hinc & Homerus louem patrem appellat. Ipsam nanq; regnū, imperiū est suapte natura paternū. Patris autem apud Persas imperium tyrannicū est: suis enim filiis vtitur vt seruis. Heri etiã ad seruos tyrannicū est: nam in ipso vtilitas agitur heri. Atq; hoc quidè rectum esse videtur: sed Persarū aberrat. Diuersorū enim diuersa sunt imperia. Viri autè & vxoris societas similis est optimatum potestati: pro dignitate nãq; vir præsidet, & in iis, quæ virum oportet. Quæ verò vxori accommodatur, hæc illi tribuit. Quòd si in omnibus vir dominetur, in paucorum potestate mutatur: præter dignitatem enim hoc facit, & non ea ratione, qua præstabilior est. Interdum autem dominantur vxores, ob amplitudinem patrimonii. Non igitur sunt imperia ob virtutem, sed ob diuitias, & potentiam: perinde atq; in paucorum fit potestate. Fratrum verò societas similis est censu potestati. Sunt enim pares, præter differentiam ætatis. Quocirca si multum ætatibus differant, non fraterna inter ipsos fit amicitia. Popularis autem potestas in iis maximè habitationibus est, quæ domino carent. Hic enim omnes sunt æquales.

Et in

Et in quibus princeps est imbecillis: & vnicuique inest potestas.

De amicitia regia, paterna, æconomica, & fraterna.

Cap. XI.

N vnaquaque autè Republica tantum amicitia constat esse, quatum & iusti. Atque regis quidem amicitia ad eos, qui reguntur, in excellentia beneficii consistit: confert enim in eos beneficia, qui ab ipso reguntur. Siquidem cum sit bonus, curam ipsorum habet, quo bene sese habeant, vt ouium pastor. Vnde & Homerus Agamemnonem, populorum nuncupauit pastorem. Talis autem est & amicitia paterna: beneficiorum verò magnitudine differt. Est enim essendi causa pater: quod maximum esse certum est: & enutritionis, ac eruditionis. Hæc eadem & cæteris maioribus tribuuntur. Natura nanque pater filiorum, & auis nepotum, & rex eorum, quibus præsidet, imperium obtinet. Hæc autem amicitia in excellentia consistunt: quapropter & honorantur ipsi parentes. Et iustum igitur in his non idè est, sed quod efflagitat dignitas. Sic enim sese habet & amicitia. Et viri etiã ad vxorem eadem est amicitia, & in optimatum potestate: est enim vt virtus postulat. Et præstabiliori plus tribuitur boni, & quod vnicuique accommodatur. Sic autem sese habet & ipsum iustum. At amicitia fratrum similis est sodalitiæ: sunt enim pares, atque æquales ætate. Tales autem eiisdem plerūq; disciplina, & eorundè sunt morū. Similis est huic & quæ est in cœsus potestate. Ciues enim pares esse solent, ac boni. Et quisq; nunc dominatur, nunc paret, & æquè. Sic igitur est in ipsis & amicitia. In transgressionibus autem, quemadmodū & iustum, sic & amicitia exigua est: & minima est in ea, quæ est pessima. In tyrannide nanque nihil, aut perparum est amicitia. In quibus enim nihil est commune imperanti, atque parenti, nec amicitia est: nam neque iustum. Sed tale quidem est, quale est artificii ad instrumentum, & animæ ad corpus, & hero ad seruū. Hæc enim omnia vtilitatem quidem ab iis suscipiunt, qui ipsis vtuntur. Sed amicitia nō est ad inanimata, nec iustum: qui neque ad bouem, vel equū, neque ad seruam ea ratione, qua seruus est: non est enim quicquam commune. Seruus enim animatū est instrumentum: instrumentum autem inanimatum est seruus. Ad seruum igitur hoc ipso, quo seruus est, non est amicitia, sed quo est homo. Nam omni homini iustum quiddam est ad omnem hominem, qui communicare secum legè, pactiōemque potest: quare & amicitia, ratione qua homo est. Perparum igitur & in tyrannide est amicitia, atq; iusti: in popularibus autè potestatibus plurimū. Complura enim his sunt communia, cum sint pares.

De amicitia sodalitiæ, & filiali.

Cap. XII.

Mnis igitur amicitia (vt dictum est) in societate consistit. Consanguineam autem quispiam se iuxerit, ac sodalitiā. Ciuium autem amicitia, & contribulium, & simul nauigantium, & quotquot sunt tales,

magis in societate consistunt: nam stipulatione quasi quadam constare videntur. Inter has quispiam & hospitalitiam collocauerit. Consanguinea verò multiplex est. Pendet autem omnis ex paterna. Parentes enim diligunt natos, vt aliquid sui: nati verò parentes, vt aliquid ex illis. Atque magis sciunt parentes eos, qui sunt ex ipsis: quam nati esse ex illis. Magisque coniunctum est id, ex quo natum est, ipsi nato, quam factū ei, quod fecit. Est enim ei, ex quo est ortum, proprium id, quod ex ipso est ortum: vt dens, crinis, & quiduis habent. Nulli autem illorū id, ex quo orta sunt, aut minus. Accedit eòdem & temporis longitudo. Parentes enim natos continuo diligunt: illi verò parentes incrementis tempore susceptis, & mentis comprehensione, vel sensus. Ex his autem patet & cur magis diligat matres. Parètes igitur natos vt se ipsos amant: qui nanque ex ipsis sunt orti, sunt quasi ipsi alii separatione. Nati verò parètes vt orti ex illis. Fratres autem sese mutuo diligunt, quòd ex eisdem sunt orti. Identitas enim, quæ est ad illa, idem inter ipsos facit. Quapropter eundem sanguinem dicunt, & stirpem, & talia. Sunt igitur quodam modo idem & in diuisis. Magnum autem ad amicitiam est & enutritos simul esse, & ætatis æqualis. Equales enim æqualem delectat, & ipsi familiares sodales sunt. Et idcirco fraterna amicitia sodalitiæ similis est. Patruales verò, cæterique propinqui, ex his sunt coniuncti, propterea quòd sunt ex eisdem. Atque alii magis, alii minùs fiunt ex eo coniuncti, quia propè est, aut distat origo. Amicitia autem, quæ filiorum est ad parentes, & hominum ad deos, vt ad bonum est, atque excellens. Nam maxima beneficia contulerunt. Fuerunt enim essendi causa, & alimenti, ac educationis. Habent autem & voluptatem, & vtilitatem, talis amicitia magis, quam extraneorum, quòd & vita communior ipsis est. Sunt autem & in fraterna amicitia ea, quæ & in sodalitiæ sunt, & magis in bonis, & omnino in similibus quòd coniuncti sunt magis, atq; ab ortu sese mutuo diligunt. Et quòd sunt magis similibus morum, qui ex eisdem sunt orti, & simul nutriti, & similiter educati, ac eruditi. Probatio enim, quæ quidem fit tempore, plurima est, atque firmissima. Sunt etiam & cæteris in consanguineis ea, quæ ad amicitiam vt attinent rationū comparatio flagitat. Viro autem & vxori secundum naturam amicitia videtur inesse. Homo nanque naturæ coniugale magis est, quam ciuile: quòd prius, & necessarium magis est domus, quam ciuitas, & pro creatio communior animalibus. Atq; cæterorum: quidem animalium, hic societatis est terminus: homines autem coniugium subeunt non solum procreationis, sed eorum etiam gratia, quæ ad ipsam conferunt vitam. Officia nanque continuo sunt diuisa: atq; alia viri, alia sunt vxoris. Opem itaque sibi mutuo ferunt, res proprias in commune ponentes. Quapropter hac in amicitia vtilitas inest, atq; voluptas. Erit autem & ob virtutem etiã amicitia, si boni sint. est enim vtriusq; virtus, atq; hoc ipso gaudebunt. Filii autè parentū vincula sunt, & nexus. Idcirco & citius ii, qui carent liberis dissoluitur. Filii nanque, bonum est vtriusque commune: ipsum autem commune, continet. Quærere verò quo-

ro quonam modo viro viuendum est cum vxore, & omnino amico cum amico, nil aliud est, quam quære quomodo iustum est. Non enim idem iustum videtur amico ad amicum, nec ad alienum, & sodalem, ac condiscipulum esse.

De duplici iusto, & de compensanda amicitia.

Cap. XIII.



Cum autem tres sint amicitie, (vt ab initio dictum est) & in vnaqua; alii sint pares amici, alii impares, nam similiter boni fiunt amici, & præstabilior deteriori: similiter & iucundi, & ob vtilitatem etiam in commodis pares, & differentes. Pares quidem, tam amando, quam cæteris æquales esse oportet. Impares autem id reddere, quod excellentiæ ratio flagitat. Fiunt autem in amicitia, quæ vtilitatis est gratia vel sola, vel maximè, in cufationes non sine ratione, atque querelæ. Qui nanque sunt ob virtutem amici, prompti sunt ad beneficia sibi mutuò conferenda. Hoc enim est & virtutis, & amicitia. Atque cum ad hoc certatim properent, nullæ prorsus inter ipsos accusaciones, nec rixæ fiunt. Nemo enim amanti, & beneficia cõferenti succenset: sed, si sit gratus, beneficiis respondet. Atque qui in beneficiis conferendis exuperat, cum id assequatur quod cupit, non in cufabit amicum: vterque enim bonum affectat. Nec in iis, quæ ob voluptatè constant, querelæ nimium fiunt. Nam si simul degere gaudent, fit id simul vtrisque quod apperunt. Ridiculus autem videtur, & est, qui nõ delectantem in cufat, cum liceat non conuerfari. At in ea, quæ vtilitatis gratia constat, locum in cufationes habet, atque querelæ. Nam cum sese mutuò pro vtilitate vrantur, semper indigent pluris: & minus, quã oportet, sese habere putant, & queruntur ex eo quia non tot assequuntur, quot indigēt. cum sint digni. Qui verò conferunt beneficia, nequeunt tot conferre, quot indigent ii, in quos beneficia conferuntur. Videtur autem vt duplex est iustum, aliud sine scripto, aliud lege: sic & eius amicitia, quæ vtilitatis est gratia, alia moralis, alia legitima esse. Fiunt igitur in cufationes tum maximè, cum non per eandem commutant, atque dissoluitur. Atque legitima quidem est ea, quæ in definitis consistit: & quædam est omnino sordida de manu in manum: quædam liberalior, ad tempus, sed per pactiõnem quid pro quo est. Est autem id, quod debetur in hac manifestum, & non ambigitur. Habet autem dilationem ad amicitiam atinentem. Quapropter apud nonnullos tales non sunt iudicia, sed arbitrantur, eos oportere contentos esse, qui fide commutarunt. Moralis autem non in definitis consistit, sed vt amicum quidem munere afficit, aut aliquid aliud in illum confert. Accipere autem dignum esse censeat, æquale, aut plus: quasi non dederit, sed mutauerit. Atque si non vt commutauit, dissolutio fit, in cufabit. Hoc autem ideo accidit, quia omnes, vel plurimi, volunt quidem honesta, anteponunt autem ea, quæ profunt. Atque honestum quidem est beneficia conferre, non vt vicissim suscipiantur: vtile verò suscipere. Si potest igitur, dignum reddere oportet beneficium iis, quæ accepit, & sponte

*hæc dissolutio
vtu, dissolutio
tur.

quidem: inuitus enim non est faciendus amicus. Vt errore igitur in principio facto, & beneficio, à quo accipere non oportebat, suscepto (non enim ab amico, nec ob id ipsum id faciente) dissoluere ipsum oportet, vt beneficio pro definitis suscepto, atque polliceri. cum posset reddere. Nam si non posset, nec dignum is, qui dedit, ipsum suo munere censuerit. Quare reddendum est, si habeat facultatem. In principio autem considerandum est, à quo nam beneficium, & pro quo cõfertur, vt pro his suscipiat, aut non suscipiat illud. Existit autem dubitatio, vtrum eius, qui suscepit, vtilitate metiri oporteat id, quod reddi debet, an eius, qui contulit beneficium. Qui nanque beneficium acceperunt, extenuantes id ipsum, ea dicunt sese cepisse, quæ parua erant illis, quæque ab aliis licebat accipere. Illi verò contrà, ea, quæ maxima rerum erant suarum, quæque ab aliis assequi non poterant, & in periculis, aut necessitatibus talibus. An quia amicitia est ob vtilitatem, vtilitas eius, qui beneficium suscepit, mensura est statuenda? Hic est enim, qui indiget, & huic fert opem, vt accepturus æqualem, Tantum igitur auxilium fuit, quantum vtilitatis habuit hic. Et reddendum est igitur tantum, quantum ipse cõsecutus est: vel etiam plus: est enim magis honestum. In amicitia autem, quæ sunt ob virtutem, accusaciones quidem non sunt. Mensuræ autem similis est electio eius, qui beneficium contulit. Id enim, quod est virtutis, ac moris præcipuum, in electione consistit.

De querelis amicitia in excellentia, & de abdicatione.

Cap. XIII.



At verò dissentiunt & in amicitia, quæ in excellentia consistunt: nam vterque dignum existimat plus habere. Atque cum hoc non sit, dissoluitur amicitia. Qui nanque præstabilior est, plus habere oportere se putat: plus enim tribuendū est bono. Eadem censeat & qui magis vtilis est. Si nanque quispiam inutilis sit, non æquale inquit ipsum habere oportere. Subministrationem enim, & non amicitiam fieri dicunt, si non pro dignitate operum ea fuerint, quæ ab amicitia fiunt. Nam vt in pecuniarum societate plus ii capiunt, qui plures pecunias conferunt, sic arbitrantur & in amicitia fieri oportere. Qui verò eget, & qui est inferior, contrà: ad amicum nanque bonum spectare censeat egentibus opem ferre. Quid enim prodest, inquit, amicum esse quempiam studioso viro, aut potenti, si nihil consecuturus sit inde? Videtur autem vterque rectè censere. Atque plus quidem vtrisque est ex amicitia tribuendum, non tamen eiusdè rei. Sed excellenti quidem honoris, egenti autem lucri. Virtutis euim, & beneficentiæ præmium, honos est: indigentia verò auxilium, lucrum. Hoc ita se habere & in rebus publicis constat. Non enim is honoratur, qui nihil boni Reipublicæ præstat. Id enim, quod est publicum, ei tribuitur, qui beneficia in Reipublicâ confert. At honor, publicū est. Non enim fit vt simul quisquam pecunias à Republica, atque honorem accipiat. Nemo nanque fert in omnibus minus habere.

habere. Qui igitur in pecuniis imminuitur, ei honorem tribuunt. Qui verò munera suscipit, ei pecunias dāt. Quod enim fit pro dignitate, id æquat, & conseruat amicitiam, vt est dictum. Sic igitur & iis est agendum, atque congregiendum, qui impares sunt. Et is, qui in pecuniis, aut virtute vtilitatem accipit, reddat honorem oportet, id reddendo quod potest. Amicitia nanque id exposcit, quod fieri potest, non id, quod est pro dignitate. Neque enim in omnibus est, vt in honoribus erga deos, aut parentes: nemo enim vnquam dignum reddere potest. Sed qui quoad potest obsequitur, bonus, & æquus esse videtur. Quapropter con-

stat, patrem quidem non licere filio abdicare, filium autem patri licere. Debentem enim reddere oportet. At quicquid egerit, nihil vnquam iis dignum fecerit, quæ à patre suscepit. Quare semper debet. Quibus autem debetur, potestas est dimittendi. igitur & patri. Simul autem nemo forsitan vnquam sese mouere videtur, nisi ille exuperet prauitate. Nam absque amicitia naturali, humanum est, auxilium non negare. Illi autem fugiendum est, aut non studendum opem afferre, cum sit prauus. Plerique enim suscipere beneficia volunt, conferre autē nolunt, ac fugiunt vt inutile. Sed de iis quidem eoufque fit dictum.

ARISTOTELIS STAGIRITAE ETHI- corum ad Nicomachum, Liber Nonus,

Ioanne Argyropylo Byzantio Interprete.


Argumentum Libri.



Nonus hæc: quid amicis debetur: de solvenda amicitia: quo modo se sit habendum ad amicum: de operibus amicitia, de prauis: de benevolentia: de cõcordia: de beneficentia: de amatore sui: de felicis amicis: de numero: de fortunis: de præcipuo munere amicorū, & fugienda amicitia malorum.

Quæ conseruant amicitiam.

Cap. I.



Non omnibus autem amicitia, quæ sunt dissimiles specie, cõparatio rationum æquat, atque conseruat amicitiam, vt est dictum, vt & in ciuili societate, futuri pro calceamentis, & textori, & cæteris pro dignitate permutatio fit. Atque his quidem communis habetur mensura, nummus ipse, ad quem omnia referuntur, & quo mensurantur. In amatoria autē amicitia interdum amator quarritur quod supra modum amans, non vicissim ametur, nihil habens fore amabile. Interdum is, qui adamatur, quod cum prius cuncta polliceretur, nunc nihil facit. Fiunt autem talia, cum ille quidem ob voluptatem adamatum, hic autem ob vtilitatē diligit amatorem, & hæc non assunt vtrisque. Nam cum propter hæc sit amicitia, fit dissolutio: cum ea non fiunt, gratia quorum amabant. Non enim se mutuò amabant, sed ea, quæ inerant, quæ non permanent. Quapropter tales & amicitia sunt. Morum verò amici-

tia, cum per se sit, permanet, vt dictum est. Dissentiunt autem & cum alia fiunt ipsis, & non ea, quæ appetit. Est enim simile, ac si nihil fieret, cum non id assequitur, quod affectat. Quale fecit & qui citharcedo pollicebatur, quanto melius cantaret, tanto se plura daturum. Postridie verò reposcenti promissa, voluptatem reddidisse dixit pro voluptate. Si igitur vterque hoc affectaret, satis vtrique haberet. Sin verò ille voluptatem, hic lucrū affectabat, & alter habet, alter non habet: non bene sese habet ipsa societas. Quorum enim indiget vnusquisque, hæc & assequi vult, & horum gratia dabit ea, quæ habet. Vtrius autem est æstimationem facere, eiusne, qui dat, an eius, qui primò accepit? Nam qui dat, videtur illi permittere, quod quidē & Prothagoram fecisse aiunt. Cum enim docuisset ea, quæ profitebatur, discipulum æstimare iubebat, quanti ipsi viderentur ea, quæ sciret, & tantum accipiebat. Nonnullis autem in talibus satis est illud: Sufficiens socio merces sanè est statuenda.

Qui verò prius acceperunt argentum, deinde nihil eorum promiserunt, ob exuperationem promissionū efficiunt, merito in cufantur. Non enim perficiūt ea, quæ pepigerūt. Hoc autem fortasse sophistæ facere cõpelluntur, quia nemo daret pro iis, quæ sciūt argentū. Hi igitur, ea, pro quibus acceperunt mercedem, non efficiunt, merito accusantur. Eorum autem, in quibus subministrationis non fit pactum, qui propter se ipsos exhibent, in cufationibus carent, vt diximus: talis est enim ea amicitia, quæ ob virtutem confatur, remuneratioque faciēda est electione: hæc enim est amici, atque virtutis. Sic est faciendum & in societate, quæ fit ob philosophiam. Non enim tantæ dignitati pecuniæ æqua

æquari possunt, nec honos paris vnquam fiet momenti. Sed satis est forsitan, vt & ad deos, atque parentes, id, quod fieri potest. Quod si datio non sit talis, sed pro aliquo, maximè quidem oportet forsitan retributionem fieri, vt vtrisque videtur esse pro dignitate. Si verò hoc non accidit, non solum necessarium, verùm etiã iustum ipsum præhabentem hanc ipsam statuere. Nam si quantum hic utilitatis habuit, aut pro quanto voluptatem experit, tantum ille receperit, dignam de hoc remunerationem habebit. Etenim in rebus venalibus ita fieri constat. Et quibusdam in locis sunt leges, quæ vetant, sponte actorum contractuum iudicia esse: propterea quòd oportet vnumquemque ad eum, qui credidit, sic dissolutionem facere, vt societatem contraxit. Putant enim, eum iustus esse statue re, cui permissum est, quàm eum, qui permisit. Etenim plerunque non æquè æstimant qui habent, & qui accipere volunt. Sua enim cuique, & ea, quæ dat, multo videntur prætio digna. Attamen retributio fit ea, quam statuunt ii, qui capiunt, quantitate. Oportet autem fortasse non tanti æstimare, quanti videtur dignum habenti, sed quanti æstima bat antea, quàm haberet.

Quòd singulis pro dignitate sint beneficia rependenda.

Cap.

II.



Abent autem & talia dubitationem, 30
Vtrum oporteat omnia patri tribuere, in omnibusque obtemperare: an ægro- tanti quidem parendum sit medico: deligenti verò ducem exercitus, deligendus sit rei militaris peritissimus homo. Simili modo, vtrum amico sit potius, an studioso subministrandum. Et benefactori reddenda sit gratia, an sodali potius dan dum, si vtrunque fieri nequeat. Omnia igitur talia exactè determinare, non est facile. Multas enim, ac varias habent differentias, & magnitudine, & parui tate, & honestate, atque necessitate. Verùm non 40 omnia eidem esse tribuenda, non est obscurum. Atque beneficia plerunque reddenda sunt potius, quàm est largiendum amicis: sicut & mutuum red- dendum est potius, cui debeas, quàm dandum soda li. Fortasse autem neque hoc agendum est semper. Vt redemptum à prædonibus, vtrum eum, qui ipse redemit, redimere vicissim oporteat, quicumque is sit: aut non capto quidè, repetenti verò mutuum, reddere, an redimere patrem? videbitur enim, pa- 50 trem potius, quàm se etiã redimere illum oportere. Debitum igitur, vt diximus, simpliciter est red- dendum. Si verò datio honestate, aut necessitate excedat, ad hæc ipsa est declinandum. Interdum enim neque est æquum, beneficiũ retribuere, cum alter quidem in studiosum, sciens studiosum esse, contulit beneficium, alter autè illum flagitiosum esse existimat. Nonnunquam enim nec ei, qui mu- tuauit, vicissim est mutuandum. Nam ille quidem putans se recepturum, bono mutuauit viro: hic au- 60 tem non sperat à prauo recipere. Siue igitur re ve- ra hoc sic se habeat, non æqualis est dignitas: siue non ita quidem se habeat, putent autem sic se habe- re, non videbuntur absurdè facere. Quod igitur

sæpe est dictum, sermones, qui de affectibus, acti- busve fiunt, perinde habent definitionem, vt ea, cir- ca quæ sunt. Non eadem igitur vniuersis esse red- denda, neque patri cuncta, quemadmodum neque Ioui sacra omnia dantur, non est obscurum. Quòd si diuersa tribuenda sunt parentibus, & fratribus, & sodalibus, & beneficis, tribuenda sunt singulis sua, quæque ad quenque accommodantur. Sic autem & facere videntur. Nam ad nuptias vocant cognatos, 10 genus enim iis est commune: quare & actus, qui cir- ca hoc sunt. Et ad sponsalia etiam maximè cognatos propter idem putant accedere oportere. Vide- bitur autem parentibus maximè alimentis filios, vt debètes, opitulari oportere: & honestius esse iis, qui causa sunt essendi, quàm sibi ipsis subuenire. Honorè etiam vt diis tribuere oportet, non omnè autem parentibus, neque eundem patri, matrique, neque sapientis, aut imperatoris, sed patri paternũ, & similiter matri maternum. Omni quoque senio 20 ri honor est tribuendus, qui ad ætatem accommo- datur, assurgendo, locoque cedendo, & talibus. So- dalibus autem, atque fratribus præstanda est liber- tas, omniumque communitas. Atque cognatis, & iis, qui sunt eiusdem tribus, & ciuibus, ac cæteris vniuersis semper est, enitendum, id, quod accom- modatur, tribuere, & comparare, quæ insunt singu- lis ratione familiaritatis, & virtutis, aut utilitatis. Eorum igitur, qui generis sunt eiusdem, facile est iudicium: differentium autem est, difficilium. Non tamen ob hoc desistendum est, sed vt fieri potest, ita est distinguendum,

Quando seruanda amicitia.

Cap. III.



St etiam dubitatio, si dissoluendæ sint amicitia, necne, ad eos, qui non per- manent, an ad eos, qui ob utilitatem, aut voluptatem amici sunt, cum hæc non habent. Nec est absurdum dissolui, illorum enim erant amici, quibus deficientibus, rationi cõ- sonum est non amare. Incusauerit autem quispiam, si ob utilitatem, aut voluptatem amans, ob mores simulat amare. Quod enim superius diximus, plu- rimæ fiunt incusationes inter amicos, cum non si- militer optant, & sunt amici. Cum igitur quispiam sua se opinione sefellerit, putaueritque ob mores amari, nihil illo tale agente, tum se ipsum is accusa re debet. Cum verò à simulatione illius deceptus fuerint, tum eum, qui decipit, iustum est accusare, & magis, quàm eos, qui nummos adulterinos con- ficiunt, quantò maleficium ipsum circa præstabi- lius est. Quòd si acceptat vt bonum, factus est au- tem prauus, atque apparet, estne amandus? An im- possibile est? siquidè non omne quoduis est amabi- le, sed bonum. Neq; autè dignum est, prauum ami- cum habere, neque oportet: nõ enim amatorè prauorum esse oportet, neq; simile euadere prauo. Di- ctũ est autè, simile simili esse amicum. Estne igitur statim amicitia dissoluenda, an non omnis, sed in qua est incurabilis ob prauitatem? Qui autè emen dari possunt, iis magis ferendum est in moribus auxilium, quàm in pecuniis, quantò præstabilio- res sunt, & magis amicitia proprii. Nihil autè ab- surdi

surdi videbitur facere, qui amicitiam dissoluit: non enim huic aut tali amicus erat. Cum igitur muta- tum ad priores mores redigere nequeat, sese ab illo seiungit. Quòd si alter permaneat, alter magis bo- nus euadat, multumque virtute differat, estne vten- dum amico? an fieri nequit? In magna autem distan- tia maximè manifestum fit, vt in amicitias, quæ à pueritia contrahuntur. Nam si alter mente permaneat puer, alter in optimum virum euaserit, quonã modo fuerint amici? cum neque eadem ipsis placeant, neque eisdem gaudeant, doleantque. Neque enim hæc erunt in ipsis. Sine verò his esse amici non possunt. Simul enim ipsos viuere impossibile est. Atque de his antè diximus. Oportetne igitur ipsum non secus ad illum sese habere, quàm si ami- cus nunquàm fuisset? An factè memoriam consue- tudinis habere oportet? Atque vt amicis potius, quàm alienis, arbitramur gratificari oportere, sic & iis, qui fuerunt amici, tribuendum est aliquid ob amicitiam, quæ antea fuit, eum non ob exuperatio- nem prauitatis est dissolutio facta.

Quæ opera amicitia, & quòd non sint prauorum.

Cap. IIII.



A verò, quæ ad amicos attinent, & quibus amicitia definiuntur, ex iis, quæ ad se ipsum quisque facit, profecta esse videntur. Ponunt enim eum ami- cum esse, qui vult, & agit bona, vel quæ videntur, amici gratia: aut eum, qui vult esse, viuerèque ami- cum, gratia ipsius amici: quod quidem matribus ad suos accidit filios, & iis amicis, qui sunt offensi. Quidam autem eum esse dicunt, qui versatur vnà eum amico, & eadem expetit: aut eum, qui dolet vnà, atque gaudet cum amico. Maximè autem & hoc matribus accidit. Horum etiam aliquo & ami- citiam ipsam definiunt. Vnumquodque autem ho- rum, viro competit erga se bono: reliquis verò ea ratione, qua tales esse existimant. Videtur autem, vt dictum est, virtus, & studiosus ipse, vnicuique esse 40 mensura. Hic enim sibi ipsi consentaneus est, ac ea- dem affectat anima omni. Et vult igitur sibi ipsi bona, & quæ apparent, ac agit. Est enim viri boni, bonum agere, & sui ipsius gratia. Mentis enim cau- sa, quæ quidem vnusquisque esse videtur, & vult etiam se viuere, saluumque esse, atque id maximè, quo sapit. Est enim bonum homini studioso, esse. Vnusquisque autem sibi vult ipsa bona. Factus ve- rò alius, nullus expetit cuncta, illud quod est factum habere. Habet enim & nunc Deus summum bonũ, sed est id, quod est ipse. Videtur autem id vnusquis- que esse quod intelligit, aut maximè, atque talis, se- cum degere vult. Libenter enim hoc, cum volupta- tēque facit. Nam & actarum rerum recordatio per- iucunda est, & futurarum spes bona. Talis autem afficit voluptate. Et insuper contemplationibus mente abundat. Præterea maximè secum vnà do- let, atque lætatur. Idem est enim omnino ipsi mo- lestum, atq; iucundum, & non aliàs aliud. Est enim sine potētia prorsus. Ex eo igitur, quia vnumquod- que ipsorum ad se ipsum competit studioso, ad ami- cum autem sic se habet, vt ad se ipsum, (amicus enim est alius ipse) & amicitia videtur horum ali- quid esse, & quibus hæc insunt, videntur esse ami-

ci. Quærere verò vtrum ad se ipsum sit, an non sit, amicitia, nunc omittamus. Videbitur autem hoc amicitia esse, quo duo, vel plura ex iis habet, quæ dicta sunt. Et quòd maxima amicitia similis est ei, quæ est ad se ipsum. At verò videntur ea, quæ dicta sunt, & ipsis multis inesse, quanuis sint prauis. An hoc participes ipsorum sunt, quo sibi ipsis pla- cent, & bonos se esse existimant? Nam eorum, qui vehementer sunt prauis, atque nefarii, nemini hæc insunt: sed nec inesse videntur, ferè autem neque prauis. Dissident enim secum, & alia quidem cupiunt, alia autem volunt, vt incontinentes. Nam iis, quæ bona sibi videntur, anteponunt ea, quæ vo- luptate afficiunt, atque nocent. Quidam rursus ob formidinem, atque inertiam eas agere res omittunt, quas putant sibi ipsis optimas esse. Qui verò mul- tas res graues, atque nefandas egerunt, vitam ob prauitatem odio habent, ac fugiunt, sibi que mortem consciscunt. Quærunt præterea alios ipsi flagitio- si, quibus cum versentur, se verò ipsos fugiunt. Nam si sint secum, recordantur multarum, grauiumque rerum, & sperant alias tales. Si cum aliis autem sint, obliuiscuntur. Atque cum nihil habeant, quod sit amabile, nulla re prorsus afficiuntur ad se ipsos, quæ ad amicitiam attinet. Neque igitur vnà secum gau- dent, atque dolent: est enim eorum anima in sedi- tione. Atque interdum ob prauitatem dolet, absti- nens à quibusdam, interdum lætatur. Et hæc quidè pars huc, illa autè illuc trahit, vt diuellentes. Quod si fieri nequeat vt doleat simul, atque lætetur, at pau- lò post dolet, quòd lætatus fuit, & nollet sibi ipsi illa voluptati fuisse. Improbi nanque penitentia sunt referti. Improbis igitur ne erga se quidè ami- cè affectus est, propterea quòd nihil habet, quod sit amabile. Quod si ita sese habere vehementer est mi- serum, totis viribus fugienda est prauitas, & eniten- dum est bonum esse. Sic enim & ad se ipsum habe- bit amicè, & alii amicus poterit esse.

De benevolentia.

Cap. V.



Benevolentia autem, amicitia quidem est similis, non tamen est amicitia. Fit enim benevolentia & ad ignotos, & la- tens: amicitia verò non fit. Hæc autem antea diximus. At nec etiam est amatio. Non enim habet extensionem, nec appetitionem. Amationem autem hæc sequuntur. Et amatio quidem est cum consuetudine: benevolentia autem fit & repente: vt fit & erga certates. Spectantes enim beneuoli fiunt ipsis, & volunt bona. Nihil autem agerent simul. Quod enim diximus repente fiunt beneuoli, & leuiter diligunt. Videtur igitur benevolentia prin- cipiũ amicitia esse: sicut & adamandi, voluptas ea, quæ per aspectum efficitur. Nemo nanque amat, si non antea delectatus fuerit forma. Qui verò gau- det forma, non continuo & amat: sed cum absen- tem desiderat, præsentiamque affectat. Sic igitur & amicos, impossibile est esse, nisi beneuoli fuerint. Beneuoli verò non continuo & amant. Volunt enim duntaxat iis bona, quibus beneuoli sunt. Sed nihil agerent simul, neque pro illis molestiam susci- perent vllam. Quapropter quispiam per translatio- nem principium ipsam amicitia dixerit esse. Diu- turnam autem factam, & ad consuetudinem acce-

dentem, amicitiam fieri: non eam quidem, quæ ob utilitatem, neque eam, quæ ob voluptatem est: neque enim pro hisce benevolentia fit. Qui nanq; beneficium accepit, retribuit pro iis, quæ accepit benevolentiam, faciens iusta. Qui verò vult aliquæ prosperitatem habere, spe commodi alicuius consequendi per illum, non illi, sed sibi potiùs, beneuolus est: quemadmodum nec amicus, si illi propter aliquem vsum obsequium præstat. Omnino autem benevolentia ob virtutem, ac bonitatem aliquam fit, cum cuiuspiam quispiam pulcher, aut fortis, aut aliquid tale videtur: vt in certantibus diximus.

De concordia. Cap. VI.

ATqui concordia etiam ad amicitiam attinet. Quapropter non est eadem opinatio. Hæc enim & in iis, qui sibi mutuo sunt ignoti, inesse potest. Nec eos, qui de quouis sunt eiusdem sententiæ concordantes: velut eos, qui de cælestibus eadem sentiunt: non enim ad amicitiam pertinet, de his esse cõcordes. Sed ciuitates concordantes inquit esse, cum de iis, quæ conferunt, eadem sentiunt, eliguntque, atq; agunt ea, quæ publicè visa sunt. Circa igitur ea, quæ in actionem veniunt, concordantes sunt homines: & horum circa ea, quæ in magnitudine sunt, possuntque vtrisque vel omnibus inesse. Vt ciuitates concordantes sunt, cum omnibus videtur magistratus esse deligendos, aut societatem cum Lacedæmoniis in eundam esse, aut magistratû gerere Pittacum, cum vellet & ipse. At cum vterque se ipsum vult (vt ii volunt, qui in Phœnisis sunt) seditionem habent. Concordantes enim esse, non est idem vtrunque intelligere, quicquid tandem id sit. Sed in eodem idem: vt cum & populus, & boni Rempublicam optimates gerere volunt. Sic enim fit omnibus quod exoptant. Ciuilibus autem amicitia videtur ipsa concordia esse, sicut & dicitur. Nam circa cõmoda, & ea, quæ pertinent ad vitam, versatur. Est autem talis concordia in bonis: nam & secum quisque horum est cõcors, & omnes inter se sunt cõcordes, quippe cum in eisdem omnino sint. Talium enim voluntates manent, & non refluunt, vt Euripus: voluntque semper ea, quæ iusta sunt, & quæ profunt. Hæc autem & communiter affectant. Prauos verò concordantes esse, impossibile est, nisi breui in tẽpore, quemadmodum & amicos esse. In rebus quidem vtilibus plus, in subeundis verò laboribus, subministratio nibusve minus habere percipientes. Vnusquisque autem hæc sibi volens proximum perscrutatur, & prohibet. Perit enim res ipsa communis, cum ab ipsis non conferretur. Fit igitur vt in seditione versentur: & sese quidem vicissim vrgentes, quæ iusta sunt agere nolunt.

De beneficentia. Cap. VII.

Videntur autem ii, qui beneficia contulerunt, magis eos amare, in quos beneficia sunt collocata, quàm ii, qui acceperunt, eos, qui contulerunt. Atque vt præter rationem eueniens quæritur. Plurimis igitur videtur id ex eo fieri, quia hi quidem debent, illis verò debetur. Vt igitur in mutuis, debitores quidem volunt suos creditores non esse, hi verò de salute quoque debitorum diligentiam adhibent, sic & eos inquit, qui beneficia contulerunt, velle eos

esse erga quos fuere beneficii, vt gratias accepturos, illis verò non esse curam reddedi. Epicharmus igitur fortasse dixerit hæc ipsos dicere, aspicientes ad malum. Videtur autem hoc esse humanum. Plerique enim immemores sunt, & suscipere potiùs, quàm conferre, beneficia appetunt. Videbitur autem causa naturalior esse, & non similis ei, quæ de creditoribus dicitur. Non est enim erga debitores amatio, sed voluntas salutis, recipiendi causa. Sed qui beneficia contulerunt, diligunt, atq; amant eos, qui beneficia acceperunt, & si nulla in re sunt vtilis, neque in posterum futuri: quod quidem & artificibus accidit. Magis enim vnusquisque propriû amat opus, quàm ipse ab opere amaretur si animæ particeps esset. Maximè verò forsitan hoc circa poetas accidit: hi nanque sua diligunt poemata supra modum, & perinde, atque filios, amant. Tali igitur simile est & id, quod faciunt ii, qui beneficia contulerunt. Quod enim suscepit beneficium, ipsorum est opus: hoc igitur & amant magis, quàm eum, qui opus fecit. Huius autem causa est, quod vniuersis est expetibile, atque amabile esse. Sumus autem actu, nam viuendo sumus, atque agendo. Qui igitur fecit, est actu suum quodam modo opus. Diligit itaq; ipsum opus, quia amat & esse. Hoc autem est naturale. Quod enim est potentia, id opus ipsum actu declarat. Et insuper ei quidem, qui contulit beneficium, honestum est id, quod egit. Quare gaudet eo, in quo est hoc. At ei, qui accepit, nihil est honesti in eo, qui contulit, nisi conferens: quod quidem minus est iucundum, atq; amabile. Est autem præsentis quidem operatio, futuri autem spes, facti verò memoria iucunda. Sed iucundissimum est, quod est actu, & amabile simili modo. Ei igitur, qui contulit beneficium, permanet ipsum opus: diuturnum est enim ipsum honestû. Sed ei, qui cepit, transacta est ipsa vtilitas: memoriæque honestarum quidem rerum est periucunda: vtilium autem non nimium, aut minus. Expectatio verò contra sese habet. Et amare quidem simile est actioni, amari autem passioni. Eos igitur, qui circa actum excellunt, sequitur amare, & ea, quæ ad amicitiam attinent. Præterea, quæ facta sunt cum labore, ea magis diligunt omnes: vt & pecunias magis diligunt, qui acquisuerunt, quàm qui ab aliis acceperunt. At beneficium quidè accipere, sine labore esse constat: beneficium autem cõferre, difficile. Propter hæc & matres filios magis amant: generatio nanq; laboriosa est magis, & magis sciunt esse suos. Videbitur autem hoc & iis accommodatum esse, qui beneficia contulerunt.

De amatore sui. Cap. VIII.

Vbitur autem & vtrum oporteat se ipsum amare maximè, an aliquem aliû. Increpant enim eos, qui se ipsos maximè amant: & vt turpe, sui amatores appellant. Atq; prauus quidem, sui gratia cuncta agit: & tantò magis, quantò prauior est. Incusant igitur ipsum, quia nihil, nisi sibi, agit. Probus autem ob honestatem, & tantò magis, gratiæque amici, quantò præstabilior est: sua verò negligit. Ab his autem verbis non sine ratione ipsa opera discrepant. Nam eum inquit oportere summè amare, qui maximè est amicus. Is autem maximè est amicus, qui vult cui vult bona illius gratia, si nullus etiam scierit. At hæc

Hæc ipsi ad se ipsum maximè competunt: & cetera omnia, quibus definitur amicus. Dicitur enim ab ipso ea omnia, quæ ad amicitiam attinent, & ad ceteros peruenire. Eòdem accedunt & proueria vniuersa: vt, anima vna: &, amicorum omnia sunt communia: & amicitia est æqualitas: & tibiæ genu propinquius. Hæc enim vniuersa ipsi ad se ipsum maximè competunt. Maximè nanque amicus est sibi: & se igitur ipsum maximè amare oportet. Dubitatur autem meritò, vtris oporteat assentiri, cum vtrisque videatur esse credendum. Fortasse igitur tales sermones distinguendi, determinandiq; sunt, quousque, & quonam modo sint veri. Si itaq; sumptimus quonam vtrique modo sui amatorem dicunt, fuerit forsitan manifestum. Qui igitur hoc reprehendendum esse existimant, eos amatores sui appellant, qui sibi plus tribuunt in pecuniis, & honoribus, & voluptatibus corporis: hæc enim ipsa multitudo affectat, & ipsis, vt optimis, omni studio incumbit: quapropter & in certamen veniunt. Qui igitur in hisce plus habere pergunt, ii cupiditatibus, & omnino affectibus, eique parti animæ, quæ rationis est expers, gratificantur: tales autem sunt ipsi multi: idcirco & appellatio orta est ex multitudine, quæ quidem est praua: ergo iustè vituperantur ii, qui ita se amant. Non est autem obscurum, vulgus eos, qui sibi ipsis talia tribuunt, sui amatores dicere consueuisse. Nam si quis semper studeat agere iusta maximè omnium, aut temperata, aut quæuis alia, quæ à virtutibus proficiuntur, honestatèmq; omnino sibi ipsi semper vendicet, atque vsurpet, hunc nemo dicit amatorem sui, neque vituperabit. Magis autem videbitur talis homo sui amator. Nam ea sibi tribuit, quæ pulcherrima, maximèque bona: & gratificatur ei, quod sui ipsius potissimum, in omnibusque illi obtemperat. Vt autem & ciuitas id esse maximè videtur quod est potissimum, & alius omnis conuentus: sic & homo. Amator igitur is est maximè sui, qui illud amat, illique gratificatur. Et continens igitur dicitur, & incontinens, quia mens vincit, aut non vincit: propterea quòd ipsa est hominum quisque. Elegisse ipsi & sua sponte ea videntur, quæ cum ratione maximè egerunt. Non igitur est obscurû, hoc esse maximè vnumquenque, & hoc maximè virum bonum amare. Quapropter maximè sui est amator, diuersa specie ab eo, qui reprehenditur: tantumque differt, quantum vita cum ratione, differt à vita cum perturbatione: & appetitio aut honesti, aut eius, quod conferre videtur. Qui si omnes ad consequendam honestatè, & ad res agendas pulcherrimas decertant, atque contenderent, & omnibus publicè ea, quæ oportet, & vnicuique priuatim maxima bona inessent: siquidem virtus est tale. Quare bonum quidem hominem, amatorem esse sui oportet: nam & sibi ipse, & ceteris proderit, agendo honesta. Prauum autem, non oportet: & sibi nanque nocebit, & propinquis, affectus prauos sequendo. Ea igitur, quæ vir improbus agit, ab iis discrepant, quæ agere oportet. At probus, quæ oportet, ea & agit. Mens enim omnis id expetit, quod est optimum sibi: & probus obtemperat menti. At qui verum est illud, quod de studioso dicitur, complura, inquam, ipsum agere, & amicorum, & patriæ gratia, & si opus fuerit, mortem obire. Et pecunias

enim, & honores abiiciet, & ea bona omnino, de quibus homines decertant, sibi vendicans honestatem. Expetet enim potiùs voluptatem breui tempore vehementem, quàm longo leuem: & vitam honestam vno anno, quàm quanuis multis: & vnum actum honestum, magnùmve, quàm multos, & paruos. Atque iis, qui pro amicis, qui pro patria mortem obeunt, hoc forsitan accidit. Magnam igitur sibi ipsis eligunt honestatem, abiiciuntque pecunias, vt amici capiant plures: hinc enim amicus facultates, ipse consequitur honestatem, atque sibi maius tribuit bonum. Eundem & circa honores modum, magistratusque seruabit: nam hæc omnia amico suo concedet: est enim hoc honestum ipsi, ac laudabile. Meritò igitur studiosus esse videtur, anteponeus omnibus honestatem. Fit etiam, vt & res agendas concedat amico, sitq; honestius, se ipsum fuisse causam vt agat illas amicus, quàm si ipsemet agat. In vniuersis igitur laudabilibus, ipse studiosus plus honestatis tribuere sibi ipsi videtur. Sic igitur sui ipsius (vt diximus) amatorem esse oportet: vt ipsi autem multi sunt, non oportet.

De amicis felicis, & quibus indigeat. Cap. IX.

St autem controuersia & de ipso felici, si indigeat amicis, necne. Nō esse enim inquit ipsis beatis, & ex sese sufficientibus, opus amicis: insunt enim ipsis omnia bona. Cum igitur ex sese sint sibi sufficientes, nullius indigent rei. Amicum autem inquit, cum sit alter ipse, ea afferre amico, quæ ipse per se amicus consequi nequit. Vnde & hanc sententiam dicunt:

Fortuna cum bona est, amicis cur opus?

At absurdo simile est, vniuersa bona tribuentes felici, amicos ipsi non tribuere, quod externorum bonorum maximum est. Quod si ad amicum conferre potiùs, quàm accipere beneficia, spectat, atque ad virum bonum, virtutèque, dare beneficia pertinet, magisque honestum est amicis, quàm alienis, largiri, beneficiæque conferre: vir studiosus iis indigebit profectò, qui dona, beneficiæque sunt accepturi. Quapropter & quæritur, vtrum prosperis in rebus, an in aduersis opus sit magis amicis, vt pote cum & is, qui mala fortuna vititur, iis indigeat, qui beneficia conferant: & iis, qui prospera fortuna fruuntur, iis sit opus, apud quos beneficia collocabunt. Est etiam forsitan absurdum, beatum ipsum solitarium facere. Nemo enim expetet per se bona cuncta habere: nam homo ciuile animal est, & cum aliis aptum vnà viuere. Hoc igitur competit & felici: habet enim ea omnia, quæ natura sunt bona. Constat autem, melius esse cum amicis, probisque, quàm cum alienis ipsum & quibusuis conuersari. Amicis ergo beato est opus. Qui igitur illi primi dicunt? & qua parte vera loquuntur? an quia vulgus eos amicos esse putat, qui vtilis sunt? Talibus igitur non indiget ipse beatus: quippe cum ipsi omnia bona insint. Nec etiam iis, qui ob voluptatem amantur, aut perparum: nam cum sit ipsius vita iucunda, aduentitia non indiget voluptate. Atque cum amicis talibus haud indigeat, non videtur indigere amicis. Hoc autem non est forsitan

verum. Nam in principio dictum est, felicitatem operationem esse quandam. Constat autem, operationem ipsam fieri, & non ut quãdam rem esse, quæ possidetur. Quod si felicè esse, in viuendo, ac operando consistit, boni autem operatio studiosa, & iucunda per se, ut initio diximus, resq; propria ex iis est, quæ delectant, atque magis propinquos, quàm nos ipsos, & actus illorũ, quàm nostros, possumus contemplari: studiosorumq; hominum actus, si sint amici, iucundi sunt ipsis bonis, (habent enim ambo ea, quæ sunt natura iucunda) beatus profectò talibus indigebit amicis, si expetit actus bonos, & proprios contemplari: talesque sunt ipsius boni, si sit amicus. Arbitrantur autem homines, felicem iucundè viuere oportere. Solitatio igitur difficilis est vita. Non est enim facile per se ipsum semper operari, cū aliis verò, atque ad alios, facile. Erit igitur operatio continua magis, cū sit per se ipsam iucunda. Quod quidem esse circa beatum ipsum oportet. Studiosus enim hoc ipso, quo studiosus est, gaudet quidē iis actibus, qui à virtute proficiscuntur. Molestè autem fert eos, qui à vitiis prodeunt: perinde, atque musicus delectatur quidem eleganti cantu, offenditur autem prauo. Fuerit etiam & quãdam virtutis exercitatio ex conuictu bonorum, ut & Theognidi placet. Naturalius autem considerantibus, studiosus amicus expetibilis esse natura studiose videtur. Diximus enim id, quod est bonum natura, studiose bonum, & iucundum esse per se. Definiunt autem ipsam viuere animalium quidem, potentia sensus: hominum autem, sensus, vel intellectiois. Potentia verò ad operationē reducitur, & ipsum præcipuum in operatione consistit. Ipsum autem viuere videtur propriè esse ipsum sentire, vel intelligere. At ipsum viuere de iis est, quæ sunt per se bona, atq; iucunda. Est enim definitū, definitū autē natura est bonum. Quod verò natura est bonū, id & bono est bonum: quapropter omnibus iucundum esse videtur. Non oportet autem, vitam sumere prauam, atque corruptam, neque in doloribus constitutam. Indefinita nanque est talis, quemadmodum ea, quæ insunt ipsi. Eritque hoc manifestum magis in sequentibus de dolore. Si verò ipsum viuere bonum est, & iucundum etiam est. Quod vel ex eo videtur, quia omnes appetunt ipsum, & maximè boni, atq; beati. His enim viuere maximè est expetibile, & horum vita est beatissima. Qui autem videt, videre sentit: & qui audit, audire: & qui ambulat, ambulare: & in cæteris similiter est aliquid sentiens nos operari. Sentire verò nos sentire, & intelligere nos intelligere possumus. Quod quidem est nos esse. Esse enim, sentire, vel intelligere. Sentire autem se viuere, de iis est, quæ per se sunt iucunda. Vita nanque natura est bonum. Bonum autem sibi quempia inesse sentire, voluptate afficit. Ipsum verò viuere expetibile est, & maximè bonis: propterea quod esse, bonū est ipsis, atque iucundum. Sentientes enim id, quod est per se bonum, voluptate afficiuntur. At studiosus ut erga se ipsum, sic sese habet & ad amicum: amicus enim est alter ipse. Ut igitur se ipsum esse, est unicuique expetibile, sic & suum amicum esse, vel similiter. Esse autem idē est expetibile, quia sibi bonum esse ipsum sentit. At talis sensus iucundus per se ipsum est, Sentiat ergo & ipsum

Theognides sic habet. Εσθλὸν μὲν γὰρ ἀπ' ἐσθλῶ διδάξαι, ἢ πρὸς κακοῖσι συμμίξαι. ἀποκῆς ἢ ἀπὸ τῶν ἰώντων νόσων.

Ἐπίπεος ἀντὶ τοῦ ὁρίσεως.

amicum esse oportet. Hoc autem fieri potest, cum ipso simul viuendo, & verba, mentēve commutando. Sic enim in hominibus dici videtur simul viuere: & non, ut in pecoribus, eodē in loco pasci. Si igitur ipsum esse, per se est expetibile viro beato, cū natura sit bonum, atq; iucundum, simile autem est, & amici ipsius esse: amicus etiam ex iis est profectò, quæ expetibilia sunt beato. At quod est expetibile beato, id adsit ipsi oportet, vel egens erit hac parte. Opus est igitur ei, qui felix futurus sit, studiosis amicis.

De numero amicorum. Cap. X.



Vtne igitur quàm plurimi faciendū amici, an, ut de hospitalitate dictū concinnè fuisse videtur,

† Hospite ne careas, hospes neque pluribus esto. Sic & ad amicitiam accommodabitur, neque sine amicis esse, neque rursus nimium multos habere amicos. Ad eas igitur amicitias, quæ sunt ob vtilitatem, & valde id, quod dictum est, accommodatur. Multis enim vicissim subministrare, laboriosum est: neq; ad hoc agendum, facultates ipsæ sufficiunt. Plures igitur iis, qui sunt ad facultates proprias satis, superuacanei sunt, atque ad bene viuendum impedimento: non ergo opus est ipsis. Ii quoque, qui comparantur ob voluptatem, sufficiunt pauci, ut in epulis condimentum. At suntne studiosi plurimi comparandi? an & multitudinis amicorum est quidam numerus perinde, ac ciuitatis? Nec enim decē ex hominibus, ciuitas constare potest, nec etiam est ex centū millibus adhuc ciuitas. Sed quantitas non est forsitan vna quãdam determinata, sed omnis ea, quæ est media inter quasdam multitudines definita. Et amicorum igitur multitudo quãdam est definita. Atq; ii fortasse sunt plurimi, cum quibus quispiã viuere potest: hoc enim ad amicitiam pertinere maximè videbatur. Fieri autem non posse ut vnà cum multis quispiam viuat, seque multis impertiat, non est obscurum. Præterea illos etiam inter sese amicos esse oportet, si simul omnes victuri sunt. Hoc autem difficile est in multis. Est etiam perdifficile, gaudere familiariter cum multis, atque dolere. Concurrere enim hæc simul possunt: cum vno, inquam, dolere, & cum altero gaudere. Fortitā igitur bene est, nō quærere quàm plurimos amicos habere, sed quot ad communem vitam habendam sufficiunt. Neque enim posse videtur, multis vehementer amicum esse. Quapropter neque adamare plures: exuperatio enim quãdam amicitia est. Hoc autem est ad vnum. Et vehementer igitur amare, ad paucos erit. Hoc & in ipsis rebus ita se habet. Amicitia nanq; sodalitia non fiunt multi amici: & quæ fama celebrantur, inter duos fuisse dicuntur. Qui verò multos amicos habent, & omnibus sese familiariter offerunt, ii nemini sunt amici, nisi ciuilitate, quos & placidos appellant. Fit igitur ut ciuilitate multis sit quispiam amicus, etiam si non sit placidus, sed verè vir probus. Sed ob virtutem, & se ipsos, amicitia non est ad multos. Amabile autem est, & paucos inuenire tales,

Mittraisse verum, ut vii.

condimentum

similitudo

habere

in epulis

condimentum

condimentum

Quæst. Nota est omni

Cogitatio ne, in vno.

In qua fortuna sint habendi amici.

Cap. XI.



Vtra in fortuna magis opus est amicis. Vtrum in prospera an in aduersa? In vtraque nanque quæruntur. Nam & qui fortunam habent aduersam, indigent ope. Et qui sunt in rerum prosperitate, eorum indigent, quibus cum viuant, & in quos beneficia conferant. Volunt enim donare, beneficiaque conferre. Amicos igitur habere necessarium quidem est magis in aduersa fortuna. Quapropter hinc vtilibus amicis est opus. Honestius autem est, in prosperitate fortunæ. Idcirco & bonos quærunt: in hos enim beneficia conferre, atque cum his vnà degere magis est expetibile. Est enim & ipsa presentia amicorum iucunda in vtraque fortuna: nam leuantur ipsi dolentes condolentibus ipsis amicis. Quapropter & dubitauerit quispiam, si doloris, ut oneris, amici participes fiunt: an hoc quidem non fit, ipsorum autem presentia, cū sit iucunda, condolendique sensus minuit ipsum dolorem? Verum si ob hæc, aut ob aliquid aliud leuantur, missum faciamus. Id quod dictum est euenire sanè videtur. Ipsorum autē presentia immista quãdam est: nam aspicere quidem amicos, iucundum est, præsertim ei, qui calamitatibus premitur: fertq; præsidium aliquod aduersus dolores. Consolationem enim ipse amicus & aspectu, & verbis afferre potest, modò sit dexter. Scit nanque mores, quibus gaudet, atque dolet. At sentire suas ob ærumnas dolere amicum, affert dolorem. Nam omnes fugiunt, se causam doloris esse amicis. Quapropter viriles quidem natura cauent, ne amici secum condoleant: & si non exuperent in dolentia, dolorem, quo illi afficiuntur, non ferunt. Atque omnino simul plorantes, mœrentesque non admittunt, quia nec ipsi sunt propensi ad luctus. Mulierculæ verò, & huiuscemodi viri, gaudent iis, qui vnà cum ipsis gemunt, & amant eos, tanquam amicos, & condolentes. Oportet autem omnibus in rebus præstabiliore imitari. At amicorū prosperis in rebus presentia & voluptatem affert omni in actu, & cognitione delectat, quod in ipsius bonis lætantur. Quapropter videbitur oportere in prosperitatibus quidē promptè vocare amicos. Est enim honestum, beneficium esse. In aduersitatibus autem pigre. Minimè nanque facere participes malorum ipsos oportet. Vnde & illud dicitur:

10

20

30

40

De præcipuo munere amicorum, & bonorum, & malorum. Cap. XII



T estne, ut adamantibus amabilissimum est ipse aspectus, magisq; hunc sensum, quàm cæteros expetit, propterea quod per hunc maximè est, atq; oritur amor: sic & amicis maximè expetibile conuersari, simulque viuere? Amicitia nanq; communicatio est. Et ut ad se ipsum quisque, sic sese habet & ad amicum. Sensus autem cuique de se ipso est expetibilis, igitur & de amico. At operatio ipsis in simul viuendo fit. Quare non immeritò viuere simul affectant. Atque quod tandem est singulis esse, vel gratia cuius viuere expetunt, in eo cum amicis versari, degerereque volunt. Quocirca alii comptant, alii talorum ludo simul incumbunt, alii simul sese exercent, & vnà venantur, aut philosophantur, singuli totos dies id simul agentes, quod maximè amant. Viuere nim simul cum amicis volentes, hæc faciunt, & ea cum iis communicant, quibus cum vnà viuere expetunt, quæ maximè ipsos in vita delectant. Fit igitur amicitia quidem improborum flagitiosa. Communicant enim praua, suntque instabiles, & peiores etiam fiunt moribus, similes euadentes. Proborum autē proba, congressionibus suscipiens incrementa. Videntur etiam tales & præstabiliores euadere, tam agendo, quàm se mutuò emendando. Eliciunt enim ex sese mutuò ea, quæ placent. Vnde illud dicitur rectè:

Disces ex studiosis nimirum optima semper. Sed hæctenus de amicitia. Deinceps de voluptate dicamus.

STAGIRITAE ETHI-
CORVM AD NICOMA-
CHVM LIBER DECIMVS,

Ioanne Argyropylo Byzantio Interprete.

Argumentum Libri.

Dicimus hæc: De voluptate: de felicitate contemplatiua: de felicitate actiua: quod operatio præcipuum sit: de operis peroratione.

De voluptate.

Cap. I.

Post hæc sequitur forsitan vt de voluptate dicamus. Maximè nanque voluptas nostro generi familiaris est. Quapropter erudiit iuuenes, gubernâtes ipsos voluptate, atque dolore. Videtur autem ad consequendam moris virtutem maximum esse, gaudere iis, quibus oportet, & odisse ea, quæ oportet. Comitatur enim hæc tota in vita, momentum, & vim ad virtutem habentia, felicemque vitam. Nam eligunt quidem ea, quæ voluptate afficiunt, fugiunt autem, quæ dolore. Talia verò minimè prætermittenda sunt, præsertim cum magna de ipsis sit controuersia. Quidam enim summum bonum voluptatem esse dicunt. Quidam contrâ, vehementer prauum: partim forsitan & credentes sic esse, partim putantes ad vitam nostram melius esse, voluptatem ostendere prauum esse, etsi talis non est. Plerique enim propensiores sunt ad ipsam, & voluptatibus inseruiunt. Quam ob rem ad contrarium ipsos ducere oportere dicunt: sic enim ad ipsum medium tandem peruenient. Fortasse autem hoc non bene dicitur. Sermones enim, qui de affectibus fiunt, & actibus, minùs creduntur, quàm opera. Cum igitur ab his discrepant, quæ sensu percipiuntur, tum spreti veritatem etiam ipsam interimunt. Qui nanque voluptatem vituperat, is, si eam visus nonnunquam fuerit affectare, ad ipsam inclinari videtur, vt talem omnem. Distinguere nanque, non est ipsius multitudinis imperitæ. Sermones igitur veri, non solum ad sciendum, sed ad viuendum etiam, peritiles sunt: creduntur enim, cum sunt operibus consentanei. Quapropter hortantur eos, qui ipsos intelligunt, ad ita viuendum, vt ipsi definiunt. Sed de his hæcenus: nunc ea, quæ de voluptate dicta sunt, referamus.

Opinio Eudoxi de voluptate. Cap. II.

Eudoxus itaque voluptatem ex eo summum bonum esse putabat, quia cernebat, vniuersa ipsam affectare, & quæ rationem habent, & quæ expertia sunt eiusdem. Atque in cunctis quod est expetibile, bonum esse: & quod maximè est expetibile, optimum

esse. Vniuersa verò ad idem ferri declarat, omnibus illud optimum esse. Vnumquodque enim id, quod est sibi bonum, inuenire dicebat, quemadmodum & alimentum. Quod igitur vniuersis est bonum, quodque cuncta affectant, id esse summum bonum aiebat. Huius autem viri rationes ob moris magis virtutem, quàm propter se ipsas credebantur: valde enim videbatur esse modestus. Non igitur vt voluptatis amicus hæc dicere videbatur, sed quia verè res ita se habet. Non minùs autem hoc manifestum esse censebat, & ex contrario. Dolorem enim etiam dicebat fugiendum per se omnibus esse: itaque contrarium expetibile esse simili modo. Maximè autem id expetibile esse, quod non ob aliud, neque cuiusquam expetimus gratia. Atque tale ipsam esse sine controuersia voluptatem. Neminem enim interrogas, cuiusnam gratia capiat voluptatem, propterea quod per se ipsam expetibilis est ipsa voluptas. Facereque ipsam quoduis bonum expetibile magis, si illi addatur, vt iustas operationes, temperatæve, & incrementa suscipere bonum ipsum se ipso. Videtur autem hæc ratio voluptatem ostendere bonum esse, & non magis, quàm aliud bonum. Omne enim bonum expetibilius est cum alio bono, quàm solum. Tali itaque ratione & Plato tollit voluptatem summum esse bonum. Vitam enim iucundam cum prudentia dicit expetibiliorem esse, quàm si sit sola. Quod si mistum est præstabilius, voluptatem summum bonum non esse: nullo enim addito summum bonum se expetibilius fieri. Constat autem, neque aliud quicquam summum esse bonum, quod cum eorum aliquo, quæ sunt per se bona, expetibilius sit. Quid igitur est tale, cuius & nos participes sumus? nam tale queritur bonum. Qui verò negant bonum id esse, quod omnia appetunt, ii nihil omnino dicunt. Quod enim vniuersis videtur, id esse dicimus. Qui autem fidem hanc tollit, non valde credibilia dicet. Nam si ea solum, quæ mente carent, ipsam appetent, esset aliquid quod dicitur. Sin verò & ea, quæ prudentiam habent, ipsam affectant, qui fit vt aliquid dicant? Fortasse autem & in prauis est aliquid naturale bonum præstabilius, quàm ipsa per se sunt, quod proprium appetit bonum. Non videtur etiam & de cõtrario rectè dici. Inquiunt enim, non si dolor sit malum, voluptatem continuò bonum esse. Aduersatur enim & malum malo, & ambo ei, quod neutrum est. Atque hæc non malè dicunt: non tamen verè in iis, quæ sunt dicta. Si enim ambo essent mala, oporteret & fugienda vtraque esse. Sin neutra, neutrum, aut similiter. Nunc verò illum

illum quidem fugere vt malum, hanc autem expetere tanquam bonum videntur. Sic igitur & opponuntur.

Dicentium voluptatem non esse bonum, confutatio, etsi non omnis expetilis sit.

Cap. III.

Aqui neque si voluptas non est qualitas, propter hoc bonum non est. Neque enim operationes virtutis sunt qualitates, neque felicitas ipsa. Dicunt etiam bonum quidem ipsum definitum esse, voluptatem verò indefinitum, quia suscipit intentionem, remissionemve. Si igitur ex eo, quia magis voluptas, minùsve capitur, hoc iudicant, erit idem & circa iustitiam, cæterasque omnes virtutes, quibus manifestè dicitur magis, minùsve tales eos esse, qui ipsas habent: nam magis sunt iusti, fortève. Et fit, vt & iustè agatur, ac temperatè, magis, & minùs. Sin in voluptatibus hoc inquiunt esse, videant ne fortasse non dicant causam, si voluptatum aliæ sunt non mistæ, aliæ immistæ. Quid autem prohibet, vt sanitas, quæ definita magis est, atque minùs, sic & voluptates esse? non enim eadem in cunctis est temperatio, nec vna quedam semper est in eodem. Sed cum remittitur, permanet vsque ad aliquem terminum, & differt ex eo, quia magis est, atque minùs. Tale igitur & in voluptate esse potest. Præterea, summum quidem bonum perfectum esse, motiones autem, & generationes imperfectas esse ponentes, voluptatem motionem esse, generationemve ostendere enituntur. Sed non dicere bene videtur. Non est enim motus. Omni nanque motui propria est celeritas, tarditasve, etsi non per se ipsum, vt motui ipsius Mundi: at ad aliud. At neutrum horum competit voluptati. Fit enim vt aliquis citò sit constitutus in voluptate, quemadmodum & in ira: vt velociter autem delectetur, non fit, neque ad alium: sed fit vt velociter ambulet, & accrescat, & omnia id genus. Fit igitur vt celeriter, atque tardè quispiam ad voluptatem mutetur. At non fit vt hac ipsa celeriter operetur, id est delectetur. Generatio verò quoniam fuerit modo? Etenim non ex quouis fieri quoduis, sed ex quo fit, in id dissolui videtur. Et cuius generatio esset voluptas, eius esset corruptio dolor. Dicunt autem, dolorem quidem indigentiam eius esse, quod est secundum naturam, voluptatem verò repletionem. Hi autè affectus corporis sunt. Si igitur voluptas, repletio eius est, quod est secundum naturam, id & voluptate afficitur, in quo est repletio. Corpus ergo capit voluptatem. At non videtur. Non est ergo voluptas, repletio: sed dum fit repletio, voluptate quispiam afficitur: & dum secatur, dolet. Opinio autem hæc ex doloribus circa aliquid, & voluptatibus orta est. Nam indigentes facti, & antea affecti dolore, repletionem capimus voluptatem. Sed hoc non circa omnes accidit voluptates: nam sine dolore sunt & ipsæ mathematicæ voluptates, & quæ per olfactum, & auditum fiunt, ac visum, & species quàm plures, item & recordationes voluptate afficiunt. Cuius igitur hæ generationes erunt? nullius enim rei fuerunt indigentia, cuius repletio fuerit. Ad eos autem, qui proferunt

voluptates eas, quæ sunt obscenæ, ac improbæ, dicere quispiam potest, ea, quæ tales afferunt voluptates, non esse iucunda. Non enim si prauè dispositis sunt iucunda, putandum est & iucunda simpliciter esse, nisi illis. Quemadmodum neque salubria, aut dulcia, aut amara, quæ ægrotantibus, aut alba, quæ lippis videntur. Vel hoc modo dicatur, voluptates expetibiles quidem esse, non tamen ab illis: quemadmodum & diuitem esse, expetibile quidem est, at non ex patriæ prodicione: & sanum esse, at non quodcunque edendo. An voluptates differunt specie? Diuersæ nanque sunt, quæ ab honestis rebus, & quæ à turpibus prodeunt: & non fit vt quisquam iusti capiat voluptatem, si non sit iustus: aut musici, si non sit musicus: & in cæteris simili modo. Ostendere autem videtur & ipse amicus, cum sit ab adulatore diuersus, non esse voluptatem bonum, aut specie voluptates differre. Hic enim ad bonum, ille ad voluptatem congregitur. Et ille quidem vituperatur, hunc autem laudant, vt ad diuersum congregientem. Nemo præterea expetet ita viuere, vt mentem habens per vitam pueri, iis ex rebus capiat voluptatem, quibus pueri maximè delectantur, vt putant: aut gaudere, turpissimum quid faciendo, nullum vnquam suscepturus dolorem: & compluribus indulgeremus rebus, etiam si nullam voluptatem afferrent. Damus enim operam vt videamus, vt meminimus, vt sciamus, vt habeamus virtutes. Quod si necessariò hæc sequatur voluptas, nihil refert. Expeteremus enim hæc, etiam si nulla prorsus ab ipsis prouentura esset voluptas. Voluptatem igitur neque summum bonum esse, neque expetibilem omnem: & voluptates nonnullas esse per se expetibiles, specie differentes, aut ea, à quibus proueniunt, perspicuum esse constat. Ea igitur, quæ de voluptate, doloreve dicuntur, satis sint dicta.

Quid non sit voluptas, & quomodo operationem perficiat. Cap. IIII.

Sed quidnam, aut quale sit, magis patebit, si sermonem paulò altiùs repetemus. Visio enim quouis in tempore perfecta est: nihil enim ipsi deest, quod postea factum species ipsius perficiet. Tali persimilis est & ipsa voluptas. Est enim quoddam totum: nullòque in tempore voluptatem quispiam accipiet, cuius species, si maiore tempore fiat, perficitur. Quocirca nec motus est: in tempore enim est omnis motus. Et alicuius etiam finis, vt ædificatio tunc erit perfecta, cum id fecerit, quod affectat, in toto tempore, aut in hoc. In partibus autem temporis omnes sunt imperfectæ. Et à tota, & inter sese diuersæ specie sunt. Compositio nanque lapidum diuersa est ab erectione columnæ, & hæc rursus à templi effectione. Et templi quidem est perfecta: nullius enim ad propositum indiget rei. Fundamentorum autem, & laquearium imperfecta: est enim vtraque pars. Differunt igitur specie. Et fieri non potest vt quouis in tempore motus specie perfectus accipiatur, nisi in toto. Similiter res sese habet & in ambulatione, & motionibus cæteris. Nam si latio motus est, quo quidem ex hoc ad hoc itur? Et huius differentia iuxta speciem, volatio, ambulatio,

faltatio, & talia, motiones sunt, quibus ex hoc in hoc similiter itur. Non solum autem in his res sese habet, sed in ipsa etiam ambulatione. Termini namque non sunt iidem in stadio toto, atque in parte, & in alia, atque alia parte. Neque idem est pertransire lineam hanc, & illam: non solum enim lineam, sed etiam in loco collocatam pertransit. Atque hæc, & illa in diuersis sunt locis. Sed exactè quidem de motu aliis in locis est dictum. Videtur autem non in omni tempore esse perfectus. Sed multi sunt imperfecti, specique diuersi: siquidem ipsi termini, speciei sunt effectores. At voluptatis speciem quouis in tempore est perfecta. Patet igitur, voluptatem, & motum diuersa esse, & voluptatem ex iis esse, quæ tota sunt, & perfecta. Id & ex eo ita esse constat, quia moueri quidem in non tempore nihil potest, voluptate autem affici potest. Quod enim in ipso nunc est, totum est quoddam. Ex his autem patet, non bene dici, voluptatem motum esse, vel generationem: non enim omnium hæc dicuntur, sed partibilium, & non totorum. Neque enim visionis, neque puncti, neque unitatis est ignoratio, neque quicquam horum est motus, vel generatio. Quare neque voluptas. Est enim quoddam totum. At verò sensus omnis ad sensibile est operatio quædam: perfecta autem eius, qui bene est dispositus ad id, quod est pulcherrimum eorum, quæ ipsi subiiciuntur. Tale enim maximè videtur esse operatio ipsa perfecta. Atque nihil intersit, siue ipse, siue id, in quo est ipse, operari dicatur. In omni quoque genere præstabiliissima est eius operatio, quod optimè dispositum ad id, quod est præstabiliissimum eorum, quæ ipsi obiiciuntur. Hæc autem perfectissima est, & iucundissima. In omni namque sensu, voluptas est: & in mente simili modo, contemplatione. Iucundissima autem est ea, quæ est perfectissima: perfectissima autem est ea, quæ est eius, quod bene sese habet ad id, quod est studiosissimum eorum, quæ cadunt sub ipsam. Voluptas autem perficitur operationem. Atque non eodem modo voluptas perficit, ac sensibile, & sensus, si sunt studiosa: quemadmodum neque sanitas, medicusve, similiter causæ sunt, vt quispiam valeat. In vnoquoque autem sensu voluptatè fieri constat. Dicimus enim visiones, ac auditiones, voluptatem afferre. Constat autem, & maximè tum, cum sensus est præstantissimus, & circa tale operatur. Atque cum talia sunt, ipsum sensibile, & id, quod sentit, erit semper voluptas, si est quod agat, & quod patiat. Perficit autem operationem voluptas non vt habitus, sed vt pullulans quidam finis, perinde atque pulchritudo in iis, qui vigent a rate. Atque quousque ipsum sensibile, vel intelligibile, & id, quod discernit, vel contemplatur, tale sit, quale esse oportet, erit in operatione voluptas. Nam cum sunt similia, ipsum passiuum, atque actiuum, & inter sese modum habent eundem, idem semper natura fieri solet. Quomodo igitur nemo continuè voluptatem capit, an defatigatur? Omnia enim humana nequeunt continuè operari. Neque voluptas igitur continuè fit: sequitur enim operationem. Nonnullæ autem res, cum nouæ sunt, delectant, sed postea non similiter, propter hæc ipsa. Primum namque inuitatur mens, & circa illas operatur intentè, quemadmodum ope-

ἐπὶ γινόμενον
τι τῶος, ἢ
sultans.

Quando.

rantur visu, qui inspicunt: deinde non fit talis ipsa operatio, sed neglectior. Quapropter & voluptas extenuatur, ac offuscatur. Putauerit autem quispiam, omnes ideo voluptatem appetere, quia viuere etiam omnes affectant. Vita verò quædam est operatio. Atque circa ea quilibet, & iis operatur, quæ & maximè amat: vt musicus quidem, auditu circa cantus: audius verò discendi, mente circa res contemplandas. Eodem modo & singuli cæterorum. Voluptas autem perficit operationes, & ipsum etiam viuere, quod appetunt. Cum ratione igitur & voluptatem affectant: perficit enim ipsum viuere vniuscuiusque, quod expetibile est. Quærere verò vtrum ob voluptatem viuere expetamus, an voluptatem ob vitam, missum in præsentia faciamus. Coniuncta enim hæc esse videntur, & non suscipere separationem. Nam & sine operatione voluptas non fit, & omnem operationem perficit ipsa voluptas.

Quod voluptates inter se specie differant.

Cap. V.



nde & specie voluptates differunt. Nam ea, quæ sunt diuersa specie, à diuersis perfici putamus. Sic enim sunt & ea, quæ à Natura, & ea, quæ ab arte conficiuntur: vt animalia, arbores, pictura, statua, domus, vas, & similia. Similiter igitur & operationes differentes specie, à differentibus specie proficiuntur. Operationes autem mentis ab operationibus sensus, & hæc rursus inter sese differunt specie. Igitur & voluptates, quæ ipsas perficiunt. Hoc autem & ex eo patebit, quia vnaquæque voluptas est ei propria operationi, quam perficit: propria enim voluptas auget operationem. Qui namque cum voluptate operantur, singula magis discernunt, atque exactius comprehendunt: veluti geometriæ fiunt, qui geometrica gaudent contemplatione, magisque intelligunt singula. Similiter & qui musicam amant, & qui ædiu extruendarum delectantur arte, cæterorumque singuli omnes in opere proficiunt proprio, hoc ipso se oblectantes. Voluptates igitur auget operationes. At ea, quæ auget, propria sunt. Quæ verò diuersis specie propria sunt, & ipsa diuersa specie sunt. Præterea, magis hoc ex eo videbitur ita esse, quia voluptates, quæ à diuersis sunt, impediunt actiones. Qui namque fistulis delectantur, nequeunt mentem sermonibus adhibere, si quempiam audierint modulantem: magis modulandi gaudentes arte, quam operatione præsentis. Voluptas igitur ea, quæ à modulandi facultate prodit, operationem, quæ est circa sermones, corrumpit. Hoc idem & in cæteris vsu venit, cum circa duo simul quispiam operatur: operatio namque iucundior alteram excludit: & si multum voluptate præcellat, magis extrudit, atque adeò vt neque operetur per illam. Quocirca cum vehementer aliqua re gaudemus, non valde aliud agimus, & alia facimus, cum parum nobis alia placent: vt & in spectaculis qui bellaria edunt, id maximè faciunt, cum viles sunt, qui contendunt

10
20
30
40
50
60

dunt. Cum igitur propria quidem voluptas exactas operationes reddat, & diuurniores, ac meliores efficiat, alienæ verò extenuent, atque corrumpant, constat ipsas inter sese vehementer distare. Alienæ namque voluptates id ferè, quod proprii dolores, efficiunt. Etenim proprii dolores operationes ipsas corrumpunt: vt si huic scribere, illi rationem subducere, iniucundum est, atque molestum: hic non scribit, ille rationem non subducit: quippe dolorem cum afferat operatio. Circa igitur operationes contrarium à propriis voluptatibus accidit, & doloribus. Atque voluptates, dolorisve proprii sunt, qui in operatione per se ipsam fiunt. Alienas verò voluptates simile quid ei facere diximus, quod ipsi dolores efficiunt: corrumpunt enim, etiam non similiter, operationes. Cum autem operationes probitate differant, atque improbitate, & aliæ quidem sint expetendæ, aliæ verò fugiendæ, & aliæ neutræ: similiter sese habent & voluptates: nam vnicuique operationi est propria quædam voluptas. Quæ igitur studiosæ propria est, ea & proba: quæ verò prauæ, ea est improba. Etenim & cupiditates honestarum quidem laudabiles sunt, turpium verò vituperabiles. Magis autem propriæ sunt operationibus voluptates, quæ sunt in ipsis, quam ipsæ cupiditates. Nam hæc quidem seiunctæ sunt, & temporibus, & natura: illæ verò propinquæ sunt operationibus, atque adeò indistinctæ, vt contentio sit, si idem sit operatio, & voluptas. Non tamen ipsa voluptas mentis esse videtur operatio, neque sensus. Est enim absurdum. Sed quia non separatur, idem quibusdam videtur. Vt igitur operationes sunt diuersæ, sic & voluptates. Differt autem visus à tactu puritate: & auditus, ac odoratus à gustu. Similiter igitur & voluptates differunt. Et ab his item ea, quæ sunt mentis. Et hæc rursus differentiam inter sese suscipiunt. Videtur autem vnicuique animalium & propria quædam esse voluptas, sicut & opus. Est enim ea, quæ comitatur operationem. In singula etiam intuitu, id ita esse patebit. Alia namque voluptas est equi, alia canis, alia hominis: quemadmodum & Heraclitus dicit, asinum stramina magis optare, quam aurum: asinis enim pabulum auro iucundius est. Voluptates igitur ea, quæ sunt diuersorum specie, differunt specie. Eas verò, quæ sunt eorundem, consentaneum est rationi diuersas non esse. In hominibus autem mediocriter discrepant. Eadem enim alios dolore afficiunt, alios delectant: & aliis quidem molesta sunt, odiòque habentur, aliis verò iucunda, ac amabilia. Hoc & in dulcibus accidit. Non enim eadem dulcia febricitanti, atque sano videntur: neque calidum idem infirmo, atque optimam habitudinem habenti videtur. Similiter & in aliis accidit. In omnibus autem talibus, id esse tale constat, quod studioso videtur. Quod si hoc rectè dicitur, quemadmodum & apparet, & est, atque virtus, & bonus hoc ipso, quo talis est, omnium est mensura: erunt & voluptates perfectæ, quæ huic videntur, & iucunda, quibus gaudet ipse. Atque non mirum est, si ea, quæ huic molesta sunt, alicui videantur esse iucunda: multæ namque corruptelæ, deprauationisque hominum fiunt: iucunda autem non sunt, sed his, & ita dispositis. Eas igitur, quæ sunt sine con-

trouersia turpes, constat non esse dicendum voluptates esse, nisi corruptis. Earum verò, quæ probæ, videntur esse, qualem, aut quam dicendum est homines esse, an ex operationibus constat? has enim ipsæ voluptates sequuntur. Siue igitur vna sit, siue plures operationes perfecti viri, atque beati, ea voluptates, quæ has perficiunt, propriè dicendæ sunt hominis voluptates. Cæteræ verò secundò, & perparum, quemadmodum & operationes.

De felicitate. Cap. VI.



icis autem iis, quæ ad ipsas virtutes, ac amicitias, voluptatesque pertinent, de felicitate figura dicere restat, quippe cum finem humanarum rerum ipsam esse ponamus. Si igitur ea, quæ prius sunt dicta, repetierimus, orationem sanè fecerimus breuiorem. Diximus itaque, felicitatem habitum non esse: inesset enim dormienti per vitam, plantarum vita viuenti, & in calamitatibus maximis constituto. Quod si hæc non placent, sed ponendum est potius, ipsam operationem esse quandam, vt prius est dictum, & operationum aliæ sunt necessariae, & ob alia, aliæ per se ipsas sunt expetibiles, perspicuum est, felicitatem earum aliquam operationum esse, quæ sunt per se, & non ob aliud, expetendæ. Felicitas enim nullius indiget rei, sed est ex sese sufficiens. Operationes autem ea per se sunt expetibiles, à quibus nihil præter operationem quæritur. Tales verò videntur esse actus ii, qui à virtute proficiuntur. Honestas namque, studiosaque agere, ex iis est, quæ per se expetuntur. Et item ludorum ii, qui sunt iucundi: non enim ob alia ipsos expetunt. Damna quoque potius ex ipsis, quam commoda, suscipiunt, & corpus, & patrimonium negligentes. Confugiunt autem ad talia oblectamenta & plerique eorum, qui beati esse dicuntur. Quapropter apud tyrannos in pretio habentur ii, qui in talibus oblectamentis sunt dextri. In iis enim se ipsos præbent iucundos, quæ illi affectant: indigent autem talibus. Videntur igitur hæc ad felicitatem pertinere, propterea quod hisce vacant homines ii, qui sunt in potestatibus constituti. At nullum fortasse signum tales sunt homines: nam nec virtus in potestatibus, nec intellectus consistit, à quibus operationes studiosæ proficiuntur. Nec si illi, cum synceram, liberalémque voluptatem non degustarint, ad corporis confugiunt voluptates, propterea putandum est, has magis expetibiles esse. Et pueri enim quæ apud se ipsos in pretio sunt, præstabiliissima esse putant. Consentaneum igitur est rationi, vt pueris, & viris diuersa pretiosa esse videntur, sic & prauis, & studiosis videri. Vt igitur sæpe dictum est, & pretiosa, & iucunda sunt ea, quæ studioso viro talia sunt. Vnicuique autem ea est operatio maximè expetibilis, quæ ab habitu proprio prodit. Et studioso igitur ea, quæ proficiuntur à virtute. Felicitas ergo non in ludò, iocòve consistit. Etenim absurdum foret, humanum finem iocum esse, & negotia multa, molestiave per totam vitam causa iocandi suscipere. Cuncta enim ferè, præter

10
20
30
40
50
60

faltatio, & talia, motiones sunt, quibus ex hoc in hoc similiter itur. Non solum autem in his res sese habet, sed in ipsa etiam ambulatione. Termini namque non sunt iidem in stadio toto, atque in parte, & in alia, atque alia parte. Neque idem est pertransire lineam hanc, & illam: non solum enim lineam, sed etiam in loco collocatam pertransit. Atque hæc, & illa in diuersis sunt locis. Sed exactè quidem de motu aliis in locis est dictum. Videtur autem non in omni tempore esse perfectus. Sed multi sunt imperfecti, specique diuersi: siquidem ipsi termini, speciei sunt effectores. At voluptatis speciem quouis in tempore est perfecta. Patet igitur, voluptatem, & motum diuersa esse, & voluptatem ex iis esse, quæ tota sunt, & perfecta. Id & ex eo ita esse constat, quia moueri quidem in non tempore nihil potest, voluptate autem affici potest. Quod enim in ipso nunc est, totum est quoddam. Ex his autem patet, non bene dici, voluptatem motum esse, vel generationem: non enim omnium hæc dicuntur, sed partibilium, & non totorum. Neque enim visionis, neque puncti, neque unitatis est ignoratio, neque quicquam horum est motus, vel generatio. Quare neque voluptas. Est enim quoddam totum. At verò sensus omnis ad sensibile est operatio quædam: perfecta autem eius, qui bene est dispositus ad id, quod est pulcherrimum eorum, quæ ipsi subiiciuntur. Tale enim maximè videtur esse operatio ipsa perfecta. Atque nihil intersit, siue ipse, siue id, in quo est ipse, operari dicatur. In omni quoque genere præstabiliissima est eius operatio, quod optimè dispositum ad id, quod est præstabiliissimum eorum, quæ ipsi obiiciuntur. Hæc autem perfectissima est, & iucundissima. In omni namque sensu, voluptas est: & in mente simili modo, contemplatione. Iucundissima autem est ea, quæ est perfectissima: perfectissima autem est ea, quæ est eius, quod bene sese habet ad id, quod est studiosissimum eorum, quæ cadunt sub ipsa. Voluptas autem perficitur operationem. Atque non eodem modo voluptas perficit, ac sensibile, & sensus, si sunt studiosa: quemadmodum neque sanitas, medicusve, similiter causæ sunt, ut quispiam valeat. In vnoquoque autem sensu voluptatè fieri constat. Dicimus enim visiones, ac auditiones, voluptatem afferre. Constat autem, & maximè tum, cum sensus est præstantissimus, & circa tale operatur. Atque cum talia sunt, ipsum sensibile, & id, quod sentit, erit semper voluptas, si est quod agat, & quod patiat. Perficit autem operationem voluptas non ut habitus, sed ut pullulans quidam finis, perinde atque pulchritudo in iis, qui vigent a rate. Atque quousque ipsum sensibile, vel intelligibile, & id, quod discernit, vel contemplatur, tale sit, quale esse oportet, erit in operatione voluptas. Nam cum sunt similia, ipsum passiuum, atque actiuum, & inter sese modum habent eundem, idem semper natura fieri solet. Quomodo igitur nemo continuè voluptatem capit, an defatigatur? Omnia enim humana nequeunt continuè operari. Neque voluptas igitur continuè fit: sequitur enim operationem. Nonnullæ autem res, cum nouæ sunt, delectant, sed postea non similiter, propter hæc ipsa. Primum namque inuitatur mens, & circa illas operatur intentè, quemadmodum ope-

rantur visu, qui inspicunt: deinde non fit talis ipsa operatio, sed neglectior. Quapropter & voluptas extenuatur, ac offuscatur. Putauerit autem quispiam, omnes ideo voluptatem appetere, quia viuere etiam omnes affectant. Vita verò quædam est operatio. Atque circa ea quilibet, & iis operatur, quæ & maximè amat: ut musicus quidem, auditu circa cantus: audius verò discendi, mente circa res contemplandas. Eodem modo & singuli cæterorum. Voluptas autem perficit operationes, & ipsum etiam viuere, quod appetunt. Cum ratione igitur & voluptatem affectant: perficit enim ipsum viuere vniuscuiusque, quod expetibile est. Quærere verò vtrum ob voluptatem viuere expetamus, an voluptatem ob vitam, missum in præsentia faciamus. Coniuncta enim hæc esse videntur, & non suscipere separationem. Nam & sine operatione voluptas non fit, & omnem operationem perficit ipsa voluptas.

Quod voluptates inter se specie differant.

Cap. V.



nde & specie voluptates differunt. Nam ea, quæ sunt diuersa specie, à diuersis perfici putamus. Sic enim sunt & ea, quæ à Natura, & ea, quæ ab arte conficiuntur: ut animalia, arbores, pictura, statua, domus, vas, & similia. Similiter igitur & operationes differentes specie, à differentibus specie proficiuntur. Operationes autem mentis ab operationibus sensus, & hæc rursus inter sese differunt specie. Igitur & voluptates, quæ ipsas perficiunt. Hoc autem & ex eo patebit, quia vnaquæque voluptas est ei propria operationi, quam perficit: propria enim voluptas auget operationem. Qui namque cum voluptate operantur, singula magis discernunt, atque exactius comprehendunt: veluti geometriæ fiunt, qui geometrica gaudent contemplatione, magisque intelligunt singula. Similiter & qui musicam amant, & qui ædiu extruendarum delectantur arte, cæterorumque singuli omnes in opere proficiunt proprio, hoc ipso se oblectantes. Voluptates igitur auget operationes. At ea, quæ auget, propria sunt. Quæ verò diuersis specie propria sunt, & ipsa diuersa specie sunt. Præterea, magis hoc ex eo videbitur ita esse, quia voluptates, quæ à diuersis sunt, impediunt actiones. Qui namque fistulis delectantur, nequeunt mentem sermonibus adhibere, si quempiam audierint modulantem: magis modulandi gaudentes arte, quam operatione præsentis. Voluptas igitur ea, quæ à modulandi facultate prodit, operationem, quæ est circa sermones, corrumpit. Hoc idem & in cæteris vsu venit, cum circa duo simul quispiam operatur: operatio namque iucundior alteram excludit: & si multum voluptate præcellat, magis extrudit, atque adeò ut neque operetur per illam. Quocirca cum vehementer aliqua re gaudemus, non valde aliud agimus, & alia facimus, cum parum nobis alia placent: ut & in spectaculis qui bellaria edunt, id maximè faciunt, cum viles sunt, qui contendunt

ἐπὶ γινόμενον τι τέλος, ἢ εὐδαιμονίας.

Quando.

dunt. Cum igitur propria quidem voluptas exactas operationes reddat, & diuurniores, ac meliores efficiat, alienæ verò extenuent, atque corrumpant, constat ipsas inter sese vehementer distare. Alienæ namque voluptates id ferè, quod proprii dolores, efficiunt. Etenim proprii dolores operationes ipsas corrumpunt: ut si huic scribere, illi rationem subducere, iniucundum est, atque molestum: hic non scribit, ille rationem non subducit: quippe dolorem cum afferat operatio. Circa igitur operationes contrarium à propriis voluptatibus accidit, & doloribus. Atque voluptates, dolorisve proprii sunt, qui in operatione per se ipsam fiunt. Alienas verò voluptates simile quid ei facere diximus, quod ipsi dolores efficiunt: corrumpunt enim, etiam non similiter, operationes. Cum autem operationes probitate differant, atque improbitate, & aliæ quidem sint expetendæ, aliæ verò fugiendæ, & aliæ neutra: similiter sese habent & voluptates: nam vnicuique operationi est propria quædam voluptas. Quæ igitur studiosæ propria est, ea & proba: quæ verò prauæ, ea est improba. Etenim & cupiditates honestarum quidem laudabiles sunt, turpium verò vituperabiles. Magis autem propriæ sunt operationibus voluptates, quæ sunt in ipsis, quam ipsæ cupiditates. Nam hæc quidem seiunctæ sunt, & temporibus, & natura: illæ verò propinquæ sunt operationibus, atque adeò indistinctæ, ut contentio sit, si idem sit operatio, & voluptas. Non tamen ipsa voluptas mentis esse videtur operatio, neque sensus. Est enim absurdum. Sed quia non separatur, idem quibusdam videtur. Ut igitur operationes sunt diuersæ, sic & voluptates. Differt autem visus à tactu puritate: & auditus, ac odoratus à gustu. Similiter igitur & voluptates differunt. Et ab his item ea, quæ sunt mentis. Et hæc rursus differentiam inter sese suscipiunt. Videtur autem vnicuique animalium & propria quædam esse voluptas, sicut & opus. Est enim ea, quæ comitatur operationem. In singula etiam intuenti, id ita esse patebit. Alia namque voluptas est equi, alia canis, alia hominis: quemadmodum & Heraclitus dicit, asinum stramina magis optare, quam aurum: asinis enim pabulum auro iucundius est. Voluptates igitur ea, quæ sunt diuersorum specie, differunt specie. Eas verò, quæ sunt eorundem, consentaneum est rationi diuersas non esse. In hominibus autem mediocriter discrepant. Eadem enim alios dolore afficiunt, alios delectant: & aliis quidem molesta sunt, odiòque habentur, aliis verò iucunda, ac amabilia. Hoc & in dulcibus accidit. Non enim eadem dulcia febricitanti, atque sano videntur: neque calidum idem infirmo, atque optimam habitudinem habenti videtur. Similiter & in aliis accidit. In omnibus autem talibus, id esse tale constat, quod studioso videtur. Quod si hoc rectè dicitur, quemadmodum & apparet, & est, atque virtus, & bonus hoc ipso, quo talis est, omnium est mensura: erunt & voluptates perfectæ, quæ huic videntur, & iucunda, quibus gaudet ipse. Atque non mirum est, si ea, quæ huic molesta sunt, alicui videantur esse iucunda: multæ namque corruptelæ, deprauationisque hominum fiunt: iucunda autem non sunt, sed his, & ita dispositis. Eas igitur, quæ sunt sine con-

trouersia turpes, constat non esse dicendum voluptates esse, nisi corruptis. Earum verò, quæ probæ, videntur esse, qualem, aut quam dicendum est homines esse, an ex operationibus constat? has enim ipsæ voluptates sequuntur. Siue igitur vna sit, siue plures operationes perfecti viri, atque beati, ea voluptates, quæ has perficiunt, propriè dicendæ sunt hominis voluptates. Cæteræ verò secundò, & perparum, quemadmodum & operationes.

De felicitate. Cap. VI.



icis autem iis, quæ ad ipsas virtutes, ac amicitias, voluptatesque pertinent, de felicitate figura dicere restat, quippe cum finem humanarum rerum ipsam esse ponamus. Si igitur ea, quæ prius sunt dicta, repetierimus, orationem sanè fecerimus breuiorem. Diximus itaque, felicitatem habitum non esse: inesset enim dormienti per vitam, plantarum vita viuenti, & in calamitatibus maximis constituto. Quod si hæc non placent, sed ponendum est potius, ipsam operationem esse quandam, ut prius est dictum, & operationum aliæ sunt necessariæ, & ob alia, aliæ per se ipsas sunt expetibiles, perspicuum est, felicitatem earum aliquam operationum esse, quæ sunt per se, & non ob aliud, expetendæ. Felicitas enim nullius indiget rei, sed est ex sese sufficiens. Operationes autem ea per se sunt expetibiles, à quibus nihil præter operationem quæritur. Tales verò videntur esse actus ii, qui à virtute proficiuntur. Honestæ namque, studiosæque agere, ex iis est, quæ per se expetuntur. Et item ludorum ii, qui sunt iucundi: non enim ob alia ipsos expetunt. Damna quoque potius ex ipsis, quam commoda, suscipiunt, & corpus, & patrimonium negligentes. Confugiunt autem ad talia oblectamenta & plerique eorum, qui beati esse dicuntur. Quapropter apud tyrannos in pretio habentur ii, qui in talibus oblectamentis sunt dextri. In iis enim se ipsos præbent iucundos, quæ illi affectant: indigent autem talibus. Videntur igitur hæc ad felicitatem pertinere, propterea quod hisce vacant homines ii, qui sunt in potestatibus constituti. At nullum fortasse signum tales sunt homines: nam nec virtus in potestatibus, nec intellectus consistit, à quibus operationes studiosæ proficiuntur. Nec si illi, cum synceram, liberalémque voluptatem non degustarint, ad corporis confugiunt voluptates, propterea putandum est, has magis expetibiles esse. Et pueri enim quæ apud se ipsos in pretio sunt, præstabiliissima esse putant. Consentaneum igitur est rationi, ut pueris, & viris diuersa pretiosa esse videntur, sic & prauis, & studiosis videri. Ut igitur sæpe dictum est, & pretiosa, & iucunda sunt ea, quæ studioso viro talia sunt. Vnicuique autem ea est operatio maximè expetibilis, quæ ab habitu proprio prodit. Et studioso igitur ea, quæ proficiuntur à virtute. Felicitas ergo non in ludò, iocòve consistit. Etenim absurdum foret, humanum finem iocum esse, & negotia multa, molestiave per totam vitam causa iocandi suscipere. Cuncta enim ferè, præter

felicitem, alterius expetimus gratia: hæc enim est finis. Studere autem, & laborare gratia ioci, stultum profectò, nimisque puerile habetur, & est. Iocari verò vt studeas, secundum sententiam Anacharsidis rectè sese habet. Locus enim requieti similis est. Atque cum continuè nequeant homines laborare, indigent requiete. Non est igitur ipsa requies finis: fit enim gratia operationis. At verò vita felix in virtute consistit. Hæc autem vita cum studio est, & in seriis, sed non in ioco consistit. Atque ea, quæ studiosa sunt, seriave, præstabiliora ridiculis, & iis, quæ ioco fiunt. Et operationem semper melioris & partis, & hominis, studiosam magis dicimus esse: melioris verò præstabilior est, & ad felicitatem iam magis atinens. Frui præterea quivis, & mancipium, voluptatibus corporis, non minus, quam optimus homo, potest: at felicitatem nemo mancipio tribuet, nisi & vitam tribuerit studiosam. Felicitas enim non in talibus consistit modis viuendi, sed in operationibus, quæ à virtute proficiscuntur, vt prius etiam diximus.

De felicitate contemplatiua. Cap. VII.

Quod si felicitas operatio est per virtutem, consentaneum est rationi, per eam esse, quæ est præstabilissima: hæc autem eius fuerit, quod est optimum. Siue igitur mens sit hoc, siue aliquid aliud, quod quidem natura dominari videtur, ac imperare, & animaduersionem habere de honestis, diuinisque rebus, aut quia diuinum & ipsum est, aut quod eorum, quæ sunt in nobis, est diuinissimum, huius operatio per virtutem propriam ipsa felicitas fuerit, beatitudinèque perfecta. Dicitur autem, ipsam esse contemplationem. Atque consentaneum hoc & antea dictis, & veritati videbitur esse. Hæc enim operatio præstabilissima est: quippe cum & mens sit eorum, quæ in nobis insunt, præstantissimum, & ea, circa quæ mens versatur, cognoscibile præstabilissima sint. Est præterea continua maximè: nam contemplari magis continuè, quam agere, quoduis possumus. Arbitramur præterea, felicitati voluptatem admixtam esse oportere. Iucundissima autem operationum virtutum, est ea haud dubiè, quæ per sapientiam prodit. Itaque philosophia mirabilis puritate, tum firmitate voluptates habet. Atque consentaneum est rationi, scientibus, quam quærentibus, oblectamentum ipsum iucundius esse.

Sufficiencia.

Ipsa quoque sufficientibus maximè fuerit in contemplatione: nam & sapiens, & iustus, & cæteri rebus iis indigent, quæ necessariæ sunt ad vitam. Sed si satis his talia adsunt, iustus quidem eorum indiget, ad quos, & cum quibus egerint iustè: & temperans item, ac fortis, & singuli cæterorum. At sapiens, si solus etiam sit, contemplari potest: & quod sapientior est, eò magis potest. Melius autem fortasse si habeat adiutores: at tamen sufficientissimus ipse est. Præterea, propter se ipsam amari sola videtur: nihil enim ab ipsa fit præter hoc, cõtemplatum, inquam, esse. At cum agimus, præter ipsam actionem, aut plus aliquid, aut minus assequimur. Videtur etiam in otio felicitas ipsa consistere. Negotia nanque suscipimus, vt otium habeamus: & bellum gerimus, vt in pace degamus. Operationes igitur actiuarum

virtutum, ciuilibus, aut bellicis in rebus versantur: actiones autem, quæ in his fiunt, negotiosæ sunt. Atque bellicæ quidem omnino. Nemo nanque bellum expetit gerere, gerendi gratia belli, neque bellum ob bellum parat: videbitur enim crudelis quidam, & sanguinolentus penitus esse, si faciat amicos hostes, vt pugna, cædesque fiant. At & ipsius ciuilis negotiosa est, & præter ipsam administrationem potestates comparantur, atque honores, aut felicitatem sibi ipsi & ciuibus: quæ quidem diuersa est à ciuili, quam quærimus vt diuersam. Si igitur ciuiles quidem, & bellicæ actiones, cæteris actibus, qui à virtutibus proficiscuntur pulchritudine, magnitudinèque præcellunt: hæc verò negotiosæ sunt, atque aliquem finem affectant, & non propter se ipsas sunt expetibiles. Mentis autem operatio, & studio antecellit, cum contemplatiua sit, & præter se ipsam nullum affectare penitus finem, haberèque voluptatem propriam, quæ quidem operationem ipsam exauget. Sufficiencia insuper, otium, defatigationis vacuitas vt humana, & quæcunque alia viro tribuuntur beato, per hanc operationem illi inesse videntur. Perfecta felicitas hominis fuerit hæc profectò, sumpta longitudine vitæ perfecta. Nihil enim felicitatis est imperfectum. Talis autem vita superat hominis naturam. Non enim hoc ipso, quo homo est, ita viuet, sed quo est quid in ipso diuinum. Quantum igitur hoc ab ipso composito differt, tantum & huius operatio distat ab ea, quæ à virtute alia proficiscitur. Quod si mens diuinum ad ipsum hominem est, & vita, quæ ab hac manat, diuina est respectu ipsius vitæ humanæ. Oportet autem non, quemadmodum monent quidam, humana nos sapere, cum simus homines: aut mortalia, cum simus mortales: sed, quo ad fieri potest, immortales nos ipsos facere, cunctaque efficere, vt ea vita viuamus, quæ ab eo manat, quod est eorum, quæ in nobis insunt, præstabilissimum. Nam tametsi parum est mole, vi tamen, & pretio multum omnibus antecellit. Videbitur autem & vnusquisque hoc esse: siquidem præcipuum est, & melius. Absurdum igitur esset, si non suam, sed alienius alterius, expeteret vitam. Id insuper, quod dictum est antea, nunc etiam accommodabitur. Quod est enim natura vniciuique proprium, id optimum vniciuique, & iucundissimum est. Et homini igitur ea vita, quæ ab ipsa proficiscitur mente: siquidem maximè hoc est homo: hæc ergo est & felicissima vita.

De felicitate actiua, ac præcipuo munere actionis. Cap. VIII.

Secundò autem est ea vita, quæ à virtute alia manat. Operationes enim, quæ ab hac prodeunt, humanæ sunt. Nam iusta, & fortia, & cætera, quæ à virtutibus proficiscuntur, inter nos ipsos agimus, in commerciis, & necessitatibus, atque actibus communibus, & item affectibus vniciuique seruantes decorum, hæc autem omnia constat esse humana. Nonnulla autè & à corpore prouenire videntur, & multum virtus morum, cum affectibus iuncta est. Coniuncta est etiam & prudentia moris virtuti, & hæc prudentiæ: si principia quidem prudentiæ à virtutibus

tribus ipsis emergant, rectum verò moris virtutum à prudentia manat. Cum autem hæc sese sic habeant, vt à se mutuo pendeant, sintque coniunctæ affectibus, circa ipsum compositum fuerint. At compositi virtutes humanæ sunt. Quare & ea vita, quæ ab ipsis proficiscitur, & felicitas humana est. Mentis autem, est separata. Atque tantum de ipsa fit dictum: exactè nanque dicere, proposito maius est. Videbitur autem & externa affluentia perparum, aut minus indigere, quam moralis. Opus est enim vtrisque necessariis rebus. Atque sit æquè: quanquam circa corpus, & res tales ciuilis homo magis elaborat: parua enim differentia fuerit. In operationibus autem non mediocriter differet. Etenim liberali quidem, ad liberalitatis operationes exercendas: & iusto ad retributiones, pecuniis opus erit. Voluntates enim non sunt manifestæ. Simulant autem & qui non sunt iusti, agere iustè velle. Forti autem opus est potentia, si agit aliquid eorū, quæ à virtute proficiscuntur: & potestate etiam temperanti. Quo nanque modo aut hic, aut cæterorum quisquam manifestus erit? Quæritur autem vtrum magis proprium sit virtutis electio, an ipsi actus: quippe cum in vtrisque virtus consistat. Atque constat in vtrisque, perfectum ipsum consistere. Ad actus autem multis indiget: & quod maiores, pulchriorisque sunt, eò pluribus indiget. At contèplanti nullis huiusmodi rebus ad operationem est opus: quin & ipsa impedimento ferè sunt ad contemplationem. Sed hoc ipso, quo homo est, atque cum pluribus viuit, expedit ea agere, quæ à virtute proficiscuntur: indiget igitur talibus ad ea agenda, quæ ad hominem spectant. Atque felicitatem perfectam contemplatiuam quandam operationem esse, hinc quoque fuerit manifestum. Deos enim maximè beatos esse putamus, atque felices. At quosnam actus tribuere illis oportet, iustosne? An ridiculi videbuntur, si commutent, & deposita reddant, & huiusmodi cætera agant? At fortè ne, propterea quod formidolosæ res sustinent, periculaque subeunt honestatis ipsius causa? An liberales? At cuiam dabunt? Absurdum est insuper, si nummos etiam habeant, aut aliquid tale. An temperantes? at quidnam fuerint? An laus est importuna, si prauas dii cupiditates non habere dicantur? Ita per omnia discurrenti, cuncta, quæ sunt circa actus, parua quædam, & non digna diis immortalibus sanè videntur. At verò viuere ipsos vniversi putant: quare & operari. Non enim oportet illos, vt Endymionem aiunt, dormire. Viuenti igitur ei, cui actio, & multò magis effectio non tribuitur, quidnam aliud præter contemplationem restat? Quare Dei operatio præcellens beatitudine, contemplatiua sine controuersia fuerit. Et humanarum igitur operationum ea homo est summè felix, quæ illi maximè est cognata. Signum est huius, & animalia cætera felicitatis expertia esse, tali penitus operatione priuata. Nam diis quidem tota est vita beata, talem habentibus operationem: hominibus autem quo ad ipsos talis operationis quædam inest similitudo. At animalium cæterorum nullum prorsus est felix: quippe cum nulla ex parte particeps sit contemplationis. Quousque igitur contemplatio sese extendit, eousque sese extendit & felicitas ipsa: & quibus contemplatio magis inest, iis &

felicitas magis inest, non per accidens quidem, sed per ipsam vtique contemplationem: hæc enim per se ipsam est pretiosa. Quare felicitas contemplatio fuerit quædam. Est autem opus huic & prosperitate externa, cum sit homo. Natura nanque ipsa non est ad contemplandum sufficiens: sed & corpus sanum esse oportet, & alimenta, reliquumque famularum adesse. Non tamen putandum est, multis, ac magnis ei opus fore, qui futurus est felix, si fieri non potest, vt sit beatus sine bonis externis. Neque enim sufficientia, neque iudicium, neque actus, in exuperatione consistit: sed fieri potest, vt & non principes terræ, ac maris agant honesta. Etenim à mediocribus felicitatibus potest quispiam agere per virtutem. Atque id clarè cernere licet. Priuati nanque non minus agere videntur res bonas, quam qui sunt in potestatibus constituti: imò etiam magis. Satis autem est, tot facultates habere. Erit enim eius vita felix, qui per ipsam operatur virtutem. Solon etiam bene fortasse de felicibus sensit, qui quidem eos esse felices dixit, qui mediocriter res habuerunt externas, & pulcherrimas res (vt putabat) egere, modestèque vixere. Fieri enim non potest, vt mediocria possidentes agant ea, quæ agere oportet. Videtur autem & Anaxagoras non locupletem, neque potentem felicem ipsum existimasse, se, cum dixisset, se non mirari, si quis absurdus multitudini videatur: hæc enim sentiens res solam externas, his iudicare tantummodo solet. Consentaneæ igitur nostris sententiis & sapientum opiniones sunt: at enim habent quidem & talia quandam fidem. Veritas tamen in iis, quæ in actionem veniunt, ex operibus iudicatur, & vita. In his enim præcipuè certitudo veritatis consistit. Considerare enim oportet ea, quæ antea dicta sunt, ad opera referentes, & vitam. Et si consona sunt operibus, accipienda sunt: sin verò discrepant, verba sunt tantum putanda. At verò qui mente operatur, & eam colit, disponitur optimè: is & amicissimus diis immortalibus est. Nam si dii curam humanarum rerum, vt existimatur, aliquam habent, rationi sanè consentaneum fuerit, ipsos eo gaudere, quod est optimum, maximèque sibi cognatum: hoc autem fuerit, ipsa mens. Et in eos, qui maximè hoc amant, atque honorant, beneficia vicissim conferre, tanquam curam iis, quæ sibi sunt chara, ac diligentiam adhibentes, & rectè, benèque agentes. At constat, hæc omnia maximè sapienti inesse. Amicissimus igitur sapiens ipse diis immortalibus est. Eundem autem conueniens est & felicissimum esse. Quare sapiens hoc quoque modo maximè fuerit felix.

Peroratio operis. Cap. IX.

Tenim si de his, atque virtutibus, & insuper de amicitia, voluptatè & satis si gura diximus, estne putandum, nostrum propositum iam finem habere? An, quemadmodum dicitur, non est hoc in rebus agendis finis, perspexisse, cognouisseque singulas, sed potius agere? Nec de virtute scire sat est, sed enitendum est, ipsam habere, ac vt i: vel si quo alio modo boni efficiuntur. Si igitur verba sufficerent, ad faciendos homines bonos, multas iure mercedes, secundum Theognidem, atque magnas afferrent: & comp

Facultatibus.

Efficiaumr.

comp

Νῦν ὁ φαίνομεν
ταυ προση
ψαι μὲν καὶ
παρομοίωσαι
τῶν ἰσῶν τῶν
ἐλασθῆσις ἰ-
σχίον ἢ ὁ
τῆ ἀπὸ τῆς καὶ
ὡς ἀλλῶς φε-
ρῶναι καὶ
ἢ σαυ καὶ
πῶς ἰσῶν ἢ
ἀπὸ τῆς δὲ
πῶς ἰσῶν ἢ
καὶ ἰσῶν
ἢ σαυ πῶς ἰ-
ψαυσαι.

comparare ea oportet. † Nunc verò iuvenes quidē
liberos hortari, ac prouocare, moribusque ingenuis
veræque honestatis amatoribus, idoneis ad obtem-
perandum educatione bona iam factis, persuadere
verba possunt. Vulgus autem ad probitatem incita-
re nequeunt. Non enim sunt tales, vt ob pudorem
obtemperant, sed ob metum: nec vt à prauis ob tur-
pitudinem abstineant rebus, sed ob pœnam. Nam
quia affectibus viuunt, persequuntur quidem pro-
prias voluptates, & ea, quæ illas efficiunt: fugiunt
autem dolores oppositos. Honestatis autem, volu-
ptatisque veræ, nullam prorsus habent animaduer-
sionem: quippe cùm eas non degustarint. Tales igitur,
quænam verba traducere, moderarique possent?
Fieri enim non potest, aut non facile fit, vt ea ver-
bis mutantur, ac extrudantur, quæ impressa sunt
moribus, temporæque diuturno retenta. Amabile
autem est fortasse, si cùm omnia essent, quibus bo-
ni fieri videmur, participes virtutis efficiamur.
Fieri verò bonos, alii natura, alii consuetudine, alii
doctrina putant. Natura igitur (vt constat) non in
nostra est potestate: sed inest iis hominibus per cau-
sam quandã diuinam, qui verè sunt fortunati. Ver-
ba autem, præceptionesve, non in omnibus vires
habent, sed opus est, auditoris animum antea mori-
bus esse cultum ad rectè gaudendum, ac abhorren-
dum, pèrinde atque terram, quæ semina sit nutritu-
ra. Qui nanque viuunt cum perturbatione, non au-
dient ea verba, quæ dehortantur, neque intelliget.
Is verò, qui ita dispositus est, qui fieri potest vt dis-
suadenti obtemperet? Omnino autem non verbis
ipsa perturbatio, sed vi cedit. Mores igitur præce-
dant aliquo modo virtuti familiares oportet, aman-
tes bonum, atque abhorrentes à turpi. Difficile au-
tem est vt ab adolescentia rectè quis ad virtutem
instituiatur, non sub talibus legibus educatus. Mo-
destè nanque viuere, continentèrque, plerisque ho-
minibus, præsertim & iuuenibus, non est iucun-
dum. Quapropter educationem, atque officia à le-
gibus instituta esse oportet. Non enim dolorem
afferent, si fuerint cõsueti. Fortasse autem non suf-
ficit, dum sunt adolescentes, rectam educationem,
& curam esse adeptos: sed cùm oporteat viros quo-
que factos, ipsa agere, ac assuescere, & in his, &
omnino omni in vita legibus est opus. Multitudo
enim necessitati potius, quàm rationi, & pœnis,
quàm honestati paret. Idcirco sunt, qui legumlato-
res oportere censent ad virtutem inuitare, ac prouo-
care honestatis gratia, propterea quòd ii, qui probi
sunt ob consuetudinem præcipuè obtemperabunt.
Aduersus autem inobedientes, & hebetiores inge-
nio, castigationes, pœnâque instituere. At eos, qui
curari, ac emendari nequeunt, extrudere, atque ex-
terminare. Probum enim hominem, & ad honesta-
tem viuentem, rationi obtemperaturum inquirunt
esse: improbum verò voluptatem affectantem, do-
lore afficiendum esse pèrinde, atque iumentum.
Quapropter & eos dolores afferri oportere dicunt,
qui maximè concupitis volutatibus aduersantur.
Quòd si eum, qui bonus futurus sit, bene educa-
tum, (vt dictum est) ac moribus bonis assuefactum
esse oportet, deinde bonis in exercitiis viuere, &
neque inuitum, neque sponte res agere prauas. Hæc
autem fuerint, si mente aliqua, rectòque ordine vi-

res habente viuatur. Opus est mente profectò, mu-
nere cuius ita hæc euenire possint. Igitur patris
quidem præceptio vires non habet, neque neces-
sitate, neque vllius omnino vnus viri, nisi fit rex,
aut aliquis talis. Lex autem vim habet cogentem,
quæ quidem est sermo ab aliqua prudentia, atque
mente profectus. Et homines quidem eos odisse
solent, qui appetitionibus aduersantur, & si rectè id
ipsum faciunt. Lex autem non est eis molesta, pro-
bitatem iubens. In sola autem Lacedæmoniorum
ciuitate cum aliis paucis, curam adhibuisse in edu-
catione, atque officii legislator videtur. In pluri-
bus autem ciuitatibus tales res sunt neglectæ. Et ita
vnusquisque viuunt, vt sibi placet, ritu Cyclo-
pum filios regens, atque vxorem. Præstabili-
simum igitur est, diligentiam, rectamve curam adhibere com-
munem: idque ipsum facere posse. Quod si negli-
gitur publicè, ad vnumquemque pertinet filios suos,
atque amicos ad virtutem dirigere, vel saltem velle
dirigere. Atque maximè id ipsum posse videbitur
ex his, quæ diximus, idoneus ad leges ferendas fa-
ctus. Publicas igitur diligentias, atque curas, per le-
ges fieri cõstat: bonas autem, per studiosas. Nec in-
teresse quicquam videtur, scriptæ sint, an non scri-
ptæ: vnus, an plures per illas instituantur: vt & in
musica, exercitandique facultate, & eruditionibus
cæteris hoc nihil refert. Nam vt in ciuitatibus le-
ges, ac mores: sic & in domibus possunt paterni ser-
mone, ac mores: quinetiam magis ob cognatio-
nem, beneficiâque collata. Sunt enim ipsi filii iam-
pridem affectione deuincti, & facile obtemperan-
tes natura. Differunt insuper & instituta priuata à
publicis pèrinde, atque in medicina. Vniuersaliter
enim, febricitanti confert inedia, & quies: at alicui
forsitan non conducit. Magister quoque ludi, non
omnibus fortasse pugilibus eandem pugnam impo-
nit. Singula autem magis exactè fieri videbuntur,
adhibita cura, diligentiaque priuata: magis enim id
adipiscitur vnusquisque, quod congruum est. Atque
optimè quidem in singulis curam, ac diligentiam
adhibuerit, & medicus, & ludi magister, & quiuis
alius, qui hoc vniuersale scit: omnibus, inquam, aut
talibus hoc esse accommodatum. Scientiæ enim,
communis ipsius esse dicuntur & sunt. Nihil tamen
forsitan obstat, quin & is, qui scientiæ quidem est
expers, exactè autem ea perspexit experientia, quæ
in vnoquoque accidunt, rectam in vno aliquo dili-
gentiam adhibeat, atque curam: quemadmodum &
quidam optimi sibi ipsis esse medici videntur, qui
tamen nulli alii possunt opem afferre. Verùm non
minùs forsitan oportere videbitur, eum, qui vult
artifex, & contemplator euadere, ad vniuersale per-
gere, atque illud (vt fieri potest) cognoscere. Dictum
est enim, scientias circa hoc ipsum versari. Fortasse
autem & is, qui vult sua cura, diligentiaue meliores
facere, siue multos, siue paucos, enitatur oportet, vt
ad ferendas leges aptus euadat, si boni legibus fieri
possimus. Non est enim cuiusuis quenuis rectè dis-
ponere. Sed si alicuius est, scientis est: vt in medici-
na fit, & in cæteris facultatibus, quarum est aliqua
cura, atque prudentia. Hæc cùm ita sint, considera-
re post hoc oportet, vndenam, & quomodo quis-
piã legumlator euaserit. An ab iis, qui Rempubli-
gerunt, quemadmodum & in cæteris facultatibus fie-
ri

ri solet: nam pars ciuilis est ipsa, ferendarum legum
facultas. An non similiter in ciuili, & cæteris facul-
tatibus fit, & scientiis? Nam in cæteris quidem ii-
dem tradunt facultates, & per ipsas operantur, vt
medici, atque pictores. Res autem ciuiles docere
quidem pollicentur ipsi sophistæ, nemo autem ipso-
rum agit. Sed ii, qui Rempublicam gerunt, qui qui-
dem potentia quadam id agunt, & experientia po-
tius, quàm mente. Neque enim scribunt de talibus,
neque loquuntur: quod tamen præclarius forsitan
esset, quàm iudicialia orationes, vel deliberatiuas
componere. Neque filios suos, aut amicorum vllos
idoneos ad gubernandum Rempublicam efficiunt.
Erat autem consentaneum rationi, si possent. Neque
enim melius quicquam ciuitatibus reliquissent, ne-
que sibi ipsis, aut charissimis aliud magis optassent,
quàm talia posse. Non tamen parum experientia
conferre videtur: non enim fierent per ciuilem con-
suetudinem ad gubernandum Rempublicam aptio-
res. Quapropter iis, qui de re ciuili cupiunt scire,
experientia insuper opus esse constat. Sophistæ au-
tem ii, qui facultatem hanc profitentur, tradendi
viam ignorant. Neque enim quale quid est, neque
circa quæ versetur, omnino sciunt. Non enim ipsam,
& oratoriam facultatem idem, neque inferiorem
ponerent, congregatis iis legibus, quæ sunt proba-
tæ. Fieri enim posse dicunt, vt optimè deligantur:
pròinde quasi selectio non esset sagacitatis, & iudi-
care rectè non esset maximum: vt in musicis. Qui
nanque sunt in singulis experti, rectè opera iudi-
cant: & quibus, aut quomodo perficiuntur, & quæ
sunt his consona, comprehendunt. In expertis au-

tem satis est, si non lateat ipsos bene, an malè fa-
ctum sit opus: vt in pictura. Leges autem operibus
similes ciuilibus sunt. Quoniam igitur modo quis-
piam ex his legum fuerit lator, aut eas, quæ sunt
optimæ iudicauerit? Neque enim medici ex libris
fiunt: & tamen dicere conantur non solum cura-
tiones, sed etiam ægrotantes curari posse, & vt cu-
rare oportet, habitu vnus cuiusque distincto. Hæc
autem expertis quidem vtilia, iis verò, qui scientia
carent, inutilia sunt. Et legum igitur forsitan, & re-
rum publicarum congregationes iis quidem, qui
perspicere, atque discernere possunt, quidnam re-
ctè sese habet, vel contrà, aut quæ quibus accom-
modatur, vtilis esse possunt. Sed ii, qui sine habitu
talia tractant, rectè quidem iudicare non possunt,
nisi fortuito. Magis autem ad ea compræhendenda
fortasse fuerint apti. Cùm igitur nostri maiores ea,
quæ ad facultatem ferendarum legum pertinent, si-
ne perscrutatione relinquerint, nos ipsos illa fortas-
se præstat considerare: & omnino de republica per-
tractare oportet, vt quoad fieri potest, ea philoso-
phia perficiatur, quæ circa res humanas versatur.
Primum itaque si quid rectè sit à maioribus dictum,
id enitatur recensere. Deinde ex congregatis re-
bus publicis considerare, quænam ciuitates, & re-
rum publicarum singulas euertunt, atque conser-
uant: et quas ob causas aliæ rectè gubernantur, aliæ
contrà. His enim perspectis, magis fortasse perce-
perimus, quænam sit Respublica optima, & quo-
modo vnaquæque disposita, quibusve legibus vtetur,
ac moribus, bene fuerit constituta. Dicamus igitur,
hinc initio sumpto.

LEONARDI ARETINI IN
LIBROS POLITICORVM
PROOEMIUM.



Inter moralis disciplinæ præcepta, quibus humana vita institui-
tur, & docetur, eminentissimum quodam modo locum obtinent,
quæ de ciuitatibus, earumque gubernatione, conseruationeque
traduntur. Quippe disciplina huiusmodi omnis, felicitatem ho-
minibus conficere studet. Felicitatem verò si vni acquirere præ-
clarum est, quanto magnificentius erit, vniuersæ ciuitati beatitudinem adipisci.
Bonum enim, quanto latius patet, tanto diuinius est existimandum. Cùmque ho-
mo imbecille sit animal, & quam per seipsum non habet sufficientiam, perfectio-
nemque, ex ciuili societate reportet, nulla profectò conuenientior disciplina ho-
mini esse potest, quàm quid sit ciuitas, & quid Respublica intelligere, & per quæ
conseruetur, intereatque ciuilis societas, non ignorare. Mihi quidem, qui hæc igno-
rat, se ipsum pariter ignorare videtur, ac sapientissimi Dei præceptum despice-
re. Itaque & Plato decem illis præclaris libris, qui sunt ab eo de Republica scri-
pti, in hac parte ostendenda, docendaque plurimum nixus est. Et Marcus Cicero
noster, sex inclytis libris, quos de Republica scripsit, hanc ipsam materiã est pro-
secutus. Et Aristoteles in hoc volumine, quod nunc in Latinum conuertimus, hæc
ipsa complexus est: tantò quidem nitore, & copia, & ornatu, vt verè mereatur flu-
men aureum vocitari. Materia igitur huius operis talis est. Conuertendi autem,
interp

Aristoteles.

interpretandique mihi causa fuit eadem illa, quæ iam decē & octo annis ad conuersionem Ethicorum induxit. Nam cum viderē hos Aristotelis libros, qui apud Græcos elegantissimo stylo perscripti sunt, vitio mali interpretis ad ridiculam quandam ineptitudinem esse redactos, ac prætereà in rebus ipsis errata permulta, ac maximi ponderis, laborem suscepi nouæ translationis, quò nostris hominibus in hac parte prodessem. Quid enim opera ea vtilius, quid laude dignius efficere possim, quàm ciuibus meis primùm, deinde cæteris, qui Latina vtuntur lingua, ignaris Græcarum literarum, facultatem præbere, vt non per ænigmata, ac deliramenta interpretationum ineptarum, ac falsarum, sed de facie ad faciem possint Aristotelem intueri, & vt ille in Græco scripsit, sic in Latino perlegere? Excitauit quoque me vtilitas maxima, quam ex interpretatione Ethicorum prouenisse conspexeram. Homines enim ingenuè eruditi, quos primò veteris interpretationis ineptitudo, ac barbaries à legendo repellebat, ita postmodum eos libros complexi sunt, vt in maximam lucem illarum rerum cognitio sit perducta. Quod idem fore spero in his, de quibus nunc agimus, Politicorum libris. Atque eò magis, quò hæc materia ciuilis, & verba ad exprimendum alia, quàm in suis disputationibus scholastici vtantur, & maiorem quandam efflagitat dicendi ornatum. Quæ duo interpretes nedum ille consequi, sed ne suspicari quidem potuit. Aristoteles certè tanta facundia, tanta varietate, & copia, tanta historiarum, exemplorumque emulatione hos libros referit, vt oratorio penè stylo scripti videantur. Sic enim argumentationes totas interdum explicat, vt cuncta dicendi ornamenta in eas studiosè coniecta liceat intueri: nec est in his libris quæstio vlla paulò vberior, quæ tractata ab illo sit absque rhetorico pigmento, aut colore, quorum etsi non expressio, attamen adumbrationem quandam diligens lector in hac translatione nostra deprehendet. Fuit enim Aristoteles studiosissimus eloquentiæ: quod artes rhetoriæ eius, pluribus voluminibus explicatæ declarant. Quæ sit igitur horum librorum materia, & qua de causa laborem hunc susceperimus, & quales libri ipsi in Græco sint, hæc præfatos esse sufficiat. Hortamur autem omnes vehementer ad huius operis diligentissimam lectionem, vtpote doctrinam vberissimam, ac rerum propè innumerabilium cognitionem, & quidem necessariam ad vitam suscepturos.

ARIST

ARISTOTELIS STAGIRITAE POLITICORVM, SIVE DE REBUS PVBLCIS

LIBER PRIMVS,

Leonardo Aretino Interprete.

Argumentum Libri.

pagi
vno.



IN primo hæc differuntur: Partes Ciuitatis, domus, pagus, Ciuitas. Partes rei domesticæ quatuor: Coniugalis, dominica, paterna, acquisitiua. Coniugalis, virum & vxorem continet. Dominica, dominum, & seruum. Paterna, patrem, & liberos. Acquisitiua, quatuor hominum vitas: tres simplices, pastoriam ex manu factis animalibus, agriculturam ex frugibus, predatorem ex venatione, & piscatura, & quartam ex duabus, pluribusve simplicibus compositam. Pars coniugalis, & paterna, natura est. Dominica, quædam secundum naturam, vt cum est dominus natura, & natura seruus. Quædam præter naturam: vt cum dominus solum lege dominus est, & seruus, lege seruus. Item acquisitiua, quædam natura, vt quæ ex animalium pastu, agricultura, & præda auium, ferarumque, & piscium prouenit. Altera præter naturam, vt numularia: quæ quatuor habet species, mercaturam, fœnerationem, mercenariam, cæduam & fossitiam. Et semper quod secundum Naturam est, expetendum, & præferendum: quod autem præter naturam, illaudabile, fugiendum, aut postponendum. Ex ijs cognoscere licebit, quæ domus secundum naturam sint, aut magis sint, & quæ non sint, aut minus sint: & ira quoque de ciuitatibus. Cæterum appellatione domini, dominum & heram: serui, seruum & ancillam: patris, vtrunque parentem, patrem videlicet, & matrem intelligimus.

De Ciuitate, gubernatore, partibus, domo, pago. Cap. I.



QVONIAM videmus, omnem ciuitatē esse societate quædam, & omnem societatem boni alicuius gratia constitutā (nā eius gratia, quod bonū videtur, omnia omnes agunt) patet quòd ad bonum aliquod omnes coniectant: maximè verò principalissimum omnium, quæ est principalissima, & cæteras omnes complectitur. Est autē hæc illa, quæ ciuitas appellatur, & ciuilis societas. Quicunq; verò putant gubernatoris, ciuitatis, & regis, patrisque familiæ, & domini eandē esse rationē, non bene dicunt. Multitudine enim, & paucitate, sed nō specie

illorū singulos putāt differre: veluti si paucorū quidem, dominū: si verò pluriū, patrē familias: sin etiā plurium, gubernatorē ciuitatis, vel regē, quasi nihil differat magna domus, & parua ciuitas, gubernatorq; ciuitatis, & rex, quandoquidem ipse præsidet rex, quādo verò secundum rationē talis scientiæ in parte præsidet, & in parte subest gubernator ciuitatis. Sed hæc vera nō sunt, quod manifestū erit secundum hæc doctrinā cōsiderantibus. Vt enim in aliis compositū vsq; ad incōposita diuidere necessarium est, (hæc nanq; sunt minimæ totius particule) ita ciuitatem, ex quibus cōponitur, cōsiderantes, & quomodo illa differant inter se, & si quid artificii recipiunt singula ipsorū, magis intuebimur. Si quis igitur ab initio rerū originē inspiciat, vt in aliis, sic & in istis optimè discernet. Primùm igitur necesse est combinare illos, qui nō possunt esse nisi simul, ceu marē, & fœminā generationis causā. Et hoc non ex electione, sed velut in cæteris animalibus, & plātis, naturale est desiderium quale ipsum est, tale alterū relinquendi. Imperans verò natura, & parens, propter conseruationē: nā quod potest mēte prospicere, natura imperat, ac dominatur. Quod autē potest corpore hoc facere, parat natura, & seruit. Quapropter domino & seruo id confert. Natura igitur distincta sunt fœmina, & seruus. Nihil enim natura facit tale, quale statuarii delphicū gladium ob inopiā, sed vnum ad vnū. Sic enim optimè instrumēta proficiēt, si eorum singula non multis, sed vni, deseruiāt. Verum apud Barbaros fœmina, & seruus eodem gradu habentur. Causa verò huius est, quoniā quod natura dominetur non habent, sed fit eorū societas ex seruo, & serua. Quam ob rem aiunt poetæ, Græcos Barbaris dominari oportere, quòd idem sit natura, barbarus, & seruus. Ex his duabus igitur societatibus, domus prima: rectēque Hesiodus inquit, domum in primis comparandā, mulierēmq;, & bouē aratorē. Bos enim pro seruo pauperibus est. Quotidiana igitur societas secundum naturam constituta, domus est: quos Charundas quidem *δμοσιπνυς*, Epimenides verò Cretēsis *δμοκάνυς* appellat. Sed quæ ex pluribus domibus constituitur societas prima, vtilitatis gratia non quotidianæ, pagus est. Maximè verò secundum naturam videtur pagus, propagatio quædam esse domus eorum, quos dicimus coalitos, & natos esse natorum. Quapropter primò sub regibus ciuitates erant, nunc verò etiam gentes: nam ex his, qui suberant regno, processerunt. Omnis autem domus regitur à seniore. Quare & pagi inde propagati propter consanguinitatem. Et hoc

parae q un eade
diueps sex ven
las planay.

Pagy

De principio
De civitate.

De republica
De civitate.

Humilitatis
aut nequam
aut plusquam homo.

Notandum
quod non in
se.

quid proprium
hominis.

hoc est, quod inquit Homerus. Iura dant singuli natis, & vxoribus. Sparsum nanq; etiã sic antiquitus habitabat. Et deos ob hoc ipsum putat cuncti regẽ habere, quoniã & ipsi partim nunc, partim antiquitus sub regibus degebant. Quemadmodũ verò formas humanas diis attribuit homines, sic etiã vitas.

Quid civitas, quod homo civile sit animal, quod partibus civitas prior sit.

Cap. II.



Vã autem ex pluribus pagis conficitur societas, civitas est: quã quidem (vt ita dixerim) totius sufficientiã finem habet, constituta quidem gratia viuendi, existens autem bene viuendi gratia. Quapropter omnis civitas natura est: siquidem & primã societates: nam hæc illarum est finis: natura verò finis est. Quale enim vnumquodque est generationis perfectã, hanc vnusquisque naturam esse dicimus: ceu hominis, equi, domus. Insuper cuius gratia & finis, id optimum. Sufficiencia verò finis, & optimum. Ex his igitur patet, ciuitatem esse ex his, qui natura sunt, & quod homo natura civile est animal. Et qui absque ciuitate est per naturam, nõ per fortunam, aut nequam est, aut potior, quã homo: vt ab Homero per contumeliam increpatur: Sine tribu, sine iure, sine domo. Nam simul talis est, & belli cupidus: veluti qui nullo retinetur iugo, vt neque volatilia. Ex quo patet, sociale animal esse hominem, magis quã omnis apes, & quã omne gregarium animal. Nihil enim (vt diximus) frustra Natura facit. Sermonem verò homo habet solus omnium animalium. Nam vox quidem molesta, atque iucundi significatio est. Quapropter aliis quoque existit animalibus. Hucusq; enim Natura processit in his, vt sensum habeant iucundi, & molesti, & hoc inter se significare possint. At sermo ad hoc datus est nobis, vt ostendamus vtilitatem, & damnum: atque ita iustum, & iniustum. Hoc enim præter cetera animalia hominibus proprium est, vt boni, & mali, ac iusti, & iniusti, & aliorum huiusmodi, sensum habeant soli: horumque societas facit domum, & ciuitatem. Et certè secundum naturam prius est ciuitas, quã domus, & quã singuli nostrum. Nam totum prius est, quã partem, necessarium est. Perempto enim toto, non erit pes, nec manus, nisi æquiuoce: veluti si quis dicat lapideam. Nam corrupta quidem erit talis. Cunctæ quidem opere definitæ sunt, & potentia. Itaq; cum amplius non sint tales, non est dicendum, illas esse easdem, sed æquiucas. Esse igitur ciuitatem naturã, & prius, quã singuli, manifestum est. Si enim non est sufficiens vnusquisque separatus, perinde se habet ac reliquæ partes ad totum. Qui autem in communi societate nequit esse, quique nullius indiget propter sufficientiam, nulla pars est ciuitatis, quare aut bestia, aut Deus. Natura igitur omnibus ad huiusmodi societatem est appetitus. Qui autem primus instituit, maximorum bonorum causa fuit. Vt enim perfectione suscepta, optimum cõctorum animalium est homo, ita si alienus fiat a lege, & a iudiciis, pessimum est omnium animalium. Scũissima est enim iniusticia, tenens arma. Homo verò arma tenet per innatam prudentiam, atque virtutem, quibus plurimum valet in contrarium vti. Itaque

impiissimum, & immanissimum est sine virtute, & ad libidinem, cibationemque deterrimum. Iusticia verò, civile quiddam est: nam ius, ordinatio est civilis societatis: Iudicatio autem iusti iudicium.

De re familiari, domino, seruo, acquisitione, imperandi modis. Cap. III.



Voniã verò declaratum est, quibus ex partibus sit constituta ciuitas, necessarium videtur primũ de re domestica dicere. Omnis enim ciuitas ex domibus constat. Rei domesticæ rursus partes sunt, ex quibus domus est constituta. Domus autem perficitur ex seruis, & liberis. Cũ verò prima quæque sint in minutissimis perquirenda, primæ verò, ac minutissimæ partes domus existant, dominus & seruus, maritus & vxor, pater & filii: de his vtique tribus considerandum fuerit, quid vnumquodque, & quale esse oportet: hoc est, de dominica, de coniugali, (nam & ipsa proprio nomine non nominatur) & de paterna disciplina. Sint autem hæc tres, quas diximus. Est insuper quædam pars, quæ videtur quibusdam esse & disciplina rei familiaris, quibusdam verò maxima eius pars. Loquor autem de illa parte, quæ versatur circa acquirendum: quæ & ipsa, quemadmodum se habeat, considerandum erit. At primũ de seruo & domino dicamus, vt ea quæ ad vsum necessaria sunt, intueamur: & si quid de his meliũs compræhendere possimus, quã ea, quæ nunc existimantur. Quibusdã porrò videtur scientia quædam esse dominatio, eadẽque esse disciplina domestica, & dominatio, gubernatioque civilis & regia: vt in principio diximus. Aliis autem, præter naturam videtur esse dominatio, quoniã natura nihil differat, sed lege duntaxat inductum sit, vt alii liberi sint, alii serui, quapropter neque iustum: violentum enim. Cũ igitur possessio sit pars domus, certè & illa, per quam acquirimus, pars erit domesticæ disciplinæ. Nam sine necessariis impossibile est & viuere, & bene viuere. Vt verò in artibus definitis necessarium est subesse propria instrumenta, si opus modo confici debeat: sic etiam in re familiari. Instrumentorum verò quædam inanima sunt, quædam animata: veluti gubernatori nauis, quæ quidem inanimis est: qui verò proram regit, animatus. Nam minister in artibus locum instrumenti obtinet. Sic & res possessa instrumentum est ad vitam: possessio autem, multitudo instrumentorum: & seruus, possessum quiddam animatum, & tanquam instrumentum ante instrumenta, omnis minister. Si possent enim instrumenta ad iustum vel nutum domini opus suum conficere, quemadmodum Dædali, aut Vulcani tripodes, (quos inquit poeta sponte sua diuinum prodiisse in certamen) sic & pectines texerent, & pleetra citharam pulsarent: nec architecti sanè ministri, neq; domini indigerent seruis. Quæ igitur instrumenta dicuntur, factiua sunt. Quod verò possidemus, actiuum est. A pectine quidem aliquid sit præter illius vsum, à veste verò, atque lectica, vsum solũ. Præterea, cum specie differant facere, & agere, & indigeat vtrumque instrumentis, necessarium est & illa eandem habere differentiã. Vita certè, actio est, & non factio. Quapropter seruus, minister est ad actionem. Id autem, quod possidetur, dicitur quemadmodum & pars

Logica
De seruo
De domino
De re familiari
De acquisitione
De imperandi modis
De re familiari, domino, seruo, acquisitione, imperandi modis. Cap. III.

Notandum
quod non in
se.

pars ad totum. Pars enim non solũ alterius est pars, sed etiã omnino alterius. similiter & quod possidetur. Quapropter dominus, serui est dominus solũ, sed illius nõ est. Seruus autẽ, nõ solũ domini seruus, sed omnino illius. Quæ igitur sit natura serui, & quæ potestas, ex his patet. quicunq; enim sui ipsius non est secundum naturã, sed alterius, homo autẽ est, hic natura est seruus. Alterius autẽ homo, est qui possidetur, homo existens. Res possessa verò, instrumentũ ad acquirendũ, actiuum, & separabile. Vtrum verò sit aliquis natura talis, vel nõ, & vtrũ melius, ac iustius sit alicui seruire, vel non, sed omnis seruitus sit præter naturã, considerandũ potestã erit. Nec sanè difficile est, ratione perspicere, & ex his, quæ fiunt, cognoscere. Imperare enim, & parere, nõ solũ necessariorum sunt, verũ etiã vtiliũ. Ac statim ex generatione quædam distincta sunt, alia quidẽ ad imperandũ, alia verò ad parendũ. Et species multæ & imperantium, & parentiũ sunt. Et semper melius imperium, meliorũ parẽtium est: ceu hominis, quã bestię. Nam quod à melioribus perficitur, melius est opus. Vbi verò aliud imperat, aliud patet, est aliquod horũ opus. Nam quæcunq; ex pluribus constãt, & vnum quid cõmune fiunt, siue ex continuis, siue ex discretis, in omnibus apparet & quod imperat, & quod parerẽ; & hoc ex tota natura inest animalis. Nã & in his, quæ expertia sunt vitæ, est quoddã imperium instar harmoniæ. Sed hæc forsã aliena sunt ab ista cõsideratione. Animal verò cõstat primũ ex anima, & corpore: quorũ alterũ imperat secundum naturã, alterũ patet. Oportet autẽ considerare naturã non in corruptis, sed in his, quæ magis se habet secundũ naturã. Quocirca eum hominem, qui & animo, & corpore optimè dispositus sit, inspiciendũ: in quo certè id manifestũ est. Nam prauorũ quidẽ, aut prauè dispositorũ, sæpe inuenietur corpus imperare animo: ex eo, quia peruersẽ, ac præter naturam se habent. Est igitur (vt dicimus) primũ in animali perspicere imperiũ dominicũ, & ciuile. Nam animus quidem in corpus dominicũ habet imperiũ. Mens verò in appetitum, ciuile, & regium. In quibus clarũ est, secundũ naturã, & vtilitatẽ imperari ab animo corpori: & ab ea parte, quæ habet rationem, ei parti, quæ subiacet perturbationi: æqualitatem verò, ac vicissitudinẽ omnibus nocere. Rursus in homine, & aliis animalibus, eodem modo. Mãsuetã quidẽ meliora sunt, quã fera: his autẽ vniuersis melius est, vt homini pareant. Nam salutẽ ita recipiunt. Præterea autem masculus & fœmina, alter melior secundũ naturam, altera deterior: & hæc imperans, illa verò parens. Eodemq; modo necesse est in cunctis hominibus esse. Quicunq; igitur distãt tantũ, quantum animus à corpore, & homo à bestia, per hunc modum se habent. Quoruncunq; est opus in corporis vfu, & hoc est in eis potissimum, hi sunt natura serui: quibus meliũs est vt imperetur, hoc imperio, quemadmodũ in præmissis. Est enim natura seruus, qui potest alterius esse: quapropter & alterius est. Et qui tantũ

particeps est rationis, vt sentiat quidem, at non habeat. Nam cetera quidẽ animalia rationem quidem non sentiunt, sed passionibus inferiunt. Vius etiam variat parumper: necessariorũ enim corpori auxilium fit ab vtrisque, à seruis videlicet, ac mansuetis animalibus. Vult autẽ Natura, & differentia facit corpora liberorũ, & seruorũ: alia quidem robusta ad necessarios vsus: alia verò recta, & inutilia ad tales operationes, verũ vtilia ad ciuilem vitã. Hæc autem diuisa est in belli opportunitates, & pacis. Accidit verò sæpe & contrã: hos quidẽ corpora habere liberorum, illos verò animos. Nam id quidẽ patet, qd si tantum præcellant corpore solũ, quantum deorũ imagines, reliqui omnes digni apparerent illis seruire. Id si verum est in corporibus, multò iustius fuerit, in animo idem putare. Sed nõ vt corporis, ita & animi pulchritudinẽ discernere facile est. Quod igitur sint secundum naturam, alii liberi, alii serui, patet: quibus & seruire prodest, ac iustum est.

De duplici seruo, potentia gubernandi, imperio, dominatione, gubernatione. Cap. IIII.



Vod autẽ & contradicentes quodã modo rectè dicunt, nõ difficile fuerit intueri. Dupliciter enim dicitur, seruire, & seruus. Est enim aliquis secundum leges seruus, & seruiens, nam lex consensus quardã est, per quã bello capta illorũ fieri dicuntur, qui ceperunt. Hoc autẽ ius multũ eorũ, qui circa leges versantur, accusant, tanquam oratorem qui iniqua decreuerit: quasi sit graue, si eius, qui vim afferre potest, & potentia præcellit, seruus fiat, & subditus is, qui vim patitur. Et quibusdam hoc modo videtur, quibusdã illo, etiam sapientium. Causa verò ambiguitatis, & variationis sermonũ huiusmodi est, quia quodã modo virtus freta potentia, vim potest maximè afferre, & semper id, quod superat, est in excellentia alicuius boni: ex quo fit, vt vis non absq; virtute esse videatur: sed circa iustum solũ esse ambiguitatem, propter hoc sanè, quod aliis quidẽ benevolentia videtur esse iustũ, aliis hoc ipsum videtur iniustum, potentiorẽ dominari. Discordantibus inuicem huiusmodi sermonibus, cũ alteri nec validũ quicquã, nec persuasivum contineant, quod non oporteat meliorẽ secundum virtutem præesse, ac dominari. Omnino vsurpantes quidã, vt arbitrantur, aliquod iustũ (nam lex, iustũ quid est) seruitutẽ, quæ ex bello prouenit, iustam posuere: & simul nõ iustã esse aiunt. Nam fieri potest, vt belli principium nequaquã sit iustum. Et indignum seruire, nemo diceret esse seruũ: alioqui contingeret, eos, qui nobilissimi videntur, seruos esse, atq; ex seruis, si contingat eos capi, atq; venundari. Itaque istos non volunt seruos dicere, sed Barbaros. Atquẽ cũ ista dicunt, nihil quærũ aliud, quã natura seruos, vt ab initio diximus. Necesse est enim dicere aliquos esse, & hos quidem vbiq; seruos esse, alios verò nusquam. Eodemq; modo de nobilitate. Ipsos enim non solũ apud se ipsos nobiles, sed vbiq; existimant: Barbaros verò domi

ut sentiat
natura at n habeat
rationem.

solum nobiles. Quasi existat alia simpliciter nobilitas, alia non simpliciter, ut Theodecti Helena inquit: Ex diis ab utraque stirpe prognatam, quisquam appellabit serua? Sed cum hoc aiunt, nullo alio, quam virtute, & vicio definiunt seruum & liberum, nobilesq; & ignobiles. Putant enim ut ex hominibus hominem, & ex bestiis bestiam, sic ex bonis bonum generari. Sed Natura quidem hoc vult, attamen plerumque non potest. Quod igitur hæc dubitatio habet rationem quandam, & quod sunt alii natura serui, alii liberi, manifestum est. Et quod in quibusdam determinatum est, esse tale aliquid, quibus quod ob id ipsum prodest, & iustum est, alium seruire, alium esse liberum: & conuenit alium imperare, alium parere ei imperio, quod innatum est: quare & dominari. Quod autem male, utriusque inutiliter fit. Nam idem prodest toti, & parti, & animæ, & corpori. At seruus pars quaedam est domini, quasi animata quaedam corporis, sed separata pars: quapropter aliquid est, quod simul prodest, & amicitia est seruo & domino inuicem, secundum naturam ita dispositis. Illis vero, qui secundum legem, & per violentiam, contrarium. Patet autem ex his, quod non idem est dominatio, & gubernatio Reipublicæ, nec omnes inter se principatus, ut quidam aiunt. nam aliud liberorum secundum naturam, aliud seruorum est. Et in re familiarium imperium est vnus. nam ab vno regitur omnis domus. In Republica autem, liberorum, & æqualium est gubernatio. Dominus ergo non dicitur secundum scientiam, sed quia est talis: eodemque modo & seruus & liber. Scientia vero est & liberalis, & seruilis. Seruilis quidem, qualis Syracusis docebat. nam ibi quidem mercede pueros docebat seruitutem. Fuerit sanè etiã complurium talium disciplina, ceu coquinaria, & alii huius generis famulatus. Sunt enim opera alia honestiora aliis, alia vero necessaria magis. Et ut est in proverbio, Seruus præ seruo, dominus præ domino. Hæc igitur omnes scientiæ, seruales sunt. Domini autem scientia est, per quam utitur seruis. Nam dominus est, non in possidendo seruos, sed in utendo seruis. Continet autem hæc scientia, non magnam aliquid, neque gloriosum. Quæ enim seruum scire facere oportet, illi oportet scire iubere. Quapropter quibuscumque est facultas à laboribus cessandi, vicarius quidem hunc honorem suscipit. Ipsi autem Reipublicæ administranda, aut studiis philosophiæ intendant. Acquirendi vero disciplina, alia est ab utraque istarum, ceu bellica quædam iusta, aut venatica. De seruo igitur & domino, in hunc modum determinatum sit.

De possessione, acquisitione, hominum vitis, veris diuitiis. Cap. V.



Ita ut autem de vniuersa possessione, & de acquisitione intuebamur secundum antecedentem modum, quandoquidem & seruus possessionis erat pars. Primum igitur dubitaret utriusque aliquis, utrum illa disciplina, quæ ad acquirendum spectat, idem sit, quod facultas rei familiaris, vel pars aliqua eius, vel ministra. Et si ministra, utrum

quemadmodum pectinaria textoria, aut quemadmodum æraria statuaria. Non enim eodem modo subministrat: sed altera quidem organa præbet, altera materiam. Dico autem materiam, ceu id, quod subiaceret, ex quo aliquid perficitur opus, ceu textori lana, statuario æs. Quod quidem igitur non sit eadem rei familiaris disciplina illi, quæ pertinet ad acquirendum, manifestum est. Nam huius quidem parare est, illius vero uti. Quæ enim utitur his, quæ sunt in domo, nisi rei familiaris disciplina? Sed utrum sit eius pars, vel alia species, dubitationem habet. Nam si est diligentis patrisfamilias videre quomodo pecuniæ, & possessionis adfuit, possessio autem, & pecuniæ multas complectuntur partes: itaque primum dubitatio est, agricultura utrum pars aliqua sit illius acquirendi disciplinæ, an aliud quoddam genus? & omnino circa alimentum cura, & acquisitio. Atqui species alimentandi multæ sunt: quapropter & vitæ plures sunt animalium, & hominum. Non enim fieri potest, ut viuatur sine alimento. Itaque diuersitates alimentorum, diuersas fecerunt animalium vitas. Nam ferarum quidem alia gregales sunt, alia soliuagæ, ut hoc vel illo modo, illis conducit ad victum. Quoniam alia viuus animalibus, alia fructibus, alia cunctis pascuntur. Quare ad facultatem victus, atque delectum, ipsarum vitas Natura distinxit. Cum vero non idem cuique, dulce sit secundum naturam, sed aliis alia: & illarum, quæ animalia, & illarum, quæ fructus comedunt, vitæ inter se differunt. hoc idem est in hominibus. Differunt enim multæ eorum vitæ. Nam pingerrimi qui sunt, pastorem vitam sequuntur: quoniam à mansuetis animalibus sine labore educatio ipsis provenit otiosis. Cumque sit necesse mutare locum animalibus, & ipsi coguntur vnâ sequi, quasi agriculturam quandam viuam colentes. Alii vero ex præda viuunt: & præda quidem alia alii, ceu alii venantes, alii piscantes: ut qui paludes, & stagna, & flumina, & mare accolunt. Alii ab auibus, & feris. Sed maxima pars hominum à terra viuunt, & à fructibus non syluestribus. Vitæ igitur ferè tot sunt, quot secundum propriam, & innatam habent operationem, nec per commutationem, & commercia sibi præparant alimentum, pastoralis, agricultura, prædatoria, piscatoria, venatoria. Sunt & qui ista miscetes, iucundè viuunt, suppletentes deficientem vitam, qua deficiens est, ut sufficientia adfit: ceu pastorem, simul quidam, & prædatoriã, alii vero agriculturam, & venationem. Eodem modo & circa alias, ut indigentia compellit, in hunc modum degunt. Talis igitur acquisitio ab ipsa videtur Natura hominibus data, ut statim post generationem, sic etiã ad perfectionem deductis. Nam ab ipsa generationis initio quædam animalium simul exprimunt tantum alimenti, ut sufficiat, donec possit sibi ipsi acquirere quod generatum est: ut quæcumque ex putredine, vel ex ouis gignuntur. Quæ vero pariunt viuencia, alimentum habent in se ipsis, ad naturam educationem usque; ad tempus quoddam, quam lactis naturam dicimus. Quare similiter est de perfectis quoque existimandum,

mandum, plantasque animalium esse gratia, & cetera animalia hominum causa. Mansueta quidem propter utilitatem, & cibum. Fera vero (et si non omnia, at plurima illorum) propter cibum, & alia adiumenta, ut & vestis, ac cetera instrumenta ex illis fiant. Si igitur Natura nihil neque imperfectum facit, neque frustra, manifestum est, illa omnium hominum gratia fecisse Naturam. Quapropter & bellica secundum Naturam quodam modo acquisitiua erit. Nam & venatoria pars illius est, qua uti oportet contra bestias, & contra eos homines, qui ad parendum nati sunt, nec volunt parere, quia Naturam id bellum, iustum existat. Vna igitur acquirendi species secundum Naturam, pars est rei familiaris, quam oportet subesse iam, aut illam parare, quo ea subsint, quorum est comparatio rerum in vita necessarium, & vtilium ad societatem ciuitatis, & domus. Et videntur verè quidem diuitiæ ex his constare. Nam sufficientia huius possessionis ad vitam honorum, non infinita est: ut Solon poetico more dicebat. Diuitiarum nullus est finis constitutus hominibus. At certè constitutus est, ut in aliis artibus. Nullum enim instrumentum cuiusquam artis, infinitum est, neque multitudine, neque magnitudine. Diuitiæ autem sunt multitudo instrumentorum rei familiaris, & Reipublicæ. Quod igitur sit aliqua acquisitio secundum Naturam patribusfamilias, & gubernatoribus Reipublicæ, & propter quam causam, patet.

De numularia acquisitione, quod sit præter naturam, & quod differat à cura rei familiaris. Cap. VI.



Si aliud genus acquirendi, quod maxime vocant, & merito vocari debet pecuniarium, in quo nullus finis esse videtur diuitiarum, & possessionis: quod esse vnum cum illo specie, de quo supra diximus, plerique crediderunt, propter vicinitatem. Sed neque est idem, neque ab illo valde remotum. Est enim alterum illorum secundum Naturam, alterum non secundum Naturam, sed magis secundum peritiam, & artem. De quo dicere sic exordiamur: Cuiusque enim, quæ possidetur, rei duplex est usus: vterque vero secundum ipsam rem, sed non similiter: verum alter proprius, alter non proprius rei: ceu calcei quidem est calceatio, & venditio, vterque enim usus calcei est. Nam qui calceum indigenti vendit pro pecunia, vel cibo, utitur calceo, qua calceus est, sed non secundum proprium usum. Non enim commutationis gratia factus est calceus. Eodem modo se habet in aliis rebus, quas possidemus. Est enim permutatio in omnibus, cetera quidem ab initio ex eo, quod est secundum Naturam: quod alii plura, quam opus sit, alii pauciora habeant homines. Ex quo manifestum est, pecuniariam non esse secundum naturam eius, quæ pertinet ad acquirendum. Quoad enim ipsi sufficeret, necessarium erat permutationem fecisse. In prima igitur societate, id est, in domo, manifestum est, nihil opus esse illius, sed iam in maiori existente societate. Alii enim illorum communiter habebant omnia: alii separatim multa rursus & alia, quorum secundum

indigentiam necesse erat permutationem facere. Quemadmodum adhuc faciunt Barbarorum nationes multæ, alia pro aliis dantes, recipiendesque; vtilia enim pro vtilibus tradunt. Ultra vero nihil: ceu vinum pro tritico, & ceteris talibus. Huiusmodi ergo permutatio neque præter naturam est, neque ad amplificationem patrimonii pertinet, cum sit in supplementum indigentiam secundum naturam. Ex hac tamen, illa processit secundum rationem. Nam cum à remotioribus quaereretur auxilium, importando illa, quibus indigebant, & exportando illa, quibus abundabant, necessario numi introductus est usus. Non enim faciliter deferri possunt singula ad vitam necessaria. Quare ad permutationes faciendas tale aliquid composuerunt inter se dare, & accipere, quod vtilium quippiam existens, haberet usum commutandi facile ad vitam: ceu ferrum, & argentum, & si quid aliud tale: primum simpliciter definitum quantitate, & pondere, postmodum vero etiam signo impressum, quod à mensura liberi essent. Nam signum positum est, ad quantitatem demonstrandam. Reperto igitur numo, ex necessaria permutatione, alia species acquirendi emerfit numularia. Primum forsitan simpliciter, postea per experientiam artificiosior, unde, & quo modo permutando, plurimum faciat lucrum. Quapropter videtur numularia maxime circa quaestum pecuniarum versari, & illius esse opus posse discernere, unde proveniat multitudo pecuniarum. Numorum enim, & diuitiarum effectiua est. Nam & diuitias plerumque ponunt esse multitudinem pecuniæ, ex eo videlicet, quod circa illam intendunt pecuniaria, & quaestuaria. Contra vero interdum futile quiddam videntur numus, & lex omnino, & nequicquam secundum naturam. Quoniam mutatis iis, qui utuntur, nullius pretii, aut utilitatis est ad aliquod necessarium: & locuples numis, penuriam patietur necessarii alimentum. Atqui absurdum est, tales esse diuitias affirmare, quarum abundans quis fame perire possit: ut de Mida illo in fabulis traditur, cui propter infatigabilitatem desiderii, quicquid apponebatur, fiebat aurum. Quam ob rem quaerunt diuitias alias, & aliam acquirendi rationem. Et rectè quidem. Est enim alia acquirendi ratio, & diuitiarum secundum naturam. Et hæc quidem rei familiaris disciplina: Illa vero pecuniaria, pecuniarum effectiua, non simpliciter sed per ipsarum pecuniarum commutationem. Et videtur circa numum ista versari: nam numus primum est, & vltimum in commutatione. Et infinitæ sunt huiusmodi diuitiarum, quæ ab hac ratione rei augendæ proficiuntur. Vt enim medicina sanitatis in infinitum est, & vnaquæque ars finis in infinitum. nam quam maxime volunt illum efficere. Eorum vero, quæ sunt ad finem, non in infinitum. finis enim extremi omnibus. Sic & huius rationis augendæ rei, non est finis terminus. Finis autem tales diuitiarum, & pecuniarum possessio, sed hoc est rei familiaris opus. Quapropter in hac videtur necessarium, ut sit finis omnium diuitiarum. Sed contra video fieri. Omnes enim in infinitum

rum augent, qui pecuniis student. Causa verò hu-
 ius est, illarum propinquitas. Variatur enim vsus
 eiusdem rei, cum sit vtriusque; acquisitionis: ipsius
 enim vsus acquisitio, sed non secundum idem.
 Achuius quidem allus finis, illius verò amplifi-
 catio. Quare videtur quibusdam hoc esse rei fa-
 miliaris opus, & perseverant existimantes oportere
 aut conservare, aut augere pecuniam in in-
 finitum. Causa verò est huius dispositionis, studium
 vivendi, sed non bene vivendi. Cum ergo
 cupiditas in infinitum extendatur, illa quoque, que
 efficiunt infinita, cupiunt. Sed qui bene vivere
 studet, ad fructum corporis diuitias querunt.
 Vnde cum hoc quoque; in acquisitione consistere
 videatur, omnis eorum cura circa acquirendum
 est. Et altera augendi species hinc processit. Cum
 enim fructio modum excedat, illam adhibent, que
 huiusmodi excessum adimplere possit: & si per
 hanc acquirendi speciem nequeant parare, per
 aliam causam efficere conantur, vnaquaque; freti
 potentia non secundum naturam. Fortitudinis enim
 non est, pecuniam parare, sed fiduciam animi. Neque
 rei militaris, aut medicinæ: sed illius quidem vi-
 toriam, huius verò sanitatem. At illi cuncta ad pec-
 uniam conuertunt, quasi hic sit finis. Ad finem
 verò cuncta oportet tendere. De illa igitur ac-
 quirendi specie, que necessaria non est, & quam
 ea sit, & propter quam causam illa indige-
 mus, diximus. Et de illa, que necessaria est, quod
 altera ab illa: & disciplina rei familiaris, secundum
 naturam circa alimentum, nec infinita, si-
 cut illa, sed finem habens.

De acquisitione necessaria, medicina, numularia, & speciebus eius. Cap. VII.



NX hoc patet id, de quo ab initio du-
 bitabatur, vtrum gubernatoris do-
 mus, & civitatis sit acquirere, vel non,
 sed oporteat prius esse acquisitum.
 Sicut enim homines non facit Respublica, sed fa-
 ctos a Natura suscipiens, vitur illis: sic & alimen-
 tum oportet Naturam præbere, aut à terra, aut
 à mari, aut alio quopiam. Sed quemadmodum hæc
 administranda sunt, ad gubernatorem pertinet do-
 mus. Neque enim textorice est lanas facere, sed fa-
 ctis uti, & discernere qualis sit bona, & apta, &
 mala, & inepta. Enimvero dubitaret utique; ali-
 quis, cur ea diligentia, que ad acquirendum per-
 tinet, pars rei familiaris sit: Medicina verò non
 sit eius pars? Atqui sanam esse familiarem oportet,
 quemadmodum & victum habere, aut aliud
 quiddam necessariorum. Sed cum sit ut patrisfa-
 milias, & gubernatoris de salute providere, sit
 etiam ut non, sed medici: ita etiam de pecuniis
 est ut patrisfamilias, est etiam ut non, sed ut lu-
 cro inseruentis. Maximè verò (ut prius dictum
 est) Natura oportet hæc existere. Naturæ enim
 opus est alimentum genito præbere. Cuique; enim
 ex quo generatur, ex eo alimentum relinquitur.
 Itaque; secundum Naturam est parandi studium om-
 nibus, ex fructibus, & animalibus. Cum verò
 hæc sit duplex, ut diximus, & altera pecunia-
 ria, altera disciplina rei familiaris: & hæc quidem
 necessaria, & laudabilis, illa verò trãslata, & me-

ritò improbanda, quia non secundum Naturam,
 sed ab hominibus acquirunt, rationabilissimè ha-
 betur odio ipsa numularia: quoniam à numo ipso
 facit acquisitionem, & non ad quod inductus
 est. Commutationis enim causa numus fuit, fœ-
 nus autem se ipsum maius facit. Vnde & nomen
 venit, quoniam illa, que pariuntur, similia sunt
 gignentibus. In fœnore autem numus numum pa-
 rit. Quare maximè præter naturam est hic ac-
 quirendi modus. Quoniam verò que ad co-
 gnitionem pertinebant, determinavimus suffi-
 cienter: illa, que ad usum pertinent, discutienda
 sunt. Cuncta enim hæc, considerationem habent
 liberalem, experientiam verò necessariam.

Sunt autem circa acquirendum partes tres, re-
 rerum ipsarum, que acquirendæ sunt, peritiam
 habere, que optimè sint, & ubi, & quomodo, ceu
 quales equi comparandi sint, quales boues, aut
 pecudes. eodem modo in aliis animalibus. Opor-
 tet enim peritum esse, que istorum potissima,
 & ubi, & qualia: nam alia alibi potiora gignun-
 tur. Deinde agriculturæ, eiusque specierum: ut
 nudi soli, & consiti, & apium, & aliorum anima-
 lium, natatilium, tum volatilium, ex quibus sit
 utilitas prouentura. Maximè igitur propriæ ac-
 quisitionis istæ sunt partes, & primæ. Eius verò
 que per translationem dicitur potissima pars
 est mercatura. Et huius partes tres, nauigatio,
 deuestio, negociatio. Differunt autem hæc inter
 se, cum alia securiora sint, alia fructuosiora. Se-
 cunda pars est fœneratio. Tertia, mercenaria, &
 huius alia vilium artium, alia sine arte, solo cor-
 pore ministrante. Est & quarta acquirendi spe-
 cies, media inter hanc, & primam, (habet enim
 partem eius, que est secundum naturam, & par-
 tem eius, que per translationem dicitur) & est
 in his omnibus, que à terra, & ab his, que terræ
 sunt: non à fructibus, sed ab utilibus, ceu sylua
 cædua, & omni metallica. nam multæ sunt me-
 tallorum species. Hæc rursus multas comple-
 ctitur partes. De singulis horum in genere dic-
 tum est nunc: in specie verò de his dicere vti-
 le quidem foret ad opera, conficienda, sed gra-
 ue nimis in his edocendis persistere. Sunt enim
 operationes illæ artificiosissimæ, in quibus mi-
 nimum est fortuna: illæ sordidissimæ, in quibus
 maximè inquinatur corpus: illæ seruilissimæ,
 in quibus corporis est vsus plurimum: illæ
 verò ignobilissimæ, in quibus minimum re-
 quiritur virtutis. Cum verò sit à quibusdam de
 his scriptum, ut à Charete Pario, & Apollodoro
 Lemnio de cultu agrorum tam nudorum, quam
 consitorum, & similiter ab aliis, de aliis: ea qui-
 dem consideret, cui cura est, præcepta. Etiam qua-
 dam à frugi patribus familias dicta, collige-
 re oportet. Hæc enim cuncta sunt his, qui au-
 gere patrimonium curant. Quale est illud Tha-
 letis Milesii, (id enim consideratio quædam est
 ad acquirendum) sed illi quidem attributum pro-
 pter sapientiam, contingeretque; potest, cum sit
 vniuersale quiddam. Cui cum obiiceretur phi-
 losophiæ studium propter inopiam, quasi inuti-
 le, & infructuosum, prospexisse illum ferunt per
 astrologiam, oliuarum vbertatem futuram. Cumque;
 coegisset

coegisset paucillum pecuniarum, hyeme adhuc
 vigente emptionem olei fecisse in Mileto, & in
 Chio pro paruo admodum pretio, utpote nemi-
 ne plus offerente, arrasque dedisse. Cum itaque
 postea tempus venisset, multis subito querenti-
 bus, vendidisse oleum, quanti ipse voluit, ac ma-
 gnam vim pecuniarum inde superlucratum, osten-
 disse amicis, perfacile esse philosophis ditari si
 vellent, sed hoc non esse illis curæ. Thales igitur
 in hunc modum dicitur sapientiam suam
 ostendisse. Est autem (ut diximus) vniuersalis hic
 querendi modus, si quis possit sibi soli veditio-
 nem comparare. Quapropter ciuitates quedam
 hunc faciunt quæstum, cum indigent pecuniis:
 venditionem enim sibi solis referunt. In Sici-
 lia quidam cum apud eum pecunia reposita esset,
 ferri quicquid erat ex ferrariis emit: postea ve-
 rò mercatoribus illhuc accedentibus vendebat
 solus, non magnum excessum pretii faciens. Sed
 tamen ita ut pro quinquaginta talentis, centum
 conficeret. Hoc itaque; sentiens Dionysius, pecu-
 nias quidem illi non abstulit, sed amplius Syra-
 cusis morari vetuit, ut qui reditus reperiisset
 suis rebus inutiles. Iste vidit aliquid tale, quale
 Thales viderat. Vterque; enim sibi soli venditio-
 nem parauit. Hoc est vtile videre etiam in Re-
 publica. Nam ciuitates pecuniis indigent, & hu-
 iusmodi quæstibus, quemadmodum domus, sed
 & magis. Quam ob rem in Republica quidam
 huic soli parti intendunt.

De partibus rei domesticæ, differentia, virtutibus mulieris, serui, pueri, imperantis, parentis, artificum, & causa. Cap. VIII.



Quoniam verò tres erant partes rei
 domesticæ, vna dominica, de qua su-
 præ diximus: alia paterna, tertia con-
 iugalis. Nam & vxori præest, & filiis,
 tanquam liberis quidem ambobus, sed non e-
 dem imperii modo, sed vxori quidem ciuilitate,
 filiis autè regie. Masculus enim, quam fœmina,
 natura principalior est, nisi alicubi contra natu-
 ram constiterit: et quod antiquius est, & perfe-
 ctum, iuniore, & imperfecto. In ciuilibus igitur
 principatibus plerumque; commutatur is qui præest,
 & is, qui subest. Nam æquales esse volunt secun-
 dum naturam, nec quicquam differre. Attamen
 cum hic quidem præest, ille verò subest, requirit
 differentiam, & figuris, & sermonibus, & ho-
 noribus: ut Amasis inquit, de pedum lotore. Enim
 vero masculus ad fœminam semper ita se habet.
 Filiorum autem imperium est regium. Quod
 enim genuit, quodque per amicitiam præest, &
 per ætatè, id ipsum est idem, quod species qua-
 dam regi imperii. Ideo bene Homerus de Ioue
 inquit: Hominum pater, atque; deorum. sic appel-
 lans horum omnium regem. Natura enim excel-
 lere regem oportet, genere autem esse eundem.
 Quod accidit seniori ad iuniorem, & parenti
 ad natum. Manifestum ergo est, quod plus stu-
 dii domesticæ disciplinæ est circa homines,
 quam circa possessionem inanimatorum: & cir-
 ca horum virtutes, quam circa virtutes posses-
 sionis, quas diuitias appellamus: & circa liberos

magis, quam circa seruos. Primum igitur de
 seruis dubitauerit quispiam, vtrum præter mi-
 nisteria, & corporalia opera, sit aliqua virtus ser-
 ui excellentior, puta modestia, & fortitudo, & iu-
 stitia, & alii huiusmodi habitus: non sit vlla,
 præter corporalia ministeria. Ambiguitatem ha-
 bere id vtraque ex parte habet. Nam siue sit ali-
 qua, excellentiores erunt serui, quam liberi: siue
 non est aliqua (cum sint homines rationis parti-
 cipes) absurdum videbitur. Eadem est fere que-
 stio de muliere, & puero, vtrum & horum sint
 virtutes, & oporteat mulierem esse modestam,
 & fortem, & iustam. Et, an puer sit intemperas,
 & modestus, an non. Et vniuersaliter id qua-
 rendum est, de natura imperantis, & parentis,
 virum eadem virtus, an alia. Si enim oportet
 utrosque; participes esse virtutis, cur tandem al-
 ter imperare debet, alter parere penitus? Non
 enim secundum magis & minus possunt differ-
 re. Nam imperare, & parere, specie differunt, &
 non secundum magis & minus. Sin verò alium
 oportet, alium non, admirabile est. Nam si im-
 perans non erit temperatus, & iustus, quomodo
 bene imperabit? Sin is, cui imperatur, quomodo
 bene parebit? Intemperatus enim, & timidus, ni-
 hil faciet ut oportet. Constat igitur, oportere
 utrosque; habere virtutem, sed in ipsa virtute esse
 differentiam: quemadmodum in iis, que natura
 obediunt, id aperte in animo inspicitur. Est
 enim in animo quod natura imperat, & quod
 patet: quorum diuersam censemus esse virtutem,
 & ut rationem habentis, & irrationalis. Patet
 igitur eodem modo se habere in aliis. Quare
 pleraque; sunt natura imperantia, & parentia. Alio
 enim modo liber præest seruo, & masculus fœ-
 minæ, & vir puero: & omnibus insunt partibus
 animæ, sed differentia insunt. Seruus enim om-
 nino non habet liberandi arbitrium, Mulier ve-
 rò habet quidem, sed inualidum. Puer autem ha-
 bet, sed imperfectum. Eodem igitur modo se ha-
 bere necesse est & circa morales virtutes. Putan-
 dum est autem omnes participes esse oportere,
 sed non eodem modo: sed quantum cuique opus
 est. Ex quo fit ut is, qui imperat, perfectam vir-
 tutem habere debeat moralem (nam eius opus
 est simpliciter præcipientis, ac præsidet: ratio
 autem præcipit, atque præsidet) aliorum verò
 vnusquisque quantum sibi competit. Quare pa-
 tet, virtutem morale esse omnium supra dicto-
 rum. Nec eadem temperantia mulieris, & vi-
 ri, neque; fortitudo, neque; iustitia, ut Socrates pu-
 tebat: sed hæc quidem iubens fortitudo, illa ve-
 rò obediens. eodem modo & in aliis. Patet au-
 tem id magis, particulariter considerantibus. Nam
 qui vniuersaliter dicunt, quod bene se habere
 animum virtus est: & rectè agere, aut aliquid ra-
 le, se ipsos decipiunt. Multò enim melius dicunt,
 qui enumerant virtutes, quemadmodum Gorgias,
 quam qui ita definiunt. Quapropter oportet,
 sicut poeta de muliere dixit, ita ceteris in om-
 nibus. Mulieri decus affert taciturnitas, sed non
 ita viro. Cum verò puer sit imperfectus, patet
 quod & huius virtus non ipsius ad se ipsum est,
 sed ad perfectum, & ducem. Similiter & serui præfectum.

ad dominum. Posuimus autem seruum esse vti-
lem ad necessaria: quapropter patet ipsum virtu-
te indigere parua, & tanta, vt neq; propter in-
temperantiam, neq; propter timiditatē in ope-
ribus deficiat. Dubitabit verò aliquis (si verum
est quod nunc diximus) vtrū artifices oporteat
habere virtutē. Nam sæpe propter intemperan-
tiam deficiūt in operibus. an hoc longē differt?
Nam seruus quidem adheret nobis cōmunionē
vitæ: illē autē remōtior est, & tantum sibi cōpe-
rit virtutis, quantum seruitutis. Vilis enim arti-
fex determinatam quandā habet seruitutem. Et
seruus est secundū naturam: sed nemo futurus vt
alius opifex. Patet ergo quod huius quidem
virtutis causam esse oporteat, dominum seruo,
non eum, qui doctrinam habet in operibus do-
minicam. Quapropter non bene dicunt, qui ser-
uos spoliant ratione, dicentes præcepto vti dū
taxat. Admonendi sunt enim magis serui, quā

pueri. Et de his in hunc modū determinatū sit.
De viri autē, & mulieris, filiorūq; & patris
virtute, & cōuersatione adinuicē, quid rectē vel
contrā, & quomodo oportet, hoc quidē facere,
ab illo autē abstinere, in his, quæ in Republica
cōspiciuntur necesse est intueri. Nam cum om-
nis domus sit ciuitatis pars, illi autem domus,
partis autē virtus ad totū respicere debeat, ne-
cessariū est respicienti ad Rempubicam, filios,
vxorēq; instituere: liquidē refert ad rectā insti-
tutionē Reipublicæ, pueros, & mulieres esse be-
ne institutos. Enimvero referat necessariū est,
nam mulieres mediapars sunt hominū libero-
rum. Ex pueris autē sumuntur, qui Rempubicā
gubernent. Quare cum de his determinatū sit,
de reliquis autē in aliis sit dicendum, omis-
sis propositis, tanquā finē habentibus, alio sumpto
principio differamus, ac primū illa discuti-
mus, quæ tradita sunt de optimo ciuitatis statu.

Ita pars docet

ARISTOTELIS STA- giritæ Politicorum, Siue de Rebus Ciuilibus, Liber Secundus,

Leonardo Aretino Interprete.

Argumentum Libri.

IN hoc secundo discutiuntur hæc: Prima
& optima Respublica Socratis: secunda
Respublica Socratis: Respublica Pha-
leæ: Respublica Hippodami: Respubli-
ca Lycurgi: Respublica Minois: compa-
ratio harum inter se: Respublica Solonis, & qui de
rebus publicis scripserunt. Prima Respublica Socra-
tis, nullorum: Secunda, Magnesium: Phalææ, Cartha-
giniensium: Lycurgi, Lacedæmoniorum: Minois, Cre-
tensium: Solonis, Athenensium. E prima Republi-
ca Socratis sunt hæc, vnitas ciuitatis: Socratica com-
munitas mulierum, & natorum, communitas rerum.

De optima Republica Socratis, differente multi- tudine, æqualitate, sufficientia. Cap. I.

VONIAM proposuimus
cōsiderationem facere de ci-
uili societate, quæ sit optima
omnium, iis, qui possunt vi-
uere maximē ad votū: oportet
alias quoque considerare
Respublicas, quibus vtuntur
ciuitates aliqua earum, quæ bene legibus insti-
tuta vidētur. Et si aliqua sint aliæ ab aliquibus
scriptæ, quæ bene se habere videantur, vt recta
institutio, vtilitasque appareat. Nec putetur esse
ad ostentationem, & superfluitatē, quærere aliud
quippiam præter illas. Sed quia illæ non bene
se habent, ideo hunc laborem à nobis esse susce-
ptum. Incipiendum est autem ab eo, quod est
secundum naturam huius cōsiderationis prin-
cipium. Necessarium quidem est, aut omnia esse

communia inter ciues, aut nulla, aut quædam.
Enimvero nulla esse cōmunia, impossibile con-
stat esse: cum ciuitas sit communitas quædam. Ac
primò necesse est, locum esse communem: nam
locus quædam paritas est vnus ciuitatis, ciues
autem focii vnus ciuitatis. Sed vtrum me-
lius fuerit in bene instituenda Republica, qua-
cunque recipere cōmunionem possunt, ea om-
nia esse communia: an quædam cōmunia esse,
quædam non esse: nam fieri posset vt filii, vt vx-
res, & res, quæ possidentur, cōmunes essent, quæ-
admodū in Platonis Republi. Ibi enim Socra-
tes inquit, oportere cōmunes esse filios, & mu-
lieres, & facultates. Id verò vtrū præstat ita fi-
ri, vt nunc sit, vel secundum legem illam in Re-
publica scriptam? Continet porrò & falsas tur-
bationes permultas ista mulierum communitas:
& id, propter quod censuit, legem hanc esse fe-
rendam, non videtur consequi ex rationibus.
Præterea, ad finem, quem inquit oportere ciui-
tati existere (vt nunc quidem dictum est) impos-
sibile. Quomodo autem distinguere oporteat,
nihil ab eo determinatum est. Dico autem vt
quod vna videlicet sit ciuitas tota, tanquam id
sit maximē optimum. suscipit enim hanc suppo-
sitionem Socrates. Atqui constat, quod ea, si
procedat vt vna fiat magis, ciuitas non erit. Est
enim ciuitas, multitudo quædam secundum na-
turam, quæ dum fit vna magis, domus erit ex ci-
uitate, & homo ex domo. Vnam enim magis do-
mum censemus esse, quā ciuitatem, & homi-
nem vnum, quā domū. Quare etiam si posset
quispiam hoc facere, tamen non esset faciendū,
quia

Autem dicitur

quia perimit ciuitatem. Nec solum ex multi-
tudine hominum constat ciuitas, verum etiā ex
eorum multitudine, qui specie differunt. non fit
enim ciuitas ex similibus. Aliud enim ad bellū
confœderatio, quā ciuitas. Illa enim quanti-
tate prodest, & si eadē sit specie, cum auxilii gra-
tia suapte natura fieri nata sit, huiusce confœ-
deratio, ceu si pondus magis attrahat. Dif-
fert autem & eo modo ciuitas à gente, quan-
do per pagos diuisa non sit multitudo, sed
quemadmodum Arcades. Ex quibus autem
vnum fieri oportet, specie differunt: quapro-
pter æquale repositum ciuitatem conseruat, vt
in Ethicis dictum est prius, quoniam inter li-
beros & æquales necessarium est hoc esse. Nam
omnes simul magistratum gerere impossibile
est, sed aut per annum, aut per aliam præfinitio-
nem, & tempus. Atq; isto modo fit, vt omnes
gerant magistratum: ceu si mutarentur futores,
& fabri, nec semper iidē futores ac fabri essent.
Cum verò melius sit, ita se habere ea, quæ sunt
circa societatem ciuilem, manifestum est me-
lius fore, si iidem semper magistratum gererēt,
modò id fieri posset. Sed in quibus hoc fieri
nequit, propterea quod omnes naturā sunt pa-
res, simul est iustam (siue bonū, siue prauum sit,
gerere magistratum) vt omnes huius muneris
participes fiant, & in eo imitari vicissim æqua-
les, cedendo inuicem alios aliis, (vt pote qui ex
principio sint æquales.) Nam alii regūt, alii re-
guntur in parte, tanquā si ipsi alii fiant. Eodem
modo illorum, qui regunt, alii alios gerunt ma-
gistratus. Patet igitur ex his, quod nō recipitur,
sic vnam aptam esse ciuitatem, ceu dicunt qui-
dam, & quod maximum fore commodum ciui-
tatibus dicebatur, id interimit ciuitates. Atqui
singulorum bonum, singula conseruat. Patet
etiam alio modo, quod quærere nimium vnire
ciuitatem, non est melius. Domus enim magis
sufficiens est, quā homo vnus: ciuitas autem,
quā domus. Et vult ea quidem tum esse ci-
uitas, cum habet sufficientiam multorum socie-
tatis. Si igitur magis expetendum est, quod magis
sufficientiam habet, certē & minus vnum, eo,
quod est magis, expetibilius est.

De Republica Socratis, eiusq; improbatio. Cap. II.

Nimvero nec si optimum sit, & vnum
quā maximē esse ciuitatē, tamen
id demonstrari non videtur ex ser-
mone, si omnes dicant suum, & non
suum. Hoc enim Socrates putat signum esse ci-
uitatis perfectæ vnitæ. At enim verbum, omnes,
duplex est. Si igitur tāquam singuli, forsā esset
magis, quod efficere vult Socrates. Singuli enim
eundem filium suum dicerent, & mulierē ean-
dem: & de facultatibus, & de quibusvis aliis alia
eodem modo. Nunc autem non ita dicunt, qui
communibus vtuntur mulieribus, & filiis: sed
omnes quidem, at non vt singuli ipsorum. Eo-
demq; modo de facultatibus, omnes quidē, sed
non vt singuli eorum. Quod igitur aberratio
quædam sit in verbo, Omnes, manifestū est. nam
& vtrāq; & imparia, & paria dicit propter du-

plicitatem. Et in sermonibus positum, litigio-
sus facit syllogismos. Quare hoc ipsum omnes
dicere, vno quidem modo bonum est, sed ne-
quaquam possibile: alio autem modo, nihil con-
sentaneum. Habet præterea quod dicitur, nocu-
mentum aliud. Quod enim multorum cōmunē
est: in eo minima adhibetur diligentia. Nam de
propriis maximē curāt homines, de communi-
bus autem minū, quā tantū singulis compe-
tit. Tanquam enim alio curante, ab aliis negli-
guntur. Quemadmodum in seruilibus ministe-
riis, famulantes multi interdum deterius infér-
uiunt, quā pauci. Fiunt autem vniciueque ci-
uium mille filii, & hi non vt singulorum, sed vt
cuiusuis, cuius similiter est filius: quare omnes
similiter negligent. Præterea, isto modo singu-
li suum dicent bene agētem, aut male quoties-
cunq; continget numero. Puta, meus est, aut il-
lius, hoc modo dicens de singulis ex mille, vel
ex quot ciuitas sit, & hoc dubitans. Nam incer-
tum est cui contigerit genuisse filium, & saluū
esse genitū. Atqui vtrum præstat sic dicere suū,
ita vocantes vnumquēq; duorum millium, &
decem millium, an magis vt nunc in ciuitatibus
suum vocant, hic quidem filium suum, ille frā-
trem suum, ille nepotē suum, aut per aliā quan-
dam coniunctionem, & ex consanguinitate, vel
familiaritate, & affinitate sui primū, vel suo-
rum: & præterea alterum sodalem, alterum con-
tribulem? Præstat enim esse proprium nepotē,
quā illo modo filium. Quinimo nec vitari
quidem potest, quin agnoscantur à quibusdam
fratres, & filii, & patres, & matres: nam per simi-
litudines natorum ad parentes, necessarium est
vt fidem recipiant de sese inuicem. Quod trā-
dunt quidam, qui terræ ambitus describunt: esse
enim aiunt nonnullis superioris Libyæ populis
mulieres cōmunes, filios tamen partiri inter se
secūdam similitudines [natorum.] Sunt enim
mulieres quædam, & animalia, ceu equi, & bo-
ues, quorum ea natura est, vt simillimos genito-
ribus edant fœtus: vt equa illa apud Pharsaliam
Iusta nuncupata. Et præterea huiusmodi mo-
lestias non facile erit vitari ab iis, qui eam sta-
tuunt communitatem, puta plagas, & neces par-
tim voluntarias, partim inuoluntarias, & rixas,
& iurgia, quæ nefas est committere aduersus pa-
rentes, & propinquos, magis quā aduersus ex-
traneos. Sed frequentius illa euenire necesse est,
vbi ignorant, quā vbi sciunt. Et ea si contin-
gant, à scientibus expiari debito modo possunt,
ab ignorantibus verò non possunt. Illud etiam
absurdum, quod qui filios communes fecerunt,
coire solum amantes vetuerunt, amare verò nō
vetuerunt, nec alios vsus, quos esse patri ad fi-
lios, & fratri ad fratrem, omnium deformissimū
est, cum & amare solū aliquid absurdum sit, etiā
non aliā ob causam coitionē illorum vetuisse,
nisi quia nimia voluptas inde sit prouertura: sed
quia pater sit, aut filius, aut fratres, ob eam rem
nihil putare referre. Videtur autē magis pro-
desse, vt agricolis cōmunes sint mulieres, & fi-
lii, quā custodibus. Minus enim erit amicitia,
si cōmunes sint nati, & mulieres. Enimvero

δρόσος τρυ-
χάει τὸν
ἀριθμὸν.

les sint, quibus imperantur, oportet, quo ipsi pareant imperio, nec res novas in ciuitate moliantur. Penitus autē contrariū eueniat necessariū est, ex huiusmodi lege, quā ea, quorum causa optimas leges esse oportet, & quā id, cuius gratia Socrates censet ita instituendum de natis, & mulieribus. Amicitiam enim putamus maximū esse bonū ciuitatibus. Nam sic minimē seditionibus agitabuntur. Et vnam esse ciuitatē laudat maximē Socrates. quod & videtur, & ipse inquit esse amicitia opus, vt in amatoriis sermonibus scimus dicentē Aristophanē, Propter eximiam amantium cupiditatē, applicari simul, & ex duobus fieri vnum. Hic ergo necessariū est, ambos corruptos esse, vel vnū. At in ciuitatibus necesse est, amicitia infirmam, fluxamq; fieri, propter huiusmodi cōmunitatem, & minimē dicere suum, aut filium patrē, aut patrem filium.

Cōmuniū Platonis.

μικροῦ γλυκυ.

De communitate facultatum, & nonnullis incommodis Rempublicam Socraticam sequentibus. Cap. III.

Is consequens est de rebus, quæ possidentur, cōsiderare, quomodo sit cōstituendum illis, qui in optima Republica versari debeant. Vtrum cōmunes esse debeant, vel non cōmunes. Hoc seorsum determinandum est, nec simul cum his, quæ de natis, & mulieribus constituuntur. Dico autē circa res, vtrum & si sint nati, mulieresque separatim, quemadmodū nunc sint omnibus, præstet tamen res esse cōmunes, & vsus: puta vtrū præstet fundos proprios esse, fructus verò in cōmune conferre. quod apud quosdam fit gentes. Vel contrā, solum quidem cōmune esse, & cōmuniter coli, fructus autem partiri in proprios vsus. Quod etiam facere dicuntur quidā Barbarorū. Vel & fundos, & fructus esse cōmunes. Si ergo alii foret agricola, alius esset modus, & facilior. Sed cum ipsi sibi laborent, ea, quæ ad possessiones pertinent, plures præbebunt difficultates. Nā si in fruendo, & laborando non sint pares, necesse

est incusationes existant, contra fruētes quidem, & cōsumentes multa, parum verò laborantes, ab his, qui minū consumunt, & multū laborant. Omnino autem conuictus, & cōmunitas rerum humanarū omnium difficilis est, & maximē in his rebus. Probant autē eorum, qui vnā peregrinantur, societates, quorū pleriq; ferē dissident inter se de paruis, vilibusq; rebus offensi. Nos quoq; ministris illis plurimum irascimur, quibus maximē vtimur ad circularē famulatū. Cōmunes igitur habere res, has, & huiusmodi alias continet difficultates. Eo autem modo, quo nūc fit, si insuper moribus, & moderatione legum rectorum honestetur, non parū distabit. Habebit enim vtriusq; commoda. Dico autem vtriusq; videlicet eius, quod cōmunes sint res, & eius, quod propria. Oportet enim omnino vt res sint propriae, sed quodam modo cōmunes. Curæ enim diuisæ, incusationes adinuicē non parient, imò proficient, vt pote ad proprium vnoquoque sedulo incumbente. At verò per virtutem erūt ad vsū (vt est in proverbio) quæ sunt amicorum cōmunia. Est autem etiā nūc quibusdam in ciuitatibus in hunc modum subscriptum, ne putetur impossibile: & præcipuē in iis, quæ bene gubernantur, aliqua sunt, aliqua esse possunt. Propria enim sua quisq; possidens, partim vtilia facit amicis, partim vtitur cōmuni- bus: vt in Lacedæmone ferunt vtitur vicissim, tanquam forent vniuersisq;: & præterea equis, & canibus, & vehiculis. Patet igitur esse melius vt propriae sint res, sed vsu facere illas communes. Quemadmodū autem hoc fiat, legislatoris erit prouiso. Est sanē inenarrabile quantum intersit ad voluptatem, cōsiderare aliquid esse propriū sui. Non enim frustra quisq; ad se ipsum amicitiam habet: est verò id naturale. Sed cum amatio sui reprehenditur, non illud reprehenditur quia se amet, sed quia magis, quā oportet se amat: quemadmodum amatio pecuniarū, nam amant omnes, vt ita dixerim, talia. Atqui & largiri, & opem ferre amicis, & hospitibus, & familiaribus, dulcissimum est, quod fit, si propriae sint facultates. Hæc autem non contingunt illis, qui nimis vnam efficiunt ciuitatem. Et præterea duarum virtutum opera manifestē tollunt, Temperantia erga mulieres alienas: ab his enim laudabile est, se ob temperantiam abstinere. Et liberalitatis circa res possessas: neque enim discet nisi poterit liberalis, neque liberalem operationem faciet vllam. Nam in vsu earum rerum, quas ipsi possidemus, liberalis est opus. Illiusmodi itaq; legis positio, faciem habet apparentem, & humana videri possit: auditor enim libetē recipit, putans fore mirabilem quandam amicitiam omnibus erga omnes: præsertim cum quis incōmoda accusat rerum publicarum, nunc prouenientia ex eo, quia non sint cōmunes omnium facultates: ceu litigia ex contractibus, falsorū testium accusationes, diuitum adulationes: quorū nihil fit propter proprietatē, sed propter improbitatē. Cum etiā res in cōmuni possidentur, rerumq; vtētes cōmunionē; multo magis inter se litigare videamus, quā

quā eos, qui separatim possident. Sed videmus vel paucos, qui in cōmune degant, magis dissi dere, quā multi, quorū propria quisq; sua habeat, si conferamus vtroq; . Insuper æquum erat referre, non solum quantis malis priuabūtur, si cōmunitatem rerum habebunt, sed etiā quantis bonis. Videtur autē omnino impossibilis esse illa vita. Causam verò Socrati huius erroris putandum est fuisse, suppositionem non rectam. Oportet enim quodam modo vnā esse ciuitatē, & domum, sed non penitus. Est enim quod si procedat, non erit ciuitas. Est etiam quod erit quidem prope vt non sit ciuitas, deterior ciuitas: veluti si quis concentum faciat vniocū, & versus pedē vnum. Sed oportet, cum sit multitudo (vt prius diximus) per disciplinam, communem & vnam efficere. Et qui disciplinam sit adhibiturus, volens per illam studiosam facere ciuitatem, absurdum est, si per talia quædam instituendam putet, ac non per mores, & per philosophiā, & per leges: veluti seruorū, iumentorūq; possessionem in Lacedæmone, & comestationē in Creta legislator cōmunem induxit. Neq; illud sanē ignorandum est, quia oportet ad longum tēporis, ac multos annos inspicere, in quibus haudquaquā poterit latere, an rectē se habeant. Fermē enim omnia inuenta sunt quidem, sed alia non induta, alia ab expertis repudiata. Maximē autem id apparet, si quis per opera inspiciat Rempublicā sic institutam. Non aliter enim poterit fecisse ciuitatem, nisi separet illā, atq; distinguat, partim in comestationes, partim in genera, partim in tribus. Itaq; nihil aliud contigit lege prouisum esse, nisi vt custodes agros non colant, quod nūc Lacedæmonii facere cōceptant. Modus verò totius Republicæ quis futurus sit in cōmune degentibus, neq; Socrates ipse inquit, neq; dictu facile est. Atqui multitudo ciuitatis, diuerforum ciuium est multitudo: de quibus nihil determinatum est, An & agricolis cōmunes esse facultates oportet, vel proprias singulorum. Præterea vtrum mulieres, & pueros proprios, vel cōmunes. Si enim eodem modo cōmunia sunt omnia omnium, quid differant isti ab illis custodibus: vel quid plus [accedet] sustinentibus eorum imperium: vel quam ob causam imperiū sustinebunt, nisi fortē præteritū aliquid tale, quale Cretenses, qui cætera omnia seruis permittentes, gymnasia solum illis veruerunt, & armorū possessionem. Quod si vt in aliis ciuitatibus, ita apud illos talia erunt, quis modus erit cōmunitatis? Necesse est enim, duas ciuitates in vna esse ciuitate, & eas inter se cōtrarias. Facit enim alios quidem custodes, quasi in præsidio constitutos, alios agricolas, & artifices, & cæteros ciues. Litigia verò, & iurgia, & quæcunque alia mala ciuitatibus prouenire inquit, omnia prouenient etiā istis. Quanquā dicat Socrates, fore, vt non multum legibus indigeant, propter disciplinam, & veluti circa res vrbanas, & circa forum, & aliis huiusmodi legibus: tribuens solum disciplinam custodibus. Insuper dominos facit suarum rerū, agricolas, ac tollere permittit. At multo magis putandum est, fore illos graues, & info-

lentes, quā illas, quæ apud quosdam sunt, iloteias, & penestrias, & duleias. Enimvero siue necessariae sint hæc similiter, siue non, nihil nunc quidem determinatum est: neque de consequentibus, quæ sit eorum administratio, & disciplina, & leges quædam. Est autem neq; facile reperire, neq; parum referens, quales hos esse oporteat ad conseruandam custodum cōmunionem. Atqui si mulieres faciet cōmunes, facultates verò proprias, quis curam habebit rei domesticæ, vt habent agriculturæ viri, quauis sint cōmunes facultates, & agricolarum mulieres? Absurdum etiam ex bestiis facere similitudinē, quod conueniat eadem exercere mulieres, quæ viri, ad quos rei domesticæ cura nequaquam pertinet. Periculosa est insuper magistratuum constitutio, quā sic facit Socrates, vt semper sint iidem. At hoc seditionis est causa, etiam apud illos, qui nullam possident dignitatem: quid ergo apud bellicosos, & animosos viros? Quod autē ipsi necessarium sit, eosdem semper magistratus facere, patet. Non enim aliorum modo, & modo aliorum miscetur animis diuinum illud aurum, sed semper eisdem. Inquit autem, quibusdam statim a genitura aurum misceri, quibusdam argentum, & ferrum illis, qui artifices futuri sunt, aut agricolæ. Præterea, custodibus felicitatem auferens, totam inquit, ciuitatem facere beatam oportet legislatorem. At impossibile est, totam esse beatam, nisi aut plurimæ, aut omnes partes, aut quædam habeant felicitatem. Non enim eorundem est felicitas, quorum & pars: fit enim vt insit toti, & si nulli partium: at felicitatem impossibile est. Quod si custodes non erunt felices, qui tandem alii? non enim artifices quidem, neque vulgus. Illa igitur Respublica, de qua Socrates locutus est, has continet difficultates, & alias his non minores.

De Republica Platonis, & quæ Socratis secunda Respublica dicatur. Cap. IIII.

Ermē autem similiter circa leges quoque se habet postea scriptas. Quapropter & de illa Republica parte hic cogitare parū, melius erit. Etenim in Republica de paucis admodum determinauit Socrates: vt de mulierum, & natorum cōmunitate, & de rebus possessis, ac de institutione Republicæ. Diuisit enim in duas partes multitudinem habitantium, in agricolas, & propulsores belli. Tertiam ex iis fecit eos, qui consultant, ac deliberant, & in quibus summa Republicæ consistit autoritas. Agricola verò, & artifices, vtrum nullius magistratus, an alicuius participes sint: & vtrum arma possidere debeant, & vnā pugnare, nihil determinauit. Sed mulieres censet vnā pugnare debere, ac disciplinam habere eandem, quā custodes: cætera verò extraneis peregit sermonibus, & disciplinā custodum qualem esse illam porteret. Legū autem maxima quidem pars, leges existunt publicæ: pauca verò de Republica

κοινῶν ἔραρ
πολιῶν τοῖς
πόλεσι.

κίμφορ.

μῆτε τὸν
διορβίον, μῆ
τε τὸν κοι-
νὸν ἢ πό-
λεσιν.

σωφρόνας.

παρὰ τὴν
qui additur
multitudini
quæ pro fa-
cultatibus
sufficiebat.

dixit. Quam dum pergit t̄ communiorem face-
re, paulatim circumagit in aliam Rempublicam.
Præter communitatem enim mulierum, & rerū
possessarum, cætera eadem vtrifq; attribuit. Nā
& disciplinā eandem, & ut abstinentes viuant ab
operibus necessariis. Et de comestationibus eod-
dem modo, præterquam quod hic existimat mu-
lierum quoque comestationes esse debere; &
& hanc mille habentium arma, illam verò quin-
que millium. Superfluum ergo quiddam; &
T̄comptum, & nouum, & dubitatum omnes
Socratis habent sermones. Sed cuncta recte; for-
san difficile. Nam etiam multitudo illa; de qua
nunc dicebatur, latere non oportet, cum tanta
sit, quod Babylonia, aut alia quadam infinita re-
gione indigebit, ex qua otiosorum quinque mil-
lia cum mulierum, ac ministrantium multiplice
turba alantur. Suppositiones quidem sunt pro
arbitrio faciendæ; non tamen impossibili-
les. Dicitur autem debere legislatorem adduo
respicere in ferenda lege, ad regionem, & homi-
nes. Addendū est, & ad vicina loca, si oportet ei
uuliter viuere ciuitatem. Non solum enim neces-
sarium est, ipsam talibus vti ad bellū armis, quæ
utilia sint in sua regione, verum etiam quæ in a-
liena. Quod si quis huiusmodi non recipit vitā,
t̄ neque priuatim, neque publicè, nihilò minùs
tamen oportet terribilem esse hostibus, non ve-
nientibus solum in regionem, verum etiam ab-
euntibus. De modo quoque rerum possidenda-
rum videndum est, ne forsan melius sit aliter de-
finire, & clariùs. Tantas, inquit, possidere oportet,
vt t̄ modeste viuatur: perinde ac si dicat; vt
bene viuatur. Verum hoc est nimis generale; &
modeste viuere, ærumnose tamen. At melius est
dicere, modeste, & liberaliter. Separatim enim
vtrunque. Alterum enim luxuriæ accommoda-
bitur, alterum difficultati. Cum solæ huiusmo-
di virtutes habitus sint circa vsum facultatum
nostrarum: puta, patrimonio mansuetè, vel forti-
titer vti nō dicimur: at modeste, & liberaliter di-
cimur. Quare necessariū est, circa illud istas ve-
rari virtutes. Absurdum quoque est, cum fa-
cultates adæquauerit, de ciuium multitudine
nihil determinare; sed indefinitam relinque-
re multitudine filiorum, quasi sufficienter
adæquatam propter sterilitates quotcunque con-
tingant. Quod videtur nunc quoque euenire
in ciuitatibus. Sed opus est vt aliam ceritudi-
nem tunc habeat, quàm nunc. Nam nunc qui-
dem nemo dubitat, eò quod in singulos diuisæ
sunt facultates in quantamcunq; multitudine.
Tunc verò cum sint indiuisæ, necessarium erit
t̄ dispares nihil habere, siue pauciores sint mul-
titudine, siue plures. Magis autem putaret quis
oportere determinatum esse modum procrean-
dorum filiorum, quàm facultatum, vt non plu-
res, quàm determinatum sit, procreari oporteat.
Et numerus definiendus est respectu habito
ad fortunas, si contingat decedere aliquos; &
ad defectum procreandi cæterorum. Præter-
mittere autem id, vt in plerisque ciuitatibus,
necesse est egestatis sit causa ciuibus. Egestas
verò seditiones, & delicta parit. Itaque Phidon

Corinthius, vnus ex vetustis legumlatoribus, fa-
milias censuit æquales permanere debere, & ci-
uium multitudinem, quanuis fortitiones habe-
bant prius omnes t̄ iniquas secundum magnitudi-
nem: at in his legibus contrarium est. Verum
de his quemadmodum statuendum putemus,
postea erit dicendum. Onissum est etiam in
illis legibus, quemadmodum differant præsi-
des à subiectis. Inquit enim oportere, quemad-
modum ex alio lanæ filum ducitur, quàm lini,
sic & eos, qui præfunt, se habere debere ad
eos, qui subsunt. Cum verò totam substan-
tiam augeri dixerit vsque ad quincuplum, qua-
re hoc vtiq; non erit in regione vsque ad ali-
quid? Videndum est etiam ne ædificiorum diui-
sio non prosit ad rem familiarem. Duas enim
cuique domos attribuit: at difficile est, duas ha-
bitare domos. Tota verò constitutio t̄ vult esse
neque plebis gubernatio, neq; paucorum poten-
tium, sed horum media, quam vocant Rempu-
blicam. Est enim ex iis, qui arma ferunt. Si igitur
vt communissimam omnium hanc ciuitati-
bus constituit Rempublicam, rectè forsan dixit:
sin vt optimam t̄ Rempublicam, non rectè. For-
san enim Lacedæmoniorū Rempublicam quis
magis probabit, vel aliā quandā magis optima-
tium. Sunt qui dicant optimatiū Rempublicam
ex omni genere gubernationū admistā esse debe-
re, atq; ob id Lacedæmoniorum laudant Rem-
publicam, constare quidem illam ex paucorum
potentia. Item ex vno principe, & populari statu
affirmant ponentes regem illorum pro vnus gu-
bernatione, Senatū verò pro paucorū potētia:
Ephoros autē pro statu populari: quoniā Epho-
ri ipsi ex plebe sumuntur. Alii Ephoratū quidē
tyrannidem putant, sed populariter regi per co-
mestationes, & alium quotidianum victum. Sed
in his legibus dictum est, optimam Rempu-
blicam ex populari statu constare debere, ac ex
tyrannide. Quas aut non reponat quis omnino
inter species Rerumpublicarum, aut deterrimas
omniū esse fateatur. Melius ergo dicunt, qui plu-
res commiscent. Nam quæ ex pluribus constat
Rempublica, melior est. Deinde nihil videtur ha-
bere ex vnus gubernatione, sed ex paucorum po-
tentia, ac populari statu. Verum ad paucorū po-
tentiam inclinare magis: quod patet ex magi-
stratum creatione. Nam quod ex delectis forti-
tio fiat, commune est vtrifq;. Sed quod necesse
sit ditiores concionem habere, & magistratus
creare, vel aliud quippiam huiusmodi publico-
rum negotiorum facere, alios verò præteriri, id
paucorum potētia est. Insuper conari vt plures
ex diuitibus ad dignitates sumantur, & ad maxi-
mas quidem ex maximo censu, paucorum po-
tentia est, & Senatus assumptio. Assumuntur e-
nim cuncti ex necessitate, sed ex primo censu:
postea totidem ex secundo, postea ex tertio:
verum non omnes necesse erat ex tertio, vel
quarto assumi. Ex quarto autem, & quartis solis
necesse est primis & secundis. Postea ex his æqua-
lem ex singulis censibus numerum esse sumen-
dum inquit. Erunt itaq; plures, & potentiores,
qui ex maximo censu sumuntur: [propterea quia
ex

ex plebe quidam non sumuntur,] quia necesse
non est. Quod igitur non gubernatione plebis,
ac vnus principatu constabit huiusmodi Respu-
blica, ex his patet. Patebit etiam postea, cum de
ea specie Reipublicæ tractabimus. Habet etiam
circa magistratum creationē, quod ex delectis
deligantur, periculosum quippiā. Nam si aliqui
conspirare velint etiam mediocri numero, sem-
per secundum horū voluntatem fiet assumptio.
In legibus igitur illa Respublica ita se habet.

De Phalæa, quæ & Carthaginiensium Re-
publica. Cap. V.

SVnt verò & aliæ quædā Respublicæ
tum idiotarū, tū Philosophorū, & in
administratione ipsarū versantiū. O-
mnes autē hæ propinquiores sunt illi-
lis, quæ constitutæ sunt, & illis, secundum quas
nunc regunt, quàm istæ duæ. Nullus enim neque
de cōmunitate filiorum, neq; de mulieribus talē
aliquā introduxit nouitatē, neq; etiā de fœmina-
rum comestationibus, sed à necessariis magis in-
choant. Videtur autē quibusdam maximū, vt de
patrimoniis rectè constituantur: nam hinc sedi-
tiones oriri cunctas, asserunt. Quam ob rē Pha-
leas Carthaginiensis ante omnia de hac parte
cōstituit. Inquit enim, patrimonia ciuiū æqualia
esse debere. Hoc autē perfacile factū esse, si sta-
tim ab ipsa conditione ciuitatis prouideretur.
Postquā verò condita foret, difficilius quidem:
attamen satis maturè adæquari posse, si diuites
dotes dent, neq; accipiant: pauperes autē cōtra,
accipiant dotes, & non tradant. Plato autē in le-
gibus suis vsq; ad aliquid censuit esse permitten-
dum. Nam supra quincuplū eius, quod foret mi-
nimū, nemini licere ciuiū possidere, vt prius di-
ximus. Sed oportet ne id quidē latere legislatore,
quod certè nunc latet, quod qui patrimo-
nio modū imponit, debet etiā filiorum numero
modum imponere. Nam si excedat multitudo fi-
liorum patrimoniū facultatem, necessarium erit
legem abrogare: & sine illa abrogatione impro-
ba lex erit, quoniā ex diuitibus pauperes facit.
Opus est ergo, ne tales seditiosi efficiantur.
t̄ Quod igitur valet aliquid in Republica patri-
moniorum exæquatio, & veterum aliqui viden-
tur cognouisse, vt Solon constituit: & apud alios
lege cauetur, vt non quantum quisq; velit, sed
quantum lex permittit agri possideant. Eadem
quoque ratione patrimonia sua alienare leges
vetant. Vt est apud Locros lege cautum, ne quis
patrimonium alienare possit, nisi euidentem ca-
lamitatem ostenderit superuenisse. Præterea, vt
antiquæ hæreditates conseruentur. Quod subla-
tum est apud Leucada, valde popularem eorum
ciuitatem effecit: non enim amplius euenit, ex
taxatione census ad magistratus assumi. Sed &
æqualitatem quidem patrimoniorum constitu-
it. Verum hæc aut ita magna esse vt deliciari
liceat, aut ita exigua vt tenuiter victum agant.
Patet igitur, non sufficere patrimonia exæqua-
ta fuisse à legislatore, sed medium coniectandū
esse. Præterea, si quis mediocria statuatur omni-
bus patrimonia, nulla utilitas est. Magis enim

cupiditates adæquandæ sunt, quàm patrimonia.
Hoc autē fieri non potest, nisi sufficienter disci-
plina ciuibus adhibita per leges. Sed forsan re-
sponderet Phaleas, hoc ipsum se dicere. Censet
enim, horum duorum æqualitatem ciuitatibus
inesse debere, patrimoniū scilicet, ac disciplinā.
Sed quæ tandem hæc disciplina sit, exprimendū
fuit. Et vnā, eandemq; esse, nihil prodest. Nam
fieri potest, vt sit vnā eadēq; disciplina, verum
eiuscemodi, per quā cupidi fiant pecuniarū, aut
honoris, aut vtriusq;. Insuper seditiones oriun-
tur, non solum ob patrimoniorū, verum etiā ob
honorū inæqualitates: & hoc diuersum in vtrō-
que. Nam multitudo quidē grauius fert inæqua-
litatem patrimoniorū, præstantes autem viri ho-
norum æqualitatē. Vnde illud natū est, Honorū
incumbit tam ignaues quàm bonus. Non solum
verò homines propter necessaria iniuriantur,
quorum remedia putant adæquationem patri-
moniorū, ne spolient alios propter frigus, aut
propter famem, verum etiam, vt gaudeant, neq;
concupiscant. Nam si maiorem habeant neces-
sarium cupiditatem, ob huius medelam iniu-
rias inferunt. Non ergo ob hanc solum, verum
etiam si concupiscant, vt molestia careant, &
voluptate fruantur. Quod igitur horum trium
remedium est? His quidem exiguum patrimo-
nium, & opificium, illis autem temperantia.
Tertium verò, si quis velit per illa delectari, non
aliunde, quàm à philosophia, quærat remedium.
Nam t̄ cæteræ quidem hominibus t̄ gent, cum
iniurias inferunt plurimum propter superflua,
non propter necessaria, puta tyrannidem inua-
dunt, non vt frigus repellant. Quapropter ho-
nos maximus habetur non ei, qui furem occide-
rit, sed ei, qui tyrannū. Itaq; Phaleas paruis dū
taxat iniuriis hac sua Reipublicæ constitutione
succurrit. Præterea, multa statuere pergit, per
quæ ad se ipsos rectè instituti erunt. Sed oportet
bat quoque ad finitimos, & peregrinos omnes.
Necesse est ergo constitutum esse Rempubli-
cam ad bellicum robur: de quo ille nil dixit. Eodem
modo de facultatibus. Tantas enim esse oportet,
vt non solum ad ciuium vsum, verum etiam
ad pericula externa sufficiant. Quare nec ita ma-
gnas esse decet, vt finitimi potentiores concupi-
scant, quibus resisti nō possit. Nec rursus ita par-
uas, vt cū paribus, & similibus bellū nequeant su-
stinere. Ille igitur nihil determinauit. Oportet
autē neq; id latere, quātas facultates habere cō-
ducat. Fortè recta determinatio fuerit, tantas ef-
se debere, vt lucrū superantibus bello, ob exces-
sum afferre nō possint, sed ita sint, quasi nihil su-
peracquirāt. Quare Eubultis considerare iussit
Autophradatē, cum Atarnea obsidere vellet, cō-
gitaret vt quanto tēpore circa expugnationē e-
ius loci distineretur, ac existimaret huius tempo-
ris iacturā: velle enim pro minori pretio iā tūc
Atarnea relinquere. Quæ cū dixisset, Autophra-
datem in suam sententiam traxit, & obsidionem
prætermittere fecit. Habet igitur vtilitatem
exæquatio patrimoniorum inter ciues, ne inde
seditiones oriantur: verum (vt ita dixerim)
non admodum magnam. Nam & præstantio-
res

ἀνα βόλια
μόνον.

res conquiri possent, quasi ipsi plus habere debeant. Ex quo fit ut ipsi sæpe insurgant, ac seditiones concitent. Præterea, improbitas hominum insatiabilis est: & primò quidem sufficere dicunt secuti, plura appetunt semper, quousq; in infinitum procedant. Infinita est enim cupiditatis natura, ad cuius expletionem plurimi viuunt. Horum igitur principium est magis, quàm patrimoniorum exæquatio, ciuitatem sic instituire, ut boni quidem viri plus, quàm sibi competat, habere non querant, improbi autem, & si queant, habere non possint. Hoc autem fiet, si inferiores sint, nec iniuriam patiatur. Nec verò in hac ipsa exæquatione patrimoniorum rectè est ab eo dispositum, cum fundos, & agros exæquet solum: sed sint seruorum quoq; , armentorumque, & pecuniarum diuitiæ, & apparatus ingens earum rerum, quas suppellectilem vocitamus. An igitur horum omnium exæquatio quærenda est, vel moderatio quædam mediocris, an cuncta omittenda? Videtur autem ex ipsarum legum positione, ciuitatem exiguam constituere: siquidē artifices omnes publici erunt, nec multitudinē augebunt ciuitatis. Sed certè publicos esse eos, qui publica faciunt opera, oportet: quemadmodum & Epidaurii, & Diophantus quandoq; Athenis constituit. De Phalææ igitur Republica ferè ex his deprehendi potest, si quid ab eo sit bene dictum, vel non bene.

De Hippodami, & Milesiorum Republica.
Cap. VI.



Hippodamus autem Euryphontis, Milesius, qui & ciuitatum diuisionē inuenit, & Piræum abscidit, cum esset in cætera quoq; vita morosior propter gloriæ cupiditatem, vsque adeo ut quibusdam videretur superfluis capillorum prolixitate, & ornatu sumptuoso, præterea vestitu vili quidem, sed admodum factio, non in hyeme solum, verum etiam in æstate. Studiosus autem de omni Natura esse volens, primus omnium, qui non in Republica versati essent, aggressus est aliquid dicere de optimo ciuitatis statu. Constituit autem ciuitatem multitudinē decem millium, in tres diuisam partes. Faciebat enim vnā partem artifices, alteram agricolas, tertiam propulsores belli, atque arma tenentes. Diuisit quoque regionē in tres partes, ut esset pars vna sacra, alia publica, tertia priuata. Vnde cultus diis fieret, sacra: vnde verò propulsores belli alerentur, publica: quæ autem agricolarum foret, priuata. Legum quoque tres esse species solum putabat. De quibus verò iudicia fierent, totidem esse numero, iniuriam, damnum, cædem. Ponebat quoque vnum iudicium principale, ad quod omnia malè iudicata reuocarentur: idque constituēbat ex feminibus quibusdam delectis. Sententias verò in iudiciis non calculis ferendas esse censebat, sed vnum quenq; iudicem tabellam asserre, in qua scriberet, si condemnaret simpliciter, sententiam: sin absolueret simpliciter, vacuum: sin partim con-

ἀλάνης.

μυελανδρον.

demnaret partim absolueret, id ipsum definirēt. Nam ut nunc quidem fit, non rectè prouisum à lege existimabat, quia cogantur homines aut hoc, aut illud iudicantes, peierare. Ferebat quoque legem de iis, qui vtile quippiam ciuitati reperissent, ut honoribus afficerentur. Filios autem eorum, qui pro patria bellado occubuissent, ex publico alendos esse: quasi id non prius fuerit lege prouisum. Nam est nunc Athenis ea lex, & in aliis quibusdam ciuitatibus. Magistratum verò omnium electiones populo attribuit. Populum autem faciebat tria illa genera ciuium. Qui verò delecti essent, eos rerum publicarum curam habere debere, item hospitalium, & pupillarium. Plurima igitur, ac maximè digna memoratu in Hippodami constitutione ista sunt. Sed primò dubitabit aliquis de partitione ciuium. Nam & artifices, & agricolæ, & qui arma tenent omnes in Republica communiōe versantur. Verum agricolæ quidem arma non habent: artifices autem neque arma, neque agros. Itaq; fiunt quodam modo serui eorum, qui habent arma. Participes igitur esse omnium honorum impossibile est: cum sit quidem necessarium ex iis, qui habent arma, constitui belli duces, & custodes ciuium, & principalissimos (ut ita dixerim) magistratus. Quod si participes non sint Reipublicæ, quomodo bono animo esse poterunt in Republica? Enimvero potentiores esse oportet illos, qui arma tenent, ambabus partibus. Id autem non facile est, nisi multitudine exuperent. Quod si hoc erit, quid opus est, alios participes esse Reipublicæ, & suffragia magistratuum habere? Præterea, agricolæ quid vtilitatis afferunt ciuitati? Artifices enim esse, necessarium est: nam omnis ciuitas artificibus indiget, & possunt proficere ex artibus, quemadmodum in aliis ciuitatibus. Sed agricolæ si habentibus arma, victum parant, meritò ferent pars aliqua ciuitatis. At illi hic priuatum habent, priuatimque colunt. Insuper autem publicos agros, ex quibus propulsores belli victum habere oportet, si ipsi idem colant, non esset aliud agricola, aliud propulsator belli: quod legillator esse vult. Sin alii quidam ab agricolis, & propulsatoribus, quartum erit membrum ciuitatis nullius particeps, sed alienum à Republica. Quod si quis dicat, eosdem agricolas, & proprios colere, & publicos agros: primò fructuum multitudo non sufficeret, ex quibus singuli binis domibus habeant ministrare: deinde quam ob rem non statim ex eisdem agris, pro seque alimenta sumant, & propulsatoribus exhibeant: hæc sanè omnia magnam continent turbationem. Nec de iudicio quoque rectè se habet lex, qua iudicandum putant cum distinctione, litæ simpliciter scripta, ita ut ex iudice fiat arbiter. Hoc enim in compromisso in plures factio recipitur. Conferunt enim inter se de sententia ferenda: sed in iudiciis non recipitur: imò legillatores plerique contra statuunt, ne iudices inter se colloquantur. Deinde quomodo non erit litigiosa sententia, cum iudex non putat tantum deberi, quantum petitur. Nam si petitur viginti

ginti minas postulabat, iudiciū autem vnus decē iudicet, alter quinq; , alter quatuor, & hoc modo diuidant: & alii in totum condemnent, alii in nihilum: quis erit modus sententiarum concordandarum? Præterea, nemo peierare cogit simpliciter condemnantē, vel absoluentem, si simpliciter petatur. Non enim cum absoluit, nihil debere iudicat, sed viginti minas non debere. At ille peierat, qui cum putet viginti minas non deberi, tamen condemnat. De eo autē, quod inuenientibus aliquid commodū ciuitati, honores tribuendi sunt, non est tutum lege cauere, sed adparentiam solum probabilem habet. Continet enim calumnias, & motum forsā Reipublicæ. Sed incidit hæc in aliam quæstionem, & considerationem aliam, Vtrum damnosum sit, vel vtile ciuitatibus, leges patrias mutare, si sit alia melior. Quapropter non est facile dicto statim assentiri, siquidem non conducit mutare. Fieri autē potest ut inducatur aut legum, aut Reipublicæ dissolutio, tanquam commune bonum. Sed cum in hanc mentionem inciderimus, etiam pauca de eo perstringenda sunt. Habet enim, ut diximus, dubitationem, & melius videri potest, ut mutationem recipiant. Nam aliis quidem scientiis, hoc prodest: ceu si medicina ab institutis patriis mutetur, & gymnastica, & aliæ artes, atque facultates. Quarum cum vna ponenda sit ciuili disciplina, patet in ea quoq; eandē rationem esse tenendā. Probare autem hoc dicet aliquis, & in ipsis rebus. Antiquas enim leges nimium rudes esse, & barbaras. Armati siquidem ferro incedebant Græci, & vxores emebant inuicem: & quæcunque vetusta iura alicubi extant, penitus rudia sunt: ceu apud Cumas de cæde lex est, si accusator multos testes inducat ex agnatis propriis, reum esse cedis, contra quem probatur. Querunt autem omnino non patrium, sed bonum omnes. Putandumque est, priscos illos homines, siue ex terra geniti fuerint, siue ex corruptione aliqua feruati, fuisse ignaros, & imprudentes, quod de terra natis dicitur: ut absurdum sit in eorum opinionibus persistere velle. Præterea, neque leges scriptæ meliores sunt, si sunt immutabiles. Ut enim in aliis artibus, sic etiam circa ciuilem constitutionem impossibile est singulatim ad minimum vsque scriptis comprehendere. Necessè est enim ut generaliter scribantur. At illa, quæ aguntur, particularia sunt. Ex his ergo videtur, & quasdam leges, & quandoque esse mutandas. Alio autem modo considerantibus cauendū videtur esse maximè. Cum enim vtilitatis quidem accessio parua sit, assuescere verò faciliter leges mutare improbandum: constat, errata quædam esse toleranda, & legumlatorum, & magistratuum. Non enim tantum proderit, qui corrigere perget, quantum nocebit assuesfactio superioribus non parendi. Mendax & de artibus exemplum. Neque enim simile est mutare artē, atq; legem: nam lex nullam vim habet, ut ipsi pareatur, nisi ex more. Mos autem non fit, nisi temporis longitudine. Quare faciliter mutare leges ex presentibus in alias nouas, infirmā facere est vim legis. Præterea, si mutandæ sunt leges, vtrum omnes, & in o-

μαρτυροῦν

μηδὲν

mni Republica, an non? & vtrum à quocunque, aut quibusdam? In his enim magna est differentia. Quapropter nunc quidem omittamus considerationem hanc, nam aliorum est temporum.

De Lacedæmoniorum Republica. Cap. VII.



E Lacedæmoniorum autem Republica, & Cretensium, ferè autē & de aliorum rebus publicis, duo sunt consideranda. Vnum, si quid rectè, vel non rectè ad optimam constitutionem in illis sit ordinatum. Alterum, si quid ad oppositionem, & modum aduersantis ab illis Reipublicæ. Quod igitur necessarium est, in bene constituenda, necessestium adesse facultatem, omnes fatentur: sed quemadmodū id futurum sit, non facile est comprehendere. Nam & Penestie Thessalorum multoties in ipsos Thessalos insurrexerunt. Et Ilotes Lacedæmoniorum in casibus eorum aduersis, nunquam insidiari destiterunt: verum apud Creteses nihil adhuc tale accidit. Causa forsitan est, quia vicinæ ciuitates, quanuis inuicem bellum gerant, tamen earum nulla rebelles recipit: quoniam id non conducit, quando & ipsæ pericæcos habent. At Lacedæmoniorum finitimi omnes inimici erant, Argini, Messenii, & Arcades: nam & Thessalis ab initio rebellauerunt, cum finitimis Achæis, & cū Perrebis, & Magnesiis gererent bellum. Videtur autē etsi nihil aliud, atramen hoc ipsum esse perdifficile, quemadmodum cum eis sit conuersandū. Nā si remissè erga illos te geras, superbiunt illi quidem, ac se pares dominantibus existimant. Sin asperè tractentur, insidiantur, atque odio habent. Patet igitur, non reperire optimum modum eos, quibus ista contingunt circa subiectos. Præterea, lenitas in mulieres, & ad propositum Reipublicæ nocet, & ad directionem ciuitatis. Ut enim domus pars sunt viri, & vxor, ita & ciuitatem bifariam diuidi censendum est in virorem multitudinem, ac mulierum. Quocirca in quacunque Republica malè prouisum est circa mulieres, in ea putandum est, medietatem ciuitatis esse neglectam: quod ibi contingit. Volens enim legillator totam ciuitatem esse duram, ac laborum patientem, in viris quidem id fecisse constat, in mulieribus autem non fecisse. Viuunt enim molliter, ac in omnem licentiam dissolutæ. Itaq; necessarium in tali Republica diuitias haberi in pretio, præsertim cum viri sint mulieribus obnoxii: quod accidit omnibus ferè militaribus, bellicosissq; gentibus, præterquā Celtis, aut si qui alii coitum masculorum palam receperunt. Videtur autē qui primus fabulatus est, non irrationabiliter Venere Marti coniunxisse. Quoniam omnes huiuscemodi homines proni sunt ad Venerea, illisq; obnoxii. Itaque apud Lacedæmonios hoc fuit, multaq; in eorum principatu à mulieribus administrabatur. Etenim quid refert vtrum mulieres ipsæ gubernent, an eos, qui gubernant, à mulieribus gubernari? Idē enim accidit, cumq; insolentia ad nullū obsequiū vtilis sit, nisi fortè ad bellū maximè nocuæ etiā ad hoc ipsum Laconū mulieres erant. Patefecerunt enim hoc in Thebanorum aduen-

νομοθετῆσαι

aduentu. Non enim magis viles præstiterunt se, quam aliarum ciuitatum mulieres, sed turbâ inferebant magis, quam hostes. Ab initio igitur rationabiliter contigisse Lacedæmoniis videtur in mulieres indulgentia, cum per militiâ multû domo abessent, Argiuis primò, mox Arcadibus, & Messeniis bellum inferentes. Exercetes enim se ipsos, legumlatori præstabant assuefactos propter militarem vitam: multas enim continet virtutis partes. Mulieres autè fertur Lycurgus deducere conatus, ad leges. At vbi repugnabant, abstinuisset. Causæ igitur factorum hæ sunt. Itaque & huius peccati. Sed nos non id consideremus, cui venia danda sit, vel non danda, sed rectumne sit, an non rectum. Quæ porro circa mulieres non bene se habent, videntur (vt diximus antè) non solum ipsa per se indecentiam quandâ facere in Republica, sed impellere quoq; ad cupiditatem pecuniæ. Post illa enim, quæ nunc dicta sunt, tuentes inæqualem rerû possessionem quis repræhendat? Nam eorû quibusdam hoc euenit, vt magnâ nimium opulentiâ haberent, Aliis verò vt penitus exiguum: quapropter ad paucos deueniunt agri. Hoc autem ex eo accidit, quia malè fuerat lege prouisum. Emere enim, aut vendere quod habeas, fecit non honestum. Et rectè id quidem. Sed donare, ac testamento relinquere concessit. Atque idem accidat necesse est, per hunc modum & illum. Sunt enim mulierum ferè ex quinque partibus totius regionis duæ, multis hæredibus institutis, & traditione dotium magnarum. Atqui melius erat, aut nullam, aut paruam, aut mediocrem esse constitutam. Nunc autem licet donare ex testamento cuiuscunq; etiam si nullo instituto hærede decesserit. Ex quo factum est, vt regio sufficiens mille & quingentos equites alere, peditum verò triginta millia, ne mille quidem totos habeat. Probauit autem res ipsa, prauè apud illos in hac parte fuisse prouisum: quoniam vna plaga suscepta ciuitas ea corruit, nec vltra pertulit, ob hominum paucitatem. Aiunt etiam per tempora priorum regum, novos homines permultos donatos, ob numerû ciuiû, qui bello diminuti fuerant ad augendû: & aiunt fuisse quandoque Spartiatis decè millia: & tamen siue sint ista vera, siue nõ sint, melius est per adæquationem possessionû replere hominibus ciuitatè. Contraria etiâ quodâ modo est huic prouisioni lex illa circa prolem. Volens enim legumlator quàm plurimos fore Spartiatis, induxit ciues ad multitudinem procreandam. Est enim lex, Qui tres genuerit filios, eum esse immunem à custodia: qui verò quatuor, immunem esse ab omnibus. Atqui patet, quòd si multi gignantur regione sic distributa, necessarium est multos fieri pauperes. At enim & quæ circa Ephoros constituta sunt, prauè se habent: hic enim magistratus maximû apud illos rerû potestatem habet. Sumuntur autem ex plebe omnes, vt multoties contingat, homines valde pauperes in hac potestate constitui, qui propter egestatem venales sint. Ostenderunt id & sæpe prius, & nunc in Andriis. Corrupti enim pecunia quidam, quantum in se

fuit, totam Rempubicam euerterunt: & propter eius magistratus nimiam potestatem, ac tyranni di parem, etiam reges ipsos populares fieri comulerunt, vt in hac quoque parte Respublica læderetur. Popularis enim status ex optimate resultauit. Continet tamen Rempubicam magistratus iste. Acquiescit enim plebs ex eo, quia maximi magistratus capax est. Ita siue per legislatorè, siue per fortunam euenit hoc, vtiliter se habet rebus. Oportet enim Rempubicam, quæ diuturna sit, velle, vt omnes ciuitatis partes contentent, atque in statu suo permaneant. Reges ergo propter honorè suum ita se habebunt: præstantes autem viri propter Senatam. Nam ea dignitas, virtutis est præmium: plebs autè propter Ephoriâ: nam cõstituitur ex omnibus. Sed oportebat huc magistratû sumi quidem ex omnibus, nõ tamen per hunc modû, per quem nunc fit: est enim nimium puerile. Præterea autè, & iudicâdi de magnis rebus potestatem habent homines ¶ contingentes. Itaq; melius foret, non secundum propriâ mentem eos iudicare, sed secundum literas, & leges. Est etiâ Ephororû vita nequaquam conueniens proposito ciuitatis: nõ Ephori quidem molliter viuunt, in cæteris autè tanta asperitas est vitæ, vt nequeant homines illâ perferre, sed clam transgredientes legè voluptatibus fruuntur. Senatorû quoq; potestas non rectè apud illos cõstituta est. Nã quòd sint viri boni, ac sufficienter ad virtutè eruditi, dicet forsitan aliquis ciuitati conducere. Enimuero quòd per omnem vitam magis de rebus decernendi potestatem habeant, periculosum est. Est enim vt corporis, sic etiam & ciuitatis senectus. Per hunc autem modum eruditus, vt & legislator ipse diffidat, tanquã non bonis viris nequaquã tutû. Videntur autem hi, qui in hac potestate constituti sunt, largièdi, gratificandiq; ex cõmunibus per multa facultatè habere: quapropter melius erat, eos rationi reddendæ subiectos esse: nunc autem non sunt. Videtur autem Ephororum magistratus omnes alios magistratus corrigere. In hoc autem nimium certè illis permillum: & non per hunc modum dicimus rationem reddere oportere. Insuper creatio ipsa Senatorum, quam per suffragia faciunt, perleuis est: ac ipsum petere, qui eligendus sit, non rectè se habet. Oportet enim & volentem, & non volentem, ad magistratum assumere, si dignus sit eo magistratu. Nunc autem idem facere in hoc videtur legislator, quod in alia Republica. Ambitiosos enim faciens ciues, illis vitur ad Senatorum delectum. Nemo enim magistratum petet, nisi honoris sit affectator: atque pleraque eorû, quæ homines iniuste faciunt, per ambitionè, & auaritiâ committuntur. De regia verò potestate, vtrum melius sit, eam in ciuitatibus existere, necne, alia foret disputatio. Attamen melius (non vt nunc quidè) sed pro vita cuiusq; regis iudicare. Quod autem ne ipse quidem legislator credit se facere bonum & honestos, manifestum est. Diffidit enim, quasi non sint ad sufficientiam boni viri. Itaque legatos simul mittebant inimicos, ac salutem ciuitatis esse putabant, seditiones regum. Non

Non bene etiam circa comessationes, quæ illi Phiditia nominant, constitutum est ab initio. Oportebat enim magis ex publico esse conuentum, quemadmodum in Creta. Sed apud Lacedæmonios vnusquisq; conferre habet: etsi sunt quidam longè pauperrimi, qui huiusmodi sumptû nequeant sufferre. Ex quo fit vt legumlatori contra eueniat, quàm ipse voluerit. Voluit enim ciuitatè populare facere per comessationes: sed contra accidit, cum non sit facile pauperibus, comessationum participes esse. More enim maiorum sic apud eos definitur, vt qui comessationum particeps esse nequeat, is ad Reipublice gubernationem non admittatur. Legè verò, quæ est circa præfectos classis, & alii quidam improbant. Et rectè quidem. Est enim seditionis causa. Nam cum reges sint belli duces, præfectura illa perpetua ferè alterum est imperiû. Et sic suppositioni legislatoris succenseri potest. Quod & Plato in legibus suis censuit. Ad partem enim virtutis tota ordinatio illarû legum contendit, scilicet bellica. Hæc autè vtilis ad victoriâ consequendam. Itaque salui erant bellum gerentes, peribant verò vbi rerum potiti essent: quoniam nec otium agere, nec quicquã aliud exercere sciebant præstabilius, quàm rem militare. Illud quoque erratû non sanè minus, quòd putant bona illa, quæ ad bellû pertinet, ex virtute magis, quàm ex vitio fieri. Et in hoc quidè rectè: sed quòd hæc potiora, quàm virtutem ipsam putat, in hoc non rectè. Malè etiâ circa pecunias publicas constitutum apud illos est: quia neque in publico habent quicquã: & magna bella gerere coacti, pecunias agrè conferunt. Nam quia Spartiarum est plurimum agri, non examinant inuicem collationes. Est euenit legumlatori contra, quàm commodum est, publicè inopiam, priuatim auaritiâ inducere. De Lacedæmoniorum igitur Republica hæcenus dictum sit. Nam hæc sunt, quæ maxime quis repræhendat.

De Cretensum Republica. Cap. VIII.



Retensium verò Respublica huic finitima est. Habet autem quædam nõ deterius, sed plurima minus nitidè. Videtur autem, & fertur Lacedæmoniorum Respublica in pluribus imitata Cretensem. Vetus autem pleraq;, rudiora sunt nouis. Ferunt enim Lycurgum post dimissam Charilli regis tutelam, cum longo tempore peregrinaretur, in Creta plurimum fuisse diuersatû, propter cognationem. Erant enim Lyctii Lacedæmoniorum coloni. Susceperant autem ii, qui in eam coloniam venerant, instituta legum, tunc in antiquis habitatoribus obtinentia. Quapropter & nunc Pericæci eodem modo illis legibus vtuntur, quomodo eas Minos constituit primus. Videtur autem hæc insula ad principatum Græciæ esse nata, ac præclare sita. Cuncto nanq; imminet mari, cum ferè Græci omnes circum mare sint positi. Abest enim hinc modicum à Peloponneso. Illinc verò ab Asiæ loco, qui circa Tropicum est & Rhodum. Quare imperium maris obtinuit Minos, ac & insularum alias subegit, alias verò dudum incultas habitari fecit.

Tandem Siciliam aggressus, circa Camerinam defunctus est. Habet autem conuenientiam Cretica institutio cum Laconica. Agriculturam exercent apud hos quidem Eilota, apud illos verò Pericæci. Et comessationes sunt apud vtroque. Et antiquitus nuncupabant Lacedæmonii non Phiditia, sed Andria, quemadmodum Cretes. Ex quo palàm est, inde prouenisse. Insuper autem & Reipublicæ institutio. Ephori nanque eandem vim habent, quã in Creta hi, qui Cosmi appellantur: nisi quòd Ephori numero quinque sunt, Cosmi autem decem. Senatores autem pares sunt senatoribus, quos vocant Cretes consilium. Regia autè potestas fuit primò apud Cretas, postea illam sustulerunt, imperio in bello ad Cosmos translato. Concio autem omnibus communis est, sed aliam nullam habet auctoritatem, quàm ea comprobandi, quæ à Senatoribus, & Cosmis fuerit antè decreta. Quæ igitur de comessationibus constituta sunt, melius apud Cretas, quàm apud Lacedæmonios habent. Nã apud Lacedæmonios vnusquisq; certû quid in singula capita taxatû soluit: quod nisi faciat, à Republica repellitur, vt prius diximus. At in Creta communius est. Ex cunctis enim, quæ à terra proueniunt, vel armentis, ex publicis, & his, quæ afferunt Pericæci, diuisio fit, vt pars vna ad deorum cultum, & ad publica onera, pars ad comessationes deputetur. Ac ita ex publico educant omnes, & mulieres, & pueros, & viros. Ad temperantiam autem cibi, quasi vtilis sit, multa legillator philosophatus est. Et de mulierum diuortiiis, de earum congressione ad viros, ne superfluam pariant multitudinem, etiam prospexit. Quod vtrum prauè, vel non prauè constitutum sit, aliud erit considerâdi tempus. Sed quòd circa comessationes melius prouisum sit apud Cretas, quàm apud Lacedæmonios, manifestum est. At circa Cosmos deterius, quàm circa Ephoros. Quod enim mali habet Ephororum magistratus, idem & in illis est: sumuntur enim quibusuis. Sed quod in his prodest Reipublicæ, illi non est. Nam hic quia ex omnibus assumptio est, particeps populus amplissimi magistratus, vult manere Rempubicam. Illi autem non ex omnibus sumuntur Cosmi, sed ex quibusdam familiis: & senatores ex iis, qui Cosmi iam fuerunt. De quibus idem dici potest, quod de iis, quæ apud Lacedæmonios fiunt. Nam esse liberum magistratum, atq; perpetuum, maius est minus, quàm dignitas eorum mereatur. Et non secundum legem scriptam iudicare, sed secundum quod sibi videtur, periculosum est. Quiescere autem plebem non participantem, nullum signum est bene constitutæ ciuitatis. Nec quicquam susceptionis est Cosmis, quemadmodum Ephoris: abeuntque per singulam longè à cõtenduntibus. Medicina verò, quam huic delicto adhibent, ridicula est, nec ciuilibus, sed ¶ tyrannicis. Sæpenumero enim aut collegæ illorum, aut priuati homines insurgentes, per seditionem Cosmos expellunt. Licet etiam Cosmis se ipsos magistratu abdicare. Enimuero hæc omnia præstabat lege fieri, quàm pro hominum voluntate

te. Non enim secuta est regula. Omnium verò deterrimum est, potentum à Cosmatu depositio, quam tam sæpe concitant, cum sententias dare nolunt. Per quam manifestum est, habere eam institutionem aliquid Reipublicæ, sed non esse Rempubicam, at potentatum magis. Consueverunt autem concitata plebe, & amicis, ad vnius arbitrium rem deferre, seditionesque, & prælia inter se miscere. At verò id, quid differt ab eo, quod tandem ea ciuitas non sit, dissoluta civili societate? Est autem periculosus hic Reipublicæ status, si qui velint, possintque inuadere. Sed, ut supra diximus, seruatur propter locum, qui omnes aduenas procul excludit. Itaque Pericæci manent Cretensibus. Verum Ilores persæpe à Lacedæmoniis defecere. Non enim erat in Creta potentatus vllus externus: sed nuperrimè bellum peregrinum irrupit in eam insulam, quod patefecit imbecillitatem legum suarum. De hac igitur Republica hæc dixisse sufficiat.

Superiorum Rerumpublicarum comparatio.

Cap. I X.



Idetur etiam Carthaginensium Republica bene constituta, multaque habere præter alias, quædam verò maximè similia Lacedæmoniis. Tres enim istæ Reipublicæ quodam modo inter se proximæ sunt, multumque distant ab aliis: Cretica, dico, & Laconica, & Carthaginensis. Multaque in ipsis prouisa sunt rectè. Signum autem est Reipublicæ bene institutæ, quod populus in suo permaneat loco, neque seditionem vllam (quod dictu dignum sit) vnquam fecit, neque tyrannum. Continet autem similia Lacedæmoniorum Reipublicæ. Comestrationes quidem sodaliorum, Phiditiis: centum autem & quatuor virorum potestas, Ephoris: præterquam quod non deterior. Nam illi & ex contingentibus sunt. Hanc autem potestatem suscipiunt optimates. Imperator verò, & Senatus, conueniunt Lacedæmoniorum regibus, & senibus. Melius autem quod Imperatorem non secundum genus, neque ex vili, & præcellenti magis eligunt, quam secundum virtutem. Nam qui magnam habent potestatem, si ipsi nullius pretii sint, multum nocent: nocueruntque iam Lacedæmoniorum ciuitati. Plurima igitur reprehensorum propter transgressionem communia sunt omnibus antè dictis. Sed quantum ad intentionem optimatum attinet, & Reipublicæ, quædam ad popularem statum magis declinant, quædam ad paucorum potentiam. Nam referendi quidem ad populum, aut non referendi aliqua, Imperatores vnà cum Senatu domini sunt, si omnes concordent: si non concordent, populus ipsorum dominus est. Quæcunque autem retulerint magistratus, de his non approbandi modo illorum sententias potestas permiffa est populo, verum etiam pro arbitrio constituendi, prouidendi que, & cuius contradicere re-
 60
 latis illorum licet: quod non est in aliis Reipublicis. Quinque viratum verò, qui multarum ac magnarum rerum potestatem habet, ab illis eligi: & centumviratum hos eligere, qui est ma-

ximus magistratus, & hos longiori tempore, quam alios, imperium retinere: nam & perfecti magistratu, imperant: & designati ad magistratum, ad paucorum potentiam spectat. Esse autem sine mercede, & sine electione, quæ sorte fit, optimatum est ponendum: & si quid aliud tale. Iudicia quoque omnia à cunctis magistratibus iudicari, & non ab aliis alia, ut apud Lacedæmonios. Transgreditur autem maximè ob optimatibus ad paucorum potentiam institutio Carthaginensium secundum aliquam intelligentiam, in eo etiam multi comprobant: non solum enim optimos verum etiam ditissimos censent in magistratibus esse ponendos: quasi impossibile sit qui egenus existat, eum bene magistratum gerere, aut quietem optare. Si igitur sumere diuitem paucorum potentia est, per virtutem autem optimatum: ista quædam esset species tertia per quam constituta est apud Carthaginenses reipublica. Creant enim magistratus ad hæc duo respicientes, & præsertim maximos, ut imperatores & duces bellorum. Putandum autem est, huiusmodi excessum ab optimatibus, esse errorè legis conditoris, quem ab initio præuidisse valde necessariū fuit, ut optimi valerent quietem agere, nec quicquā indecorum facere, non solum in magistratu, sed etiam in vita priuata. Quod si inspicere oportet ad opes gratia quietis, prauū est, maximos magistratus esse venales, imperiū, & belli ducatum. Hæc enim lex, pretiosas magis facit diuitias, quam virtutes, ac ciuitatem totam ad studium pecuniarum conuertit. Nā quicquid apud ciuitatis principes habetur in pretio, necessarium est & aliorum ciuium opinionem subsequi. Vbi autem non maximè honoratur virtus, ibi non est possibile firmum optimorum esse in Republica statum. Assuescere verò ad iura rationale est, quando per largitionem adipiscuntur dignitates. Absurdum est enim, si pauper quidem aliquis, verum bonæ mentis lucrari velit, improbius autem non velit, cum sumptus fecerit. Quocirca oportet eos, qui possunt optimè gerere magistratum, assumere ad magistratū, probabiliusque fuisset si author legis opulentiam præstantium virorum abieciisset, ac eorum, qui in magistratu forent, quieti prospexisset. Præterquam etiam videri potest, plures magistratus ab vno homine geri, quod in honore est apud Carthaginenses. Vnicum enim ab vno optimè perficitur opus. Hoc autem ut fieret, prouidendum fuit à legumlatore, neque cogendum eundem tibi cinem esse, atque futorem. Quare vbi non parua est ciuitas, magis ciuile est, ut plures sint participes magistratum, magisque populare. Communius enim, ut diximus, & melius singula conficiuntur, atque celerius. Patet autem hoc in bellicis rebus, & nauticis. In his enim ambobus per omnes (ut ita dixerim) transit imperare, & parere. Sed cum ad paucorum potentiam vergat Republica eorum, optimè illud effugiunt, ut semper aliqua plebis pars dicitur ad oppida mittentes: per hoc illi arbitratur, ac certè efficiunt, statum ciuitatis permanere. Sed hoc est Fortunæ opus, oportebat verò non per Fortunam sine seditionibus

nibus esse, sed per legislatorem id fieri. Nunc autem si diuisa fortuna incidat, & plebs à gubernatoribus secedat, nullum est remedium legis ad quietem adhibitum. Lacedæmoniorum igitur, & Cretensium, & Carthaginensium Reipublicæ, quæ merito habentur insigniores, in hunc modum se habent.

De Republica Solonis, & varijs institutoribus Rerumpublicarum.

Cap. X.



Orum autè, qui de Republica aliquid tradiderunt, quidam nunquam versati sunt in gubernatione ciuitatis, sed in priuata vita otiosi vixerunt: de quibus si quid dignum relatu fuit, supra diximus. Quidam autem legillatores fuere, gubernaueruntque vel in propriis ciuitatibus, vel in alienis. Et horum quidam solummodo legum auctores fuere: quidam etiam Reipublicæ constituendæ, veluti Lycurgus, & Solon. Hi enim leges, & Rempubicam condiderunt. Lycurgus quidem Lacedæmonii, ut dictum est, Solon autem Atheniensibus. Existimant autem quidam, Solonem legillatorem fuisse præclarum. Nam & paucorum potentiam sustulisse, quæ nimis intemperans erat, & plebem à seruitute liberasse, ac statum popularem in patria constituisse, optimèque Rempubicam temperasse. Nam esse consilium Areopagi, paucorum gubernationis est: delectus verò magistratum, optimatum: iudicia verò, populari. Sed videtur Solon illa duo (cum essent prius) non sustulisse, consiliū Areopagi, & magistratum delectus. At populam asseruisse, iudiciis ex omnibus constitutis: Quapropter quidam illi succensent, quod alterum dissoluerit: cum auctoritatem omnem ad iudicium traduxerit, quod per sortitionem est. Nam cum hoc inualuit, tanquam tyranno gratificantes populo, in eum, qui nunc est, popularem statum Rempubicam redegerunt. Et consilium Areopagi Ephialtes inhiuit, & Pericles. Iudicibus verò salaria Pericles induxit, ac per hunc modum vnusquisque eorum, qui apud plebem posse voluerunt, populi vim augere perseuerauerunt, donec in istam, quæ nunc est, licentiam peruenit. Apparet autem hoc, non tam Solonis voluntate, quam casu euenisse. Nauali enim potentia aduersus Medos victor populus, maiora de sese sapere cepit, & acceperunt patroni seditionis, contra bonos, & modestos ciues, qui Rempubicam gubernabant. Cum videatur quidem Solon eam, quæ maximè necessaria fuit, potestatem populo tradidisse, ut magistratus crearet, & malefacta corrigeret. Nisi enim populus hanc habeat potestatem, seruus erit, & inimicus. At magistratus omnes constituit ex nobilibus, ac locupletibus ex censu quingentorum mo-

diorum, & iugerum. Tertium ex equitibus. Quartum ex opificibus sordidis, quibus nullū magistratus assequendi ius erat. Fuere etiam legum peritores Zaleucus apud Locros occidentales, & Charondas Catanensis ciuibus suis, & ceterisque ciuitatibus Chalcidicis, quæ sunt circa Italiam, & Siciliam. Tentant verò quidam inducere, quasi Onomacritus fuerit primus legum ferendarum peritus. Hunc verò exercitatum in Creta, cum esset Locrus, profectum autem per artem diuinationis, eis familiarem fuisse Thaletem. Thaletis autem auditores fuisse Lycurgum, & Zaleucum, Zaleuci autem Charondam. Sed qui ista dicunt, tempora non supputant. Fuit etiam Philolaus Corinthius legumlator Thebanis. Erat autem Philolaus ex familia Bacchiadum, amicus verò Dioclis, qui in Olympiis vicit. Sed vbi ille ciuitatem deseruit, commotus ob amorem matris Alcyones, Thebas migravit. Atque ibi ambo defuncti sunt, monstranturque etiam nunc illorum sepulcra, quæ ab inuicem facile spectant, verum ita constituta, ut ex Dioclis quidem sepulcro non sit prospectus in Corinthium agrum ob animi infestationem: ex Philolai autem sit prospectus. Habitarunt igitur ob huiusmodi causam apud Thebanos, legesque illis Philolaus descripsit. Et de aliis quibusdam, & de sobole procreanda, quas illi leges proletarias appellat. Et hoc est præcipue ab illo prouisum, ut numerus hæreditatum conseruetur. Charondæ autem nihil est proprium, nisi iudicia falsorum testium. Primus enim de his legem posuit, diligentia autem, & claritate etiam elegantior, quam hi, qui nunc sunt legum conditores. Philolai proprium est, mulierum, & natorum, & patrimoniorum communitas, & comestrationes familiarum, & præterea lex circa ebrietatem, ut reges conuiuiorum sobrii sint: & in rebus bellicis exercitatio, per quam ambidextri fiant, cum oporteat non alteram manum vtilem, alteram inutilem habere. Drachonis quoque leges sunt: sed iam constituta Republica leges tulit. Proprium autem Draconis est, nihil, quod sit memoria dignum, nisi rigiditas ob magnitudinem pœnarum. Fuit quoque Pittacus legum conditor, sed non in Republica versatus. Lex est propria illius, ebrios si quem pulsauerint maiori pœna dånari, quam si sobrii fecissent. Quod enim plures delinquent ebrii, quam sobrii, non ad id respexit, quod magis esse debeat ebriis venia, sed ad vtilitatem. Fuit etiā Andromas Rhegynus legum conditor Chalcidensibus, qui sunt in Thracia, de homicidio, & hæreditatibus: nihil tamen huius proprium referre quis potest. De his ergo Reipublicis, quæ principales sunt, & de his, quæ sunt ab aliquibus scriptæ, in hunc modum cognouisse sufficiat.

Βασίλειος.

constituit se popularem statum

si vni opulentiam abieciisset, ac eorum, qui in magistratu forent, quieti prospexisset.

ARISTOTELIS STAGIRITAE POLITICORUM, sive de Rebuspublicis ad Nicomachum, Liber Tertius,

Ioanne Argyropylo Byzantio Interprete.

Argumentum Libri.

Quæ in tertio exponuntur hæc sunt: ciuis. Respublica: dominans in Republica: cui gubernatio sit committenda: præexcellentiã vnus: regia gubernatio: de ciue, quid sit ciuis: quando sit eadem ciuitas: an eadem sit virtus boni viri, & boni ciuis: de Republica: quid sit Respublica: quot sint, & quæ Respublicæ: quoad, & quantum iusti paucorum potentia, & popularis gubernationis.

De ciuitate, ciue, de ijs, qui ciuitate donati sunt, magistratibus, de iuste & iniuste ciuibus.

Cap. I.

VI de Republica considerat, quæ sit vnaquæque, & qualis ferè prima illa cõsideratio occurrit, videre quid sit ciuitas. Nam ea nonnunquam in controuersiam venit, cum alii dicant à ciuitate factum, alii nõ à ciuitate, sed à potentibus quibusdam, vel à tyranno. **G**ubernatoris autè Reipublicæ, ac legum positōris, totum negotium, versari videmus circa ciuitatem. Est autem Respublica eorum, qui in ciuitate degunt, institutio. Cum verò sit ciuitas compositum quiddam, quemadmodum alia tota ex pluribus partibus consistentiã, manifestum est primò de ciue esse perquirèdum. Nam ciuitas est ciuium multitudo quædam. Quare, & quem oporteat ciuem vocari, & qui sit ciuis, est cõsiderandum: nam & de ciue sæpe contenditur, nec eundem omnes esse fatentur ciuem: & qui in populari ciuitate ciuis est, per sæpe in paucorum gubernatione nõ erit ciuis. Eos igitur, qui alio quodam modo appellationem fortiuntur, ceu eos, qui in ciuitate donati sunt, omittamus. Nec habitatio ciuem facit: nam isto modo peregrini, qui circa nos habitant, & serui, ciues essent. Nec rursus, qui fori, ac iudicii ius habent: nam hoc existit etiam illis, qui simul contrahunt, cum per contractum forum fortiantur: quamquam multis in locis peregrini ne id quidem perfectè habeant, sed necesse est vt patronum accipiant. Ex quo fit vt imperfectè quodam modo sint fori iudiciorum participes. Sed vt pueri nondum

πολιτικῆς.

μέτοικοι.

ætate perfecti, & senes ob ætatem à muneribus publicis vacantes, non simpliciter ciues dicèdi sunt, sed quodam modo ciues. At nos quærimus eum, qui simpliciter ciuis dicatur, nec habeat aliquã adiunctionem, quæ restringat, & corrigat: cum & de infamibus, & de exulibus eodem modo, vt supra dubitari & responderi potest. Ciuis simpliciter nulla alia re definitur magis, quàm participatione potestatis publicæ iudicandi & decernendi. Potestates autem aliæ sunt determinatæ secundum tempus, ita vt non liceat interdum, nec semel eandem habere, aut per alia temporum spatia. Aliæ sunt indeterminatæ, ceu illius, qui in concione deliberat, & qui iudicat: quanquam fortasse diceret aliquis, tales non esse in potestate constitutos. At qui ridiculum foret, qui de maximis rebus deliberant, & decernunt, eos potestatem dicere non habere. Sed nihil referat, cum de nomine sit quæstio. Est enim absque nomine publica potestas iudicantis, decernentisque in concione: sed sit definitionis gratia indeterminata potestas. Ponimus autem, eos esse ciues, qui huius potestatis vnà cum aliis participes sunt. Maximè igitur propriè ciuis, super omnes alios, qui ciues dicuntur, ferè talis est. Nec latère nos debet, quòd in rebus, quarum subiecta differunt specie, & aliud eorum est primum, aliud secundum, aliud consequens, aut omnino nihil est, qua talia sunt, eis commune, aut vix. Respublicas autem videmus specie differre, & alias esse posteriores, alias priores. Quæ enim aberrauerunt, ac prolapsæ sunt, necesse est vt posteriores sint integris, & incorruptis. Quomodo autem dicamus eas labi, postea patebit. Quare ciuem quoque esse alium, atq; alium, necesse est, secundum differentiam Rerumpublicarum. Itaque ille, de quo diximus, in populari quidem statu maximè est ciuis: in aliis verò speciebus esse quidem potest, non tamen necesse est. In quibusdam enim ciuitatibus nec populus est, neque concionis vsus, sed Senatū habent, & iudicia. Vt apud Lacedæmonios de contractibus cognoscunt hi, qui Ephori nuncupantur, alii alios: de cæteris autem Senatus, & forsitan alius magistratus de aliis. Eodè modo apud Carthaginenses, de omnibus quidem causis magistratus quidam cognoscunt. Sed recipit correctionem quandam definitio ciuis: quod in aliis Rebuspublicis non est, indeterminata illa potestas, quæ in concione decernit, &

συγκλητος. ἢ τὰς δίκας δικάζει (ὡς καὶ μέγρο).

nit, & iudicat: sed determinata secundum iurisdictionem. Horum enim, aut omnibus, aut quibusdã concessum est deliberare, ac iudicare, vel de omnibus, vel de quibusdam. Quis igitur sit ciuis, ex his patet. Cui enimabilitas est participandi potestatis publicæ deliberatiuæ, & iudiciariæ, huc ciuem esse dicimus eius ciuitatis. Ciuitatem verò talium multitudinem, quæ ipsa per se sufficiens sit, vt simpliciter dixerim, ad videndum. Consueuerunt autem, eum etiam dicere ciuem, qui ex duobus ciuibus ortus sit, & non ex altero solum, ceu ex patre, & matre. Alii verò magis vltra requirunt, ceu auos, & proauos, vel plures. His ita definitis ciuilibus, & succinctè dubitant quidam, tertius ille, aut quartus quomodo erit ciuis. Gorgias quidè Leotinus partim dubitans fortasse, partim ludens, inquit: Quæ admodum mortaria sunt illa, quæ à factoribus mortariorum fiunt, sic Larissæos esse, qui ab artificibus eorum fiunt. Esse nanque aliquos Larissæorum factores, est autem simplex. Si enim participarent administrationis Reipublicæ secundum determinationem iam dictam, essent vtique ciues. Etenim neque possibile est, congruere definitionem illam primis cõditoribus, aut habitatoribus, vt ex patre, matrèque ciuibus sint exorti. Sed forsitan de eo magis dubitari potest, cum facta mutatione recipiuntur quidam ad communionem Reipublicæ: quem admodum Athenis fecit Clisthenes post tyrannorum eiectionem. Complures enim in tribus descripsit peregrinos, & seruos, & inquilinos: de quibus dubitari potest, non qui ciuis, sed an iuste vel iniuste. Atque de eo insuper quis dubitabit, an si nõ iuste ciuis, ne ciuis sit: quasi idem valeat iniustus, & falsus. Sed cum videamus quosdã iniuste se in magistratibus gerere, quos tamen magistratus esse dicimus, sed nequaquam iuste: ciuis autem potestate quadam definitus sit (nam qui particeps est talis potestatis, est ciuis, vt diximus) patet quòd hos quoque ciues esse dicendum est. Iuste autem, vel iniuste, pertinet ad primam illam quæstionem, in qua quæritur, nunquid à ciuitate factum sit, vel non à ciuitate. Ceu cum ex paucorum potentia, vel tyrannide, ad popularem statum sit mutatio. Tunc enim neque mutuatam pecuniam soluere quidam volunt, quasi non ciuitas eam suscipiat, sed tyrannus: nec alia huiusmodi per multa, quasi Respublica vi, ac victoria constet, non publica vtilitate. Si igitur per hunc modum, quædam in populari statu fiunt, esse similiter dicendum est huius ciuitatis acta, & paucorum potentia, & tyrannidis.

De identitate ciuitatis. An si ciuium multitudo in alium locum migret, & si contra fiat, eadem futura sit ciuitas, quæ prius esset. De magnitudine vrbis, quantam esse conueniat. An liceat pactum mutare, Reipublica specie mutata, veluti si quis debeat centum aureos, an retinere possit citra iniquum, si mutata sit Respublica in aliam formam.

Midetur autè proprius huius quæstionis locus, quomodo aliquando dicamus, ciuitatem esse eandem, & nõ eandem, sed aliam. Potissimè igitur inuestigatio dubitationis huius est circa locum, & homines. Fieri

συμβολαια διαδόμεν ἢ νικῆ βέλωνται.

enim potest, vt separetur locus, & homines, & hoc ibi, & alios alibi dubitare. Sed hæc leuior est dubitatio. Nam cum multipliciter dicatur ciuitas, perfacilis est huiusmodi quæstio. Similiter quoque eorum, qui eundem inhabitant locum, quoad dicendum sit, vnã esse ciuitatem. Non enim mœnibus id definitur. Liceret enim Peloponnesum totam vnis mœnibus circundari. Talis fortasse est Babylon, quæ capta cum esset ab hostibus, ferit partem aliquam eius ciuitatis tertia die nondum aliquid sensisse. Similiter & quæcunque alia, magis habet circumscriptionem gentis, quàm ciuitatis. Sed huius quæstionis alio loco vtilis erit consideratio. Nam de magnitudine ciuitatis, & quantam esse vtile sit, & vtrum vnã vel plures, latère non debet ciuilem hominem. At manentibus eisdem habitatoribus eodem loco, vtrum quoad sit idem genus habitantium eandem esse ciuitatem dicendum sit, quanuis semper alii intereant alii orientur: vt & flumina solemus eadem dicere, & fontes eosdè, quanuis semper vnda noua superueniat, ac defluat. An homines dicendum sit eosdè esse propter eandem causam, sed ciuitatem aliam? Nam si ciuitas est societas quædam, societas autem ciuium variata Reipublicæ gubernandæ forma, & alia affecta, necessarium vtique videretur ciuitatem quoque non eandem permanere. Vt & chorum alium esse dicimus, dum tragicus est, quàm dum comicus, etsi iidem sint homines. Eodè modo, omnè aliam societatem, & compositionem, si species compositionis alia fiat: ceu harmoniam earundem vocum aliam esse dicimus, & modò Doricã, modò Phrygiã vocitamus. Id si ita est, patet, quòd maximè dicendum est eandem ciuitatem ad Rempublicam respicientes. Nomine autem vocari alio, aut eodem licet, eisdem habitantibus eandem, vel aliis penitus hominibus. Vtrum autem iustum sit reddere pecuniam mutuò sumptam, mutata Reipublicæ gubernandæ specie, an non iustum, alia est dubitatio.

De virtute absolute viri boni ciuis, num sit eadem, an altera. De virtute eius, qui præest, & qui parer. An opifices sint ciues dicendi.

Cap. III.

Is verò, quæ nunc dicta sunt, consequens est videre, Vtrum eadem sit virtus boni viri, & boni ciuis, an non eadem. Atque si hoc est perquirendum, prius de virtute ciuis sub compendio considerare oportet. Vt igitur nauta vnus aliquis est eorū, qui sunt in communi societate, ita & ciuem dicimus. Nautarum verò, quanquam dissimiles sint secundum potentiam (nam alter est remex, alter gubernator, alter proram dirigens, alter alteram huiusmodi appellationem habens) patet quòd expressissimus vnus cuiusque sermo proprius erit illius virtutis. Similiter autem & commune quiddam conuenit omnibus. Salus enim, & conseruatio nauigationis, commune est omnium opus. Ad hoc enim vnusquisque eorum intendit. Sic igitur & ciuibus, licet dissimiles sint, opus est conseruatio communis societatis: societas verò est Respublica. Quapropter necesse est, virtutem esse ciuis ad Rempu-

ἢ δὲ δίκαιοι διαδόμεν ἢ μὴ διαδόμεν. ὅταν αἱ ἐτέροι μεταβάλλει πόλις.

λόγος.

blicam. Si quidem igitur plures sunt Rerumpu-
 blicarum species, patet non esse recipiendum, vt
 studiosi cuius vna sit virtus, eaque perfecta: at viri
 boni perfecta est virtus. Quod igitur fieri possit,
 vt cuius studiosus non possideat virtutem illam,
 per quam dicitur vir bonus, manifestum est. Quin
 etiam & alio modo inquirentibus peruenire licet
 ad eandem rationem circa optimam Rempubli-
 cam. Nam si impossibile est ex omnibus studio-
 sis esse ciuitatem, & oportet singulos opus suum
 benefacere. hoc autem à virtute. Cùm sit verò
 impossibile similes esse ciues omnes, nequaquam
 vna esset virtus cuius, & viri boni. Nam virtutem
 studiosi cuius, omnibus esse oportet, sic enim opti-
 ma foret ciuitas vtique. At viri boni virtutem,
 impossibile est omnibus esse: nisi necessarium sit
 in studiofa ciuitate ciues omnes esse viros bonos.
 Præterea, cùm ex dissimilibus constet ciuitas, vt
 animal ex anima, & corpore: anima verò ipsa, ex ra-
 tione, & appetitu: & domus, ex viro & vxore: & ac-
 quisitio, ex domino & seruo. Eodem modo cùm
 ciuitas ex his omnibus, ac præterea ex aliis dissimi-
 libus constet speciebus, necesse est, non vnam esse
 ciuium omnium virtutem: quemadmodum nec
 chororum agentium, & sup̄remi & assistentis. Quod
 igitur non eadem simpliciter, ex his patet. Sed an
 erit alicuius eadem virtus, cuius studiosi, & viri bo-
 ni? Dicimus vtique studiosum in magistratu bo-
 num esse atque prudentem. Ciuilem autem homi-
 nem necessariū est esse prudentem, & statim aliam
 esse disciplinam præfidentis aiunt quidam: vt pa-
 ter in regum filiis, qui ad equestrem, bellicamque
 disciplinam in adolescentia erudiuntur. Et Euripides
 inquit, Non mihi speciosa, sed ea, quorum ci-
 uitas indiget. tanquam sit præfidentis disciplina
 quædam. Si autem est eadem virtus præfidentis
 boni, ac viri boni: cuius autem est & qui regitur,
 non eadem virtus simpliciter esset cuius, & viri
 boni: sed tamen cuiusdam cuius. Non enim ead-
 em virtus est eius, qui præfidet, & cuius. Et ob
 hoc forsitan Iason inquit, grauius ferre si non regna-
 ret, quasi nesciret priuatus esse. Sed nihilò minùs
 laudandum est posse imperare, & parere: ac præcla-
 ri cuius virtus est posse præesse, & subesse laudabili-
 ter. Si ergo virtutem boni viri posuimus præfiden-
 tem, cuius autem vtranque, non vtique fuerint am-
 bæ similiter laude dignæ. Cùm ergo aliquando vi-
 deatur vtraque, sed non eadem, & eum, qui impe-
 rat, eum, qui paret addiscere debere: ciuem autem
 vtraque scire, & participare ambarum: quid sequa-
 tur, deprehendere quis potest. Est enim præfi-
 dentia dominatiua. Hac verò in his, quæ necessa-
 ria vocantur scire facere, nequaquam necessarium
 est ei, qui præfidet, sed vt magis, alterum verò ser-
 uile est. dico autem alterum, posse exhibere mini-
 steria. Seruorum autem species plures, cùm sint
 ministeria plura, quorum partem vnam obtinent
 manuales: hi sunt, vt nomen significat, qui ex ma-
 nibus viuunt, in quibus sunt opifices. Quapropter
 apud quosdam antiquitus, huiusmodi homines ex-
 cludebantur à Reipublicæ honoribus antè, quàm
 populus extremus fieret. Hæc igitur opificia eor-
 um, qui ita subsunt, neque rectorem discere oportet,
 neque eum, qui in Republica versatur, ne-

que bonum ciuem: nisi fortasse quandoque, sui
 ipsius priuatim gratia. Non enim amplius contin-
 geret, esse alterum dominum, alterum seruum: sed
 est præfidentia quædam, per quam præest simili-
 bus genere, & liberis hominibus. Et hanc dicimus
 esse ciuilem præfidentiam, quam eum, qui præest,
 didicisse parendo oportet: ceu præfectum equitum
 esse, cùm ipse prius sub alio esset: & exercitum du-
 cere, cùm ipse prius in exercitu per inferiores mi-
 litæ gradus ductus sit. Quam ob rem rectè dicitur,
 neminem bene imperare posse, qui non prius
 sub imperio fuerit. Sed horum diuersa est virtus,
 & oportet bonum ciuem scire ac posse præesse, &
 subesse. Et hæc virtus cuius, scire rectè se habere
 in vtraque parte: & boni igitur viri in vtraque, quàm
 quàm alia est species eius temperantiæ, & iustitiæ,
 quæ præest. Nam eius, qui subest, ac liber est, non
 vna profectò fuerit virtus, ac boni viri, vtputa, iu-
 stitia alias species habet cùm præest, alias cùm sub
 est. Quemadmodum viri & mulieris alia temper-
 rantia, & fortitudo. Nam videretur vtique timi-
 dus esse vir, si ita fortis esset, vt foemina fortis. Et
 mulier inhonesta videretur, si sic honesta foret vt
 vir honestus. Administratio quoque domus, alia
 mulieris, alia viri. Nam viri est acquirere, mulieris
 seruare. Prudentia verò propria virtus est præfiden-
 tis. Nam cæteræ quidem virtutes videntur com-
 munes, tam eorum, qui præ sunt, quàm eorum, qui
 subsunt. At prudentia non est virtus eius, qui sub-
 sit, sed opinio vera. Qui enim subest, vt is est, qui
 fistulam facit. Qui verò præest, vt is, qui vtitur fi-
 stula. Verū igitur eadè sit virtus viri boni, & cuius
 studiosi, vel alia, & quomodo eadem, & quomodo
 alia, ex his patet. Restat adhuc vna dubitatio cir-
 ca ciuem, Vtrum re vera ciuis sit is solùm, cui par-
 ticipatio est publicæ potestatis, an opifices etiam,
 ac mercenarii sint ciues nuncupandi? Nam si po-
 namus hos quoque esse ciues, qui magistratum
 sint expertes, nequaquam possibile est vniuscuius-
 que cuius talem esse virtutem. Si verò nullus ho-
 rum est ciuis, in qua parte sunt huiusmodi homi-
 nes reponendi? Neque enim in eorum ministro-
 rum loco, qui nobiscum habitant, neque rursus vt
 peregrini. An secundum hanc rationem nihil dici-
 cemus euenire absurdum? Neque enim serui su-
 præ dictorum quicquam, neque liberti. Illud au-
 tem verum, quod non omnes illi dicendi sunt ci-
 ues, sine quibus ciuitas esse non potest: cùm neque
 pueri ita ciues sunt, vt viri: sed hi quidem simplici-
 ter, illi verò ex suppositione. ciues enim sunt, sed
 imperfecti. Vtustis quidem temporibus apud
 quosdam opifices erant serui, aut peregrini. Qua-
 propter etiam nunc plerique tales sunt. Optima
 quidem ciuitas, nunquam opificem faciet ciuem.
 Quod si hi ciues, cuius autem virtus est, quam dixi-
 mus, dicendum est, eam non esse cuiusque cuius,
 neque liberi modò, sed eorum, qui à ministeriis
 necessariis sunt alieni, necessariò verò qui vni mi-
 nistrat, seruus est: qui autem publicè, viles, & sordidi.
 Patebit autem hinc parum adhuc consideran-
 tibus, quemadmodum in his res se habeat, hoc enim,
 quod diximus, id ostendit. Cùm enim plures sint
 Rerumpublicarum species, plures quoque species
 ciuium sint necesse est, ac maximè eorum ciuium,
 qui

qui subsunt. Itaque in quadam Republica opifi-
 ces, & sordidi, ciues erunt. In quibusdam verò, im-
 possibile est vt ciues sint, puta in optimatum gu-
 bernatione, si qua illa est, in qua secundum virtu-
 tem dantur honores, & secundum dignitatem. Ne-
 que enim virtutem exercere potest, qui vilibus opi-
 ficibus occupatus est. In paucorum quoque guber-
 natione tenues homines ad Rempublicam non re-
 ciipiuntur. Ex magno enim censu ad honores Rei-
 publicæ peruenitur. Artifices tamen ad hanc spe-
 ciem peruenire possunt, & si sordidi sint: quoniam
 plerumque diuitiis abundant. Apud Thebanos lex
 fuit, vt nemo habilis esset ad honores Reipublicæ
 suscipiendos, nisi decem annis à mercatura desti-
 tisset. In multis autem Republicis attrahuntur le-
 ge ad ciuitatem etiam peregrini. Est etiam lex in
 quibusdã ciuitatibus, vt satis sit ex matre ciue esse
 genitum: & spurios quædam recipiunt. Atque pro-
 pter defectum legitimorum ciuium, tales ciues fa-
 ciunt. Paucitate enim hominum inducti, his vtun-
 tur legibus. Quod si abundant multitudine, paula-
 tim excludunt: primò libertini generis homines,
 deinde eos, qui ex matre solùmmodo ciues sint: nec
 nisi ex vtroque parente natos ciues, pro ciuibus ha-
 bent. Quod igitur plures sint species ciuium, ex his
 patet, & quod maxime dicitur ciuis ille, qui habilis
 sit ad honores suscipiendos, vt Homerus inquit.
 Sed vbi id occultum est ex deceptione habitato-
 rum, tanquam inhonoratum quendam reptitium,
 repellunt: vt inquilinus enim est, & aduena, qui ho-
 nores capere non potest. Vtrum igitur alia, an ead-
 em virtus sit, per quam est vir bonus, & cuius stu-
 diosus, patet ex supra dictis. quod cuiusdam ciuita-
 tis idem, cuiusdam verò alius, & ille non omnis,
 sed qui præest Reipublicæ, & potestatem habet aut
 solus, aut cum aliis gubernationem exercens.

*Definitio Reipublicæ. De speciebus imperij,
 quod in re familiari sit. Quod & ciuilia,
 & publica imperia ad bonum totius
 ciuitatis tendere oporteat. Ex
 quibus sequitur quæ sint
 Reipublicæ simplici-
 ter iustæ, & quæ
 non sint, sed
 lapsæ.*

Cap. IIII.

His ita determinatis, videndum iam est,
 vtrum vna sit Reipublica, an plures. Et
 si plures, quæ, & quot, & quænam differ-
 rentiæ earum sint. Est autem Reipubli-
 ca ordinatio ciuitatis, & circa magistratus alios, &
 maximè circa id, quod summam in ciuitate ha-
 beat authoritatem, & si sit omnium principalissi-
 mum. Principalissimum autem est id, quod vbi-
 que gubernat, & regit ciuitatem: ceu in populari
 quidem, populus: in paucorum verò potentia, pau-
 ci. Dicimus autem, & Rempublicam aliam esse
 ab istis, eodè modo dicemus de aliis. Suppo-
 nendum est primò, cuius gratia ciuitas sit consti-

tuta, & quot sint gubernandi species circa homi-
 nem, & circa vitæ societatem. In superioribus li-
 bris, vbi de gubernatione rei domesticæ, ac de do-
 mino & seruo determinauimus, dictum est, natura
 esse hominem ciuile animal, ac sociale: ex quo fit,
 vt si etiam nihil indigeant mutuo auxilio, nihilò
 minùs affectent vitæ societatem. Quinetiam &
 communis vtilitas coniungit eos, in quantum con-
 fert singulis partem bene viuendi. Maximè igitur
 hic est finis, & publicè omnibus, & priuatim,
 Congregantur etiam ipsius vitæ gratia. Foras e-
 nim inest sibi aliqua particula honesti, & continet
 ciuilem societatem, etiam viuendi gratia solùm, si
 non molestiæ in vita admodum exuperent. Patet
 autem quod tolerant homines multa aspera, pro-
 pter viuendi cupiditatem, vt existente in eo qua-
 dam prosperitate, & naturali dulcedine. Atqui &
 modos imperii facile est diuidere, cùm sæpe sit de
 his à nobis in externis sermonibus determinatum.
 Dominatio enim licet re vera utilis existat natura
 seruo, & natura domino: nihilò minùs imperat pro
 domini vtilitate, pro vtilitate autem serui contin-
 genter. Neque enim fieri potest, vt seruo deficien-
 te seruetur dominatio. Filiorum verò imperium,
 & vxoris, & domus totius, quam vocamus rei fami-
 liaris gubernationem, aut gratia est eorum, qui gu-
 bernantur, aut gratia alicuius, quod sit vtriusque
 commune. Gratia eorum, qui gubernantur, vt vi-
 demus & alias artes, ceu medicinam, & gymnasti-
 cam, illorum, quibus imperatur, vtilitatem quære-
 re. Contingenter tamen & eorum, qui præcipiunt,
 esse potest. Nihil quippe vetat, magistrum ipsum
 gymnasii esse vnum eorum, qui exercentur, quem-
 admodum gubernator semper est vnus ex his, qui
 sunt in nau. Magister igitur gymnasii, & guberna-
 tor, considerant semper eorum vtilitatem, quos gu-
 bernant. Sed quando horum vnus est, per accidens
 ipse quoque suscipit vtilitatem, hic quidem naua,
 ille autem vnus eorum, qui gymnasio exercentur.
 Quapropter ciuilia quoque imperia, cùm sint se-
 cundum æqualitatem ciuium constituta, & secun-
 dum paritatem, vicissim exigunt ea gerere, primùm
 quæ natura fert, censentes inuicem munera subire,
 & considerare vicissim quoddam illius bonum,
 quemadmodum ille prius, dum præesset, confide-
 rauit vtilitatem istius. Nunc autem ratione com-
 modorum ex Reipublicæ gubernatione prouenien-
 tium, volunt continuo in potestate esse, velut si
 semper contingeret magistratum gerentibus ex va-
 letudinariis antè, sanos degere: nam forsitan ita ma-
 gistratus amplecterentur. Constat igitur quod quæ-
 cunque Reipublicæ ad communem vtilitatem in-
 tendunt, hæc certè rectæ sunt secundum simpliciter
 iustum. Quæcunque verò ad propriam eorum,
 qui præ sunt, vtilitatem solùm, aberrant qui-
 dem, suntque omnes rectorum Rerum-
 publicarum transgressiones, & la-
 bes. gubernantur enim quasi
 à dominis. Ciuitas au-
 tem, est libero-
 rum socie-
 tas.

De diuisione Rerumpublicarum, & definitionibus, & de earum transgressione.

Cap. V.



Is determinatis consequens est, Respublicas considerare, quot sunt, & quæ. Et primò quidem eas, quæ sunt rectæ: nam labes earum ex illis patescunt. Cum verò gubernatio ciuitatis, & regimen, idem significant, regimen autem est potestas ciuitatis: necessesse est, potestatem huiusmodi aut penes vnum esse, aut penes paucos, aut penes multos. Quando igitur vnus, vel pauci, vel multi communem utilitatem in gubernatione sequuntur, has esse rectas Rerumpublicarum species necesse est. Quando autem ad propriam utilitatem vel vnus, vel paucorum, vel multitudinis gubernatur, transgressiones sunt, & labes. Aut enim dicendum est, non esse ciues, aut ad participationem utilitatis sunt recipiendi. Vocare autem consueuimus, cum vnus ad utilitatem communem respiciens gubernat regiam potestatem. Cum verò pauci gubernant, plures tamen vno, optimatum gubernationem, vel ex eo quia optimi præfunt, vel ex eo quia ad optimum ciuitati, & iis, qui ea communicant, præfunt. Cum autem multitudo gubernat ad communem utilitatem, vocatur communi nomine Rerumpublicarum omnium, Respublica. Contingit autem rationabiliter. Vnum enim excellere secundum virtutem, aut paucos, datur: vt verò multitudo excellat ad omnem virtutem, difficile est, sed maximè ad bellicam: hæc enim in multitudine fit. Quare in hac Reipublicæ specie principalissimum, ac potentissimum est, id, in quo robur belli consistet: & in his ipsi illi sunt, qui sunt in possessione armorum. Pro labuntur verò, ac transgrediuntur huiusmodi species, ex regia quidem gubernatione, in Tyrannidem: ex optimatibus verò, in paucorum potestatem: ex Republica autem, in popularem statum. Tyrannidem enim esse dicimus, dominatum vnus ad proprium commodum intendentis. Paucorum autem potestatem, cum ad opulentorum commodum gubernatur. Popularem autem statum, cum ad commodum egenorum. Harum enim nulla, ad communem utilitatem respicit. Oportet autem paulò vberius explicare quæ sit vnaquæque istarum: habent enim dubitationes quasdam. Philosophantis enim circa singulorum disciplinam, & non solum ad agendum respicientis, proprium est nihil negligere, neque prætermittere, sed demonstrare in singulis veritatem. Tyrannidem enim esse diximus, vnus dominationem ciuili societati præsidere: Paucorum autem potestatem, quando Rempublicam tenent opulenti, & diuites. Popularem verò gubernationem, cum tenues homines, & non possidentes diuitias, gubernant. Prima igitur dubitatio est circa definitionem. Nam si plures sint opulenti, & diuites, ac Rempublicam teneant, popularis autem gubernatio sit, cum multitudo regit, eodemque modo, sicubi contingat, inopes esse pauciores, quàm opulenti, sed potentiores, ac Rempublicam teneant, & vbi pauci Rempublicam obti-

nent, paucorum potentiam nuncupamus: non rectè viderentur istæ definitiones esse positæ. Enimvero si quis adiungens opulentiam quidem paucitatem, inopiæ verò multitudinem, sic appellet Rerumpublicarum species, vt dicat paucorum potentiam esse, in qua gubernationem Reipublicæ habent opulenti, numero pauci: popularem verò, in qua inopes Rempublicam tenent multi existentes, aliam habet dubitationem. Quas enim dicemus eas Respublicas, eam videlicet, in qua plures opulenti, & eam in qua pauciores inopes gubernant. Siquidem nullæ sunt aliæ Respublicæ, præter suprâ dictas. Videtur igitur ratio ista ostendere, quod paucos esse, vel multos, qui gubernant, contingens est, aliud paucorum potentiam, alterum populari, propterea quod vbique accidit, vt pauci sint opulenti, multi verò inopes. Ex quo fit, vt huiusmodi causæ non faciant differentiam, sed in eo differat popularis gubernatio à paucorum potentia, quod alibi opulenti, alibi inopes Rempublicam obtinent. Necessariumque est vbicumque per opes, ac diuitias præfunt, siue hi pauciores sint, siue plures, hæc esse speciem illam, quæ vocatur paucorum potentia. Vbicunque autem inopes, hanc esse popularem gubernationem. Sed accidit (vt diximus) hos quidè paucos esse, illos verò multos. Opibus enim, ac diuitiis pauci abundant, libertatis tantum omnes participes sunt: propter quas cõtendunt vtrique de Republica.

De iusto simpliciter, quod neque sit in paucorum gubernatione, neque in populari, sed tantum ne quid. De fine ciuitatis, virtute, & vitio.

Cap. VI.



Vmèdum est prius, quos terminos esse dicunt paucorum potentiam & popularis gubernationis, & quid sit iustum in vtraque. Omnes enim attingunt iustum quoddam, sed vsque ad aliquid proceditis, & aut non omne iustum propriè: puta videtur æqualitas iustum quiddam esse, & est, sed non omnibus, at æqualibus. Et inæqualitas videtur iustum esse, & est quidem, sed non omnibus, at inæqualibus. Alii verò hoc auferunt, videlicet quibus, & malè iudicant. Causa verò est, quia de se ipsis iudicium fit. Qui verò de propriis iudicant, vt plurimum non recti sunt iudices. Itaque cum iustum aliquibus, & diuisum sit eodem modo in rebus, & personis, vt diximus in Ethicis, æqualitatem rei cõfitentur, sed de personis contendunt, maximè ob id, quod dictum est modò, quia de se ipsis non rectè iudicant. Denique quia vsque ad aliquid, vtrique eorum iustum quiddam dicentes, putant se dicere simpliciter iustum. Illi enim si in aliquo sint superiores, ceu opibus, & diuitiis, alios omnino putant impares esse. Hi verò si in aliquo sint pares, puta libertate, omnino putant esse pares. Ceterum quod est principalissimum, non dicunt. Si enim possessionum gratia societatem iniissent, atque vnà cõuenissent, tantum caperent ciuitatis, quantum possessionis. Itaque

Itaque ratio illa valeret, quæ est paucorum potentiam: qui autem non esse iustum, vt qui vnum contulit, tantum participet de centum minis, quantum is, qui contulit omne reliquum: neque de iis, quæ ab initio, neque de iis, quæ postea superuenient. Quod si non viuendi solum gratia, sed magis bene viuendi: nam sic seruorum, & aliorum animalium ciuitas esse posset. quod non est, ex eo quia felicitatis non sunt capacia, nec viuendi secundum electionem, neque societatis gratia bellicæ, ne à quocumque iniuria afficiantur, neque propter commercia, ac mutuam utilitatem. Nam sic Tusci, & Carthaginenses, & omnes ii, quibus est commercium inuicem, tanquam ciues essent vnus ciuitatis: sunt nempe illis foedera circa res importandas, & pacta, ne iniuria afficiantur, & scripturæ circa mutuam bellorum societatem. Sed neque magistratus communes his deputati sunt, verum alii apud alios: nec quales esse oportet, alteri de alteris cogitant. Neque vt nemo eorum iniustus sit, qui sub foedere comprehenduntur, neque vt prauitatem nullam habeant, sed solum vt non inuicem se iniuria afficiant. At enim de virtute, ac vitio publicè cogitant, quicumque curam habent bene instituendi ciuitatem. Ex quo manifestum est, de virtute curam esse habendam ei, quæ re vera ciuitas sit nominanda, non orationis gratia. Nam fit communicatio societatis aliorum ad bellum, loco solum differens ab aliis sociis longè existentibus. & lex pactio, vt ait Licophon sophista, fideiussor inuicem iustorum, sed non talis, vt bonos, & iustos ciues efficiat. Et quod ita se habeat, patet: nam si quis coniungat loca in vnum, vt Megarensium, Corinthiorumque ciuitas sese inuicem contingant mœnibus, nihilò minus vna non erit ciuitas, nec si simul cõiugia ineant: quanquam hoc vnũ sit de his cõmunibus, quæ propriè sunt ciuitatum. Eodemque modo si qui habitent separati quidem, non tamen ita longè vt nequeant simul cõmunicare, legesque habeant, iniuriam sibi inuicem in commerciis prohibendi: ceu si vnus faber alter agricola, alter futor, alter aliquis huiusmodi foret, essentque hi decem millia numero, nec aliæ eis forent communionones, nisi talium rerum, puta contra etuum, & bellorum confederationes, nec sic quidem ciuitas adhuc foret. propter quam vtrique causam? Non enim quia non propinqua sit communicatio. Nam si in vnum conuenirent ita communicantes, vnusquisque tamen vtatur propria domo, vt ciuitate, ac sibi ipsis vt confederati auxilium ferant contra iniuriantes solum, ne sic quidem ciuitas esse videretur rectè considerantibus. Siquidem eodem modo conuersarentur simul coniunctim, & separatim. Ex quo patet, quod ciuitas non est communicatio loci, & non iniuriandi sibi ipsis, & commercii gratia. Sed ista quidem vt adsint, necessarium est, siquidem futura sit ciuitas: nec tamen si ista adsint omnia, ciuitas adhuc erit. At bene viuendi societas & domibus, & generibus, vitæ perfectæ gratia, & per se sufficientis: hoc tamen non erit, nisi vno, eodemque loco habitantibus, & coniugia simul ineuntibus: propter quod propinquitates in ciuitatibus extiterunt, & sodalicia, & sacra, & conuersationes familiarum: idque est amicitia opus. Nam

simul viuendi electio, amicitia est. Finis est igitur ciuitatis, bene viuere: illa verò gratia finis. Ciuitas autem est generum, pagorumque societas, vitæ perfectæ, ac persufficientis. Hoc est (vt diximus) bene, ac beatè viuere. Bene igitur agendi gratia ponendum est, esse ciuilem societatem, non autem gratia simul viuendi. Quapropter quicumque plus cõferunt ad huiusmodi societatem, his plus iuris competit in ciuitate, quàm his, qui libertate, ac genere pares sunt, vel maiores, sed ciuili virtute sunt impares: & quàm iis, qui diuitiis superant, sed virtute superantur. Quod igitur omnes, qui de Republica contendunt, partem aliquam iusti dicunt, manifestum est ex suprâ dictis.

Quid oporteat dominari, summamque auctoritatem in ciuitate tenere, an inopum multitudinem, aut opulentos, an æquos & bonos, aut regem, aut tyrannum. De repetundis rationibus, & an multitudinem eius functionis participem esse oporteat.

Cap. VII.



St autem dubitatio, quid oporteat dominans esse in ciuitate, nunquid populum, an eos, qui diuitias habent, an bonos, & æquos, vel vnum, qui sit optimus omnium, vel tyrannum? Verum hæc omnia videntur habere difficultatem. Quid enim inopes, quia plures sint, si partiatur ea, quæ sunt opulentorum, hoc non iniustum est: decreuerunt enim qui potestatem habent. Iniuria igitur summa, quæ tandem dicenda est? Rursusque omnibus acceptis, si plures ea sibi tribuant, quæ sunt paucorum, constat quod ciuitatem corrumpunt. Atqui virtus nunquam corrumpit id, quod eam habet, neque iustum, ciuitatis corruptiuum est. Ex quo patet, legem istam non posse iustam esse. Præterea, illa quoque, quæ facta fuerint à tyranno, necessariũ foret, iusta esse omnia. Vim enim adfert, propter potestatem, vt multitudo diuitibus. Sed an paucos, & opulentos iustum est dominari? an ergo si & illi hoc agant, & rapinas exercent, auferantque multitudinis bona, hocne erit iustum? & cætera ergo. Hæc igitur omnia constat esse praua, & non iusta. Verum bonos, & æquos dominari oportet, auctoritatèque habere omnium. Ergo alii omnes cum magistratus non capiunt, inhonorati manebunt? Nam honores quidè magistratus, potestatesque appellamus: quos si boni semper habeant, necessarium est alios excludi ab honoribus Reipublicæ. Sed nunquid vnus, qui sit optimus, dominari debet? At enim hoc etiam grauius est: quoniam plures erunt ab honoribus exclusi. Sed forsitan dicet aliquis, legem dominari debere, non autem hominem, in quem cadunt animi perturbationes. Si igitur sit lex quidem, sed vel ad paucorum potestatem, vel ad multitudinis fauorem declinans, quid tandem refert in his, de quibus dubitatum est. euenient enim eadem, quæ suprâ dicta sunt. De his igitur sit alius quidem sermo. Quod autem magis penes multos debeat esse potestas,

quàm penes paucos, licet optimos, videtur solui posse, & quandam habere dubitationem, imò forte & veritatem. Nam si plures sint, quorum vnusquisque non sit studiosus, tamen fieri potest vt in vnum conuenientes, omnes meliores sint, quàm illi, non vt singuli, sed vt omnes. Quemadmodum cœna, in qua plures cõferunt, quàm ea, quæ ex vno us erogatione fit. Nam cum plures sint, vnusquisq; partem habet virtutis, ac prudentiæ, ac fiunt in vnum collati, quasi homo vnus, qui multos pedes habeat, multasque manus, multosque sensus: & eodem modo circa mores, & intelligentiam. Quapropter melius iudicant multi, & in musica, & in poetarum operibus. Alii enim aliud, & cuncti cuncta discernunt. Sed in hoc differunt studiosi viri ab vnoquoque aliorum ex multitudine, quemadmodum decoros à non decoris aiunt, & picta artificiose à veris, eò quòd seorsum distincta, in vnum colliguntur. Cum si separatio fiat, pulchrius se habebit, huius quidem picti, oculus: alterius verò cuiusdam, alia particula. Si igitur de omni populo, omni que multitudine recipitur, hanc esse differentiam multitudinis ad paucos studiosos, incertum est: imò per Iouem certum, quod de quibusdam est impossibile. Nam eadem ratio de bestiis esset. Quamquam quid differunt quidam, vt dixerim, à bestiis? Sed de aliqua multitudine nihil vetat, quod dictum est, esse verum. Quapropter dubitationem illam priorem, per ista soluere quis potest, ac similiter aliam subsequenter. Quorum oporteat potestatem habere liberos homines, ac multitudinem ciuium, quales sunt quicunque neque opes habent, neque virtutis vllam existimationem. Etenim permittere istis magnos magistratus, nequaquam est tutum, propter iniustitiam, & ignorantiam, per quas quibusdam iniuriarentur, in quibusdam erraret. Rursus verò excludere illos penitus ab honoribus, periculosum esset. Cui enim multitudo inopum est in ciuitate, eademque ab honoribus exclusa, necesse est, eam ciuitatem esse plenam hostium Reipublicæ. Restat igitur vt ad consultandum, & decernendum isti recipiantur. Quapropter & Solon, & alii quidam eorum, qui leges condidere, huiuscemodi homines, ad repetendas gestorum rationes, & ad suffragia, electionesq; magistratuum admittunt: solis autem vt magistratus committantur, nequaquam permittunt. Dum enim cum aliis vnà decernunt, atque consultant, capiunt omnes simul sufficientem sensum, & permitti melioribus profunt Reipublicæ. Quemadmodum nõ purum alimentum vnà cum puro, totum facit vtilius, quàm paucum: separatim verò vnusquisq; imperfectus est ad iudicandum. Sed habet dubitationem huiusmodi ordinatio Reipublicæ. Primum, quia videretur eiusdem esse hominis scire iudicare, quis rectè medelam attulit, qui ipse sciat etiam mederi, ac sanitatem ægrotantibus afferre: hic autem est medicus. Eodem modo de aliis facultatibus, & artibus. Vt enim medicum, ratione suæ medelæ apud alios medicos reddere oportet, ita & alios apud similes. Medicus autem est & ille, qui agit, & ille, qui præcipit, & ostendit, & tertio loco *μεν* *περι* ille, qui à pueritia expertus est circa artem. Sunt enim quidam tales in cunctis (vt ita dixerim) arti-

bus. Tribuimus verò iudicium non minùs expertis, quàm scientibus. Deinde & circa electionem eodem se videtur modo habere. Nam rectè eligere, scientis est opus: ceu geometram in geometria, & gubernatorem in navigatione. et si enim in quibusdam operibus, & artibus concurrunt alii quidam ignorantes, non tamen meliùs iudicant, quàm scientes. Itaque secundum hanc rationem, autoritas multitudini danda non esset, neque in electionibus magistratuum, neque in rationibus administratorum reposcendis. At enim forsàn hæc omnia non bene dicuntur, etiam propter superiorem sermonem, si sit multitudo non nimis seruilis. Erit enim vnusquisque deterior iudex, quàm hi, qui sciunt: veruntamen simul omnes, vel meliùs iudicabunt, vel non deterius. Et de quibusdam quidem non solum is, qui fecerit, rectè iudicat, & qui habent artem, puta domum, non solum is intelligit, & iudicat, qui fecit, sed melius is, qui vtitur, vtitur autè pater familiàs. Et de temone gubernator, nõ faber: & de epulis conuiuia, non coquus. Hoc igitur dubium per hunc modum videtur sufficienter solui. Est & alia dubitatio cum hac annexa, quia inconueniens videtur, vt deteriores qui sunt, maiorum rerum habeant potestatem, quàm probi. Rationes verò administratorum à magistratibus reposcere, & magistratus ipsos diligere maximum est. quæ duo in quibusdam ciuitatibus (vt dictum est) à populo fiunt. Concio enim talium omnium domina est. Atqui concionis quidem participes sunt, & deliberant, & decernunt exigui census homines, & cuiusque ætatis: quæsturam verò, & præturam, & maximos magistratus suscipiunt ex censu magno, atque ætate. Quæstio illa potest eodem modo solui. Nam forsàn id se rectè habet: neque enim iudex, neq; consultor, neque is, qui in concione existit, dominatur, sed iudicium, & Senatus, & populus. Illorum verò vnusquisque est particula istorum. Dico autem particulam, consultorem, concionatorem, & iudicem. Itaque iustè domina maiorum est, multitudo. Ex multis enim populus constat, & Senatus, & iudicium, maiorque census est vniuersorum, quàm singulorum per se, & quàm illorum paucorum, qui magnos suscipiunt magistratus. Hæc igitur in hunc modum determinata sint. Prima verò illa quæstio manifestum facit, nihil adeò, vt leges rectè positas, debere dominari. Illi autè, qui Reipublicæ præest, siue vnus hic sit, siue plures, debere in his potestatem habere, in quibus leges expressè cauere non possunt: ex eo quia non facile sit generali sermone singulos casus comprehendere. Quas tamen leges rectè positas dicamus, nondum apparet: sed adhuc superest anterior dubitatio. Atque tales esse leges, quales sunt Reipublicæ, necessarium est, prauas, vel studiosas, iustas vel iniustas. Et hoc vnum manifestum est, oportere ad speciem Reipublicæ leges esse accommodatas. Quod si ita sit, patet quòd leges illas, quæ ad re-
ctas gubernationes accommodatæ sunt, necesse est esse iustas. Illas verò, quæ ad earum labes, esse non iustas.

Quòd

Quòd finis politicae disciplinae, ceterarum facultatum finibus sit præstantior. Quòd opus sit ciuitati nobilibus, opulentis, iustitia, virtute bellica. De legislatore vtrum ad meliorum, an plurium utilitatem respicere debeat.

Cap. III.



Vm verò in cunctis scientiis, & artibus finis sit bonum, maximum autem, & maximè in principalissima omnium, hæc autem est ciuilis potestas: est autem ciuile bonum, iustum: id autem, communis utilitas. Videtur autem omnibus æquum, quoddam esse iustum, & vsque ad aliquid consentiunt philosophicis rationibus, in quibus determinatum est de moralibus, quid enim, & quibus iustum, & oportere paribus par existere. Quorum certè paritas, & quorum imparitas sit, oportet non latere: habet enim id dubitationem, & philosophiam ciuilem. Forsàn enim diceret aliquis, secundum omni boni præminentiam oportere impariter magistratus tribuere, si in aliis non differant, sed pares sint. Differentibus enim aliud esse iustum, & quod sit secundum dignitatem. Atqui si hoc verum sit, erit & secundum colorem, & secundum magnitudinem, & secundum vnumquodq; bonorum plus tribuendum de ciuili iusto illis, qui superexcellunt. At hoc quidem falsum est, quod patet in aliis scientiis, & artibus. Paribus enim fistulatoribus quantum ad artem, danda non est prærogatiua fistularum illi, qui sit nobilior: nihil enim meliùs caneret. Sed oportet his, qui in opere ipso superexcellunt, tribuere fistularum prærogatiuam. Quòd si nondum patet quod dicimus, etiam magis deducentibus erit manifestum. Nam si erit aliquis excellens fistulatoria arte, inferior tamen nobilitate generis, vel forma, et si maius quodlibet illorum est bonum, quàm fistulatoria (dico autem nobilitatem, & formam) & secundum proportionem fistulatoriæ sunt anteponenda, tamen huic dandæ sunt meliores fistulæ, oportet enim in opus ipsum prærogatiuam conferre. Diuitiarum verò, & nobilitatis respectus nihil confert. Præterea, secundum istam rationem, omne bonum ad omne bonum esset vtique comparabile. Nam si magis aliqua magnitudo, & certè omnino magnitudo comparabilis foret & ad diuitias, & ad libertatem. Itaque si magis hic excelleret magnitudine, quàm ille virtute, & magis superemineret omnino magnitudo virtuti, essent omnia conferenda. Quantò enim magnitudo huius illum superaret, tantò constat esse parem. Cum verò hoc sit impossibile, patet quòd in rebus ciuilibus, non secundum omnem imparitatem de magistratibus rectè contendunt. Si enim sint hi quidem tardi, illi autem veloces, nihil ob hoc oportet alios plus, alios minùs habere: sed in gymniciis certaminibus horum excellètia honorem capit. At ex quibus constat ciuitas, in his est necesse contentiones cadere. Quapropter rationabiliter sibi arrogat

honorem nobiles, & ingenui, & opulenti, oportet enim ingenuos esse, & cœsum habere ad onera perferenda. Non enim ciuitas esse potest ex pauperibus omnibus, quemadmodum nec ex seruis. At si hæc requiruntur, patet quòd & iustitia, & virtus bellica requiritur: sine his enim stare ciuitas non potest. Hoc tamen interest, quòd sine primis illis ciuitas esse non potest: sine his autem nõ bene permanere. Ad hoc igitur vt sit ciuitas, videri possunt vel omnia, vel quædam istorum rectè sibi honores vendicare. Ad vitam tamè optimam, disciplina, & virtus iustissimè sibi vendicare honores vtique viderentur, vt supra dictum est. Cum verò nec omnium parium par habere debeant, qui in vno aliquo sint pares, nec impar, impares secundum vnum, necessarium est, omnes huiusmodi Rerumpublicarum transgressiones esse, & labes. Dictum verò est prius, quia inter se quodam modo omnes iustè contendunt, simpliciter autem non omnes iustè. Opulenti quidem, quòd plus regionis possident: regio autem, commune quiddam. Præterea, in commerciis magis creditur eis vt plurimum. Ingenui autem, & nobiles, quasi propè inter se. Ciues enim generosiores potius, quàm ingenerosi. Nobilitas autem apud omnes in honore habetur. Insuper consentaneum est, ex melioribus ortos esse meliores. Est enim generis virtus, nobilitas. Similiter quoque dicimus, virtutem meritò contentionem inducere. Sociabilem enim virtutè dicimus esse iustitiam, quam ceteræ omnes virtutes necessariò consequuntur. Atqui & plures ad pauciores. Nam & potètiore, & ditiores, & meliores sunt, vt susceptis pluribus ad pauciores. An ergo si omnes isti foret in vna ciuitate, ceu boni, & diuites, & nobiles, essetq; alia multitudo populi, vtrum in dubium veniret, quibus gubernatio Reipublicæ foret tribuenda, an non esset dubium? In vnaquaque igitur Republica earum, quas diximus, indubitatum est iudicium, quinam debeant gubernare. Principatibus enim inter se differunt, ceu aliqua quatenus per diuites sunt, alia quatenus per virtuosos: & aliarum vnaquaque eodem modo. Sed considerandum est, quando circa idem tempus virtute præstitos existunt, quomodo sit determinandum. Nempe si virtuosus sint in ciuitate admodum pauci, quomodo est agendum? An considerare oportet, si pauci ad opus gubernandi Reipublicæ sufficiant, an tot esse oporteat, vt ex his ciuitas constet? Est autem dubitatio quædam in cunctis, qui de honoribus in Republica cõtendunt. Nam qui vel propter diuitias, vel propter genus gubernationè sibi tribuendâ putant, nihil iustè dicere viderentur: sequeretur enim, vt si quis vnus omnium ditissimus foret, is eodem iure gubernare alios omnes deberet. Eodè modo qui nobilitate antecelleret, eorū gubernator esset, qui cum ipsi sint ingenui de honore contendunt. Hoc idem forsàn contingeret in optimatū gubernatione circa virtutè. Si quis enim vnus probitate antecellat aliis, qui in eadem Republica versentur, hunc dominari oportebit secundum illam rationem. Ergo si & multitudinè dominari oportet ex eo, quia potètiore est, quàm pauci, etiã si vnus, vel plures vno, pauciores tamè, quàm multitudo, potètiore sint aliis, hos oportebit gubernare potius, quàm multitudinè. Hæc itaq;

omnia videntur ostendere, quod harum determinationum nulla est recta, secundum quam censent sibi quisque gubernationem esse tribuendam, ceteros vero omnes sub eorum gubernatione esse debere. Nam profecto & ad eos, qui per virtutem sibi arrogant gubernandi auctoritatem, & ad eos, qui per diuitias, respondere possent multitudo iustum sermonem. Nihil enim vetat multitudinem, quandoque meliorem esse, quam pauci, ac ditiores, non secundum singulos, sed secundum vniuersos. Ex quo ad quaestionem illam, quam afferunt nonnulli, per hunc modum responderi potest. Quærun-
 10 runt enim, ad quid respicere legis conditor debeat in legibus rectissimè constituendis, vtrum ad meliorum, an ad plurium vtilitatem, quando contingat quod modò diximus. Rectum quidem accipiendum est æquè. Aequè verò rectum, ad totius ciuitatis vtilitatem, & ad communem ciuium. Ciuis autem communiter, qui particeps est imperandi, & parendi, licet alius secundum vnamquamque speciem Rerumpublicarum. Secundum autem optimam speciem, qui potest, & eligit parère, & imperare, ad vitam secundum virtutem degendam.

An vnus is, qui ceteris omnibus virtute superior sit, ponendus sit pars ciuitatis. De ostracismo, & vsu. De optima Republica, quomodo se gerat erga vnum illum excellentem virtute.

Cap. IX.



Quod si vnus sit vsque adeò superexcellens virtute, vel plures, quam vnus, nec tamè tot numero, vt implere ciuitatem possint, vt neque comparanda sit aliorum omnium virtus, neque facultas gerendi Rempublicam ad hanc, plurium, si plures sint, vel vnus tantum, si vnus, non amplius hi ponendi sunt ciuitatis pars. Fieret enim illis iniuria, si pariter, atque alii, censeantur, cum sint vsque adeò superiores secundum virtutem, ac ciuilem potentiam. Putandum est enim talem virum, tanquam Deum in hominibus esse. Ex quo manifestum est, positionem legum necessariam esse circa æquales genere, & potentia. Sed in illos tales non est lex: ipsi enim lex sunt. Etenim ridiculus foret, qui illos legi subicere conaretur. Dicerent enim fortasse, quemadmodum de leone scribit Antisthenes, concionantibus lepusculis, ac censentibus æquum omnes habere debere. Quapropter à ciuitatibus, quæ populariter reguntur, Ostracismus repertus est. Hæ siquidem ciuitates æqualitatem maximè complectuntur. Itaque qui superexcellere videtur, vel propter diuitias, vel propter amicos, vel propter aliquam aliam ciuilem potentiam, extra ciuitatem relegatur ad tempus aliquod terminatum. Tradunt etiam fabulæ, ob huiusmodi causam, Herculem ab Argonautis fuisse relictum: non enim vnà cum aliis nauem regere illum voluisse, vt nimium superexcellens inter nauigantes.

Quapropter qui vituperant tyrannidem, & consilium Periandri Thrasibulo datum, non simpliciter existimandi sunt rectè dicere. Ferunt etiam, Periandrum nihil respondisse ei, qui consilii petendi causa ad ipsum missus fuerat: sed supereminentes spicas demetendo segetem adæquasse. Cuius causam cum non intelligeret nuntius, ac factum ab eo narraret, intellexisse Thrasibulū, quod oportebat supereminentes ciues auferre. Hoc autem nec prodest solū tyrannis, nec solū faciunt tyranni: sed & in paucorum potentia, & in populari statu similiter se habet. Ostracismus enim eandem quodam modo vim habet, tollendo eos, qui supereminent, & in exilium pellendo. Hoc idem & in ciuitatibus, & in gentibus faciunt, qui t̄ dominantur: velut Athenienses circa Samios, & Chios, & Lesbios. Quam primū enim Imperium firmiter habuerunt, eos in multis pessundarunt, contra fœderis æquitatem. Perfarum autem rex Medos, & Assyrios, & alios, qui magnum aliquid de ipsis sapiebant ob Imperium prius habitum, sæpe contriuit. Quæstio autem proposita circa omnes est Rerumpublicarum species vniuersaliter, & quæ sunt rectæ. Nam illæ, quæ transgrediuntur, ad propriam respiciètes vtilitatem, hoc agunt. Quinimo & illæ, quæ ad commune respiciunt bonum, eodem modo se habent. Patet hoc in aliis quoque artibus, & scientiis. Neque enim pictor pedem mensuram excedentem, animal habere pateretur: quauis pulcherrimus ille pes esset: neque faber, proram, aut aliam partem nauis: neque certe magistri chori, eum, qui pulchriorem, ac meliorem toto choro vocem emittit, sinet in choro esse. Itaque ob hoc quidem nil prohibet, eos, qui domini sunt, t̄ conuenire cum ciuitatibus, si propriæ dominationis gratia, quæ ciuitatibus vtilis sit, id agat. Quare secundum eas, quas confitemur, superexcellencias, quandam habet t̄ vtilitatem, ratio illa, per quam Ostracismus fuit repertus. Melius tamen foret, sic ab initio per legis conditorem prouideri, vt Respublica non indigeret tali medicina. Secundo autem loco, si quid tale accidat, conandum est tali aliquo remedio corrigere, quod tamen factum non est à ciuitatibus. Non enim respexerunt ad commodum publicum, sed per seditionem vsi sunt ciuili pulsione. In his igitur speciebus gubernandi, quæ lapsæ sunt, quod ad priuatum commodum pertinet, ac iustum est, patet, forsan autem non simpliciter iustum: & hoc est manifestum. Sed in optima Republica magna habetur dubitatio, non per excellentiam aliorum bonorum, ceu virium, & diuitiarum, & amicitiarum, sed si quis excellat virtute, quid de eo sit faciendū? Non enim dicendum est, vt talis vir sit de ciuitate pellendus. Atqui neque gubernationi aliorum talis vir erit subiiciendus. Pèrinde enim est, ac si qui Iouem gubernare velint, potestatem diuidentes. Restat ergo, vt videtur, naturam huius talem esse, vt omnes sponte sua illi parère debeant. Itaque huiusmodi quidem homines, esse reges perpetuos in ciuitatibus.

De Republica regia, & an magis expediat loco recto gubernando, quam cetera forma: de regum speciebus. Cap. X.



Orsan verò post hæc congruum fuerit considerare de regia gubernatione. Diximus enim, hanc esse vnam ex rectis speciebus Rerumpublicarum. Considerandum est autem, vtrum conducatur ciuitati, & regioni, quam rectè gubernari oporteat, regem habere, an non, sed alia quædam species gubernandi magis conducatur: an quibusdam conducatur, quibusdam non. Ante omnia verò distinguendum est, an sit vnum genus eorum, vel differentias habeat plures. Et facile est intueri quod plura genera sunt. Nec est omnium regum modus vnus potestatis. In Lacedæmoniorū enim Republica videtur rex esse maximè secundum leges. Neque enim potestatem habet omnium, sed cum egreditur extra regionem, imperium habet eorum, quæ pertinent ad bellum. Præterea, sacrificia, Deorumque ceremoniæ, ei commissa sunt. Hæc igitur regia potestas est, quasi auctoritatem belli perpetuam habere: Vitæ enim, necisque alicuius non habet potestatem, nisi dum bellum gerit: vt etiam apud antiquos fuisse videtur, quod ostendit Homerus: nam Agamemnon in concionibus, maledictis, & iurgiis vexabatur, sed cum à concione digressus in prælio erat, occidendi habebat potestatem. Itaque, inquit, quem ego procul à pugna fugientem conspexero, non sibi fat erit, fugere canes, & aues, nam penes me occidendi potestas. Vna ergo species regni, est auctoritas belli perpetua: & quandoque per genus, quandoque per electionem huiusmodi regnum obtinetur. Est & alia insuper monarchiæ species, qualia sunt apud quosdam Barbaros regna, vim habentia proximam tyrannidi, licet sint legitima, & secundum morem parata. Ob id enim quia magis apta sunt naturæ ad seruiendum nationes Barbarorum, quam Græcorum, & eorum, qui incolunt Asiam, quam eorum, qui Europam, præferunt t̄ seruire iugum æquo animo. Et ob hoc tyrannica sunt huiusmodi regna: sed habent securitatem, quia more, & legibus consistunt. Et ea de causa custodiam habent regiam, non tyrannicam. Reges enim à ciuibus custodiuntur: Tyranni verò ab externis mercede conductis. Et reges secundum leges, & volentibus, Tyranni verò inuitis dominantur. Itaque alteri à ciuibus custodiuntur, alteri contra ciues custodiam parat. Sunt igitur hæc, de quibus dictum est, duæ species monarchiæ. Tertia est species, vt antiquitus in Græcia fuere, quos vocabant Aesymnetas. Est autem hæc, vt simpliciter dicamus, electiua tyrannis, differens à Barbarica, non eò quod non legitime, sed eò quod non consuetè. Potestas autem huiusmodi, aut viuente eo durabat, aut tempore quodam præfinito, vel rebus gestis finiebatur. Qualem elegerunt quandoque Mitylenæi Pittacum aduersus exules suos, quibus præerant Antimenides, & Alcæus poeta. Ostendit hoc Alcæus in quodam loco suorum carminum. Increpat enim

quod Pittacum hominem obscuri generis, laboranti ciuitati præfecerint, tyrannū plausu frequentantes. Huiusmodi igitur species, quia tyrannicæ sunt, dominatione habent: quia verò electiua sunt, & volentium, regiæ. Quarta species regni est, quales erant heroicis temporibus, spontaneæ, & secundum morem, & legem. Propter beneficia enim à patribus collocata in populos, vel per artes, vel per bellum, vel per congregationem in vnum, vel propter acquisitionem regionis, delatum fuit eis regnum de populorum voluntate & successoribus: Id erat secundum morem. Hi & imperium habebant belli, & rei diuinæ cultum exercebant, nisi talia essent sacrificia, quæ sacerdotium requirerent. Et præterea de controuersis iudicabant: & hoc faciebant alii iureiurando præfinito, alii sine iureiurando. Erat autem illis iusiurandum, per scripti eleuationem. Veteres igitur illi reges antiquis temporibus ciuitates, & t̄ gentes, & nationes externas continuo gubernabant: postea verò partim ipsi regibus dimittentibus, partim multitudine detrectante, illud solum in quibusdam ciuitatibus relictum est regibus, vt ceremoniarum erga Deos haberent facultatem, ac belli duces in externis essent.

De eisdem regum speciebus, mutato ordine. Ex quibus quatuor non omnium curam habent: prima, heroica: altera Barbarica, quæ ex more patrio dominatio est quædam: tertia, electiua Tyrannis. Athenienses appellant Aesymnetean: quarta, Laconica: & est ducendi belli perpetuum imperium: quinta, cum vnum omnium habet imperium, tanquam pater in domo. Ex his potissimum speciem regni habent postrema duæ. Hinc quaestio fit, vtra harum magis conducatur ciuitatibus, vtrum magis expediat Rempublicam ab vno optimo regi, an à legibus. Et quibus in rebus lex non prouidere potest, aut non bene potest, an vni viro optimo rectius committatur potestas sancienti, an multis. Item de regis stipatoribus quædam.

Cap. XI.



Regiæ ergo potestatis tot sunt species, quatuor videlicet. Vna, qualis erat temporibus heroum, volentium scilicet, & in quibusdam determinatis rebus. Dux enim belli, & iudex cõtrouersiarum erat rex, & dominus ceremoniarū erga Deos. Altera erat Barbarica, ex progenie scilicet dominatio secundum leges. Tertia, quam Aesymnetean vocat, quam esse diximus electiuam tyrannidem. Quarta, Laconica: ea autem est, vt simpliciter dicam, imperiū belli in quodam genere perpetuum. Istæ quidem igitur per hunc modum inter se differunt. Quinta autem est species regni, quando vnus omnium habet potestatem, quemadmodum vnaquæque gens, & ciuitas

tas vnaquæque publicè ordinata, ad exemplar gubernationis domus. Ut enim gubernatio patri-familias, est regia quædam potestas domi: ita regia potestas, est ciuitatis, & gentis vnus, aut plurium, quasi domestica quædam gubernatio. Ferè autem duæ sunt regni species, de quibus considerationem facere expedit. Vna hæc, de qua diximus, Altera Laconica, nam aliarum pleræque inter has mediæ sunt. Pauciorum enim dominæ, quàm omnimoda potestas plurium verò quàm Laconica. Itaque consideratio ferè circa duo versatur. Vnum, conducantne ciuitatibus, perpetuum belli ducem habere: & hunc vel per genus, vel per electionem. Alterum, conducantne vnum habere potestatem omnium, an non? De duce igitur belli cõsiderare ad leges potius pertinet, quàm ad aliquam speciem Reipublicæ. Nam in omni Republica id cadere potest. Quare dimittamus hanc primam partem. De rege autem, quoniam hæc est gubernandi legitima species, considerare oportet, & dubitationes, quæ in ea cadunt, percurrere. Caput verò huius quæstionis est, vtrum expediat magis ab optimo homine regi, vel ab optimis legibus gubernari. Qui gubernationem hominis præferunt, aiunt, leges solum vniuersaliter prouidere, non autem de singulis, quæ accidunt, iubere. Itaque in quacunque arte literis præcipere, fatuum esse. Et in Aegypto post tertiam diem mouere licet medicis: quod si prius, periculo id agunt suo. Patet ergo propter eandem causam, non esse per literas, & leges optimam gubernationem. Atqui & illam adesse oportet gubernantibus vniuersalem rationem. Et melius certè cui nõ adest turbatio aliqua omnino, quàm cui naturaliter inest. Hac autem turbatio ne lex caret: mens verò humana non caret. Sed forsitan dicet aliquis, quòd per huiusmodi rationem probabilius deliberabit circa singula. Quod igitur necesse sit, ipsum legis conditorem esse, ac leges poni, manifestum est: sed non inuiolabiles, quatenus transgrediuntur. Nam in ceteris quidem inuiolabiles esse oportet. At de quibuscumque lex aut prouidere non potest omnino, aut non bene prouidere, vtrum in his vni viro optimo danda sit potestas, an multis? Etenim nunc plures simul cognoscunt de causis, & deliberant, & iudicant. Sunt autem huiusmodi iudicia de singularibus. Et cum vnusquisque per se fortasse deficiat, ciuitas autem ex multitudine constat. Ut conuiuui, ad quod plures conferunt, melius est, quàm vna, atque simplex mensa: sic iudicia multorum sæpe meliora sunt, quàm vnus cuiusque. Præterea, multitudo minus subiacet corruptioni, quemadmodum aquæ magna congeries: sic etiam plures, quàm pauci, incorruptibiliores sunt. At cum vnus iudicat, si ira, vel alia huiusmodi perturbatio vincat, necessarium est, iudicium corrumpi: sed in multitudine, difficile foret, omnes irasci, atque errare. Sit multitudo liberorum hominum, qui nihil agant præter legem, nisi in quibus lex ipsa necessariò deficiat. Quòd si hoc non facile in pluribus, si plures sint boni viri, & ciues, vtrum incorruptior erit vnus in gubernando, an cum erunt plures, & boni omnes? an patet quòd plures? Enimvero plures inter se factionibus con-

tendunt: vnus autem non contendit. Sed aduersus hoc forsitan ponendum est, quòd studiosi viri sunt omnes, vt ille vnus. Si ergo plurium gubernatio, bonorum autem virorum omnium, optimatum dicitur, vnus autem, regnum: optabilius esset ciuitatibus ab optimis gubernari, quàm à rege, & si cum potestate, & si sine potestate sit imperium, modò reperiri queant plures similiter. Et ob hoc forsitan rex ab initio repertus est, quòd difficile erat, viros plures excellenti virtute reperiri, perfertim cum tunc ciuitates parua forent. Præterea, ob beneficia accepta regem creauere, quòd opus est bonorum virorum: sed cum postea contingeret, vt plures pari virtute reperirentur, nõ amplius tolerarunt regem, sed commune quiddam quærentes, Respublicas constituere. Cum verò deteriores facti, lucrum sibi quærent ex gubernatione Reipublicæ, paucorum hinc potentiam exortam fuisse credendum est. Honorabant enim diuitias. Ex his verò, in tyrannides transiere: ex tyrannide rursus ad plebem. Semper enim ad pauciores redigentes, propter quæstus cupiditatem, multitudinem corroborauerunt, vt tandem insurgens multitudo ad popularem statum ciuitates redegerit. Factis insuper maioribus ciuitatibus, non facile est aliam, quàm popularem gubernandi speciem remanere. Sin autem quis ponat, optimum esse ciuitatibus à rege gubernari, quomodo fiet in filiis? Vtrum per genus erit successio? At si natorum qualecumque, perniciosum est. Sed dices non relinquet regnum huiusmodi natis rex, cum id in sua sit potestate. At non facile iam est in hoc fidem habere. Arduum enim, ac maioris virtutis, quàm secundum humanam naturam. Quæstio est etiam, vtrum habere debeat, qui regnaturus est, circa se potentiam quandam, qua possit compellere non parentes: Vel quomodo gubernationem exercebit? Si enim habeat potestatem à legibus concessam, & nihil ex voluntate sua faciat præter leges, tamen necessaria erit sibi potentia, per quam leges tueri queat. Forsitan quidem de huiusmodi rege nõ difficile est determinare: nam oportet ipsum vires habere, sed tales vt vnoquoque separatum, & simul pluribus potentior sit, populo tamen sit impotentior: vt antiqui solebant custodias ciuitati dare, cum aliquem ciuitati præfecissent, quem Aesy mnetam vocitabant, vel tyrannum. Et Dionysio postulanti circa se habere aliquos custodiarum causa, consuluit quidam, Syracusanis tot esse dandos.

De potestate regia, quæ vnus est omnium habentis potestatem, quòd non sit secundum, neque in ciuitate libera dominari debeat, sed potius legem. Quæ multitudo sit apta regno, & quæ alijs Rebus publicis.

Cap. XII.



Verum de eo rege, qui cuncta ex voluntate sua gerit, consideratio nunc est facienda. Nam ille, qui secundum leges dicitur rex, non facit (vt diximus) regiam gubernationis speciem: quia in cunctis Rebus publicis cadere potest, vt sit quidam ducendo exercitui, cum ciuitas bellum gerit, perpetuò prefectus: puta in populari statu, & optimatum gubernatione: pluresque auctoritatem vni committunt belligerendi. Est autem talis quædam deputatio apud Doracium, & apud Syponinos, licet apud Syponinos paulò restrictior. Sed regia illa potestas plenissima, per quam rex omnia ex voluntate sua gubernat, videtur quibusdam non esse secundum naturam, vt vnus omnium dominus sit ciuium, cum ex similibus ciuitas constet. Nam similibus natura, idem ius esse, necessarium est, & eandem dignitatem secundum naturam. Quare vt parem habere impares alimoniam, aut vestem, nocuum est corporibus: ita & in honoribus res se habet. Similiter ergo & inæqualem æqualibus: ex quo nõ magis præesse, quàm subesse, iustum est, & per vicissitudinem eodem modo, & hæc iam lex: nam institutio lex est. Melius est igitur vt lex dominetur, quàm aliquis ciuium. Eademque ista ratione, si quos præesse oportet, ita sunt præficiendi, vt custodes legum, atque ministri: necesse est enim esse aliquos magistratus cum potestate, sed non vnũ hunc esse debere aiunt in ciuium paritate. Quæcumque tamen videntur per legem quidem terminari non posse, per hominem verò cognosci posse, prudenter cauens lex adiungit, cætera iustissima intentione iudicari debere per eos, qui iudiciis præstant. Ac insuper emendare permittit, quid videatur, conantibus vt melius disponatur, quàm sicut iacet. Qui igitur legem præesse iubent, videntur iubere Deum præesse, & leges: qui autem hominẽ iubet præesse, adiungit & bestiam. Libido quippe talis est, atque obliquos agit etiam viros optimos, qui sunt in potestate: ex quo mens absque appetitu, lex est. Videtur autem de artibus falsum esse exemplum, quòd secundum literas medicari vanum esset: meliusque fore, si possidentibus artem vtamur. Nam illi quidem nihil contra rationem per amicitiam agunt: sed recusant mercedem accipere, cum sanos fecerint. At in magistratibus multa per affectionem, & gratiam consueuerunt delinquere: cum si de fide medici timeretur, ac suspitio foret, ne suscepto ab inimicis pretio, necare velit, tunc ex literis curam magis optaremus. Atqui ægrotantes medici, alios ad se medicos vocant, & magistri palæstræ, alios magistros, quasi nequeant verum discernere, qui de propriis iudicant, & in affectu constituti sunt. Quare manifestum est, quòd iustum quærentes, medium quærent. Lex enim, medium est. Præterea, validiores, & de validioribus rebus leges, sunt illæ, quæ ex moribus proueniunt, quàm quæ ex literis. Quare si minus fallitur homo magistratum gerens, quàm hi, qui secundum literas, non tamen quàm hi, qui secundum consuetudinem. Atqui nec facile est, vnum discernere: opus erit ergo, vt plures sint sub eo iudicantes. Itaque quid refert hoc, statim ab initio prouidere, vel expectare vt ipse vnus alijs ista committat? Insuper quod prius dicebatur, siquidem vir studiosus, quoniam melior sit, præesse debet, vno autem duo boni meliores sunt. Hoc enim est, quod Homerus ait, duo simul euntes. Et optatio Agamemnonis, Vtinam tales

mihî decem cõsultores adessent. Sunt autem etiam nunc magistratus cum potestate iudicandi de quibusdam, cõ iudex, de quibus lex prouidere nõ potest: nam de quibus lex determinare potest, nemo dubitaret. Sed cum quædam comprehendere legibus possint, quædam non possint, & hæc sint illa, quæ dubitationem, & quæstionem faciunt, vtrum melius sit ab optima lege, an ab optimo viro gubernari? Nam quæ in consultationem veniunt, de eisdem ferri legem, impossibile est. Non igitur hoc aiunt, quòd necessarium sit, hominem huiusmodi rebus iudicare: sed quòd non vnum solum, sed plures. Iudicat enim vnusquisque in magistratu bene, si sit eruditus primò à lege. Forsitan verò absurdum videri posset, si melius cernat duobus oculis, & duabus auribus audiat, & duobus pedibus, duabusque manibus, agat, quàm plures pluribus: cum & nunc quidem reges, & tyranni, oculos plures sibi comparent, & aures, & manus, & pedes, perficiendo: qui nisi sint amici, non faciunt secundum illorum intentionem: si verò sint, amici sunt & status illorum, & personarum: amicus autem par, & similis. Quare si eos censet præficiendos, certè pares, ac similes gubernationi præesse censet oportere. Quæ igitur contententes cõtra regiam gubernationem aiunt, ferè ista sunt. Sed hæc forsitan in quibusdam ita se habent, in quibusdam autem nõ ita. Est enim quiddam naturæ dominabile, aliud regibile, aliud populare, & iustum, & vtile. Tyrannicum verò non est secundum naturam, nec vlla aliarum gubernationũ, quæ rectam transgrediuntur formam: hæc enim fiunt præter naturam. Sed ex his, quæ dicta sunt, patet quòd in similibus, & paribus nec vtile est, neque iustum, vt vnus sit dominus omnium: neque si non sint leges, sed tanquam ipse sit lex: neque si sint leges, neque bonus bonorum, neque non bonorum non bonus, neque si secundum virtutem sit melior, nisi per quendam modum. Quibus autem iste sit modus, dicendum est. Diximus verò aliquam & antè. Et primò determinandum est, quid congruat regi, quid optimatibus, quid reipublicæ. Regibus congruit huiusmodi multitudo, quæ natura apta sit ferre genus præstans virtute ad principatũ ciuilem. Optimatibus verò congruens est multitudo liberorum, quæ nata sit ad ferendum gubernationem eorum, qui sunt secundum virtutem primarii. Ad ciuilem gubernationem autem Reipublicæ congruit ea multitudo, in qua populus innascitur bellicus, qui gubernari possit, & gubernare secundum leges, & æquitatem, impartiens tenuioribus honores, & magistratus. Quando igitur aut totum genus, aut inter alios vnum aliquem ita virtute præcellere cõtingat, vt vnus ipsius virtus maior sit aliorum omnium virtute, tunc iustum est, hoc esse regium genus, & omnium dominari, & hunc vnum esse regem. Vt enim dictum est prius, non solum id habet iustitiam, quam præferre solent Reipublicarũ institutores, & qui optimatum, & qui paucorum potentia, & qui popularis. Omnes enim secundum excellentiam tribuunt, sed excellentiam non eandem, sed secundum prius dicta: neque interficere, neque in exilium agere, neque relegare hunc posse decet, neque dignari vt per

ratio, ordo

ira obliquos.

magistratum gerentes.

per vices gubernet: non enim natura fit vt pars superet totum: habēti verò tantam excellentiam hoc accidit. Restat ergo, vt huic suadenti pareatur, & potestatem eum habere non per vices, sed simpliciter. De regia igitur gubernatione, & quas differentias habeat, & vtrum vtile sit ciuitatibus, vel non, & quibus, & quomodo, in hunc modum determinatum sit. Cùm verò tres dixerimus esse re-
ctas gubernandi species, harum verò necessarium sit, eam esse optimam, quæ ab optimis gubernetur. Talis autem est, in qua cōtingit, aut vnum aliquem omnium, aut genus totum, aut multitudinem vir-

tute præstantem gubernare eos, qui gubernari valeant, ad eam vitam, quæ sit maximè expetenda: & in primis libris ostensum sit, necessarium esse, vt sit eadem virtus boni viri, & ciuis optimæ ciuitatis: patet quòd eodem modo, & per eadem fit vir bonus, & ciuitatem statueret quis ab optimis gubernari, vel à rege. Itaque eadem ferè disciplina, & iidem mores facient studiosum virū, qui faciunt ciuilem, & regium. His determinatis conandum iam erit de optima Republica dicere, quemadmodum fiat, & quomodo constituitur. Nam necesse est, de illa conuenientem considerationem facere.

ARISTOTELIS STAGIRITAE POLITICORUM, siue de Rebus publicis Liber Quartus,

Leonardo Aretino Interprete.

Argumentum Libri.

IN quarto hæc exponuntur: Legislator, species Rerumpublicarum, apta multitudo, vtriusque, partes Reipublicæ. De speciebus Rerumpublicarum, quæ sint, quæ sit diuersitas. Partes, & species popularis gubernationis: species paucorum: species optimatum. Quid sit censu potestas: modi missionis qui sint: modi tyrannidis: quæ sit optima Respublica. De partibus Reipublicæ: consilia, magistratus, iudicia.

De optima Republica, & pertinentibus ad legislatorem. Cap. I.

IN cunctis artibus, & scientiis, quæ non circa partem, sed circa genus aliquod perfectè existunt, vnius est considerare, quid cuique conueniat generi: ceu exercitatio corporis qualis quali conueniat, & quæ sit optima. Optimè enim natura disposito, & optimè distributo, optimam conuenire, necessarium est, & quæ plurimis, vna omnibus. Etenim hoc gymnastica est. Præterea verò si quis non exactum illum cupiat habitum, & scientiā circa certamina, nihilominus magistri gymnasiarum est, hanc potentiam præparare. Eodemque modo in medicina, & in fabricatione nauium, & vestium, & in omni alio artificio videmus contingere. Quare manifestum est, quòd eiusdem est scientiæ, videre quæ sit optima Respublica, & qualis maximè ad votum foret, nullo externorum eam impediēte, & quæ quibus conueniat. Nam plures optimam assequi, forsitan impossibile est. Itaque & ea, quæ sit simpliciter optima, & ea, quæ quantum fieri potest optima, latere non debet legis conditorem, ac verè ciuilem

hominem. Ac præterea tertia, quæ sit ex suppositione. Nam oportet, datam quoque considerare posse, quemadmodum ab initio constituitur, & constituta seruetur quàm plurimo tempore. Dico autem, ceu si cui ciuitati contigerit, neque optimam gubernationem habere, neque necessaria illi adesse, neque illis ipsis, quæ ad sunt, rectè vti, sed aliis deterioribus. Præter hæc autem omnia, eam gubernationem, quæ omnibus maximè congruat ciuitatibus, nosse oportet, vt tradunt plurimi eorum, qui de Republica tractant. Et si de aliis rectè dicant, de vtilibus certè aberrant. Non solum enim optimam Rempublicam cōsiderare oportet, sed etiam illam, quæ in vsum cadere possit, & quæ sit facilior, & communior omnibus. Nunc autem alii supremam quarunt solum; multis adminiculis indigentem: alii magis communem aliquam tradentes, tollentesque eas, quæ in vsum sunt, Laconicam, vel aliam quandam commendant. At enim oportet talem institutionem Reipublicæ inducere, vt velint, ac possint homines ex his, quæ sibi ad sunt, faciliter eam recipere. Nam est non minus difficile corrigere Rempublicam iam institutam, quàm ab initio instituere: quæadmodum & post discere, quàm ab initio didicisse. Quapropter non solum his, quæ libris scriptæ sunt, Rebus publicis, verum etiam illis, quæ re vera existunt, auxiliari posse decet ciuilem hominem, vt diximus. Hoc autem facere non potest, si ignoret quot sint species earum, Nam nunc quidam putant, vnam esse popularem, & vnam paucorum potentum: quod non est verum. Itaque oportet non latere differentias omnium, & quot sint, & quotupliciter componantur. Leges etiam simul cum his considerandæ erunt, quæ sunt optimæ, & quæ conueniant vnicuique gubernationi. Sunt enim leges omnes ad Rempublicam accommodandæ, non autem Respublicæ ad legem. Est nanque Respub

Respublica, institutio ciuitatis circa magistratus, honoresque, publicos, quemadmodum debeant impartiri, & in quo potestas, authoritasque summa debeat consistere, & qui sit finis cuiusque societatis: Leges autem earum variæ sunt, per quas modus Reipublicæ gubernandæ significatur, secundum quas debeant illi, qui sunt in potestate, imperare, & prohibere transgressores. Ex quo patet, quòd necessarium est, differentias, & numerum tenere singularium Rerumpublicarum, etiā ad legum positiones. Neque enim fieri potest, vt eadem leges vtilis sint paucorum potentia, ac popularibus omnibus: siquidem plures sunt, & non vna popularis potestas, neque vna duntaxat paucorum potentia.

De speciebus Rerumpublicarum, transgressionibus, censu potestate. De iis, quæ à ciuili viro sint exquirenda. Cap. II.

VM verò in præcedentibus dictum sit à nobis, tres esse Rerumpublicarum species rectas, Regnum, Optimatè, & eam, quæ appellatur Respublica: ac tres earum transgressiones, & labes: cùm regnum in tyrannidem, optimorum autem gubernatio in paucorum potentiam, Respublica autem in popularem statum labatur. Et de optimatum gubernatione, & regia sit dictum. Nam de optima Republica considerare idem est, ac de illis dicere. Vult enim vtraque illarum per virtutem, ceteris opportunius concurrentibus consistere. Et insuper quid inter se differant regia potestas, & optimorum gubernatio, & quando regia gubernatio putanda sit, determinauimus. Restat nunc, vt de illa, quæ appellatur Respublica, dicamus, & de cæteris gubernandi formis, vt de paucorum potentia, ac de populari statu, & de tyrannide. Patet igitur, harum transgressionum, quæ deterrima sit, quæve secūda. Necesse est enim, primæ, & diuinissimæ transgressionem, esse deterrimam. Regiam quippe gubernationem necesse est aut nomen habere solum, cùm non sit, aut propter magnam illius, qui regit, excellentiam, esse. Ex quo fit cognitum, tyrannidem deterrimam existere, ac plurimum à recta specie gubernandi abesse. Secundo autem loco, paucorum potentiam: nam optimorum gubernatio multum ab hac specie distat. Maximè verò mediocrè, esse popularem statum. Fuit & prius quidam, qui isto modo tradidit, non tamen in idem aspiciens nobiscum. Ille enim existimabat specierum omnium, quæ rectæ sanè essent, velut paucorum potentia, & aliarum, deterrimam esse popularem, improbari verò optimam. Nos autem eas, quæ transgrediuntur, aberrare omnes dicimus: nec paucorum potentia quòd melior sit altera, quàm altera, rectè dicitur, sed quòd minus improba. Verum de his nunc discutere omitteremus. Est autem à nobis primò distinguendum, quot sint differentia Rerumpublicarum, siquidem plures sunt species popularis gubernationis, ac paucorum. Deinde quæ communissima, & optabilissima sit post optimam Rempublicam, & si qua contingit alia ad optimatum naturam declinans rectè constituta, & quàm plurimis congruens ciuitatibus, quænam ista sit: deinde aliarum, quæ à quibus expetenda. Forsan

enim quibusdam necessaria est popularis gubernatio magis, quàm paucorum potentia. Quibusdam verò hæc magis, quàm illa. Deinde quæadmodum dispositum esse conueniat illud, qui velit has gubernationes recipere. Dico autem popularem secundum singulas species: ac rursus paucorum potentiam. Tandem verò omnium istarum, cùm facta fuerit breuiter mentio, conandum erit referre quænam labes, & quæ cōseruationes sint Rerumpublicarum, & communiter omnium, & particulariter vniuscuiusque, & per quas causas illas maximè euenire contingat.

Quòd causa diuersitatum Rerumpublicarum sit diuersitas partium ciuitatum. Sunt diuites, & pauperes, Bellicosi & imbelles, nobiles ignobiles, opifices, mercatores, agricolæ, & id genus. Quòd prisca falsò opinantur duas esse Respublicas præcipue optimatum, & paucorum potentiam: ad has cæteras reduci. Et quæ sit propria de Rebus publicis sententia. Cap. III.

VIGITUR sint plures Rerumpublicarum species, illa est causa, quòd cuiusque ciuitatis partes sunt plures. Videmus enim primò, ex domibus constare ciuitatem. Deinde rursus ex hac multitudine alios esse diuites, alios pauperes, alios medios. Diuitumque & pauperum, partem esse bellicam, partem imbellem. Et rursus ex plebe partem agrorum cultura deditam videmus, partem mercaturæ, partem opificii & sordidis ministeriis. Nobilitatis quoque differentia sunt secundum opulentiam, & magnitudinem census. Sunt enim alii equites: quod munus nemo faciliter supportare potest, nisi sit diues. Itaque antiquis temporibus quæcunque ciuitates equestri potentia excelebant, in his paucorum potentia gubernabat. Equitatu autem bella contra finitimos exercebant: ceu Eretrientes, & Chalcedenses, & Magnesi, qui sunt super Mæandro, & alia plures Asiaticarum ciuitatum. Præterea, sunt alia: quàm iuxta diuitias, nobilium differentia. Quosdam enim genus, quosdā virtus extollit: & si quid aliud tale ciuitatis partē esse oporteat, dictum est, vbi de optimatibus tractauimus: ibi nanque distinximus, ex quot partibus necessariis omnis constat ciuitas: & hæc quidem partes, quandoque concurrunt omnes ad Rempublicam gubernandam, quandoque plures. Patet igitur quòd necesse est, plures Respublicas esse inter se differentes specie. Nam & hæc partes earum, inter se species differunt. Respublica enim est institutio gubernatorum. Hanc verò distribuunt omnes, vel secundum potentiam eorum, qui participes sunt, vel secundum aliquam æquitatem communem. Dico autem, veluti tenuiorum, & opulentiorum, vel communem aliquam amborum. Necesse est ergo, Respublicas tot esse, quot sunt institutiones circa earum supereminentias, & secundum differentiam partium. Maximè verò duæ videntur esse: quemadmodum de ventis dici solet, alios quidē esse Boreales, alios Australes, cæteros autem ventos horum esse excessus: sic etiā Respublicas duas esse, popularem scilicet, & paucorum potentiam.

testiam. Nam optimates speciem esse paucorum potentium posuere, & eam, quæ vocatur Respublica, dicebant esse popularem: quemadmodum de ventis Zephyrū quidem borealem. Etrurū autem Australem. Eodemq; modo in harmoniis, vt quidam eradunt: nam & in illis posuerūt duas species, vnam Doricam, alteram Phrygiam, cæteras verò omnes, vel ad Doricam, vel ad Phrygiam referri. Maxime quidem igitur consueuerunt de Rebuspublicis sic existimare. Sed certè verius, ac melius est, vt nos diuisimus, duarum, vel vnus rectè constitutæ; cæteras esse transgressiones, & aliquas esse probè temperatæ harmoniæ, alias verò ipsius optimæ Reipublicæ: ad paucorum verò potentiam inclinant, quæ duriōres sunt, ac magis violentæ: quæ verò remissæ, & molles, ad popularem statum.

De definitione popularis gubernationis. Quod plures sint modi, & species Rerumpublicarum, quàm quæ expertæ sint, & causæ cognoscuntur ex enumeratione partium ciuitatis, quas recenset, velut nobilium, ac plebis: species popularis gubernationis nascuntur quinque. Cap. IIII.



Equè verò popularis ita simpliciter ponenda, vt quidam ponunt, vbi multitudo dominatur: nam & in paucorum potentibus, & vbiq; maior pars præualer. Etenim si essent vniuersi mille trecenti, & horum mille forent opulenti, neque partem gubernationis darent trecētis illis pauperibus ingenuis, ac in cæteris paribus, nemo certè diceret, hanc esse popularem. Eodemque modo si pauci quidem inopes in ciuitate plus possent, quàm multi, & opulenti, nec honores illis impartirentur, nemo vtique diceret, hanc esse speciem, quæ appellatur paucorum potentium. Potius itaque dicendum fuerit, popularem quidem esse, cum penes ingenuos homines est gubernatio: paucorum autem potentium, cum penes opulentos. Sed cōtingit vt alteri multi sint, alteri pauci. Plerique enim ingenui sunt, rari verò diuites. Etenim si magistratus, honoresque publici secundum magnitudinem distribuerentur, vt in Aethiopia quidam tradunt fieri, vel secundum pulchritudinem, paucorum esset gubernatio, cum parua sit multitudo magnorum, & formosorum. Veruntamen non isto modo fat est, Respublicas istas determinasse: sed cum plures sint partes & multitudinis, & paucorū potentium, adhuc resumendum est, vt neque ingenui pauci existentes pluribus, neque multitudo ingenuis dominetur: vt in Appollonia, quæ est in Ionio, & Thera. In vtraque enim istarum vrbium honores, dignitatēque erant illorum, qui nobilitate præstabant, & qui primi in eas colonias venerant, qui erant pauci: non autem diuitum, licet multitudine diuitum superaret populus: vt in Colophone antiquitus: ibi enim possidebat magna patrimonia multitudo antè, quàm bellum gererent aduersus Indos. Sed est multitudinis quædam gubernatio, quando ingenui homines, & inopes multi existentes gubernant Rempubicam. Paucorum verò potentium, quando opulenti, & nobiliores pauci existentes gubernant.

Quòd igitur plures sint Rerumpublicarū species, & quibus de causis, patet. Quam ob rem verò plures sint, quàm illæ, quas dictum erat, & quenam istæ sint, & propter quid, deinceps dicemus, principio vnde prius assumpto. Fatemur enim, non vnā partem, sed plures, omnē habere ciuitatem. Vt igitur si animalis vellemus species capere, primò segregaremus id, quod necessarium sit animal omne habere, ceu quædam sensoriorum, & quod cibum conficiat, atq; receptet, puta os, & ventrem, & præterea illas, quibus mouentur, partes. Si itaque tot species solū, harum verò differentiarū forent: dico autem ceu oris genera plura, & ventris, & sensoriorum, & præterea earum, quibus mouetur, partium. Harum coniugationis numerus necessario efficiet plura genera animalium. Non enim fieri potest, vt idem animal habeat plures differentias oris, sic etiam neque aurium. Itaque quando susceptæ fuerint omnes combinationes istorum, faciunt species animalis: & tot quidem species, quot cōiugationes sunt partium necessariorum. Eodem modo de Rebuspublicis: ciuitates enim nō ex vna, sed ex multis partibus constant, vt sæpius dictum est. Vna quædā pars est circa alimenta multitudo, quos agricolos dicimus. Altera verò pars circa ministeria, ceu artifices, sine quibus ciuitas habitari nō potest. Harum verò artium alia sunt necessaria, alia ad delicias pertinet, & ad vitæ cultum. Tercia pars, est forensis multitudo, quæ circa emendū, vendendūque, & circa mercaturam, & numulariam versatur. Quarta pars, mercenarii. Quinta, propulsatores belli: quæ quidem pars non minùs necessaria est ciuitati, quàm aliqua superior, aduersus inuadentes, si velint tueri libertatem. Impossibile est enim, vt quæ ciuitas vocari mereatur, sit natura serua. Per se enim sufficiens ciuitas: seruus autem non per se sufficiens est. Quapropter in libris de Republica ornate quidem hoc, sed non sufficienter dictum est à Socrate. Inquit enim, ex quatuor maximè necessariis ciuitatem cōstare. Hos autem esse, texorem, agricolam, coriarium, ædificatorem. Rursus verò adiungit, quasi illi nō sufficiant, fabrum ferrarium, & pastorem, & insuper negociatorem, & tumularium, & hæc omnia complement primam ciuitatem. Quasi verò ciuitas omnis necessariorum gratia sit constituta, ac non magis gratia honesti: & quasi æquè indigeat coriariis, & agricolis. Propulsatores autem belli non primam facit partem antè, quàm aucta regione, ac vicinis coactis, ad bellum deueniatur. Atqui & in quatuor illis, & in quocunq; communicantibus, necessariū est, esse aliquem, qui ius dicat, ac decernat. Siquidem ergo animam quis ponat animalis esse partem magis, quàm corpus, & ciuitatum magis talia ponēdum est esse partes, quàm ea, quæ pertinet ad necessarium vsum, propulsatores belli videlicet, ac iustitiæ iudiciariæ exhibitores, ac præterea cōsultores, quod est ciuilibus prudentiæ opus. Et hoc sine separatim existat quibusdam, siue eisdem, nihil refert ad hunc sermonem. Nam & in armis esse, & agros colere, sæpe contingit eisdem. Quare si hæc, & illa ponenda sunt ciuitatis esse partes, manifestum est, quòd & propulsatores belli pars necessaria sunt ciuitatis. Septima pars est eorum, qui magna patrimonia habentes, Reipublicæ onera

onera sustinent, quos opulentos vocamus. Osta ua eorū, qui publicam operam exhibent, & qui in magistratibus gerendis occupati existunt. Ciuitas enim absq; magistratibus esse nō potest. Necessarium igitur est, esse quosdam, qui magistratus gerere valeāt, & hoc munus sustinere vel perpetuò, vel ad tempus. Reliqua verò sunt illa, de quibus supra determinauimus, in consulendo, & ius litiganti in ciuitate reddendo, versari. Si igitur hæc ciuitatibus adesse oportet, rectèq; fieri, & iuste, necessarium est, esse aliquos, qui virtutē habeant rerum ciuiliū. Cæteras ergo potentias eisdem adesse posse videntur pluribus, ceu eosdē esse propulsatores belli, & agricolas, & artifices, & præterea cōsultores, & iudicantes. Arrogant quoq; sibi virtutē cuncti, & multifariam se idoneos existimant ad gubernandum. Verum pauperes ac diuites eosdē esse, impossibile est. Quapropter hæc partes præcipuè videntur esse ciuitatis, inopes scilicet, & opulenti. Et præterea ex eo, quòd vt plurimum alii pauci sunt, alii multi, maxime omnium contrariæ inter se partes istæ apparent. Itaq; & Respublicas secundū earum præualentiam constituerunt: ac duæ videntur, scilicet popularis, & paucorum potentia. Sed quòd sint plures, & ob quas causas, dictum est prius. Quòd verò & popularis ipsius species sint plures, & paucorum potentium, ostēdemus. Patet autem hoc ex his, quæ dicta sunt: nam & in plebe, & in nobilitate plura sunt genera. Plebis quidē vna species, agricolæ: alia, artifices: alia, negotiatores, qui emendis, vendendisque; rebus intendunt: alia, circa rem maritimam: & horum, alii bellatores, alii mercatores, alii nauarum, & alii piscatores. Multis enim locis horum omnium turba ingens, vt piscatores Tarenti, & Byzantii: naualis multitudo, Athenis: mercatores, in Aegina, & Chio: portitores, in Tenedo. Insuper manuales, & paruas facultates habentes, qui otiosi esse non possunt. Præterea, qui non ex vtroque parente ciue sunt orti, liberi tamen homines: & si qua huiusmodi plebeiorum hominum species altera. Nobilitas verò, diuitiæ, genus, virtus, disciplina, & his similia, quæ dicuntur secundum eandem differentiā. Popularis igitur prima species dicitur maxime secundum æqualitatem. Vult enim lex huius popularis pares esse diuites, & pauperes, nec alteros plus posse, alteros minùs, sed vtroque esse æquales: siquidem maxime liber est in populi statu, vt putant quidam: & æqualitas certè esse maxime pariter omnibus Reipublicæ participatibus. Cum verò populus sit multitudo, & id obtineat, quod pluribus videatur, necesse est, vt hæc sit popularis gubernatio. Vna igitur species popularis est hæc. Alia verò species, vt magistratus, honorēq; in Republica secundum censum patrimoniorum, & eum quidem paruum, tribuantur: ita vt qui tanta possidet, habilis sit ad honores Reipublicæ suscipiendos: qui verò non possidet, sit inhabilis. Alia species popularis est, vt omnibus omnino ciuibus habitas sit, modò nō sint aliqua ex causa obnoxii: dominetur autem lex. Alia species popularis est, vt omnes omnino habiles sint ad magistratus gerendos, modò sint

ciues, & dominetur lex. Alia species eodem modo, nisi quòd non lex dominatur, sed multitudo. Hoc autem fit, quando populi decreta præualēt legibus. Accidit verò ob præpotentes quosdam, qui populū ducūt. Nam in iis Rebuspublicis, in quibus dominatur lex, præpotens aliquis nō fit, qui populum ducat, sed optimi ciuium Rempubicam gubernant. At vbi leges non dominantur, ibi ductores populi oriuntur. Solus enim populus regit, compositus vnus ex pluribus: multitudo enim auctoritatem dominandi habet, non vt singuli, sed vt omnes. Homerus autem cum dicit, non esse bonum vt plures regant: vtrum de hac dicit, vel de illa, cum plures gubernant vt singuli, incertum est. Talis ergo populus, vt pote absolutam potestatem habens, dominari solus quærit, nec vlli legi subesse, efficiturque dominator. Itaq; assentatores eius, in pretio habentur. Et est huiusmodi populus in gubernatione sua tyrāno perfimilis. Iidem nempe mores, & vtrouique meliores deprimuntur: & decreta huius populi perinde sunt, vt tyranni præcepta. Et ductores, suaseresque huius populi sunt velut adulatores illi, qui circa tyrānos versantur: & vtrisque apud vtroque; potentia par tam adulatoribus penes tyrannum, quàm ductoribus, suaseribusque; populi apud ipsum populum. Hi* authores sunt, vt decreta legis infringant, & ad voluntatem populi cuncta referantur. Contingit autem illis fieri potentes ex eo, quia populus dominatur omnium: ipsi autem voluntatem populi maxime ducunt, quoniam fides à populo eis adhibetur. Præterea, qui de magistratibus quæruntur, ad iudicium populi negotia referūt: populus autem gratatèr audit eorum prouocationes: quare per hunc modū magistratus irritantur omnes. Merito autem reprehendere videntur, qui dicunt huiusmodi popularem non esse legitimam Reipublicæ speciem. Vbi enim leges non præualēt, non est Respublica. Nam lex dominari omnibus debet, in particularibus autem magistratus, & Respublica prouidere. Itaque si est popularis potentia vna specierum Reipublicæ, clarum est, quòd talis gubernatio, in qua decretis cuncta efficiuntur, non est propriè popularis. Nullum enim populi decretum recipit esse vniuersale. De popularis igitur speciebus in hunc modum determinatum sit.

Quòd quatuor sint species paucorum gubernationis, & de permistis gubernationibus. Cap. V.



Paucorum verò gubernationis species vna est, in qua magnum habentes censum ad gubernationem Reipublicæ recipiuntur, atque ita magnum, vt tenues homines ad eum peruenire non possint: is verò, qui tanta possidet, habilis sit ad Rempubicam gerendam. Alia species est, cum à paruo censu est habitas, & eligūt ipsi eos, qui defunt. Si igitur ex omnibus hoc faciunt, videtur hoc esse potius optimatum. Sin verò ex paruo numero, paucorum potentia. Alia species est, cum filius patri succedit. Quarta species, cum hoc

fit, quod modò diximus, vt lex non dominetur, sed illi, qui regunt. Et hæc species in paucorum gubernatione, vt est tyrannis in monarchia, & vt est in populari statu, vltima illa species, de qua diximus, & vocant huiusmodi speciem, paucorū potentiam. Gubernationis igitur paucorum, hæc species sunt. Nec latere nos debet, quod multis locis accidit, Rempublicam, quæ secundum leges nō sit popularis, more tamen, & gestione populariter gubernari. Similiter autem econuerso apud alios contingit, Rempublicam secundum leges esse popularem, moribus tamen, & gestione ad paucorum gubernationem magis referri. Cōtingit autem hoc maximè post mutationem Rerumpublicarum: non enim statim mutantur, sed contenti sunt ab initio homines parua accessione potentia. Itaque leges quidem manent, vt prius erant, prævalent tamen, qui Rempublicam mutauerunt.

De speciebus popularis, & paucorum potentia, & causis earum.

Cap. VI.

Quod autem tot sint popularis, & paucorū gubernationis specis, ex his patet. Necessè est enim aut omnes partes populi, quas supra enumerauimus, Reipublicæ gubernationem habere, aut quasdam habere, quasdam non habere. Cùm igitur agricolæ, & mediocria possidentes, Rempublicam gubernant, secundum leges est gubernatio. Victum enim ex opera sua quærere habent, nec otiosi esse possunt: itaq; lege constituta, solummodo necessariis concionibus intendunt. Aliis autem recipi ad Rempublicam licet, cùm tanta possidebunt, quanta determinat lex. Omnino enim non licere omnibus, paucorum potentia est. Otiari autem eum, qui non reditus habeat, impossibile. Hæc igitur est vna species popularis gubernationis. Altera verò species est, ⁴⁰ *ob adhibitam electionem: nam omnibus licet Republica participare, qui prohibiti non sint per genus: vt possint tamen in otio esse. Quapropter in huiusmodi quidem populari administratione leges prævalent, & gubernant, quia reditus non est. Tertia species est, omnibus omnino licere Rempublicam gerere, qui liberi sint, non tamen licere ob supradictam causam. Quare necessarium, in hanc quoque legem dominari. Quarta verò species est illa, quæ posteris temporibus in ciuitatibus esse cœpit. Maioribus enim factis ciuitatibus, quàm ab initio fuerant, & reditibus, facultatibusq; abundantibus, participat omnes Reipublicæ propter multitudinis præualentiam. Versanturq; in Republica gubernanda, ex eo quia possunt otiosi esse, etiam inopes, mercedem capientes: maximèque huiusmodi multitudo otiosa est. Non enim cura rei familiaris propria eos impedit, quæ diuites ita occupat, vt sæpe à cōmunionibus absint, & à iudiciis. Ex quo fit vt multitudo pauperum dominetur in Republica, non autem leges. Species igitur popularis gubernationis tot, ac tales sunt, ob necessitates supra dictas. Paucorum au-

tem gubernationis prima species est, quãdo plures habent patrimonia, sed non admodum ampla. Faciunt enim potestatem participandi ei, qui tanta possidet: & propter multitudinem eorum, qui ad Rempublicam recipiuntur, necesse est, non hominem, sed legem dominari. Quotò enim magis distant à monarchia, neq; tam amplas habent facultates, vt eos negligendo otiosi valeant, neque ita exiguas, vt à ciuitate victum quærant, necesse est vt legē velint dominari, nō autem ipsos. Quod si pauciores sint, qui possident patrimonia, siquidem plura, quàm prius, secunda species fit gubernationis paucorū. Magis enim potentes, plus habere se dignos putant. Quapropter ipsi sumunt ex aliis, qui ad Rempublicam se conferunt. Præterea quia nondum ita robusti sunt, vt absq; lege gubernare possint, legem huiusmodi posuere. Quod si eò deueniat, vt ipsi pauciores numero maiores facultates habeant, tertia cumulatio fit gubernationis paucorum. Ipsi enim per se magistratus, & imperia retinent, secundum legem iubentem, vt parentum defunctorum loco filii succedant. Quod si magis etiam subnixi sint opibus, & amicitis, propè est talis potentia ad monarchiam, & dominatur homines, non autem lex. Et hæc est quarta species gubernationis paucorum, correspondens vltimæ speciei popularis.

Quod Plato Republicas in quinque species digesserit libro de Republica, & quod quatuor sint aristocratia, optimatumve potentia species. Cap. VII.

Sunt insuper duo alia genera Rerumpublicarum, præter eas, in quibus aut multitudo, aut pauci gubernant: quorum alteram aiunt omnes specie esse. vnā ex quatuor. Dicunt autem eas quatuor, monarchiam, paucorum gubernationem, popularem, & optimatam. Est & quinta, quam communi nomine omnium appellant Rempublicam: sed quia non sæpe fit, latet numerare volentes: & ita suscipiunt, quasi sint quatuor solum: vt plato in libris de Republica facit. Optimatè igitur se rectè habet appellare illam, de qua tractauimus in primis libris. Quæ enim ab optimis viris simpliciter per virtutè est gubernatio Reipublicæ, & non ad suppositionem quandam bonorum virorum, eam solum iustum est optimatam appellari. In sola enim ista simpliciter idem est vir bonus, & ciuis. In aliis autem boni sunt ad suam gubernandi speciem. Sunt tamen quædam, quæ differentiam habeant à paucorum gubernatione (& appellantur optimates) & ab ea, quæ vocatur Rempublica, vbi non solum respectu diuitiarum, sed etiam respectu virtutis ad gubernationem Reipublicæ sumuntur. Hæc Rempublica differt ab illis: & naturam optimatis sapere videtur. Nam in his ciuitatibus non faciunt publicè curam virtutis, sunt tamen quidam præstantiores, qui videtur esse boni viri. Vbi ergo Rempublica respicit ad diuitias, & ad virtutem, & ad populum, vt est apud Carthaginenses, ea naturā optimatū sapere videtur: & vbi ad duo illorum solum

solum, vt Lacedæmoniorum, ad virtutem, & ad populum, & est hæc mixtura popularis, ac virtutis. Optimatum igitur post illam primam optimam Rempublicam gubernandi formam, hæc species sunt. Et tertia quæcunq; illius, quæ appellatur Rempublica, inclinant ad paucorum gubernationem.

De ea, quæ nomine generis Reipublica peculiariter appellatur. Quid sit ea, quam censu potestatem dicunt. De bonis legibus quomodo sint. De finibus optimatis, popularis, & paucorum potentia. Cap. VIII.

Reliquum est, vt de ea, quæ appellatur Rempublica, dicamus, & de tyrannide. Ordinauimus autem ipsam nos, cùm prius non esset, neq; hæc transgressio, neq; illa, de quibus modò diximus, optimates: quia re vera omnes aberrant à rectissima gubernandi forma: postmodum cum istis numerantur, quæ sunt harum transgressiones, & labes: vt in superioribus circa principium diximus. Merito autem postremo loco tyrannidem reseruauimus, propterea quod ista minimè est Rempublica. Non ita verò materia est de Republica tractare. Quæ igitur de causa sic ordinauimus, dictum est. Nunc autem est à nobis de illa, quæ communi nomine appellatur Rempublica, ostendendum. Nam clariùs eius vis apparebit, post determinationem eorum, quæ ad paucorum gubernationem, & ad popularem spectabant. Est enim Rempublica (vt simpliciter dicamus) mixtura paucorum gubernationis, ac popularis. Consueuerunt autem eas, quæ inclinant ad popularem, vocare Rempublicas: eas verò, quæ ad paucorum gubernationem, vocare optimates: ex eo, quia opulentiorebus doctrina, atq; nobilitas magis adesse consueuerunt. Præterea, qui diuitias habent, ea videntur habere propter quæ ceteri iniurias faciunt: vnde & honestos, & bonos, & nobiles istos appellant. Cùm ergo optimatum gubernatio velit excellentiam tribuere optimis ciuibus, & paucorum gubernatione esse dicant ex bonis, & honestis magis, videtur impossibile, quæ ciuitas non ab improbis, sed ab optimis gubernetur, eam non bene gubernari. Eodemque modo quæ leges non habeat bonas, gubernari ab optimatibus. Habere autem leges bonas, non id est, si rectè sint positæ, nec eis pareatur. Itaque vna recta legum institutio putanda est, legibus parere: altera, vt eæ rectè sint leges positæ, quibus parere oportet. Fieri enim potest, vt pareant ciues malè positis legibus. Id autem dupliciter accidit. Aut enim optimis, quæcum datur ipsis: aut simpliciter optimis. Videtur autem optimatum esse, maximè honores tribuere secundum virtutem. Finis enim optimatum, virtus. Paucorum verò gubernationis, diuitiæ. Popularis autè, libertas. Quod autem pluribus videtur, commune est omnium. Nam in paucorum, & multitudinis gubernatione, & in optimorum, quod videtur maiori partem eorum, qui in Republica versantur, id obtinet. In plerisque igitur ciuitatibus, hæc species gu-

bernandi Respublica vocatur. Sola enim mixtura coniecturam facit opulentorum, & inopum, diuitiarum, & libertatis. Ferè enim apud plurimos illi, qui diuitiis pollent, bonorum, & honestorū locū obtinere videntur. Cùm verò tria sint, quæ circa æqualitatem Reipublicæ cōtendant, libertas, diuitiæ, virtus (nam quartum illud, quæ appellatur nobilitas, duobus consequens est: nobilitas enim est, antiquæ diuitiæ, & virtus) manifestum est, quod duorum mixtura diuitum, & pauperum est Respublica appellanda. Trium verò, optimatum gubernatio maximè aliarū, præter illam veram, & primam. Quod igitur sint alia Respublicæ, præter monarchiam, & popularem, & paucorum potentium, dictum est. Et quales istæ, & in quo differant inter se, & optimatū gubernatio, & aliæ species, quæ ad optimates declinant, & quo modo nō longè distant inter se, manifestum est.

Quo pacto ea, quæ Respublica appellatur, constituitur ex paucorum potentia, & populari, quantum specie differat, & de modis mixtionis. Cap. IX.

Quomodo autem fiat præter popularem, & paucorum potentiam illa, quæ appellatur Rempublica, & quo in ordine reponenda sit, deinceps dicemus. Et simul apparebit, quibus definiant popularem, & paucorum gubernationem. Sumenda est enim horum distinctio. Postea ex his, ab vtraque tanquam regulam fumentes, componere oportet. Sunt autem definitiones tres compositionis, ac mixturæ. Aut enim ambo sumenda, quorū vtræque, leges ponunt, ceu circa iudicia. In paucorū enim potentia, diuitibus pœnam constituunt, nisi iudicando adsint, pauperibus verò mercedem nullam. In popularibus autè, pauperibus mercedem, diuitibus autem pœnam nullam. Commune, ac medium istorum ambo hæc, itaque & civile: mixtum est enim ex ambobus. Vnus igitur modus hic est combinationis. Alius autem, medium capere eorum, quæ ab vtrisque iubentur, ceu concionari: hic quidem à nullo censu, vel exiguo penitus, illi verò à magno censu: commune certè neutrum, sed mediam vtriusque census. Tertius verò ex duobus iussis. Hoc quidem ex populari lege: imò autem ex paucorum gubernatione. Dico autem, tale aliquid, vt videtur, popularis quidem, magistratus sortiri: paucorū autem gubernationis, eligere: & popularis, non ex cœsu tribuere, paucorū autem ex censu. Optimatum igitur, ac civile, ab vtraq; vtrunq; accipere: ex paucorum quidem gubernatione, electiuos facere magistratus: ex populari autem, sumere non per censum. Modus igitur admiscendi talis. Bene autem admiscuisse popularem, & paucorum gubernationem, finis est, quando eadem Respublica dici potest popularis, & paucorum gubernatio. Patet enim hoc accidere dicentibus, eas bene esse commistas. Accidit hoc etiā medio. Conspicitur namq; in eo vtrunque extremorum: quod contingit Lacedæmoniorū Reipublicæ. Sunt enim permulti, qui aggrediuntur

dicere, eam esse popularem, propterea quod populariter complura in illa sunt constituta; ceu præmium circa educationem puerorum. Pari modo diuitum filii educantur, & pauperum: & erudiuntur per eum modum, per quem valeant pauperum filii erudiri. Similiterque in sequenti ætate, cum viri facti sunt: in nullo enim magis conspicuus dines, quam pauper. Cibi quoque, iidem verisq; in comestationibus. Vestim etiam tali diuites vtuntur; qualem & pauperum. quibus habere potest. Præterea, duorum maximorum magistratum, alterum eligit populus, alterum gerit. Senatores enim per populum eliguntur, Ephoriam autem ex popularibus constituuntur. Alii vero dicunt, esse illam paucorum gubernationem, quoniam multa habeat, quæ paucorum potentiam afferunt: ceu omnes dignitates per electionem conferri, per sortem vero nullâ: & insuper apud paucos potestatem esse necandi, & in exiliū pellendi, ac cætera huiusmodi permulta. Oportet enim in Republica bene temperata vtrunq; videri inesse, & neutrum. Et cõseruari per se ipsam, non aliunde: & per se ipsam, non per alios multos extraneos, qui velint. Nam & præuæ Reipublicæ hoc potest contingere: sed nec velle quidem gubernationem alteram quoquo modo partium ciuitatis omnino. Quemadmodum igitur oportet Reipublicam constituere, & similiter illas, quæ appellantur optimates, dictam est.

De tyrannide; & modis tyrannidis

Cap. X.

Restat nunc vt de tyrannide dicamus: Non quod multis verbis indigeat, sed vt habeat in hoc tractatu locum suum: quandoquidem hanc quoque posuimus partem esse aliquam publicæ gubernationis. De regno igitur determinauimus in superioribus libris, vbi tractatum est à nobis, nūquid regis gubernatio utilis foret ciuitatibus, an inutilis: & quando, & vnde constituere oportet, & quomodo. Tyrannidis vero species duas ibidem distinximus: propterea quod earum potentia quodam modo alteratur ad regiam gubernationem, ex eo quia ambæ potestates istæ sunt secundum leges. Nam & apud Barbarorum quosdam eliguntur aliqui ad gubernandum soli, eum abso-
luta, omnimodaque potestate. Et apud Græcos olim eodem modo quidem eligebantur, qui soli gubernarent, quos vocabant Aesymnetas: habebant vero hæc inter se differentias quasdam. Erant enim regis ex eo, quia secundum leges, & eorum voluntibus imperabatur: Tyrannica autem ex eo, quia pro arbitrio dominationem exercebant. Tertia species tyrannidis, quæ maximè proprie videtur id nomen habere, opposita est regis potestati absoluta. Nam necesse est, tyrannidem illam monarchiam esse, quæ nullis subiaceat legibus, & dominetur per vim æqualibus, & melioribus, ac respiciat ad propriam vtilitatem, non ad vtilitatem subditorum. Quapropter inuoluntaria est, cum nemo liber sponte sua ferat, huiusmodi feruitatem. Species igitur tyrannidis, & tales sunt.

De optima Republica, partibus ciuitatis, mediocritate, excessu, atque defectu.

Cap. XI.

Væ verò sit optima Respublica, & quæ vita optima pluribus ciuitatibus, & hominibus, neque per virtutem iudicant, quæ supra vulgus emergat, neque per doctrinam, quæ ingenio indiget, & adiuuentis externis, neque per gubernationem, quæ ad votum fiat: sed vitam eam probant, quam plurimi consequi possint: & gubernationem eam, quam plurimæ ciuitates valeant recipere. Nam quas vocant optimates, de quibus modò diximus, partim exterius cadunt plurimis ciuitatibus, partim appropinquant illi, quæ Respublica vocatur. Quam ob rem de ambabus, tanquam vna sit, dicendum est. Iudicium autem de omnibus istis ex eisdem principiis est. Si enim rectè dictum fuit in Ethicis, vitam beatam esse secundum virtutem non impeditam, virtutem autè ipsam esse mediocritatem: necesse est, mediâ esse vitam optimam eius, quam singuli adipisci valeant, mediocritatis. Et has omnes definitiones necesse est esse circa ciuitatis virtutem, & Reipublicam. Est enim Respublica, vita quædam ciuitatis. In cunctis autem ciuitatibus, partes sunt tres. Nam alii diuitiis excellunt, alii paupertate nimia deprimuntur, alii sunt inter hos medii. Cum igitur cõfessi simus, mediocritatem, & medium esse optimum, palam quod bonorum fortunæ mediocris possessio, est optima omnium existimanda. Hæc enim facilis est ad obedientiam mandatorum. At enim si modum excedant in alterutram partem (ceum si forma, si viribus, si nobilitate generis, si diuitiis, vel iis contrariis, ceum si paupertate nimia, si imbecillitate egregia, si ignominia multa) difficile est vt rationi obediant. Fiunt enim istorum alii superbi, & delinquentes apertè in rebus magnis, alii occultè prauis, & in rebus exiguis fraudatores. Iniuriæ vero inferuntur quandoque per contumeliam, quandoque per dolum. Insuper hi minimè circa gubernationem Reipublicæ afficiuntur, minimèque consulunt. Hæc autem vtraque damnosa sunt ciuitatibus. Præterea, qui bonis Fortunæ superabundat, ceum opibus, diuitiis, amicis, & aliis huiusmodi, nec imperium cuiusquæ pati volunt, neque sciunt: & hoc statim eorum natis existit. Propter delicias enim, ne in scholis quidem præceptoribus obedire consueverunt. Qui autem eorum sunt in indigentiâ nimia constituti, deiecto nimium animo, vilisque existunt. Ex quo fit, vt magistratum gerere nesciant, sed ad parendum seruiliter sint apti. Illi vero sibi imperari nullo modo patiuntur, sed ipsi aliis, tanquam domini, volunt imperare. Efficitur ergo seruorum, & dominorum ciuitas, non autem liberorum: & aliorum inuidientium, aliorum spernentium, quod plurimum abest ab amicitia, & ciuili societate. Nâ societas amicabile quiddam est, cum inimicis enim ne via quidem cõmunicare, volunt homines. Vult quidem ciuitas ex paribus, ac similibus esse, quantum maximè id fieri

id fieri potest. Hoc autè maximè existit mediis. Itaque necessariò fit, vt huiusmodi ciuitas optimè gubernetur, ex quibus diximus naturâ constare ciuitatem. Conseruantur quoque in ciuitatibus isti maximè cæterorum ciuium. Neque enim aliena concupiscunt, vt faciunt pauperes: neque eorum bona cupiuntur ab aliis, vt accidit diuitibus: & quia neque insidiantur aliis, neque alii ipsis, sine periculo degunt. Quapropter bene optauit Phocylides multa mediocribus optima, mediocris esse volens in ciuitate. Patet igitur, quod ciuili societas optima est, quæ per mediocres fit: easque ciuitates recipere, vt optimè gubernentur, in quibus mediocres plurimi sunt, ac plus possunt maximè quidem ambabus, vel saltem altera parte. Hæc enim addita, præualere facit, & prohibet contrarios excessus fieri. Quapropter valde optandum est, vt ii, qui in Republica versantur, facultates habeant mediocres, ac sufficientes. Nam vbi alii nimis multa possident, alii nihil, vel plebs infima insurgit, vel paucorum potentia illa extrema, vel tyrannus propter vtrunq; excessum. Ex populari enim statu nimium superbo, & ex paucorum potentia ad tyrannidem deuenitur. Ex mediocribus autem, ac propè paribus, multò minus. Cuius rei causam postea, vbi de mutationibus tractabitur, dicemus. Quod autem mediâ sit optima, manifestum est. Sola enim seditionibus caret. Vbi enim permultum est mediocre, minimum seditiones, & discordiæ ciuium innascuntur, magnæque ciuitates ob hanc ipsam causam minus seditionibus subiacent, quia magna in his est mediocrium hominum multitudo. Paruas autem ciuitates facile est in duas partes diuidi omnes, ita vt nihil medium relinquatur, & ferè cuncti vel inopes sint, vel opulenti. Populares quoque gubernationes tutiores sunt, & diuturniores, quam paucorum potentium, propter medios. Plures enim sunt, & magis honoris participat in populari gubernatione, quam paucorum. Nam quando sine his multitudo inops plus potest, malè res se habent, ac citò pereunt. Signum verò huius putandum est, quod qui optimè leges condiderunt, ex mediocribus ciuibus fuere. Nam & Solon huiusmodi fuit, vt apparet ex eius carminibus. Et Lycurgus (non enim erat rex) & Charondas, & plurimi aliorum. Patet autem ex his, & propter quid plurimæ Respublicæ aut populares sunt, aut paucorum gubernationes. Quod enim in his frequenter pauci sunt medii, semper qui prævalent (sive hi sint, qui facultates habent, sive populares, qui mediū transcendunt) per se ipsos gubernationem agunt. Itaque aut multitudo populi insurgit, aut paucorum potentia. Præterea, ex eo quia seditiones fiunt, & pugna inter multitudinem, & opulentos, quibuscunq; vincere cõtingit, hi neque communem amplius habent Reipublicam, neque æqualem: sed quasi victoriæ præmium reportat, Reipublicam obtinere: & alteri popularem statum, alteri paucorum potentiam faciunt. Præterea, qui principatum Græciæ habuerunt, hi ad propriam respicientes Reipublicam, aut popularem statum in ciuitatibus constituerunt, aut paucorum gubernatio-

nem, non ad ciuitatum illarum commoda respicientes, sed ad sua: atque ita per istas causas effectum est, vt vel nunquam mediocribus illa gubernatio extiterit, vel ad modum raro, & apud paucos. Vnus enim vir cõsensit solus ex iis, qui antiquitus in principatu fuere, hunc gubernandi modum constituere. Iamque in ciuitatibus consuetudo obtinuit, non velle æquale, sed aut imperare quærere, aut victos obedire. Quæ igitur optima sit Respublica, & quâ ob causam, ex his patet. De aliis autem, cum plures populares, & plures paucorum gubernationes esse dixerimus, quæ prima ponenda sit, & quæ secunda, & quæ deinceps potior sit, aut deterior, determinata optima, non erit difficile intueri. Necesse est enim, esse meliorem, quæ proximè huic accedit: deteriorerem verò, quæ plurimum distat à medio: nisi ad suppositionem quis iudicet. Dico autem, ad suppositionem, quia multoties alia Reipublicæ forma eligibiliore existente, nihil vetat, aliam quibusdam magis vtilem esse.

Quæ multitudo apta sit ad popularem, aut paucorum gubernationem: quod accusandi sint, qui optimatem Reipublicam instituentes, auctoritatem omnem ducibus tribuunt.

Cap. XII.

Væ autem Respublica, quibus, & qualis qualibus conferat, consequens est tractare. Sed capiendum prius est vniuersaliter de cunctis. Oportet enim, partem illam ciuitatis, quæ Reipublicam stare vult, potentiorerem esse, quam illa pars, quæ non vult Reipublicam manere. Est autem ciuitas ex quali, & quanto. Dico autem quale, ceum libertatem, diuitias, disciplinam, nobilitatem. Quantum verò, ceum multitudinem populi prævalentem. Fieri autem potest, vt quale existat vni ciuitatis parti, alteri verò quantum, ceum maiorem esse numerum ignobilium, quam nobilium, & pauperum quam diuitum: neque tamen tantum superare quantitate, quantum superari qualitate: propter hoc ad inuicem conferenda sunt. Vbi ergo superat pauperum multitudo eam, quam diximus proportionem, hæc popularis gubernatio exoritur, ac species singulæ popularis status, secundum multitudinis exuperantiam: ceum si agricolarum multitudo plus possit, prima species. Si multitudo tenuiorem, ac mercenariorum, vltima species, & sic de aliis, quæ sunt harum mediæ. Vbi autem ea pars, in qua sunt opulenti, & nobiles magis superat qualitate, quam deficiat quantitate, hæc paucorum potentia, gubernatioque exoritur. Ac eodem modo singulæ species huius secundum exuperantiam istiusmodi hominum. Debet autem qui legem ponit in Republica, semper ad medios respicere. Siue enim ad paucorum gubernationem dirigantur leges, de mediis est coniectandum: siue ad popularem statum, hos respicere debent. Vbi enim mediocrium superat multitudo, vel vtrunq; extremum, vel alterum tantum, hæc Respublica recipit stabilitatem. Non enim est metus, ne quandoque diuites cum pauperibus conspi-

rent contra mediocres. Nunquam enim alteri seruire alteris vellent. Quod si communio-

Quæ leges dolo sint excogitatae ad paucorum gubernationem, ac populo prætexuntur in speciem. Item in populari gubernatione viceversa. Cur antiqua ciuitatum gubernatio cum regia fuerit primo, in paucarum deinde potentiam, postremo in popularem statum sit mutata. Cap. XIII.

Vnt autem illa, circa quæ simulant, ac fallaciter prætexunt ad populum, quinque numero: Concio, magistratus, iudicia, armatura, exercitatio. Circa concionem quidem, licere omnibus adesse, sed poena apposita diuitibus, si non adsint, vel maior, quam multitudini. Circa magistratus autem non licere his, qui censum habent magnum, renuntiare magistratui, pauperibus autem licere. Circa iudicia verò, poenam esse diuitibus, nisi iudicent, pauperibus autem impunitatem: aut illis magnam, his paruam poenam: est in Charondæ legibus. Quibusdam verò locis, omnibus licet descriptis, in concionibus, iudiciisque adesse. Quod si descripti sint, & non exerceant, in poenas incidunt permagnas, ut metu poenæ vitent descriptionem, neque iudicia, neque conciones exerceant. Eodem modo circa arma, & circa gymnasia legibus statuunt. Pauperibus enim licet non habere arma: diuitibus autem poena constituta est, nisi habeant. Et si gymnasio se non exercent pauperes, nulla poena est: diuitibus autem est poena, ut alii metu poenæ se exercere compellantur, alii, qui nullam formident poenam, non faciant. Hæc igitur in paucorum potentia legis positione sunt machinamenta. In populari autem statu, contra hæc alia excogitant. Pauperibus enim salaria statuunt concionantibus, atque iudicantibus: diuitibus autem nullam poenam imponunt. Itaque manifestum est, si quis velit iuste hæc reprobare, quod oportet utrinque assumere. Et illis quidem salaria constituere, his autem poenam. Sic enim omnes communicaret. Nam illo quidem modo, Respublica fit alterorum solùm. Oportet quidem, Respublicam esse ex iis solùm, qui arma possident. Censuræ autem magnitudo definitur simpliciter non potest: sed considerata qualitate, attinet maximum, ut qui participant Republica, sint plures, quam ii, qui non participant, huc instituire. Volunt enim pauperes, & hono-

rum expertes, quietem agere, sine neque contumelia eos quis afficiat, neque bona illis auferat. Sed hoc non facile. Non enim semper contingit, ut qui Respublicam gubernant, sint mites, & humani, & consueuerunt, quoties bellum est, graviter ferre, nisi suscipiant alimenta, nam sunt egeni: & si quis alimenta, porrigat, cupiunt bellum. Apud quosdam gubernatio Respublicæ existit, non in iis, qui ad armaturam sunt habiles, sed in iis exercebant arma. In Malienibus quidem gubernatio Respublicæ erat in istis: & magistratum creabant ex iis, qui militabant. Primaque Respublica apud Græcos constituta est ex his, qui bellum gerebant postea, quam deserunt regna. Ab initio quidem ex equitibus: nam robur belli tunc in equitibus habebatur. Peditatus enim, nisi ordo, ac disciplina adsit, inutilis est. Huiusmodi autem disciplina, & ordo, antiquis illis temporibus nondum erat. Ex quo fiebat, ut in equitatu robur belli haberetur. Sed auctis ciuitatibus, quæ in armis potentiam habebant, plures ad communionem Respublicæ recepti sunt. Ex quo factum est, ut quas nunc Respublicas vocamus, tunc popularis status diceretur. Fuerat enim antiqua ciuitatum gubernatio rationabiliter paucorum, & regia: propter paucitatem enim hominum, non erat magnus numerus mediocrium. Itaque pauci cum essent multitudine, & institutione, magis ferebant ab aliis gubernari. Quam igitur ob causam plures sunt Respublicarum formæ, & quam ob rem præter eas, quæ dicuntur, alia sunt (neque enim popularis gubernationis vna est species, nec aliarum similiter) ac præterea quæ differentia sint inter eas, & quare accidat, & insuper quæ sit optima Respublica, & ut plurimum dici possit, & aliarum qualis qualibus congruat, dictum est.

De partibus Respublicæ, consiliis, magistratibus, iudiciis, de consultantis potestate, & membris eius. Cap. XIII.

Vrsus autem & communiter, & separatim de vnaquaque dicemus earum partium, quæ post hoc sequuntur, conuenienti sumpto principio. Sunt ergo tres partes omnium Respublicarum in singulis, quarum studiosus legis positor considerare debet utilitatem, quibus bene se habentibus, necesse est, Respublicam bene se habere: & gubernandi formas inter se differre, in eo quod singularium differunt. Harum trium partium vna est, quæ versatur in publicis consiliis. Altera in magistratibus, hoc est, quos esse oportet, & quæ potestatem habere, & quemadmodum debeant creari. Tertia pars in iudiciis consistit. Ea pars, quæ consuluit, authoritatem habet de bello & pace, de societate belli ineunda, vel dissoluenda, de legibus ferendis, vel abrogandis, de morte, de exilio, de publicatione honorum, & rationibus repositendis. Necesse est enim, vel omnibus civibus hæc omnia decernenda tribuere, vel quibusdam, ceu vni quidam magistratui, aut vniuersalibus, vel aliis alia, vel quædam illorum omnibus, quædam quibusdam. Omnes igitur, & de omnibus,

bus, populare est. Talem enim æqualitatem affectat populus. Sunt autem plures modi huius, quod est, omnia omnibus. Vnus, si singulariter, & non simul omnes, ut est in Republica Teleclei Milesii, & in aliis Rebus publicis, deliberant magistratus simul collecti: ad magistratum verò vadunt omnes singulariter ex tribubus, & partibus etiam minutis, donec transierit per omnes. Congregatur autem populus, solummodo pro legibus ferendis, & pro his, quæ pertinent ad Respublicæ statum, & pro iis audiendis, quæ à magistratibus nuntiantur. Alius modus est, omnes simul conuenire, aut solummodo ad magistratus creandos, & ad ferendas leges, & pro bello, vel pace, & ad rationes reposcendas: in cæteris verò eos, qui magistratum gerunt, decernere ad singula deputatos, vel per electionem, vel per sortem. Alius modus est, ut ad magistratus creandos, & ad rationes reposcendas conueniant omnes ciues, & ad deliberationem belli suscipiendi, vel societatis ineunda: cætera verò magistratus exquantur per electionem creati, quod fieri potest. Talia verò sunt, quot exercere necessarium est eos, qui sciunt. Quartus modus est, ut omnes de omnibus conuenientes deliberent, magistratus verò de nullo statuatur, sed tamen primo loco sententiam dicant: quemadmodum fit in extrema illa gubernatione populari, quam in paucorum gubernatione speciei illi violentæ, & in gubernatione vnius tyrannidi correspondere diximus. Hi ergo modi populares omnes. Quosdam verò de omnibus paucorum potentia, habet autem & hoc differentias plures. Quando enim à mediocri censu fiat assumptio, & multi assumentur propter eam cæsus mediocritatem: & quæ lex verat, non moueant, sed sequantur: & liceat acquirenti censum, habere: paucorum est huiusmodi gubernatio, sed tamè ciuilibus, propter eius mediocritatem. Quando verò non omnes participes sunt, sed qui eliguntur, & secundum leges gubernant, ut & prius, paucorum potentia est. Quando autem ipsi se eligunt, qui deliberandi authoritatem habent, & quando filius patri succedit, ac domini sunt legum, necesse est, huiusmodi gubernationem esse paucorum potentiam. Sed quædo aliquorum aliqui, ceu cum de bello, & pace, & repetendis rationibus vniuersi cognoscunt, de aliis autem magistratus electi, vel sorte assumpti, optimatum id est, vel eius, quæ appellatur Respublica. Quod si de quibusdam electi, de quibusdam verò sortiti, & sortiti vel simpliciter, vel ex prælatis, vel communiter electi, ac sortiti: partim optimatum est, partim Respublicæ ipsius. Distinguitur ergo ea pars, quæ in consulendo, deliberando consistit in hunc modum pro natura Respublicarum: & administratur vnaquæque Respublica secundum huiusmodi terminationem. Cofert autem & gubernationi illi, quæ nunc maximè videtur esse popularis (dico autem ei, in qua populus dominus est, etiam legum in deliberando, ac melius disponendo) hoc idem facere in communibus, quod fit circa iudicia in paucorum potentia. Imponunt enim poenam illis, quos iudicare volunt, ut iudicent. Populares

verò mercedem statuunt pauperibus. Confert & hoc idem circa conciones agere. Melius enim deliberabunt, si omnes consilio intersint, populus quidem cum nobilioribus, isti autem cum populo. Confert etiam per electionem assumi eos, qui deliberaturi sunt, vel per sortem æqualiter ex partibus ciuitatis. Cofert etiam si plurimum excellat multitudo plebis eos, qui sunt in gubernanda Republica peritiores, vel non omnibus mercedem tribuere, sed quantum respondet numero nobilitatis, vel fortiori plures. In paucorum verò gubernationibus, aut eligere quosdam ex multitudine, aut tale aliquid constituere, quale est in quibusdam ciuitatibus, quos appellant præconsultores, ac legum custodes, ac de his solummodo rebus ad consilium ferre, de quibus isti antè deliberauerint. Per hunc enim modum populus interueniet in deliberando, nec tollere quicquam de Republica valebit. Insuper, aut illa decernere poterit populus, aut nihil contrarium illis, quæ proponuntur: vel considerandi quidem omnes participes facere, deliberandi verò magistratibus potestatem relinquere. Et oppositum eius facere, quod fit in populari statu. Populi enim decretum in condemnando ratum non fit, sed ad magistratus rursus referatur. Quod contra fit in popularibus: magistratus enim absoluendi, domini sunt omnino: condemnandi verò non, sed ad populum habetur recursus. De consultantibus igitur, & deliberando, eiusque potestate, in hunc modum determinatum fit.

De magistratibus, qui proprii sint, qui necessarii. De magistratuum constitutione, à quibus, ex quibus, & quo pacto sit faciendæ.

Cap. XV.

Consequens his est, circa magistratus distinguere. Habet enim & hæc pars differentias multas. Quotque magistratus esse, & quarum rerum authoritatem habere oporteat, & pro quo tempore singulos (nam alii semestres, alii breuiores, alii annuos, alii diuturniores statuunt magistratus) & utrum oportet esse perpetuos, an ad longum tempus, aut neutrum: an multoties eosdem, aut non eundem bis, sed tantum semel: & præterea circa constituendos magistratus, ex quibus oportet creati, & à quibus, & quomodo. De his enim omnibus oportet posse distinguere quot modis fieri posset, & qui quibus conferant gubernationibus Respublicæ. Est autem ne hoc quidem facile determinare, quales magistratus sunt nuncupandi. Indiget enim ciuilibus societas multis præfidentibus. Quapropter non omnes, qui vel eliguntur, vel assumuntur sorte, sunt magistratus existimandi: utpote sacerdotes. Hoc enim aliud quiddam ponendum est à ciuilibus magistratibus. Præterea qui pompas ducunt, & præcones, & legati, qui eliguntur. Huiusmodi enim curam ciuiles aut omnium ciuium sunt ad vnam actionem, puta dux eorum, qui militant: aut secundum partem, ut mulierum, puerorumque; curatores. Aliæ dispensatiæ, sæpe enim eliguntur quidam ad di-

tribuendam annonā. Aliæ ministratiuz, ad quas si opulenti eligantur, substituunt seruos. Maxime vero vt simpliciter illi sunt magistratus appellandi, quibus datum est deliberare de quibusdam, & statuere: & maxime hoc extremum. Nam iubere, imperiosius est. Verum ista quantum ad vsum nihil differunt, vt ita dixerim, nondum enim determinata est huiusmodi de nomine controuersia. Habet autem quandam aliam intellectuam considerationem, quales magistratus, & quot necessarii sunt ciuitati: & quales necessarii quidem, inuiles vero ad bonam Reipublicæ gubernationem, magis vti que quispiam dubitabit, & ad omnem Rempublicam, & præsertim ad paruas ciuitates. Nam in magnis quidem licet, & debent singuli magistratus ad singula opera deputari. Sufficit enim multitudo ciuium ad magistratus gerendos: & alios cum intermissione magna temporis, alios semel duntaxat gerunt: meliusque singula curantur, quam si in multis cura nostra distrahatur. Sed in parujs ciuitatibus necesse est in paucos, magistratus plures conferre. Nam cum sit paucitas hominum, non facile est, multos in magistratibus esse, qui enim postea forent successores horum? Indigent quandoque magistratibus eisdem, & legibus, paruæ, magnæque ciuitates, nisi quod hæc quidem sæpe indigent eisdem, illis vero multo tempore intermisso id accidit. Quapropter nihil prohibet, multas simul curas illis demandare: non enim se impediunt. Et propter hominum paucitatem necessarii sunt magistratus quidam, quasi luminaria obeliscis imposita. Si ergo dicere possumus, quot necessarii sunt omni ciuitati, & quot non necessarii quidem, sed opportuni, facile quis sciens ista, coniungat, quales coniungere congruat in vnum magistratum. Debet etiam hoc non latuisse, quales conueniant secundum locum magistratus plurium curam habere, & qualium ybique in vnum magistratum potestatem habere, ceu honestatis: vtrum in foro præfectum annonæ, & alium alibi, aut vbiq; eundem: & vtrum secundum negotia partiendum est, an secundum personas. Dico autem, ceu vtrum curam honestatis, alium puerorum, & alium mulierum. Et in Rebus publicis, vtrum differunt secundum vnamquæque, & magistratum genus, vel nihil: ceu in populari statu, & paucorum gubernatione, & optimatum, & monarchia, vtrum idem sunt magistratus potestatem habentes, sed non ex æqualibus, aut similibus, sed alii in alijs: veluti in optimatibus quidem ex hominibus doctis: in paucorum autem potentia, ex opulentis: in populari statu, ex ingenuis. Vel existat quidam secundum istas differentias magistratum: & alicubi conferat eosdem esse, alicubi diuersos. Alicubi enim congruit magnos esse, alicubi paruos eosdem magistratus. Veruntamen sunt aliqui proprii, ceu eorum, qui ante deliberant: hæc enim potestas non est popularis: consilium vero populare. Oportet enim esse aliquid tale, cui cura sit, populum consilio præuenire, ne otiosus sit. Hi autem, si pauci sunt numero, paucorum potentia est. Est autem necesse, vt illi sint pauci, qui ante deliberant: itaque paucorum potentia est.

Sed vbi sunt ambo hi magistratus, illi, qui ante deliberant, consiliarijs constituunt. Consiliarius enim popularis: qui vero ante venit in consulendo, & deliberando, paucorum potentia. Dissoluitur etiam potestas consilij in huiusmodi gubernationibus, in quibus populus ipse conueniens de omnibus constituit. Hoc autem accidere consuevit, cum est utilitas quædam, aut merces constituta his, qui in contentione conueniunt. Otiosi enim conueniunt per sepe, & de cunctis ipsi statuunt. Qui autem puerorum curam habent, & qui mulierum, & si quis alter est, qui potestatem habet, & curam huiusmodi, optimatum id est, & non populare (fieri enim non potest, vt prohibere pauperum mulieres, alterius sit, quam paucorum potentia) cum mulieres ipsorum in delicijs viuant. Sed de his quidem eatenus dixisse, nunc satis sit. De constituendis autem magistratibus conandum est iam transigere. Constituit autem differentia in tribus definitionibus, quibus compositis, necesse est, omnes modos esse comprehensos. Vnum ex tribus est, qui sint illi, qui magistratus constituunt. Alterum, ex quibus constituitur. Tertium, per quem modum. Cuiusque vero istorum differentia sunt tres. Aut enim ciues omnes constituunt, aut quidam: & vel ex omnibus, vel ex quibusdam determinatis: ceu per censum, vel per genus, vel per virtutem, vel per aliud quiddam tale, quale apud Megarenses, ex his, qui vnâ cum populo ad bella gerenda conueniunt redierunt. Et hoc aut per electionem, aut per sortem. Rursus autem hæc simul conduplicata: dico autem hæc, ceu quosdam aliqui, quosdam omnes: & quidam ex omnibus, & quidam ex quibusdam: & quidam electione, quidam sorte. Vniuscuiusque istorum differentia modi erunt quatuor. Aut enim omnes ex omnibus per electionem, aut omnes ex omnibus per sortem. Et vel ex cunctis, vel quasi diuisim per tribus, & conuictus, & societates, quousque transeat per vniuersos ciues: aut semper ex omnibus, & partim sic, partim illo modo. Rursus vero si pauci sunt illi, qui constituunt magistratus, aut ex omnibus per electionem, aut ex omnibus per sortem, aut ex quibusdam per electionem, aut ex quibusdam per sortem, vel partim isto modo, partim illo. Dico autem quædam ex omnibus per electionem, quædam per sortem: atque ita duodecim modi efficiuntur seorsum, duobus conduplicatis. Horum autem duæ constitutiones sunt populares, hoc est, omnes ex omnibus electione, vel sorte, vel partim sorte, partim electione. At enim non omnes simul, sed ex omnibus constituere, vel ex quibusdam vel sorte, vel electione, vel vtroque modo: aut partim ex omnibus, partim ex quibusdam vtroque modo. Dico autem vtroque modo, partim sorte, partim electione illius speciei est, quæ appellatur Respublica. Quosdam vero ex omnibus constituere partim electione, partim sorte: aut vtroque modo, hos quidem sorte, illos autem electione, paucorum potentia est, multoque magis, si vtroque modo: sed quosdam ex omnibus, quosdam ex quibusdam, ciuile optimatum: vel quosdam electione, quosdam sorte: quosdam vero

ex quibusdam, paucorum potentia, etiam si per sortem fiat, vel non fiat, & quosdam ex quibusdam vtroque modo, quosdam autem ex omnibus, & ex quibusdam omnes per electionem optimatum. Modi igitur circa magistratus tot sunt, & distinguuntur ita secundum Rerum publicarum formas. Qui autem quibus conducant, & quomodo constitutiones eorum faciendæ sunt vnâ cum potestatibus magistratum, & qui sint hi, manifestum erit. Dico autem potestatem magistratus, ceu circa redditus autoritatem habere, & circa custodiam. Alia enim potestatis species, quemadmodum circa bellum, & circa contractus forenses.

De iudicijs, & eorum speciebus, & de modis iudiciorum. Cap. XVI.

Reliquum ex tribus est, de iudicijs dicere. Capiendi vero sunt istorum modi per eandem viam. Est enim differentia iudiciorum in tribus terminis, ex quibus, & de quibus, & quomodo. Dico autem ex quibus, vtrum ex omnibus, vel ex quibusdam. De quibus, quot species iudiciorum. Quomodo, vtrum per sortem, vel per electionem. Primo igitur distinguamus, quot sint iudiciorum species. Sunt autem octo. Vnum, rationes repositæ. Alterum, si publice quis cui iniuriatus sit. Aliud, quot ad statum ciuitatis pertinent. Quartum, ex magistratibus, & priuatis hominibus quæcunque circa pœnas versantur. Quintum, de priuatis contractibus habentibus magnitudinem. At præterea de homicidijs, & peregrinis. Homicidij rursus species, siue in ipsis iudicijs, siue in alijs ex prouidentia fecerit, vel inuitus, & quocunque consitemur quidem facta, sed de iure controuersia facimus: & quod pro homicidio ex-

lanibus circa redditum, statuuntur: vt Athenis dicitur, & quod in Pheacti iudicium. Contingunt autem talia & in omni tempore pauca, & in magnis ciuitatibus. De peregrinis autem vna pars est, si peregrinus contra peregrinum agat. Altera, si peregrinus contra ciuem. Est insuper vltra hæc omnia, de parujs rebus cognitio, quæ dragmas quinque aut non excedant, aut parum. Oportet enim & de his ius dici: nec incidit in iudiciorum multitudinem. Sed omittere de his, & de homicidijs, & de peregrinis. Dicamus autem de ciuilibus, in quibus, si non recte iudicetur, seditiones, ac Rerum publicarum motus, gignuntur. Necesse est enim vel omnes de omnibus supra dictis iudicare electione, vel sorte, vel omnes de omnibus partim sorte, partim electione, vel de quibusdam eorum aliquos partim sorte, partim electione assumptos. Hi ergo modi sunt quatuor. Totidem alteri, qui secundum partem. Rursus enim ex quibus, & qui iudicant de omnibus per electionem, aut ex quibus de omnibus per sortem, vel partim sorte, partim electione, vel quædam iudicia de eisdem ex sortis, & electis. Isti ergo vt dictum est, sunt modi in prædictis. Insuper eadem conduplicata, vt quædam ex omnibus, quædam ex quibusdam, quædam ex vtrisque: ceu si eiusdem iudicij essent, alij ex omnibus, alij ex quibusdam: & vel per sortem, vel per electionem, vel ex ambabus. Quot igitur modi iudiciorum esse possunt, dictum est. Horum autem prima, popularia sunt, quæcunque ex omnibus, vel de omnibus. Secunda, paucorum potentium quæcunque ex quibusdam de omnibus. Tertia optimatum, & ciuilia, quæcunque partim ex omnibus, partim ex quibusdam.

Dd 5

IN quinto hæc: mutationes Rerumpublicarum, medelæ, durationes. De mutationibus, & medelis, inæqualitas, seditiones, causa: seditionū medelæ, mutationes popularis gubernationis, mutationes paucorū potentia, mutationes optimatum, medelæ: magistratus seruandæ Reipublicæ aptus: mutationes regni, medelæ regni, & retentio tyrannidis.

De causis mutationum Rerumpublicarum, & de earum inæqualitate, & æqualitate, & iusto, & stabilitate.

Cap. I.

DE aliis quidem omnibus, de quibus dicere proposuimus, ferè dictum est: ex quibus autem mutantur Respublicæ, & quot ea sint, & qualia, & quænam sint singularum Rerumpublicarum corruptiones, & labes, & ex qualibus inuales maximè mutantur, præterea quæ remedia generaliter, & specialiter cuiusque, & per quæ maximè conseruari possit vnaquæque Rerumpublicarum, considerandum deinceps erit. Oportet autem prius illud principiū assumere, quod plures sunt formæ Rerumpublicarū, & in his cōsententur quidē omnes iustitiam, & conuenientem æquitatem, sed aberrant ab ea, ut est antè dictum: nam populus constat ex iis, qui, cum sint secundū quid pares, putant se simpliciter pares. Paucorum verò potentia ex iis, qui, cum præstent aliqua in re, sintque inæquales, se in cunctis præstare arbitrantur inæqualesque esse: opibus enim superantes, simpliciter existimant superare. Deinde verò illi, quasi pares existentes in cunctis, dignum putant se parem portionem habere: hi autem, quasi superiores sint, maiora sibi competere arbitrantur: maius enim inæquale. Habent verò omnes aliquid iustum, sed simpliciter aberrant. Et ob eam causam, quando non pro opinione suā utriusque reportent de Republica, seditiones concitant. Omnium verò iustissimè hoc facerent, qui virtute præcellunt, qui tamen minimè

omnium id faciunt. Nam hi simpliciter rationabile est ut soli præferantur, habeanturque inæquales. Sunt autem quidam, qui præstantes genere, plus habere se dignos putant. Videntur nobiles esse illi, quorum maiores virtute, & diuitiis præditi fuere. Hinc principia, & fontes, ut ita dixerim, seditionum oriuntur. Quapropter mutationes merito fiunt, quandoque ex præsentis statu ad alium, seu ex populari gubernatione ad paucorum potentiam, vel ad popularem ex paucis, vel ad Rempublicam, & optimatam ex illis, vel ad illas ex istis. Quandoque præsentem gubernandi formam non querunt mutare, sed in ea permanentes pro se illam suscipiunt, ut paucorum potentiam, vel monarchiam. Insuper circa magis, & minus: seu vel paucorum potentiam existentem magis extendere vel coercere, vel popularem statum ampliare, vel restringere. Eodemque modo de aliis speciebus ampliandis, vel restringendis: vel in parte aliqua Reipublicæ mouenda, seu magistratum quendam de nouo inducere, vel remouere: ut apud Lacedæmonios ferunt aliqui, Lylandrum tentasse regiam potestatem tollere, & Pausaniam regem, Ephoros: & Epidamni mutata est Respublica in parte, cum pro tribuum præfectis, Senatores creauerunt. Apud Elienses verò necessarium est, illorum etiam, qui versantur in Republica, dignitates inuadere, quando creatur magistratus aliquis. Paucorum autem potetia erat in hac Republica, quod vnus solus ad magistratum sumebatur. Vbiq; enim propter inæqualitatem oritur seditio. Disparibus tamen non existit proportio. Perpetua enim potestas regia iniqua foret, si esset in paribus. Omnino enim querentes æquum, in seditiones incidunt. At enim duplex est æquum. Vnum numero, alterum dignitate. Numero quidem, seu multitudine, ac magnitudine idem, & æquum. Dignitate autem dico, id, quod est secundum rationem: seu tria excedunt duo secundum æqualem numerum, & hæc, vnum. Dico autem quatuor excedere duo, & hæc vnum: æqua enim pars duo ex quatuor, & vnum duorum: ambo enim medietates. Fatentes autem simpliciter esse iustum id, quod est secundum dignitatem, contendunt, ut prius dictum est. Alii quia

quia si in aliquo sint pares, se penitus pares existimant. Alii quia si in aliquo præstant, in cunctis se superare arbitrantur. Quam ob rem duæ præcipue fiunt gubernandi formæ, populus scilicet, & paucorum potentia. Nobilitatem enim, ac virtutem in verbis quidem omnes ferè vsurpant. At enim qui re vera nobiles, ac boni sint, nusquam centum reperiuntur: diuites autem, multis in locis. Simpliciter omnino secundum alterutrum statuere æqualitatem, improbum est. Patet autem ex eo, quod contingit: nulla enim huiusmodi Rerumpublicarum recipit stabilitatem. Causa verò huius, quia impossibile est ex primo errore in principio commisso, non euenire ad extremum aliquid mali. Quare opus est, partim arithmetica æquitate uti, partim ea, quæ est secundum dignitatem. Veruntamen tutior est, ac minus seditioni subiaceret, popularis gubernatio, quam paucorum. Nam in paucorum gubernatione duæ gignuntur seditiones: vna inter se ipsos, alia ad populum. In gubernationibus autem populi, vna tantum seditio fit, ad paucorum potentiam. Ipsi verò inter se, quod quidem dignum dictum sit, non accidit seditio populi. Insuper mediocrium hominum gubernatio, propinquior est populari gubernationi, quam illi, quæ paucorum, quæ quidem est magis tuta, quam aliqua huiusmodi Rerumpublicarum.

De seditionibus paucorum, & popularium, & primo quo pacto affecti seditiones moueant: deinde quarum rerum gratia, postremo quæ sint principia, & causæ seditionum inter ciues.

Cap. II.

VM verò cōsideremus quibus de causis seditiones, mutationesque Rerumpublicarum eueniant, capiēda sunt primo vniuersaliter principia, & causæ earum. Sunt autem ferè tria, de quibus ipsis primo succinctè determinandum est. Videre enim oportet, quemadmodum dispositi ad seditiones deueniunt, & quarum rerum gratia: & tertio, quæ sunt initia ciuiliū turbationum, ac seditionum inter ciues. Quod quidem igitur disponantur ad res nouas appetendas, illa est potissima causa, de qua iam diximus: quia alii pares esse volūt his, qui plus possunt, & nisi hoc fit, non acquiescunt. Alii verò se præstare dignos putantes, indignè ferunt, nisi plus habeant. Hæc autem quandoque iuste cupiuntur, quandoque iniuste. Inferiores quidem, ut pares sint, res nouas exoptant: & pares qui sunt, ut præstent. Quemadmodum igitur dispositi sint, qui res nouas querunt, dictum est. Res autem, pro quibus contendunt, sunt lucrum, & honor, atque his contraria. Dedecus enim, & damnum, vel ipsorum, vel amicorum fugientes, seditiones agunt. Causæ verò, ac principia motus, vnde ipsi ita disponuntur, & pro iis, de quibus diximus, sunt ut septem, sunt etiam ut plura: quorum duo sunt eadem cum illis, quæ dicta sunt, non tamen eodem modo. Propter lucrum enim, & propter honorem irritantur iniucem, non ut acquirant sibi ipsis, sed quia vident

alios partim iniuste, partim iuste plus habere. Insuper propter contumeliam, propter metum, propter præpotentiam, propter contemptum, propter incrementum excessuum: præterea & alio modo propter verecundiam, propter negligentiam, propter pusillitatem, propter imparitatem.

Quo pacto cause seditionū prædictæ sint cause.

Cap. III.

IX quibus contumelia, & lucrum, quæ habeat vim, & quot causæ, ferè est manifestum. Superbia enim, & auaritia eorum, qui gubernant homines, prouocant contra se, & contra statum eius Reipublicæ, quæ ista fieri patitur. Auaritia verò quandoque ex priuatis rebus fit, quandoque ex publicis. De honore etiam clarum est & quid valeat, & quomodo causa sit contendendi. Ipsi enim inhonorati & alios honoratos cernentes, seditionem aggrediuntur. Hæc autem iniuste quidem fiunt, cum præter dignitatem honorantur, quidam, vel inhonorantur. Iuste verò, cum secundum dignitatem. Propter præpotentiam autem, quando quis maior sit, & potentior, vel vnus, vel plures, quam secundum dignitatem, & potentiam Reipublicæ. Consuevit enim ex talibus fieri vnus dominatio, vel gubernatio violenta. Quapropter quibusdam in locis Ostracismo vtuntur, seu Argis, & Athenis. Atqui melius erat ab initio prouidere, ne in huiusmodi potentiam augeri homines permitterentur, quam post cōtra auctos remediū querere. Propter metum verò ad seditionem deueniunt, qui pœnas formidant ob maleficia commissa, & hi, contra quos paratur violentia præuenire volētes prius, quam malum patiantur: ut apud Rhodum nobilitas contra plebem insurrexit metu iudiciorum, quæ sibi parabantur. Propter contemptum verò ad seditiones deueniunt: seu in paucorum potentia, quando plures sunt illi, qui a Republica excluduntur: potentiores enim se putant. Et in populari statu, opulenti contemnent inordinationem, & incuriam eorum, qui gubernant: seu apud Thebanos post pugnam in Onophytis commissam, mala gubernatione popularis status interiit. Et in Megarensibus, seu per inordinationem, & negligentiam magistratuum superati sunt. Et Syracusis autem Gelonis tyrannidem: & Rhodi populus antè, quam contra insurgeretur. Fiunt etiam propter incrementum mutationes Rerumpublicarum. Ut enim corpus ex partibus suis constat, & oportet eas simul pro modo, quanque suo crescerè, ut conuenientia permaneat, ac nisi hoc fiat corruptur (seu quando pes quatuor cubitorum sit, cæterum verò corpus duarum palmarum longitudinem habeat. Interdum verò & in alterius animalis figuram transfret, si non solum quantitate, verum etiam qualitate immoderatum fieret incrementum) ita & ciuitas ex partibus constat, quarum interdum aliqua paulatim subrescit, seu egenorum hominum multitudo in popularibus gubernationibus,

tionibus, & Rebus publicis. Cōtingit verò quandoque id per fortunam, velut apud Tarentum, cum superati prælio ab Iapygenibus, nobilitatis magnâ partem amississent (fuit autem id prælium paulò post id tempus, quo Medi Græciam inuaserunt) ad popularem statum ex Republica est facta mutatio. Et Argiui post cædem suorum in Hebdoma à Cleomene Spartiata factam, coacti sunt inquilinos quosdam ad Republicam recipere. Et Athenis, cum terra malè pugnaretur aduersus Lacedæmonios, nobilitas attenuata est, cum ex descripto submittere se ad bellum cogeretur. Contingit autem hoc & in popularibus gubernationibus, rariùs tamen. Pluribus enim diuitibus existentibus, vel diuitiis in pluribus auctis, mutatio fit in paucorum potentiam. Mutantur etiâ Respublicæ absq; seditione propter verecundiam: vt in Hærea. Cum enim per electionem sumere magistratus solerent, postea fortiti sunt, ex eo quòd electiones eorù in homines turpes, pudendosq; cadebât. Et propter negligentiam, quando sinunt ad summas potestates eos assumi, qui non sunt amici status eorum. Per quem quidem modum apud Horem euersa est paucorum gubernatio per Heracleodorum, qui magistratum nactus, gubernationem ciuitatis ex paucorum potètia ad popularem statum traduxit. Insuper propter pusillum. Dico autem pusillum, quando latet paulatim subcrescens Reipublicæ mutatio, quæ ad magnitudinè latenter euadit, si negligatur: quemadmodum apud Ambrocias à paruo censu prius erant magistratus, tandè verò à nullo: quasi nihil, aut propè foret inter parum, & nihil. Seditiones quoque concitat peregrinitas, donec in eandem simul conspirationem deuenerit. Vt enim nò ex quauis multitudine constituitur ciuitas, ita etiam neque in quouis tempore. Quapropter quicumque adhuc inquilinos susceperunt, vel aduenas, omnes ferè seditionibus iactati sunt: ceu apud Sybarim vnà cum Træzeniis incoluerunt Achæi. Postea maiorem in numerum crescentes Achæi Træzenios pepulerunt. Vnde pollutio illa exorta est Sybaritis: & in Thuriis idem fecerunt Sybaritæ contra eos, qui illos receperant: nã plus habere volentes, quasi de suis agris pulsi sunt. Et apud Byzantium peregrini in oppressionem ciuium coniurati, cognita re, prælio, & armis expulsi sunt. Et Antiffæi, exules ex Chio susceptos, tandem armis deiicere coacti sunt. Zancleii verò, qui Samios receperunt, mox ab eis sunt propria ciuitate deiecti. Apolloniata, qui sunt in ponto, incolis receptis seditione agitati sunt. Et Syracusani post tyrannos expulsos, cum hospites, & conductos milites fecissent ciues, in seditionem, & prælium inciderunt. Et Amphipolitæ, receptis Chalcidensium colonis, pulsi tandè ab illis sunt ferè omnes. Seditionem autè concitant, in paucorum quidem potentia, multitudo indignè ferens, quòd cum ipsi sint pares, non pariter honorantur. In populari verò statu nobilitas, quòd par fiat cæteris, cum ipsi sint præstantiores. Incidunt etiam quâdoq; in seditionem ciuitates propter factum, quando talis est locus, vt non ad vnam,

eandemque gubernationem sit aptus: vt Clazomoniis accidit, qui in Chytro habitant, contra eos, qui habitant in insula. Et Colophonis erga Notios. Athenis quoque eodem modo, sed multò magis populares sunt, qui in Pyrao habitant, quàm qui in vrbe. Vt enim in præliis trãsitus fossarum, etiam si admodum parua sint, interrumpit ordines militum, ita & in ciuitate diffidentia omnis videtur disunctione facere. Maxime forsitan disident virtus & vitium. Deinde paupertas & diuitia, & alia magis, quàm alia: quarum vna est illa, de qua diximus.

De medelis, & documentis circa seditiones.

Cap. IIIII.



Riuntur autem seditiones non pro paruis rebus, sed ex paruis ad magna proueniunt. Maxime etiam parua corroborantur, quando in principibus fiunt: vt contigit Syracusanis antiquitus. Mutatus est enim ciuitatis status propter duos adolescentes, qui in magistratu constituti, similitudinem inter se habuerunt ex amatoria causa. Altero enim absente, alter puerum, quem amabat, sibi conciliauit: at ille reuersus, cum id grauius ferret, vxorè illius habere studuit. Ex hoc, omnes, qui versabantur in Republica, diuerso fauore diuerterunt. Quam ob rem ab istis principiis cauendum est diligenter, ac dissoluenda statim sunt eorù discordia: qui multum in Republica possunt. In principio enim peccatur. Principium autem dicitur esse dimidium totius. Itaque paruum in principio erratum, correspondens est ad alias partes. Omnino enim excellentium virorum discordia, totam post se trahunt ciuitatem: vt contigit apud Heliã post popularem statum. Duobus enim fratribus de diuisione patrimonii contententibus, vnus eorù, qui erat pauperior, quasi non exhibente altero fratre bona omnia, neque thesaurum, quem pater inuenerat, proferente, querebatur, ac populum in suos fauores pertraxerat. Alter verò, qui diuitiis pollebat, locupletes sibi adsciuerat. Et in Delphis ex fauore partium contentione exorta, principium fuit seditionum omnium, quæ postea fuerunt in ea ciuitate secuta. Hic enim, cum sibi triste augurium incidisset, vt venit ad sponsam, suscipere illam noluit. Parentes verò puellam, quasi spretem, atque contemptam, sacrorum quiddam, eo sacrificante, iniecerunt, atq; vt sacrilegum accusantes capite damnari fecerunt. Mitylenæ quoq; seditio ex hæreditate coorta, magnorum malorù fuit origo: indèq; bellum Atheniensibus contra Mitylenæos susceptum, in quo vrbs eorù à Pachete duce capta fuit. Timophane enim quodam opulento homine vita functo, cum duæ filie superstites fuissent, Doxadrus quidam dari illas filiis in matrimonium concupiuit. Quod cum assequi non potuisset, alios sibi prælatos dolens, res nouas moliri aggressus. Atheniensibus, quibus erat publice hospes, bellum suscipere persuasit. Et apud Phocenses seditio exorta est ex hæreditate inter Mnaseam Mnasonis patrem,

patrem, & Euthycratem Onomarchi. Hæc seditio Phocensibus initium fuit eius belli, quod factum appellauerunt. Mutatus est etiam Epidauri ciuitatis status ex nuptiis. Desponderat enim quis filiam: cum verò pater sponsi magistratum gerens illi multam irrogasset, quasi despectus, omnes, qui præsentem ciuitatis statum infensum erant, per factionem ad se recepit. Fiunt etiam mutationes & in paucorum potentia, & in populari statu, & in ea, quæ appellatur Respublica, ex eo quòd aliquod collegium, vel alia pars ciuitatis famam sit, vel augmentum, maiorem in modum consecuta: vt apud Athenienses, Areopagi consilium per tempora belli Persarum, famam consecutum, Reipublicæ gubernandi formam seueriorem videtur fecisse. Et rursus naualis turba quòd causa victoria Salaminensi bello fuisse videbatur, & ob eam victoriam principatum maris acquisisse ciuitati, popularem statum magis asseruit. Et apud Argiuos nobilitas, quòd in prælio contra Lacedæmonios apud Mantiniam urbem commisso, magnam famam consecuta erat, popularem statum delere tetrauit. Et apud Syracusanos multitudo urbana, quòd causa victoria belli aduersus Athenienses videbatur fuisse, Respublicam mutauit ad popularem statum. Et apud Chalcidenses, quòd simul cum nobilitate ad opprimendum Phoxum tyrannum plebs insurrexisset, statim Reipublicæ gubernationem suscepit. Et apud Ambraciâ eodem modo, populus vnâ cum aggressoribus. Periandro tyranno expulso, in se ipsum gubernationem couertit. Et omnino hoc latere non oportet, quòd qui potentia causa fuerunt, siue priuati homines, siue collegia publica, siue tribus, siue pars aliqua ciuitatis, siue quæcunque multitudo, seditionem commouet. Aut enim qui honori illorù inuidet, seditionem faciunt. aut ipsi propter præuentionem, par habere cum cæteris, nò acquiescunt. Mouetur quoq; Respublica, quando partes illæ ciuitatis, quæ contrarie videtur esse, parificatur (cei diuites, & plebs) medium autem parum, aut nihil omnino sit. Si enim quæuis pars ita robusta fiat, vt ad illam, quæ prædominabatur proximè accedat, non tolerat posthac discrimina subire. Quapropter & qui virtute præcellunt, nullam (vt ita dixerim) faciunt seditionem: pauci enim sunt, alii verò permulti. Vniuersaliter ergo in cunctis Rebus publicis initia, causæq; seditionum, ac mutationum, in hunc modum fiunt. Mutatur autem Respublica quandoque per vim, quandoque per dolum. Per vim autem, aut statim, aut postea compellendo. Nam & fraus duplex est: nonnunquam enim decepti ab initio, sua demum sponte recipiunt alium gubernandi modum: deinde postea violenter conseruant: vt accidit, cum quadringenti illi, Atheniensium Respublicam susceperunt. Affirmantes enim quòd Persarum rex pecunias ad bellum contra Lacedæmonios subministraret, ac in eo mentiti, nihil minùs postea vi retinere gubernationem conati sunt. Interdum autem ab initio persuadentes: at postea rursum persuasus sponte, at volentibus retinent gubernationem. Simpliciter ergo circa omnes Res-

publicas, ex his, quæ dicta sunt, contingit mutationes fieri.

De mutationibus popularis gubernationis, & earum modis. Cap. V.



Ed oportet in vnaquaque specie Reipublicarum, hoc idem considerare. Popularis ergo status, maxime recipit mutationes, propter eorum hominum perfidiam, qui sunt quasi duces in populo. Hi enim priuatim egregium quenque calumniando, conspirare eos simul compellunt. Cogit enim in vnum communis metus etiam eos, qui prius erant inimicissimi: publice verò multitudinè irritat. Et hoc ferè vbiq; in hunc modum fieri videmus. Nam & apud Coum, popularis status interiit, ob prauitatem eorum, qui populum ducebant. Nobilitas enim conspiratione facta, regimem ciuitatis arripuit. Et apud Rhodum impositis enim pecuniis, quæ conductis militibus soluerentur, potentes quidam in populo pro se eas retinebant, erantque id impedimento, quò minus ea redderentur, quæ præfectis debebatur triremium. Præfecti autè, classis, cum pecunias non haberent, ac nihil minùs nauigare ex lege cogerentur, veriti pœnam iudicii, conspirationem inierunt ad popularem statum euertendum. Apud Heracleam quoque populus oppressus est ea de causa. Potentes enim quidam in populo, illatis iniuriis nobilitatem expulerunt. Illi verò postea conspirantes, & in vnum conuenientes, in urbem reuersi populum oppresserunt. Nec multò dissimiliter apud Megarenses popularis status interiit. Ductores enim populi, quòd pecunias per bonorum publicationem haberet, multos è nobilitate pepulerant, vt tandem facta sit permagna exulum multitudo. Exules ergo in vnum conuenientes prælio superarunt, oppressoque populo, paucorum potentiam constituerunt. Contigit hoc idem apud Cumas in populari statu, quem destruxit Thrasymachus. Et apud alios ferè quis inspiciat mutationes eodem modo contigisse. Interdum enim vt gratificentur iniuriantes, nobilitatem conspirare faciunt, vel patrimonia æquè diidentes, vel reditus numeribus publicis subiicientes. Interdum verò calumniantes, vt bona opulentorum publicari faciant. Vetustis quidem temporibus, quando idè erat potens in populo, ac belli dux, populares Respublicæ in tyrannidem mutabantur. Et profecto antiquorum tyrannorum plurimi, ex popularibus hominibus facti sunt. Causa verò, cur tunc fierent, non autem nunc, illa est, quòd tunc qui in populo maxime poterant, erant ex his, qui bello gerendo præficiabantur: nondum enim dicendi peritiam habebant. Nunc autem rhetorica arte superueniente, qui dicendi facultatem habent, populos ducunt quidem: sed quia imperiti sunt rerum bellicarum, tyrannidem inuadere non audent, nisi vbi parum aliquid tale incidit. Tyrannides certè frequentius fiebant prius, quàm nunc, & propter magnas potestates quibusdam commissas, cum Mileti

ἐκ πρυτανίας Miletus ex cōsulatu. Multarum enim, ac magnarum rerum potestatem habebat cōsul. Ac etiam ob id, quia tunc vrbes non erant magnæ, sed rure homines habitabant, otium agentes, præterquam ab agris. Qui autem patroni erant in populis, cum viri militares essent, tyrannidem inuadebant. Idq; agebāt omnes, præstita sibi prius fide à populo: quæ acquirebatur ex inimicitia aduersus opulentos: vt Athenis Pisistratus per factionem cōtra Pediacos susceptam: & Megaris Theagenes armentis opulentorum occisis, quæ iuxta flumen repererat pascencia. Et Dionysius accusans Daphnezum, & diuites, meruit tyrannidem Syraculis obtinere, propter inimicitia nobilitatis, sibi fide à populo præstita, quasi popularis esset. Mutatur etiam Respublica, ex consuetâ gubernatione in vltimam speciem popularitatis. Cum enim per electionem sunt magistratus, non tamen à censu: eligit autem populus, ambientes populum magistratum gratia, eò rem deducunt, vt sit populus dominus etiam legum. Remedium autem ne hoc omnino fiat, vel vt minus fiat, illud est, vt tribus quidē magistratum eligant, non populus vnuerfus. Populariū igitur statuum mutationes ferè omnes, per has fiunt causas.

De mutationibus paucorum potentia, & earum modis. Cap. VI.

Paucorum autem gubernationes mutantur, per duos maximè modos manifestissimos. Vnū, si iniuriis afficiant multitudinem: quilibet enim patronus sufficit, & maximè si ex numero paucorum dux aliquis existat: quemadmodū in Naxo Lygdamis, qui tyrannidem postea inuasit. Habet autem etiā ex aliis initium seditionis, differētias. Quandoq; enim ab ipsis opulentis, qui non honorantur magistratibus, fit dissolutio, cum per pauci sint illi, qui dignitates vsurpāt: vt in Massaliensibus, & in Histrio, & apud Heracleam, & in aliis ciuitatibus accidit. Nam qui honores non susceperant, res nouas moliri non cessabant, donec ipsi quoq; honorarentur: primò quidem seniores ex fratribus, deinde iuniores. Quibusdā enim locis nō simul ad Respublicam gubernandam recipiuntur filius & pater. Alcibi verò frater senior, ac iunior: & illhic quidem paucorum potētia ciuiliior facta est. In Histrio autē, seditione inter nobilitatē, ad populū recidit. In Heraclea verò à paucioribus ad sexcentos deuenit. Mutata est, & Gnidi paucorum potētia, seditione inter nobilitatem ipsam coorta, ex eo quòd pars eorum ab honoribus excluderetur: siquidē pater filiū impediēbat, & frater fratrem, nec, nisi qui senior foret, honorabatur. Insurgens enim populus per illorū discordiam, ac ducem nactus ex ipsa nobilitate, peruicic: imbecillis enim aduersa pars erat. Et apud Erythrienses, in paucorum gubernatione regiarum vrbum, antiquis temporibus, licet diligenter curarent, qui in gubernatione illarum versabantur, tamen quia per pauci erant, non tulit populus, sed Respublicam

mutauit. Mutantur etiam paucorum gubernationes ex ipsis, propter factiones ipsorum, qui plus posse apud populum volunt. Hoc autem dupliciter fit. Quandoq; enim sibi adsciscunt, & cōiungunt alios ex ipso numero paucorum, vt Athenis in triginta illis fecit Charicles, & in quadringentis Phrynichus. Quadoq; verò ipsi, qui sunt ex paucorum numero, vendicant sibi plebem, vt apud Larissam nobilitas plebem colebat, ex eo quia per plebem fiebat electio magistratus illius, qui custodia Reipublicæ vocabatur: & in quibuscunque gubernationibus paucorum, non illi ipsi eligunt ad magistratus, qui & gerere illos possunt: sed ex censibus magnis tribuuntur, vel ex aliquo corpore: electio tamen eorū per ciues fit, aut per plebem, vt Abydi. Et vbi iudicia non sunt ex his, qui Respublicam gubernant, colendo plebem, quò eorum suffragia promereantur, Respublicam mutant, vt apud Heracleam contigit, quæ est in Ponto. Quod idem accidit, quando in gubernatione paucorū quidam existētes, ad pauciores etiam Respublicam trahūt: pares enim cæteris esse quærentes, compelluntur populum in sui auxiliū adhibere. Fiunt etiam mutationes in gubernatione paucorū, quando prodigaliter viuentes qui gubernant, per luxuriam patrimonia consumpserunt. Optant enim res nouas huiusmodi homines, tyrannidemque vel sibi ipsis, vel alteri affectāt: quemadmodum Hippar Dionysium Syraculis, & Amphipoli Cleonimus Chalcidēs colonos superinduxit: & cum venissent, seditionem cum illis contra diuites fecit. Et in Aegina qui negotiū id Chariti Atheniensi fecerat, res nouas molitus est propter huiusmodi causam. Hi ergo homines consumptis patrimoniis aut res nouas commouent, aut Respublicā furtis expilat. Itaq; seditiones aut ab ipsis, aut ab illis cōcitantur, qui eorū furta nō tolerāt, vt Apolloniæ, quæ est in Ponto, accidit. Cōcors verò si sit paucorū gubernatio, ex se ipsa non facile interit. Huius signū est apud Pharsalum vrberem Reipublicæ status: pauci siquidē in ea ciuitate gubernatores, multorū sunt domini, quia ipsi inter se rectè, ac debito more se gerunt. Euertuntur etiā, quando in paucorum gubernatione aliā paucorum gubernationem efficiunt: id est, quādo eorū, ad quos pertinet gubernatio Reipublicæ, qui pauci sunt, selectio quædam fit, neq; habilis est omnibus ad maximos magistratus, dignitatēq; posse assumi. Quod apud Elidem vrberem quandoque contigit. Nam cum paucorū esset gubernatio Reipublicæ, admodum pauci eorum ad Senatorium ordinem, quæ erat perpetua dignitas, peruenire poterant, ob id, quòd erat potentium hic ordo, ac perfimilis Lacedæmoniorum Senatui. Fit autem mutatio gubernationis paucorum & in bello, & in pace. In bello quidem, quòd populo diffidentes, conducto milite vti compelluntur: & qui illis præficitur, sæpe tyrannus euadit: vt Corinthi Timophanes. Quòd si plures præficiuntur, ipsi sibi potentiam parant. Interdum verò ista formidantes qui regunt, populum recipiunt ad Respublicæ cōmunionem, quoniam necessitas cogit

cogit populo vti. In pace autem propter diffidentiam, quam inter se habent, conductis militibus custodiam tradūt, præficiuntq; illis virum aliquem, qui ad neutram partem magis inclinare videatur. At iste sæpe fit dominus partis vtriusq;, quod accidit in Larissa vrbe Leucadensibus, qui circa Samum Respublicam tenentibus, & apud Abydum tempore sodalitatam, quarum vna erat Ephinadi. Oriuntur etiam seditiones per exclusionem aliorum ab aliis factam, eorum ipsorum, qui sunt in paucorum gubernatione, quando de nuptiis, vel de iudiciis concertant, quemadmodum de nuptiis supra diximus. In Erethria paucorum gubernatio equitum sublata est per Diagoram, qui affectus iniuria fuerat ex nuptiis. Ex iudicio autem apud Heracleam seditio extitit, & Thebis ob adulterii iudicium. Atqui vtroq; in loco non iniusta fuerat accusatio, sed per factionem poena nimis exasperata. Apud Heracleam quidem aduersus Eutionem, Thebis verò aduersus Archium, quem inimici peruincētes in foro ligari, ac ceruicem eius annulo ferreo includi fecerunt. Sæpe etiam paucorum gubernationes dissolutæ fuerunt ob nimiam dominationem, non probantibus quibusdam ex ipsis, qui gubernabant, huiusmodi excessum: vt accidit his, qui apud Gnidum, & apud Chium per paucorum potentiam gubernabant. Fiunt etiam casu mutationes illis, quæ vocantur Respublicæ, & gubernationes paucorum, vbi quæ à censu sumuntur ad deliberandum, & iudicandum, & ad cæteros magistratus. Sæpe enim constitutus primo censu ad præsens tempus, vt participant in paucorum quidem gubernatione pauci, in Republica verò medii: felicitate aliqua superueniente, vel per pacem, vel per aliam causam cōtingit easdem possessiones multò maioris pretii fieri: itaq; omnes efficiuntur habiles ad cunctos Reipublicæ gradus, dignitatēque suscipiendas. Idque contingit interdum sensim, & latenter, interdum celerius. Paucorum igitur gubernationes mutantur, & seditionē recipiunt, per huiusmodi causas. Omnino & popularis status, & paucorum potentia conuertuntur interdum non in contrarias species, sed in eas, quæ sunt proprii generis, ceu ex institutis popularibus, & paucorum, *in ipsa propria, & ex illis rursum in istis.

De mutationibus optimatum potentia, & earum modis. Cap. VII.

In optimatibus autem seditiones fiunt, interdum quidem ex eo quòd pauci sunt honorum participes, quod in paucorum gubernatione diximus seditionem mouere. Nam & optimatum gubernatio, quemadmodum paucorum est: in vtraq; enim pauci gubernant: non tamen propter idem pauci, cum videatur propterea optimatum gubernatio esse paucorū: maximè verò id accidere necesse est, quando fuerit multitudo aliter sentientium, quasi similis secundū virtutem: velut apud Lacedæmonios ii, qui Partheniæ nuncupaban-

tur (ex similibus enim erat) quæ depræhensas res nouas moliri, in coloniam Tarentum mifere. Vel quando aliqui inhonorantur, cum sint magni, & nihilò inferiores virtute, quàm illi, qui honores capiunt, quemadmodum Lysander à regibus. Vel quando vir fortis, & magni animi non sit particeps honorum, quemadmodum Cinadon ille, qui coniuratione facta per Agesilai tempora, Spartiatas opprimere tetauit. Præterea, cum alii paupertate nimia premuntur, alii diuitiis abundant: quod maximè in bello contingit, & accidit hoc Lacedæmonii in Messenensi bello. Ostendit hoc Tyrteus poeta in illo carmine, quod inscribitur ἐν νόμῳ: exhausti enim quidam per id bellum, ac pauperes facti, censebant agros æqua portione ciuibus esse diuidendos. Insuper, si quis magnus, & potens, etiā maior fieri, ac solus dominari velit: vt apud Lacedæmonios videtur Pausanias ille fecisse, qui dux belli aduersus Medos fuit, & apud Carthaginienses Hanno. Dissoluuntur autem maximè & Respublicæ, & optimatum gubernationes, propter trasgressionem iustitiæ in ipsis factam. Huius autem origo est, nō bene temperatam simul esse, ac permissam, in Republica quidem popularem gubernationem, & paucorum: in optimatibus verò ista simul, atq; virtutem, maximèq; illa duo, popularem dico, atq; paucorum. Hæc enim & Respublicæ conantur miscere, & multa illarum, quæ optimates vocantur. Differunt enim optimates ab illis, quæ appellantur Respublicæ in hoc, & ob id sunt aliæ earum minùs, aliæ magis durabiles: illas enim, quæ magis declinant ad paucorum potentiam, optimates appellant. Illas verò, quæ ad multitudinē, Respublicas vocant. Quapropter tutiores sunt istæ, quàm aliæ. Fortius enim est id, quod plus est: ac magis acquiescunt æquum habentes. Qui verò diuitiis abundant, si Respublica excellētiam eis tribuat, contumelia cæteros afficere pergunt, nec par habentes, conquiescunt. Penitus enim ad quancunque speciem declinet gubernatio ciuitatis, in eam transmutatur, vtriusq; suum augmentibus: velut Respublica ad populum, optimates ad paucorum potentiam: vel in contraria, ceu optimatum gubernatio in popularem: tanquam enim iniuriā patientes, in cōtrarium trahunt, qui magis sunt inopes. Respublica verò, in paucorū potentiam trasmutatur. Solum enim stabile est secundum dignitatem æquum, & habere sua quæ sunt. Contigit verò id, quod modò diximus, in Thuriis, quod enim à maiore censu erat magistratus, in minorē facta est mutatio, & in plures gubernatores, & quia agros totos possidebat nobilitas contra legem: nā gubernatio eius ciuitatis erat ipsorum, itaq; plus habere poterant. At populus bello exercitatus, ac potentior effectus, quàm illorum custodes, nobilitatem compulsi agros, qui contra legem tenebantur, dimittere. Insuper, quia omnes optimatum species ad paucorum potentia declinat, nobilitas in illis plus habet: velut apud Lacedæmonios, opes, & diuitiæ in paucis sunt, ac magnam licentiam habet nobilitas faciendi quodlibet, & cui velit gratificandi:

candi: quæ causa fuit, ut Locrorum ciuitas inte-
 rirer, propter Dionysii clientelas. Quod nõ cõ-
 tigisset in populari statu, neq; in ea optimatum
 gubernatione, quæ optimè mista, & temperata
 fuisset. Maximè verò latent optimatû guberna-
 tiones, paulatim sese dissoluentes: quod quidẽ
 dictum est prius vniuersaliter de omnibus Re-
 buspublicis: idq; inter causas mutationis, minu-
 ta paruitas appellatur. Quando enim omittunt
 aliquid ex his, quæ ad Rempublicam pertinent,
 ac deinde aliud paulò maius, facilius mouent,
 quousq; totam moueant Reipublicæ formam,
 quod in Thuriis accidit. Cùm enim legem habe-
 rent, per quam non nisi intermisso quinquennio
 præturam gerere licebat, iuniores quidem rei
 militaris periti, & apud multitudinem famã ha-
 bentes, cùm cæteros, qui in rebus gerendis ver-
 sabantur, spernerent, ac facilliter se cõsecuturos
 arbitrarentur, legem totam illam tollere aggressi
 sunt, lata altera lege, ut liceret continuè eosdẽ
 prætores esse. At enim magistratus, qui præerat
 suffragiis (appellabatur verò cõsultores) cõmo-
 ti prius ad resistendũ, tamen postea desiterunt
 putantes, quãuis hac vna lege soluta, tamen cæ-
 teras esse permãsuras. Postea verò prohibere vo-
 lentes, ne aliæ mouerentur, nihil proficere va-
 luerunt: sed mutata est eorũ Respublica in po-
 tentiam eorum, qui nouas res aggrediebantur.
 Dissoluuntur verò cunctæ Respublicæ interdũ
 per se ipsas, interdum per externã causam, quan-
 do contraria gubernatio sit vel propè, vel longè
 quidem, sed admodum potens. Quod quidem
 contigit Atheniensibus, & Lacedæmoniis. Athe-
 nenses enim vbique potentiã paucorum, Lacedæ-
 monii verò vbiq; popularem statum euertẽ-
 runt. Vnde igitur Rerumpublicarũ mutationes,
 seditionesque exoriantur, ferè dictum est.

πρακτικῶν,
 præfecturam
 militum ge-
 nere.

De conseruatione Rerumpublicarum modi
 viginti. Cap. VIII.

DE conseruatione autem earum, & cõ-
 muniter, & seorsum de vniuscuiusq;, con-
 sequens est ut dicamus. Illud ergo
 ante omnia patet, quod si sciamus per
 quæ corrumpuntur Respublicæ, scimus etiã per
 quæ conseruantur. Contrariorum enim, cõtra-
 rii effectus. Corruptioni autem, conseruatio est
 cõtraria. In illis igitur Rebuspublicis, quæ lau-
 dabiliter permistæ, ac tẽperatæ sunt, illud est di-
 ligenter obseruandum, ne quid ex legibus, insti-
 tutisque moueatur, maximèq; ab eo cauendum,
 quod paulatim repit. Latet enim corruptio, quia
 non tanta simul fit: decipiturq; mens ab illis, ut
 sophistica illa ratio, Si vnumquodque pusillum,
 & omnia. Hoc autem est ut sit, & est ut non. To-
 tum enim & omnia non pusillum, sed composita
 ex pusillis. Vna igitur custodia, aduersus hoc
 principium est opponenda. Deinde non confi-
 dere his, quæ finguntur quodam modo, & adũ-
 brantur ad populum: reprobantur enim ex ipsis
 operibus. Qualia verò dicamus Rerumpublicarum
 fragmenta, superius est ostensum. Intueri licet
 quasdam respublicas, durare non solum ex

optimatibus, verum etiam ex paucorum poten-
 tiis, nõ quia per se ipsæ stabiles sint, sed quia hi,
 qui gubernant, rectè se gerunt, tam erga eos, qui
 sunt extra Rempublicam, quàm erga eos, qui in
 Reipublicæ gubernatione versantur. Erga eos
 quidem, qui non participes sunt gubernationis,
 non afficiendo ipsos iniuriis, ac præstantiores
 ipsorum ad participationem Reipublicæ reci-
 piendo, cupidòsq; honoris nõ deprimendo, ne-
 que multitudinem suis commodis fraudãdo. Er-
 ga illos verò, qui socii in gubernanda Republi-
 ca sunt, humanè inuicem, ac populariter se gerẽ-
 do. Aequalitas enim illa, quæ in populari statu
 affectatur, ea in similibus non solum iusta est, ve-
 rum etiam utilis. Quam ob rem si plures sint in
 gubernatione Reipublicæ constituti, eis permul-
 ta popularium institutorum vtilia sunt: ceu se-
 mestres esse magistratus, ut omnes, qui similes
 sunt, adipisci valeant. Sunt enim tanquam popu-
 lus quidã illi, qui inter se pares, ac similes sunt:
 itaque in illis frequenter existunt, velut duces
 quidam populi, ut prius diximus. Deinde minùs
 in potentias incidit paucorum gubernationes,
 & optimates. Non enim similiter facile est late-
 re malè agentem in breui tempore magistratus,
 & in longo. Nam ob hoc, in paucorum guberna-
 tionibus, & popularibus, tyrannides fiunt. Aut
 enim hi, qui maximi sunt in vtraque, tyrannidẽ
 inuadunt (hic ductores populi, ibi potentes) vel
 qui maximos gerunt magistratus, quando longo
 tempore durant. Conseruatur autem Respublica,
 nõ solum ex eo, quia procul sint à periculis,
 verum etiam interdũ quia propinquæ sunt. Ho-
 mines enim formidantes, vigilantius intendunt
 ad Reipublicæ custodiam. Itaq; oporteret, eos,
 qui Rempublicam saluam esse volunt, formidi-
 dines quasdam parere, ut caueant, neque dissol-
 uant, quasi nocturnam quãdam custodiam, Rei-
 publicæ obseruationem: & quod longè abest,
 propinquum facere. Etiam nobilium conten-
 tiones, seditionesque, per leges quoque oportet
 custodire conari, & qui extra cõtentiones sunt,
 eos antè capere: tanquam malum ab initio exo-
 riens cognoscere non cuiusuis sit, sed ciuiliis vi-
 ri. Ad mutationes verò, quæ propter censum fi-
 unt, ex paucorum potentia, atque ex Republica,
 quando contingit hoc, manentibus eisdem cen-
 sibus, aut pecuniarum copia facta, vtile est con-
 siderare vniuersum totius ciuitatis censum, ac
 præsens tempus ad præteritum conferre. Nam
 in quibusdam ciuitatibus census agitur annua-
 tim: in maioribus verò per triennium, aut quin-
 quennium: & si multiplicatus sit, ac multò ma-
 ior factus, quàm prius erat ille, secundum quem
 statuta fuerat Reipublicæ gubernandæ habilitas,
 lege prouidere, ut cẽsus vel augeatur, vel re-
 laxetur. Si quidem excedat, augeatur secundum
 multiplicationem: si verò deficiat, relaxetur, ac
 minor fiat census taxatio. In paucorum enim
 gubernationibus, & in Rebuspublicis, nisi hoc
 fiat, hic paucorum gubernatio, ibi potentia ni-
 mia iurget. Illo autem modo ex Republica
 quidem popularis status, ex paucorum verò gu-
 bernatione Respublica, aut populus. Commune
 autem

autem est & in populari, & in paucorum guber-
 natione, & in omni Republica, neq; augere ni-
 miùm quenquã supra modum, sed magis conari
 paruos, & longi tẽporis honores præbere, quàm
 confestim magnos. Corruptuntur enim, nec cu-
 iusuis est hominis prosperitatẽ ferre. Quod si
 accumulatè dati sint alicui honores, non sunt si-
 mul omnes postea auferendi, sed paulatim. Ma-
 ximè verò lege ita prouidere conandũ est, ne ni-
 miùm sit excessiua potentia, neq; amicorum,
 neq; pecuniarũ. Quod si ita cõtingat, per absen-
 tiam remouendæ sunt huiusmodi hominũ clien-
 telæ. Cùm verò ex priuata etiã vita res nouæ o-
 riantur, magistratus constituendus est quidã, qui
 sit quasi in specula ad mores ciuium intuentos,
 ne quis ita viuat, ut Reipublicæ nocere possit.
 In populari quidem statu, ne alienè viuat à po-
 pularitate. In paucorũ autem potentia, ne alienè
 à natura eius gubernationis. Eodem modo de
 aliis speciebus Rerumpublicarum. Et si quid ex-
 ulter, prosperitatẽq; sit elatũ in ciuitate, per par-
 tes obseruare propter easdem causas. Cuius re-
 medium est, semper cõtrariis partibus magistra-
 tus, & res agendas cõmittere. Contrarias partes
 voco, ceu præstantes viros, multitudini: & diui-
 tes, pauperibus. Conandũq; est vel admiscere
 pauperes cum diuitibus, vel medios augere: hi
 enim dissoluent seditiones ob imparitatẽ proce-
 dentes. Maximum verò illud est in omni Repu-
 blica, & legibus, & cætera omni diligentia con-
 stituendum, ne ex magistratibus lucra proueniãt.
 Id autem maximè in paucorũ gubernatione est
 obseruandum. Leuius enim ferunt populi, qui ab
 Republica excluduntur: quinimo gaudent, quod
 sua agere non impediuntur. At si existimẽt, eos,
 qui magistratus gerunt, ex Republica ditari, du-
 plicem capiunt molestiã, & quod ab honore ex-
 cluduntur, & quod à lucro. Vnicè verò cõtingit
 simul existere popularem statum, & optimatum,
 si ita quis instituat: foret enim ut & nobiles, &
 plebeii haberet quæ vtriq; vellent. Licere enim
 omnibus Rempublicã gerere, populare est: magi-
 stratus verò à nobilibus teneri, optimatũ. Hoc au-
 tẽ accidit, quãdo ex magistratibus nõ proueniẽt
 lucra. Pauperes enim magistratus non volent, si
 nil insit lucri, sed potiùs suis rebus propriis in-
 tendere. Diuites autẽ quia non indigent ex Re-
 publica lucrari, magistratus gerent. Atq; ita con-
 tinget egenis quidẽ ditari ob operam rebus suis
 impensam, nobilibus verò non subiici cuiunc-
 que. Ad hoc autem, ut non subripiantur pecunię
 publicæ, aditio fiat pecuniarũ præsentibus ciui-
 bus omnibus, & descriptæ per societates, & ordi-
 nes, & tribus deponantur. Quod verò magistra-
 tus sint absque lucro, statuendi per legem sunt
 honores iis, qui optimè se gesserunt. Oportet
 autem in populari statu diuitibus parcere, ac
 non modò possessiones eorum nõ auferre, sed
 ne fructus quidẽ earum: quod in quibusdam ci-
 uitatibus imprudenter fit. Melius etiam est vo-
 lentibus prohibere, ne munera illa subeant, quæ
 sint magni sumptus, ac nullius vtilitatis, ceu cho-
 ros exhibere, & ludos, & faces, instar Chiorũ, &
 cætera huiusmodi munera. In paucorũ verò guber-

δινομιλία.

μη τριῶν ἢ
 τεσσάρων,
 ad egestatem
 reducere.

natione, cura est pauperũ suscipienda diligẽter,
 & officia, quibus sunt salaria constituta, istis tra-
 denda: & si quis diuitum eos contumelia affece-
 rit, maior pena est constituenda, quàm si ipsi in-
 ter se idem fecissent. Et successio in hæreditati-
 bus per cognationem sit, non per donationem;
 nec valeat quisquam plures hæreditates capere,
 sed vnam solummodo. Per hunc enim modum
 magis æquales erunt facultates, & egenorũ per-
 multi ad abundantiam traducuntur. Vtile est &
 in populari statu, & in paucorum gubernatione,
 aliorum vel æqualitatem, vel præstantiã tribue-
 re his, qui minùs participant Reipublicæ. In po-
 pulari quidem, diuitibus: in paucorum verò gu-
 bernatione, egenis, exceptis tamen his magistra-
 tibus, in quibus ius, autoritatẽque Reipublicæ
 consistit: hi enim solis iis, qui sunt ex Republi-
 ca, committi debent.

Quas condiciones habere oportet eos, qui præ-
 cipuos magistratus gerunt: & de præceptis, qui-
 bus popularis status, aut paucorum potentia
 seruentur. Cap. IX.



Ria verò debet habere illi, qui princi-
 pales magistratus sunt suscepturi. Pri-
 mum, ut ament præsentem ciuitatis
 statum. Deinde, ut habeant potentiã
 maximã, ad ea exequẽda, quæ magistratus requi-
 rit. Tertiũ, ut habeant virtutẽ, & iustitiã, in vna-
 quaq; Republica, ad ipsam Rempublicã. Nisi è-
 nim iustum idem sit in cunctis Rebuspublicis,
 necesse foret & iustitiæ esse differentias. Habet
 autem dubitationẽ, quando hæc omnia non con-
 currunt in eodem, quemadmodũ sumere oportet:
 ceu si sit quidam aptus ad rem militarem, si
 autem ille idem improbus, nec Reipublicæ ama-
 tor: alter verò iustus, & amator, sed ad rem mili-
 tarem non aptus, cuius faciendã sit electio. Vi-
 detur inspiciendum esse ad duo, cuius magis par-
 ticipent omnes, & cuius minùs. Quapropter in
 re militari quidem ad peritiam magis, quàm ad
 probitatem est respiciendum. Pauciores enim
 sunt rei militaris periti, plures verò probitatis.
 Contrã verò, in custodia, & administratione æ-
 rarii: plus enim probitatis requirit, quàm quan-
 tum habeant multi: scientia verò huius commu-
 nis est omnibus. Dubitari enim potest, si poten-
 tia adsit Reipublicæ, & amicitia, quid opus est
 virtute? Sufficiens enim illa duo ad Reipublicæ
 vtilitatem. An quia fieri potest, ut duo illa ha-
 bentes sint intemperantes. Itaq; ut sibi ipsis nõ
 obtemperant sciẽtes & amantes se ipsos, sic etiã
 erga Rempublicã nihil vetat ita se habere quod-
 dam? Simpliciter autem quæcunque in legibus
 prodesse diximus, cuncta illam Rempublicã ser-
 uant. Et, quod sæpe iam diximus, maximum fun-
 dametum est, custodire ut potentior sit ea pars,
 quæ Rempublicam saluam esse velit, quàm illa,
 quæ nolit. Præter hæc autem omnia, latere nõn
 oportet, quod modò latet eas Respublicas, quæ
 transgrediuntur medium. Multa enim, quæ po-
 pularia videntur, popularem statum dissoluunt:
 multa etiam, quæ paucorum esse videntur, dissol-
 uunt gubernationem. Qui verò existimant hæc

ἀγαθὰς,
 incontinentes,
 impuri.

esse vnam virtutē; trahunt ad excessum, ignorant quod quemadmodū nasus excedit rectitudinem laudabilem ad aquilinum esse, vel simū, sed tamen adhuc pulchritudinē, ac gratiā retinet ad aspectū: at si quis magis trahat ad excessum, primō quidem abiicit congruentē mensurā partem, tandem verō irā disponitur, vt non nasus appareret propter superexcessum, ac defectum contrarium. Eodem modo & de aliis partibus. Conſingit autem hoc & circa alias gubernationes. Nam paucorū quidem potentiam, & popularem sufficienter se habere cōtingit, etſi transgrediantur ab optimo statu. Quod si quis intendat magis vtranque earum, deteriorem primū faciet Rempublicam, tandē verō neq; Rempublicam esse. Quapropter non ignorari oportet à legis conditore ac ciuili homine, qualia popularia feruent populi statum, & qualia paucorū apparentia, euertant paucorum gubernationē: neutra enim istarum videtur stare posse absq; opulētia, & multitudine. Sed quando ad aequatio fiat facultatum, aliam necesse est esse Rempublicam. Itaque dissoluentes leges, quæ sunt circa excessum, dissolunt Rempublicas. Aberrant verō & in populari statu, & in paucorum gubernatione. In populari quidem ductores populi, vt multitudine dominā legum efficiant: ob id enim faciunt semper ciuitatē opulētis repugnantē. At oportebat contrarium videri semper dicere pro opulētis. In paucorū verō gubernatione, pro populo, eos, qui Rempublicam gubernant, & contrā iurare, quā nunc iurent. In quibusdam enim ciuitatibus nunc iurant, populum odio habere, & consilio annitar vt malē habeat. Expedi autem simulare, ac fingere contrarium, atq; ita iuramentum concipere: Non afficiam populum iniuriis. Maximum autem omnium, quæ dicta sunt, ad Rempublicæ stabilitatem, est id, quod nunc parafaciunt omnes, erudiri ad Rempublicæ disciplinam. Nihil enim profunt vtilissimæ leges, quæ à gubernatoribus decernuntur, nisi moribus instituti, & disciplina imbuti in Republica homines fuerint, si leges populares, populariter: si paucorum potentia, ad hanc ipsam gubernationem. Nam si est in vno intemperantia, est etiam in ciuitate. Disciplina autem Rempublicæ est, non ea facere, per quæ latentur pauci potentes, aut populares, sed per quæ valeant, illi quidem paucorum gubernationem tenere, hi verō popularē. Nunc autem in paucorū potentia, gubernatorū filii deliciis intendunt; tenuiorū autem filii gymnasiis, laboribusq; exercentur. Itaq; & volunt magis, & possunt res nouas moliri. In populari verō statu, qui maximē videtur esse popularis, contrā quā vtile sit, constitutum est. Huius rei causa est, quod malē definiunt libertatem. Duo sunt enim, quibus popularis status definitur, potestate summa populi, ac libertate. Iustum autē, æquum videtur esse: æquum verō quodcuq; videtur multitudini, id esse stabilitum. Liberum autem, & æquum, quodcuq; velit quis facere. Itaq; vniuit vnusquisq; vt vult, in huiusmodi populari statu, & ad quod gliscit, vt ait Euripides. Sed hoc est prauum: non enim putandum est esse

se seruitutem; viuere ad formā Rempublicæ, sed salutem. Ex quibus igitur mutatur Rempublicæ, & corrumpuntur, & per quæ seruantur, & permanent, vt simpliciter dicamus, tot, & talia sunt.

De mutationibus regni, & tyrannide.

Cap. XI.



Est autem nunc videre de vnus gubernatione, ex quibus corrumpatur, & per quæ seruari valeat: ferē autem similia, ac propinqua sunt illis, quæ diximus supra de cæteris gubernationibus, illa, quæ circa regnum, & circa tyrannidem contingunt. Nam regia quidem potestas, optimatū gubernationi respondet. Tyrannus autem, ex paucorū potentia illa postrema, & ex populari componitur. Quapropter perniciosissima est his, qui sub ea sunt: vt pote ex duobus composita malis, & transgressiones, & delicta continens, quæ ex ambabus illis proueniunt. Existitque generatio statim ex contrariis vtrique istarum. Nam regia potestas, pro tutela præstantium viroꝝ contra populum reperta est: & fit rex ex præstantibus per excellentiam virtutis, vel rerum gestarum, quæ sint à virtute, vel per excellentiam huiusmodi generis. Tyrannus verō originem habet à populo, ac multitudine, contra nobilitatem, vt populus iniuriam ab illis non patitur. Patet hoc ex his ipsis, quæ cōtingerunt. Ferē enim tyrāni vt plurimum facti sunt ex ductoribus populorum, fidem adepti ab initio propter calumnias contra nobilitatem iactas. Tyrannides igitur aliæ in hunc modum constitutæ sunt, ciuitatibus iam adauctis. Aliæ prius ex regibus transgredientibus patriā iura, & affectantibus magis dominari. Aliæ ex electis ad principales magistratus. Antiquitus enim populi constituebant diuturniores administrationes, & prœcuraciones. Aliæ ex paucorum potentia eligentium vnū aliquem ad maximos magistratus. Omnibus istis modis facultas fuit id perficiendi, si modō voluissent, per potentiam sibi præexistentem, vel ex regia potestate, vel ex honoribus à populo exhibitis: ceu Phidon apud Argos, & alii alibi regiam potestatem habentes tyranni sunt facti: circa Ioniā verō tyranni, & Phalaris, ex honoribus. Panerius quoq; in Leontinis, & Cypselus Corinthi, & Pisistratus Athenis, & Dionysius Syracusis, & alii eodem modo ex fauore populorum, apud quos multum poterant. Vt ergo diximus, regia potestas instituta est secundum optimatum gubernationem. Est enim secundum dignitatem, vel per virtutem propriam, vel generis, vel per beneficia collata, vel per ista simul, ac potētia. Omnes enim, qui maximā beneficia in ciuitates, gētēsq; contulerunt, vel qui eam facultatem habuerunt, vt conferre valerent, hoc honore potiti sunt, alii bello conseruatis populis, ne in seruitutē deuenirent, quemadmodum Codrus; alii à seruitute liberatis, vt Gyrus. Alii quod condidissent urbem, vel quod regionē acquisissent, quemadmodum Lacedæmoniorū, & Macedonū, & Molossorum reges. Vult autem rex esse custos, vt qui diuitias habent, nihil iniustum patiatur, nec etiam

etiam populus afficiatur contumeliis. Tyrannus autem, vt sæpe iam diximus, ad nullam communem respicit vtilitatem, nisi gratia proprii commodi. Est autem obiectū tyranni, quod placeat: regis, quod honestum sit. Quam ob rem & illa, in quibus plus habent, sunt, tyrannis quidē pecuniæ, regibus autem honores. Et custodia regi à ciuibus suis est, tyrāno autē à peregrinis. Quod verō tyrannis contineat illa mala, quæ sunt & popularis gubernationis, & paucorum potentie, manifestum est. Et paucorū quidem potentie finem esse diuitias: per has enim solas necesse est permanere, vt conductos retineat custodes, vt sumptus faciat in educādo, vt populo suo in nulla parte confidat. Itaq; arma ciuibus suis adimere, ac multitudinem populi conculcare, ac ex urbe pellere, & vacuā habitatoribus ciuitatē reddere, cōmunia sunt paucorū potentia, & tyrannidis. Ex populari autē, vexare nobilitatē, clam euertere, & palam, & in exiliū pellere, tanquam aduersarios, & machinatores contra potentiam suam. Ex his enim & consilia aduersus eos iniuri contingit, aliis dominationē affectantibus, aliis seruitutē fugientibus. Vnde Periandri cōsiliū Thrasibulo datū, supereminentes spicas decerpere, tanquam opportunum fuerit, eminentiores ciuium de medio tollere. Vt igitur ferē dictum est, eadem principia mutationum sunt existimanda, & in Rebus publicis, & in vnus gubernatione. Per contumeliam enim, & per metum, & per contemptum insurgunt plerique subiectorū aduersus dominantes. Iniuriæ verō maximæ per contumeliam, nonnunquā & per ablationē rerum fiunt. Sunt autem & fines ibi tales, quales sunt circa tyrannides, & regna. Opes enim, & honores, qui in tyrannis, regibusq; maximi conspiciuntur, affectant omnes. Insurgitur autē quandoque in corpus dominantis, quādoq; in ipsam dominationē. Quando enim per contumeliam adducuntur homines ad insurgendum, impetus fit in corpus. Cūq; sint contumeliæ partes plures, vnaquaq; illarū concitat ad iram. Irascentium verō plurimi vltionis causa impetū faciūt, non causa potentia, quale fuit illud filiorū Pistrati. Ob contumeliam enim sorori Harmodii illatam, & ipsum Harmodiū compellatū, impetus in eos factus est: ab Harmodio quidem propter sororē, ab Aristogitone autem propter Harmodium. Aduersus Periandrum quoq; Ambraçia tyrannū infidiæ factæ sunt ex eo, quia in potu, quem amabat puerum interrogauit, an nondum ex se prægnans factus esset. Philippus verō à Pausania occisus est, quia nō vlciscebatur contumeliam sibi factā ab Attalo. Et Amyntas paruus à Darda, quia iactaret se illius ætate abusum esse. Et Eunuchus ab Euagora Cyprio. Quod enim mulier reueneret eius filium, quasi contumelia affectus eum necauit. Plurimæ verō inuasiones factæ sunt ex eo, quia in corpus verecundiā intulissent: qualis fuit inuasio illa Cratei aduersus Archelaum. Semper enim molesta illi fuerat consuetudo eius. Itaq; parua etiā occasio sufficiens fuit, vel quia filiarum nullam sibi dederat, cū se daturum promississet. Sed primā occupa-

tus bello aduersus Syrram Arabarū tradidit regi Elibia: alteram verō filiam minorem natu filio Amyntæ coniugauit, existimās per hunc modum minimē sibi fore aduersaturum ex Cleopatra genitum. Sed indignationis principium exitit, quod grauius ferebat, sed ad libidinis gratiā haberi. Fuit vnā cum illo ad rem patrādām Hellanocrates Laiffesus ob eandē causam. Quod enim abusus ætate illius, non, vt promiserat, deducebat, ob contumeliā id fieri ratus est, non ob amorē. Paron verō, & Heraclides Aenii, Corynperemerūt, patri tmacantes. Adamas verō à Cōty rebellauit, quasi contumelia affectus, quod ab eo in pueritia exectus esset. Multi etiam ob verberatum corpus vel interfecerūt ira perciti, vel impetum fecerunt, quasi contumelia affecti, & contra homines in potestate constitutos, & contra reges: vt Megacles apud Mitylenem Penthalidas circumeuntes, & clauis pulsantes, cum amicis aggressus interfecit. Et postea Sinerdes verberibus cæsus, & à muliere tractus Penthilō interemit. Archelai verō necis princeps fuit Dechannichus. Is enim primus cæteros aggressores cōmouit, & iritauit. Causa verō fuit ira, quod illum Archelaus Euripidi poetæ verberandū tradidisset. Erat verō infensus illi Euripides ob male dictum in ipso infauitatem oris iactatū. Et alii complures tali de causa vel interfecti sunt, vel in periculum insidiarum venerunt. Similiter quoq; propter metum: hæc enim vnā ex causis est, vt in Republica, sic etiā in vnus gubernatione. Ceu Xerxem Arthapobanes metuens calumniā de Dario, quod eum suspendisset, Xerxes non iubente, sed putans illi veniā esse datā propter cœnā, quasi ab ignoscente. Aliæ verō propter contemptum: vt videns quidā Sardanapalum regem inter eas mulieres pensā diuidētē, si modō hæc fabula vera fuit, & si non in illo, atamen hoc in alio verū esset. Et Dionysium posteriore Dion inuasit, quod eum cōtemnebat, conspiciens ipsum Dionysium semper ebrium, & ciues Syracusanos ita se habere. Amicorum etiam quidam insurgunt propter contemptum. Ob fidem enim eis adhibitam spernunt, tanquā facultatem habentes clam moliendi: & putantes se dominationē obtinere posse, quodā modo per contemptū inuadunt. Tanquā enim potentes, & contemnentes periculū, propter suam potentia facilliter insurgūt: vt duces quidam exercituum aduersus principes suos: quemadmodum Cyrus contra Astyagem, cuius & vitam, & potentiam contemnebat, cernens & copias eius iam conuenisse, & ipsum in deliciis vitam agere. Et Seuthes Thracius, cū esset dux exercitus Amadoci. Quidam verō huiusmodi plurium gratia insurgunt, ceu propter contemptum, & propter lucrum, veluti contra Ariobarzanē Mithridates. Maximè verō propter hanc causam insurgūt ii, qui sunt natura t superbi, & honorē habent ex rebus bellicis apud dominantes, & principes. Fortitudo enim potentiam habens, superbia est, per quas ambas quasi facilliter superaturi eos aggrediuntur. Eorum verō, qui ob honoris cupiditatem insurgunt, alius modus est causæ, vltra iam

dictos. Non enim ut quidam, tyrannos inuadunt spe magnorum commodorum, magnorumque honorum, quos in illis cernunt, inducti, sic & qui ob honoris cupiditatem eos aggrediuntur. Sed illi quidem ut ea sibi arripiant, quæ in tyrannis admirantur: hi autem, ut ex re gesta memorabili, atque egregia famam, ac celebritatem nominis consequantur, non dominationem acquirere volentes, sed gloriam. Sunt tamen perpauci, qui ob hanc causam moueantur. Constituendum est enim, sibi uiuendum non esse, nisi rem confecerint. Quibus adesse oportet Dionis propositum, non facile quidem ut fiat in multis. Ille enim cum paucis militibus contra Dionysium profectus, ait quantumcumque progredi posset satis id sibi fore, ut si vel parum terræ illius inuasisset, pulchrum iam sibi mori existimaret. Corruptuntur autem tyrannides, uno quidem modo, ut vnaqueque aliarum Respublicarum ab extra si aliqua sit contraria Respublica robustior. Nam voluntas quidem aderit, propter contrarietatem electionis. Quæ autem volunt, omnes efficiunt modò possint. Contrariæ verò sunt gubernationes, populus quidem tyrannidum secundum Hesiodum, ut figulo figulus: nam gubernatio populi illa postrema, tyrannis est. Regia verò potestas, & optimatum gubernatio, propter contrarietatem gubernandi. Quapropter Lacedæmonii multas euerterunt tyrannides, & Syracusani per id tempus, quo Respublica eorum rectè gubernabatur. Alio autem modo corrumuntur, cum in se ipsis seditionem habent: quemadmodum circa Gelonem factum est, & nunc circa Dionysium. Gelonis enim filium Thrasibulum Hieronis frater per illecebras, & voluptates traducebat ad populi fauorem, ut ipse dominaretur. Domestici verò, ac necessarii per factionem repugnabant, ut non tyrannis omnino dissolueretur, sed Thrasibulus. Verum alii inter hæc conspirantes, eam occasionem nacti ipsos omnes pepulerunt. Dionysium autem, Dion contra eum copiis ductis, cum esset affinis, suscepto populo, illum pepulit, ipse verò interfectus est. Cumque duæ sint causæ, propter quas maximè contra tyrannos insurgunt, odium scilicet, & contemptus: odium quidem existat oportet in tyrannos: ex contemptu autem plurimæ fiunt euerfiones. Huius verò signum fuerit, quòd plerique eorum, qui dominationes adepti sunt, eas usque ad extremum conseruauerunt. Sed qui ab illis suscepterunt, confestim, ut ita dixerim, perierunt omnes. In voluptatibus enim uiuentes, efficiuntur facile contemnendi, ac multas præbent occasiones opprimendi sui. Particulam verò quandam odii, debemus iram existimare. Nam quodam modo earundem rerum causa existit: & est interdum ira efficacior, quam odium. Vehementius enim insurgunt, quia perturbatio illa non vitur ratione. Maximè verò contingit ut ira deferatur, qui contumelia fuerunt affecti: per quam quidem causam & Pisistratarum deleta est tyrannis, & multa aliarum. Sed odium magis [ratione vitur.] Nam ira cum dolore fit, quare non facile ratione vitur: odium verò sine dolore. Ut autem summatim dicamus, quotcumque causas diximus pau-

corum potentiam illius postremam & nimiam, ac popularis gubernationis extremam, totidem & tyrannidis causas esse ponendum est. Nam & hæc sunt tyrannides quædam. Regnum autem ab his, quæ extrinsecus sunt, minimum corrumpitur: quapropter & diuturnius est. Ex se autem ipso ut plurimum euertere contingit. Corruptitur autem duobus modis. Vno, si seditio oriatur inter eos, qui participes sunt regni. Alio modo, si tyrannicè gubernare pergant, volentes esse domini plurimum, & contra legem. Non fiunt nunc amplius regna, sed si qua fiunt, monarchiæ, & tyrannides magis sunt: ob id, quia regnum spontanea gubernatio est, ac maiorum propriè. At plurimi pares sunt, neque usque adeo præcellentes, ut ad magnitudinem dignitatemque huius gradus se possint attollere. Atque ex eo fit, ut sponte illi non pareatur. Quòd si deceptione quis, aut vi dominetur, iam apparet hanc esse tyrannidem. In regnis autem illis, in quibus succeditur per genus, ponendum est, corruptionis esse causam ultra illas, quæ sunt supra dictæ, quòd plerumque contemnendi homines succedunt in regnum: & quòd cum non habeant potestatem tyrannicam, sed regiam, superbiunt. Est enim facilis deiectionis regis: si enim nolint, statim non erit rex. At tyrannus etiam nolentium est. Corruptuntur ergo gubernationes vnius per has, & huiusmodi causas.

Per quæ regna seruantur: & quibus modis retineantur tyrannides. Cap. XI.



eruantur autem simpliciter loquendo, ex contrariis. Singulariter autem loquendo per deductionem illarum ad mediocrem modum. Quanto enim paucorum est potestas omnis, tanto maiori tempore necesse est eam durare. Nam & ipsi, & qui regunt, minus superbiunt, magisque moderati fiunt: & illi, qui reguntur, inuidet minus. Propter hoc enim & apud Molossos longo tempore durauerunt reges, & apud Lacedæmonios, quòd ab initio statim in duas partes diuisa fuerit regia potestas. Et postea Theopompus ad mediocritatem magis illam deducens, Ephoros superaddidit: potestate quidem minuens, sed tempore augens regiam auctoritatem, ut faceret eam quodam modo non minorem, sed maiorem, ut ad uxorem respondisse ferunt dicentem, An non erubesceret, quòd filiis minorem potestatem regiam dereliqueret, quam à parentibus ipse accepisset. Non profectò, inquit: nam relinquo eis durabiliorè. Tyrannides verò seruantur duobus modis inter se contrariis. Quorum alter est is, quæ per successionem traditum plurimi tyrannorum obseruant. Horum autem multa constituisse ferunt Periandrum Corinthium. Multa etiam ex gubernatione Persarum est assumere. Sunt autem hæc, illa perniciofa, quæ supra retulimus omni conatu à tyrannis fieri, quòd dominationem retineat: veluti potentiores decerpere, & sapientes perimere. Et neque comestiones permittere, neque sodalitates, neque disciplinam, neque aliud quicquam tale, sed omnia cauere, vnde consueuerint oriri inter ciues intelligètia, & fides. Et neque scholas,

neque conuentus aliquos scholasticos fieri concedere, & omnia facere, ex quibus ciues inter se quam maximè incogniti sint. Cognitio enim fidem generat inter ipsos. Et satellites eius apparere semper, ac versari foris, quòd minus latere possit quid quisque agat, assuescuntque; animum submittere per seruitutem continuam: & alia quæcumque; talia Persica, & barbarica, tyrannidis sunt. Cuncta enim idem possunt. Et ne lateant conari, quæcumque; quis dixerit, aut fecerit, sed esse exploratores: quemadmodum Syracusis hi, qui traductores nuncupabatur, & auricularii, quos submittebat Hieron ubique; foret congregatio aliqua, vel conuersatio. Minus enim audent, qui hæc timeant, & si audeant; minus latere possunt. Calumniari quoque; inuicè, & committere amicos cum amicis, & plebem cum nobilitate, & diuites inter se ipsos, & subditos ad paupertatem redigere, tyrannicæ est prauitatis: ut neque sumptus fiat in custodia, & illi quotidianis molestiis occupati vacare non possint ad consilia contra tyrannos ineunda. Exemplum huius sunt pyramides Aegypti, & donaria Cypselidarum, & Olympi ædificatio à Pisistratidis facta, & Policratis opera circa Samum. Hæc enim omnia fuerunt instituta ad otium, ac quietem populorum tollendam, & ad inducendam paupertatem per tributorum pensionem, ut etiam Syracusis factum est. Dionysio enim eam ciuitatem tenente, contigit Syracusanos in quinque annorum tempore cunctas facultates suas in soluendis tributis consumpsisse. Studet etiam bellum concitare tyrannus, ut negotiis occupetur ciues, & indigentia ducis continuo detineantur. Et regnum quidem per amicos seruat. Tyranni autem est maximè amicis diffidere, quasi velint omnes, possint autem maximè amici eum subvertere. Et quæ fiunt circa vltimam popularem gubernationem tyrannica sunt omnia: ut potentia mulierum domi, quòd reuelent virorum secreta: & manumissio seruorum, eadem de causa. Non enim insidiantur serui & mulieres tyranno: & si prosperè degant, necesse est beneuolos fore, & erga tyrannidem, & erga popularem statum: nam & populus dominus esse vult. Ex quo fit, ut adulatores apud utrosque; in honore habeantur. Est enim qui populum colit, & ducit, populi adulator. Tyrannorum verò qui assentando conuersatur, quod est opus adulatoris. Nam propter hoc prauos amicos habent tyrannos, quòd adulationibus gaudent. Id autem nemo faceret, qui mentem haberet libero homine dignam, sed amant boni viri, vel non adulantur: & vtilis prauis ad praua: Clauus enim clauo, ut dicitur proverbum. Nullo quidem honesto, nulloque; libero delectari, tyrannicè est: se enim solum esse talem putat tyrannus. Qui autem subditorum vel honestati student, vel libertati, minuere excellentiam, & præminentiam tyranni videntur. Oderunt ergo illos tyranni, tanquam euerfores potestatis suæ. Peregrinos etiam in conuiuia, & familiarem usum magis recipere, quam ciues, tyrannorum est: quasi illos quidem habeant hostes, hos verò non aduersantes. Hæc & huiusmodi à tyrannis fiunt pro dominatione retinenda, nec quicquam omittunt prauitatis.

Sunt autem (ut ita dixerim) hæc omnia tribus speciebus comprehensa. Tria enim coniectat tyrannus. Vnum, ut animos imminuat ciuium. Nemo enim parui animi contra tyrannum insurgit. Secundum, ut ciues inter se diffidentes reddat. Non eueritur enim tyrannus, nisi ciuium aliqui inter se fidem habeant. Quapropter & bonos viros persequitur quasi pestiferos, & aduersarios dominationi suæ, non solum quia non acquiescunt in seruitute viuere, verum etiam quia fides eis, & inter se, & ab aliis plurima adhibetur: neque accusant alios, neque ipsi inter se accusantur. Tertium, impotentia agendi. Nemo enim sibi impossibilia aggreditur: itaque; neque tyrannidem tollere, si potentia desit. Ad quos ergo fines referantur tyrannorum consilia, tres isti sunt. Ad has enim suppositiones, tyrannica redigi possunt vniuersa, partim ne confidant inter se ciues, partim ut potentia eis desit, partim ut pusillanimitas efficiantur. Vnus ergo modus, quo vitur tyranni, talis est. Alter verò modus, contrariam istis, quæ dicta sunt diligentiam facit. Est autem deprehendere ipsum ex regnorum corruptione. Ut enim regni modus corruptionis vnus est, gubernationem ipsam regiam magis reducere ad tyrannicam: ita tyrannidis conseruatio est, ad regiam gubernationem magis eam referre, vnum solummodo custodientem ut potentiam retineat, per quam non modò volentibus, verum etiam nolentibus dominari possit. Nam si hanc abiiciat, simul abiicit & tyrannum esse. Sed hoc tanquam suppositionem quandam manere oportet. Cætera verò partim facere, partim quam optimè simulare, ut regia gubernatio videatur. Primum enim videri comunium commodorum curam habere non effundentem largitiones tantas, ut ciues molestè ferant, quòd quidem ab illis capitur operantibus, ac laborantibus in sua tenuitate, (donat verò scortis, & peregrinis, & histrionibus effusè) rationem reddentem eorum, quæ acceperint, & expenderint. Quod iam factum est à quibusdam tyrannis. Sic enim administrans non tyrannus videbitur, sed legitimus gubernator. Nec erit ei formidandum; ne quandoque sibi desint pecuniæ, cum sit dominus ciuitatis: ac si dispergerent tyranni ex propria domo. Et prodest hoc magis, quam relinquere congregatas. Minus enim custodes ipsi contra tyrannum ob res ipsas insurgent. Sunt autem formidabiliores absentibus tyrannis qui custodiunt, quam ciues. Nam illi quidem adsunt, hi autem remanent. Deinde reditus & impensas apparare oportet, tum gratia diligentis administrationis, tum etiam ut si quando foret opus, illis uti possit ad belli necessitates, omninoque; se ipsum præbere custodem, & quæstorè, non ut suarum pecuniarum, sed ut comunium, & publicarum. Et videri velle non asperum, sed cum grauitate honestum, & talem, ut eum non timeant obuii, sed magis reuereantur. Hoc autem non facile est eum assequi, qui foret contemnendus. Quapropter opus est, ut si non aliarum virtutum, at saltem quibusdam uilis eum curam habere, ac talem de se ipso opinionem asserre. Insuper non solum ipsum vide-

μῆτε νόου, xi nulli protinus ciuium contumeliā facere, sed etiam nemini illorum, qui circa eum sunt. Eo-
 neque iuue- demq; modo se habere mulieres suas erga cæte-
 nis, neque iu- ras mulieres. Nam & per contumelias mulierū,
 peneclæ. permultæ iam tyrannides perierunt. Et circa vo-
 luptates corporis contrariū facere, quàm nunc
 faciunt quidam tyranni. Non solū enim sta-
 tim ab aurora id agunt, cōiuianturque per dies
 plures, verū etiā apparere volūt aliis quod ita
 faciant, vt tanquam felices, beatōsque admiren-
 tur. Sed in talibus maxima erit moderatio adhi-
 benda, vel saltem videantur illa fugere. Non e-
 nim faciliter inuadi potest, nec faciliter contem-
 ni, qui sobrius sit, sed qui ebrius, neq; qui vigi-
 let, sed qui dormiat. Contrariūq; agendum est
 suprà dictorum ferè omnium. Corroboranda e-
 nim, & ornanda ciuitas est ab eo, tanquam à cu-
 ratore, ac non tyranno. Videri etiam oportet,
 ipsum erga religionem deorum affici vehemen-
 ter. Minus enim formidabunt populi, ne quid
 contra iustitiam fiat, si religioni deditum illum
 existimabunt, ac deorum timorem habere: mi-
 nusq; contra illū audebunt insurgere, quasi deos
 habeat propitios, & fauētes. Veruntamen oportet
 sine improbitate talem videri, atq; eos viros,
 qui aliqua in re laudabiliter se gesserint, hono-
 rare, ita vt non existiment vnquam se magis ho-
 norari à ciuibus suis, in libertate degentibus po-
 tuisse. Hos autem honores ipsemet tribuere de-
 bet tyrannus, pœnas verò, & animaduersiones
 per alios infligere, per magistratus videlicet, &
 iudicia. Communis verò custodia omnis domi-
 nationis vnus, est neminem vnum præ cæteris
 magnum facere, sed plures: nam se inuicem cu-
 stodient. Quod si quem extollere oporteat, non
 tamen eum, qui sit moribus audax. Nam huius-
 modi homines, aptissimi sunt ad inuadendū cir-
 ca res omnes. Si verò cuiusquam potentia mi-
 nuenda est, modicè, ac non vno simul impetu,
 omnis potestas est auferenda. Insuper ab omni
 contumelia abstinendum, præcipuè tamè à dua-
 bus, ne in corpus flagris, nève in atatem libidi-
 ne insultum agat. Maximèq; id cauendū in illis
 hominibus, qui honorem magnificiunt. Nam in
 pecunias illatam iniuriam, avari homines graui-
 ter ferunt. In honorem verò illatam, & qui boni
 sunt viri, & qui honorem magnificiunt, permol-
 lestè patiuntur. Quapropter aut non huiusmodi
 hominum opera vtendum est, aut animaduersiones
 in illos patrio more, ac sine vlla cōtumelia
 sunt faciendæ. In atatem verò ex amore sit con-
 uersatio, non ex licentia. Deniq; hoc dedecoris,
 omnino impensione maiorum honorum est re-
 dimendum. Eorum autem, qui ad vim inferendā
 contra corpus tyranni insurgunt, illi sunt formi-
 dandi, & cauendi, qui ita dispositi sunt, vt am-
 pliùs viuere non eurent, cum occiderint. Qua-
 propter maximè cauendum est ab his, qui vel se
 ipsos, vel eos, quos habebant charissimos, contu-
 melia affectos putāt: sine vlla enim curā propriæ
 salutis irruunt, qui per indignationem, & irā ag-
 grediuntur. Quemadmodum & Heraclitus in-
 quit, durum esse dicens pugnare aduersus iram.
 Vita enim id emi. Cum verò ciuitates ex dua-

bus consent partibus, ex inopibus scilicet, & o-
 pulentis, maximè quidem de vtriusq; partis sa-
 lute cogitandum est ab eo, qui gubernat, & alte-
 ros ab alteris nulla iniuria affici. Quicunq; ta-
 men eorum sint potentiores, hi præcipuè sunt à
 gubernatione vendicandi, ac velut proprii effi-
 ciendi. Nam si hoc extiterit, neq; seruorum libe-
 rationem facere compelletur tyrannus, neq; ar-
 ma adimere. Altera nanq; pars tyranni potētia
 adiuncta, sufficiens erit ad superandum eos, qui
 contra insurgere vellent. Superfluum autem par-
 ticulariter dicere de omnibus istis. Intētio enim
 manifesta est, quod oportet non tyrannicum, sed
 tanquam patrem familiās, & regem esse putari
 ab illis, qui sub eo sunt, nec pro se capiētem, sed
 pro communis vtilitatis cautela, & cura. Et me-
 diocritatem in vita sequi, non excessus. Præter-
 eā, egregios viros per familiaritatem sibi con-
 iungere: plebem verò, ac multitudinem per fauo-
 rem, & gratiā in obsequio retinere. Ex his enim
 necesse est, nō solū dominationē eius esse pul-
 chriorem, & optabiliorem, ex eo, quia meliori-
 bus imperet, & non abiectis, neq; affectis, neque
 ex eo quod ipse neq; odio sit, neq; formidetur,
 verū etiam ex eo quod longiorē, & durabilio-
 rem eius dominationē fore contingat. Insuper
 moribus talem esse, vt vel rectè se habeat ad vir-
 tutem, vel semibonus quidam sit, & non malus,
 sed feminalus.

Quæ formæ Rerumpublicarum minimum durant,
 veluti tyrannis est: de Platonis obscuro, & re-
 probatione Socratis. Cap. XII.



T qui omnium gubernationum bre-
 uissimè durare solent paucorum po-
 tentia, & tyrannis. Quippe illa, quæ
 plurimo durauit tempore, Orthago-
 ræ, & filiorum eius, qui apud Sicyonios tyranni-
 dem habuere, ad centesimū vsque annum perue-
 nit. Durationis verò causa fuit, quod mediocri-
 tate quadam erga subditos vtēbantur, multaque
 legibus seruiētes agebant: & quia aptus rei mili-
 tari fuit Clisthenes, non facilè contemnendus
 habebatur. Plurimum verò conuersatione, & v-
 su familiari fauorem, & gratiam hominū acqui-
 rebant. Fertur etiam Clisthenes coronasse iudi-
 cem, qui victoriæ illius contradixerat. Aiūt qui-
 dam huius iudicis statuam esse illam, qui in foro
 sedet. Pisistratus quoq; fertur, aliquid apud
 consilium Areopagi citatus, iudicium subiisse.
 Secunda verò apud Corinthum Cypselidarum
 tyrannis. Nam ea durauit annis tribus & septua-
 ginta, & mensibus sex. Cypselus enim ipse tyran-
 nidem exercuit annis triginta: Periandrus verò
 quadraginta quatuor: Pflammetichus autè Gor-
 dii annis tribus. Causa verò durationis eadem
 fuit. Cum enim popularis esset Cypselus, ac gra-
 tia apud multitudinē præualeret, sine vlla cor-
 poris custodia in dominatione perseuerauit. Pe-
 riandrus autem eius filius, magis tyrannicè se
 gessit: sed vir erat bello egregius. Tertia, Pisi-
 stratarum Athenis: hæc autem non fuit continua:
 bis enim tyrannide pulsus fuit Pisistratus. Ita-
 que ex annis triginta tribus, solū annis septē
 & decem

& decem tyrannidem exercuit: filii verò eius: an-
 nis decem & octo: atq; ita omnes simul anni fue-
 runt quinq; triginta. Ex reliquis verò illa, quæ
 apud Syracusas fuit, Hieronis, & Gelonis, sed nō
 longa fuit: hæc annis enim non ampliùs quàm
 duo de viginti durauit. Gelon enim septem an-
 nis cum tyrannidem exercuisset, octauo defun-
 ctus est: Hieron autem decem: Thrasylbulus ve-
 rò mense decimo excidit. Cæterarum verò ty-
 rannidum pleræque, breui tempore duraue-
 runt omnes. Quæ igitur sint tam circa guberna-
 tiones plurium, quàm circa gubernationē vnus
 solius, per quæ & corrumpantur illæ, & seruetur,
 ferè dictum est. In Republica verò Platonis So-
 crates de mutationibus loquitur, nec tamen re-
 ctè. Illius enim Reipublicæ, quæ est optima, atq;
 prima, mutatio nulla propria assignatur. Inquit
 enim causam esse mutationis, quia sic natura
 comparatum sit, vt nihil permaneat, sed in am-
 bitu quodam temporis mutationem recipiat.
 Esse verò principium horum inquit, quorū ses-
 quitertius cubus quinario coniugatus duas exhi-
 bet harmonias. Inquiens, quando numerus dia-
 grammatis huius efficiatur solidus, vt pote natu-
 ra producente prauos, & meliores disciplina.
 Hoc ergo forsā inquit nō malè. Fieri enim po-
 test vt sint aliqui, quos disciplina institui, ac bo-
 nos fieri viros, impossibile est. Sed hæc non pro-
 pria mutatio foret illius Reipublicæ, quæ opti-
 mam esse vult magis, quàm aliarū omnium, &
 vniuersorum, quæ fiunt, & ex tempore, per quod
 inquit omnia mutari, & quæ non simul incipiūt,
 simul quoq; mutantur: ceu si pridie mutationis
 facta essent, simul fortè mutantur. Præterea, quæ
 ob causam ex illa transit ad Lacedæmoniorum
 Remplicæ? Sæpius enim in contraria transeūt
 Respublicæ omnes, quàm in ea, quæ sint propin-
 qua. Eadem ratio est de aliis quoque mutationi-
 bus. Ex Laconica enim, inquit, mutatio fit ad
 paucorum potentiam: ex ista verò ad popularē
 statum: ex illo rursus ad tyrannidem. Atqui &
 contrario mutantur, ceu ex populari in paucorū
 potentiā, & magis quidem quàm tyrannidem.
 Præterea, tyrannidis vtrum mutatio sit, vel nō
 sit, nil dicit propter quam causam, nec in quam
 Reipublicæ speciem transit. Huius verò causa
 est, quod non faciliter dicere valebat: indefini-
 tum enim. Nam secundum eum oportebat in
 primam & optimam: sic enim vtique fieret con-
 tinuò circulus. Sed mutatur in tyrannidē tyrānis,

vt ea, quæ apud Sicyonios ex Myronis tyrānide
 in Clisthenis. Et in paucorum potentia, vt illa,
 quæ in Chalcide fuit Anticleōtis, & in popularē
 statū, vt illa quæ Gelonis fuit Syraculis. Et in
 optimates, vt illa, quæ Charilai apud Lacedæ-
 monios, & Carthaginenses. Et in tyrannidem
 fit mutatio ex paucorum potentia, vt in Sicilia
 plurimæ verustarum. In Leontinis in Panæti
 tyrannidem: & apud Gelam in Cleandri: & apud
 Regium in Anaxilai: & in aliis compluribus ci-
 uitatibus eodem modo. Absurdum etiam putare
 in paucorum potentiam ideo transire, quia ho-
 mines cupidi, & pecuniarū studiosi, in magistra-
 tibus versentur, ac non quia plurimi diuitiis su-
 perabundantes, nō iustū existiment par habere in
 ciuitate eos, qui non habent facultates, & eos,
 qui habent. In multisq; paucorum potentiis nō
 licet pecunias quærere, sed leges sunt id prohi-
 bentes. Apud Carthaginem autem, quæ popula-
 riter gubernatur, pecuniis student, nec tamē ad-
 huc mutati sunt. Absurdum etiam dicere, esse
 duas ciuitates sub paucorum gubernatione, opu-
 lentorū, & inopum. Quid enim aliud huic for-
 mæ, quàm Laconicæ accidit, vel alteri cuiun-
 que, vbi non omnes æqualia possideant, aut nō
 omnes æqualiter sint boni viri? Nullo autē pau-
 periore factō, nihilò minus ex paucorū transmu-
 tantur gubernatione ad popularem statum, si plu-
 res sint inopes: & ex populari in paucorū poten-
 tiam, si potentiores sint opulenti, quàm multu-
 do, & alteri negligant, alteri intendant. Cumque
 plures sint causæ, ex quibus mutationes fiunt,
 eas non dicit, sed vnam solū, quod prodigali-
 ter viuentes vsuris confecti pauperes efficiuntur.
 Quasi verò fuerint omnes ab initio diuites, vel
 plurimi eorum: sed hoc falsum. At quādo ipsorū
 potentium quidam patrimonia consumpserint,
 res nouas moliuntur: quando autem alii, nil gra-
 ue accidit: & mutantur nihilò magis in popula-
 rem statum, quàm in aliam speciem gubernatio-
 nis. Insuper verò & si honores vnā cum aliis nō
 capiant, si iniurias inferant, si contumeliis affi-
 ciant, seditiones oriuntur, & mutationes in
 Republica. Fiunt etiam, (etsi nulla dissipatio pa-
 trimonii intercesserit) ex eo quod liceat, quic-
 quid volūt, efficere. Cuius rei causam esse ferūt
 nimiam libertatem. Cumque plures sint paucorū,
 plures etiam populi gubernationes, tan-
 quam vtraque vna sit, mutationes assignat So-
 crates.

ARISTOTELIS STA- giritæ Politicorum, Siue de Rebus publicis, Liber Sextus,

Leonardo Aretino Interprete.

ARGUMENTVM LIBRI.

IN sexto hæc exponuntur: Populares gubernationes, paucorum potentia magistratus. De popularibus gubernationibus: quibus multitudinibus conueniant: finis, et popularitati peculiariaria: æquum populare: quæ optima popularis, & quæ leges, præcepta. De paucorum gubernationibus: species: partes multitudinis, & documenta.

Quod quæ Rebus publicis, paucorum potentij, & popularibus gubernationibus conueniant, considerandum sit. Cap. I.

QUOT igitur sint differentiarum, & quales eius, quod deliberandi habet potestatem, & in quo summa Reipublicæ consistit, & circa magistratuum ordinationem, & de iudiciis, & qualia ad qualem ordinem Reipublicam, & præterea de corruptionibus, & conseruationibus Reipublicarum, ex quibus proueniant, & quas ob causas dictum est prius. Sed cum plures sint species popularis, & similiter aliarum gubernationum, de illis, si quid restat, non peius fuerit considerare, ac simul vni cuique earum proprium, & conuenientem modum reddere: ac præterea considerare conjunctiones simul ipsorum modorum. Nam eorum conjunctio parit Reipublicarum varietatem, vt & optimatum gubernationes ad paucorum declinent potentiam, & Reipublicæ magis populares existant. Dico autem conjunctiones, quas considerare oportet, & nunc usque considerata non sunt: ceu pars illa, quæ in deliberando versatur, & illa, quæ circa electiones magistratuum consistit, ita instituta sit, vt conferat paucorum potentiam. Aut quæ circa deliberandum ad paucorum potentiam: quæ autem circa electiones, ad optimatum gubernationem magis declinet: vel per alium quendam modum, non omnia instituta sint Reipublicæ congruentia. Qualis igitur popularis quali congruat ciuitati, & qualis paucorum potentia, quali multitudini, & aliarum gubernationum, quæ quibus conferat, dictum est prius. Veruntamen oportet fieri manifestum, non solum quænam istarum gubernationum optima sit ciuitatibus, sed etiam quomodo constituendæ sint & istæ, & aliæ, breuiter est explicandum, Et primo de populari di-

cemus. Nam per hanc etiam de contraria illius gubernatione patebit. Hæc est autem, quam vocant quidam paucorum potentiam. Capienda sunt autem ad hanc disciplinam cuncta popularia, & quæ videntur popularium esse sequacia. Ex his enim simul positis, resultant species gubernationis popularis: & plures esse eas, quam vnam, & differentes, continget. Duæ sunt causæ, per quas plures existunt populares. Prima illa, quæ dicta est prius, quia inter populos differentia est. Sunt enim alii agricolæ, alii opifices, alii ministri: quorum primi à secundis, & tertii ab vtrisque, non in eo modo differunt, quod melior, aut deterior popularis status, verum etiam in eo quod non idem sit. Secunda verò causa est, de qua nunc dicimus. Quæ enim popularem statum sequuntur, ac videntur esse propria ipsius, coniuncta simul faciunt varietatem. Nam alicui pauciora consequentia sunt, alicui plura, alicui omnia. Vtile verò horum singula cognoscere, & ad constituendum quam velit quis, & ad corrigendum. Querunt enim, qui Reipublicam instituit, cuncta, quæ illi propria, & conuenientia sint, in vnum colligere ad propositum suum. Sed aberrant, dum hoc faciunt, vt supra dictum est à nobis, vbi de corruptionibus Reipublicarum, tractauimus. Nunc autem dignitates, & mores, & quæ flagitent, dicemus.

Quis sit finis popularis gubernationis, & de quibusdam popularium gubernationum peculiaribus. Cap. II.

Ropositum igitur popularis Reipublicæ, est libertas. Hoc enim dicere consueuerunt, quasi in hac solummodo Republica libertatem querentes. Ad hanc enim respicere dicunt, omnem popularem statum. Libertatis verò ipsius pars vna in eo consistit, vt per vices imperent, & pareant. Nam iustum populare, est æquum habere secundum numerum, non secundum dignitatem. Ex quo fit, vt secundum hoc iustum, multitudo ex necessitate dominetur. Et quicquid decreuerit populus, id esse ratum, & id esse iustum. Aiunt enim oportere, vt vnusquisque ciuium æquum habeat. Atque ita contingit, in popularibus gubernationibus inopes plus posse, quam opulentos: plures enim sunt: & id obtinet, quod pluribus videatur. Vnum igitur libertatis signum hoc est, quod ponunt omnes popularis Reipublicæ finem. Alterum verò, viuere vt quisque

quisque velit. Hoc enim aiunt opus esse libertatis: siquidem serui est viuere non vt vult. Hic est igitur secundus popularis Reipublicæ finis. Hinc profectum est, nemini potissimum subesse velle. Quod si hoc non datur, ac saltem per vices subesse, ac præesse: idque pertinet ad libertatem, quæ est secundum æquum. His præsuppositis, ac tali existente principio, popularia huiusmodi sunt: sumi ad magistratus omnes ex omnibus, ac præesse omnes vnicique, & vniqueque vicissim omnibus. Per sortem tribuere magistratus, vel omnes penitus, vel illos saltem, qui non peritiam indigent, & arte. A nullo censu esse magistratus, vel saltem à minimo. Non nisi semel eundem magistratum ab aliquo geri posse, vel per sortem, & paucos, exceptis his, qui versantur in bello. Parui temporis esse magistratus, vel omnes, vel quotquot recipiunt: iudicare omnes, & ex omnibus, & de omnibus, vel de plurimis, & maximis, & principalissimis: puta de corrigendo, & de Republica, & de priuatis contractibus. Et concionem esse omnium dominam, magistratum verò nullius: aut dominam esse concionem rerum maximarum, magistratum verò minimarum. Inter magistratus autem popularissimum est consilium, vbi non omnibus est mercedis facultas: nam tunc quidem adimunt & huius magistratus potentiam. Ad se enim reducit iudicia cuncta populus mercede abundans, vt diximus supra, vbi de hac parte tractauimus.

Deinde mercedem capere potissimum quidem omnes, concionem, iudicia, magistratus: vel saltem magistratus, & iudicia, & consilium, & conciones principales: vel eos magistratus, quos necesse est in eadem simul esse comensatione. Præterea, cum paucorum gubernatio genere, & diuitiis, & eruditione definiatur, videntur quæ popularitatis sunt, contraria esse, ignobilitas, inopia, sordidum opificium. Præterea, potestatem nullam perpetuam esse. quod si reliqua sit aliqua ex antiqua mutatione, illius auferre potentiam, & ex electione ad sortem reducere. Hæc igitur omnia communia sunt gubernationum popularium. Cōtingunt autem ex eo iusto, quod fatentur esse populare. Hoc est æquum habere omnes secundum numerum, quod maxime videtur esse popularis status, & populi. Aequum est enim, cum nihilo magis gubernant diuites, quam pauperes, nec soli potestatem habent, sed omnes ex æquo secundum numerum. Sic enim demum existimant paritatem in Republica esse, ac libertatem.

Quo pacto in populari gubernatione census partendi sint, vt seruetur æquale iustum populare. Cap. III.

Ed queritur post hæc quemadmodum habebunt æquum, vtrum oportet partiri in mille eos census, qui sunt quingentorum, & mille æqualiter posse quingentis. Vel non sic ponere oportet istam paritatem. Vel partiri quidem sic: deinde ex quingentis pares accipientem, & ex mille, hos potestatem habere partitionum, & iudiciorum. Vtrum

igitur Respublica ista iustissima est secundum populare iustum, vel magis illa, quæ secundum multitudinem? Aiunt enim populares, id esse iustum, quod videtur vtrique pluribus. Potentes verò, quod videtur his, qui plus possident. Pro multitudine enim facultatum aiunt esse statuendum. Sed habent hæc vtraque imparitatem, & iniustitiam. Si enim quod pauci tyrannis est: Nam si vnus habeat plura, quam alii opulenti, secundum paucorum iustum, is solus dignus est, qui gubernet. Si verò quod plures secundum numerum, iniuriabuntur, publicantes bona opulentorum, ac paucorum, vt superius dictum est. Quæ igitur sit æqualitas, quam ambo profitentur, considerandum est ex his, quæ vtrique definiunt iusta. Inquiunt enim, quicquid videatur maiori parti ciuium, id oportere esse ratum. Sit quidem hoc, attamen non penitus: sed cum duæ partes sint, ex quibus ciuitas constat, diuites scilicet, & pauperes, quod ambabus videatur, aut pluribus id ratum sit: quod si contraria videatur, quod pluribus & habentibus maiorem censum. Puta, si alii decem, alii viginti, videatur autem diuitum sex, pauperum verò quindecim, accedant verò pauperibus quatuor diuitum, diuitibus autem quinque pauperum: quorumcunque igitur census exuperat, connumeratis ambabus vtrisque, id ratum sit. Quod si forsitan æquales esse contigerit, communem esse hanc ambiguitatem putandum est: vt nunc accidit, si vtrique paria suffragia concionis sint, aut pares in iudicio sententiarum. Nam aut sorte dirimendum est, aut aliud quiddam huiusmodi agendum. Sed de æquo, & iusto, quantum sit admodum difficile in illis reperiri veritatem, tamen facilius est fortiri, quam persuadere iis, qui plus habere possunt. Semper enim qui imbecilliores sunt, æquum, & iustum querunt: sed qui plus possunt ista non curant.

De quatuor speciebus popularium, ad quos pertineant, de earum legibus, atque vassamentis. Cap. IIII.

Vm verò quatuor sint gubernationes populares, optima est illa, quam primo gradu posuimus, vt superioribus libris dictum est. Eadem quoque antiquissima omnium. Dico autem primam secundum distinctionem populorum: nam optimus populus est ille, qui ex agricolis constat. Itaque & popularis status effici datur, vbi multitudo ab agricultura viuunt, vel pascuo, negotiosa quidem, quia nondum multum habet.

Ex quo fit, vt raro concionem agant. Cum enim laborandum sit illis circa necessaria ad victum, operibus destinatur suis, & aliena non appetunt. Dulciusque illis est opus facere, quam in Republica versari, nisi magna in gubernando sint emolumenta suscepturi. Plerique enim magis lucrum appetunt, quam honorem. Signum huius est, quod tyrannides antiquitus pertulerunt, & nunc paucorum potentiam perferunt, modò suam rem agere illis per-

mittatur, neque diripiantur quæ habent. Citò nanq; alii eorum diuites efficiuntur, alii egere desistunt. Præterea, si quæ cupido honorû eis inest, facillè adimpletur per potestatem, quam in concionibus habet, creandi magistratus, & corrigendi delicta. Nam in quibusdam ciuitatibus, etiam non eligit populus magistratus, sed quidam per partes deputati ex omnibus, vt apud Mantineam, tamen satis esse putant, quòd consulendi, deliberandiq; habent potestatem. Ac putandum est, hanc esse tanquam formam aliquam popularis gubernationis, vt fuit quandoque apud Mantineam. Quapropter vtile est priùs dictæ populari gubernationi, & ita consuetudo fuit, eligere quidem magistratus & corrigere, & iudicare omnes. Magistratus autem maximos geri per eos, qui electi sint, & à censibus maioribus maiores, vel à censibus nullum, sed per eos qui possunt. Necessè est autem, cum ita gubernantur Respublicæ, eas bene gubernari. Nam magistratus semper ab optimis gerentur, populo ita volente, neque præstantioribus inuidente. Nobilibus autem ipsis, & præstantibus, hic gradus sufficet. Non enim suberunt aliis deterioribus. Ipsi verò magistratibus gerunt iustè, quia pœnam formidabunt, quoniam corrigere ad alios pertinet. Compesci enim, ac non licere facere quicquid quis velit, vtile est. Nam licentia agendi quod quisque velit, custodire non potest ingenitam vnicuique hominum prauitatem. Itaque necesse est illud euenire, quòd optimum est in Rebus publicis, vt magistratibus à præstantioribus gerantur, sine vlla populi diminutione. Quòd igitur hæc popularium gubernationum est optima, patet, & qua de causa, quia ob talem aliquem esse populum. Ad constituendum autem populû agricolam, tum leges quædam antiquitus apud multos latæ, vtilissimæ sunt, tum illud vniuersaliter, ne liceat cuiquam habere plus agri, quàm mensuram certam, vel ab aliquo loco ad oppidum, & ciuitatem. Erat antiquitus in multis ciuitatibus lege cautum, non licere venditionem facere bonorum primæ hæreditatis. Est etiã lex, quam dicunt Oxei fuisse, ne liceat cuiquam scenerari super aliqua fundi parte, quam quis haberet. Dirigere etiã id oportet Aphycalorum lege. est enim vtilis ad id, quod dicimus. Illi enim quanquam sint permulti, possideant autem exiguam regionem, tamen omnes agricolæ sunt: quoniã pretia constituant non totarum possessionum, sed per tales partes diuidentes, vt etiam pauperes facillè eas pretiis superare possint. Post agriculturalium multitudinem, optimus est populus, vbi pastores sunt, & viuunt ex animalibus. In multis verò hæc cum agricultura, conuenientiam habet. Vtrique enim corporibus exercitati ad bellicas expeditiones vtilissimi sunt, ac potentes sub dio consistere. Cæteræ verò multitudines quasi omnes, ex quibus alii status populares constant, multò quàm hi deteriores sunt. Nam opificum quidem, ac forensium, & mercenariorum vilis est vita, nullumq; virtutis opus eorum, quæ tractat multitudo: & insuper quia huiusmo-

di genus hominum, circa forum, vrbemq; : vt ita dixerim, assidue hæret, facillè conciones agit: at agricolæ, quia sparsim habitant per agros, neque in vnum coeunt facillè, neque similiter indigêt huiusmodi cõgregatione. Quibus verò in locis cõtingit situm regionem talem esse, vt longè distent ab vrbe, in iis facile est, popularem statum laudabilem constituere, ac Rem publicam. Vi enim ipsa compellitur multitudo, quasi colonias per agros efficere. Quare & si Forensis turba sit, tamen conciones in populari statu non facit absque multitudine illa, quæ per agros habitat. Quomodo ergo constituenda sit optima illa, ac prima popularis gubernatio, dictum est: patet etiam quomodo alia. Subsequenter enim est descendendum, & deterior semper multitudo separada. Postremam verò speciẽ, quia omnis multitudo ad illam recipitur, neque cuiuscunque ciuitatis est, eam perferre, neq; facillè permanere eam, nisi legibus, & moribus bene stabilitam. A quibus verò labefactari contingat, & hanc, & alias Respublicas ferè dictum est priùs in plurimis. Sed ad constitendam hanc popularem gubernationem, & ad populum roborandum, consueuerunt præsidentes ad populum recipere complures, ac ciues efficere nõ solum legitimos, verum etiam spurios ex quouis ciue, id est, siue ex patre, siue ex matre. Omne enim hoc huic populo magis cõueniens est. Consueuerunt igitur ii, qui populos ducunt ita cõstituere. Oportet tamen id facere, quoad exuperet nobilium, mediõrumq; multitudo, neque vltra progredi. Nam si transcendunt, turbatione efficiunt Rempublicam, ac nobilitatem exasperando magis irritant: quæ causa seditionis fuit apud Cyrenem. Paruû enim inconueniens conuiuendo transigitur: magnum verò in oculis hæret. Insuper talia constituta vtilia sunt ad popularem statum huiusmodi, & ad populi corroborationem, qualia Clisthenes Athenis factitauit, quòd populi gubernationem auget: & apud Cyrenem qui populum constituerunt. Tribus enim alia constitutendæ sunt plures, & sodalitates priuatorum sacrorû redigendæ sunt ad paucam, & publicam. Et cuncta diligenter & excogitanda, quo quàm maximè omnes simul admisceantur familiaritates, conuersationesq; primè disiungantur. Præterea, tyrannica machinamenta omnia videntur esse popularia, ceu licentia seruorum, & mulierum, & puerorum, vt sine metu viuunt vt velint. Permuli enim huiusmodi statum ciuitatis amabunt, cum plerisque dulcius sit dissolutè viuere, quàm modestè.

Ad populares institutiones præcepta.
Cap. V.

St t autè opus legis positoris, & eorum, qui volunt statum aliquem talè consistere. Nam vt constituatur talis status, non magnum negocium est, neque solum, sed magis vt seruetur. Vno enim, vel duobus, vel tribus diebus permanere quomodocunque gubernantibus, haud difficile est. Quapropter opus est ex his, quas supra retulimus, conseruationibus, & corruptelis Rerum

Rempublicarum, cautelam assumere, cauendo illa, quæ corruptiua sunt, ac leges tales ponendo, & sine scripto, & scriptas, quæ conseruationes status maximè comprehendant: neq; putare id esse populare, neq; paucorum potentia, quòd efficiat ciuitatem maximè à multis, vel à paucis gubernari, sed quòd quàm plurimû tempus. At nunc ii, qui sunt potentes in populis gratificantes multitudini, multa populariter agunt per publicationes bonorû in iudiciis factas. Quare oportet eos, qui curam salutis habent Reipublicæ, contra moliri, leges ponendo: vt damnatorum bona sacra sint, & non in publicû, sed in sacrum referantur. Hæc enim lex nihilò minus iniurias cõpescet: nam pœna eadem erit. Populum autem minus cupidè damnabit, cum nihil sit vtilitatis ex damnatione suscepturus. Insuper publicas accusationes quàm rarissimas facere, magna pœna constituta aduersus eos, qui falsò accusarint. Non enim populares in iudiciû vocari consueuerunt, sed nobiles. Oportet autè erga statû Reipublicæ quantû fieri potest, omnes reddere beneuolos: quod si id fieri nequeat, saltem conari, ne hostes existiment eos, qui gubernant. Cum verò postremæ illæ species gubernationum populariû in multitudine consistant, ac difficile sit vt concionibus vacare possint sine alicuius mercedis susceptione, hoc autè nisi reditus habeat ciuitas, maximè inimicû est præstantibus viris. Nam ex tributo, & publicatione bonorum, & ex iudiciorû improbitate, necesse est prouenire, quòd multas iam populariû Respublicas subuertit. Vbi ergo publici reditus nõ sunt, facere oportet conciones raras, & iudicia magna quidem, sed paucis diebus duratura. Hoc autem confert ad illud, quòd non formidabunt impensas opulenti, si diuites non capiant mercedem iudicii, sed pauperes. Confert etiam ad rectè iudicandum multò magis: nam qui magna patrimonia habent, multis diebus abesse nolunt à rebus suis, modicû verò abesse tempus non molestè ferunt. Vbi verò sunt reditus publici, nõ id facere, quòd nunc magni quidam in populo faciunt. Superflua enim diuidunt, ac simul capiunt, moxq; rursus indigent eisdem. Est enim pauperibus, ceu vas perforatum huiusmodi emolumetum. Sed oportet eum, qui verè popularis sit, videre ne multitudo pauperie nimia prematur: nam egestas prauam reddit populi gubernationem. Conandû est igitur ingeniosè, vt abundantia adsit diurna: nam id prodest etiã diuitibus. Congregâtes verò illa, quæ ex redbibus proueniunt, simul omnia egenis tribuere oportet: præsertim si quis possit tantum cõgregare, quantû sat est ad agelli comparisonem, vel saltem ad facultatè, negotiandi, & agrum colendi. Et si non omnibus possibile, at secundû tribus, aut partem aliã id facere. In hoc autè ad necessarios conuentus, mercedè diuites conferre, cupidus inanium munerum. Per talem aliquem modum Carthaginenses gubernantes, amicam retinent populum. Semper enim quosdam è populo mittentes in aliquas gubernationes eos diuites faciunt. Gratiatorû verò, ac mentem ha-

rentium nobiliû est suscipere egenos, & occasionem præbentes conuertere ad res agendas. Rectè quoq; se habet Tarentinorû exemplum imitari. Illi enim iumenta facientes cõmunia ad pauperû vsûm, beneuolam per hunc modum sibi plebè constituunt. Magistratus insuper omnes duplices faciunt: vt sint alii per electione, alii per sortè. Quo enim populus capiat, per sortè: quo autè melius gubernetur, per electione. Est autè hoc facere etiã in vno, eodèmq; magistratu, vt alii sorte, alii electione ad eum gerendum assumatur. Quemadmodû ergo oporteat gubernationes multitudinis instituere, dictum est.

De speciebus paucorum potentia, ordinatione census ex populo assumendi, quæ paucorum gubernatione potiores, & que deterrima. Cap. VI.


Quomodo quoq; gubernationibus quomodo agendum sit, patet ferè ex eisdem. Nam per contrariû agendum est, in omni paucorum gubernatione, ad oppositam sibi popularis gubernationis speciem, reputado optimam illam, ac summam ceterarum, gubernationem paucorum, & primam. Hæc autem propinqua illi, quæ Respublica nuncupatur, in qua oportet census diuidere, & alios minores, alios maiores facere. Minores quidè, à quibus necessarij magistratus capiantur: maiores verò, à quibus capiantur ii magistratus, qui sunt principiores. Et qui tantum adepti fuerint censum, habiles sint ad Rempublicam gerendam: afferente populo tantam multitudinem per ipsum censum, vt cum illa potentiores sint, qui gubernant Rempublicam, quàm illi, qui nõ gubernant. Semper autem ex meliori populo capiendi sunt illi, qui ad societatem Reipublicæ recipiuntur. Similiter autem in ea gubernatione paucorum, quæ sequitur, intendentes parumper, est instituendum. In ea verò, quæ opposita est extremæ popularitati, quæ est paucorum potètia, tyrannidi persimilis, quantò deterrima est, tantò maiori opus est custodia. Vt enim corpora bene disposita ad sanitatem, & nauigia bene instructa ad nauigandum, multos ferunt errores, nec ob eos succumbunt, valetudinaria autem corpora, & nauigia parum firma, nauisq; instructa prauis, ne paruos quidem ferunt errores: ita Rempublicarum eæ, quæ deterrimæ sunt, plurima indigent custodia. Populares igitur gubernationes, per multitudinem hominum omnino seruatur. hoc enim opponitur ad illud iustum, quòd est secundum dignitatem. Paucorum verò potentium contra, videlicet per rectam ordinationem oportet assequi firmitatem.

Quòd partes multitudinis præcipuæ sint quatuor, & quæ sint, ac rotidem, sint partes vtilis ad bellum, & præcepta ad paucorum potentias. Cap. VII.

Vn verò sint multitudinis potissimè partes quatuor, agricolæ, artifices, negotiatores, mercenarii: quatuor etiã vtilis ad bellum, equites, pedites

παῖδες, malus, virtuosus peruersus.

δύστη δὲ τῶν μέγιστον καὶ τῶν βέλτερον ἔστιν αὐτῶν.



res grauis armaturæ, expediti leuis, & turba naualis: vbi contingit regionem esse ad equitatū aptam, ibi locum habet aptissimum, paucorum potentia illa summa. Nam conseruatio habitatorum ab equitibus prouenit. Equos verò nutrire, eorum est, qui magnas habent facultates. Vbi autē regio ad peditatū est apta, alterā speciem affectat paucorum potētīæ. Nam grauis armatura, diuitem est magis, quā pauperum. Expediti autem leues, & nautica turba, à plebe est 10
 omnis. Nūc autē vbi talis turba multa est, quādo seditio fit, deterius certant. Sed oportet huic ius medicinam capere à belli ducibus, qui ad equitū, ac peditū robur, expediti leuis armaturæ solent coniungere: & cum his superant populū in seditionibus opulentos. Nam leues, & expediti contra equites, & contra grauis armaturæ pedites facillē pugnant. Instituire igitur potentiam istam, cōtra se ipsos est instituire. Sed oportet diuisis ætatibus, cū alii seniores, alii 20
 iuniores existant, in iuuenili adhuc ætate constitutos filios suos erudire ad leues & expeditas operationes: delectos quidem ex pueris, Athletas esse ipsos operationum. Concessio autem Reipublicæ populo faciendā est, vel cū ad censum perueuerint, vt dictum prius est, vel, vt faciunt Thebani, cū certum tempus à mercatura, & huiusmodi exercitiis destiterint: vel, vt apud Massiliā, iudicio factō, qui digni sint ad Rempublicā recipi, & qui excludi. Præterea, di 30
 gnitatibus his, quæ sunt principalissimæ, quas suscipere oportet eos, qui in Reipublicæ gubernatione versantur, adiungenda sunt onera publica: vt populus sponte sua eas nolit, & veniam habeat illis, qui huiusmodi magistratus suscipiūt, vt pōte mercedem permagnam pro ea dignitate soluentibus. Congruit autem cū huiusmodi magistratus ineunt, & sacra magnificentissimè facere, & publica quædam ædificia ad vsum populi construere: vt multitudo cernens urbem 40
 ornari tum muneribus erga deos, tum ædibus ad vsum publicum, libenter aspiciat potestatem statuum ciuitatis. Continget etiam, præstantibus viris hæc esse monumenta suæ largitatis. Sed hoc non fit nunc per eos homines, qui magni sunt in paucorum potentia, sed contrarium. Lucrum enim quærunt non minùs, quā honorem, Itaque dici potest rectè, hos esse populares status paruos. Quomodo igitur instituendæ sint & paucorum gubernationes, & multitudinis, in hunc modum determinatum sit. 50

De magistratibus, & eorum speciebus, et quibus rebus præficiendi sint. Cap. III.



Onsequens est circa magistratus videre diligēter, quot hi sint, & quales & quibus de rebus, vt supra dictū est. Sunt enim quidam magistratus, sine quibus ciuitas esse non potest. Sunt etiā quidā ad cultum, ornatūq; pertinentes, sine quibus 60
 bene habitari ciuitas non valet. Præterea, necessarium est & in paruis quidem ciuitatibus, pauciores esse magistratus, in magnis autem plures, vt prius ostendimus. Quales ergo congruat si-

mul coniungere, & quales separare, non debet esse clām. Primū ergo cura rerum necessariorum, vt in foro adsint, venundetūq;. Super qua quidem cura, magistratus quidem est constituendus, cuius officium sit circa contractus, & circa honestatem. Nam cunctis ferè ciuitatibus necessarium est, emptiones, venditionesque fieri inuicem pro vsu rerum necessariorum. Et hæc facultas maxima, & expeditissima est ad eandem sufficientiam consequendam, cuius gratia in vnam videntur conuenisse Reipublicæ societatem. Altera verò cura huic coniuncta, ac propinqua est circa urbem, de publicis, priuatisque rebus, de ædificatione decenti, de viarum conseruatione, ac directione, de finibus regendis, vt sine querela sint, & de similibus. Vocant autem huiusmodi magistratum ædilitatem. Partes eius verò sunt plures, vt magnis ciuitatibus aliæ super alias incidunt. Ceu mœnibus reficiendis præfecti, & fontium curatores, & portuum conseruatores. Alia verò est cura, & quidem necessaria, atque huic propinqua, nam de eisdem rebus, cæterum non in vrbe, sed extra urbem in agro versatur. Vocant autem huiusmodi magistratum alii diffinitores, alii custodes agrorum. Hæc igitur procurationes sunt tres. Est & alius magistratus, ad quem redditus publici referuntur, qui apud eos conseruati mox distribuantur ad singulas opportunitates. Vocant verò istos receptores, & quæstores. Alter verò magistratus est, apud quem præscribi oportet priuatos contractus, & sententias iudicum, apud quos etiam postulationes, vocationesq; in ius præscribi debent. Quibusdam in locis huiusmodi magistratum diuidunt in partes plures: sed est vna, eadēque autoritas istorum omnium, appellāntq; eos, qui hunc magistratum gerunt, tum præfectos, tum memoriales, vel similibus nuncupationibus. Qui verò post hunc sequitur, summè necessarius est, ac difficillimus omnium magistratorum. Versatur autem circa executiones eorum, qui damnati sunt, & circa eorum pœnas, atque custodias. Est autem grauis huiusmodi administratio, propter multas, quæ inde proueniunt, inimicitias. Itaque nisi magna emolumenta ex eo capiantur, gerere illum omnes recusant: & si gerant, secundum leges facere non tolerant. Sed est necessaria res: nam nihil prodesse iudicia, aut sententiæ, nisi forent, qui eas executioni mādarent. Quare si hæc desint, communiō inter se ciuium permanere non potest. Præterea, melius est, non vnum hunc esse magistratum, sed partiri in plures, vt alii de aliis iudicia exequantur. Et circa actiones eodem modo conandum est distinguere. Adhuc etiam magistratus, alios aliis exequendis, & nouorum magis nouos, & præsentium alio condemnante, alii sunt qui exigant: ceu prætores urbani, ædiliū condemnationes, ac rursus istorum alii. Quāto enim minùs inimicitiarum sit illis, qui executioni demandant, tantò magis res finem suscipient. Si sint ergo iidem, qui condemnant, & qui condemnationes exigunt, duplex contrahitur odium. in

in omnibus autem eisdem, cunctis inimicum est. Multis etiam locis separatur ille, qui custodit reos, ab illo, qui animaduertit in eos: vt Athenis illi, qui vndecimviri nuncupantur. Quapropter melius est, hunc quoque diuidere magistratum, & quasi adumbrare, & mitigare. Est enim necessarius nō minùs, quā superior. Contingitq; in eo, vt viri boni maximè vitent hoc officium: prauos autem nequaquam tutum sit ei præficere, cū ipsi potiùs indigeant custodia, & carcere, quā alios debeant custodire. Itaq; oportet, hoc non vnum esse officium, neq; continuo ab eisdem fieri: sed vbi est aliquis iuniorum ordo, aut custodum, aut magistratum, deputadi sunt pro tempore alii, atq; alii, qui horum officiorum suscipiant curam. Hos ergo magistratus, tanquam summè necessarios, ponendū est esse primò. Post hos autem alii sunt magistratus, nec sanè minùs necessarii, & maioris quidem dignitatis. Nam plurima indigent experientia, & fide. Tales verò sunt circa custodiam urbis, & circa illa omnia, quæ ordinantur ad bellicas expeditiones. Opus est enim & in pace, & in bello permultis. Nam & mœnia ciuitatis curada, tuendāq; sunt, & disquisitiones, descriptionesque ciuium agenda. Alicubi ergo super his plures sunt magistratus, alicubi pauciores: veluti in paruis quidē urbibus vnus super omnibus: appellant verò hos prætores, vel consules. Insuper si sint equites, aut pedites, aut sagittarii, aut turba naualis, super vnoquoque eorū præfecti quidem statuuntur, appellāntq; præfecti equitum, præfecti legionum, præfecti nauales: & seorsum sub his, præfectus triremis, præfectus cohortis, tribunus militum, & alia huiusmodi particularia. Totum verò vna quædam species est, procuratio scilicet rerum bellicarum. Et erga huiusmodi magistratum, hoc modo se habet. Cū verò quidam magistratum, etsi nō omnes, pertractēt multa negotiorum publicorū, necesse est, esse alium magistratum, qui rationes reperat, atque corrigat, ipse verò nihil aliud tractet. Vocant verò hos alii correptores, alii rationales, alii scrutatores, alii procuratores. Præter hos verò omnes magistratus, vnus est maximè principalissimus omnium. Idem enim

plerunq; habet finem, & introductionem, qui præsidet multitudinī, vbi populus dominatur. Oportet autem id, quod cogit, summam habere in Republica autoritatē. Appellānt verò quibusdam in locis præconsultores, ex eo, quia antè deliberant: vbi verò multitudo est, consilium magis. Ciuitatum igitur magistratus ferè tot alii qui sunt. Alia species curationis est circa rem diuinam: ceu sacerdotes, & æditui circa templa, vt conseruentur quæ sunt, & erigantur ruinosæ ædificia, & cætera omnia, quæ pertinent ad diuinum cultum. Euenit autē alicubi curam hanc esse vnam, vt in paruis ciuitatibus. Alibi verò plures separatas à sacerdotio, vt sacrificuli, ac æditui, & custodes sacrarum pecuniarum. Huic consequens est illa, quæ circa sacrificia publica, quotcunq; sacerdotibus lex non committit, sed ex publico fiunt. Vocāt autem eos, qui istis præfunt, alii reges sacrorum, alii pontifices maximos. Necessaria ergo officia sunt circa hæc, vt illa repetamus, circa rem diuinam, circa rem bellicam, circa redditus publicos, & impensas, circa forum, circa urbem, & portus, & regionem, insuper circa iudicia, & contractus, postulationes, & executiones, & custodias, & super rationibus, & disquisitionibus, & super correctionibus eorum, quæ quis gesserit in magistratu, & finaliter, circa consilia rerum communium. Propriè autem earum ciuitatum, quæ magis pacatæ, atque tranquillæ sunt, curam facere de mulierū disciplina, de legibus seruandis, de disciplina iuuentutis, de gymnasiorum gubernatione. Præterea, de ludis gymnasticis, ac musicis, & si qua alia huiusmodi spectacula contingeret fieri. Horum verò quædam manifestè sunt non popularia, veluti disciplina mulierum, & puerorum. Nam pauperibus, necesse est vti mulieribus, & pueris, tanquam ministris, quoniam seruos non habent. Cūque tres sint magistratus, per quos assumunt quidam summam potestatem, conseruatores legum, & præconsultores, & consilium: conseruatores legum, optimatum magistratus est: præconsultores verò, paucorum potentia: consilium autem, populare. De magistratibus ergo, vt in figura, ferè dictum est omnibus.

Arist.

ARISTOTELIS STAGIRITÆ Politicorum, Siue de Rebus publicis, Liber Septimus,

Leonardo Aretino Interprete.

Argumentum Libri.

In septimo hæc exponuntur: Optima Res publica absolute, regio, ciues, ciuitas, institutio, natura. De optima Republica: ciuitas beata, vita actiua, & contemplatiua, virtus. De regione, quãtitas, conditio, communio maris. De ciuibus, qualitas, ciuitati necessaria, qui participant, & quibus. De ciuitate, distributio, vrbs, comestrationum loca. De institutione, cognitio finis, disciplina imperantium, disciplina contemplatiua. De natura, procreatio liberorum, virtus, & disciplina puerorum, beata ciuitas.

De optima Republica, & ciuitate beata.

Cap. I.

DE OPTIMA Republica etæ quærere volenti, necessarium est prius determinare, quæ vita sit maximè expetenda: nam si id ignotum sit, necesse est, & optimam Rempublicam ignorari. Optimè enim agere cõsentaneum est iis qui sub optima Republicæ disciplina reguntur, ex his, quæ sibi adsunt, nisi quid accidat præter rationem. Quare primò statuendum est, quæ vita sit cunctis, vt ita dixerim, maximè optada. Deinde vtum publicè, & priuatim eadem sit, an alia. Putantes igitur multa sufficenter esse dicta de optima vita, etiam in externis sermonibus, & nunc illis vtendum censemus. Nempe aduersus hanc diuisionem nemo vtiq; refragabitur, quòd tria cum sint bonorum genera, externa, corporis, & animi, ista omnia adesse felicì homini oportet. Nemo enim felicem diceret eum, qui nullam partem fortitudinis habeat, neq; temperantiæ, neque iustitiæ, neque prudentiæ, sed timentem etiam circunvolantes muscas: temperantem verò à nulla penitus edendi, bibendiq; extrema cupiditate, & gratia quadrantis vnus, dilectissimos interficientem. Similiter & mente tam stultum, atque ignarum, quasi puerum quendam, vel infanum. Sed ista quidem sic, vt dicta sunt, omnes concederent: discordent tamen in quanto, atq; excessu: nam virtutis quidam satis habere se putant, quantumcumq; habeat. Diuitiarum verò, atq; pecuniæ, potentiæq;, & famæ, & huiusmodi omnium infinitum excessum sequuntur. At enim nos illis dicemus, quia facile est de his etiã per opera ipsa fidem suscipere, cernentes quia homines acquirunt, & conseruant non virtutes externis bonis, sed externa virtutibus. Ipsaque bea-

ta vita, siue in gaudio posita est, siue in virtute, siue in ambobus, magis existit moribus & intellectu in excessu ornatis, mediocria verò externa possidentibus, quàm his, qui in externis plura possident, quàm opus sit, & qui in illis desiciunt. Quinetiam ratione licet hoc intueri: nam externa quidem bona finem habent, tanquam instrumentum quoddam. Omne autem vtile tale est, vt excessus vel noceat habenti, vel certe nil proficit. At bona animi, quanto magis excedunt, tantò magis vtilia sunt: siquidem non solum honesti, verum etiam vtilis appellatione tribuere illis oportet. Omninoq; patet, quòd sequi dicemus dispositionem optimam cuiusq; rei ad inuicem, secundum excessum distantiam illorum, quorum dicimus eas esse dispositiones. Quare si est anima pretiosior corpore, & pecuniis, & simpliciter, & nobis, necessarium est & dispositionem vtriusque optimam eodem modo illis correspondere. Insuper, animi gratia illa expeti nata sunt, & ita rectè sentientes, expetere omnes oportet: non autem animum gratia illorum. Quòd igitur felicitatis tantum vnicique contingit, quantum virtutis, atque prudentiæ, & quantum secundum has operatur, confessum nobis existat, teste Deo fretis dicente, felicem esse, atque beatum non per aliquid externorum, sed per se ipsum, quia talis est secundum naturam. Cum & bonam fortunam aliud esse, quàm felicitatem, propter hæc necessarium est: nam externorum quidem bonorum causa est fortuna, & casus: at iustus, & temperatus nemo à fortuna est, neque per fortunam. Consequens verò est, & iisdem rationibus consentaneum, ciuitatem quoque beatam esse, quæ optima sit, & quæ bene agat. Impossibile autem bene agere eos, qui bona non agant. Nulla verò bona actio est neque viri, neque ciuitatis, sine virtute, atque prudentia. Fortitudo autem, & iustitia, & prudentia ciuitatis, eandem habent vim, ac formam iis, secundum quas vnusquisque hominum dicitur iustus, & prudens, & temperatus. Hæc hætenus præmissa sint: neque enim non attingere illa possibile fuit, neq; omnino omnes eorum rationes explicare. Nam alterius otii ista sunt. Nunc autem supponatur nobis, quòd vita optima, & priuatim vniciq;, & publicè ciuibus est cum virtute, intantum externis facultatibus adiuta, vt actiones virtuosas conficere possit. Sed de his, nunc quidem prætermittis, postea considerandum erit, si quis forsan dictis non acquiescit.

Quòd

Quòd eadem sit felicitas, ac optima vita singulorum hominum, & ciuitatis: vtra vita sit præferenda, contemplatiua, an quæ in ciuili societate versatur: de optima Reipublica dispositione, placitis aliorum, & officio legislatoris.

Cap. II.



Vtrum autem eadem sit dicenda felicitas singulorum hominum, & ciuitatis, vel non eadem, reliquum est videre. Manifestum verò & hoc: omnes enim faterentur esse eandem. Nam quicumque in diuitiis beatam vitam posuerunt, hi ciuitatem quoq; totam, si opulenta sit, beatam fatebuntur. Et quicumq; tyrannicam vitam aliis præferunt, hi ciuitatem latè dominantem beatissimam esse dicent. Qui verò id vnum per virtutem recepit, is & ciuitatem beatiorum dicet, si sit studiosior. Sed hæc iam duo sunt, quæ indigent consideratione. Vnum, nunquid vita illa præferenda sit, quæ versatur in Republica, & in cõmuni societate, an potius vita peregrina, & à ciuili societate remota. Præterea, quæ speciem Reipublice, & quæ dispositionem ciuitatis optimam putare debemus, siue ab omnibus expetenda sit cõmunio ciuitatis, siue à quibusdã non, sed tamen à pluribus. Cum verò ciuilis intelligentiæ, & speculationis hoc sit opus, (non autem circa vnumquodq; expetendum) præferamus & nos hanc considerationem. nam illud quidè extra propositum esset, hoc autem secundum propositum huius inuestigationis. Quòd igitur necessarium sit, illam esse optimam Rempublicam, per cuius institutionem vnusquisque optimè agat, & beatè viuat, manifestum est. Sed dubitatur etiã ab iis, qui vitam eum virtute maximè eligendam putant, Vtrum vita ciuilis, & actiua sit præferenda, an potius illa vita, quæ sit ab omnibus externis soluta, ceu contemplatiua, quæ solam putant quidam esse sapientis. Ferè enim has duas vitas, præstantissimi ad virtutem homines anteponere videntur, & antiqui, & recetes. Dico autem duas, ciuilem, & philosophicam. Sed refert non parum, vtrum hoc, vel illo modo veritas se habet. Necesse est enim, illum, qui rectè sapit, ad melius propositum se disponere, & priuatim vnumquemq; hominem, & publicè ciuitatem. Putant quidã in gubernando alios, si cum dominatu fiat, iniuriã esse summam: si ciuilitate, cessare quidem iniuriã, sed impediri vitam tranquillitatem. Alii verò cõtra hæc omnino putant ciuilem, & actiuam vitam solam esse viri. In singulis enim virtutibus nulli esse maiorem operandi facultatem, quàm his, qui in Republica gubernatione versantur. Sunt etiã qui aliis dominari, & tyrannicam Reipublicam modum putant solum esse beatum. Et in quibusdã ciuitatibus hic est finis legum, vt finitimis dominentur. Itaq; cum pleraq; constituta passim, vt ita dixerim, iaceant apud plurimos, tamen si quid vnũ leges respiciunt, id coniectant omnes, vt ciuitas dominetur. Sicut in Lacedæmone, & Creta, ad bellum ferè ordinata est disciplina iuuentutis, & legum multitudo. Præterea, apud gentes omnes, quæ possunt præualere, huiusmodi honoratur potentia: ceu apud Scythas, & Persas, &

Thracas, & Gallos. Quibusdam enim leges sunt ad huiusmodi prouocantes virtutem, vt apud Carthaginenses ferunt ornatam annulorum accipere pro numero expeditionum, in quibus militauerint. Fuit etiã quãdoq; in Macedonia lex, eum, qui nullum hostem interfecisset, capistro cingi. Apud Scythas verò non licebat solennibus epulis pateram circunlatam accipere ei, qui nullum occidisset hostem. Apud Hiberos quoque pugnacè gentem, tot obeliscos erigere circa sepulcrum mos est, quot homines ex numero hostium necauerit. Et alia apud alios sunt huiusmodi complura, legibus, aut moribus constituta. Atqui videretur forsan nimis absurdum esse, si quis considerare velit, an hoc propositum esse debeat eius, qui legibus instituit ciuitatem, prouidere scilicet, vt illa dominetur finitimis, & volentibus, & inuitis. Quomodo enim id ciuile, aut legit facendum, quod ne legitimum quidè est: neq; enim legitimum, non solum iuste, verum etiã iniuste dominari: subdere verò est, & non iuste. Atqui nec in aliis scientiis ita videmus. Nec enim medici, neq; gubernatoris est, vel persuadere ægrotis, & nautis, vel vim afferre. Sed pleriq; videntur existimare, ciuilem disciplinam esse dominari, & quod in seipos fieri nollent, hoc in alios facere non erubescunt. Ipsi pro se iusticiam querunt, pro aliis verò nulla eis iusticiæ cura est. Hoc autem absurdum, nisi tales sint natura, vt alter dominari debeat, alter non. Quod si est ita, non est conandum omnibus dominari, sed illis duntaxat, qui dominabiles sunt. Sicut nec venari homines ad mesam, vel sacrificium, sed illud quod venabile est. Est autem venabile omne animal, quod sit natura ferum, & esui aptum. Enim uero fieri potest, vt sit ciuitas vna seorsum per se ipsam beata, videlicet si gubernetur rectè. Nam potest esse sita in loco penitus separato, & legibus vti laudabilibus: cuius Reipublica constitutio, non ad bellum, neque ad superandum hostes sit, quandoquidè illi nihil inexistit tale. Patet igitur, quòd rei bellicæ studia bona sunt existimanda, sed vt non finis supremus, sed gratia illius. Studiosi autem legum positores est, considerare urbem, ac naturam hominum, & omnem illam cõmunionem vitam laudabilem, quò participant, quantum fieri potest, felicitatem. Differentia tamen erit in quibusdã legum institutis constituendis: & hoc pertinet ad eandem disciplinam, quæ est de legibus ponendis, videre, si qui sunt finitimi populi, qualia ad quales exercenda sint, & quemadmodum cum singulis conuersandum. Verum de hoc postea suo loco considerationem faciemus, ad quem finem debeat optima Reipublica constitutio tendere.

De controuersia in vsu virtutis, dominatu, & præstantia vita contemplatiua. Cap. III.



A consentientes autem vitam cum virtute esse maximè recipiendam, sed contententes de illius vsu, dicendum est nobis. Sunt enim, qui despiciunt magistratus ciuitatis, putantes ingenui homines esse aliam vitam, quàm ciuilem, & omnibus præferen-

preferendam. Alii verò hanc optimam putant. Impossibile enim, nihil agentem bene agere. Bene autem agere, ac felicem esse, idem est. Vtrique eorum quædam dicunt rectè, & quædam non rectè. Nam liberi quidem hominis vitam meliorem esse, quàm in dominâdo occupati, verum est. Nihil enim egregium est, seruo uti in quatuor seruus. Iustus enim domini in rebus necessariis nihil habet decorum. At putare omnem gubernationem esse dominationem, nequaquam est verum. Non enim minùs distat liberorum gubernatio à dominatione seruorum, quàm differat naturâ liber à naturâ seruo. de quo sufficienter superioribus libris determinatum fuit. Sed laudare magis nihil agere, quàm agere, non est rectum: nam felicitas actio est. Præterea, multorum, & præclarorum finem habent, iustorum, temperatorumque actiones. Quinimo respondit fortasse aliquis, quòd potestatem habere optimum esset: sic enim plurimas, ac pulcherrimas res agere posset. Itaque is, qui dominus agendi esse potest, hanc facultatem dimittere aliis non debet, sed sibi arripere: & neque filium patris, neque patrem filii, neque amicum amici hac in parte rationem habere. Nam quod optimum sit, id nobis ipsis adsciscere debemus. Optimum autem est, bene agere. Hoc illi forsitan rectè dicerent, si modò existeret vim afferentibus, ac violentibus, illud, quòd esset omnium maximè operandum: sed fortassis id fieri non potest, falsòque hoc supponunt. Non enim amplius bonas actiones illas esse contingit, nisi tantum ipse præstet, quantum vir mulieri, & pater filiis, & dominus seruo. Quare is, qui violaret, nihil tantum proficeret postea, quantum iam à virtute ista recessit: paribus enim honestum, & iustum in parte hoc enim iustum ac par. non par autè paribus, & non simile similibus, præter naturam est. Nihil autem bonum, quòd sit præter naturam. Quapropter & si alius quidem sit melior secundum virtutem, & secundum potentiam actiuam in rebus optimis, hunc sequi honestum est, & huic parere iustum. Sed oportet illi non virtutem solum, verum etiam potentiam existere, per quam sit actiuus. Quòd si hæc vera sunt, & felicitas in bene agendo est reponenda, & publica totius ciuitatis, & privatim singulorum vita illa erit optima, quæ sit actiuam. Veruntamen actiuam non est necessarium esse: ad alios, quemadmodum quidam putant, neque eas meditationes solum esse actiuas, quæ gratia eorum fiunt, quæ ex agendo proueniunt, sed multò magis, quæ seipsis perfectæ sunt, ac sui ipsarum gratia fiunt contemplationes, & meditationes. Bene agere enim, finis est: quare & actio quædam. Maximè autem proprie dicimus agere etiam externis actionibus, eos, qui intelligentia, & cogitatione operibus præstant, ut architecti. Quinimo neque sine actione esse necessarium est eas ciuitates, quæ positæ sint in solitudine, & ita viuere eligentes. Fieri enim potest, ut partibus inter se agere contingat. Multæ enim communicationes adiuuicem sunt partibus ciuitatis. Similiter autem hoc existit unicuique homini. Vix enim Deus bene se habe-

ret, & Mundus totus, quibus non sunt actiones externæ, præter proprias ipsorum. Quòd igitur necessarium sit, eandem esse vitam optimam privatim unicuique hominum, & publicè ciuitatibus, & hominibus, manifestum est.

Quanta debeat esse multitudo ciuitatis, quanta regio, & vrbs ipsa. Cap. IIII.



Utrum verò ista nunc præmissa sint, ac de aliis Rebus publicis fuerit prius à nobis consideratum, de reliquis dicendum initium faciamus, quales aliquas suppositiones esse oportet pro ea ciuitate, quæ maximè secundum votum sit constitutionem susceptura. Neque enim fieri potest, ut optima sit Respublica, nisi opportuna adsint facultates. Ex quo necesse est, multa præsupponere quasi optantes, esse tamen nullum eorum impossibile. Dico autè ceu de multitudine ciuium, ac de regione.

Ut enim cæteris artificibus, puta textori, & nauiculario, materiâ subesse oportet aptam ad opificium, (nam quantò melior hæc existit, tantò id, quòd fit ex arte, erit præclarior) sic & gubernatori Reipublicæ, & legum positori, oportet propriam subesse materiam aptè se habentem. Est autè ciuilibus facultatis primò videre de multitudine hominum, quàm multos, & quales naturâ esse oportet. De regione quoque eodem modo, & quanta, & qualis esse debet. Putant plerique, magnam esse debere beatam ciuitatem. Id est verum est, ignorare tamen videtur qualis magna, & qualis parua dicenda sit ciuitas. Existimant enim magnam ex numero habitantium: sed oportet non tantum ad numerum, sed magis ad potentiam respicere. Est enim ciuitatis opus quoddam. Quare quæ maximè id efficere potest, hanc existimandum esse maximam ciuitatem: ceu Hippocratem, non hominem, sed medicum quis diceret esse maiorem, quàm alium, qui magnitudine corporis eum excedat. Quinimo si multitudine iudicandum sit, non ex quauis multitudine id est existimandum. Necesse est enim forsitan in ciuitatibus esse seruorum, & inquilinorum, & hospitem gradem numerum: sed ex iis, qui sunt pars ciuitatis, & ex quibus ciuitas constat, horum enim præcellens multitudo, signum est magnæ ciuitatis. Ex qua verò ciuitate operarii quidem permulti exeunt, bellatores autè pauci, hanc impossibile est esse magnam. Non enim idem est, magna ciuitas, & populosa. Quinetiam re, & effectu patet, quia difficile est, & forsitan impossibile, ut quæ nimium populosa sit ciuitas, optimè gubernetur. Earum certè, quæ bene gubernari dicuntur, nullam videmus in populosam multitudinem esse diffusam. Patet etiam ex rationum fide: nam lex, ordinatio quædam est, & bonæ legis positionem, necessarium est esse bonam ordinationem. At multitudo nimium magna, non potest recipere ordinationem. Diuinæ enim potentia id opus esset, quæ & hoc totum continet, cum & bonum quidem in multitudine, ac magnitudine consuevit fieri. Quapropter & ciuitatem illam cuius cum magnitudine dictus terminus existit, optimam esse necesse est. Sed est quædam mensura

sura magnitudinis ciuitati, quemadmodum & aliorum omnium animalium, plantarum, instrumentorum: nam horum singula, neque parua nimium, neque magnitudine excessiua, suam potestiam retinebunt: sed aut destituta erunt omnino à Natura, vel malè se habebunt. Ceu nauis vnus palmæ, non erit penitus nauis, neque duorum stadorum: sed si processerit ad aliquam magnitudinem, quandoque propter paruitatem malè faciet nauigationem, quandoque propter excessum. Ita & ciuitas, si ex nimium paucis sit, non est per se sufficiens: si ex nimium multis, sufficiens quidem in necessariis erit ut gens, sed non ut ciuitas. Rempublicam enim non facile est in illis constitui: nam quis dux esset tam excessiua multitudinis, aut quis præco non Stentorius. Quocirca necesse est, primam esse ciuitatem illam, quæ ex ea multitudine constat, quæ multitudo prima per se ipsam sufficiens sit ad bene viuendum in ciuili societate. Recipitur verò, ut ea, quæ multitudinem hanc excedit, sit maior ciuitas: sed hoc non est, ut diximus, infinitum. Quæ verò sit huius excessus determinatio, ex operibus intelligi faciliter potest. Sunt enim actus ciuitatis imperantium, atque parentum. Imperantis quidem opus est, iudicare, ac iudicare. Ad iudicandum verò secundum iustitiam, & ad magistratus demandandos secundum dignitatem, necessarium est ut se inuicem cognoscant ciues, quales sint. Quare vbi hoc fieri non contingit, necesse est ut malè res procedant, circa magistratus demandandos, & circa iudicia. In vtroque certè horum, nequaquam est temerè procedendum: quod in nimia multitudine manifestè contingit. Insuper, hospitibus, & inquilinis facile est ad Rempublicam aspirare, cum non difficile sit in tanta hominum multitudine latere. Patet igitur quòd est optima determinatio ciuitatis, ut sit maximus multitudinis excessus, quæ sit per se sufficiens ad viuendum, & facile inter se cognosci possit. De magnitudine ergo ciuitatis determinatum sit in hunc modum.

Optimæ regionis, & de vrbs situ, & commoditate, conditiones nouem.

Cap. V.



De regione autem eadem ferè dici possunt: nam qualis esse debeat, clarum est, quòd sufficientissimam omnes laudabunt. Hanc autem necesse est feracem esse omnium. Nam omnia in se ipsa habere, & nullius indigere, sufficiens est. Multitudinem verò, ac magnitudinem tantam, ut queat habitatores otiosos nutrire, liberaliter simul, temperatèque viuentes. Hoc autem vtrum bene, vel non bene dicatur, postea diligentius erit considerandum, vbi de possessionibus, & facultatibus mentionem fieri contingeret, qualiter, & quemadmodum se habere erga vsum ipsum oportet. Permultæ enim circa considerationem istam dubitationes cadunt, propter trahentes in vtranque partem vitæ excessum, alios ad tenuitatem, alios ad largitatè. Formam verò regionis non est difficile præscribere, credendumque est in quibusdam, rei militaris peritis asserentibus talè esse oportere, ut ab hostibus quidè non facilè inuadi possit, ciuibus autem facilis sit in aliena egressio. Præter-

ea, ut hominum multitudinem facilè inter se cognosci posse diximus oportere, sic etiam regio sit subiecta conspectui, id est, ut cognosci, & ei succurri faciliter possit. Urbis autem situs, si formanda nobis illa est secundum votum, opportunè, & ad terram, & ad mare debet iacere. Vna iam determinatio præmissa est, oportere ad auxilia ferenda, communem esse locorum omnium. Vnde quoque afferenda altera, ad importationem fructuum. Præterea, ad lignorum materiam, & ad, si quid aliud simile opificium regio in se habeat, facilem aduectionem.

An communio maris, & turba nautica ciuitatibus rectè institutis expediat, an damnosa sit.

Cap. VI.



Communio autem maris, vtrum utilis sit ciuitatibus, vel damnosa, permultæ sunt disceptationes: nam & frequentare aduenas quosdam alienis educatos legibus, inutile putant ad rectam ciuitatis disciplinam. Et turbam popularem multiplicari ex vsu maris, transmittentibus, ac recipientibus negotiatorum multitudinem, contrarium esse dicunt rectæ ciuili institutioni. Quòd igitur, si ista non contingant, melius sit & ad securitatem, & ad copiam rerum necessariorum, communionem maris habere urbem, & regionem, non est obscurum: nam ad facilius ferendum hostes, per opportuna facultas succurrèdum, auxiliandique suis, terra, & mari esse debet, & ad nocendum inuadentibus: si non vtrinque possibile, at altera ex parte magis existit ambarum participantibus. Et quæ apud eos non existunt, importari, & quæ superabundant, deportari ex necessariis est. Sibi enim ipsi mercabilem, non aliis ciuitatem esse oportet. Qui autem omnibus mercatum apud se præbent, hi faciunt quæstus cupiditate. Quòd si non expedit ciuitati hanc cupiditatem habere, neque mercatum certè huiusmodi debet recipere. Nam & nunc quidem videmus, multis regionibus, & ciuitatibus stationes, ac portus opportunè iacere, ut neque intra urbem sint, neque valde distantes, murisque circumdari, & aliis huiusmodi munitioibus. Clarum est enim, quòd si quid boni proueniet ex tali comunione, ciuitas id bonum suscipiet: si aliquid mali, cauere ab eo facile erit, per leges iubentes, ac determinantes, quos oportet, & quos non oporteat inuicem admisceri. De nauali autem potentia, quòd melius sit eam habere vsque, ad aliquam quantitatem, manifestum est. Non solum enim sibi ipsis, sed & finitimis quibusdam oportet & auxiliari posse, & esse terrori, quemadmodum terra, sic etiam mari. Magnitudo autem, & multitudo huius potentia, ad mores ciuitatis erit accommodanda. Nam si ea fuerit ciuitas, quæ magnam præstantiam, autoritatèque habere consueuerit, necessarium erit, hanc potentiam rebus esse conformem. Turbam verò nauicam, & huiusmodi hominum multitudinem, non necessarium est ciuitatibus existere. Nulla enim ciuitatis pars, huiusmodi homines esse debent. Nam pugnatore, qui naues conscendunt, ingenui sunt homines. Terra quoque militare consueti, hi præstant nauali turba, & imperant.

Existente verò multitudine tenuis fortunæ hominum, qui circa nos habitant, & agrorum, qui in regione rem rusticam exercent, necessariū est, abundantiam esse nautarum. Videmus etiam nunc istud fieri in quibusdam ciuitatibus, ceu Heracleotæ multas implēt triremes, urbem possidentes magis exiguum, quàm ceteri. De regione igitur, & portibus, & urbibus, & mari, & nauali potentia, in hunc modum determinatum sit. De multitudine quoque ciuitatis, quam determinationem habere decet, prius dixeramus.

Ciues bene institutæ ciuitatis, quos legumlator ad virtutem instituat, ingeniosos, & animosos esse oportere. De laudibus Græcorum, & quales esse deceat urbis custodes.

Cap. VII.

Nunc autē quales naturā ciues esse oportet, à nobis dicetur. Forfan verò id deprehendet quis, si inspiciat ad ciuitates Græcorum, quæ bene gubernari dicuntur, & ad totum terrarum orbem, ut à gentibus variis incolitur. Nam quæ frigidæ regiones incolunt gentes, & quæ per Europam, animo quidem abundant, ingenii verò, & artificii parum habent: quapropter in libertate magis perseverant. Disciplinam verò Reipublicæ difficulter recipiunt, ac finitimis dominari non possunt. Quæ verò Asiam incolunt, ingenio, & arte abundant, sed animositatem non habent: propter quod & parere dominantibus, & seruire perseverant. At Græcorum genus, ut mediæ regionem locorum sortitum est, sic etiam amborum est particeps: nam & animosum, & ingeniosum est. Ex quo fit, ut in libertate degat, & disciplinam Reipublicæ optimè recipiat, & vnus Reipublicæ constitutionem sortitum, imperare omnibus possit. Eandem quoque differentiam habent Græcorum gentes inter se: quædam enim habent naturam ad vnum illorum, quædam verò permixtā, ac temperatā sunt ad vtranque illarum potentiarum. Patet igitur, quod oportet & intelligentiam, & vigorem animi naturā existere illis, qui futuri sint idonei, quos legum positor ad virtutem instituat. Nam quod de custodibus aiunt quidam, opus esse, ut beneuoli sint erga notos, erga ignotos verò infesti, vigor animi est, qui beneuolentiam facit. Illa est enim potentia animæ, per quam amamus, ac beneuoli sumus. Cuius rei signū est, quod magis iritatur animus contra familiares, & amicos, quàm contra ignotos, si contemptū se putet. Quapropter Archilochus rectè, cum amicos incusaret, ad animum loquitur inquit: Non tu quidem ab amicis lanceis transfixus es? Quod dominatur, & quod libertatem seruat, ab hac potentia animi existit. Dominus enim, & iniectus est animus. Nec bene se habet dicere, quod aduersus ignotos debent esse infesti: nam aduersus neminem, tales esse oportet. Neque sunt magnanimi homines naturā infesti, nisi contra iniuriantes. Hoc autem magis contra notos, familiarisque patiuntur, (quem admodum dictum est prius) si iniuriatos sibi existimant. Et hoc non sine ratione contingit. A quibus enim deberi sibi beneficium expectant, ab eisdem non so-

lūm priuari beneficio, sed insuper lædi se putant. Vnde in prouerbio dicitur. Fratum contentiones, & iræ, sunt acerbissimæ: & qui se nimium amant, hi se nimium oderunt. De hominibus igitur, qui in Republica futuri sint, & quot esse oportet, & quales naturā, & de regione, quantam, & qualem, ferè determinatum est. Non enim eadem certitudo querenda est in his, quæ per rationes, & in his, quæ fiunt per sensum.

Quod non omnia, quibus ciuitas stare nequeat, sint eius partes: & quæ sint opera illi necessaria, & de partibus ciuitatis.

Cap. VIII.



Vm verò ut aliorū secundum naturam consistentium, non hæ sunt partes totius consistentiæ, sine quibus totum esse non potest: palam quod nec ciuitatis ponendum est esse partes, quæcunque ciuitatibus existere necessariò oportet, nec alterius cuiusque communionis, ex qua fit vnum aliquod genus. Vnum enim quid, & commune esse debet communicantibus, siue æquale, siue inæquale suscipiatur: ceu siue alimentum id sit, siue agri quantitas, siue aliud tale: sed quando hoc gratia huius, hoc autem non gratia, nihil in his commune: sed aut huic quidem facere, huic autem accipere. Dico autem velut organo omni, ad id opus, quod fit & opificibus. Domui enim ad ædificatorem nihil est, quod fiat commune, sed est domus gratia, ædificatorum ars. Quapropter possessione quidem indiget ciuitas: nulla tamen pars ciuitatis est possessio. Multa verò animata, sunt possessionis partes. Ciuitas autem, communio quædam est similitudinum, gratia vitæ, ut maximè fieri potest, optimæ. Cum verò sit felicitas optimum, ipsa autem virtutis operatio, & vsus quidam perfectus: contingat autem ita, ut aliqui illius recipiant participationem, alii parum, aut nihil, manifestum est, quod hæc est causa, quare ciuitatis species, & differentia existunt, pluresque Reipublicarum formæ. Per alium enim modum, & aliis viis singuli hoc appetentes, & alios viuendi modos fecerunt, & alias Reipublicæ disciplinas. Considerandum est, quot sint illa, sine quibus ciuitas esse non potest. Nam quas dicimus esse ciuitatis partes, eas necessarium est in istis subesse. Capiendus est igitur operū numerus: ex his enim id apparebit. Primum igitur debent existere alimenta. Deinde artes: multis enim instrumentis indiget vita. Tertium, arma: nam qui simul in cōmuniōne viuunt, necessarium est in ipsis habere arma, quibus & magistratibus parere inobedientes compellantur, & quibus vis propulsetur externa. Præterea, pecuniarum habendarum facultas quædam, quod illas habere possint, & ad proprias indigentias, & ad bellum. Quintum autem ac primum, circa rem diuinam cultus, quod vocant sacrificium. Sextum, quod est omnium summè necessarium, iudicium pro utilitate, & iustitiā contrahentium. Hæc sunt igitur opera, quibus indiget ciuitas omnis. Est enim ciuitas, multitudo non quæcunque, sed illa, quæ ad vitam per se sufficiens sit, ut diximus. Si verò aliquid horū deficiat, impossibile est simpliciter, per se esse sufficientem huius

huiusmodi societatem. Necessarium est ergo, his operibus ciuitatem constare. Esse igitur oportet multitudinem agrorum, qui victum conferant: & artifices, & pugnatōres, & locupletes, & sacerdotes, & iudices necessariorum, atque vtilium.

An omnes, qui in Republica versantur, his operibus omnibus participare possint, an in vnoquoque supra dictorum sex operum, alij ex ijs, qui in Rebus publicis versantur, ponendi sint, an quædam horum operum quibusdam propria sint, alia verò communia esse sit necesse. Cap. IX.



Is determinatis, reliquum est considerare, vtrum omnes cōmunicare debent horum omnium, (fieri enim potest, ut iidem ipsi sint & agricolæ, & artifices, & consultores, & iudicantes) vel in vnoquoque opere supra dictorum alios ponendum est, vel quædam esse propria, quædam verò communia necessarium est. Sed non in omni Republica hoc, ut diximus, contingit. Nam fieri potest, ut omnes participent omnium, & non omnes omnium, sed quidam quorundam: hæc enim faciunt Reipublicarum varietatem. Nam in populari quidem participant omnes omnium: in paucorum autem potentia contrarium est. Cum autem consideratio nostra sit de optima Republica, ea verò est, per quam ciuitas esset maximè felix, felicitatē autem, quod sine virtute impossibile est existere, primò diximus: manifestum est ex his, quod in ciuitate, quæ optimè gubernetur, & quæ iustos habeat ciues simpliciter, ac non ad supplicationem, neque artifices, neque mercatores ciues esse oportet. Vtilis est enim huiusmodi vita, & virtuti aduersa. Nec certè agricolæ esse oportet eos, qui futuri sint ciues. Opus est enim quiete, & otio, ad virtutem comparandam, & ad Reipublicam gerendam. Cum verò hi supersint, qui bello intendunt, & qui consultant de vtilibus, & iudicant de iustis & non iustis, qui quidem maximè videntur partes ciuitatis, vtrum & hos esse alios ponendum sit, vel eisdem hominibus ambas partes tribuendum? Clarum est, quod quodam modo eisdem, & quodam modo aliis: quæ enim alterius vigoris vtrunque opus, & alterum prudentia, alterum viribus indiget, aliis: quæ verò impossibile est, eos, qui afferre vim, & prohibere hos possunt, subiectionem pati semper, eisdem: qui enim armorum domini sunt, iidem etiā sunt domini status, vel mutationis Reipublicæ: Restat igitur, ut eisdem quidem ambobus, Reipublica tradatur: non simul quidem, sed ut natura fert. Vires quidem in iunioribus sunt, prudentia verò in senibus: sic inter eos distribui, commodum est, & iustum esse videtur. Habebit enim hæc distributio id, quod est secundum dignitatem. Atqui possessiones quoque circa hos esse oportet. Necesse est enim, facultates adesse ciuibus, hi autē sunt ciues. Nam turba quidem urbana viliū ministrorum, nulla pars est ciuitatis, nec aliud genus quodcunque, quod non sit virtutis effector. Patet hoc ex eo, quod præmissimus. Felicitas enim necesse est, per virtutem fieri. Felicem verò dicere ciuitatem debemus, non ad

partem aliquam eius respicientes, sed ad omnes ciues. Manifestum igitur, quod horum esse possessiones oportet: siquidem necesse est, agricolæ esse seruos, vel Barbaros, vel ministros. Reliquum est, ex his, qui supra numerati sunt, genus sacerdotum esse, quorum institutio manifesta est. Neque enim agricola, neque artifex, neque viliū exercitiorum quisquam sacerdos est deputandus, honos enim diis est à ciuibus impendendus. Sed cum distincti sint ciues in partes duas, hoc est in eos, qui arma tenent, & in eos, qui consultant, & decens sit, diis cultum exhibere, & requiem suscipere eos, qui pro tempore in his laborauerunt, ac defessi sunt, his vti que esset sacrorum cura demandanda. Quæ sint igitur, sine quibus ciuitas stare non potest, & quot sint ciuitatis partes, dictum sit. Agricolæ enim, & artifices, & omne ministerium ciuitatibus existere necessarium est. Sed partes ciuitatis sunt, qui arma tenent, & qui cōsulant: & separatim est vnumquodque istorum: hoc quidem semper, hoc verò secundum partem.

Quomodo distribuenda sit ciuitas, de comessationibus, partitione regionis, cultoribus, & agricolis. Cap. X.



Videtur autem non nunc, neque paulò antè, hoc notum fuisse his, qui de Republica philosophantur, quod per genera sit ciuitas distinguenda, & pugnatōrum genus aliud esse, aliud agrorum. Nam & in Aegypto vsque ad hoc tempus, in hunc modum se habet, & in Creta in Aegypto quidem Sesostris legem ferente, in Creta verò Minos. Antiqua videtur etiam comessationū institutio, quod in Creta factum est Minos regnante: sed multò prius hoc in Italia, quàm in Creta constitutum fuit. Tradunt enim periti homines illorum locorum, fuisse Italum quendam Oenotriæ regem, à quo mutato nomine pro Oenotris Itali sunt vocati, oramque illam maritimā Europæ, quæ est inter Scyllaticum, & Lameticum sinum (distant verò hæc loca inter se meridiei iter) Italiæ nomen primò recepisse. Hunc ergo Italum, tradit agriculturam Oenotris docuisse, cum prius essent pastores vagi, ac palantes: illisque leges posuisse, & comessationes instituisse primū. Quapropter etiam nunc quidam illorum populorum comessationibus vtuntur, & legibus quibusdam ab illo positis. Incolebant autem eam Italiæ partem, quæ ad Tyrrheniam versa est, Opici, qui nunc Ausonii nominantur. Alteram verò partem, quæ ad Iapygiam, & Ionium pertinet, incolebant Chaones, Syrtim appellatā, & ipsi quoque ab Oenotris orti. Inuentio igitur comessationum, hinc primū extitit. Diuisio autem ciuitatis per genera, apud Aegyptiū incepit. Sesostris enim multis temporibus antè fuit, quàm Minos in Creta regnaret. Et alia ferè credendum est, eodem modo inuenta fuisse multoties in longo tempore, imò verò infinities. Nam quæ necessaria sunt ad vsum vitæ, indigentiam ipsam docuisse, rationale est: quæ autem ad ornatum, & affluentiam, illis reperiuntur, additamenta postmodum facta fuisse, ad expolitiorē viuendi formam. Quod eodem modo in

constitutione Rerumpublicarum accidisse credendum est. Esse verò cuncta vetusta, signum est, quòd Aegyptii (quorum antiquitas maxima putatur) leges habuerunt, & civilem institutionem. Quapropter utendum est iis, quæ sufficienter tradita sunt, & quæ deficiunt, reperire conandum. Quòd igitur agri, & possessiones eorum esse debent, qui arma tenent, quique partes sunt ciuitatis, dictum est: & qua de causa cultores illarum alios esse oportet, & quanta, & qualis debet esse regio. De distributione verò ipsius regionis, & qui, & quales debent esse cultores, dicendum est. Quandoquidem neque communes omnium censemus esse debere possessiones, ut quidam tradidere, sed vsu amicali communes fieri, neque deesse vlli ciuium alimenta. De comestationibus videtur quoque omnibus vtile esse, ut adsint bene institutis ciuitatibus. Quam verò ob causam nobis quoque idem videatur, postea dicemus. Oportet autem ciues vniuersos ad earum communionem admitti. At non facile est, ut qui pauperes sint, contribuere statutam pensionem ex proprio possint, & cæteram domum gubernare. Præterea, in sacrificiis, cultique Deorum, sumptus communes esse debent totius ciuitatis. Est igitur necessarium in duas partes regionem diuidere, & aliam esse publicam, aliam priuatorum. Vtraque illarum partium rursus diuidenda est. Illius nanque partis, quam publicam esse debere diximus, vna pars Deorum cultui deputanda est, altera verò ad comestationum impensam. Rursus verò priuati agri pars vna ad proprias necessitates est deputanda, altera verò ad ciuitatem: ut duabus sortibus vtrinque distributis, amborum locorum omnes participes sint. Aequum enim, & iustum ita se habet, & ad finitima bella concordantius. Vbi enim hic modus non seruatur, alii faciliter profiliunt ad finitimum inimicitias, alii nimium illas refugiunt, & contra dignitatem. Quam ob rem apud quosdam lex est, ut qui agros habent vicinos, hi non admittantur ad consilium belli aduersus illos suscipiendi, quasi ob priuatam sui causam rectè consilium dare non valentes. Agrorum igitur per hunc modum facienda partitio est, ob causas antè dictas. Cultores autem ipsi, maximè quidem si secundum votum optandum est, serui esse debent, neque omnes vnius generis, neque animo elati: ita enim & ad faciendum opus vtilis forent, & nihil noui ab eis metueretur. Secundo autem loco Barbari ministri, naturam similes his, quos supra diximus. Horum autem in priuatis quidem agris & ipsi priuatorum dominorum sint, in publicis verò publici. Quemadmodum autem seruis utendum sit, & quare melius est omnibus seruis præmium libertatis esse propositum, postea dicemus.

De situ vrbiſ, locis Rebuspublicis accommodatis, priuatis adibus, muris, ornatu ciuitatis.

Cap. XI.



Agri autem quòd terræ, marisque participes esse debent, & quòd ad totam regionem similiter debet esse communis, quantum fieri potest, dictum est prius. Ipsi autem ad se ipsam, optandum est positionem

fortiri, ad quatuor respicientes. Primum, ad sanitatem, quod est necessarium: ad orientem enim Solem conuerſæ vrbes, & ad eos ventos, qui inde perflant, salubriores sunt. Secundo loco quæ sunt secundum Boream sitæ, hæc nanque sunt ad hyberna potiores. In reliquis verò, ut ad ciuiles res, & ad bellicas, opportunè se habeat: ad bellicas quidem, ut facilis sit ciuibus in aliena egressio, hostibus autem difficilis aditio, ac difficilis circumdatio. Aquarum autem, & stagnorum abundantiam habeat, maximè naturalem: quòd si naturalis deficiat, ex aqua pluuia cisternæ, & lacus, qui magnam vim aquarum suscipiant, comparentur: ita ut deesse aqua, si quando obsiderentur, nunquam possit. Sed cum oporteat de sanitate habitantium curam habere, hoc autem sit primum in situ, & qualitate loci, secundum, in aquarum salubrium vsu: in ea quoque re est diligentia meritò adhibenda. Quibus enim plurimum, & frequentissimè vitimur ad corpus, ea plurimum important ad sanitatem. Aquarum autem, & ventorum potentia, talem habet naturam. Quapropter in ciuitatibus, quæ rectè sapiunt, distinguendus est aquarum vsus, si non omnes sunt pares, nec abundantia sit earum aquarum, ut aliæ seorsim aquæ ad cibum, & potum: aliæ ad aliam indigentiam deputentur. Loca autem munita, non pariter cunctis ciuitatibus vtilia sunt: ut puta arx ad dominationem vnius, vel paucorum. In populari verò viuendi modo, & qualitas loci. In optimatum verò gubernatione, neutrum istorum, sed magis loci plures ardui. Priuatorum autem domorum forma, gratior est, & commodior ad cæteras res existimatur, secundum nouiorem istum Hippodamium morem. Sed ad securitatem, tutelamque ciuitatis vtilior erat antiquorum ædificatio. Habent enim illorum ædificia inextricabiles aditus, ex quibus nisi consueti eadere vix possunt: & inscrutabiles latebras, si qui aggrederentur, ex quo vtriusque horum participare debent. Potest enim hoc fieri, si quis ita disponat, ut solent agricolæ illos, quos vocat quidam vinearum tramites. Et cæteram urbem non facere penetrabilem, sed partes quasdam, & loca. Sic enim ad securitatem, & ad ornatum se bene habebit. Mœnia verò qui dicunt non oportere adesse ciuitatibus illis, quæ virtutem possideant, nimium prisce loquuntur: & hoc vident per experientiam reprobatum in iis ciuitatibus, quæ sibi id ad gloriam iactabant. Est enim ad pares, ac non multò excedentes multitudinem, non satis decorum per mœnia seruari velle. Sed cum aliquando contingat, & fieri possit, ut multò maior hominū multitudo, & maiori virtute superueniat, si saluos esse oportet, neque perire, neque contumeliis affici, firmissimam munitiōnem murorum putandum est opportunissimam esse in bello, præsertim hoc tempore, in quo tormenta, & machinæ ad obsidiones vrbiū, cum omni subtilitate sunt adinuenta. Simile est enim, ciuitatem non circumdandam mœnibus censere, & regionem facilem ad inuadendum quærere, & deiicere montuosa loca, & priuatis domibus non circumdare parietes, quasi viles futuri sint habitatores. Atqui ne id quidam latere oportet, quòd qui mœnibus circumdantur, eis licet in vtranque partem uti vrbiū, & tanquam muros habentibus, & tanquam non habentibus.

ἄρα μὴ τῶν ἱερῶν ὁ νόμος ἀφοσιῶν καὶ οὐκ ἔστιν ἡ τοῦ μανθίου ἀλλὰ πῶς καὶ ἄλλοι.

† portat.

ἢ μὲν ἑλὼ- ἔστι δ' ἄγ- ἰστὸς καὶ ἄλλοι, ἢ μὲν ἑλὼ- ἔστι δ' ἄγ- ἰστὸς καὶ ἄλλοι, ἢ μὲν ἑλὼ- ἔστι δ' ἄγ- ἰστὸς καὶ ἄλλοι.

habentibus. Sed eis, qui mœnia non habent, non licet. Si ergo per hunc modum se habet, non solum mœnia circumdanda sunt vrbi, verum etiam curandam, ut & ad ornatum ciuitatis se habeant decenter, & ad bellicas opportunitates, tum alias, tum ad illas, quæ nunc repertæ sunt. Ut enim aggressoribus cura est, quibus modis vincant, ita quædam iam reperta sunt, quædam inuestigare, atque philosophari oportet eos, qui defendunt. Principio enim non aggrediuntur eos, qui bene se præparauerunt, expugnare.

De adibus sacris, foris, & locis comestationum, cuiusmodi esse debeat.

Cap. XII.



Vm verò multitudo ciuium in comestationibus distributa esse debeat, mœnia verò sint præfidiis quibusdam, & turribus per opportuna loca interpositis munita, clarum est, quòd res exigat aliquas comestationum, in illis ipsis præfidiis collocari. Et hæc quidem per hunc vtrique modum videntur constituenda. Aedes verò Deorum, ac principalissimæ magistratuum comestationes, idoneum locum habere debent, & eundem, & sacra quotcunq; lex non separat, aut responsum oraculi. Esset autem talis locus quisquis super eminentiam haberet, & ad edendam virtutem sufficienter, & ad vicinas partes ciuitatis excellenter. Decet autem sub hunc locum constructionem fori esse talem, qualis est in Thesalia eius, quod liberum vocant, id est, quod debet esse purum ab omni mercatu: & neque opifices, neque agricolas, neque alios villos tales illi appropinquare, nisi à magistratibus vocarentur. Esset verò hic locus gratior, si & gymnasia seniorū in eo sint constituta. Decet enim secundum ætates distribuere hunc ornatum, & in iunioribus magistratus quosdam versari, seniores autem magistratibus assistere. Præsentia enim magistratuum ante oculos posita, gignit veram reuerentiam, liberalémque pudorem. Venalium autem rerum, aliud forum esse debet, & alio loco situm, accessu facile, quòd & à terra, & à mari facilis sit importatio omnium. Cum verò multitudo ciuium diuisa sit in sacerdotes, & magistratus, decens est sacerdotibus circa ædes sacras esse comestationes institutas. Magistratuum autem quicumque de contractibus ius dicunt, & qui accusationibus cognoscunt, & qui circa vocationes in ius, & aliam huiusmodi administrationem intendunt. Et insuper qui ædilitatis, & vrbaniarum rerum curam gerunt, iuxta forum in loco celebri, communique sunt comestationes statuendæ. Talis est locus illius fori, in quo necessaria venundantur. Nam alterum illud forum superiori loco situm, debere esse diximus otiosum: hoc autem ad negotia rerum deputari. Hunc eundem ordinem in regione quoque imitandum esse dicimus. Sunt enim magistratus quidam apud rusticos, quos alii custodes, alii rectores appellant: quibus & loca ad custodiam regionis, & comestationes sunt iisdem in locis constituendæ. Tempia quoque per agros distributa esse debent, partim diis, partim heroibus. Sed immorari nunc circa ista superfluum est, cum sint illa non difficilia cognitu, sed magis factu. Dicere

enim, voti est: euenire autem, fortunæ. Quapropter circa talia insistere, ad præfens omitteremus. *De recta intentione finis, & medijs, de felicitate, & actibus virtutis, de externis, de quibus homines fiunt studiosi, & qualitate ciuium. Cap. XIII.*



Republica autem ipsa, ex quibus, & qualibus constare debet ciuitas, quæ beata sit futura, & rectè gubernari, dicendum est. Duo sunt, in quibus omnis commendatio bene agendi consistit. Vnum, ut propositum, ac finis agendi rectè subiaceat. Aliud, ut eas, quæ ad illum finem ferant, actiones inueniamus. Fieri enim potest, ut & concordent hæc inter se, & discordent. Nam quandoque illud, ad quod intenditur, rectè iacet: sed in actionibus, per quas illo potiri credimus, aberratur. Quandoque autem omnia ad finem diriguntur, sed finis ipse est præpositus. Quandoque etiam in vtroque est error, veluti circa medicinam. Neque enim quale aliquid esse oportet sanum corpus, rectè iudicat interdum, neque ad subiectum sibi finem opera diriguntur. Oportet autem in artibus, & scientiis hæc vtraque obtineri, finem, & eas, quæ sunt ad finem, actiones. Quòd igitur bene viuere, ac felices esse omnes cupiunt, manifestum est. Sed aliis potestas est adipiscendi, aliis non propter fortunam aliquam, vel naturam. Opus est enim adiumentis quibusdam ad bene viuendum: minoribus quidem illis, qui melius dispositi sunt: maioribus autem, qui peius. Alii verò, statim non rectè quærunt felicitatem, cum possint. Cum autem propositum nostrum sit optimam rempublicam videre: ea verò est, per quam ciuitas optimè gubernetur: optimè autem gubernatur, si felicitatem maximè recipiat: manifestum est, quòd quid sit felicitas, latere non debet. Diximus autem in Ethicis, si modò illorum librorum vtilitas vlla est, operationem esse, & vsum virtutis perfectum: & hunc non ex suppositione, sed simpliciter. Dico autem ex suppositione, quæ necessaria sunt: simpliciter autem, quòd in se ipso commendationem habet, veluti circa res iustas iudicare, punire, supplicio afficere, à virtute quidem est, sed ex necessitate, & commendationemque habet ex compulsionem. Eligibilius nanque foret, nullo tali indigere, neque hominem, neque ciuitatem. At enim ad honores, & opes, simpliciter sunt optimæ actiones: nam alterum quidem illud mali alicuius electio est, hæc autem contra. Effectiones enim bonorum sunt, & generationes. Studiosus enim vir, & paupertate, & morbo, & aliis Fortunæ aduersitatibus laudabiliter vitur: veruntamen felicitas in contrariis existit, nam & hoc determinatum fuit in Ethicorum libris, quòd talis est studiosus, cui per virtutem bona, sunt simpliciter bona. Patet autem, quòd & vsus istos necessariū est studiosos, & bonos esse simpliciter. Quapropter existimant homines, externa bona causam esse felicitatis. Cui si quis bene pulsandi causam putat esse lyram magis, quam artem. Necessarium est ergo, ex his, quæ dicta sunt, alia subesse, alia parare legis positorem: ex quo secundum votum optamus constitutionem ciuitatis in his; quorum domina est Fortuna. Dominam

το καλὸς ἀναγκαίως ἐχέει.

enim illam posuimus: sed studiosam esse ciuitatem, non est Fortunæ opus, sed scientiæ, ac electionis. At studiosa ciuitas est, ut ciues, qui in Republica versantur, sint studiosi. Nobis autem omnes ciues participes sunt Reipublicæ. Hoc igitur considerandum est, quo modo fiant studiosi. Nam si contingat, omnes esse studiosos, non autem singulos ciuium, sic foret optabilius, sequitur enim ad singulos esse, & omnes esse. Atqui boni quidem, & studiosi fiunt propter tria. Sunt autem hæc tria, natura, mos, & ratio. Etenim nasci oportet primum, ceu hominem, & non aliud animal: & sic, qualem aliquem secundum corpus, & animam. Quædam etiam nasci nulla utilitas est: mores enim mutari faciunt, nam aliqua per naturam ad vtrunque apta, per mores ad peius, vel ad melius conuertuntur. Cætera igitur animalia maximè viuunt secundum naturam: parum verò aliquid, & secundum mores. Homo autem & secundum rationem: solus enim ratione habet. Ita oportet hæc simul concordare. Multa enim præter mores, & præter naturam agunt homines propter rationem, si persuadeatur melius esse aliter agere. Natura igitur quales esse oportet eos, qui legum positori sint parituri, determinatum est prius. Reliquum opus est iam disciplinæ. Quædam assuescendo discuntur, quædam audiendo.

An eisdem esse oporteat, qui parent, & qui imperant, an alios: & num per totam vitam, an verò alios: & de disciplina, qualis amborum esse debeat: de virtute eorum, an sit eadem: de partibus animæ: de errore circa fines, quòdque ab antiquis legislatoribus nõ recte finis constitueretur in dominatione, aut diuitijs, & quis tandem is sit. Cap. XIII.

Vm verò omnis societas ciuili con-
stitet ex imperantibus, & parentibus, hoc
iam considerandū est, Vtrum alios esse
oportet, qui imperant, & alios, qui pa-
rent, an eisdem per vitam. Patet enim quòd & di-
sciplina secundum hanc diuisionem sequi debet.
Si ergo tantum differrent alteri ab alijs, quãtum dii
& heroes ab hominibus differre putantur, vt primo
statim corpore, ac postea animo longè antecelle-
rent, ac manifestè, indubitatèque appareret eorum
supereminentia, clarum est, quòd semper eosdem
istos melius foret imperare, alios verò parère. Sed
cum facile non sit hoc reperire, nec sit (vt apud In-
dos Scylax esse ait) reges tantum à populis differ-
re: manifestum est, quòd propter multas causas ne-
cessarium est, vt omnes similiter participes sint vi-
cissim imperandi, & parendi: equum enim idem si-
milibus. Et difficile est stare Rempublicam, quæ
constituta sit præter iustitiam. Cum illis enim, qui
ab imperando excluderentur, concurrerent omnes,
qui sunt in regione, statim mutare cupientes: & tan-
tam esse multitudinem in Reipublicæ gubernatio-
ne, vt sit potentior istis, vnum aliquid impossibi-
lium est. At enim quòd oporteat eos, qui in magi-
stratu sunt, differre à subiectis, indubitabile est.
Quomodo ergo hæc futura sint, & quomodo par-
ticipent, considerare debet legislator, vt prius dixi-
mus. Natura enim ostendit quemadmodum hæc di-

stinguenda sunt. Facit enim eosdem genere, alios
iuniores, alios seniores: quorum alteri debent pa-
rère gubernantibus, alteri gubernare. Indignatur
autem nemo, propter ætatem maiori concedere.
Nec putat illum, cui cedit, potiorum esse se: præfer-
tim cum & ipse quãdo ad id ætatis peruenerit, eun-
dem honorem sit recepturus. Est ergo vt eosdem
esse dicere eos, qui parent, & imperant, est etiam vt
diuersos. Itaque & disciplinam vt eandem dicere
necesse est, & vt diuersam. Qui enim imperare ve-
lit rectè, oportere aiunt ipsum prius sub imperio
fuisse. Imperium verò, vt in primis libris dictum
fuit, aut gratia imperantis est, aut gratia subiectorū.
Horum alterum seruorum esse diximus, alterum li-
berorum. Mandatorum verò quædam inter se dif-
ferunt, non in agendo, sed in cuius gratia. Quapro-
pter multa, quæ videntur esse ministrorum opera,
& adolescentium, liberis hominibus pulchrum est
ministrare. Ad pulchrum enim, & non pulchrum
non tantū differunt actiones propter se ipsas, quan-
tum in fine, & gratia cuius. Cum verò ciuis, & præ-
sidentis eandem virtutem esse dixerimus, quæ opti-
mi viri, & eundem prius parère debere, postea im-
perare: hoc vtique erit legum positori intuendum,
laborandūque, vt boni viri efficiantur, & per quæ
exercitia, & quis finis optimæ vitæ. Diuersæ autem
sunt duæ partes animæ, quarum altera ratione per
se habet, altera non habet quidem per se, veruntam-
en rationi obtemperare potest: quarum diximus
esse virtutes illas, per quas vir bonus dicitur quo-
dam modo. Sed in vtra istarum magis est finis?
Qui ita diuidunt, vt nos facimus, his ambiguum
non est quomodo sit dicendum. Semper enim dete-
rius, melioris gratia est. Patet hoc in his, quæ
sunt secundum artem, & in his, quæ sunt secundum
naturam. Melius autem illud, quod rationem habet.
Diuiditur autem dupliciter, vt nos consueui-
mus diuidere. Est enim ratio alia actiua, alia con-
templatiua. Sic ergo necesse est & hanc partem di-
uidere, & actiones clarum est quòd corresponden-
ter se habere dicemus. Et oportet eas actiones, quæ
sunt meliores secundum naturam, magis expeten-
das esse ab illis, qui consequi possunt, aut omnia,
aut illa duo. Semper enim cuique id est maximè ex-
petendum, cuius potiri est summum. Diuisa est au-
tem vita in negotiū & otium, bellūque & pacem.
Et agibilia quædam sunt necessaria, & vtilia, quæ-
dam honesta. In quibus necesse est eandem esse
optionem, & partibus animæ, & ipsarum actioni-
bus: bellum quidem gratia pacis, negotium autem
gratia otii: necessaria, & vtilia, gratia honestorum.
Ad cuncta igitur hæc aspicere debet, qui legem po-
nit, & ad partes animæ, & ad illarum actiones: ma-
gis verò ad ea, quæ meliora sunt, & finis. Eodem
modo & circa vitas, & rerum diuisiones. Possit
enim oportet & in negotio versari, & in bello: præ-
ferenda tamen est pax, & otium. Necessaria, & vti-
lia posse agere, præferenda sunt tamen honesta. Ita-
que ad hæc, tanquam ad signum, & pueri adhuc exi-
stentes, & aliæ ætates, quæ indigent, per discipli-
nam sunt dirigendi. Nam qui nunc Græcorum re-
ctè gubernari videntur, & legumlatores, qui eas
Respublicas instituere, neque ad optimum finem
videntur aspexisse, neque id ad omnes virtutes, di-

sciplinam, & leges direxisse: sed onerosè declina-
uerunt ad illas virtutes, quæ videntur vtilis, ac plus
habere faciunt. Similiter quoque posterorum quid-
dam scriptores, opinionem suam eandem ostende-
runt. Laudantes enim Lacedæmoniorum Rem-
publicam, & commendant legislatoris eius propo-
situm, quòd omnia ad potentiam, & ad bellum di-
rexit, quæ & per rationem refelli possunt, & per
facta ipsa nunc reprobata sunt. Vt enim plurimi
hominum dominari latè cupiunt, quoniam exin-
de multa proueniunt Fortunæ comoda: sic Thi-
bron admirari, laudareque videtur Lacedæmonio-
rum legumlatorem, & quicumque alter de Repu-
blica illorum scripsit, quòd propter exercitatio-
nem eorum ad pericula, multorum dominationem
sibi compararunt. Atqui patet, quòd cum non ha-
beant nunc dominationem Lacedæmonii, nec fe-
lices amplius esse, nec legumlator eorum bonus.
Insuper illud ridiculum, si permanentes in legibus
eius, nullòque impediante illis legibus vtj, amife-
runt bene viuere. Non rectè verò suscipiunt, ne-
que de dominatione, ad quam intendisse legistato-
rem ostendunt, nam imperium liberorum melius
est, ac magis ex virtute, quàm dominari vt seruis.
Præterea, non per hoc ciuitas felix est existiman-
da, neque legislator laudandus, quòd vincere do-
cuerit, & finitimis dominari: hæc enim magnum
continent nocumentum. Nam aduersus ciues hoc
aget, qui poterit, & ciuitati suæ dominari quæret.
De quo accusant Lacedæmonii Pausaniam, regem,
licet in tanta dignitate constitutum. Nec sanè ali-
qua huiusmodi ratio est, aut lex ciuili, neque vti-
lis, neque vera: eadem enim optima & priuatim, &
publicè, legumlatorem inducere oportet in animos
hominum. Neque exercitatio rerum bellicarum
ob id est meditanda, vt in seruitutem adigant im-
merentes: sed primum ne ipsi seruire alijs compell-
antur, deinde vt imperium quærant gratia utilita-
tis subiectorum, non ante omnia dominationem.
Tertiò, vt eis dominantur, qui seruire sunt digni.
Quòd autem oporteat legis positorem studere, vt
prouisio sua circa res bellicas, & circa alias institu-
tiones ad otium, & ad pacem referatur, id attesta-
tur, quòd pleræque talium ciuitatum bellum geren-
tes conseruantur, sed cum dominationem adeptæ
sunt, destruuntur, & splendorem enim, veluti fer-
rum, per pacem amittunt. Causa huius est legum
positor, qui non ita instituit, vt in otio stare pos-
sint.

*Virtutem contemplatiuam ad optimam Rem-
publicam pertinere, quibus virtutibus
& ad negotium, & in bello, & in
pace, & ad otium sit opus:
& a quo primum insti-
tutio sit facienda.
Cap. XV.*



Vm ergo idem finis esse videatur pu-
blicè, & priuatim hominibus, & ean-
dem definitionem esse necesse sit viro
optimo, & optimæ Reipublicæ, mani-
festum est, oportere virtutes eas, quæ ad otium spe-
ctant, illi existere. Finis est enim, vt sæpe iam di-

ximus, belli, pax: negotii, otium. Sunt autem vtilis
ad otium, & quietem virtutes, quarum opus in otio
est, & quarum in negotio. Oportet autem multa
& negotiorum nobis existere, vt liceat in otio esse. necessario.
Quapropter temperatam ciuitatem esse oportet, rum.
ac fortem, & patientem, nam, vt est in prouerbio,
Nullum otium seruis. Qui verò non possunt for-
titer pericula subire, serui sunt inuadentium. Forti-
tudine igitur, & constantia opus est ad negotium,
& iustitia, in vtroque tempore, sed magis in pace,
& otio. Nam bellum quidem ipsum cogit homi-
nes esse iustos, ac temperatos. Fortunæ autem pro-
speræ fruitio, & otium cum pace, petulantes magis
facit. Multa igitur iustitia, multaque temperan-
tia indigent hi, qui in optimo statu constituti vi-
dentur, & in fruitione omnium rerum, quæ beatos
facere putantur: veluti siqui sunt, vt poetæ tradunt,
in beatorum insulis. Maximè enim hi philosophia,
& temperantia, & iustitia indigerent, quantò ma-
gis otiosi sunt, in abudantia talium bonorum. Qua
igitur de causa beata, & studiosa futura ciuitas his
indigeat virtutibus, manifestū est. Turpe est enim,
non posse frui bonis: sed in negotiis quidem, & bel-
lo, viros probos videri, in otio autem, & pace, ser-
uiles. Quam ob rem oportet, non quemadmodum
Lacedæmoniorum ciuitas, virtutem exercere. Illi
enim non eo ab alijs differunt, quòd nõ putent ea-
dem maxima bona, quæ cæteri, sed eo, quòd pro-
uenire illa existimant magis per aliquam virtutem.
Cum verò maiora sint hæc bona, quam ea, quæ bel-
li, & fruitio eorum, quàm virtutum, & quia illius
gratia, manifestum ex his. Quomodo autem, &
per quæ id erit, vtique considerandum. Diximus
suprà diuidentes, quòd natura, & more, & ratio-
ne indigemus. Ex his autem quales aliquos na-
tura esse oportet, determinauimus. Restat vide-
re, vtrum ratione prius, an moribus, sit eruditio
facienda. Hæc enim simul concordare debent opti-
ma concordatione. Contingit enim rationem ab-
errare ab optima suppositione, & similes per mo-
res duci. Clarum est hoc, primum quidem quem-
admodum in alijs, quòd generatio est à principio,
& finis à principio aliquo alterius finis. Ratio
autem nobis, & mens naturæ finis. Quare ad
hæc, generationem, ac morum institutionem pa-
rare oportet. Deinde vt anima, & corpus duo
sunt, ita quoque duas videmus esse animæ partes,
vnam irrationalem, alteram, quæ habet rationem.
Habitus quoque earum duos, quorum alter est ap-
petitio, alter mens. Vt autem corpus in genera-
tionem antecedit animam, sic pars irrationalis an-
tecedit eam partem, quæ habet rationem. Patet
id in pueris, quibus statim ira, & voluntas, &
concupiscentia existit: at ratio, & mens, proce-
dente ætate in illis fieri nata sunt. Quapropter
corporis curam necesse est prius suscipere, quàm
animi, deinde appetitus. Curam tamen appetitus,
qui gratia mentis: curam verò corporis, qui gratia
animi. Si ergo ab initio prouidendum est à legis
positore, vt optima sint corpora eorum, qui edu-
cantur, primò quidem circa coniugia prouidere
debet, qua ætate, & cuiusmodi existentes, sint in ma-
trimonium copulandi.

Vi legislator instituens coniugalem societatem, inspicat aptam ætatem vtriusque ad generationem: vt filij nec nimium distent ab ætate parentum, vt diu habeant superstites, nec nimium vicini sint ætati eorum, ne per id minor sit reuerentia: quo tempore aptius contrahatur matrimonium, & quod magis ad generationem: de corporis habitudine natorum qualem esse sit decentissimum: de pregnantium diata: de orbis fœtibus: de multitudine gignendorum: quod ætatis tempus ad procreationem magis idoneum: de interdicens alieno concubitu. *Cap. XVI.*

Hoc autem instituet legis positor, inspicens ad ipsos, & ad vitæ tempus, vt ætatibus in idem cõcurrant, nec diserepet gignendi potetia. Viro enim adhuc generare potente, si mulier ipsa concipere nõ possit: vel muliere quidem ad cõcipiendum apta, si vir ipse non possit, lites, ac discordiæ inter eos oriuntur. Ad filiorum quoque susceptionem est inspicendum, ne nimis distent ab ætate paterna: quoniam nec ipsi senioribus gratiam referre vllam possunt, nec parentes filiis adiumenta præstare. Nec etiam nimis proximi ad ætatem paternam accedere debent filii: habet enim hoc turbationem non parua, cum neque tanta sit reuerentia huiusmodi filii erga genitores, vt pote quasi æqualibus: & circa gubernationem domus, querelæ ex ista quasi paritate soleant provenire. Insuper, quod dicere incipientes huc digressi fuimus, vt corpora natorum sint secundum legis positoris voluntatem, ferè quidem hæc omnia provenient per vnam diligentiam. Nam cum sit finis gignendi, vt plurimum viris quidem septuagesimus annus, mulieribus autem quinquagesimus, ita coniugandi ab initio sunt, vt ætatibus ad hunc finem concurrant. Est autem adolescentium coniunctio improba ad filiorum procreationem. In cunctis enim animalibus iuueniles partus imperfecti sunt, & fœminæ crebrius, quam mares, & parua corporis forma gignuntur. Quocirca necesse est, hoc idem in hominibus provenire. Huius autem cõiectura fuerit, quod in quibuscunque ciuitatibus consuetudo est, adolescentes mares, puellasque coniugari, in eisdem inutilia, ac pusilla hominum corpora existunt. In partu quoque laborant magis puellæ, ac pereunt plures. Ex quo responsum oraculi Træzeniis datum quidam existimant, ob istam causam, quasi multis pereuntibus propter immaturitatem nuptiarum, non propter fructuum collectionem. Ad continentiam quoque vtile est, nuptias fieri seriores. Intemperatiores enim esse videntur, cum puellæ Veneri assuescunt. At masculorum corpora crescere impediuntur, si adhuc augente fœmine consuetudinem ineant. Nam huius terminus quispiam esse videtur, quem non multo excedit amplius. Quapropter puellas quidem circa ætatē decem & octo annorum nuptui tradere congruit, masculos autem circiter ætatem annorum sex & triginta. In hoc enim tempore, & vigentibus corporibus coniun-

aliàs, ὁμοίως corpus: nã vtrumque Græca habent.

gentur, ac procedente tempore simul aptè desinent procreare posse. Et filiorum susceptio partim erit ab initio eis ætate vigentibus adhuc, si rectè procedat statim generatio: partim iam vergentibus ad annum septuagesimū. Quibus igitur ætatibus coniugia sint facienda, dictum sit. Tempus autem anni, vt nunc multi obseruant, rectè per hyemem aptius ad nuptias esse videtur. Sed consideranda sunt in procreatione liberorum, quæ à medicis, & quæ à physicis traduntur. Medici autem tempora corporum sufficienter ostendunt: physici autem de spiritibus Borealia magis, quam Australia laudant. Quæ autem corpora maximè vtilia sint, magis dicendum esset, vbi disciplina liberorum tractatur. Summatim verò sat fuerit nunc dixisse: neque enim athletarum habitudo vtilis foret ad ciuilem habitum, neque ad sanitatem, & procreationem liberorum: nec rursus humilis, & imbecilla nimium, sed media istarum. Laboriosam enim habitudinem habere oportet, exercitatum verò laboribus non violentis, neque ad vnum laborem solum, vt athletarum habitudo, sed ad liberalia opera. Hæc autem similiter viris, mulieribusque existere debent. Prægnantes quoque mulieres curam habere corporum oportet, non pigrescentes, neque subtili vtentes alimonia. Hoc autem facile est legum positori providere, si iubeat singulis diebus iter quoddam facere debere ad Deorum sacra, mulieres, quæ sortitæ sint concipiendi honorem. Mens tamen contrà, quam corpus, in tranquillitate est traducenda. Quæ nisi sunt, ab ea, quæ continet, capere videntur: quemadmodum illa, quæ nascuntur à terra. Circa expositionem autem, vel educationem filiorum, lex sit, nihil orbatum natura fore educandum. In aliis verò si mores, institutioque ciuitatis prohibeant natos exponere, ac multitudo tanta prolis alicui contigerit, vt duplicatus sit filiorum numerus, (nam is diffinitus esse debet) ad multitudinem nimiam euitadam anteuenire oportet, vt non cõcipiantur. Nam postquam concepti sunt, & sensum, aut vitam acceperint, nefas est attingere eos. Cum verò determinatum sit, qua ætate vir & vxor sint ab initio cõiugandi, quanto tempore liberis operationem dare conueniat, determinemus. Seniorum enim fœtus, quemadmodum iuniorum, imperfecti sunt & corporibus, & intellectibus: senescentium quoque fœtus sunt inrobusti. Quapropter illud maximè tempus probandum est, in quo maximè intelligentia viget in nobis. Id autem esset in plurimis, circiter annum quinquagesimum, vt poetarum quidam dixerunt, septenario numero ætatem dimetientes. Itaque qui quatuor, aut quinq; annis hanc ætatem excefferint, derelinquere debet in aperto procreandi studium, ac de cætero vel sanitatis, vel alterius huiusmodi causa concubitus facere videri. Coitus verò omnis alterius, quam coniugis, penitus sit interdictus: quandoquidem sit, & appelletur coniunx. Quod si quis depræhendatur contrà facere per tempus procreationis, dignam pro delicto pœnam reportet.

De

Sceptis autem filiis multum referre putandum est ad corporis robur, quali victu nutriantur. Apparet verò ex cæteris animalibus, & ex gentibus, quibus cura est assidua bellicæ habitudinis, nutrimentum lactis maximè proprium esse corporibus: abstemiū autem magis, propter ægritudines. Et præterea motus, quoscunque in ea ætate fieri datur, conferunt. Ne membra verò ob teneritudinem distorta fiant, vtuntur adhuc gentes aliquæ organis quibusdam, & machinis, quæ corpus à talibus illæsum conseruant. Confert etiam statim à pueritia frigori assuescere. Hoc enim & ad sanitatem, & ad res bellicas vtile est. Quapropter apud multos barbarorum consuetudo est, vel gelido amne natos immergere, vel parua veste amiciri, vt faciunt Galli. Ad cuncta enim, ad quæ possibile est, statim ab initio melius est assuescere. Est autem apta puerorum natura, ob eorum calorem, ad frigus exerceri. Circa primam igitur ætatem hæc, & huiusmodi diligentia est adhibenda. Sequenti verò ætate vsq; ad annos quinque, quia nondum ad disciplinam aliquam sunt admouendi, neque labores perferre cogendi, ne crescere impediuntur, motus solummodo quosdam suscipere debent, quod pigritiam corporis euitent: qui motus præparandi sunt illis, & per alios actus, & per ludum. Ludi verò ipsi, neque illiberales, neque laboriosi esse debent, neque remissi. Quas autem narrationes, & fabulas illa ætate pueri audire debeant, cura sit iis, qui pueris publicè præficiuntur: cuncta enim talia, ad conuersationes postea futuras accommodanda sunt. Itaque ludi vt plurimum tales esse debent, vt sint imitatio nes eorū, quæ postea serio erunt facienda. Cohibitiones verò puerorum, & interruptiones ploratus, qui legibus prohibet, non rectè faciunt: sunt enim vtilis ad augmentum, cum sint quodam modo exercitationes corporum. Spiritus enim compressio facit robur laborantibus: quod contingit etiam pueris ploratum cohibentibus. Providendum est ab his, quibus puerorum cura publicè commissa est, circa huiusmodi educationem, & alia, & vt quàm minimè cum seruis versentur. Hæc enim ætas vsq; ad annos septem, necessarium est vt domi alatur. Rationabile est ergo, præcipuè in hac ætate, vt ab auditu, & visu seruilium rerum absint. Omnino igitur obscœnitas verborum, per legislatorem ex-

terminanda est de ciuitate. Ex turpiter enim loquedi licentia, sequitur & turpiter facere. Potissimum igitur statim à pueris, neque dicant, neque audiât quicquam turpe. Si quis verò dicere, aut facere quicquam prohibitorum depræhensus fuerit, is, si liber sit, sed nondum in conuentum comessatorum dignatus assumi, honore prohibeatur, & verberibus castigetur. Sed si sit maioris ætatis, seruili infamia afficiatur. Cum verò dicere quicquam interdixerimus, clarū est quod & aspiciere aut picturas, aut actus deformes prohibemus. Sit igitur cura magistratibus, nullam neque picturam, neque statuum esse talium rerum imitatricē, nisi apud deos quosdam, quibus etiam lasciuiam mos tribuit, apud hos permittit lex iam homines factos pro se, & filijs, & vxoribus sacra facere. Iuniores autem neque iamborum, neque tragœdiarum spectatores esse si nat, nisi cum ad eam peruenerunt ætatem, vt in comœdiameffationibus vnà cum alijs sedere, & potus etiã rum. participes esse possunt. Et ab huiusmodi labe insontes, disciplina omnes præstabit. Nos quidem nunc cursim ista attigimus. Postea verò insistentes oportebit determinare magis: siue oportet, siue non oportet, primò quæretes, & quomodo: sed in præsentem mentionem de his facere necessariū fuit. Forsitan enim non malè circa hoc censebat Theodoros tragœdiarum actor: nulli enim vnquam concedere voluit, vt ante se ageret, neque ex vtilibus etiam histrionibus, quasi magis faueant auditores illis, quos primò audierint. Contingit hoc idem in conuersationibus hominum, & rerum: omnium enim prima nos magis delectat. Quapropter oportet à pueris omnia turpia procul remouere, & maximè quæcunque habent in se vel obscœnitatem, vel improbitatem. Transactis verò annis quinque, in duobus vsque ad septem oportet iam disciplinas spectare, quas addiscere eos oportet. Duæ autem sunt ætates, in quas necessarium est disciplinas diuidere. Vna, post septimum annum vsque ad pubertatem, Altera, à pubertate vsque ad annum vigesimum primum. Nam qui hebdomadibus diuidunt ætates, vt plurimum non dicunt bene. Itaque sequenda est naturalis distinctio. Omnis enim ars, & disciplina implere vult id, quod deest naturæ. Primùm igitur videndum est, si facienda sit institutio quædam circa pueros. Deinde, si vtile sit publicè curam eorum suscipere, vel magis priuatim, quo modo nunc fit in plurimis ciuitatibus. Tertio, qualem hanc esse curam oportet.

FINIS.

Ff 5

ARISTOTELIS STAGIRITAE POLI- ticorum, siue de Rebus Pu- blicis, Liber Octauus,

Leonardo Aretino Interprete.

Argumentum Libri.



N octauo hæc insunt: Mos, disciplina, mens, quibus moribus, disciplinisque instruendi animi sint iuuentutis.

Quòd faciendâ sit institutio circa pueros, & illam publicè esse suscipiendam, atque ad Rei publicæ formam, non priuatim. nam vnâ-
quaque Rempublicam optimè conseruant mores proprii, veluti mos popularis: Rempublicam populi, & quanque institutionem publicè elegantius fieri.

Cap.

I.



VOD igitur à legis positore maximè intendendum sit circa disciplinam iuuentutis, nemo utique dubitabit: nam id quidem neglectum in ciuitatibus affert Reipublicæ detrimentum. Oportet enim ad singula gubernandi genera, disciplinam accommodari. Nam mos vniuscuiusque proprius, consuevit & seruare Rempublicam, & ab initio constituere: ceu popularis mos popularem, & paucorum potentiae accommodatus mos, eam, quæ consistit in paucorum gubernatione. Semper autem melior mos, causa est melioris Reipublicæ. Præterea, in cunctis facultatibus, & artibus sunt quædam, ad quæ erudiri prius oportet, & assueseri ad earum opera. Itaque manifestum est, quòd & ad virtutis actiones. Cùm verò vnus sit finis ciuitati toti, clarum est, oportere disciplinam quoque esse vnâ, & eandem omnium, & huius curam esse publicam, & non priuatam: quemadmodum nunc vnusquisque curam habet suorum filiorum, priuatimque docet, & priuatam disciplinam, prout ei videtur. Sed oportet publicorum publicè exercitationem fieri: & simul non debet quisque cuius se suum existimare, sed omnes ciuitatis. Particula enim ciuitatis vnusquisque est. Cura verò singularum particulari, respicere nata est ad curâ totius. Laudari possunt in hoc Lacedæmonii: nam plurimam circa pueros diligentiam faciunt, & quidem publicè. Quòd igitur lege prouidendum sit circa disciplinam iuuentutis, & hoc publicè faciendum, patet.

Qualis esse debeat institutio puerorum, quòd-
que non omnium, quæ ad Rempublicam sint
necessaria: non enim exercitorum, & ope-
rum vilium. Quòd liberalium disciplinarum
quantum sat est, & ad finem liberalem.

20

Cap.

II.



Vnam verò ista sit disciplina, & quomodo tradenda, latere non debet. Nam nunc quidem in ambiguo est, neque eadem omnes censent iuuentutem addiscere debere, neque ad virtutem, neque ad vitam optimam: neque conspicuum est, vtrum per intelligentiam magis deceat, vel per animi morem. Impedimentorum quoque respectus, considerationem disciplinæ conturbat: cùm manifestum non sit, vtrum exercitatio nostra accommodanda sit ad ea, quæ sunt vtilia ad vitam, vel ad ea, quæ tendunt ad virtutem, vel ad ea, quæ ad maiorem quandam, superfluumque pertinent apparatus. Hæc enim omnia patronos quosdam suscipere. De his quoque, quæ ad virtutem tendunt, nihil confessum existit. Etenim virtutem non eandem omnes statim honorant. Ex quo fit, vt non ab re discordent circa illius exercitationem. Quòd igitur ex vtilibus necessaria sint addiscenda, manifestum est. Quòd autem non omnia, distinguuntibus liberalia opera ab illiberalibus, patebit, illa talia esse recipienda, quæ, cùm vtilia sint, faciunt exercentem, habentemque non vilis exercitii operatorem. Vile autem exercitium putandum est & ars, & disciplina, quæcunque corpus, aut animum, aut mentem liberi hominis, ad vsum, & opera virtutis inutilem reddunt. Itaque & artes illæ, quæ deterius disponunt corpus, & cuncta mercenaria exercitia, sordida nuncupamus. Mentem enim occupatam, & vilem reddunt. Sunt etiam quædam ex liberalibus scientiis, quas vsque ad aliquid discere honestum sit: penitus verò sese illis tradere, ac ad extremum vsque prosequi velle, noementis illis (quæ supra diximus) obnoxios facit. Sed refert plurimum, cuius gratia quis agat, vel discat: nam si gratia sui, vel amicorum, vel propter virtutem, non est illiberalis. Qui verò id ipsum agit propter alios, sæpe utique videbitur illiberaliter, ac sordidè agere. Disciplinæ igitur illæ, de quibus diximus, ad vtranque partem se habent.

30

40

50

60

Ex iis,

Ex iis, quæ mentem ornant, quatuor discenda sunt pueris, grammatica, gymnastica, musica, pictoria, quòd otium negotio sit preferendum, & disciplina illius, disciplinis huius: musica ad otium, litera indifferentes, gymnastica & pictoria ad negotium. Cap. III.



Vnt autem ferè quatuor, quæ discere iuuenes consueuerunt, literas, gymnasticam, musicam: addunt verò quidam, figuradi peritiâ. Literas quidem, & figurationem, tanquam vtilis, & valde expedientes ad vitam. Gymnasticam verò, tanquam pertinentem ad fortitudinem. De musica verò ambigitur. Nam nunc quidem plurimi voluptatis gratia illam addiscunt. Veteres autem inter disciplinas eam collocauerunt, ex eo quòd Natura querit (vt sæpe dictum est) non solum in negotio rectè, verum etiâ in otio laudabiliter posse versari. Hoc enim principium est omnium, vt rursus de illo dicamus. Si enim vtroque opus est, magis autem expectandum est otium, quam negotium: nec id quidem in ioco. Nam sic necesse foret, iocum esse finem vitæ, quod si sit impossibile, & magis in negotiis vtendum est ioco. Nam qui laborat, indiget relaxatione: & huius gratia est iocus. Negotia verò sunt cum labore, & conatu: & propterea oportet iocum adhibere, qui tanquam medicinam eo tempore afferat. Nam relaxatio est huiusmodi motus animi, & requies per voluptatem. Otium autem ipsum videtur in se voluptatem habere, & felicitatem, & vitam beatam, & hoc non negotiosis, sed otiosis existit. Nam qui negotiatur, alicuius gratia negotiatur, quod sibi desit. Felicitas autem finis est, quam non cum dolore, sed cum voluptate esse omnes putant. Hanc tamem voluptatem non eandem omnes possunt, sed secundum se vnusquisque, & secundum suum habitum. Optimus tamem optimam, & eam, quæ sit ab honestissimis. Itaque manifestum est, quòd oportet ad otium quoque, degendum addiscere quædam, & erudiri: & has eruditiones, ac disciplinas, sui ipsarum esse gratia: illas verò, quæ ad negotium, tanquam necessarias, & gratias illorum. Quapropter musicam antiqui inter disciplinas collocauerunt, non tanquam rem necessariam, nihil enim habet tale, neque tanquam vilem, vt litera ad lucrum, & ad rem familiarem, & ad studia, & ad ciuiles actiones coplurimas. Videtur quoque figuradi peritiâ vtilis esse ad iudicandum melius artificum opera. Neque vt gymnastica, ad sanitatem, & robur, nihil enim horum videmus ex Musica fieri. Restat ergo quòd ad degendum in otio, ad quod & apparet ea adhiberi: quæ enim putant degentiam esse ingenuorum hominum, in ea constituant. Quapropter Homerus in poemate suo ita inquit: Sed quale est vocari ad mensam opiparè paratam? Deinde nominas quosdam alios, subdit. Et cytharædum, qui omnes mulceat. Et alio loco ait Vlysses, optimam esse degendi rationem, quado lætis omnibus conuiuæ audiunt cytharædum, sedentes per ordinem. Quòd igitur sit disciplina quædam, quæ non vt vtilis, neque vt necessaria docendi sunt filii, sed vt liberalis, & honesta, manifestum est. Vtrum autem vna sit numero, an plures, & quænam istæ, & quomodo, posterius dicitur. Nunc tantum id præmissum sit, quòd apud antiquos habemus testimonium ex his disciplinis, quas diximus. Musica enim hoc manifestat. Ac etiâ de

taliorum.

tuâdnoy.

50

60

vtilibus, quòd aliqua addiscere pueros oportet, non modò propter vtilitatem, vt patet in literis, verum etiam propter multas disciplinas alias, quæ per literas addiscuntur. Similiter verò figuradi peritiâ, non vt in veniando, emendatque, vasa non decipiatur, sed potius quia contempleri facit pulchritudinem corporum. Querere verò vtilitatem vbiq; minimè congruit magnanimis, & ingenuis hominibus. Cùm verò manifestum sit, vtrum moribus, an ratione sit disciplina tradenda, & an circa corpus primò, vel circa mentem, patet ex his, quòd adolefcetes gymnasticæ, & pedotribicæ sunt tradendi, quarum altera qualis aliquid quæ facit habitudinem corporis, altera operationes.

De gymnastica, & puerorum exercendorum disciplina. Cap. IIII.



Vnc autem quæ ciuitates curam habere puerorum maximè videtur, partim athletarum habitudinem inducere student, in quo deformant corpora, ac augmentationem eorum impediunt. Lacones verò in hoc quidem non errant, sed efferatos laboribus reddunt adolefcetes, quasi hoc vtile sit maxime ad fortitudinem. Atqui, vt iam sæpius diximus, neque ad vnâ virtutem, neque ad hanc maximè respiciendum est ab eo, qui curam facit institutionis. Et si ad hanc, non tamem consequitur: neque enim aliis in animalibus, neque in gentibus videmus fortitudinem adesse maximè efferatis sed potius mansuetioribus, & leoninis moribus: multaque sunt gentes, quæ ad cædes hominum, & ad eorum comestionem insultant: vt circa Pontum Achæi, & Heniochi. Et ex mediterraneis alia gentes similiter his, vel magis: quæ quidem gentes clanculum per insidias latrocinantur, ad bellica tamen opera nihil valent. Præterea, scimus Lacones, dum ipsi soli exercitantur, præstitisse cæteris: nunc autem, & in gymnasticis, atque actionibus bellicis esse aliis inferiores. Non enim ob id præstabant, quòd iuuentutis exerceret, sed quòd ipsi exercitati contra non exercitatos pugnabant. Itaque honestas, ac non feritas, est in certaminibus præferenda. Neque enim lupus, neque alia bestia, honestum periculum pugnando subiret, sed magis vir bonus. Qui verò adolefcetes in hæc nimium tradunt, & in necessariis absque disciplina dimittunt, verè illos sordidos reddunt. Ad vnâ enim opus Reipublicæ vtilis faciunt, & illud ipsum deterius, vt ratio ostendit. Oportet autem non ex prioribus operibus, sed ex his, quæ nunc sunt, iudicare. Nam nunc quidem illi, qui repugnant, disciplinam habent: tunc verò non habebant. Quòd igitur vtendum sit gymnastica, & quomodo vtendum, confessum existat. Vsque enim ad pubertatem leuiiores exercitationes sunt adhibendæ, absque victu illo violèto, & laboribus coactis, ne corpora crescere impediatur. Signum erit non paruû, quòd ita contingat: quia inter eos, qui Olympia vicerunt, duo, vel tres tantum reperiuntur, qui iudè adolefcetes, & viri sint victoriâ consecuti: propter eam, quòd per exercitationes pueris adhibitas, subleuata sit vis, ac robur à violètis laboribus. Post pubertatem verò, cùm annis tribus ad alia perdiscenda interderint, tunc congruit & laboribus, & victu necessario illos occupare. Nam simul mēte, & corpore laborare non oportet, cū se inuicem impedire nata sint. Labor quidem corporis mentem: mentis autem corpus, De mus

De musica pulchra disceptatio. Cap. V.

DE musica verò dubia quædã posuimus antea, & nunc rectum erit illa resumere, vt tanquam consentanea fiat rationibus, quas quis de ea dicens ostendat. Neque enim facile est demonstrare, quam potentiam habeat, neque cuius gratia illam adipisci oportet, vtrum solatii causa, & quietis, quemadmodum somnus, & potus. Nam hæc per se ipsa non sunt honesta, sed iucunda, & simul cessare curas faciunt, vt inquit Euripides. Quapropter instituunt in illa, & vtuntur cunctis istis similiter, somno, & potu, & musica. In his quoque saltationem posuerunt. An magis putandum est ad virtutem tendere musicam, vt potentem? quemadmodum gymnastica tale aliquod corpus reddit, sic & musicam talem aliquem morem efficere, assuefacientem posse rectè lætari? An ad degendi rationem aliquid cõfert, & ad prudentiã? Nam hoc tertium ponendum est, ex his, quæ dicuntur. Quòd igitur oporteat pueros non solatii gratia discere, manifestum est: non enim solantur discunt, nam cum labore est disciplina. Atqui nec degendi rationem pueris, neque illi ætati congruit attribuere. Nulli enim imperfecto competit perfectio. Sed forsitan videbitur puerorum studium solatii esse gratia viris factis, & perfectis. Quòd si hoc tale est, cuius gratia oportet ipsos addiscere, ac nõ potius, instar Persarum, Medorumque regum, per alios idẽ facientes voluptatis, ac disciplinæ participes fieri? Etenim necesse est melius perfici ab his, qui hoc opus suum fecerunt, & artem, quam ab his, qui tanto solum tempore in eo laborauerunt, quanto addiscunt. Quòd si oportet in his eos laborare, similiter & circa epularum apparatus oportebit vtique eos addiscere, quod est absurdum. Eadem quoque dubitatio cadit, si possit mores facere meliores. Quid enim opus est, eos hæc addiscere, ac non ex aliis audientes rectè lætari, & iudicare posse, quemadmodum Lacones? Illi enim, quanquam non didicerint, possunt tamen rectè iudicare, vt aiunt, quæ sit bona, vel non bona melodia. Eademque ratio foret ad solatium, & ad rationem degendi otii libero homine dignam. Quid enim oportet eos discere, ac non aliis vtentibus frui? Considerare hoc licet ex opinione, quam habemus de diis. Non enim Iupiter cantat, aut citharam pulsat secundum poetas: imo illos, qui talia faciunt, appellamus viles: & opus illud non viri, neque sobrii, sed iocantis. At enim de his postea erit cõsiderandum. Prima verò quæstio est, vtrum musica sit in ioco repõnenda, vel non: & quid potest efficere de his tribus in dubitatione propositis, vtrum disciplinam, an solatium, an rationem otii degendi? Rationabiliter quidem ad omnia instituitur: & videtur omnium participes: nam & iocus gratia quietis est, ac quietem necesse est esse iucundam. Est enim medicina molestiæ illius, quæ per labores suscipitur: & ratio degendi otii non solum honestatem habere debet, verum etiam voluptatem. Felicitas enim ex ambabus istis est. Musicam verò omnes fatemur esse iucundissimas, siue nuda sit, siue cum modulatione. Inquit perfectò & Musæus, Carmen dulcissimam rem esse mortalibus. Quapropter & ad cœtus fami-

liarum, & ad vitam in otio degendam, rationabiliter illam recipiunt, vt potentem lætitiã afferre. Vnde & ex hoc quis intelligat, illam pueris esse perdiscendam. Quæcunque enim iucunda sunt, atque eadem innocua, non solum congruunt ad finem, verum etiam ad quietem. Cum verò contingat hominibus perrare esse in fine, persæpe autem cessent, & vtantur iocis, non ob aliud modò, sed etiam ob delectationem: vtile foret requiescere in his, quæ ab illa proueniunt, voluptatibus. Contingit autem hominibus fecisse iocos finem, cum, & habeat fortasse finis voluptatè quandam, sed non quancunq;. Quærentes verò istam, accipiunt hanc pro illa, ex eo quòd cum fine agendi similitudinem habet. Nam finis gratia nullius futuri experitur: & tales voluptates, nullius futuri gratia, sed gratia eorum, quæ antecesserunt, laborum scilicet, & molestiarum. Per quã igitur causam quærunt felicitatè fieri per huiusmodi voluptates, hæc vtique, aliquis rationabiliter existimet causam. De cõmunionem autem musicæ nõ per hæc solum, sed etiam quia utilis sit ad cessationes, vt videtur, nec per eas modò, sed in super quærendum num aliquando aliud ex ea proueniat. Pretiosior quidem natura eius est, quam secundum eum vsum, de quo supra dicitur. Et oportet non solum ab ipsa voluptatem capere, quã participant omnes secundum sensum (habet enim musica naturalem voluptatem, per quam illius vsum cunctis ætatibus, cunctisque moribus est acceptus.) sed videre, si quo modo ad mores extenditur, & ad animum. Id autem patebit, si aliquando tales aliqui secundum mores per illam efficiamur. Atqui quòd efficiamur, per Olympi moderationem manifestum est: ea namque abstrahit animam, & quodam modo rapit. Raptus verò, & abstractio animæ, circa morem affectio est. Præterea, audientes representationes, omnes afficiuntur, etiam sine melodiis, & versibus. Cum verò contigerit musicam esse delectabilem, virtutem autem esse circa lætandum rectè, & amare, & odisse: oportet profectò addiscere, & assue fieri ad nullam rem adeo, vt ad iudicandum rectè, & ad gaudendum mansuetis moribus, & laudabilibus operibus. Sunt autem in rhythmis, & melodiis similitudines, maximè penes veras naturas iræ, & mansuetudinis, ac fortitudinis, & temperantiæ, & contrariorum his, & aliorum omnium, quæ ad mores pertinent. Pater id ex affectu: mutamus enim animum talia audientes. Mos autem dolendi, ac lætandi in similibus, propè est vt erga veritatem eodẽ modo se habeat: ceu si quis gaudet, imaginè alicuius videns, non propter aliã causam, sed propter formã ipsam: necessarium est huic, & aspectum ipsum illius, cuius imaginem contempletur, esse iucundum. Contingit autem in aliis quidem sensibilibus, nullam existere similitudinem morum: vt in his, quæ tactu, vel gustu percipiuntur. In his etiam, quæ visu, admodum parum: figuræ enim sunt talia, sed ad modicum: & omnes huiuscemodi sensus participant. Insuper nõ sunt hæc similitudines morum, sed signa magis, quæ sunt figuræ, & colores morum: & sunt hæc à corpore in passionibus. Attamen quantum refert circa horum visionem, oportet pueros non figurarum inspicere Pausonias, sed Polygnotis, & si quis al-

ter pi

ter pictor, vel statuarius sit moralis. At in melodiis ipsis, sunt imitationes morum, & hoc est manifestum. Statim enim harmoniarum distincta est natura: ita vt qui audiunt, aliter disponantur, nec eodẽ modo se habeant ad vnquamque ipsarum, sed ad quãdam stabiliter, & contrariè magis, puta ad eam, quæ appellatur Lydia mista: ad quãdam verò mollius secundum mentem, ceu ad illas, quæ sunt remissa: ad aliam verò mediocriter, & compositè plurimum, vt videtur Dorica facere sola omnium harmoniarum. Phrygia verò distrahit, ac rapit animum, & quasi extra se ponit. Hoc enim rectè dicunt, qui circa huiusmodi disciplinam philosophantur. Capiunt enim verborum testimonia ex rebus ipsis. Eodem modo se habet circa rhythmos. Alii enim morem continent grauius, alii concitant, alii violentiores afferunt motus, alii liberaliores. Ex his igitur patet, quòd musica potest animi morè aliquem facere. Quòd si hoc potest musica, clarum est, quòd ad puerorum disciplinam est adhibenda, & in ea pueri sunt instituendi. Congruit autem naturæ huiusmodi, disciplina musicæ: nam pueri propter ætatè nihil ferunt sponte, quod non habeat in se iucunditatè. Musica verò ex his est, quæ sunt iucunda secundum naturam. Et videtur cognatio quãdam esse nobis cum harmoniis, & rhythmis. Quapropter multi sapientum dixere, alii quidem, animum esse harmoniam: alii verò, habere harmoniam.

Sententia propria de musica: quòd liberis citium aliquò tenus discenda sit, & canendo, & manibus pulsando: & quousque.

Cap. VI.

Vtrum autem addiscere eos oportet cantando, & manibus agendo, vel non, què admodum prius dubitatum est, nunc erit dicendum. Non est obscurum, interesse multum ad hoc, vt efficiamur aliquales, si quis operum ipse sit particeps. Nempe impossibile est, vel certè admodum difficile, vt qui opera ipsa nõ tractat peritè valeat iudicare. Et simul opus est, vt pueri habeant exercitacionem aliquã. Et Archite tabel la rectè reperta est, quam pueris dant, vt in ea occupati, illa, quæ sunt domi, nõ frangant. Nescit enim pueritia quiescere. Hic est ergo infantibus conueniens ludus: disciplina verò maioribus, tanquam tabella quãdam. Quòd igitur docedi sint musicam, ita vt in opere ipso versentur, ex ipsis patet. Quid autem deceat, vel non deceat secundum ætates, non difficile est determinare, ac respondere vituperatoribus, vile huiusmodi exercitium esse dicentibus. Primum igitur, cum iudicandi causa sint hæc opera perdiscenda, oportet in pueritia illis operam dare: in maiori verò ætate, exercitacionem eorum dimittere, tantummodo autem iudicare posse per disciplinam adeptam, ac lætari rectè. Vituperatoribus autem, qui aiunt, sordidos, ac viles musicam facere, non difficile est respondere, si consideremus quousque illi opera danda sit ab his, qui ad virtutè ciuilem erudiuntur, & quæ melodiæ, quæve rhythmi sint addiscendi, & præterea quibus instrumentis percipiatur. Nam in eo quidem plurimum refert, cõsistitque, in his obiectionibus solutio. Nihil enim vetat, modos quosdam musicæ illud, quod aiunt, effi-

cere. Clarum est igitur, oportere disciplinam eius nequè impedimentum afferre ceteris operationibus, neque corpus efficere inutile ad bellicas, ciuilesque exercitaciones. Ad vsum quidem iam, ad disciplinas verò postea. Erit autem hoc, si neque in illis laborabunt, quæ ad certa artificia pertinent: neque circa admirabilia quãdam, & superflua, quæ incertamina prius, & de certaminibus in doctrinam venere: sed eousque, vt gaudent, valeant probabilibus melodiis, & rhythmis, & non communi sensu musicæ solum, vt animalia quãdam, & turba seniorum, ac puerorum. Patet etiã ex his, quibus instrumentis sit vtendum. Neque enim tibiæ sunt in disciplina recipiendæ, nec aliud artificiosum instrumentum, vt cithara, & si quid aliud tale: sed quæcunque faciunt auditores bonos, vel musicæ disciplinæ, vel alterius. Insuper tibiã nõ est morale, sed potius suscitatiuum, & concitatiuum. Itaque ad huiusmodi tempora est vtendum illa, in quibus spectacula magis purificationem patiuntur, quam disciplinam. Adiungamus autè & illud, quod cõtrarium disciplinæ efficit, impediens rationem, vt tibiã sonus. Quapropter bene reprobauerunt illarum vsum antiqui, licet prius visi fuissent. Studiosiores enim facti propter diuitias, & animosiores ad virtutè, post victoriã cõtra Medos habitã, ac ex rebus gestis magnam de se opinãtes, disciplinã omnium arripuerunt, non iudicãdo, sed experientes. Quapropter tibiarum quoque vsum, tunc receptus est. Nam & apud Lacedæmonios quidã, qui ludos exhibebat, ipsemet tibiis modos fecit: & Athenis eousque in consuetudine venit, vt ferè ingenui omnes addiceret. Quòd patet ex tabula à Thrasippo posita, cum ludos pro tribu sua dedit. Postea verò in desuetudinẽ abiit, & improbari cõpta est, cum iam melius per experientiam iudicare possent, quid ad virtutè pertineret, & quid nõ. Eodemque modo permulta instrumentorum antiquorum improbata sunt, veluti Pectades & Barbiti, & quæ ad voluntatè audientium intendebant, heptagona, & trigona, & sambuca, & cuncta, quæ indiget perita manu gestulatione. Rationabiliter que illud se habet, quod antiqui de tibiis fabulatur. Aiunt enim, Mineruã repertricem, tibiis abieçisse ob deformitatè oris. Atqui nõ malè se habet dicere, fecisse hoc deã, deformitate oris infensam: sed tamè multò magis ob id, quia nihil confert tibiã vsum ad intelligetiam, & mentem, cum scientia, & ars Mineruæ sit attributa. Cum verò instrumentorum & operis probauerimus artificiosam disciplinã, artificiosam verò illã posuimus, quæ versatur in certaminibus. In illis enim qui agit, nõ propriæ virtutis gratia agit, sed vt audientes delectet, & onerosa quidè delectatione. Quapropter nõ ingenui hominis, cõsemus esse huiuscemodi opus, sed per viles, ac sordidos contingit illud fieri. Nã finis, cuius gratia faciunt, improbus est, cum spectator onerosus existens, modò hoc, modò illud exigere cõsuevit, ita et artifices quoque placere studentes, illiusmodi efficiantur, & corpora similiter propter motus.

Vtrum ad musicam disciplinam omnibus harmoniis sit vtendum & omnibus rhythmis, an distinguendum sit. Vtrum ijs qui operam disciplinæ discenda nauant, eandem determinatio-

nationem ponamus an quandam aliam. Et cum musica pars una in melopeia melodis que versatur altera in rhythmis una alteri sit preferenda. Cap. V-II.



Considerandum est autem, utrum omnibus utendum sit harmoniis, & omnibus rhythmis, an distinguendum. Deinde utrum illis, qui eruditionis causa laborant, eandem distinctionem tribuamus, an tertium quiddam aliud. Quoniam videmus musicam esse per melodiam, & rhythmos, horum utrunque latere non debet, quam vim habeat ad doctrinam, utrum preferenda sit ea pars, quæ in melodiis consistit, an ea, quæ in rhythmis. Putantes igitur multa de his esse dicta recte à musicis quibusdam, qui nunc sunt, & à philosophis, qui peritiam habent huius disciplinae, discussionem, & examen singularum partium illis dimittemus, qui perquirere volunt. Nos autem solummodo in genere de ipsis dicamus. Cum illa proberetur à nobis, melodiarum diuisio, quam faciunt quidam philosophi, quod alia sunt morales, alia effectiua, alia abstractiua, ponentes naturam earum ad singula istorum propria. Dicimus autem, non vnius utilitatis gratia oportere musica uti, sed multarum: nam & doctrinae gratia, & purificationis. (Quid autem purificationem intelligamus, nunc simpliciter, alias vero, diligentius in his, quæ de poetis scribimus, dicentur) Tertio gratia degendi otii, quietisque causa, & remissionis curarum. Patet, omnibus harmoniis esse utendum, sed non eodem modo: verum ad doctrinam quidem, moralibus est utendum maxime: ad eruditionem vero aliorum pulsante, effectiuis & abstractiuis. Nam affectio illa, quæ contingit circa animos quorundam vehementer, in cunctis existit. Differt autem secundum magis & minus, ceu miseratio, & metus, & præterea abstractio animi. Nam per hunc motum, deuoti, & supplices quidam fiunt. Videmus autem & sacris melodiis ita affici, quando utuntur expiantibus animam carminibus, quasi medicina fretis, & purificatione. Hoc idem euenire necessum est iis, qui commiseratione, & qui motu, & qui aliis affectibus detinentur, & aliis, quatenus cuique talia contingant: fierique in omnibus purificationem quandam, & leuationem cum voluptate. Similiter autem carmina purificatiua, lætitiā afferunt innocuam hominibus. Quapropter talibus harmoniis, & talibus carminibus spectandi sunt hi, qui theatralem musicam tractant certatores. Sed cum spectator sit duplex, alter ingenuus, & doctus, alter vilis, & indoctus, ex opificibus, turbaque urbana, his quoque accommodanda sunt certamina, & spectacula

ad cessationem, & quietem. Ut enim illorum animæ distortæ sunt à naturali habitudine, sic harmoniarum, & melodiarum distortionem sunt quædam, illæque sunt vehementes, & infractæ. Delectat vero singulos id, quod suæ naturæ sit aptum. Quam ob rem licentia permittenda est his, qui de arte musica certant in theatro, ut ad huiusmodi spectatorem, tali genere utantur musicâ. Ad doctrinam vero, mortalibus melodiis est utendum, & talibus harmoniis, qualis est Dorica, ut supra diximus. Recipienda est & alia quæcunque nobis suadent, qui in philosophia, musicâque versantur. Socrates vero in libris de Republica, non recte Phrygiam tantummodo adiungit ad Doricam, licet improbens tibi ex instrumentis: habet enim eandem vim Phrygia in harmoniis, quam habet tibia in instrumentis. Ambæ enim concitant animos, & in affectus impellunt. Ostendit hoc poesis. Totâ enim bacchatio, & tota huiusmodi concitatio maxime omnium instrumentorum, per tibias fit. Harmonia vero Phrygia maxime hunc modum habet, ceu Dithyrambus manifeste videtur esse Phrygius. cuius quidam rei plura afferunt argumenta, qui circa huiusmodi rerum intelligentiam vacant. Et inter cetera illud, quod Philoxenus aggressus Doricæ facere Dithyrambos in fabulis, non potuit, sed vi illius naturæ tractatus fuit ad Phrygiam harmoniam, quæ maxime illis congruebat. Doricam autem fatentur omnes constantem esse, ac firmam, morumque summopere continere virilem. Præterea, cum medium extremorum sumendum esse diximus, Dorica autem hanc habet naturam ad alias harmonias, manifestum est, quod Doricam præ cæteris decens est iuniores addiscere. Sed duo consideranda sunt. Vnum, quid possit. Alterum, quid deceat. Nam possibilia quisque aggredi, & conuenientia sibi, debet. Sunt autem hæc distincta ætatibus, ceu defessis iam tempore, non facile est alti spiritus cantilenas canere. sed talibus subiicit natura remissas. Ex quo Socratem in hoc quoque merito reprehendunt quidam ex his, qui circa musicam versantur, quod remissiores harmonias improbauit ad doctrinam, quasi vinolentas, accipiens eas non secundum vinolentiam naturam, (nam vinolentia magis debacchari facit,) sed defessas. Quare & ad futuram ætatem seniorum, opus est huiusmodi harmonias attingere, & huiusmodi melodias. Præterea, si qua est talium harmoniarum, quæ conueniat puerorum ætati ex eo, quia possit ornatum simul, doctrinamque afferre, quod Lydia maxime omnium harmoniarum habere videtur, manifestum quod hæc tres determinationes sunt in doctrina faciendæ, medium, possibile, ac decens.

LEO

LEONARDI ARETINI VIRI CLARISSIMI,

in Libros Oeconomicorum

Aristotelis ad Cosmum Medicem Florentinum Præfatio.



RETIOSA sunt interdum parui corporis munuscula, quod lapilli, gemmaeque testantur. Et homines nonnunquam pusilli grandioribus prævalent, ut de Tydeo scribit Homerus. à quo breui, & exiguo omnes certaminibus longè superatos fuisse tradit. Statur quoque Homerum, credo, secutus, de eodem inquit,

Maior in exiguo regnabat corpore virtus.

Tu igitur, Cosme dulcissime, hoc quicquid est libelli ob paginae breuitatem nequaquam despexeris: pusillum quidem est, at viribus amplum, & pretio dignum. Quod ego per has ferias è Græco interpretatus, non immerito, ut mihi videor, tibi potissimum destinavi. Cui enim rectius de gubernatione exercitus præcipi potest, quam illi, qui exercitum habet? Cui rursus de rei familiaris administratione, quam ei, qui rem amplam possidet, & tueri illam cum laude gliscit, & augere cum dignitate? Licet ergo per te multum sapias, & à patre tuo viro sapientissimo quotidie audire possis, operæ pretium tamen erit quod de re familiari tradiderint, excellentissima philosophorum ingenia cognouisse. Vt enim medicinae sanitas, ita rei familiaris diuitias finem esse constat. Sunt verò vtilis diuitiæ, cum & ornamento sint possidentibus, & ad virtutem exercendam suppeditent facultatem. Profunt etiam natis, qui facilius per illas ad honores, dignitatesque subleuantur. Nam quorum virtutibus obstat res angusta domi, haud facile emergunt, ut poetae nostri dicunt sententia. Quare cum nostrum, tum natorum multo magis charitate, illarum amplificationi, quoad honestè possumus, studendum est: quoniam à philosophis in bonis numerantur, & ad felicitatem pertinere creduntur. Tu igitur harum præcepta rerum in hoc libello Aristotelis leges, quem ego non solum transtuli è Græco, ut maxime consonum esse putavi, verum etiam explanationem quandam obscurorum verborum adiuxi, quod tibi legenti dilucidior esset. Primum igitur illud præmittendum est, duas philosophiæ esse partes, quarum altera in cognitione rerum: altera in agendo versatur. Prima fere pars ad illa pertinet, quorum finis est ipsa cognitio. Actiua verò præcepta vitæ continet, quæ scire parum est, nisi deducas in actum. Ea verò præcepta diuiduntur trifariam: aut enim circa mores nos instruunt, aut circa rem familiarem, aut circa Rempublicam. Harum primam Ethicam: secundam, oeconomicam: tertiam, politicam Græci appellant. Nos, ut opinor, nostris vocabulis uti magis decet, quam alienis. Nunc ad textum Aristotelis veniamus.

ARIST

ARISTOTELIS STAGIRITAE OECO- nomicorum, siue de Rebus Domesticis Liber Primus,

Leonardo Aretino Interprete.

Argumentum Libri.

IN primo libro hæc exponuntur: primum differentia, conuenientia, & ordo politicae disciplinae, & oeconomicae. Deinde partes domus, & acquisitio: Coniugalis societas, leges viri ad uxorem, leges domini ad seruos: Oeconomi leges. Hæc sex capitibus continentur, quorum maxime quartum, quintum, & sextum officia rei familiaris continent: primum autem, secundum, & tertium rem familiarem exponunt.

Quomodo differant, & conueniant inter se Politica, & Oeconomica, & quis earum sit ordo.
Cap. I.



Res familiaris, & Respublica inter se differunt, non solum quantum domus, & ciuitas, (hæc enim sunt eorum subiecta) verum etiam illo, quod in Respublica quidem plures imperant, in re familiari vero vnus duntaxat est imperator, & rector.

Quaedam enim artes distinguuntur, nec est eiusdem, fecisse, ac factio uti: quemadmodum lyra, & fistulis. Sed Respublicae disciplinae, est ciuitatem ob initio constituisse, & constituta bene uti. Itaque patet etiam esse rei familiaris, parare domum, & illa uti. Ciuitas quidem est multitudo domorum, agro, & pecuniis sufficienter abundans ad bene viuendum. Id autem ex eo patet, quod si compotes horum esse nequeunt, societas soluitur. Insuper, huius gratia in vnum coeunt. Cuius autem gratia vnumquodque est, & fit, & substantia ipsius hæc existit. Itaque patet priorem esse rem familiarem, quam Respublicam: nam & opus illius est. pars enim ciuitatis, est domus. Considerandum est igitur de re familiari, quod sit illius opus.

De partibus domus, & vnde sit sumenda possessio.
Cap. II.

Domus quidem partes sunt homo, & possessio. Quoniam vero primum in minimis natura cuiusque inspicitur, in domo quoque se habet ita. Quare secundum Hesiodum hoc adesse conuenit: Domicilium in primis, mulieremque, & bouem aratorem. Alterum enim primum in victu est, alterum in liberis. Itaque oportet ea, quae ad uxorem spectant, recte disposui-

se, hoc est prouidisse, ut talis sit, qualis esse debeat. Possessionis autem prima cura est, ea, quae secundum naturam: secundum naturam vero potissima est agricultura. Secundo loco, omnia, quae sunt a terra, seu metallorum, aut si qua alia huiusmodi: sed agricultura precipue, quoniam iusta. Non enim ab hominibus, nec uolentibus, ut cauponaria, & mercenaria: nec ab inuitis quaerit, quemadmodum bellicae artes: & est earum rerum, quae sunt secundum naturam. Natura enim omnis educatio est a matre: quare & hominibus a terra. Prodest etiam hæc plurimum ad fortitudinem: non enim, quemadmodum viles artium, corpora eneruat, sed talia facit, ut & sub dio consistere, & tolerare laborem valeat, & aduersus hostes pericula capeffere. Soli enim hi res suas extra munitiones habent.

Quod viri & mulieris societas secundum naturam sit, & necessaria, & quod multa comoda contineat.
Cap. III.

Ed eius diligentiae, quae est circa homines, primae sunt partes circa uxorem. Societas enim est maxime secundum naturam maris, & foeminae. Praemissum est enim a nobis & aliis locis, desiderare naturam multa efficere talia, veluti vnumquodque animalium: est enim impossibile, foeminam sine mare, aut marem sine foemina hoc adimplere. Quare eorum societas necessitate constituta est. Enimvero in ceteris animalibus absque ratione id fit, & in quantum naturae capacia sunt, & procreandi gratia solum. In cicuribus autem, & prudentioribus distinguuntur magis. Apparent enim in his magis mutua auxilia, & dilectiones, & cooperationes. Maximeque in homine id conspicitur, quod non essendi causa solum, verum etiam bene essendi mas, & foemina ope mutua coniunguntur: filiosque procreant, non solum ut id Naturae tributum ferant, verum etiam ut comoda exinde suscipiant. Valentes enim ipsi, imbecilles suos labore tuetur, & alunt: mox imbeciles ob senium facti, a valentibus eadem reportant. Et simul natura per hunc circuitum adimplet sempiternitatem: ex quo secundum numerum non potest, at secundum speciem. Sic enim diuina prouidentia vtriusque; natura ordinata est, viri scilicet, & mulieris ad societatem. Tendunt enim eorum omnia in idem vtilitatis, licet contraria quaedam videantur. Alterum enim robustum facit, alterum imbecillius: ut hoc quidem ob timorem cauti, illud vero propter fortitudinem pugnacius esset: & alterum parat foris, alterum partem domi conseruat. Ad operis vero effectiorem, alterum sedulitatem intra limem agit, ad externam vero perua-

quietem. per uagationem imbecillum. Alterum ad sedulitatem deterius est, ad motus autem ualentius. Circa prolem autem, generatio quidem propria est, utilitas uero communis. Alterius enim nutrire est, alterius erudire.
Leges viri ad uxorem. Cap. IIII.

Leges igitur primum sint viro ad uxorem, & iniuria cesset. Sic enim nec ipse iniuriam patietur. Hoc enim & communis lex inducit, ut Pythagorici dicunt, quae admodum seruam a lare abductam quam minime decet uideri iniuria afficere. Est autem viri iniuria, externarum mulierum coitus. In usu uero, ut neque desit presentibus, nec absentibus impotens sit acquiescere: sed ita assuescitur, ut sufficienter se habeat in presentia, & absentia. Recte uero se habet & illud Hesiodi, puellam accipere oportere, ut gratis moribus eam imbuere possis. Diuersitates enim morum nequaquam sunt ad dilectionem aptae. Circa ornatum uero, quemadmodum in moribus fictionem esse non decet, si simul appropinquare debet, sic etiam nec in corpore. Nam illa, quae per ornatum fiunt, nihil differunt ab histrionum usu, tragodias in scena agentium.
Leges domini ad seruos. Cap. V.

Occupationum autem prima quidem, ac maxime necessaria est illa, quae optima, & principalissima: id est autem homo.

Quapropter oportet primo seruos parare studiosos. Seruorum autem species duae, curator, & opifex. Cum uero cernamus, quod disciplinae tales aliquos faciunt iuuenes, necessarium est, postquam paraueris, imbuere illos, quibus liberalia officia fuerint committenda. Cum seruis autem uersetur ita, ut neque superbos esse sinat, neque abiectos. Et liberalioribus quidem honorem, opificibus uero cibum abunde tribuat. Et quoniam uini potus etiam liberos ad insolentiam impellit, & apud multas nationes ingenui quoque ab illo se abstinere, ut Carthaginienses dum militat: patet quod uini aut nihil, aut ualde raro seruis tradendum est. Tria uero cum sint, opus, cibus, & castigatio: cibus quidem sine castigatione, & opere petulantem reddit: opus uero, & castigatio sine cibo, uolenta res est, & infirmum facit seruum. Restat igitur, ut opus faciendum illi tribuat, & cibum sufficientem: sine mercede enim dominandum non putat: merces autem serui, cibus est. Verum ut alii deteriores fiunt, quando nec melioribus tribuitur melius, neque praemia sunt uirtutis, & uitii proposita: sic etiam serui. Quapropter oportet considerationem habere, ac indulgere illis, & permittere singula secundum merita, & cibum, & uestem, & quietem, & castigationem uerbo, & opere, medicorum arte imitantes, in medicinae loco prospicientes, quod quidem cibus medicina non est propter continuationem. Genera uero seruorum ad opus faciendum optima essent, neque timida, neque fortia nimis. In uerisque enim peccatum est: nam & nimis timidi non ferunt laborem, & ferocibus non commode imperatur. Oportet quoque sine omnibus esse terminatum: est enim iustum simul & uile, libertatem esse propositam. Libenter enim labores subibunt, si & propositum praemium conspexerint, & tempus definitum. Sunt etiam procreatis filiis, tanquam obsidibus obligandi. Nec plures habendi eiusdem generis, quemadmodum in ciuitatibus. Sacra quoque, & largiores epulae seruorum

si hinc, uel paucum.

gratia magis facienda, quam liberorum. Plura enim ipsi habent, cuius utique gratia talia instituta sunt.

Leges Oeconomi. Cap. VI.

Quatuor habere oportet patrem familiarem circa pecunias: nam & querere posse conuenit, & quaesita tueri. Alioquin nulla quaerendi foret utilitas. Nam cribro haurire nihil aliud est, quam (quod dici solet) terebratum vas. Esse praeterea tale, ut & ornari praesentibus, & frui sciat. Horum enim gratia habere illas expedit. Distinguenda quidem sunt singula, & plura habenda fructuosa, quam infructuosa: & negotia sic sequenda, ut omnium simul periculum non subeat. Circa tuendum autem quaesita, utiles sunt Persicae, & Laconicae, utilis etiam Attica dispensatio: uendentes enim emunt. Et penoris institutio, non est in exilioribus administrationibus. Est autem Persica, ipsum omnia iubere, omniaque inspicere. Et quod de Dionysio inquit Dion: Nullus enim parum curam habet alienorum, & suorum. Itaque quaecumque per ipsum geri possunt, circa illa cum diligentia intendat. In quo Persa simul, & Libyci dictum recte se habet. Persa enim rogatus, Quid equum maxime pingue faceret? Oculum domini, respondit. Libycus uero rogatus, Quod sterquilinum agro foret optimum? Domini inquit, uestigia. Sunt igitur inspicienda negotia diligenter a viro, inspicienda etiam ab uxore, prout inter eos distinctae sunt curae. Et hoc faciendum est, in exilioribus quidem administrationibus raro: in gradioribus autem, quorum cura aliis committitur, saepe. Nisi enim quis bonum exemplum de se praebuerit, imitatorum diligentiae habiturum non existimant, neque in re familiari, neque in aliis: quoniam impossibile fit, non diligentis domini diligentes esse vicarios. Cum uero haec ad uirtutem honesta sint, & ad rem familiare uilia, expurgari decet prius dominum, quam seruum, & cubitum ire posterius: nec unquam incustoditam esse domum, quemadmodum nec urbem, quando opus est, neque die, neque nocte. Et ante lucem surgere. Quod & ad sanitatem, & ad curam rei familiaris, & ad studium philosophiae prodest quam plurimum. In paruis igitur administrationibus Attica regula circa fructus uentum est: in magnis uero distinctio facienda est eorum, quae in annum, & eorum, quae in singulos menses consumere oportet. Eodemque modo in instrumentis separata sunt ea, quorum usus quotidianus est, ab his, quae raro sunt usui. Haec tradenda sunt iis, quibus negotia commiseris. Ac certo tempore inspectio eorum facienda erit, ut non lateat, quid saluum sit, quid uel perierit. Aedes quoque ita paratae sunt, ut & rerum possessarum, & salubritatis, commoditatisque rationem habeamus. Rerum possessarum dico, seu fructuum, & uestium, quales his conducant: & fructuum, quales aridis, & quales liquidis: & aliarum rerum, & quales animatis, & quales inanimatis seruissimae, & liberis, maribusque, & foeminis, ciuibus, & peregrinis. Commoditatis uero, & salubritatis, ut aestate quidem uentorum afflatum, hyeme uero Solem recipiat. Essent autem tales, si a uento Borea fuerint, nec aequaliter lata. Videtur quoque in magnis domibus utilis esse ianitor, qui sit ad cetera inhabilis, pro obseruatione importandorum, & exportandorum. Ad rectum uero usum instrumentorum illud Laconicum ualeat: Singula suo loco iacere. Sic enim parata non requirentur.

nota

ARISTOTELIS STAGIRITAE OECO- NOMICORVM, SIVE DE REBUS DOMESTICIS LIBER SECVNDVS,

Leonardo Aretino Interprete.

Argumentum Libri.

Quæ sint leges probæ matrisfamilias. Item leges probi viri ad coniugem: testimonia, & exempla ex Homero: postremum probi viri, & mulieris bonæ inter se mutuo leges quæ sint.

Leges probæ mulieris.

Cap. I.

Robam mulierem omnibus, quæ sunt intus, dominari oportet, curamque habere omnium secundum præscriptas leges: Non permittetem quenquam ingredi, sine præcepto viri veritatem maximè verba, quæ de mulierum corruptela circumferuntur. Et si quid intus accidat, ut sibi notum sit soli: & si quod malum ab ingredientibus committatur, ut penes virum sit culpa. Dominam verò impensarum ad festos dies, quos permiserit vir. Sumptu, & vestitu, & apparatu minori etiam utatur, quam leges permiserint civitatis. Considerans, quòd nec vestimentorum nitor, nec excellentia formæ, nec auri magnitudo tantum valet ad mulieris laudem, quantum modestia in rebus, ac studium honestè, decorè, viuendi. Etenim omnis huiusmodi ornatus animi optabilis est, multoque firmior ad senectutem usque, veras laudes sibi, natisque afferre. Se igitur ipsam in his virtutibus inanimet mulier, pergatque laudabiliter rebus præesse. Nam viro quidem indecens videtur ea scire, quæ intra ædes fiunt. In cæteris verò omnibus parère mulier viro contendat. Nec audiens quicquam de Republica, nec tractas quicquam eorum, quæ ad connubia spectare videntur. Sed cum tempus poscet, aut filias tradere nuptui, aut Nurus accipere, obediat penitus in his viro: atque sic vna deliberet, ut sententiam viri sequatur, intelligens non ita turpe viro esse quicquam eorum, quæ domi sunt facere, sicut mulieri quæ foris perquirere. Existimare autem debet mulier bene composita, mores viri esse legem suæ vitæ impositam sibi à Deo, per coniunctionem matrimonii, atque consortii. Quos si quidem æquo ferat animo, perfacile reget domum: sin contrà, difficilius. Quapropter decet non solum in prosperis rebus, secundaque fortuna, vnam mem se viro præstare, & inseruire velle, verum etiam in aduersis. Si sit in rebus defectus, vel corporis ægrotatio, vel alienatio mentis, æquo ferat animo, & oblequatur: nisi fortè turpe aliquid sit, vel

indignum. Ne si quid perturbatione animi vir deliquerit, memoriter seruet, sed ægritudine, ignorantique adscribat. Nam quanto in his diligentius obsequetur, tanto sibi maiorem gratiam habebit, cum ab ægritudine fuerit liberatus: & si iubenti aliquid turpe non paruerit, melius recognoscet ad fanitatem reuersus. Quapropter ab his cauere debet mulier. In aliis autem multò magis obtemperare, quam si empta venisset in domum. Magno enim pretio empta fuit, societate vitæ, & procreatione liberorum: quibus nec maius, nec sanctius quicquam esse potest. Præterea, si cum fortunato vixisset viro, non usque adeo virtus eius illustrata esset. Non est sanè parum secundis rebus bene uti: atramen aduersas moderatè perferre, multò maius est existimandum. Nam in magnis calamitatibus, & iniuriis, nihil abiectè facere, celsi est animi. Precandum est igitur, ne quid tale accidat viro. Quòd si quid accidat aduersi, putare debet hinc optimam sibi laudem, si rectè se gesserit, prouenturam: secum ipsa repetès, quia nec Alceste tantam sibi gloriam comparasset, nec Penelope tot, tantisque meruisset laudes, si cum fortunatis viris vixissent: verum Admeti, & Vlyssis aduersitates, parauerunt illis memoriam sempiternam. In aduersitatibus enim virorum suorum fidem, ac iusticiam erga illos seruantes, gloriam non immeritò sunt consecutæ. Nam prosperitatis quidem facile est reperire participes, aduersitatis verò, ni optimæ sint mulieres, participes esse renuunt. Ob quæ omnia, multò magis decet virum in honore habere, nec illum contemnere, si sacra pudicitia, & opes, animositatis filia secundum Orpheum, Herculem non sequantur. Mulier igitur huiusmodi sese moribus, ac legibus custodire debet.

Leges viri ad uxorem.

Cap. II.

Vir autem viceuersa, leges sibi reperiat ad uxoris usum, quæ tanquam filiorum, vitæque socia, in viri domum peruenit, natos relictura, genitorum, viri, sui que nomina habituros: quibus quid sanctius esse potest? aut circa quæ magis studeret vir sanæ mentis, quam ex optima, laudabilissimaque muliere filios procreare, senectutis pastores, quasi optimos, ac reuerentes, patris, matrisque custodes, ac totius domus seruatores? Educati siquidem rectè à parètib; per sanctos, & iustos mores, boni meritò euadent. Contrà verò si fiat, sentient detrimentum. Nisi enim parentes exemplum vitæ filiis præstent, euidentem excusationis causam erga se illis relinquunt: ac timendum est, ne contempti à filiis, quasi non bene vixerint, in senectute deserantur. Quapropter nihil prætermittendum est, quod ad uxoris pertineat disciplinam, ut ex qua quam maximè fieri potest, optima, filios generet. Nam agricola quidem nihil omittit, quòd semen in optima terra, ac maximè exulta ferat, sperans ita demum fructus optimos inde se recepturum. At si qua vis imminet, mori præliando magis vult aduersus hostes, quam illius vastationem pati: & huiusmodi mors laudatur maximè. Cum ergo tanta adhibeatur cura, pro corporis esca, quid pro liberis, & matre educatrice? nonne protinus omne studium fuerit adhibendum? Hoc enim solo, hominum conditio mortalis, per successione sempiternitatem consequitur: omniaque parentum vota huc tendunt. Quam ob rem qui ista negligit, & deos ipsos videtur negligere. Propter deos igitur, quibus præsentibus sacra fecit, & uxorem duxit, ac multò magis se post parentes, uxori tradidit ad honorem. Maximus autem honor est sobriæ mulieri, si cernat virum suum obseruantem sibi castitatem, nec de vlla muliere magis cogitantem, sed præ cæteris omnibus hanc, & suam, & fidam sibi existimantem. Tantò enim magis studebit mulier, se talem præstare, quantò se cognouerit fideliter, atque iuste à viro diligi. Ergo prudentem ignorare non decet, qui parentibus, quæve uxori, & filiis honores contemnant: ut tribuens vnicuique quæ sua sunt, iustus, & sanctus habeatur. Pergrauiter enim vnusquisque fert, honore suo priuatur, nec si aliena quis permulta tribuat, contentus erit, si sua sibi auferantur. Nihil verò magis suum est uxori, nec magis illi à viro præstandum, quam sancta, & intemerata societas. Quapropter non decet hominem sanæ mentis, vbicumque contigerit, semen expere: ne de vilibus, & iniquis, similes liberis legitimis procreentur. Ex quo & vxor honore suo priuatur, & filiis iniuria fit, ac sibi pro his omnibus dedecus incumbit. Appropinquandum verò est uxori cum magna temperantia, atque modestia: sitque pudor in verbis, in operibus verò fas, atque honestas, in conuersatione fides, & moderatio. Parua quidem peccata, etsi voluntaria fuerint, ignoscendo: si quid verò per ignorantiam deliquerit, commonefaciendo. Nec metum incutiat sine verecundia, & pudore: hæc enim meretrices ad mœchos pati decet. At verò cum verecundia, & pudore iusta diligere, & timere, id ingenua est mulieris erga proprium virum. Duplex est enim timoris species: Vna cum reuerentia, & pudore, qua vtuntur ad patres filii modesti, & ciues bene morati ad beneuolos gubernatores. Altera cum inimicitia, & odio, sicut serui ad dominos, & ciues ad tyrannos iniustos, & iniquos. Ex his quoque omnibus meliora eligens, uxorem sibi conciliet, ac fidelem, probamque efficiat, ut siue præsens sit vir, siue absens, non minus utilis sit, quam si semper adesset, tanquam rerum communium curator. Et quando vir abest, ut sentiat vxor nullum sibi, neque meliorem, neque commodiorem, neque magis suum esse, quam virum. Ostendatque hoc ab ipso initio, ad commune bonum semper intendès, quanuis puella sit, ac noua in talibus.

Testimonia superiorum præceptorum ex Homero. Cap. III.



T si ipse sibi maximè dominetur, optimus totius vitæ rector existet, & uxorem talibus uti docebit. Nam neque amorem, neque timorem absque verecundia laudauit Homerus, sed vbique amare præcepit cum modestia, & pudore. Eo quidem modo Helenam timere Priamum, inquit, ita dicentem,

O metuende mihi semper, sempèrque tremende, Chare focer. — nihil aliud dicens, quam eam cum pudore diligere. Rursus verò Vlysses ad Nausicam inquit. Te, mulier, valde equidem admiror, & metuo. Censet autem Homerus, virum, & uxorem sic inuicem se habere debere: nam nemo deteriori se admiratur, ac veretur. Sed huiusmodi affectus accidunt inuicè melioribus, & natura benignis, minoribus etiam sapientia, ad se meliores. Hunc animum Vlysses erga Penelopen gerens, absens licet, nihil deliquit: Agamemnon autem propter Chryseidem erga propriam peccauit uxorem, ausus dicere in concione Græcorum, Captiuam mulierem, nec natura præstantem, imò, ut planè dixerim, Barbaram, in nullo Clytemnestra deteriori esse. Ex qua cum liberos haberet, non rectè sese gerere visus est. Quomodo enim rectè, qui antè, quam sciret qualis erga se foret, vi ductam sibi illam coniunxerat? At Vlysses rogante Atlantis filia, ut secum maneret, ac sempiternitatem pollicente, ne ob id quidem prodere voluit uxoris affectum, & amorem, & fidem: maximum sibi supplicium arbitratus, si malus dum esset, immortalitatem haberet. Cum Circe etiam manere noluit, quanquam insuper sociorum salutem pollicente. Imò respondit, nihil sibi dulcius videri posse, quam patriam incultam, & asperam. Magisque optauit mortalem uxorem, filiumque videre, quam fieri ipsum immortalem. Sic ille firmam, stabilemque uxori fidem seruabat, pro quibus meritò ab uxore eadem reportabat. In oratione quoque illa, quam habuit ad Nausicam, apparet, Poetam maximè probare viri, & uxoris pudicam societatem. Precaus est enim Deos, ut darent illi virum, & familiam, & vnanimitatem cum viro, non quamlibet, sed honestam. Inquit enim, nihil melius esse posse hominibus, quam si concordia voluntate vir, & vxor domum gubernarent. Et hic igitur, ut patet, laudat poeta vnanimitatem mutua viri, & uxoris, non eam quidem, quæ circa improba obsequia, sed eam, quæ animo, & prudentia iuste coniuncta est. Nam voluntate domum gubernare, hoc designat. Idem etiam inquit, quòd cum huiusmodi inter virum, & uxorem viget concordia, inimici quidem eorum anguntur plurimum, amici verò permagna suscipiunt gaudia. Quem tanquam vera dicentem probant. Nam viro quidem, atque uxore circa res optimas concordia studio vacantibus, necesse est vtriusque animos idem sentire. Deinde propter concordiam potentes facti, & inimicis spem auferunt, & amicis profunt. Quòd si ipsi dissideant, amici quoque dissidebunt, & infirmitatem ipsi sentient maximè.

Communes leges viri & vxoris.


Cap. IIII.

LTaque manifestè præcepit poeta. Virum, & vxorem in his, quæ improba, & impudica sunt, sibi inuicem consentire nequaquam debere. In his, verò, quæ quàm maximè fieri potest, pudica sunt, & iusta, concorditer sibi inuicem inferuire. Studentes primò quidem curam omnem parentibus exhibere. Vir quidem vxoris parentibus non minus, quam proprius: vxor autem viri. Deinde filiorum, & amicorum & rerum, domusque totius tanquam communis curam habeant, se ipsos studio, & diligentia superare certantes, vt quisque plurimorum bonorum sit author, & causa, meliòrque exiit, & iustior. Deposita quidem superbia, industria verò suscepta,

cum benignitate, & mansuetudine gubernantes: vt cum ad senectam peruenerint, deposito administrationis onere, & concupiscentiis liberati, possint & sibi ipsis inter se, ac filiis suis rationem reddere, vter eorum magis profecerit in familia gubernatione: ac statim scire, aut per fortunam, malum, aut per virtutem, bonum. In quibus qui superauerit, maximum præmium à diis consequitur, vt Pindarus inquit. Dulce enim sibi cor, & spes mortaliu, multiplicem alit voluntatem. Secundum verò, à filiis in senectutem feliciter educari. Quapropter & priuatim, & publicè decet eum, qui vitam gerit, ad omnes deos, hominesque respicere, multumque, & ad vxorem, & ad filios & parentes.

FINIS LIBRI OECONOMICORVM SECVNDI.

DE LIBRO, QVI APVD GRAECOS
HODIE SECVNDVS OECONOMICORVM
INSCRIBITVR, NON NVLLA.



Plutarchus in vita Aristotelis duos tantum libros Oeconomicorum adscribit, qui sint Aristotelici, quos supra ex interpretatione Aretini adposuimus eo ordine, quo vides. Est tamen aduertendum, qui apud Aretinum est secundus, eum apud Graecos hodie, vt sunt excusi codices, desiderari, atque sub appellatione secundi subiungitur alius ab eo, quem ipse inscribit. Quapropter, siue omnia, quæ præcessere, ad vnum librum pertineant, quem Plutarchus primum Oeconomicum dicat, quamuis Aretinus ab eo separet, atque proprium librum faciat, quem inscribit secundum, vt is tandem Secundus sit, quem Græca exemplaria habent, siue rectè facta sit ab Aretino diuisio, sequens verò locum habere non debeat inter Oeconomica: nobis certè operæpretiū 40

fuit, Aretini partitionem sequi. Nam illi, præterquam quòd magnam partem præceptorum continent, quæ ad priuatam institutionem pertinent, vt & titulus ipse rei priuatæ est, ac qui sequitur, publicus quispiam sit liber, dignitate etiam, ac maiestate longe inferior esse videtur, quàm superiores. Quare illum non adponimus in hunc locum, sed post eam institutionem moralium, quæ ad Eudemum inscribitur, locum reperies. Titulus est Oeconomicorum publicorum, id est dispensationem cum adiectione, ne tres libri Oeconomicorum videantur esse. Videntur profectò insignis esse, qui locum habeat post tam sancta præcepta, quibus est ptenus vterque Oeconomicus. Insuper, etiam ordo eius magnopere pugnat cum ordine docendi, qua vixit Aristoteles, iuxta quam vniuersalia præcepta præmittit singularium rerum contemplationi, quemadmodum in Ethicis licet videre, si ad Politicam fiat comparatio.

Georgius

GEORGIUS VALLA PLACENTINVS CLARISSIMO
EQVITI AVRATO, ET VTROQVE IVRE CONSVLTO

Iusto Leliano, iusto Senatori Veronensi S. D. æternam.



NOmen, Iuste, tuum singulare, lenitas præcipua tuæ erga me benevolentia, crebrò abs te repetita memoria, mei in te mutui amoris pignus aliquid sibi certè visa est deposcere. Et pròinde voluntati id animo mihi, nihil quod tibi gratius, nec quod à me posset exhiberi, succurrit antiquius, quàm vt diductis, ac iam patefactis ad amicitiam nostram foribus, magnis Ethicis Aristotelis animi in ipsa nostri arcuùs reuincti tenerentur. Siquidem ei, quem magno amore prosequeretur, quique magnus amplissimo virtutum exurgeret fastigio, cui mediocria, nedum parua, sordescere viderentur, magna profectò mittèda iure censuimus. Cum porrò Ethica nihil, nisi de æquo, & bono edisserant, hoc est, in mediis iustitiæ versentur penetralibus, vbi gentium, quo vel in loco sedem potuere sibi firmiorem, constantioremque vendicare, quàm apud eum, qui genere, qui nomine proprio diceretur Iustus, qui re ipsa iustus, atque adè optimus haberetur. Pròinde cum nec Aristoteles apud quenquam alium magis de iusto optet disputare, nec opus de æquo & bono vsquam malit esse, quàm apud tam multipliciter iustum, in ea confirmatus est animus noster sententia, vt vbi potissimum magna ista Ethica censuerit destinanda. Hæc nimirum cum nuper explicari à me posceretur, hæsitauimus parum modò, quod comperit haberemus, tentasse nescio quem ipsa iam pridè Latina facere. Eum, cum exploratum habuissimus, nec Græca, nec nostra nouisse, mali interpretis more verbum verbo reddere studuisse, at sensus Aristotelicos, quod fieri necesse fuit, multa obruisse caligine, eumque nostra peregrinis respondentia verba ignorasse, Græcis abutendo aliam adhuc legentibus nubem non exiguam offudisse, denique Barbaris, rusticisque dictionibus, opus totum confudisse, vt non tam tradidisse nobis Aristotelem, quàm planè ingulasse videatur, adè vt omnes ab eius auerterit lectione: cum alioqui sit eiusmodi opusculum mirifica quadam grauitate, nec minus acumine referum, vt vel doctissimum quæque ad sese potuerit allectare. Ipsum itaque in situ, & squalore hæctenus iacuisse dolentes, in hominum conspectum adducendum esse putauimus, si non quibus meritis fuerat pallijs prodire amictum, non tamè, vt remur, sordidissimis. Ideo autè id, quo multorum ex tuo hospitio aliorum, nedum tuo, non minus liberali, ac sapienti, quàm iucundo frueretur colloquio. Nec ipsum poenituerit Aristotelè, in ea hospitium nactum esse ciuitate, vnde olim Latino eloquio tanquam saluberrimæ effulserint stellæ: vt Catullus, vt Vitruuius, vt Plinius, ita plerique alii nostra quoque ætate, Domitius Calderinus, iam functus vita. At viui Benedictus, qui iam pridè Venetiis rhetor insignis, Alexander Benedictus, eloquio, & doctrina medicus, primas tenens, vt multis quoque aliis floret Verona ingenijs. Nec præterea poeniteat tantum philosophum in ista clarissima ciuitate hospitium acceptum esse Iustorum domo, quæ nobilitate antiqua illustris, operibus lautissima, dignitate flores, & virtutum culmine omnibus conspicua postremò penes Iustum, qui in ea splendida familia tanquam iubar doctrina eminet, Senatoria grauitate renitet, prudentia sapiens, iustitia integer, cunctis virtutibus clarior, quàm vllis verbis explicari posse videatur. Tu pariter, Iuste mi optime, hunc philosophum, vt soles doctos omnes, ita amplectere, loquentemque audias, vt tuo hospitio, tuoque colloquio, sicut fore non dubito, prædicet nihil benignius, nihil humanius & vbi quæ loquatur, accuratius, intentiusque ausculterur, esse nuspiam. Ego autem, vt se mihi concredidit, ita ipsum tibi committo, commendoque.

ARISTOTELIS STAGIRITAE MA- GNORVM MORALIVM LIBER PRIMVS,

Georgio Valla Placentino Interprete.

De bono, in communi. Cap. I.



Quoniam de pertinētibus ad mores dicere constituimus, primū cuiusnā rei pars sit mos, ducimus considerandum. Vt igitur paucis absoluam, non rei alius videtur pars esse, quā ciuilibus. Atqui ciuilibus in rebus citra quempiam qualem esse, effici nihil potest: qualem, inquam, vt studiosum esse, ac probum: studiosum porro esse, idem quod virtutes habere. Quod si quispiam ciuilibus in rebus solers esse debeat, eundem moris studiosum esse oportet. Apparet itaque rei ciuilibus omne negotium, quod circa mores est, partem esse, atque principium: vt in totum iure mihi videatur habere appellationem, negotium, atque tractatio, non moralem, sed ciuilem. Expedit itaque (vt est videre) de virtute primū dicere, & quid sit, & ex quibus constet: Nec enim ferē vtile fuerit, virtutem quidem nosse, vt verō sit, ac ex quibus, negligere: quandoquidem ex quibus sit coniectare, simulque nosse volumus, ac huiusmodi nos esse, nedum vt norimus quid sit considerandum. At nequaquam facere poterimus, nisi ex quibus, & quomodo sit, percalluerimus. Scire igitur quid sit virtus, necesse est: siquidem & ex quibus sit, & quomodo, scitu haud quaquam facile est ignorantibus quid sit, quemadmodum in scientiis. Verū ne latere quidem nos oportet, si qui de his prius differuere. Primū igitur Pythagoras de virtute dicere adgressus est, quanquam non recte: virtutes siquidem ad numeros referendo, suam virtutem non fecit inspectionem. Nec enim iustitia est numerus pariter par. Cui succedens Socrates de hac re melius pleraque differuit, sed ne ipse quidem recte. Quoniam virtutes, scientias afficiebat: quod fieri nullo modo potest. Cuncta siquidem scientia, cum ratione: atqui ratio, in solo animæ gignitur intellectu. Quocirca virtutes omnes, in animæ parte rationali efficiantur, necesse est. Euenit itaque, vt qui virtutes scientias faciat, irrationalem animæ partem extinguar: quod faciendo, affectum, ac motum perimat. Quam ob rem non recte hoc modo virtutes amplexus est. Postea demum Plato ani-

virtutum.

mam in partem, quæ teneret rationem, & in eam, quæ esset rationis expers, recte distribuit, reddiditque suas vtique virtutes. Quatenus hæc, probè reliqua verò nevtiquam recte: quandoquidem virtutem cum tractatione, quæ de bono per se esset, admiscuit: non equidem recte, quia non peculiare, & suum: neque enim de eo, quod est, ac de vero differentem, de virtute dicere oportuit: illi siquidem nihil est cum hoc commune. Tanta igitur illi, & hoc modo amplexi sunt. Déinceps ergo nobis coniectandum, quidnam de his dicendum fuerit. Intuendum igitur est in primis, scientia omnis, atque facultatis finem esse aliquem, idque per se bonum: nulla siquidem scientia, facultas nulla mali causa est. Quod si facultatum omnium bonus est finis, non dubium, quin etiam optimæ sit optimus. Atqui ciuilibus, optima est facultas: igitur ipsius finis, bonus. De bono itaque (vt videtur) nobis dicendum est. At de bono non in vniuersum, sed nobis bono. Neque enim deorum bonum, agendum est, quemadmodum de eo alia habenda fuerit oratio, & consideratio nunc sit aliena. De nobis itaque bono dicendum est. De quo sanè differendum in primis est, quonam dicatur modo. Neque enim simplex, atque vnum est: quandoquidem dicitur bonum, aut quod in vnoquoque est optimum, id verò suapte natura deligibile: aut cuius participatione alia sunt bona, id nimirum idea boni est. An igitur de boni idea loqui oportet, an non? Atqui commune quod est in bonis omnibus, aliud ab ipsa idea videri debet: siquidem separabile id per sese est, quod idea. Commune verò, in cunctis existit, non vtique idem quod separabile: nec enim vnquam separabile, & per sese agnatam vim habens, in cunctis fuerit. Nunquid igitur de hoc nobis differendum bono, quod in omnibus existit, aut non? quid ita? nempe quoniam id commune est, vt definitio, & inductio. Definitionem oportet cuiuslibet referre essentiam, seu bonum, seu malum sit, seu quiduis aliud. Refert certè definitio, vt eiusmodi bonum in vniuersum est, non quatenus ipsum per sese deligibile. Verū quod in cunctis existit, definitioni est simile. Definitio certè ait bonum esse quippiam, quod neque scientia, neque facultas vlla dicit. Neque enim finem suum asserit bonum esse, verū id alterius est inspicere facultatis: quandoquidem neque medicus, neque ædificator refert, hic quidem sanitatem esse bonam, ille verò domum: sed hic quidem quod sanitatem præterdat, & quemadmodum faciat, ille verò, domum. Non dubium igitur, quin

quin ne rei ciuili quidem de communi bono dicendum sit: vna siquidem & hæc reliquarum scientiarū est. Atqui hoc nullius est dicere aut facultatis, aut scientia, vt de fine: ne quidē igitur rei ciuilibus, quod de communi bono est dicere eo, quod per definitionem est. Verū enim numero neque de eo, quod per inductionem commune. Quid ita? quod cum voluerimus particulariter aliquod bonum demonstrare, aut definitione demonstramus, vt ratio eadem congruat ei, quod per se bonum, & ei, quod bonum esse demonstrare voluerimus. Aut inductione, sicut cum velimus magnanimitatem bonum esse demonstrare, dicimus. Nimirum iustitia bonum est, & fortitudo, ac omnino virtutes. Magnanimitas autem virtus est: ergo & magnanimitas bonum. Non igitur de communi per inductionem bono, rei ciuili dicendum est: quod eadem contingere non possunt huic, & per definitionem communi bono. Nam quod bonum, hinc etiam dicit. Manifestū igitur, de optimo bono dicendum esse, eoque, quod nobis optimum sit. In totum autem viderit quispiam non vnus esse scientia, aut facultatis, de vniuersali bono considerare. Cur ita? nempe quod bonum, est in omnibus prædicamentis. Nam in quo, in quali, in quāto, in quādo, in ad aliquid, ac prorsus in omnibus. Ceterum quando bonum in medicina, medicus nouit. At in gubernatoria, gubernator: & in singulis singuli. Quando secandum quædam sit, nouit medicus. At quando nauigandum, gubernator. In qualibet vtique quando bonum, cuius quod propter se cognouerit: neque enim medicus, quod in gubernatoria bonum quando cognouerit: neque gubernator, quod in medicina. Ne igitur quidē hoc modo de communi bono dicendum est: siquidē quando, in cunctis commune est. Similiter etiam quod ad aliquid bonum, ac quod in aliis prædicamentis, commune est omnibus. Atqui nullius est facultatis, aut scientia, dicere de eo bono, quod in vnaquaque est. Ne igitur quidem rei ciuilibus est, dicere de communi bono. De bono igitur, ac de optimo, atque nobis optimo. Ceterum eum, qui velit quippiam demonstrare, minimè apertis non oportet exemplis vti, sed vbi obscura aperienda sint, manifestis, ac in eis, quæ sub intelligentiam cadunt, sensibilibus: ea siquidem sunt apertissima. Cum igitur de bono dicere quispiam tentauerit, de idea nevtiquam dicendum est: tametsi de idea dicendum existimem, vbi de bono dicant. Aiunt namque, de maximè bono esse differendum. At id, vnumquodque præcipue tale est, vt præcipue sit bonum idea, vt opinantur. Huius modi certè oratio fortassis vera: verū nevtiquam ciuilibus scientia, vel facultas, de qua in præsentia nobis est oratio, de hoc per se bono, sed nobis bono. Nulla siquidem scientia, aut facultas de fine loquitur, quod sit bonum, & pròinde, ne quidem res ciuilibus: ideo non de bono, quod iuxta ideā est, loquitur. Verū, fortassis ait, hoc per se bono vtendum esse principio, ab eo progrediendo ad singula. In quo ne ita quidem recte. Expedit siquidem, sua cuiuslibet sumere principia. Absurdum enim sit, volenti ostendere triangulum duobus rectis æquales habere angulos, sumere principium eiusmodi: Anima immortalis est: neque enim hoc, propriū. Oportet siquidem principium, suum esse eius rei, qua de

ideā, vnumquodque, quod verè est, appellabatur: vt quod verè homo, quod verè equus.

agatur, atque coniunctum. Nunc verò, absque hoc quod anima sit immortalis, demonstrauerit quispiam duobus rectis æquales habere triangulum. Idem & de bonis, est inspicere alia citra ideam boni. Pròinde proprium non est, huius per se boni principium. Ac ne quidem Socrates recte scientias, virtutes faciebat. Is enim, nihil incassum, & temerè esse arbitratus est. Ex eo autem quod est, virtutes esse scientias, ei eueniebat virtutes esse frustra. Quid ita? In scientiis nimirum cōtingit pariter nosse scientiam quid est, & scitum esse. Nam si quis norit quid sit medicina, is cōfestim est medicus. Similiter etiam in aliis scientiis. At in virtutibus non idem est. Neque enim si quis nouerit quid sit iustitia, continuo etiam iustus est. Idem & in aliis. Euenit igitur, & temere virtutes esse, & non esse scientias.

Quot modis bonum. Cap. II.



At quoniam de his, nobis differendum est, annitatur bonum dicere, quot dicatur modis. Sunt nimirum bonorum alia honorabilia, laudabilia alia, potentia alia. Honorabile, huiusmodi dico, quod diuinum, quod melius, vt anima, mensque est: quod antiquius, quod principium, & alia id genus. Honorabilia certè, in quibus honor: talia siquidem omnia honor comes consequitur. Igitur etiam virtus, honorabile bonum est: quando ab ipsa probus quispiam gignitur. Is nanque in virtutis penetrat habitum. At laudabilia, vt virtutes: ab ipsarum nanque actionibus laus emergit. Quæ verò potentia, vt dominatus, opulencia, robur, pulchritudo: iis nanque bonus bene, vt malus malè vt potuerit: ideo etiam potentia eiusmodi bona nuncupantur. Bona certè sunt, vtu siquidem ipsorum boni, non vtique mali approbantur. Id genus nimirum bonis euenit, ortus causam ipsorum esse fortunam. A fortuna nanque, & opulencia, & dominatus est, & quæcunque prorsus in potestatis ordinem perueniunt. Reliquum porro, ac quartum, inter bona, est salubre: etiam bonum efficiens, sicut exercitium sanitatis, ac si id genus est aliud. Verū aliam quoque subeunt bona distributionem: vt Bonorum quædam prorsus, & omnifariam sunt eligibilia, quædam verò non: veluti iustitia, aliaque; virtutes, omnifariam, & omnino sunt eligibiles: at robur, & opulencia, potentiaque, & id genus alia, neque omnifariam, neque omnino. Rursus quoque aliter: Bonorum alia sunt fines, alia non: quemadmodum sanitas quidem, finis, atque sanitatis causa, nevtiquam finis est. Et quæcunque ita habent, eorum semper finis melior: vt sanitas melior, quā quæ salubria: in totumque prorsus id melius, cuius gratia sunt & alia. Rursus ipsorum finium, præstat semper, qui perfectus est, imperfecto. Est nimirum perfectus, cuius accessu nullo amplius nobis opus est. Imperfectus autem, cuius aduentu alium desideramus: quemadmodum iustitiæ duntaxat aduentu, plura desideramus: at felicitatis accessu, nulla re amplius nobis opus est. Is ergo nobis optimus, quem desideramus, qui finis perfectus: absolutus nanque finis, bonum est, nec non finis bonum. Hinc igitur quonam modo optimum, considerandum est, nunquid eo modo, vt ipsum quoque recensamus, an id videbitur alienum? Siquidem optimum, finis

Alia diuisio boni.

est perfectus : ac perfectus finis , vt paucis absol-
uam , nil aliud quam felicitas esse videtur. Ex mul-
tis porrò bonis, felicitatem constare comprobatur.
Quòd si optimum coniectans , ipsum quoque cum
aliis annumeres, ipsum se melius esse constabit , si-
quidem optimum erit. Vt salubria ponendo, & sani-
tatem , consideres quidnam horum omnium opti-
mum? nempe sanitas. Quòd si horum optimū est,
id se quoque melius, quod admodum absurdum est
non igitur optimum ita coniectandum. Sed an id
quodam modo fuerit, vt absque se? nunquid hoc
esset absurdum? nam felicitas ex quibusdam consta-
ta bonis est, hoc est, ex quibus constet bonis : an sic
optimum considerare, fuerit alienum? Neque enim
est quicquam aliud ab his felicitas, verum hæc ipsa:
an ita quispiam rectè concernens, optimum consi-
derauerit? sicut ipsam felicitatem, quæ ex his sit bo-
nis, diiudicās erga alia, quæ in ipsa collecta nō sunt.
Ita optimum considerans, rectè cōsiderauerit. Cæ-
terum non est simplex, quod nunc quærimus, opti-
mum: vt dicat quispiam, optimum cunctorum bo-
norum , in vnum concretorum esse prudentiam.
Verum hoc ferè modo , non quærendum est opti-
mum bonum : perfectum siquidem quærimus bo-
num. At prudentia sola, neutiqum perfectum.
Non igitur hoc optimum quod quærimus , neque
ita indagamus optimum.

Alia diuisio bonorum. Cap. III.

Rætereà aliam admittunt bona sectio-
nem. Sunt siquidem bonorum alia in
anima, vt virtutes: alia in corpore, vt sa-
nitas, venustas : alia externa, opulencia,
dominatus, honor, & si quid est huiusmodi. At ho-
rum, quæ in anima sunt, optima. Quæ porrò in ani-
ma definita sunt bona, trifariam distribuuntur : in
prudentiam, in virtutem, & in voluptatē. Post hoc
igitur, quod profiteamur omnes, etiam finis videtur
bonorum, idēque absolutissimum esse felicitas:
quod sane fatemur esse in bene agendo, ac bene vi-
uendo. Cæterum finis simplex non est, sed duplex:
quorundam enim est finis ipsa actio, vsusque, sicut
visus est nimirum vsus optabilior habitu, finis au-
tem vsus. Nemo siquidem velit visum habere ad
non spectandum, sed coniectandum. Idem de audi-
tu, cæterisque dicendum. Pròinde quorum vsus, &
habitus est, semper melius, & optabilius eorum est
vsus habitu. Vfus enim, & actio finis, cum sit pro-
pter vsum ipse habitus. Post id si considerauerit
quispiam in cunctis scientiis, intuebitur non aliam
esse considerationem in extruenda domo, quam in
proba domo : sed vtrobique suppetere ædificato-
riam, & cuius effector, ædificator, vt cuius sit vir-
tus, eiusdem sit effectrix. Idem in aliis omnibus par
est coniectare.

Virtutem in anima esse. Cap. IIII.

Rætereà intuemur, alia re nulla, quam
anima nos viuere. In anima autem est
virtus. Idem certè fatemur facere ani-
mam, animamq; virtutem. Cæterum vir-
tus in vnoquoq; eius est virtus, idem facit. At ani-
ma, etiā alia. Atqui anima viuimus: ob animam itaq;
virtutem, bene viuimus. Cæterum bene viuere, &
bene agere, nihil aliud dicimus, quam felicem esse:

ergo & feliciter agere, & felicitas, in viuendo est.
Verum bene viuere, est in viuendo ex virtutibus:
hoc igitur est finis, & felicitas, & optimum. In vsu
itaq; sit necesse est, & actione, felicitas. Nam quorū
habitus, vsusque est, vsus, & actio, finis. Atqui ani-
mæ, virtus est, habitus, & actio, & vsus ipsius actio,
quæ sub electionem cadunt : ergo finis, ipsius actio,
vsusq; fuerit: felicitas igitur in viuendo ex virtuti-
bus sit, necesse est. Quoniam igitur optimum bonū
est felicitas, & hæc ipsa finis: actione viuēdo ex vir-
tutibus, felices fuerimus, optimūq; bonū habue-
rimus. Cum igitur sit felicitas bonum perfectum,
ac finis, nos latere non oportet, id in ætate perfecta
esse. Non enim in puero, quia nec puer dici felix po-
test, sed in viro: is nanq; perfectus. Et ne quidem in
tempore imperfecto, sed perfecto: perfectum fuerit
vtiq; tempus, quandiu homo viuere potuerit. Re-
ctè nanque à multis dicitur, felicem in longissimo
vitæ tempore esse iudicandum: vt opus sit perfectū
esse, & in tempore perfecto, & in homine. Quòd au-
tē sit actio, hinc quispiā poterit intueri. In somnis
nanq; vt inter viuēdum si quispiam dormiat, eius-
modi nolim talem dicere esse felicem: ipsi quidem
existit viuere, sed eidem ex virtutibus (quod erat ex
actione) viuere non existit. Rursus quod mox di-
cendum, non admodum quæ diximus participare,
& ne quidem ab ipsis lōgè abesse videbitur: quippe
quod animæ portio quædam esse putetur, qua ali-
mur, quam altricem appellamus. Iure profectò ita:
siquidem lapides ali nō posse intuemur: & pròinde
non dubium, quin sit ali animatorum : quod si ani-
matorum, causa est anima. Atq; animæ talium par-
tium nulla, alendi fuerit causa, quales sunt rationalis,
vel irascibilis, vel concupiscibilis, sed alia quæ-
dam præter has: & ei nullum magis peculiare possu-
mus nomen, quam alentis accommodare. Dicit for-
tassis quispiam, nunquid ex hac quoq; parte, ani-
mæ virtus est: nam si fuerit, non dubium quin etiam
eadem agere opus sit. Perfectæ quidē virtutis actio,
felicitas est. At nunquid eius sit, vel non sit virtus,
alia fuerit oratio. Quæ si fuerit, huius non est actio.
Nam in huiusmodi parte impulsus esse non vide-
tur: quæ igni videtur esse consimilis, cui quicquid
immerferis, absuret. At si non obieceris, ne quidē
ad capiēdum impellitur. Ita hæc habet pars animæ,
vt si alimentum obiicias, alar: sin minūs, ne quidem
ad alendum commoueat, & pròinde ne quidem
actio, cuius non est commotio. Pròinde hæc pars
ad felicitatē capeffendā nihil coadiuuat. Deinceps
igitur, quid sit virtus dicendū: quandoquidem eius
actio, felicitas est. Vt paucis itaq; absoluiam, virtus,
habitus est optimus. Verum non satis fortè sit, ita
simpliciter loqui, sed euidentius fuerit definiendū.

Diuisio anime. Cap. V.

Rimūm igitur de anima, in qua virtus
exoritur non, quid sit anima, (alia siqui-
dem eius rei consideratio) sed vt quo-
dam modo distribuatur, dicendum est.
Anima nimirum, vt receptum est, in duas partes di-
stribuitur, in eam, quæ rationē habet, & quæ ratio-
nis expers est. Ex ea parte, quæ habet rationē, exo-
ritur prudentia, solertia, sapientia, ingenium, me-
moria, & id genus alia. At ex parte rationis experte
quæ

quæ virtutes appellantur, temperantia, fortitudo,
iustitia, & quæuis aliæ, quas ex moribus ducimus
esse laudabiles: ex his nanq; consequi laudem dici-
mur. Et ab eis, quæ à ratione dimanant, nemo lau-
datur: nec enim quòd sapiens, nec quòd prudens,
nec prorsus ex huiusmodi aliquo quispiam laudan-
dus accedit. Neq; porrò rationis expers quatenus
ad se suggerendum idoneum est, suggeritq; ei quod
obinet rationem. Est nempe moralis virtus, quæ
ab excessu, defectūq; corrumpitur. Quòd autem tā
defectus, quam excessus corrumpat, ex eis est vide-
re, quæ ad mōres pertinent. Vtendum sanè in rebus
incertis, testimoniis certis est. Confestim nanq; in
exercitiis hoc viderit quispiam : quæ si excedant,
robur affligunt: sin deficient, eodem modo habent.
Idem in potu, cibōq; euenit. Affluentibus enim, sa-
nitas absumitur. Idem fit, & subductis: quæ si mode-
rata fuerint, corporis firmitudinem custodiūt, atq;
sanitatem. His consimile euenit in temperantia, &
fortitudine, reliquisque virtutibus. Nam si quem-
piam eò vsque feceris intrepidum, vt ne quidem
deos metuat, iam non fortis, sed demens fuerit: sin
cuncta formidantem, meticulosus. Fortis ergo erit,
qui neq; omnia metuet, neq; nihil. Hæc igitur tam
augent, quam labefaciunt virtutem. Nimiū nanque
metus, & omnes, labefaciūt. Itidem qui de re nulla
metu commouentur. Atqui circa metus, est forti-
tudo. Mediocres itaque metus, fortitudinem locu-
pletant. Ab eisdem igitur, tam amplificatur, quam
labefactatur fortitudo: ex metu nanque ita afficiun-
tur. Idem de cæteris dicendum virtutibus.

In quibus sit virtus collocata. Cap. VI.

Vrsus non his modò virtutem quispiā
definiērit, sed etiam ægritudine, & vo-
luptate. Nam voluptate allecti, impro-
ba factitamus: ægritudini autē succum-
bentes, ab honestis deficimus. Alioqui non est vir-
tutem & vitium admittere citra ægritudinem, & vo-
luptatem. Inter voluptates igitur, & ægritudines,
virtus collocatur. Virtus porrò moralis hinc cog-
nomē habet, si modò velimus ex literis veritatem
excutere: dicendum erit, t̄ morem à mora habuisse
cognomen, breuis in longam literæ facta mutatio-
ne. Moralis siquidem appellatur, quòd ex mora as-
suescat. Idq; certū, quòd virtus nulla, quæ ex parte
oriatur irrationali, ex Natura nascatur. Siquidē eo-
rum, quæ Natura fiunt, nihil est, quod assuetudine
aliud euadat: velut lapis, grauiāque prorsus omnia,
quæ ferendi deorsum vim agnatam habet: si à quo-
uis sursum versus sepius iactari assuescāt, nunquam
tamen sursum attollentur, sed semper deorsum ca-
dent. Idem de cæteris est intelligendum.

De his, quæ in anima consistunt.

Cap. VII.

Rætereà, qui velit quid sit virtus di-
cere, scire expedit quænam demum
in anima procreentur. Sunt autem
hæc huiusmodi, affectus, potentia,
habitus. Et pròinde non dubium,
quin horum quædā sit virtus. Affectus igitur sunt,
ira, metus, odium, cupido, liuor, miseratio: talia co-

mitari consueuerunt, ægritudo, & voluptas. Potenti-
æ autem, quibus affici dicimur, nempe vnde possu-
mus excandescere, ægrefcere, miserescere, & alia hu-
iusmodi. At habitus sunt, vnde erga hæc habemus
bene, vel malè, sicut ad excandescendum. Si nanq;
supra modum iracundè, malè in ira habemus. Sin
in quibus expedit, prorsus ad iram non commoue-
mur. Ita quoque malè in ira habemus. Mediocriter
itaque habendo, vt neque supra modum commo-
ueamur, neque prorsus simus incommobiles: tum si
ita habeamus, rectè affecti sumus. In similibus quo-
que aliis, idem intelligendum. Iracundum nanque
& bene, in medio iræ, & ad iram incommobilitatis
positum est. Simile est in iactantia, & dissimulatione:
plura nanque, quam adsint, sibi arrogare, iactan-
tiæ est: minus verò, dissimulationis. Inter hæc igi-
tur medium, est veritas.

De habitu. Cap. VIII.

Idem in cæteris omnibus est intelligen-
dum. Id enim proprium ipsius est habi-
tus, vt bene, malève erga hæc habeat.
Bene autem in iis habere, fuerit neque
excedere, neque deficere. Erga medium itaque isto-
rum, vnde laudandi accedimus, habitus est, sicut
malè, erga excessum, & defectum. Quandoquidem
igitur harum perturbationum, virtus est medium:
perturbationes autem sunt ægritudines, & volupta-
tes, aut non citra ægritudinem, vel voluptatem, vir-
tus certè est circa ægritudines vel voluptates : id
quod hinc certum. Sunt nimirum etiam affectus
alii, vt videbitur cuiuspiam, in quibus non in excessu,
& defectu aliquo est vitium: velut adulterium, &
adulter. Nec enim magis est talis, qui ingenuas com-
stuprarit. Cæterum & hoc, & si quid aliud huiusmo-
di est, quod à voluptate compræhenditur, quæ per
intemperantiam, vel etiam quod in defectu, quod-
que in excessu, sub vituperationem cadit.

Quid medietati opponatur. Cap. IX.

Deinceps igitur fuerit sanè dictu neces-
sarium, quidnam demum medietati ad-
uersetur, excessusne, an defectus. Nam
quibusdam medietatibus defectus op-
ponitur, vt nonnullis excessus : sicut fortitudini,
neutiqum excessus existens audacia, sed quæ de-
fectus est timiditas: temperantiæ verò intemperan-
tia, & incommobilitas circa voluptates, non vtique
quæ defectus est incommobilitas opponitur, sed in-
temperantia, quæ excessus est. Sunt nimirum vtra-
que tam excessus, quam defectus medietati oppo-
sita. Medietas siquidem, excessu inferior, sed defe-
ctu superior. Ideo etiam prodigi, liberales esse illi-
iberales aiunt: contrā illiberales, liberales prodigos
vocant. Audaces verò, & petulantes, fortes nomi-
nant timidos, vt timidi, fortes, petulantes, & furi-
bundos dicendos putant. Duabus itaque de causis,
duxerimus medietati opponendum esse excessum,
atque defectum: quippe quod è re ipsa licet nobis
considerare, vtum potius extremorum ad me-
dium propius accedat, propinquiōrne liberalitati
sit prodigalitas, an auaritia. Longinquior certè fue-
rit auaritia. Atqui à medio, quæ magis absunt, ma-

gis opposita existimantur. E re itaque ipsa, defectu magis opponi apparet. Est etiam & aliter videre, ut ad quæ mentem magis pronam habemus, ea medio sint magis contraria: velut ad intemperantiam nati sumus proniores, quàm ad decus capeffendum. Quam ob rem si additamentum potiùs ad ea fiat, ad quæ sumus proniores, ad quæ fit additamentum, ea sunt magis contraria. Atqui proniores ad intemperantiam sumus, quàm ad decus capeffendum: magis ergo excessus medietati contrarius. Intemperantia siquidem temperantiæ est excessus. Quid demum sit virtus, hinc nobis liceret intueri: medietas siquidem affectuum quædam esse videtur. Pròinde qui velit moribus comprobari, ei affectuum medietas est quæuis constituenda: & pròinde probum esse, operosum, atq; difficile est. Quandoquidem in vnoquoque medium capere, operosum est: velut circulum describere, cuius obuium est: at in ipso medium capere, arduum. Itidem & excandescere quidem facile, necnon contrarium huic: at mediocriter habere, arduum. In totum autem in quavis perturbatione est videre, quod medium ambiat esse facile: medium verò vnde laudemur, arduum, ideo etiam rarò probus. Quoniam de virtute dictum est, deinceps fuerit considerandum, possit ea adesse nobis, necne. Verum, quemadmodum Socrates dixit, in nobis non est, probos, vel malos esse: quandoquidem si quis roget quæuis, vel itne iustus esse, an iniustus? nemo delegerit iniustitiam. Itidem de fortitudine, & timiditate, reliquisque virtutibus semper eodem modo. Inde non dubium, quin si mali sint aliqui, non spontanei sint mali, & pròinde ne quidem probi. Hæc ratio neutiquam vera. Nam cur demum legislator mala facere non permittit, ad honesta, & proba iubet? & in malis quidem multam infligit delinquentibus: in rebus autem honestis, nisi honesta peregerint? alioqui iniustus fuerit, vbi in nobis non sit, hoc legum conditores facere. Cæterum, ut videtur, in nobis est, probos, & improbos esse. Item laudes, & vituperationes id quoq; attestantur: virtutem namque laus, vitium autem vituperatio consequitur. Atqui laus, & vituperatio, non inuitis attribuitur. Manifestum igitur hoc modo, in nostro arbitrio esse bona, malaque facere. Collationem verò huiusmodi proferebant, volentes demonstrare, vltroæum non esse. Quid nanque est, inquiebant, quod ægrotantes squallidos nemo vituperat? At hoc minime verum: tales nanque reprehendimus, cum sue ægritudinis ipsos causam esse cognouerimus. Quòdque malè habent corpus, ut pote id voluntarium esse, apparet nimirum, in vitio, & virtute esse voluntarium.

Quòd omnia talia ex talibus principijs.
Cap. X.

Rursus hinc etiam potuerit quispiam euidentiùs intueri, quòd omnis Natura eius est essentiæ procreatrix, qualis ipsa est: veluti stirpes, & animalia: nam vtraque gignunt, ex principiisque produunt: ut arbor ex semine, id nanq; principium est. Quod porro, principia consequitur, ita habet: ut enim habuerint principia, ita quæ de principiis ortum ducunt.

Perspicuè autem licet hoc in geometria magis intueri, vbi cum aliqua sumptis principia, ut ea habuerint, ita etiam quæ ipsa consequuntur: velut, si triangulum duobus rectis æquales habet angulos; quadratum quoque quatuor angulis rectis habeat, necesse est. Et si triangulum secus, ita etiam & quadratum commutabitur: ex altera parte enim ei responder. Et si quadratum quatuor angulis rectis æquales non habuerit angulos, ne quidem triangulum duobus rectis habebit æquales.

Apertissima huius loci enarratio.
Cap. XI.

Triangulum nanque (siue discretam, siue ue continuum spectes quantitatem) figurarum est omnium principium: ideo in ipsam cæteræ omnes resoluuntur, cum ipsa non in aliam, quàm in sese, redeat. Cum ergo quadrangula sequatur statim triangulam, in bina saltem triangula resoluatur, necesse est. Cumque triangulum tres habeat angulos æquales duobus rectis, quadrangulū (quippe quod in bina triangula resoluatur) quatuor angulos, quatuor rectis æquales habeat, necesse est: hoc modo ab angulo ad angulum ducta diagono, siue parallelogramum, siue non: nam trapezium, & trapezoides parallelogramum non est, nempe huiusmodi.

Quòd hominis sit agere solum.
Cap. XII.

Homine igitur, atque consimiliter, de homine quoque intelligendum: nam cum sit homo progenitricis essentiæ, ex principiis quibusdam, atque actionibus, quibus efficit, homo progengerans est. Nam quid aliud? Neque enim inanimatum aliquid efficere dicimus: neque etiam animatorum citra hominem quicquam. Manifestum igitur, actionum hominem esse progenitorem. Pròinde quoniã actiones commutari intuemur, nec eadem vnquam agimus, suntque actiones ex aliquibus progenitæ principijs: manifestum quandoquidem actiones immutantur, etiam actionum immutari principia, à quibus sunt, quemadmodum collatione ostendimus geometrica. Atqui actionis tam bonæ, quàm malæ, principium, est propositum, & voluntas, & quicquid ad rationem tendit. Non dubium igitur quin hæc quoque commutentur. Sponte nanque actiones immutamus, & perinde etiam principium, atque propositum: nam hæc sponte fit mutatio. Pròinde non dubium, quin in nobis sit, & probos, & malos esse. Fortè hic quispiam occurrerit: quandoquidem inest iustum, probumque esse, ero, si voluero, omnium probissimus. Id fieri nullo modo potest. Curnam? quoniam non hoc in corpore gignitur. Neque enim si quispiam voluerit corporis curam habere, omnium optimum habebit corpus. Nam opus est non curam modò intendere, verum etiam naturâ honestum, & bonum corpus esse: melius certè habebit corpus, non tamen esset omnium optimum. Idem de anima intelligendum est: neque enim iuxta propositum suum erit omnium probissimus, nisi etiam naturâ extiterit: melior quidem certè erit.

De appetitus tribus generibus.
Cap. XIII.

Quoniam igitur probum esse in nobis apparet, consequens dictu necessarium videtur de spontaneo differere, quidnam sit spontaneum. Ad virtutem nanque capeffendam, dominantissimum est spontaneum. In totum verò dicendum est spontaneum, quod non coacti agimus. Verum de hoc, magis adhuc perspicuè differendum est. Nempe ad id, quod agimus, aliquis exurgit nobis appetitus. Atqui tres sunt appetitus species, cupiditas, furor, voluntas. Primum igitur actionem, quæ à cupiditate oritur, ducimus coniectandam, vltroæane, an inuita sit. Inuita neutiquam esse, videri debet. Cur ita, & vnde id? nempe quòd quæcunque inuiti agimus, coacti facimus necesse est. Atqui vbi subest agentibus aliqua necessitas, ægrimonia consequetur. Verum ex cupiditate agentes, voluptas comitatur: pròinde hoc patet non erit ex cupiditate agere quippiam inuito animo, sed vltroæo. Cæterum ratio est alia, quæ ab incontinentia huic aduersatur. Nemo enim, inquit, sponte mala peragit, qui sciat mala esse: verum qui incontinens est, scit ea esse improba: agit tamen, ac ex cupiditate illectus agit, non ergo spontaneus: coactus ergo est. Hinc porro eadem nos oppugnabit oratio. Nam si ex cupiditate, non ex necessitate: cupiditatem enim voluptas comes consequitur: sed quæ ex voluptate, non possis dicere ex necessitate. Alioqui non dubium est, quin incontinens, sponte incontinentia agat: quandoquidem qui afficiunt iniuria, vltro afficiunt iniuria. Atqui incontinentes iniusti sunt, atque iniuria afficiunt: incontinens ergo in incontinentiam sponte delabitur.

Socratica argumentatio de continenti, & incontinenti.
Cap. XIII.

Verum enimvero alia iterum ratio aduersatur, non esse vltroæum affirmans. Continens siquidem laudatur, quòd sponte quæ ex continentia sunt, agat. At laudatur in eis, quæ sponte fiunt. Quòd si ex cupiditate vltroæum est, quòd cupiditati aduersatur, inuitum erit. Sed continens contra cupiditatem insurgit. Continens ergo, non spontaneus fuerit continens. Verum hoc non videtur. Non ergo id, quod ex cupiditate est, voluntarium est. Rursus id est in eis, quæ ex furore: eadem nanque huic (quas & de cupiditate diximus) rationes conueniunt, & perinde ambiguitatem faciunt. Iræ siquidem est, quod ad incontinentem, continentemque pertinet. Restat species residua appetituum (ut in distributione posuimus) voluntas, ut an sit spontanea, coniectemus. Atqui incontinentes, quatenus impelluntur, eatenus volunt. Agunt igitur incontinentes mala, volentes. Sponte nimirum nemo mala agit, vbi sciat esse mala: neque incontinens mala agit, volens mala agere, non ergo spontaneus. Ne quidem igitur voluntas est spontanea. Hæc planè perimit oratio incontinentiam, & incontinentem. Nam si non spontaneus, ne quidem vituperabilis. At est vituperabilis incontinens: spontaneus ergo: voluntas igitur, spontanea. Cum sint itaque contrariæ quæ-

dam rationes, magis perspicuè de spontaneo differendum est.

De vi, & necessitate.
Cap. XV.

Rius itaque de vi, & necessitate dicendum fuerit. Vis enim etiam in carentibus anima. Singulis nanque inanimatis, suus est locus attributus: igni quidem supra, terræ autem infra. Est nimirum violari, sursum lapidem ferri, ignem verò deorsum. Est etiam animal violari, ut equum recta via decurrentem, præoccupatum vertere aliorum. Quibuscunque igitur exterior est causa, aliquid contra naturam, aut præterquam volunt facienti, cogi dicimus facere quæ faciunt: at quibus ipsis inest causa, hos nequaquam cogi dicimus. Neque incontinens negauerit se malum esse, verum à cupiditate agendi mala se coactum. Violenti igitur hæc nobis erit definitio, quorum agendi causa, à qua cogantur, fuerit externa, vis est: quorum autem interior, ac in ipsis causa est, nequaquam vis.

De necessitate.
Cap. XVI.

Rursus de necessitate, necessarioque dicendum. Necessarium non omnino, neque in omni dicendum est: quemadmodum sunt, quæcunque causa voluptatis agimus. Nam si quispiam dicat se à voluptate coactum, quòd amici mulierem vitari, fuerit alienum. Nec enim in omni necessarium est, sed in extrinsecus aduenientibus: ut si offendatur quispiam à rerum necessitate coactus, maius aliud quippiam deuitare, hoc modo: In agrum properare coactus sum, nisi scdatum velim agrum inuenire. In huiusmodi itaque est necessarium.

Quotupliciter inuitum, & spontaneum.
Cap. XVII.

At quoniam in nullo est impulsu spontaneum, reliquum est ut sit ex animi sententia. Inuitum enim est, quod ex necessitate vtique efficitur: & tertio loco, quod non fit ex animi sententia: quod planè ex his, quæ fiunt, certum est. Nam cum quis aliquem ceciderit, occideritve, aut eiusmodi aliquid effecerit, horum nihil præuidens, eum dicimus inuitum fecisse, quippe quod vltroæum, in animaduertendo, esse facile deprehendatur. Velut olim mulierem aiunt quandam poculum exhibuisse cuidam amatorium, dein eo poculo hominem mortuum incidisse: eam verò mulierem in Areopagum perfugisse quam præsentem non alia de causa liberarunt, quàm quòd non id præuidens effecisset. Amoris siquidem cupiditate obcæcata, in eo fuerat hallucinata: & pròinde neutiquam spontanea eius poculi amatorii visa fuerat exhibitio: quandoquidem non ea mète dederat, ut perderet hominem. Inde igitur in id, quod ex animi sententia fit, cadit voluntarium.

De proposito.
Cap. XVIII.

Reliquum præterea est, ut propositum, delectumque consideremus, sitne appetitus, necne. Appetitus nanque in ceteris quoque gignitur animalibus: propositum verò, non. Siquidem cum ratione propositum est. At ratio nulli alii deputatur animali: non igitur fuerit appetitus. Verum nunquid voluntas?

an ne id quidem? Voluntas nanque eorum etiam est, quæ fieri non possunt: velut volumus quidem esse immortales, at id nobis non proponimus, deligimusque. Rursus propositum finis non est, sed ad finem: sicut nemo proponit sanescere, sed quæ ad sanitatem tendunt proponimus, deambulando, curando. At fines volumus: bene enim valere volumus. Hinc certum est, non idem esse voluntatem, & propositum. Verùm ita habere videtur propositum, vt eius est appellatio: vt hoc pro illo ponimus, atque deligimus: sicut optimum pro deteriore, quod in nostra sit optione: & pròinde deligi, suum esse videatur. Quòd si horum nihil est propositum, nunquid quod ex animi sententia id in proposito est? aut ne id quidem? Multa enim intelligimus, & opinamur ex animi sententia. Nunquid igitur quæ intelligimus, ea etiam proponimus, aut non? Sæpe siquidem intelligimus de Indis, at nequaquam proponimus, atque deligimus. Non ergo mentis sententia, propositum. Quoniam igitur horum nihil est propositum, suntque hæc animæ insita: aliquorum conuenientium, conueniuntque, propositum esse necesse est. Quoniam igitur est, quemadmodum paulò antè memorauimus, bonorum ad finem tendentium delectus, atque propositum, non vtique finis. Ac est eorum, quæ in nostra potestate sunt, & eorum, quæ nobis diuersam ingerant ratiocinationem: hocne, an hoc deligendum? non dubium quin prius opus sit ea ipsa intelligere, & in consilium vocare. Cùmque nobis intelligentibus quod præstare videatur, tum ad agendum aliquis insurgat impulsus, id agendo ex proposito agere dicimur. Quod si propositum, appetitus quidam est, in consilium deueniens cum animi sententia, non est spontaneum, quod deligibile. Sponte enim agimus multa antè, quàm intelligamus, atque consultemus: sicut sedendo, exurgendo, & id genus alia facièdo: sponte quidem, sed citra intelligentiam. Non ergo spontaneum, deligibile: sed deligibile, spontaneum. Si quid enim agere consulentes proposuerimus, sponte agimus. Existunt verò ex conditoribus legum nonnulli, qui spontaneum, & ex proposito definiant, planèque distinguant, minoresque spontaneis, quàm à proposito agentibus multas infligant. Est igitur propositum in eis, quæ sub actionem cadunt, & eis ipsis, in quibus nostrum sit agere, & non agere, & ita, vel non ita: & in quibus, propter quid est capere, verùm propter quod simplex non est. In Geometria siquidem cùm quis dixerit quadratum quatuor rectis æquales habere, & percunctatur propter quid: occurrit, quia etiam triangulum duobus rectis æquales habet. In his igitur, ex definito principio sibi propter quid assumpserunt. At in eis, quæ sub actionem cadunt, in quibus est propositum, non ita: nullum siquidem ponitur definitum. Sed si quis exquirat, cur hoc fecisti? quoniam non erat aliter vt facerem, vel quoniam ita melius. Ex ipsis venientibus (qualiacunque apparuerint esse meliora) delectus sumitur, & ob ea ipsa. Quam ob rem etiam in huiusmodi est consilium capere, vt expediat. At in scientiis nequaquam. Nemo siquidem quemadmodum scribere opus sit nomen Archicelis, inquit consilium: quia quo pacto scribendum no-

men Archicelis, est iam definitum. Mendum igitur non intelligentia gignitur, sed in scribendi actione positum. In quibus certè non est in intelligentia error, ne de eis quidem inquitur consilium: sed in quibus iam, vt expedit, optimum est, inde mendum procreatur. Atqui in eis, quæ sub actionem cadunt, optimum est, & in quibus duplex mendum. Delinquimus igitur tam in eis, quæ sub actionem cadunt, quàm ex virtutibus pariter. Virtutem enim coniectantes, per agnata nobis itinera hallucinamur. Est siquidem in defectu, excessuque hallucinatio. In horum vtrumlibet deferimur voluptate & ægrimonia: quandoquidem ex voluptate in mala delabimur, vt ex ægrimonia, honesta fugitamus.

De animi sententia. Cap. XIX.



Vrsus autem est, non quemadmodum sensus, animi sententia: velut visus non poterit quicquam aliud, quàm videre: non auditu aliud, quàm audire. Itidem neque consultamus, nunquid audiendum auditu, an videndum. At animi sententia non huiusmodi, sed id & alia potest efficere. Ob hoc ibi iam existit consultari. Est igitur in bonorum delectu, non in fine, delectum. Huic certè omnes ad stipulantur sententiæ, vt sanitatem esse bonum. Verùm quæ ad finem sunt, velut expediatne fanitati hoc comesse, an non. Facit igitur plurimum in his ad hallucinandum voluptas, & ægrimonia. Hanc siquidem amplectimur, illam verò fugimus. Quoniam igitur distribuimus, in quo, & quo modo sit delectum: reliquum est vt intueamur, cuiusnam rei sit virtus coniectrix, finisne, an ad finem: velut, honestine, an ad honestum. Quo pacto scientia, vtrum ædificatoris scientiæ finis, speciosè proponendi, an quæ ad finem spectandi. Nam si hoc speciosè proponetur, sicut pulchram domum efficere, atque ad hoc quæcunque spectant, non alius quisquam inueniet, neque exhibebit, quàm ædificator. Itidem in aliis quoque omnibus scientiis. Eodem modo igitur in virtute habere videbitur, vt ad finem potiùs ipsius tendat consideratio. Rectè nimirum proposuerit quæ ad finem sunt, & ex quibus finis constet. Nec quisquam alius exhibebit, inuenietque, quæ ad finem expediant, iurèque hoc virtus proposuerit, quibus in rebus optimi principium est vnumquodque quod efficiat, & proponat. Nihil igitur virtute melius, quandoquidem huius causa etiam sunt alia, atque ad ipsam principium est, & eius causa magis sunt quæ ad idem. At finis, principio alicui assimilatur, & eius causa est vnum quoduis: verùm id erit modo aliquo. Pròinde certum vt etiam in virtute, quandoquidem causa est optima, ipsam magis finis esse coniectricem, quàm quæ ad finem sunt.

Finis virtutis honestum. Cap. XX.



Tui virtutis finis, est honestum: honesti ergo magis coniectrix est virtus, quàm ex quibus constet: sunt nempe hæc, ipsius. At in vniuersum videri potest alienum: quandoquidem in pictura si quispiam fortassis

fortassis egregius fuerit imitator, non tamen laudandus accedet, nisi optimam imitandi habuerit intentionem. Virtutis demum id omnino est, sibi honestum proponere. Dixerit quispiam, cur ita, num actionem meliorem esse dixerimus, quàm virtutem ipsam: at nunc, an ex quo actio est, id virtuti, vt pote honestius, attribuiamus? An in quo non est actio: ita. At qui nunc idem dicimus, habitu actionem esse meliorem. Alii nanque probum insipientes, ab actione diiudicant, quòd non possint cuiuslibet quomodo habeat iudicare propositum. Nam si foret singulorù nosse sententiã, qualis erga honestatem esset, etiam citra actionem probus esse videri potuerat. Denique quoniam affectuum quaedam recensuimus medietates, circa quos affectus versentur, hinc nobis dicendum est.

De fortitudine. Cap. XXI.



Vm igitur sit fortitudo circa audaciam, ac metum, considerandum fuerit, circa cuiusmodi metus, atque audacias. Nunquid igitur si quispiam metuat ne rem disperdat suam, is timidus? sin circa hæc sit audax, fortis, an? Itidem si quis formidat solùm, aut audeat: neque meticolosum fatendum esse esse metuentem, neque fortem non metuentem? Num igitur in eiusmodi metibus, & audaciis, fuerit fortitudo? At ne quidem in talibus, cuiusmodi si quis tonitrus, & fulmina non metuat, vel quiduis aliud supra hominem horrendum fuerit, non iam fortis, sed furens. In metibus itaque, & audaciis humanis est fortitudo, in eis, inquam, quæ cæteri metuant, aut omnes: in quibus qui audeat, fuerit fortis. His itaq; definitis constituendum fuerit (quandoquidem multis in rebus fortes dici possunt) qualis sit fortis. Est enim ab experientia fortis aliquis, velut milites. Isti siquidem ab experientia didicerunt in huiusmodi loco, vel huiusmodi tempore, vel rebus ita habentibus, fieri non posse vt malum subeant: & pròinde qui hæc nouerit, & ea de causa ingruentes hostes sustinuerit, non fortis. Nam si horum nihil extiterit, non tolerauerit. Pròinde ab experientia fortes dicendi non sunt. Neque Socrates rectè aiebat, fortitudinem esse scientiam: quandoquidem ex consuetudine scientia capiens experientiam efficitur scientia. At ab experientia tolerantes, neutiquam fatemur, planèque negamus fortes esse. Non igitur fortitudo fuerit scientia. Rursus sunt quoque fortes ab experientia contrario. Inexperti siquidem eorum, quæ eueniant, ab ea rerum nulla experientia, sunt intrepidi, & ne hos quidem fortes esse dixerim. Sunt porrò qui fortes à perturbationibus existimentur, velut amantes, aut lymphatici. At ne hos quidem fortes dicere oportet: quandoquidem si ab ipsis affectus auferatur, non erunt amplius fortes. Fortem siquidem, perpetuò fortem esse oportet. Et pròinde ne feræ quidem, vt sues, dici fortes possunt, quòd succumbant, ingemantque percussæ. Neque fortem ob perturbationem dicere conuenit. Est vicissim fortitudo alia, quæ ciuili existimatur: velut si qui ciuium pudore offusi, tolerant pericula, vt fortes existimentur: quemadmodum, verbi cau-

sa, Homerus Hectora dicentem inducit, Polydamas vereor me carpat in agmine primus, ideo pugnandum esse existimat. At ne quidem hæc dicenda fortitudo. In istorum enim singulis eadem congruet definitio. Quo nanque ablato non perdurat fortitudo, efficere fortem non potest: vt si pudorem, vnde fortis erat, abstuleris. Sunt item & aliter fortes existimati ob spem, bonique expectationem. At ne hos quidem dicere fortes possis: quandoquidem tales, ac in talibus fortes dicere, videbitur alienum. Pròinde in nullis huiusmodi fortitudo collocanda est. Qualis igitur, & quisnam fortis sit, hinc considerandum. Ac vt paucis absoluam, qui nulla iam supra dicta causa fortis est, verùm quòd id honestum esse censeat, idque faciat, seu aliqua, seu nulla oblata fuerit occasio. Neque tamen prorsus citra perturbationem, impulsuque gignitur fortitudo. Expedit verò impulsuum habere rationem, honesti causa, ad intrepidè periclitandum. Qui hoc modo, is erit fortis: ac circa hæc fortitudo. Nec verò intrepidus esse oportet, ita vt cùm forti fuerit occursum, in totum nihil metuatur. Nec enim talis fortis, cui prorsus nihil est horrendum. Ita nanque etiam lapis, & reliqua inanima fuerint fortia. Cæterum metuendum quidem, sed tolerandum. Nam si nihil metuens toleret, neutiquam fortis. Item (vt etiam paulò antè de metu, atque periculo disseruimus) non omne, sed essentia quadam delectum intelligimus. Neque item in fortuito, & quouis tempore, verùm in quo & metus, & plura imminent pericula. Nam si quis decimo post anno futurum non metuerit periculum, quoniam pacto fortis? Sunt enim, quòd longè absint, fiducia pleni: qui si fuerint proximi, moriantur metu. Hæc denique fortitudo, & hic fortis.

De temperantia. Cap. XXII.



Emperantia, est intemperantiæ, & incommobilitatis circa voluptates, medietas. Nam temperantia, ac prorsus virtus omnis, habitus est optimus. At optimus habitus, optimi est. Optimum verò, inter excessum, defectumque medium: quandoquidem vtrinq; prominent vituperandi, tam excessu, quàm defectu. Pròinde si optimum medium, & temperantia inter intemperantiam, & incommobilitatem, est quadam medietas, horum itaque fuerit quadam medietas temperantia, quæ circa voluptates, & ægrimonia verfat: non tamen omnes, & quæ circa omnia. Neque enim si quispiam picturæ, aut statuæ, vel huiusmodi alterius oblectetur aspectu, erit iam intemperans. Similiter ne quidem audiendo, aut olfaciendo, sed in eis voluptatibus, quæ in tactu sint, & gustu. Neq; temperans circa eiusmodi, vt à nulla tali capiatur voluptate: nã tum incommobilis, planèque sensu carens fuerit. Verùm qui oblectetur, non agatur in ipsorù excessum: ita fruens, ne quid faciat operosum: totusq; agendo ab honestate pendeat, non agendo quicquam nisi modeste. Nam quicumque ab excessu talium voluptatum abstinerit, vel metus, vel cuiuspiam alterius rei causa, temperans non est. Neque nim cætera animalia (præter hominem) dicimus temperantia quòd

Iliad. x.

ab ipsis ratio ablit, qua honestū deligimus. Omnis siquidem virtus, honesti est, & ad honestum tendit. Próinde erit temperantia circa voluptates, & ægrimonias, easque in tactu, gustūque progenitas. Demum consequens est, vt de mansuetudine dicamus, & quid, & in quibus sit.

De mansuetudine. Cap. XXIII.

Mansuetudo igitur est inter iracūdiam, & iracundiæ cessationem. In totūmq; existimantur virtutes, medietates esse. Quod autem sint medietates, hinc facile quis dixerit. Nam si quod optimum, in medietate est collocatum, estque virtus, habitus optimus, atque optimum est medium: virtus ergo sit mediū, necesse est. Quod sanè certum, singula considerantibus est. Nam quia iracundus est, qui vsquequaque, & plurimum excandescit, ac eiusmodi sub reprehensionem cadens: nec decet vsquequaque excandescere omnibus, & omnino semper: neq; contra ita habere, vt cuiquam nunquam: is nanque incommobilis sub reprehensionem cadit. Cū igitur tam is, qui ad excessum, quàm qui ad defectum peruenit, sub reprehensionem cadat: qui horum medius fuerit, mansuetus, ac laudabilis. Neque enim ab ira deficiens, neque item excedens in ipsa, laudabilis: sed qui mediocriter in his habet, is mansuetus: harūmq; perturbationū medietas, mansuetudo.

De liberalitate. Cap. XXIII.

Liberalitas autem, est inter prodigalitatem, & auaritiam medietas collocata. Versantur autem huiusmodi perturbationes circa pecunias. Prodigus nanque est, qui, vbi non decet, impedit, & plura, quàm deceat, & cū minimè decet. At auarus, ei contrarius, non impendit vbi decet, & quantum decuerit, & quando decuerit. Vtrique sub reprehensionem cadunt: vnus quidem deficiendo, alter verò excedendo. Liberalis ergo, quandoquidem laudabilis est, medium inter hos tenet locum. Quisnam demum? nempe qui vbi decet, & quantum decet, impendit.

Species auaritiæ. Cap. XXV.

Vnt autem plures auaritiæ species: sicut eorum, quos nugiuendulos appellamus, cum inique emptores, nec non turpiluceri, & paruiloqui, qui omnes auaritiæ succumbunt. Malum nanque multiplex: at bonum, † solistimum. Quemadmodum sanitas quidem simplex, sed multiformis morbus. Itidem virtus simplex, cū sit vitium tamen multiforme. Cuncti siquidem memorati, ob pecuniam sub vituperationem cadunt. Vtrum igitur liberalis est, pecuniam nancisci, & comparare, an non? Neq; enim vilius alterius est virtutis. Nam neque fortitudinis est arma fabricare, sed alterius. Verū ipse est accipere, eisque rectè vti. Idem de temperantia, ceterisque dicendum. At ne quidem liberalitatis, pecunias parare, & conficere, sed pecuniam incutentis.

De magnanimitate. Cap. XXVI.

Magnanimitas, est insolentia, & pusillanimitatis medietas: & circa honorem, inhonorantiāque versatur. Et honorem quidem non à multis, sed à probis attributum, qui ei præcipuè conueniat. Probi nanque periti iudices, rectè honorabunt. Honorari itaque se, qui dignus honore fuerit, potius volet ab his, qui ipsum cognouerint. Neque enim de omni honore fuerit, sed optimo, magnanimitas, honorabile bonum, & ordinem obtinens principatus. Iure igitur despecti, & improbi, magnis rebus se dignos opinati, ac subinde honorandos, dicuntur insolentes: qui verò sese summittunt, & magis, quàm par est, abiiciunt, pusillanimi. Horum igitur medius, qui non se ita abiicit, vt minore, quàm sit par, honore velit honestari, neque rursus maiore, quàm deceat, neque omni, is demum est magnanimus. Et próinde certum est, magnanimitatem esse insolentia, & pusillanimitatis, medietatem.

De magnificentia. Cap. XXVII.

Magnificencia, est iactationis, & vtilitatis medietas. Versatur autem magnificentia circa sumptus, quos magnificum facere par est. Quicumque igitur vbi non expedit sumptum facit, gloriosus, iactabundusque est: vt si quis sodales ita epulo accipiat, ac si nuptias faciat, is gloriosus. Talis nanque est, qui, quo tempore non expedit, suam indicat affluentiam. Huic contrarius est vilis, qui vbi oportet, magnificè non impendit, nec facit vt nuptiarum dignitas exoptulat sumptum, sed ibi deest: is nimirum vilis. At magnificentia vel ex ipso nomine nobis potest, qualis sit innotescere. Opportuno nanque tempore magnificè factum, rectè magnificentia nomen assequetur. Magnificencia igitur fuerit, quandoquidem laudabilis, inter excessum, defectūque circa sumptus idoneos, quædam medietas. Sunt & nonnullis plures magnificentia existimata: velut dicentibus. Magnificè sese infert, & huiusmodi alia magnificentia, non propria, sed à translatione nomen inuenientes. Nec enim illis magnificentia, sed in eis, quæ diximus.

De indignatione. Cap. XXVIII.

Indignatio, est inuidentiæ, & malevolentia medietas: ambæ enim istæ sub vituperationem cadunt: at indignabundus, laudabilis. Est autem indignatio, quædam ægrimonia de bonis, quæ indigno alicui aliquo pacto euenerunt. Indignabundus, qui in huiusmodi tristatur: idemque rursus tristetur, si quem viderit indignè malis afflictatum. Ac demum indignatio, & indignabundus, talis. Cui contrarius est inuidens, quippe qui tristabitur, cū quempiam prorsus, siue dignum, siue indignum, bene agere viderit. Cui similiter maleuolus par est, quippe qui lætatur, quod quis malè agat, siue dignus, siue indignus sit. Nec indignabundus eiusmodi, verum inter hos medius.

De grauitate. Cap. XXIX.

Grauitas, est inter morositatem, & delectationem medium, quæ circa conuersationes. Morosus nanque est eiusmodi, vt nullius conuersatione, aut colloquio capiatur, sed (vt nomen ipsius indicat) à suo more. Nam morosus, quali aliorum mores improbandis, sibi que placens, est nominatus. Delectator autem talis, vt omnium velit habere conuersationem, & omnino, & omnifariam. Horum neuter laudabilis. At grauis, in medio istorum laudabilis. Neque enim erga omnes, sed erga meritos: non erga neminem, sed erga hos ipsos consuescit.

De verecundia. Cap. XXX.

Verecundia, est inter impudentiam, & stuporem medietas, in actionibus, colloquijsque constituta. Impudens est, qui vbique, & in omnes loquitur, & omnia vtcunque euenerint. At stupidus, seu attonitus, huic contrarius, & cuncta, & cunctos veritus, tam agendo, quàm dicendo solertiæ expertus: talis est, qui in cunctis obstupescit. At verecundia, & verecundus, inter hæc medium tenet locum: neque enim cuncta, & omnino (vt impudens) & dicit, & agit: neque porro (vt attonitus) in omni, & omnino trepidabit, verum ager, loqueturque, vbi, & quæ, & quando expediat.

De vrbantate. Cap. XXXI.

Vrbantitas, est scurrilitatis, & rusticitatis medietas: in salibusque committitur. Scurra siquidem est, qui cuncta, & omnino incessendum esse existimat. Rusticus verò, qui neque incessere vult, neque rectè incessum iri existimat, sed excandescit. Vrbanus, qui inter hos medius, neque omnes, neque omnino incessens, neque item ipse agrestis, ac durus. At erit duobus ferè modis vrbanus: nam & moderatè incessere percalluerit, & aliorum iaculationem tolerabit. Ita nimirum vrbanus, atque vrbantitas.

De amicitia. Cap. XXXII.

Amicitia, inter assentationem, & inimicitiam medietas, in actione, sermoneque versatur. Assentator nanque est, qui plura, quàm sit par, adfertque cuiuspiam, arrogat. At insensus inimicus, qui derogat etiam quæ adsunt. Quorum neuter iure laudandus accedit. Inter quos medius est amicus, quippe qui nec plura presentibus cuiquā astruit, neque, quæ minimè conueniant, laudauerit, neque econtrario imminuet, neque omnino aduerfabitur, præterquam existimetur tribuendum. Huiusmodi igitur est amicus.

De veritate. Cap. XXXIII.

Veritas, inter dissimulationem, & iactationem in oratione versatur, nō omni. Gloriosus nimirum est, qui plura, quàm adsint, sibi arrogat, aut scire fingit quæ non nouerit. Huic contrarius dissimulator, pauciora, & minora esse sua simulans, quæque nouit diffitetur, occultatque quæ cognoscit. Neutrum horum facit verus: neque enim plura, neque pau-

ciora, quàm quæ sibi affuerint, confinger, sed ea demum & esse sibi, & scire dicet, quæ teneat. Sint denique hæ ipsæ virtutes, an secus, alia fuerit consideratio. At quod medietates iam memoratorum, hinc certum est, quod qui ad hæc viuunt, laudibus exornantur.

De iustitia. Cap. XXXIII.

Consequitur vt iam de iustitia dicamus, quid sit, & in quibus, & circa quæ: si prius tamen quid sit iustum, exposuerimus. Est sanè iustum duplex: vnum quidem, ex lege. Iusta siquidem perhibent, quæ lex iubet. At lex, fortia, & temperata nos facere iubet; prorsusque cuncta, quæ ex virtutibus ducuntur. Et próinde iustitiam, perfectam quandam esse virtutem dicunt. Nam si iusta sunt, quæ lex facere præscribit, lex autem quæ ex omnibus virtutibus sunt, mandat, qui igitur ex lege iustus obtemperat, perfectam nanciscitur probitatem. Próinde iustus, & iustitia, virtus quædam perfecta est. Vnum itaque quoddam iustum in his, & circa hæc. Verumenimvero non id iustum, neque circa hæc peruestigant iustitiam. Hoc nanque modo iusta, quatenus per sese à iusto sunt. Nam temperans, & fortis, & continens, per sese est eiusmodi. Sed iustum indagamus, quod ad alterum refertur, aliud sanè, quàm quod dictum est ex lege iustum. Nam non est per sese esse iustum, quod in aduersus alterum iustis comperitur. Id nimirum est, quod quærimus iustum: ac circa hoc iustitiam. Quod agitur in alterum iustum (vt paucis absoluam) æquale est: nam iniustum inæquale. Cū enim bonorum maiora sibi asciuerint, malorum verò minora admiserint, id inæquale, & hoc modo iniustum, & afficere iniuria opinamur. Non dubium igitur, cū sit iniuria in rebus inæqualibus, quin iustitia, & iustum in fœderum æqualitate collocetur. Próinde certum est, iustitiam medietatem quandam esse inter excessum, atque defectum, & multum, & paucum. Cū enim iniustus afficiendo iniuria plus habeat, & affectus iniuria in afficiendo iniuria minus, tum horum medium iustum fuerit. Atqui medium æquale est: ergo æquale, pluris, & paucioris fuerit iustum, iustusque, qui æquale volet. Sed æquale in duobus saltem conficitur: ergo in alterum æquale esse, iustum est: talis demum fuerit iustus. Cū igitur iustitia, in iusto & in æquali, & in medietate, iustum quidem, in quibusdam iustum dicatur: æquale verò, in quibusdam æquale: necnon medium, in quibusdam medium, erit iustitia, & iustum, erga quosdam, & in quibusdam. Quoniam igitur iustum, æquale est: & huic proportionale, æquale iustum fuerit. Atqui proportionale in quatuor nihilominus perficitur. Nam quemadmodum a ad b, ita c ad d. Sicut proportionale est, vt qui multa possideat, proferat multa: ita qui paucā possideat, paucā proferat. Rursus eodem modo: qui plurimum al-laboret, plurima capiat: qui verò parum laboret, parum capiat. Vt autem laborans ad non laborantem habuerit, ita plurima ad pauca. Vt verò laborans ad plurima, ita non laborans ad pauca. Visus sanè est in libris de Republica Plato vt eiusmodi de iusto

iusto proportione. Agricola enim (inquit) cibum parat, ædificator verò domum: vt textor vestem, ita calceolarius calceum. Agricola igitur ædificatori cibū suggerit, & ædificator agricolæ domum. Ita & eodem modo cæteri omnes habent, & perinde quæ apud se, permittant in ea, quæ apud alios: est nanque huiusmodi proportio. Nam vt agricola calceolario, & textori, etiam aliis omnibus eadem inuicem inter ipsos est proportio, quæ continet totam Rempublicam, atque comprehendit, vt liceat nobis intueri, iustum proportionale esse: siquidem continet iustum Respublica, idemque est iustum, quod proportionale. At quoniam ædificator suo opere plura meretur, quam calceolarius præstet, difficile quoque est rependi contrà à calceolario aduersus ædificatorem: neque enim pro calceis par fieri domum capere. Hinc iam censuerunt, quò hæc omnia venalia sint, argento vti, quod numissima vocant: vt pro dignitate cuiuslibet, fiat inter ipsos inuicem contrahentes permutatio, quæ civilem communicationem contineat. Cùm igitur in his, & quæ proximè dicta sunt, iustum sit, erit iustitia circa hæc, cum defectu ex habitu impulsu nacta. Est verò etiam iustum ex altera parte respondens, non tamen vt aiebant. Pythagorici: rati nanque illi sunt, iustum esse, vbi quæ quis effecisset, eadē essent talionis vice ferenda, quod erga omnes nō est idem. Neque enim iustum, eadem seruo aduersus ingenuum ferre: quandoquidem si seruus ingenuum ceciderit, iustum non sit ex altera parte tantum cædi, sed impensius: iustumque est in proportione contrà respondendi. Nam quemadmodum ingenuus aduersus seruum melius habet, ita respondere factis aduersus qui fecerit. Itidem etiam ingenuo, aduersus ingenuum erit. Nec enim iustum est, vt qui oculum eruerit, ei tantum talionis pœna infligatur, sed multò plura ferat, proportionis cōsecutione: quandoquidem & cepit prior, & affecit iniuria. Atqui vtrinque illata iniuria est, & pròinde proportionale est, vt ob iniurias etiam plura ferat, quam fecerit, id iusti exigit ratio. Verum quoniā multis modis iustum dicitur, definiendum fuerit de quonam demum iusto sit nobis disceptatio. Est nimirum (vt perhibent) iustum seruo aduersus dominum, & filio aduersus patrem. In quibus equiuoco nomine, iustum civile dici videbatur. Est nanq; iustum (de quo nunc loquimur) civile iustum. Id propèmodum, in ipsa æqualitate positum. Communicantes nanque civiles nonnulli, natura quidem cōsimiles esse volunt, alii verò more. At filio erga patrem, & seruo erga dominum, ius vllum nō esse videbitur. Neq; enim puero meo aduersus me, neque manui, neque itidē alicui membro: similiter igitur habere videbitur & filius erga patrem. Nam quemadmodum membrum patris est filius, nisi iam virilem induerit ætatem, qua ab ipso separetur; tum enim in similitudine, & æqualitate est patri: sed ciuibus huiusmodi esse licet. Eadem de causa, ne quidem vernæ erga dominum, est iustum; domini nanque quiddam est verum. Cæterum si modò ei iustum sit aliquod, id iustum erga ipsum fuerit domesticum, quod in præsentia minimè indagamus, sed civile: siquidem in similitudine, & æqualitate, civile iustum videri debet. Præterea, in mulieris & viri communicatione, iustum

est ferè, quod civile iustum: deterius nanque est mulier viro, sed quiddam magis domesticum, & quodam modo magis æqualitatis particeps: & pròinde ipsorum vita cōmunicationis ferè civile est. Pròinde iustum etiam mulieri erga virum, præcipuum, quodam modo iam præ aliis civile est. Quoniam igitur iustum est, quod in civili communicatione positum: tam iustitia, quam iustus, circa civile iustum erit. Sed iustorum quædam natura, quædam lege sunt. Verum arbitrari ita oportet, ne putemus nunquam excidere quæ natura sunt, quæ sanè etiam mutationem subeunt: vt, inquam, si iaculari omnes semper sinistra annitatur, euademus scæuæ. Atqui à natura sinistra est: at dextra minus nihilò à natura potiora sunt sinistris, tamen cuncta sinistra, sicut & dextra, facimus. Neque quòd intercendant, ob hoc à natura non sunt: verum si vt plurimum, diuiniusque ita permaneant, & sinistra est sinistra, & dextra dextra, id quod à natura est. Idem in à natura iustis, si nostro vsu immutentur, ob hoc non à natura iusta non fuerint, imò equidem fuerint. Nam quod vt plurimum perdurat, id propalam iustum à natura est, quod verò nos constituamus, legèque sciscamus, id certè iustum, atque etiam ex lege iustum nuncupamus. Præstat igitur iustum, quod à natura est, illi, quod ex lege. Cæterum quod indagamus iustum, civile est: atqui civile, non natura, sed lege est. Sed iniustum, & iniuria, neutiquam idem prorsus ducendum est. Siquidem iniustum, lege definitur: veluti deposito quenquam fraudare, iniustum sit: at iniuria, vbi iniuste aliquid perpetretur. Itidem porrò iustum, ac (vt ita loquar) iustificatio, non est idem: nam iustum lege definitum est, cùm sit iustificatio, iusta causa faciendi. Quando igitur iustum, & quando non? nempe (vt paucis absoluam) cùm dedita opera, & sponte quis peregerit, (quid sponte sit paulò antè à nobis dictum est) & quando consultò, & in quem, & cui, & qua de causa, is iusta peragit. Itidem ac similiter erit etiam iniustus, qui consultò, & in quem, & cui, & cuius causa deli querit. At cùm horum nihil consultò, iniusti tamè quippiam commiserit, tum demum iniustus non est, sed infortunatus. Nam si patrem occiderit, se hostem ratus occidere, iniustum quidem commisit, & cùm neminè affecerit iniuria, egit tamen infelicitè. Quoniam igitur non afficere iniuria, vbi iniusta peragantur, id est in ignorando positum, hoc paulò antè differuimus: cùm neutiquam consultò quenquam offendit, neque cui, neque qua de causa factum est. Definenda quoque videtur ignorantia, quonam pacto per ignorantiam quem ledit, non afficit iniuria. Sit nimirum hæc definitio: Quando cunque perpetranti aliquid absoluta fuerit ignorantia, id non sit consultò, & pròinde ne quidem afficit iniuria. At cùm ipse suæ causa fuerit ignorantia, perpetranti que quippiam ex ignorantia, cuius ipse extiterit causa, is planè afficit iniuria, ac eiusmodi iure criminis arguetur: velut in ebriis euenit. Vino nanque meris, si quid mali perpetrarint, sine controuersia afferunt iniuriam: quandoquidem ipsi, sibi eius ignorantia causa extiterunt. Par enim fuit, ne tantum proluerentur, vt ignorantes caderet patrem. Idem in aliis est ignorantia, quæ ex ipsis gignuntur facientibus, vt qui per ipsas inferant iniuriā, sint iniusti. Quorū autem

autem non ipsi sunt causa, sed ignorantia, vt delinquant, neutiquam iniusti. Est enim uero eiusmodi ignorantia naturalis, velut nescii infantes patres cadunt. Hæc nimirum naturalis inscitia non facit, vt ab actione infantes dicantur iniusti. Ipsa siquidem hæc faciendi causa, est inscitia. Neque ipsi suæ sunt causa inscitia, ideo ne quidem iniusti dicuntur. Verum deferenda iniuria vt dicam, vtrum qui afficitur iniuria, sponte afficitur, an non? Iusta nanque, & iniusta, sponte agimus: at non sponte afficimur iniuria. Cruciatu siquidem deuitamus: & perinde non dubiū, quin non sponte afficiamur iniuria, quod vltro nemo lædi sufferat. Nam affici iniuria, nonne est offendi? Est ita. Cæterum sunt quibus licuit equale assequi, idq; aliis cōcedunt. Quod si æquale consequi, iustum fuit: & minus habere, iniuria affici, sponteq; minus habet, spōte ergo, ait, quis afficitur iniuria. Verum manifestū hinc porrò est, quòd ne sponte quidem. Nam cūcti, qui minus consequuntur, illius vice nanciscuntur aut honorem, aut laudem, aut gloriam, aut amicitia, aut aliud id genus. Verum qui vicena alicuius subit, cuiq; repeditur, pro eo, quod amittit, neutiquam afficitur iniuria. Quòd si iniuria non afficitur: ne quidem sponte ergo. Rursus qui minus assequuntur, & quatenus æquale non accipiūt, affecti iniuria, iidem nobilitati, & exornati hac de causa euadunt: quòd dicat, Aequale mihi capere licuit, at noluit: cessi equidem seniori, aut amico. Atqui affectus iniuria, exornatur nemo. Quòd si in illatis iniuriis nulla exornatio est, & in his exornantur deiectioni, hoc modo prorsus affecti non fuerint iniuria. Quòd si iniuria non subiiciuntur, ne quidem sponte afficiuntur iniuria. Interim in huiusmodi oratione, controuersari videmur incontinentibus: quandoquidem incontinentes nequiter agendo, se offendit, idq; sponte facit: consultò igitur se se ipse lædit: pròinde sponte ipse à sese afficitur iniuria. Cæterum hinc proposita definitio, hanc præpediet rationem. Est autem definitio, Neminem velle affici iniuria. At incontinentes, volens incontinenter agit: pròinde si ipse se afficit iniuria, vult ergo mala sibi infligere. Atqui vult nemo affici iniuria, pròinde ne incontinentes quidem ipse, sese spōte affecerit iniuria. Cæterum hinc fortassis, ambigat quispiam, nunquid accidat, vt sibi quisquā inferat iniuriam. In incontinentem siquidem iniecta consideratione videatur contingere, hoc nempe modo, si quæ agenda lex iubet, ea sunt iusta, qui non agit ea, iniuste facit. at si erga quem agendum iubeat, neutiquā erga eundem id egerit, ipsum afficit iniuria. Lex certè temperantem esse iubet, rem suā non obliuiscere, corpus procurare, ac id genus alia. Qui ergo hæc non peragit, se afficit iniuria: quòd quidem erga alium neminè, talium est affectio iniuriarum. Atqui hæc nunquam vera extiterint, vt contingat se quempiam afficere iniuria. Contingere enim qui potest, vt eodē tempore plus quispiam habeat, & minus: vi simul sponte, & inuitò agat quicquam. Siquidem qui afficit iniuria, quatenus afficit, plus admittit: iniuria affe-

ctus, quatenus afficitur, minus. Quòd si ipse sibi infert iniuriā, contigerit vt per idem tempus plus idem habeat, & minus. Verum hoc fieri nō potest. Non ergo se quispiam affecerit iniuria.

Rursus, qui afficit iniuria, sponte facit iniuriam: at affectus iniuria, inuitus fert iniuriam; Pròinde si contingat se quempiam afficere iniuria, contigerit simul & inuitò, & sponte quicquam agere. Id autem fieri non potest: ne quidem igitur ita contigerit, sibi quenquam inferre iniuriam. Rursus, si considerauerit quispiam particulares iniurias, nemo fit, qui non faciat iniuriam, aut deposito fraudando, aut adulteriū committendo, aut iurando, aut aliquod eiusmodi iniuriæ genus particulatim admittendo: nec tamen quispiam se vnquam deposito fraudauit, neque suam adulterio viciavit vxorem, neque sibi furatus est. Quòd si in huiusmodi est afficere iniuria, neque contingit horum quicquam aduersum se facere, ne quidem contigerit cuiquam se afficere iniuria. Sin secus, ea non fuerit civilis iniuria, sed domus administrationis, planèq; familiaris. Anima siquidem in plures distributa partes, vnā habet suam quidem deteriore, alteram verò meliorem: pròinde si quid in anima procreetur iniuriarum, id partium aduersum se inuicem est. Familiarem porrò iniuriam distribuimus in deteriore, ac meliorem, vt fiat aduersum se iustum, & iniustum. Verum id nos nō coniectamus, sed civile. Et pròinde in id genus iniuriis, quas nos demum peruestigamus, neutiquam contingit vt se quisquam afficiat iniuria.

At insuper vter afficit iniuria, & in vtro iniuria est, in eone, qui vtcunque iniuste possideat, an in iudicante, atque distribuente, veluti in certaminibus. Enimvero qui præmium à præside, atque hæc iudicante accepit, non ipse facit iniuriam, tamen ei iniuste tributum est: sed qui tulit iudicium, malèq; attribuit, is affecit iniuriam. Estq; vbi idem afficiat iniuria, & vbi non. Nam quatenus verè, & vt iusti natura postulabat, non iudicauit, eatenus affecit iniuria: quatenus verò eidem iustum esse visum est, neutiquam affecit iniuria. Quoniam de virtutibus, & quæ sint, & in quibus, & circa quæ, iam dictum est: de singulisq; quemadmodum si recta agamus ratione, sit optimum: ita nimirum ex recta ratione agere dicendo, est, vt si quis dixerit sanitate fieri optiam, salubria exhibedo. Id vtique minus aperitum, & pròinde aperito mihi quæ sint salubria. Idem valet in ratione, & tam quid ratio, quam quæ sit recta ratio nosse.

De duplici vi mentis, & vtriusque habitu.

Cap. XXXV.



Ermè fuerit necessarium, primum in quo ratio gignitur considerare. Paucis equidem de anima antea locuti, diximus animæ partē esse, quæ habeat rationem. Ea, inquam, pars vna animæ habens rationem, in duas est partes distributa: quarum vna quidem consultatrix, altera autem scientiæ indagatrix. Quæ quòd inter se inuicè distinguantur, ex subiectis facile fuerit intueri.

Nam quemadmodum inter se inuicem differunt colores, & succus, & sonus, & odor, itidem alios ipsi sensus Natura accommodauit. Sonum nanque auditu, succum gustu cognoscimus, & colorem visu. Similiter cætera eodem modo expedit coniectare. Quod porro alia sint subiecta, alias quoque esse animæ partes, manifestum est, quibus illa cognoscimus. Aliud siquidem intellectuale est, & sensibile aliud. Atqui subiecta illa, anima deprehendimus. Alia ergo pars fuerit, quæ circa sensilia, & alia, quæ circa intellectalia. Consultatrix autem circa sensilia, in motuque versatur, atque prorsus circa omnia, quæ in ortu, interiorumque sunt. Nam consultamus de eis, quæ in nostra sunt potestate, agendi, ac non agendi delectu, circa quæ consilium, ac propositum est agendi. Hæc nimirum sensilia, in motuque ad permutandum. Prorinde pars animæ ex ratione est propositrix, atque delectrix, sensibilis. His itaque definitis, deinceps de veritate dicendum fuerit. Quoniam de ipsa nobis est sermo, utque verum habeat, coniectemus. Est profecto scientia, prudentia, mens, sapientia, existimatio, & circa quod unumquodque istorum sit. Scientia igitur, circa id, quod sub scientiam cadit: quod cum demonstratione, ac ratione est explicatum. Prudentia verò, circa ea, quæ sub actionem cadunt, in quibus delectus, euitatioque, & in nobis agere, ac non agere est. Nimirum facientium, & agentium, non idem factibile, & actibile. Nam factibile, præter facturam finis superest aliud: sicut domificationem præter edificationem (cum sit domus effectrix) ipsius finis, præter facturam, domus est. Itidem in opificina, (ita enim nobis libet appellare, quam technicam Græci vocant) aliisque facturis. At in eis, quæ sub actionem cadunt, (practica vocantur Græci) præter actionem, nullus est alius finis: ut præter citharæ modulatum, finis non est alius: sed ad est finis, exercitium, & actio. Circa actionem itaque, & quæ in agendo posita sunt, prudentia: circa facturam, & quæ in faciendo posita sunt, ars: siquidem in faciendo potius, quam agendo, est artem exercere. Prorinde fuerit prudentia, diligendi, & agendi, quæ in nostra sunt potestate, habitus, tendente ad commodum ipsa quoque actione. Prudentia, virtus est, non (ut facile est intueri) scientia. Laudandi siquidem sunt prudentes: at laus, virtutis est. Item scientiæ quidem omnis virtus est: at prudentiæ, virtus non est, sed (ut apparet) id ipsum quiddam, virtus est. Mens porro, est circa principia intellectuum.

Scientia verò eorum, quæ sunt cum demonstratione. Atqui principia sunt indemonstrabilia, & prorinde non circa principia scientia est, sed mens. Sapientia porro ex scientia, mentemque constituitur. Est namque sapientia circa principia, ipsa quoque mentis particeps. At quatenus circa ea, quæ post principia sunt, cum demonstratione, scientiæ est particeps: & prorinde non dubium, quin sapientia ex mente, scientiamque constituitur. Prorinde circa ea versabitur, circa quæ mens, atque scientia. Existimatio est, qua in omnibus ferimur accipites, eane ita, an secus. Sed utrum prudentia, & sapientia idem est, an non?

Sapientia enim est circa ea, quæ cum demonstratione, quæque semper ita habent. Prudentia non de talibus, sed de his, quæ sunt in permutatione: quemadmodum rectum, inflexumve, & cauum, & talia, quæ sunt eiusmodi. At conferentia, eo non habent modo, ut non inter se inuicem permulentur: sed permulantur, ut nunc hoc conferat, quod cras non conferet: & huic liceat, huic autem non: atque hoc modo conferat. Atqui circa ea, quæ conferunt, prudentia est, non sapientia. Differunt ergo inter se prudentia, atque sapientia. Vtrum autem sapientia virtus est, an non? Hinc perspicuum est, ex ipsa certe prudentia virtutem esse. Nam si virtus est prudentia, partis nempe alterius, (ut diximus) quæ ex ratione sunt, estque prudentia, quam sapientia, deterior. Circa deteriora enim versatur: quandoquidem sapientia circa æternum, diuinumque, ut diximus, cum prudentia de hominis sit commoda. Quare si quod deterius virtus est: æquum etiam fuerit, quod melius est, esse virtutem. Non dubium igitur, quin sapientia sit virtus. Quid est autem, seu circa quod industria? Est nempe industria, in quibus & prudentia, circa ea, quæ sub actionem cadunt. Industrius siquidem dicitur, quatenus consulere recte aliquid, iudicare, ac perspicere potuerit circa pusillam, in pusillissimam, eius iudicium est. Igitur industria, atque industrius, prudentiæ, & prudentis pars: nec extra hæc. Neque enim industrii à prudente separaueris. Idem profecto & in astutia existimandum est. Nam astutia, & astutus non est quidem prudentia, neque prudens: quinimo prudens, astutus: tideo astutia sibi quodam modo ad seiscit prudentiam. Cæterum astutus etiam malus dicitur, quemadmodum Mentor astutus quidem fuisse visus est, non etiam prudens. Prudentis namque, & prudentiæ est, optima expectere, eaque semper sibi proponere, atque aditare: at astutiæ, & astuti fuerit, coniectare ex quibusnam demum fiant singula, quæ sub actionem cadunt, & quæ exhibenda. Astutus igitur in eiusmodi, ac circa talia esse videatur. Dubitauerit quispiam, & admirari potuerit, quod locuti de moribus, & deque; ciuili negotio, de sapientia dicamus. Nempe primum de hac re non videatur esse aliena consideratio, si (ut diximus) est virtus. Item philosophi est, de his demum coniectare, quæcumque in eodem fuerint. At necessarium, cum de his, quæ in anima loquimur, de omnibus dicere. Atqui est in anima sapientia, prorinde, alienum non fuerit de anima quoque dicere. Quemadmodum verò habet astutia ad prudentiam, ita de cunctis virtutibus haberi putandum est: velut, inquam, sunt virtutes, quæ Naturæ sunt singulis ingenitæ, tanquam impulsus quiddam ad fortia, ac iusta, in vnoquoque citra rationem: necnon de singulis erga eiusmodi possis cognoscere. Sunt autem tam consuetudine, quam proposito. At quæ cum ratione sunt, velut temperantia, aut fortitudo, quatenus sunt virtutes ut ingenitæ, laudabiles. Naturalis igitur virtus ea ipsa, quæ citra rationem, à ratione parum separata, & à laude parum deficiens, rationi, & proposito

posito adiuncta, perfectam efficit virtutem: ideo etiam cum ratione exercetur. Nec citra rationem, est ad virtutem naturalis impulsus: neque rursus ratio, atque propositum admodum perficitur, ut sit virtus citra impulsus naturalem. Ideo non recte Socrates sentiebat, cum diceret virtutem esse rationes. Proficeret siquidem nihil, agendo fortia, atque iusta, qui nesciret, ac rationi non proponeret. Et prorinde virtutem rationem esse, non recte aiebat. Sed qui nunc, melius. Nam iuxta rectam rationem honesta agere, virtutem esse perhibet. At ne ita quidem recte. Aget siquidem quispiam iusta, nullo proposito honestorum, nulla cognitione, sed irrationali aliquo impulsu. Recte verò hæc, & iuxta rectam rationem, velut, inquam, recta iusserit ratio, ita agat. Cæterum huiusmodi tamen actio nequam sub laudem cadit. Sed melius, ut nos definimus, cum ratione impulsus esse ad honestatem. Hoc namque virtus, etiamque sub laudem cadit. Vtrum prudentia virtus, an non? ambigere namque quispiam potuerit. Verum enim uero hinc esse virtutem, certum fuerit. Nam si iustitia, & fortitudo, cæteraque; virtutes, quod honestorum, quæ sub actionem cadunt, laudabiles accidant, non dubium quin prudentia quoque eorum sit, quæ sub laudem cadunt, quæque; in virtutis ordinem veniunt. Nam ad quæ fortitudo agenda commouetur, in eadem etiam prudentia, in totumque; ut ipsa præscribit, ita etiam agit fortitudo. Prorinde si hæc sub laudem cadit, ea faciendo quæ præscripserit prudentia, etiam sine cõtrouersia, prudentia sub laudem cadit, virtusque; est. Vtrum prudentia sub actionem cadit, an

non? licuerit hinc nosse cuius, spectando scientias, quemadmodum ædificaturam. Est namque in ædificatura, ut dici solet, vnus quidem quispiam architecton Græcè, (quem nos tum architectum, tum opificem nominamus) cui subministrat sese ædificator: is, domus est faber. Est sanè architectus, seu opifex, cuius præscripto ad domum extruendam se faber accingit. Idem in reliquis fabrilibus habet, in quibus est architectus, & eius cuiusvis minister faber, & architectus erit, & huius ipsius faber, ac minister. Si igitur eodem modo etiam in virtutibus habet, quod æquum, ac rationale: etiam prudentia sub actionem cadit. Quandoquidem virtutes omnes sub actionem cadunt, quarum prudentia tanquam architectus quiddam est: quandoquidem ut ipsa præscripserit, ita virtutes, & qui ex virtutibus agunt. Cum igitur virtutes sub actionem cadant, etiam sub actionem cadet prudentia. Vtrum omnibus quæ in anima, hæc imperat, ut censeatur, pariterque; ambigitur, an secus. Melioribus certe, ut sapientia est, imperare videri par non est: sed ea, ut dici solet, cuncta procurat, præscribensque; domina est. Cæterum forsitan, ut in ædibus habet Atriensis: is namque præest omnibus; dispensatque omnia, sed nondum idem imperat omnibus. Verum domino otium parat, ne is præpeditus rerum domesticarum necessitate, dissoluatur, quod minus honesti quippiam, & officiosi agat. Ita atque similiter prudentia, tanquam sapientiæ quiddam Atriensis, ei otium parat, ut suum peragat opus, affectus cohibendo, eosque temperando.

ARISTOTELIS STAGIRITÆ Magnorum Moralium, Liber Secundus,

Georgio Valla Placentino Interprete.

De Aequitate. Cap. I.



OST ea, quæ tradidimus, par videtur ut de æquitate differamus, quidque sit, & in quibus, & circa qualia. Est nimirum æquitas, & æquus, qui descripta legibus iusta dimittit, ac moderatur. Nā quæ legislator particulatim examinatè, ad vnguem definire non potest, sed in vniuersum loquitur, hic in eisdem intercedens, deligit quæ legislator particulariter quidem definire volebat, verum ei facere non licuit. Eiusmodi certe æquus, non omnino iusta diminuens: quandoquidem quæ natura, ac verè iusta sunt, non dimittit, sed ea duntaxat, quæ legislator deseruit, cum explere non posset.

De Modestia. Cap. II.



ODESTIA, ac modestus, est circa quæ & æquitas, nempe circa iusta, quæ omnia à legislatore, non satis ad vnguem definita sunt, ut iudex inueniatur eorum, quæ legislator omittit, certoque; cognoscit à legislatore prætermittit, quæ iusta sunt, is modestus est. Itaque non citra æquitatem, modestia. Iudicare siquidem, modesti: agere verò, ad iudiciumque; perducere, æqui fuerit.

De Promptitudine. Cap. III.



PROMPTITUDO est, circa quæ & prudentia, nempe circa ea, quæ sub actionem cadunt: quippe quæ circa propositum, & euitationem. Est sanè non citra prudentiam. Nam prudentia horum sub actionem cadens est: at promptitudo, habitus, seu affectio, vel quiduis huiusmodi, instructio optimorum,

& commodissimorum, eorum, quæ sub actione cadant. Et proinde promptitudinis ea videri non debet, quæ fortuito quoquo modo eueniât. Nam quibus ratio deest, quod optimum sit considerans, ubi quoquo modo eueniat aliquid, hunc promptum neutiquam dixeris, sed fortunatum. Nam quæ officia citra iudicantis rationem fuerint, felicitatis æquum est appellare. Sed nonne iusti est, colloquio, & conuersatione æquale cui libet attribuire, ut, inquã, qualis fuerit quilibet, talem effectum assequi, an non? Id certe assentatoris, & delectatis esse planè videatur. Cæterum iuxta cuiusque dignitatem attribuire colloquium, ac conuersationem, id iusti, & probi omnino esse videbitur. Dubitare etiã fortè quispiam potuerit, an iniuriam inferre sit offendere sponte, & scienter, & quempiam, & ut, & qua de causa. Est autem nocumentum, & iniuria, de bonis, ac circa bona. Afferens ergo iniuriam, & iniustus, cognouerit & qualia bona, & qualia mala sint. Id autem, ac talia percalle-
re, prudentis, atque prudentiæ est. Hoc modo fuerit absurdum, ut bonum ingens prudentia, comitetur iniustum. An existimandum non est, ut iniustum prudentia comitetur? Neque enim coniectat iniustus ac simpliciter, & eisdem bonum iudicare non potest, verum hallucinatur: cum prudentiæ suum sit, id inspicere ex sententia posse. Itidem ut in medicina aliud est, quod simpliciter salubre intuemur, quodque sanitatem efficiat, quod veratrũ, & elaterium, & sectiones, & exustiones salubres sint, sanitatemque prædant. Nec tamen ut hæc omnes, ita medicinæ habemus scientiam. Non enim particulare nouimus bonum, ut nouit medicus cuiuspiam hoc bonum, & quando, & qualiter affecto, in quo demum medicina scientia est. Salubria igitur simpliciter cognoscentes, necdum tamen continuò nos medicina comitatur scientia. Itidem iniustus. Quod igitur simpliciter est bonum, & tyrannis, & dominatus, & imperium nouit, verum sibi bonum, an secus, vel quando, vel quomodo affecto, neutiquam nouit. Id quod est in primis prudentiæ, & proinde iniusti comes, non est prudentia. Bona siquidem deligit, quibus afferat iniuriam, quæ certè bona simpliciter, non ipsi sunt bona: quandoquidem opulentia, & dominatus simpliciter bonum est, ipsi certè non fortassis bonum: nam qui imperat rerum copia affluens, multa sibi, amicisque nequiter facit, quando iure uti dominatu non potest. Hinc ambigendum, considerandumque videtur, sitne aduersus nequam iniuria, necne? Nam si in offensione iniuria est, & in priuatione honorũ offensio, neutiquam videri potest offendere. Siquidem quæ sibi esse bona arbitratur, bona non sunt. Nam dominatus, & opulentia nequam hominem offendunt, quod ipsi rectè uti non possit. Proinde si quæ aduentantia offendunt, ea bona abstulerit, afficere non videtur iniuria. Multis, eiusmodi oratio videbitur admirabilis. Omnes siquidem opinantur, se posse dominatu, & imperio, & opulentia uti, neutiquam rectè coniectan-

tes. quod ex legislatore certum est. Legis namque lator non omnibus suadet imperare, verum (ut dictum est) cui ætas, cui copia non defuerit ad dominandum: non autem omnem posse imperare. Quod si quispiam indignetur, se carere imperio, atque gubernatione, dixerit quispiam: Neque tibi ea est anima, vnde imperare, gubernareque possis. Corpore quidem cernimus aliquos sanescere non posse, simpliciter sibi bona exhibendo. At ne languori succumbat corpus, volens conualescere, aquam prius, & inediã exhibet. Ita qui nequam habuerit animam, ne quippiam mali exerceat, ei opulentia, & imperium, & dominatus, & omnino alia id genus, sunt auferenda: quanto mobilior mutabiliorque est corpore, anima. Nam quemadmodum improbum corpus quispiam sortitus, vitium debet sibi adhibere idoneum: ita improbam animam nactus, se viuendo reddere debet idoneum ad, quæ memorauimus, deuitanda. Hoc etiam ambiguum esse potest, ut cum non sit aliter agere fortiter, quam iuste, quando natura quis videatur acturus. In naturalibus quippe virtutibus, solum dicebamus impulsus sine ratione ad honestatem esse oportere. Ita nimirum est delectus in ratione, quodque rationem habeat, ut pariter capiat, & deligat. Virtutem perfectam esse dicebamus, quæ cum prudentia foret: non utique ad honestum citra naturalem impulsus, neque virtus virtuti aduersabitur. Agnatum namque habet, atque insitum, ut rationi obtemperet, ut ipsa præscribit, in quo agit eò declinet: qui namque sibi proponit, melior. Et ne quidem alia sine prudentia virtutes sunt, neque prudentia absque residuis virtutibus perfecta: verum inuicem sese coadiuant, comitantes prudentiam. At nihilò minus addubitet quispiam, nunquid ita in virtutibus habeat, quemadmodum in reliquis bonis, quæ externa, quæque in corpore? Hæc namque, cum fuerint eximia, deteriores efficiunt: sicut opum affluentia, elatos facit, & truculentos. Itidem reliqua bona, dominatus, honor, pulchritudo, magnitudo. Nunquid igitur & in virtute ita habet, ut si cuiuspiam iustitia, vel fortitudo fuerit exuberans, fiat deterior, an non? Cæterum à virtute quidem honor gignitur, qui, cum ingens fuerit, deteriores facit: & proinde virtus fecerit deteriores, cum maior euaserit. An id neutiquam verum? quandoquidem etsi sunt multa alia virtutis opera, quemadmodum sunt, id etiam in primis est, ut qui eis bonis muniatur, eisdem rectè uti possit. Si demum probus, aduentante ei vel honore, vel ingenti dominatu, ipsis non utetur, neutiquam fuerit probus: neque honor, neque imperium, probum fecerit deteriore, & proinde ne quidem virtus. In totum autem, quoniam à principio nobis determinatũ est, virtutes esse medietates, quodque magis sit virtus, eò magis erit medietas. Proinde quod sublimior virtus euadet, accedetque ad magnitudinem, non deteriore, sed meliorem efficiet. Medietas namque, inter excessum, defectumque; perturbationum erat medietas. Atque hæc igitur hætenus.

De Continentia, & Incontinentia.
Cap. IIII.



Einceptus aliud nobis sumendum est principium, de continentia, incontinentiaque dicturis. Quemadmodum fuerit alienum, has in virtutum, vitiorumque numerum redigere, ita de his futurum sermonem, alienum visum iri necesse est. Nec enim hæc virtus cæteris par est. In aliis siquidem eodem tendunt tam ratio, quam perturbationes, nec inuicem sibi aduersantur. At in hac, se inuicè oppugnant ratio, & affectus. Sunt nimirum in anima vnde mali esse dicamur, tria, vitium, incontinentia, feritas. De vitio igitur, ac virtute quid sit, ac in quibus, à nobis supra dictum est: modò de incontinentia, ac feritate dicendum.

De Feritate. Cap. V.



St autem feritas, quoddam vitium exuberans cum eousque nequã prorsus quempiam intuemur, ut ipsum non hominem, sed feram esse dicamus, sicut & vitium ipsum, feritatem. Huic virtus opposita, nominis expers est: quippe quod eiusmodi supra hominem, tanquã heroica quædam, ac diuina. Eò certè hæc virtus nominis expers, quod Dei virtus nulla. Præstantior siquidem, omni virtute Deus, ac non virtute probus: nam tum virtus, sit Deo melior: ideo nominis expers hæc virtus, quæ veritatis vitio opposita est. Desiderat nimirum diuina, & supra hominẽ, tali vitio oblectari: quod quemadmodum feritas vitium, hominem excedens euadit, ita ei opposita virtus.

De Incontinentia & Continentia.
Cap. VI.



De incontinentia, & continentia dicturis, expedit nobis quæ ambiguos & contrarios sermones admittunt, significare: ut ex dubiis orationibus considerando, & exquirendo veritatem, ad id, quod perspicendum est, perueniamus. nam tum demum ita verum scrutari poterimus. Senex igitur Socrates tollebat prorsus, ac negabat esse incontinentiam, dicendo, neminem esse, qui mala faciẽda, sciens esse mala, deligeret. Atqui incontinentens, videtur sciens mala deligere: agi namque à perturbatione. Hac ratione incontinentiam esse non existimauit, nequaquam rectè. Alienum namque sit, hac ratione persuasos, quod factũ est persuasibiliter extinguere. Incontinentes siquidem sunt homines, & iidem malorum periti. Veruntamen ea perpetrant. Quoniam igitur incontinentia est: nunquid incontinentens aliquam habet peritiam, qua inspiciat, exquiratque; mala? At id, non visum fuerit cuiuspiam: quadoquidem alienum sit, quod in nobis potentissimum, firmissimumque est, vi ab aliquo superari: siquidem scientia, omnium, quæ in nobis, firmissima, & nulli est obnoxia violentiæ: & proinde hæc ratio aduersatur, quò minus credatur esse scientia.

Cæterum nunquid scientia quidem non est, sed opinio? At si habet incontinentens opinionem, vituperandus non accedet. Nam si mali aliquid, non admodum præuidens, planèque cognoscens, sed opinatus agat, venia dignus videatur, quod voluptate agendi mala, non admodum male esse cognouerit, sed tantum fuerit opinatus. At quos venia dignos esse censemus, eos neutiquam reprehendimus. Et proinde si opinionem habet incontinentens, vituperandus non erit. Atqui vituperandus est. Huiusmodi rationes ambiguitatem obiciunt: quandoquidem quæ scientiam esse negauerunt, absurdum quiddã euenire compellunt: & quæ ne opinionem quidem, pariter aliena euenire ostendunt. Verum & dubitauerit hæc quispiam, quod quia temperans, & continens esse videtur, temperantia futuræ sint vehementes cupiditates? Quod si continens erit, vehementibus agi cupiditatibus opus fuerit. Neque enim continentem dixeris, qui mediocres compefcatur cupiditates. Quod si vehementes cupiditates non habeat, ne quidem temperans erit. Neque enim temperans, qui nullo modo agitur à cupiditatibus. Ambiguitatem quoque talia mouent. Contingit siquidem exinde rationibus, incontinentem quandoque fore laudabilem, & vituperabilem continentem. Sit namque quispiam, inquit, ratiocinio hallucinatus, ut ratiocinanti, quæ honesta sint, mala videantur, ac cupiditate ad honesta ducatur. Ratio quippe agere non permittit: at cupiditate allectus, agat. Atqui talis, est incontinentens. Aget ergo honesta: cupiditas namque in talia adducit, sed ratio prohibebit: ratiocinio siquidem honestorum hallucinabatur. Is igitur incontinentens quidem erit, veruntamen laudabilis: nam quatenus honesta peragit, laudabilis: absurdũ id profectò euenit. Rursus hallucinetur interim ratiocinio, & honesta, ei minimè honesta esse videantur: at cupiditate ad honesta ducatur. Contingit nimirum est concupiscens quidem, sed non peragens id ob rationem. Itaque ratiocinio hallucinatus honestorum, prohibebitur agere quæ concupiscit: prohibebitur ergo honesta agere, ad hæc siquidem adduxit cupiditas. Verum cum honesta agere oportuerit, non agens vituperandus accedit. Ergo continens quandoque erit vituperandus, id, quod valde dictu absurdum contigerit. Incontinentia, & incontinentens, in cunctis, & circa cuncta, sicut circa pecunias, & honorem, & iram, & gloriam: nam circa hæc omnia existimantur, vel esse, vel non esse incontinentes. Verum circa quid sit definita incontinentia, addubitauerit quispiam. Hæc igitur sunt, quæ faciunt dubitationem. At ambiguitates soluere, necesse est. Primum igitur quæ de scientia habita est dubitatio, ita diluenda videatur: nimirum, esse absurdum, scientiã habere, & ipsam eiicere, vel intercidere. Eadem de opinione fuerit oratio: nihil siquidem refert, sitne opinio, an scientia. Nam si vehemens fuerit opinio, quatenus stabilis est, & credulitate inconcussa, à scientia non differt, credendo ita habere, ut existimant si habeant opiniones, sicut Heraclitus Ephesus

tallem habuit, de quibus opinabatur, opinionē. Alienum utique nihil incontinenti, siue habeat scientiam, siue opinionem, qua dicimus flagitium aliquod committere. Est quippe scire duplex: Vnum quidem, habere scientiam. Nam tum demum scire quempiam dicimus eam rem, cuius teneat scientiam. Alterum verò, ipsam exercere scientiam. Incontingens igitur est, qui honestorum tenet scientiam, sed eam non exercet. Cùm igitur hac non exercetur scientia, nihil eueniet alienum, committere flagitium ipsum qui teneat scientiam. Est enim quemadmodum in dormientibus. Isti siquidem, cùm habeant scientiam, multa tamen in somnis molesta & perpetrant, & perpetuantur: neque enim scientia tum exercetur. Idem est de incontinentibus: euenit siquidem ut dormienti, non exercere scientiam: & pròinde soluitur dubitatio. Fuerat siquidem dubitatum, nunquid scientiam incontinentens eiiciat, eade intercidat: quandoquidem vtrunque videbatur absurdum. Cæterum hinc fuerit rursus manifestum, quemadmodum diximus in Analyticis, ex duabus fieri syllogismum propositionibus: earumque primam vniuersalem, secundam, quæ sub illa, particularem: veluti, scio omnem hominem febricitantem, sanum facere: atque hic febricitat, scio igitur & hunc sanum facere. Est ergo vniuersali quidem scientiæ, scio deputatum: alteri verò particulari: non est igitur, ut etiam tum scientiam habenti fiat hallucinatio, velut hominem febricitantem sanum facere: si hic itaque febricitat, quem non nouerim. Itidem igitur de incontinentibus, qui habeat scientiã, idem error eueniet. Contigerit enim incontinentem in vniuersum habere scientiam, ut talia sunt improba, & perniciofa: nec tamen hæc ipsa, particulatim nosse improba. Pròinde ita habendo scientiam aberrabit: quandoquidem in vniuersum habet, non etiam particulariter. Non itaque hoc modo fuerit alienum, ut incontinentens habendo scientiam, mali aliquid agat. Est enim sicut in ebriis, a quibus, cùm excelsit ebrietas, & ad sese redierunt, non excidit ipsis ratio, nec quidem scientia, quæ sub ebrietate delituerat, fueratque; prostrata: deinde ab ebrietate immunis, rursus fit qui prius erat. Ita habet incontinentens. Perturbatio enim cohibedo, ratiocinium sepelit. Cùm verò à perturbatione fuerit liberatus, ut qui ebrius, rursus in sese redit. Est & quædam alia de incontinente, quæ dubitationem faciebat, oratio, vbi laus incontinentem sequebatur aliquando, & continentem vituperatio. quod neutiquam euenit. Neque enim continens, aut incontinentens, qui ratione falsus est, sed qui recta institutus ratione, qua tam mala, quam bona discernit. Incontinentens quidem, qui & eiusmodi ratione non persuasus est: sed continens, qui persuasus, ab ipsis non agitur cupiditatibus. Neque enim cuiuscunque videtur patre cedere, turpe esse: sed qui cedere concupiscit, & abstinet, is continens est. Pròinde si in iis neque continentia, neque incontinentia, ne quidē laudabilis fuerit incontinentia, ut neque vituper-

bilis continentia, quemadmodum videbatur.

Sunt nimirum incontinentiarum alia quidem valetudinaria, naturales alia. Valetudinaria eiusmodi, ut eorum, qui discernunt capillos, & manducant. Quod si quispiam huic imperet voluptati, non continuo laudabilis est: neque vituperabilis, quatenus non imperat, aut non admodum probabilis. Naturales autem, ut in iudicio conuictum olim aiunt filium, quod patrem cæcidisset, defendisse, quod is patrem quoque suum cæcidisset, aufugissetque. Naturale etenim in iudicibus fuisse crimen visum est. Quod si quis à cædendo patre se continuerit, non continuo laudabilis. Et ne nos quidē eiusmodi nunc incontinentias, & continentias querimus, sed quibus vituperandi accedunt, atque simpliciter laudandi. Bonorum certè quædam sunt externa, ut opulentia, dominatus, honor, amicitia, gloria: quædam circa corpus necessaria, ut tactus, & gustus. Qui ergo circa hæc incontinentens, is incontinentens simpliciter esse videatur, & ut corporalis: & quam querimus incontinentiam, circa hæc esse videbitur. Ambigitur quoque, circa quidnam sit incontinentia. Circa honorem, non est simpliciter incontinentens. Laudatur enim quodam modo, qui circa honorem incontinentens: nam honoris amans videtur. In totum autem dicimus, & in eiusmodi ponendo incontinentem, circa honorem, aut gloriam, aut iram esse incontinentem. Verum simpliciter incontinenti non accomodamus circa quæ, ut ei adsit manifestum aliquod sine appositione eius, circa quod sit. Est enim ferè circa voluptates, & agridines corporis, incontinentens. Hinc manifestum est, circa hæc versari incontinentiam. Nam quoniam incontinentens vituperabilis, subiecta esse oportet vituperabilia. Honor igitur, & gloria, & dominatus, & pecuniæ, & circa quæcunque talia dicuntur incontinentes, sub vituperationem non cadunt: at corporis voluptates, vituperandæ. Ideo non iniuria qui circa has magis, quam sit par, versatur, is incontinentens prorsus dicitur. Verum quoniam incontinentiarum, quæ circa alia versari dicuntur, quæ circa iram, maximè reprehendenda incontinentia. Vtrum magis reprehendenda est, quæ circa iram, an quæ circa voluptates? Est igitur quæ circa iram incontinentia, similis pueris ad subministrandum promptis. Hi namque cùm dixerit dominus, Cedo mihi: promptitudine erecti, antè, quam audierint quid sit subministrandum, inter suggerendum hallucinantur. Sæpe enim liber fuit exhibendus, & graphium dedere. Itidem incontinentens, iræ succubit. Cùm primùm enim audierit verbum, quod quispiam affecit iniuria, ira ad vlciscendum insultat, neutiquam patiens audire, expediãtne, an non, vel non ita vehementer. Huiusmodi igitur ad iram impulsus, quæ iræ deputatur incontinentia, non admodum videtur incessenda. At ad voluptatem impulsus, sub reprehensionem cadit. Sunt namque distincta in ipsa, ob rationem quæcunque auertunt ne agatur aliquid: & tamen ob rationem agitur. Ideo magis est, quam per iram

iram, reprehendenda, incontinentia voluptatis: quandoquidem per iram incontinentia, ægritonia est. Nemo siquidem stomachatus non ægrefcit. At ex concupiscentia, cum voluptate. Ideo magis vituperabilis, quod ex voluptate incontinentia, abesse à conuictio non videtur. Vtrum verò tolerantia, & continentia idem est, an non? Nam continentia, necnon continens circa voluptates est, ipsas coercendo: at tolerantia, circa ægrimonias, siquidem patiens, ac sustinens ægrimonias, is tolerans est. Rursus incontinentia, & mollities, idem non est. Mollities siquidem, & mollis, est succumbens laboribus, non certè omnibus, sed quos alius aliquis necessariò duxerit sustinendos. Incontinentens verò, qui voluptates sustinere non possit, sed remollescens ab eis agatur. Est porro quispiam intemperans appellatus: nunquid igitur intemperans, idem quod incontinentens, atque ipse idem incontinentens, quod intemperans? Nempe intemperans eiusmodi est, ut quæ agit, eadem & optima, & commodissima sibi esse arbitretur: nec ullam habet rationem, quæ eius videatur aduersari voluptatibus. At incontinentens habet rationem, quæ aduersatur ei, quatenus cupiditate agitur. Vter autem curatu facilius, intemperans, an incontinentens? Certè intemperans curatu facilius videatur. Nam si ratio ei aduenerit, quæ mala esse doceat, ipse non operabitur. At incontinenti non deest ratio, & tamen agit mala: pròinde huiusmodi, incurabilis esse videbitur. Cæterum vtrum deterius afficitur cui nihil adest boni, nec quod per illud existit, quam ille, cui quod honore præcellit, male affectum est? Est nimirum incontinentens, qui bonum obtinet, rectam rationem, cùm intemperans non habeat. Cùm ergo ratio vtriusque principatum obtineat, incontinentis honoratissimum principium præstò est, quod ab intemperante abest. Ergo incontinente, intemperans deterius habet. Rursus, ut supra mentionem fecimus de feritatis vitio, non est ipsam in fera spectare, sed in homine. Feritatis siquidē nomen adeptum est id vitium, ob singularem improbitatem. Sed cur in fera nihil? nempe quod improbum in fera principium non sit. Est siquidem ratio principium. Quis verò improbius, flagitiosiorque; fuerit, incertum est, Leone, an Dionysius, an Phalaris, an Clearchus, vel horum quispiam insignis cuiusdam immanitatis. Certum autem est, malum in his principium, illustria facinora coniectasse: at in fera nullum prorsus est initium. Ita igitur improbum est, in ipso intemperante principium. Nam quatenus quæ mala sunt committit, etiam ratio ei adstipulatur, censetque; ea esse peragenda, quia improbum in ipso est principium. At in incontinente, sanum principium esse, ut hinc melior incontinentens intemperante esse videatur. Sunt etiam incontinentia, binæ species. Vna quidem prorumpens, & improuisa, & cõfestim proueniens: velut cùm speciosam viderimus mulierē, & cõfestim afficiamur, & ab affectu erupit impulsus ad aliquid perpetrandum, quod fortasse non ex-

pediat. Altera verò, velut quædam imbecillitas, quæ cum ratione insurgit auertente. Prior igitur non admodum sub reprehensionem cadere videbitur: quandoquidem etiã virtutis studiofis potest euenire, calidis, & ingeniosis. Secunda autem, frigidis, & melancholicis: tales nimirum reprehendendi. Rursus, videas aliquem præoccupantem, quod speciosa mulier obiiciatur, non affici. Cõuenit igitur se cohibere. Nam qui eiusmodi ratione præuenerit, ex obuia visione incontinentens non cõmouebitur, nec turpe quicquam ager. Verum qui ratione cognouerit indecens aliquid, ad idque; voluptate delabatur, & remollescet, is multò magis reprehendendus. Neque enim probus vnquam, eiusmodi fuerit incontinentens. Ratio nanque præueniens se, non permiserit, dux siquidem ea, in ipso probò existit. Cui non obtemperat improbus, sed voluptati deditus & remollescet, & quodam modo effeminatur. Vtrum verò temperans sit continens, quod supra fecimus ambiguū, nunc differamus. Est igitur temperans, & continens: nam continens, non solum est præsentis cupiditates cohibens, verum etiam talis, ut si nullæ adsint cupiditates, ita instructus, ut eas possit cohibere. Est autem temperans, qui nullas habeat cupiditates malas, recteque; rationi circa hæc insistat: at continens, qui malas habeat cupiditates, & aduersum ipsas rectam rationem. Pròinde temperantem continens comitatur, eritque; temperans continens. Si quidem temperans non afficitur, cõtinens verò afficitur quidem, sed compefcit affectus, quatenus afficitur. Temperanti autem istorum est neutrum: ideo continens, temperans non est. Vtrum intemperans incontinentens, an incontinentens intemperans, aut neuter alterum comitatur? Incontinentens enim est, cuius ratio perturbationes oppugnat: at intemperans, nõ huiusmodi, sed qui mala agit, simulque; incontinentens adstipulantem habet rationem. Nõ itaque intemperans, qualis incontinentens: neque incontinentens, qualis intemperans. Præterea, improbius incontinente est intemperans. Curatu enim difficiliora, quæ naturalia, quam quæ ex consuetudine gignuntur. Ob hoc siquidem valida esse videtur consuetudo, quod Naturæ insideat. Intemperans igitur eiusmodi, cuiusmodi quispiam natura est: ob hoc, & hac de causa, in ipso improba ratio est. Neque talis est incontinentens, quia ne quidem ratio eiusmodi, non proba. Oportuit namque; ipsam esse improbam, si foret natura, qualis est improbus. Incontinentens igitur, consuetudine malus esse videbitur, ut natura, intemperans. Curatu namque; longè difficilior intemperans: quandoquidem consuetudo, consuetudine exploditur, at natura à nemine extrudi potest. Vtrum autem, cùm sit incontinentens eiusmodi, ut norit, & nõ cedat rationi, sitque; prudens huiusmodi, ut recta ratione singula perpendat, acciderit ut incontinentens sit prudens, an nõ? Ex his enim, quæ dicta sunt, ambigere quispiam potuerit. Verum si quæ à nobis antea dicta sunt, suscipere voluerimus, non erit prudens incontinentens. Dicebamus namque; prudentem esse, non

qui recta ratio modò inesset, verùm etiam quæ ex ratione optima videretur, & pròinde incon-

De voluptate. Cap. VII.



ost hæc de voluptate differendū est, cùm de felicitate sit nobis oratio. Felicitatem arbitrantur omnes, aut voluptatem esse, & vitam delectabilem, aut non citra voluptatem. Nempe voluptatem

medendo, & bibendo voluptates, ortus dici possunt. Verùm hallucinantur, qui has voluptates ortus esse perhibent. Putant siquidem, quoniam prolatis rebus gignitur voluptas, ob hoc ortum esse, sed non est: quandoquidem est pars animæ quædam, qua oblectamur: simul prolatis, quibus indigebamus, rebus, ea pars animæ, quatenus exercetur, & mouetur, oblectatur. Atqui motus ipsius, & exercitium, voluptas est: quod cum prolatis rebus ea pars animæ exercentur, aut propter ipsius actionē, ortum esse censent voluptatem, quòd certa sit rerū prolatio, animæ tamen pars, incerta: pèrinde atq; si quis hominem esse opinetur corpus, quod id sub sensum cadat, non autem animam: verùm est anima. Itidem & in hoc. Est namq; pars quædam animæ, qua oblectamur, quæ, simul atq; res prolata sunt, exercetur: ideo nulla voluptas est ortus. Verùm & conuersio (inquiunt) in naturam, quæ sub sensum cadit. Nam non conuertentibus sese in naturam, voluptas est. Siquidem conuertendo naturæ egestatem, fit eius exaturatio. At (vt diximus) est, vt nulla egestate fiat oblectatio. Siquidem egestas, ægritudo. At citra ægritudinem, dicimur oblectari: & pròinde non fuerit voluptas, egestatis conuersio. Indignum namque in huiusmodi voluptatibus nihil. Pròinde si ideo quòd ortus est, voluptas bonum esse non existimetur, nullaq; est voluptas ortus: bonum vtique fuerit voluptas. Sed propterea quòd nō omnis (inquiunt) voluptas bonum, quispiam id depræhenderit, hoc pacto: Nam quia bonum in omnibus dicitur esse prædicamentis, nempe in essentia, & in ad aliquid, & in quanto, & quando, ac in totum in omnibus: illud quoque manifestum, per omnia voluptatem aliquam comitari. Pròinde quia in omnibus prædicamentis est bonum, etiam voluptas fuerit bonum. Et pròinde quoniam in his quidem per se bona, etiam voluptas fuerit per se bonum. † Atqui à bonis voluptas, est voluptas: bonū ergo fuerit omnis voluptas.] Simul certum hinc etiam differre inter se specie voluptates, quandoquidem differunt etiam prædicamenta, in quibus est voluptas. Neque enim est, quemadmodum in scientiis, vt grammatica, vel quacunque alia. Nam si habeat quis splendide grammaticam, itidem afficitur qui sub ea grammatica grammaticus, eo modo, quo & alius, qui habeat grammaticam: & propterea non differunt grammaticæ, quæ in splendido, quæque in obscuro. At in voluptate, non ita. Nam quæ ex ebrietate voluptas, & quæ ex copulatu, non eodem modo afficiunt: quam ob rem specie inter se distingui videbuntur voluptates. Cæterum quia sunt & malæ voluptates, etiam ob hoc voluptas bonum non esse videbatur. At id, voluptatis minimè proprium iudicium est, sed naturæ, atque scientiæ. Nam est & natura mala, sicut vermium, & crabronum, ac prorsus vilium animalium: nec tamen ob hoc, natura malorum. Eodem modo habent & malæ scientiæ, sicut sedentariæ: nec tamen ob hoc, malum scientia est, sed genere bonum tam scientia, quam natura. Nam, quemad-

Quocirca quoniam in quibus bonis, in eisdem ut voluptas, nec non à bonis prodeat voluptas, plures fuerit quæ voluptas bonum.

quemadmodum statuarius inspiciendus non est, qualis quispiam sit, ex eo quòd euenerit malè exerceri, sed quòd bene: ita ne quidem scientiā, naturamve, aut quippiam aliud, quale sit, ex malis, sed ex probis. Itidem ergo, voluptas quoque genere bonum est. Quòd verò sint & malæ voluptates, ne nos quidem latet. Nam sunt etiam diuersæ naturæ animalium, bona, & mala: sicut hominis quidem, bona: lupi verò, vel cuiusuis alterius feræ, mala. Similiter equi natura, altera quam hominis, & asini, & canis. At voluptas, conuersio est ex eo quòd contra naturam, in naturam cuiuslibet suam: pròinde & hoc fuerit suauissimum. Atqui improbæ naturæ improba voluptas est. Neque enim equo quod homini, & ne quidem aliis. At quoniam diuersæ naturæ, sunt diuersæ quoque voluptates. Nam voluptas, conuersio est, & conuersio (inquiunt) in naturam infidet. Pròinde & malæ naturæ, mala conuersio est, vt proba proba. Qui porrò voluptatem probam esse contendunt, eo afficiuntur modo, quo qui nescientes nectar, deos vinum potare existimant, nihilque esse eiusmodi peculiare putant: ex incitiis in id delabuntur. His similes sunt, qui cunctas voluptates ortus esse asserunt, & neutiquam bonum. Nam quòd alias voluptates ignorent, præter eas, quæ corporis sunt, eas ducunt ortus esse, nec bonas, in vniuersum non rentur voluptatem esse bonum. Quoniam igitur est voluptas, & conuersæ naturæ, & conuertentis: conuersæ quidem, ex egestate ad expletionem: conuertentis autem, quæ à visu, & auditu, & id genus aliis: meliores fuerint conuertentis naturæ actiones. Voluptates namque vtrovis modo dictæ, sunt actiones. Pròinde non dubium, quin à visu voluptates, & auditu, & intelligentia, sint longè optimæ. Cùmque sub corpus cadunt, ab exaturatione procreantur. Rursum id dicebatur, quod ne quidem bonum. Siquidem quod in omnibus sit, & commune omnibus, non bonum. Id certè in honoris cupido, & honoris cupiditate, magis proprium est. Honoris siquidem cupidus, solus vult habere, & illo cæteros anteire. Voluptatem igitur, si ipsam per se bonum esse oporteat, essene eiusmodi conuenit, an non? Atqui etiam cōtrario modo. Ob id namque bonum esse videatur, quod cuncta expetant. Agnatum enim cunctis, bonum expetere. Et pròinde si cuncta voluptatem expetunt, genere bonum fuerit voluptas. Rursum, quòd sit impedimentum voluptas, ipsam bonum esse negauerunt, impedimentum esse asserendo: quod non rectè videantur considerare. Neque enim ad res transigendas est impedimentum, si qua sit alia, impedimentum: vt ebrietatis voluptas agere inhibuerit. Cæterum ita etiam scientia scientiæ, fuerit impedimentum. Nam non est, vt simul vtranque exerceas. Sed cur non bonum scientia, si voluptatem ex scientia excitari? & vtrum impedimentum sit, an ne? Cæterum multò magis agget voluptas: namq; ad magis agendum, inde suscitata impellit: quia probum faciendo, agit quæ ex virtute, & ea suauiter agit. Nunquid multò etiam magis quæ ad actionem pertineant, exer-

cebit? Ac si oblectatus egerit, probus erit: sin tristatus honesta prosequatur, non probus. Aegritudina namq; in eis, quæ ex necessitate est. Pròinde si quispiam egrescat honesta prosequendo, coactus peragit: qui autem à necessitate agere compellitur, non probus. Cæterum non est vt tristetur, vel oblectetur, quæ ad virtutem pertineant prosequendo, nec aliquod mediū est. Cur? nempe quòd virtus in affectu, affectus verò in ægritudine, & voluptate: nec quicquam in medio positum est. Non dubium igitur, quin virtus cum ægritudine, vel voluptate sit. Si quis igitur mæstus honesta prosequatur, non bonus. Pròinde non fuerit virtus, cum ægritudine: cum voluptate ergo. Tantum ergo abest impedimentū, vt etiam ad agendum exhortetur. In totumque non contingit, vt sit citra voluptatem, quod ab ipsa procreatur. Alia fuit oratio, quòd nulla scientia faciat voluptatem. Ne id quidè verum est, Coniuuorū namq; structores, & coronarū, nec non vnguentarii, voluptatis sunt effectores. Cæterum aliis scientiis nō est voluptas vt finis, sed cum voluptate, nec citra voluptatem. Est igitur etiam scientia, voluptatis effectrix. Rursum etiā aliter dicebatur, quod non optimum. Verùm hoc modo, atque hac ratione, singulas ieris perditum virtutes. Siquidem fortitudo, optimū nō est. Nunquid igitur ob hoc non bonum? An id absurdum sit? Itidem & in aliis, quòd voluptas, quia non optimū, non esse videatur bonum. Dubitauerit autem quispiam, per virtutes transiens huiusmodi, vt quia ratio quandoq; imperat affectibus, (de continente enim hoc dicebamus) & econuerso affectus imperant rationi, vt euenit incontinentibus: quia (inquam) expers rationis pars animæ, vitium admittendo, imperat rationi bene dispositæ, (talis siquidem incontinentis) & ratio similiter mala: quam ob rem ipsa quoque bene dispositis perturbationibus imperabit, suam virtutem continentibus. Hoc si ita, euenerit abuti virtute. Improba namque ratione affectus, virtutem vsurpando, ipsa abutetur. Hoc nimirum absurdum, euenire videbitur. Tali sanè dubitationi, facile ex eis, quæ à nobis antè de virtute dicta sunt, est occurrere, atque refellere. Tum demum namq; virtutem esse dicebamus, cùm ratio bene affecta, perturbationibus suā virtutem habentibus fuerit moderata, nec non perturbationes rationi consentaneæ. Ita namq; affecta, inter se inuicem consentient, vt ratio, quod optimum sit, semper præscribat: perturbationes verò facile bene dispositæ, id exequantur, quod ratio perscripserit. Si ratio igitur malè fuerit affecta, perturbationes verò non bene, non fuerit virtus, deficiente ratione: nam ex vtroque virtus. Pròinde nō contigerit virtute abuti. Simpliciter verò non (quemadmodum alii opinantur) dux, ratio virtutis est, atque principium, sed potiùs perturbationes. Ad honestum namq; impulsus quendam oportet primò innasci irrationalem, qui producatur, atque ita pestremò rationē esse discernentē, atq; constituentē. Quòd sanè viderit quispiam ex pueris, & rationis expertibus animantibus. In his namque sine ratio-

ne, perturbationum impulsus exoriuntur primò ad honestum: mox posterior adueniens ratio, & constituens, honesta agere exhortatur. Sed non si à ratione ad honesta ceperit principium, perturbationes consentientes comitantur: verùm sæpenumero controuersantur. Quã ob rem potius conuenerit, perturbationem ad virtutem anteire bene affectam, quàm rationem.

De Fortuna. Cap. VIII.

Interea dicendum de prospera fortuna est, posteaquam de felicitate nobis est oratio. Arbitrantur nanque multum felicem vitam, fortunatam esse, vel non esse citra Fortunam. Et forte non iniuria. Absque enim exteris bonis, quorum domina fortuna est, felicem esse non contingit. Idcirco de secunda fortuna nobis dicendum, nec non quis prorsus sit fortunatus, & in quibus, & circa quid. Primùm igitur ad hæc quispiam accedens, spectansque dubitauerit, quandoquidem non dixerit fortunam esse, ut natura est. Semper enim causa cuius est natura, eius ut plurimùm eodem modo est effectrix: at fortuna nunquam, verùm temerè, & sine ordine, ac ut fors tulerit. Ideo fortuna in eiusmodi esse dicitur, ubi neque mens vlla, neque recta ratio est. Nam ubi id, nihilò minus est quicquam ordinatum, ac est semper eodem modo: non ita fortuna. Idcirco ubi mens plurima, ac ratio, ibi fortuna minima: ubi plurima fortuna, ibi mens perexigua. At nunquid secunda fortuna est, ut deorum quædam cura, an id minimè videri debet? Talium siquidem dominum præficiamus Deum, ut bona, malaque, meritis distribuat. At fortuna, & quæ à fortuna, tam verè, quàm ut fors tulerit, fiunt. Quod si huiusmodi distributori Deo adscripserimus, malum ipsum iudicem faciemus, neque iustum: id nefas Deo deputare. Cæterum præter hæc, ad nihil aliud fortunam quispiam ordinarit. Pròinde, non dubium, quin horum aliquid sit: mens certè, ac ratio, nec non scientia, prorsus alienum ab hoc esse videatur. Præterea neque cura, neque beneuolentia, quæ à Deo, videatur esse felicitas, quoniam malis attribuitur. Atqui Deum, malorum curam habere fas non est. Reliquum igitur, & maximè peculiare prosperæ fortunæ, natura est. Est nimirum prosperitas, ipsaque fortuna, in his, quæ in nobis non sunt, neque eorum, quorum ipsi sumus domini, quæque possimus efficere. Ideo iustum, quatenus iustum, nemo fortunatum dicit: & ne quidem fortem, nec prorsus quenquam alium virtute præditum. In nobis siquidem est, hæc habere, vel non habere. Sedenim in talibus magis peculiare ac suum, dicimus fortunam, & prosperitatem. Ingenium nanque dicimus fortunatum, ac prorsus cui talia bona extiterint, quorum ipse neuti-quam dominus est. Veruntamen ne hinc quidem propriè prosperitas diceretur. Est tamen fortunatus sæpenumero dictus. Nam præter alicuius considerationem, cum & alicui bonum aliquod agere contigerit, dicimus fortunatum: & eum, cui iure infligi damnum debuerat, eiusmodi hominè lucrum facientem, dicimus fortunatum. Est igitur

tur prosperitas, in agendo bonum aliquod præter rationem, & in non subeundo, ut debuit, malo. Cæterum potius, ac magis peculiare, in bono capiendo prosperitas videatur. Si quidem bonum capere, per sese fortunatum quiddam esse videatur: malum verò non subire, ex casu fortunatum. Est igitur prosperitas, rationis experta. Natura nanque fortunatus est, qui sine ratione ad bona impellitur, eaque consequitur. Id verò Naturæ est: nam animæ inest huiusmodi à Natura, quo sine ratione impellamur ad ea, unde bene habemus, eoque, ut si quis roget ita habentem, Curnam id tibi ita libet agere? Nescio, inquit, sed libet. Simile propemodum lymphaticis: si quidem lymphatici citra rationem ad aliquid agendum impelluntur. Prosperitatem verò, suo, ac peculiari nomine appellare non habemus: verùm ipsam sæpe dicimus esse causam. At hæc causa, à nomine alienum quiddam est: quoniam causa, & cuius est causa, aliud est: & citra impulsu bona consequentem causa, causa dicta est: ut malum non subire, vel porro minimè animo deputatum, bonum capere, nanciscique bonum, est profectò huiusmodi prosperitas ab illa distincta, videturque hæc ex rerum fieri interuentu, ex casuque prosperitas: & pròinde tametsi est huiusmodi prosperitas, non temen ad felicitatem talis (inquam) prosperitas fuerit peculiaris, cuius in ipso impulsus, principium bonorum est assuetudinis. Quoniam igitur est felicitas non sine bonis externis, & quæ à prosperitate (ut iandudum dicebamus) oriuntur, felicitatem coadiuuant. De prosperitate igitur hæc tenentur.

De honesta probitate. Cap. IX.

Quoniam de singulis particulatim diximus, reliquum iam fuerit, ut in totum componendo singula accumulemus. Est igitur non malè nomen impositum in cõsummato probò, honesta probitas. Honestus, & bonus nanque dicitur, cum perfectè probus. Si quidem virtutis bonum, & honestum fatentur: sicut iustum, honestum, & bonum aiunt, fortem, temperatam, ac prorsus virtutum omnium. Quoniam igitur in duo distribuimus, ut alia quidem honesta, alia verò bona dicamus: & bonorum, alia quidem simpliciter bona, alia verò non. Honestæ porro, ut virtutes, & virtutum actiones: bona certè, dominatum, opulentiam, gloriam, honorem, & id genus alia. Est igitur honestus, & bonus, apud quem simpliciter bona, sunt bona, & simpliciter honesta, honesta sunt: talis nanque honestus, & bonus. Sed apud quem simpliciter bona, non sunt bona, is neque honestus, & bonus: sicut ne quidem bene valere videatur, cui simpliciter salubria, non sint salubria. Nam si opulentia, & dominatus adueniendo quippiam offenderint, optanda non fuere: sed talia, quæ non offendant, sibi esse optauerint. Qui autem talis sit, qualis correptus ex bonis, nec ei adsint, ne quidem honestus, ac bonus esse videatur. Sed cui per se bona omnia, bona sint, nec ab ipsis absumatur, ut ab opulentia, & dominatu, is honestus, & bonus.

De

De recta ratione. Cap. X.

De eo, quod est, ex virtutibus rectè agere, neuti-quam satis absolute dictum est. Nam dicebamus, ex recta ratione agendum esse. Verùm ignarus interrogauit id fortassis quispiam, Ex recta ratione quidnam sit, & ubi recta ratio? Est nimirum ex recta ratione agere, cum animæ pars irrationalis non prohibuerit rationalem, suam exercere actionem: tum demum enim, ex recta ratione erit actio. Quoniam animæ partem, vnam quidem deteriorem habemus, alteram meliorem: semper deteriorem, melioris causa obtinemus. Sicut in corpore, & anima, corpus animæ causa habere dicimur, cum ita habuerit, ne præpediat, sed ita coniungatur, & consurgat ad animæ opus perficiendum. Quandoquidem deterius, melioris est causa, ita ut se cum meliore exercent. Cum igitur affectus menti non inhibuerit suum opus exercere, an non tum ex recta ratione fuerit? Ita propemodum. Verùm fortassis dixerit quispiam, Quo modo affectus habuerint, cum non impediantur? ac quandònam ita habebunt, ut non prohibeantur? Nescio: quippe dictum neuti-quam facile est. Neque enim medicus, quando dixerit febricitanti pituitam proferendam. At quo pacto febricitare sentiam? Cum (inquit) impalluisse videris. At pallefcentem quomodo sciero? Hinc occurrit medicus, Si non habes ex te (inquens) ut talia sentias, non habeo amplius quid dicam. Hoc pacto de aliis, communis huic erit oratio. Similiter habet & in affectibus dinoscendis. Aliquid nanque per sese, sensu oportet coniciere. Quærat porro & hoc fortassis quispiam, Nunquid re ipsa ista cognoscens, ero continuo felix? Nam sunt qui opinentur. Hoc certè, est huiusmodi, ut cæterarum scientiarum nulla, discenti vsum præbet, & actionem, sed habitum duntaxat, ita ne quidem hic, hæc sciendo vsum tradit. Felicitas enim est (ut fatemur) actio, non habitus. Neque enim sciendo ex quibus constet felicitas, sed ex vtedo his. Atqui horum vsum, & actio est. Nec est præsentis tractationis hoc tradere: quandoquidem neque vlla alia quæpiam scientia vsum tradit, sed habitum.

De amicitia. Cap. XI.

Verumenimvero inter cuncta huiusmodi, nobis de amicitia dicere necesse est, quid sit, & in quibus, & circa quid: quandoquidem ad omnem vitam ipsam tendere perspiciamus, & omni tempore bonum esse, quo ad felicitatem complectendum. Primùm igitur videbitur melius, percurrere, ac excutere quæ ambigua sunt. Nam est in primis amicitia in similibus, ut videtur, ac dici solet. Si quidem graculus (inquunt) graculo assidet, semperque Deus simile agit ad simile: dicitur quoque canis semper in eadem tegula dormitare. Interrogatus fertur Empedocles, Curnam canis semper in eadem dormiat tegula, dixisse, Quoniam simile canis habet tegulam, & pròinde

ob similitudinem eò tendere. Aliis porro visum est, potius in contrariis gigni amicitiam. Amat siquidem imbrem terra, (inquunt) cum solum exaruit: quippe quod (inquunt) contrarium contrario velit conciliari. At in similibus nihil fieri contingit. Si quidem simile, ut aiunt, simili non eget: ac talia iactantur. Iterum, vtrum operosum est amicū fieri, an facile? velut assentatores contentim assentiuntur, nec amici sunt, ut esse videntur. Dubitauerit in his quoque quispiam, Num fuerit probus malo amicus, an? Amicitia siquidem in fide, & constantia: at malus, neuti-quam talis. An malus malo amicus? ne id quidem. Primùm igitur definiendum, qualem consideremus amicitiam. Est nanque (ut opinantur) amicitia etiam erga Deum, atque inanimata: neuti-quam rectè. Amicitiam nanque hæc esse dicimus, ubi amor reciprocus. At erga Deum, amicitia neuti-quam reciprocum, & ne quidem amare suscipit. Alienum nanque fuerit, si quispiam dixerit Iouem amare. At ne quidem ab inanimatis amorem esse contingeret reciprocum, amor tamen erga inanimata est, ut vinum, vel huiusmodi aliud. Ideo non erga Deum quærimus amicitiam, neque erga inanimata, sed erga animata, atque erga ea, in quibus sit amare mutuo. Quod si quis deinceps consideret, quid sit amabile, videndum est igitur non quicquam aliud, quàm per se bonum: Aliud nempe est amabile, & aliud amandum quemadmodum consultabile, & consultandum: vtrique enim bonum inest. Ita etiam amabile quidem, simpliciter bonum: amandum verò, eodem modo bonum. Iterum amandum quidem, etiam amabile: at amabile, non idem est, quod amandum. Hinc igitur & hac de causa est ambiguitas, num probus malo sit amicus, an? Conuenitur nanque quodam modo per se bonum, sibi bonum: & amandum, amabili. Habetur autem, & consequitur bonum, iucundum esse, & commodum. Proborum igitur amicitia est, cum se mutuo amauerint. Amant autem se inuicem, quatenus amabiles: & amabiles, quatenus boni. Non igitur probus, inquit, malo erit amicus. Atqui erit: quandoquidem per se bonum, comitatur commodum, & iucundum. Si malus est, qui suavis, hac de causa amicus: rursus quatenus commodus, eatenus amicus. Verùm non erit ex amabili eiusmodi amicitia. Si quidem amabile, bonum est. Atqui malus, non amabilis. Non ergo propter amabile, sed propter amandum. Sunt nanque an vniuersali amicitia, quæ in ipsis probis est, hæc quoque amicitia, quæ ex iucundo, & quæ ex commodo. Qui ergo propter iucundum amicus, non tenet propter bonum amicitiam: neque qui propter commodum. Atqui sunt hæc amicitia, quæ propter bonum, quæ propter iucundum, quæ propter commodum: nec tamen eadem, & ne quidem prorsus inter se inuicem alienæ, sed ab eodem quodam modo distinctæ sunt, velut medicum cultellum dicimus, medicum hominem, & medicam scientiam. Hæc non similiter dicuntur: sed cultellus, quod ad medicinam utilis sit, medicus dicitur: at homo, quod sanitatè faciat: scientia verò, quod sit causa atque

atque principium. Idem & amicitia non itidem dicuntur, quippe quæ proborum, propter bonum, & quæ propter iucundum, & quæ propter commodum. Neque dicuntur æquiuocè: verum non sunt eadem circa hæc quodam modo, ac ex eisdem. Quod si quis dicat, qui propter iucundum amat, ei amicus non est, quandoquidem non propter bonum amicus est: is in amicitiam proborum demigrat, quæ ex his omnibus constat, quippe ex bono, & iucundo, & ex commo-
 do: proinde non est verè ex illa amicitia amicus, quæ propter iucundum, vel propter commodum. Vtrum igitur erit probus probo amicus, an non? siquidem non eget (inquit) similis simili. Hæc nimirum oratio, propter commodum indagat amicitiam: nam quatenus alter altero indiget, eatenus sunt amici, quatenus propter commodum conciliantur. Cum aliter definiatur quæ propter commodum amicitia, & quæ propter virtutem, & quæ propter voluptatem: æquum utique hoc multo magis amicos esse, qui virtute conciliantur: cuncta siquidem ipsis bona existunt, & iucundum, & commodum. Cæterum etiam probus malo: nam quatenus fortassis iucundus est, eatenus etiam amicus. Et malus malo: nam quatenus idem fortè ipsis commodum, eatenus amici sunt. Fieri nanque intuemur, cum idem fuerit commodum, eos ob commodum conciliari. Proinde nihil prohibet, etiam malis aliquod commodum esse. Constantissima igitur, ac stabilissima, & onestissima, quæ inest probis, amicitia: quippe quod propter virtutem, ac per se bonum. Nam virtus incommutabilis, & quæ per eam conciliatur amicitia, constantissima est. At quæ ex commo-
 do, stabilis non est amicitia, quippe quæ cum commo-
 do elabatur. Similiter etiam quæ propter voluptatem. Optimorum igitur amicitia, quæ per virtutem excitata est: multorum autem, quæ propter commodum, & quæ propter voluptatem, in oneribus quæque obveniunt. Contingit autem etiam indignari cum malis amicis, pariterque admirari. Est verò non absurdum, cum amicitia principium ceperit voluptatem, propter quod amici sunt, itidem & commodum. Simul enim atque hæc deficiunt, neutquam etiam perdurauerit amicitia. At sepe perstat quidem amicitia, verum abusus amico est: ideo indignatur, neque id iniuria. Non enim propter virtutem cum hoc tibi fuerat conciliata, ut alienum non videatur, nihil esse ex virtute. Quam ob rem non rectè indignantur, qui amicitiam per voluptatem conciliarunt, quod existiment ipsam per virtutem duraturam: quod fieri non potest: non enim quæ propter voluptatem, & commodum, ex virtute est. Voluptate igitur conciliati, non rectè virtutem quærunt. Neque enim comitatur voluptatem, & commodum aliquod, virtus: sed contrà, ea ambo virtutem consequuntur. Alienum enim, nisi bonos putare sibi fore iucundos; quandoquidem mali (ut inquit Euripides) ipsi sibi suaues, iucundique sunt, quippe quod prauus prauo coaptetur, ac congruat. Nec enim voluptatem virtus com-
 mes consequitur, sed virtutem voluptas comita-

tur. Vtrum verò etiam oportet in amicitia proborum esse voluptatem, an non? Alienam enim, non videri oportere. Nam si ab ipsis inter se inuicem auferas suauitatem, alios ad consuetudinem in vita, iucundos amicos adeunt. Nam ad simul viuendum nihil maius est, quam iucundos esse. Quam ob rem alienum est non arbitrari, probos maximè simul inuicem vitam agere. Id verò citra iucundum non est. Expediit ergo (ut videtur) his maximè iucundis esse. Quoniam distributæ sunt in tres amicitia species, in hisque ambigebatur, vtrum in ipsa æqualitate amicitia esset, an in eo quod esset inæquabile. Est igitur in vtroque. Nam proborum, per similitudinem perfecta amicitia est. At quæ per dissimilitudinem, ea, quæ propter commodum. Nam eo modo copioso pauper, ob inopiam eorum, quibus affluit diues, amicus est: ac eadem de causa, malus probo. Siquidem propter virtutis inopiam, à quo sibi opitulatum iri putat, ei ob hoc amicus est. Fit igitur propter commodum, inter dissimiles amicitia. Hac de causa dixit Euripides, Amat imbrem terra, cum solum exarescit. His, utpote contrariis, amicitia ob commodum exoritur. Nam si libeat maximè contraria facere inter se inuicem vitia, ut ignem, & aquam componendo, ignis sedit humor, absimitur, quem sibi attrahit, tanquam alimentum: tantum quidem, ut non succumbat. Nam si superarit humor, ignis absimitur: si verò moderatus, conferet. Non dubium igitur, quin in maximè contrariis, ob commodum sit amicitia. Deducuntur autem amicitia omnes, tam ipsa æqualitate, quam inæqualitate, in tres distributæ species. Est autem in cunctis contentio inter se inuicem amicitia, cum nequaquam similiter amauerint, vel fecerint, vel suppetiuerint, vel cum id genus aliquid. Etenim cum vnus quidem vehementer facit, alter verò deficit, in deficiente inclamatio est, atque inculatio. Præterea, in quibus idem est amicitia finis: ut si vtrique propter commodum inter se inuicem amici conciliantur, aut propter iucundum, aut propter virtutem, defectus, qui ab altero exploratus, ac certus est. Si igitur plura tu mihi bona contuleris, quam ego tibi, non ambigo quin tu de me bene meritus, à me plus amari debeas. Vbi autem non hac amicitia amici fuerimus, ibi maiores differentia. Defectus siquidem ab vtroque, incertus. Ut si propter voluptatem vnus quidem sit amicus, & propter commodum alter, inde oritur ambiguitas. Neque enim qui commo-
 do excedit, voluptatem censet dignam, quæ commo-
 do rependatur: nec qui voluptate superat, dignam gratiam in ipso commo-
 do se existimat accipere. Idcirco in eiusmodi amicitia, magis exoriuntur differentia. Qui verò ex inæqualitate amici sunt, nempe excedentes opibus, vel alio huiusmodi aliquo, non sibi censent amandum esse, sed ab inferioribus amari oportere existimant. At amare melius est, quam amari. Siquidem amare, voluptatis actio quædam est, & bonum: ab eo autem quod ametur, nulla actio

la actio est. Nempe cognoscere, melius, quam cognosci. Cognosci enim, & amari, etiam in carentibus anima existit: at cognoscere, & amare, in rebus animatis. Rursus, beneficium esse, melius, quam secus. Qui amat, quatenus amat, beneficus est: amatus verò, quatenus amatur, non. Sed homines honoris cupiditate incensi, amari, quam amare, malunt: quod quatenus amatur, videatur præcellere. Amatus siquidem, voluptate, vel copia, vel virtute præcellit. At honoris cupidus, eminentiam affectat: & qui excellent, sibi non amandum esse arbitrantur, quod in quibus excedunt, amantibus rependi opinantur. Item ipsis sunt deteriores illi, ob hoc non censent amare debere, sed amari. Sed qui egenus pecuniarum, aut voluptatum, aut virtutis, is affluentem suspicit, & amat, quod ea consecutur, aut se consecuturum opinetur. Sunt autem & alia ex consimili affectu conciliatæ amicitia, & ex eo quod cupiam bona velint, in quibus non est cuncta hæc cõprehensens facta amicitia. Nam sepe numero alii bona volumus, artamen cum alio vitam agere malimus: vtrum hoc amicitia dicere oportet, an cõsummata amicitia? nepe per virtutem, affectus: in ea siquidem amicitia hæc insunt cuncta. Nam cum alio nemine vitam agere libuerit: siquidem iucundum, & commodum, & virtus inest probo, cui bona in primis voluerimus, & cum ipso viuere, & bene viuere, & non cum quoquam alio magis. Nunquid sibi, & erga se amicitia, an non? Id nunc omittamus, dicemus postea. Sedenim nobis ipsis cuncta volumus, nempe nobiscum viuere, vitamque ducere vnà volumus: id ferè etiam necessarium, & bene viuere, & viuere, ac bonum velle, non cuiquam alii magis. Rursus similibus affectuosi in primis sumus nobis ipsis. Nam si labamur, vel in huiusmodi aliquid decidamus, confestim tristamur. Hac de causa, videatur erga se sibi amicitia. Talia quidem certè, ut in similitudine affectionem, & bene viuere, & id genus alia, aut erga nos ipsos dicimur referre amicitiam, aut in eam, quæ perfecta sit: in ambabus enim sunt hæc omnia. Nempe vnà vitam agere, & esse velle, & bene esse, ac cætera omnia in his sunt. Rursus videatur ferè in quibus iustum est, in eisdem esse amicitia, quam ob rem quot iustorum sunt species, totidem & amicorum. Iustum certè est, & hospiti erga ciuem, & seruo erga dominum, & ciui erga ciuem, & filio erga patrem, & vxori erga virum, & quæcunque simpliciter alia conciliationes, & amicitia sunt in horum singulis. Amicitiarum verò, hospitalis validissima videatur. Neque enim vllus est communis, de quo ambigatur finis, ut inter ciues: siquidem ambigunt propter excessum inter se inuicem, nec amici permanent. Nunc demum illud dicendum est, vtrum erga se sit amicitia, necne. Quoniam igitur perspicimus, ut paulò antè dicebamus, quod ex singularibus, amare cognoscitur, singularia verò nobis ipsi in primis velimus, nempe bona, & esse, & bene esse, & similibus affectantissimi nobis sumus, & nobiscum viuere præcipue malimus. Quod si ex singularibus cognoscitur amicitia, singularia verò nobis ipsis esse vo-

lumus, non dubium quin ita erga nos sit amicitia, quemadmodum & iniuriam erga nos ipsos esse dicebamus. Nam quemadmodum alter quidem afficiens iniuria, alter verò affectus iniuria, vitis & idem est, & ob hoc, ne quidem esse videbatur iniuria. Est nimirum, ut dicebamus, in animæ partibus considerationem iactantes: quandoquidem est videre, cum plures non consentiunt, tum aduersum se esse iniuriam. Ità igitur hæc, erga se esse videatur amicitia. Nam quoniam amicus est (ut famur, cum demum voluerimus impense amicum dicere) vna mea, & huius anima est. At quando animæ plures sunt partes, tum vna fuerit anima, cum erga se inuicem consenserint ratio, & perturbationes. Ita nanque vna erit, perinde atque si vna facta sit, erit erga se amicitia. Hæc autem erga se, erit in bono amicitia, quandoquidem in eo solo animæ partes bene inter se inuicem habent, quando inter se non differunt: quoniam malus nunquam sibi amicus est: se nanque semper oppugnat. Nempe incontinens cum quid per voluptatem nequiter egerit, mox poenitentia affligitur, ac se excruciat. Idem & in aliis vitiis malus habet, sese oppugnando, ac sibi aduersando. Est autem amicitia etiam in ipsa æqualitate, ut sociorum, per æqualitatem numero, & potestate boni. Neuter siquidem ipsorum debet altero plus sibi adscire, neque numero bonorum, neque potestate, neque magnitudine, sed ex æquali habere socii aliqui cupiunt. At per æqualitatem, patris erga filium, & subditi, & imperantis, & potioris, & deterioris, & vxoris, & viri est consideratio: ac simpliciter, vbicumque inter potioris, & deterioris in amicitia ordo intercessit. Hæc nanque est ex ratione, in disparitate amicitia. Neque enim vnquam æquale vltus ex bono dabit, si meliori, deteriorique dederit, sed maius semper ei, qui excedat. Id quippe est quodam modo ratione æquale, cum minus bonum capit deterior, eo, qui melior est.

De affinitate. Cap. XII.



Micitarum omnium, quæ iam memorata sunt, in primis cognatus est amor, qui in affinitate, eaque ex patre in filium. Et cum nam pater filium magis amat, quam filius patrem? vtrum (ut nonnulli inter multos rectè aiunt) quod pater beneficus erga filium sit, quodque filius de patre benemeritus sit? Hæc igitur causa in amicitia per commodum conciliata esse videbitur: quemadmodum & quæ per scientiam spectatur, ita quodam modo hæc habebit. Est igitur idem finis, atque actio, neque aliud aliquid præter actionem, finis: ut tibicini eadem actio, atque finis: persflare enim tibias, ei & finis, & actio est. Non autem ædificationi: nam præter actionem alius est finis. Est igitur amicitia, actio quædam: nec finis alius est, præter actionem in amando, sed illud idem. Pater igitur semper magis quoquo modo satagit, ob hoc quod eius factio sit filius, id quod in aliis cernimus. Omnes siquidem erga quod ipsi effect-

cerunt, sunt quodam modo beneuoli. Patet igitur filio, utpote suæ factioni, bona vult, memoria, spēque adductus: ideo magis filium pater diligit, quam filius patrem. Expedit autem iam dictas, & existimatas amicitias existimare, sintne amicitia, ut beneuolentia videaturne amicitia. Simpliciter igitur beneuolentia, neutiquam amicitia esse videatur. Siquidem frequenter multis aut videndo, aut audiendo aliquid de aliquo bono, beneuoli efficiamur: an tum etiā amici, an ne? Neq; enim si quispiam Dario apud Persas existenti beneuolus (quemadmodum fortassis) fuerit, confestim etiam erga Darium illi fuerit amicitia. At amicitia, beneuolentia quandoque initium esse videbitur. Fiat nempe beneuolentia amicitia, si voluntatem adsciuerit qui bona potest præstare, ei præstandi in quo sit beneuolentia. Moris certè beneuolentia est, & erga morè. Nemo siquidem aut vino, aut cuiquam alii inanimato suauis bono, beneuolus esse perhibetur: sed si quis morum studiosus, erga ipsum beneuolentia. Neque citra amicitiam beneuolentia, sed in eodem, ut amicitia esse videatur. Concordia autem est confinis amicitia, si propriè modò dictam accipias concordiam. Nam si quis Empedocli adstipuletur, arbitreturq; sicut ille, esse elementa, nunquid concors erit Empedocli, an ne? vel si quid aliud tale? Primùm certè non est concordia in eis, quæ sub intelligētiā, sed quæ sub actionem cadunt: & in his qui idem non cognouerunt, sed si cum hoc, intelligendi idem delectum habeant, circa quæ pariter intelligunt. Nam si ambo dominari cognouerunt, hic quidē se, ille verò se, nunquid sunt concordēs, an non? Cæterùm si ego me velim imperare, & ille me, iam concordēs hoc pacto sumus. Est nimirum concordis, esse in eis, quæ sub actionem cadant, cum eiusdem voluntate. Circa statum igitur dominantis, in eisdem, quæ sub actionem cadant, propriè dicitur esse concordia.

De amicitia erga se. Cap. XIII.

Verùm quoniam est (ut diximus) sua alicuius erga se amicitia, utrū probus sese amabit, an ne? Est certè se amans, qui sua de causa agit omnia, ubi modò aliqua suggeratur utilitas. Malus igitur sui amās erit: sua enim de causa, agit omnia: probus verò, nō. Hac enim de causa est probus, quod alterius causā id agat: & prōinde sui amans non est. Atqui omnes ad bona profiliunt, opinanturque sua in primis esse oportere: idq; præcipuè manifestū est ex opulentiā, ac dominatu. Probus igitur alii hæc statuet, nec ut officiosum in primis sibi: sed si alium viderit, qui his commodè magis uti possit, facillè concesserit. Alii hoc inscitia quadam non facient: neque enim opinantur talibus bonis abusuos: vel etiam ob honoris cupiditatem imperant. Probus verò hominem neutrum efficiet: & prōinde ne quidē propter eiusmodi bona, sui amās erit: verùm si honestas postularit. Id enim solum nemini alii concesserit: at commoda, & iucunda cesserit. Itaque in delectu honestatis sui amans erit. At ubi com-

modum, ac iam dicta voluptas affectabitur, improbus erit, non bonus.

Quo modo probus sese diligit. Cap. XIII.

Vtrum probus sese maximè amabit, an non? Est certè, ubi sese maximè amabit, est ubi non. Nam cum dicimus probum bona cedere, quæ ad utilitatem tendant, amico, magis, quam se, amicum amauerit? ita: verùm hæc amico concedens, sibi honestatem accommodat, eoque modo ista concedit. Est igitur ubi amicū se magis diligit, estque ubi sese maximè. In ipso nanque commodo, amicum: at ubi honestum, & bonum, ipse sese maximè diligit: sibi enim quæ sunt honestissima vendicat. Est igitur boni etiam amans, nec sui amans. Nam si solum sese amat, quod bonus. Malus autem sui amans est: neque enim habet quapropter se amet, sicut honestum aliquod: sed citra hæc, ipse, quatenus ipse est, sese amabit, & prōinde hac de causa propriè sui amans diceretur.

De eo quod sibi satis. Cap. XV.

Dicendum de eo, quod sibi satis, & nō altero indigens: utrum qui sibi satis, egebit amicitia, an ne? nempe ipse sibi satis erit, etiam ob hoc. Siquidē etiā poetæ talia iactitant: Cum dæmon bene dederit, quid amicis opus est? Vnde etiam gignitur inopia: utrum qui cuncta habeat bona, quisque sibi satis sit, amicis egebit? an tum etiā maximè? Cui enim bene faciet, aut quo cum vitam ducet? neque enim solus deget. Quod si his opus erit, neque contingunt hæc citra amicitiam: qui sibi satis est, egebit amicitia. Quæ igitur in sermonibus consueta capi similitudo ex Deo, neq; illhic rectè, neque hîc fuerit utilis. Neq; enim si Deus sibi satis, nec vlllo indigens, ob hoc etiam nos nullo indigebimus. Est nimirum iactatus de Deo huiusmodi sermo. Nam quoniam bona cuncta obtinet Deus, ac sibi satis est, quid faciet? neque enim dormiet. Inspiciet aliquid, inquit: id nanque pulcherrimum, & maximè peculiare. Quid igitur inspiciet? Nam si quicquam aliud inspiciet, id erit melius. Hoc verò absurdum est, ut se quicquam melius habeat Deus. Ipse igitur sese inspiciet: at hoc delirum. Nam homini, qui sese suspiciat, utpote attonito, inclamamus. Quid igitur Deus inspiciat, omitamus: neq; de eo quod sibi Deus satis sit, consideremus, sed de homine: Utrum qui sibi satis sit, is egeat amicitia, necne? Quod si quis amicum spectans viderit quid sit, & qualis amicus, talis qualis alter ego esse, tum vehementer amicum facies, quemadmodum dictum est, Hic alter Hercules, alter amicus ego. Quoniam igitur difficillimum est (quemadmodum quidam dixerunt sapientes) sese cognoscere, & suauissimum, (nam se nosse, iucundum) ex nobis ipsis certè nos non possumus inspicere. Quod autem non nobis

nobis possumus, hinc certum, quod aliis inclamamus, nec nobis cogniti, quod eadē faciamus. Id verò sit, aut quia bene volumus nobis, aut propter affectum. At nobis hæc, ad rectè iudicandum obstant plerique. Quemadmodum igitur, si velimus ipsi nostram spectare faciem, in speculo obruemur, itidem esse cum nos cognoscere voluerimus, amicū spectantes nosse potuerimus. Est siquidem (ut diximus) amicus alter ego. Quod si iucundum est se nosse, idque scire non est sine altero amico, opus erit amicitia, qui sibi satis sit, ut se cognoscat. Rursus etiam si honestū (ut est) benefacere, eum, qui à fortuna bona obtineat, cui benefaciet? quo cum vitam aget? non enim solus deget. Nam vitam ducere cum alio, & iucundum, & necessarium est. Quod si hæc honesta, & iucunda, necnon necessaria, & hæc sine amicitia esse non possunt, opus erit amicitia ei, qui sibi satis sit.

De multorum amicitia. Cap. XVI.

Vtrum multos habere amicos expedit, an paucos? Neque profectò multos (ut paucis absoluiam) neque paucos oportet. Nam si multi erunt, amorem in singulos distribuere, erit operosum. In cunctis siquidem aliis imbecilla natura nostra, in plurima peruenire non potest. Neq; enim visu diutissime possumus: sed si plus mediocritate institeris, ob imbecillam naturam deficit, nec auditu, neq; aliis eiusmodi omnibus. Quod igitur amare non possit, deficit: iusque fuerit, ut in-

clametur, coarguatūque, quod amicus sit nec amet. Cæterùm hac ratione, esse non postulat amicitia. Rursus si multi, nunquàm mœrere desierint. Inter multos nanque par est, ut aliquod semper accidat infortunium, unde tristari necesse sit. Neque porrò paucos, vnum, vel duos esse expedit: sed inter parum & multum, ut tempus, atque ad amandum satis sit impulsus.

Quomodo amico vtendum sit. Cap. XVII.

Dinceps considerandum fuerit, quomodo vtendum sit amico. Est profectò non in omni amicitia, coniectatio, sed in qua se inuicem maximè amici obiurgant. Atqui non in aliis eodem modo se obiurgant, sicut in ea, quæ patris erga filiū eadem non est inclamatio, ut par fuerit nonnullis, quemadmodum ego tibi, tu mihi: quod si non, hîc tam vehemens fuerit inclamatio. At in amicis inæqualibus non par est: est verò patris erga filium amicitia, in minimè æquali. Itidem vxoris erga virum, aut vernæ erga dominum, prorsusque deterioris, & melioris. In eiusmodi non erunt inclamationes, sed ubi pares amici, & in ipsa amicitia, talis erit obiurgatio. Prōinde considerandum, quo pacto vtendum amico fuerit, in ea demum amicitia, quæ inter pares fuerit conciliata.

SECUNDI LIBRI MAGNORUM MORALIUM ARISTOTELIS FINIS.

AD



Is v m nobis est non paruum operæpretium fore, si libros morales ad Eudemum Latinos vobis inter cætera exhiberemus, aduersus sententiam quorundam arbitrantiũ, illorum librorum doctrinam superuacaneã esse, vt quæ in moralibus ad Nicomachum, atque in iis, quæ magna inscribuntur, grauitè, atque copiosè absoluta sit: ac pròinde contententium, hosce libros Aristotelis non esse, tanquam sapius de re eadem scripturus nõ fuerit. Quibus ita occurrendum fuerit. Primum, quòd non sit superuacaneum, de rebus omnium pulcherrimis, maximèque ad vitam necessariis sæpe differuisse: præcipuè eo seculo, quo in scholis haberentur scriptores quidã, non tam ad Rempublicam idonei, quàm apud multos plausibiles. Quid fuerit inquietius in Republica, quàm bonorum communio? Et quid absurdius, quàm vxorum? Quapropter iisdem præceptis multifariã editis, conueniebat illorũ libros è manibus hominũ excutere. Sed & solitũ fuisse Aristotelem quæ rudiùs primũ, atque simpliciùs tradidisset, exactiùs subinde expolire, velut in Physica auscultatione octauus, easdem quæstiones habet, quas liber septimus, sed exactiùs, atque gnauius disputatas. Neque verò ob id priora negliguntur, quòd quæ postrema sunt magis exactam doctrinam habent. Quin peculiaris quædam vtilitas percipitur, primũ propositis iis, quæ rudiora sunt, & idcirco accommodatiora præparandis animis ad exactiorem consequentium expositionem. Qua ratione consentaneum est, reuocatis iisdem sub incudem, priora nihilò minùs à maioribus serua ta fuisse. Et hic liber non est à ratione Aristotelica alienus, siue modum docendi spectes, siue sententiarum grauitatem. Cæterũ tanquam argumenti loco huc affiximus institutionem Leonardi Aretini in eosdem libros, quò lectoris animus fiat instructior ad ipsum authorem cognoscendum.

LEONAR

LEONARDI ARETINI VIRI CLARISSIMI
• INTRODVCTIO IN
Ethica Aristotelis, quæ
Eudemia inscribuntur.



Si vt viuendi, Galeote, sic etiam bene viuendi cura nobis esset, in finitos penè labores, quibus stulticia æstuat humana, tanquã superfluos, & in sanos fugiendos longè, omittendõsque putaremus. Nunc autem noster error ab eo manat, quòd sine proposito sine viuimus, & velut in tenebris cæcutientes, nõ tam per callem aliquem prospectum, & certum, quàm per oblatam nobis semitam fortuitò ambulamus; vt sæpe quòd nostri ferãt gressus, nec ipsi quidem sciamus edicere. Itaque & conatus sæpe nos penitet nostri, & sequentes pariter, affequitque torquemur, nihil solidi nanciscentes, in quo stulta hominum appetitio conquiescat. Est enim veri boni à Natura nobis ingenerata cupido. Verũ confusa illa quidem, atque incerta, fallacibusque opinionibus tanquam tenebris quibusdam obducta: quibus occæcati, atque decepti, per deuia oberramus. Sed aduersus hanc humani generis cæcitatem, & tenebras, opem à philosophia petendum est. Quæ si fortè nos dignata, lumen suum admouerit, hãc omnem, quæ nos turbat, caliginem dissipabit, verãque viuendi viam à fallaci discernet. Equidem memini primis ab annis, studiosum te philosophiæ fuisse, verũ illius, quæ ad Naturæ pertinet indagacionem, quæ etsi est sublimis, atque excellens, tamen minus habet vtilitatis ad vitam, quàm ista, quæ ad mores hominum, virtutesque de scèdit: nisi fortè instructior erit ad bene viuendum, qui pruinæ, & niues, & iridis colores, quemadmodum fiant, didicerit. Quòd nihil amplius vtilitatis habet, quàm si illa nunquã didicisset. Emèdior erit eius quoque vita, cui aues, & pisces noti sunt, quàm si omnino essent incogniti. Similia his sunt cætera, quæ in illa traduntur. Habent enim splendorem cognitionis eximium. vitæ autem vtilitatẽ non habent. At verò hęc altera philosophia tota, vt ita dixerim, de re nostra est. Itaque qui huius cognitione omissa, philosophiæ intendunt, hi alienũ quodammodo negotium agere videntur, suũ omit

tere. Ego igitur, Galeote, vehemèter quidem te ad hęc studia reuoco. Quid enim pulchrius nobili viro, & virtutum ab ipsa Natura amatori, & intelligentia, rationeq; præstati, quàm ea discere, per quæ ad casum viuere desistat, suas ipse vias, actusq; discernat? Sed vtrum ista cohortatione contenti, non vltra scribemus? vel quasi persuaso iam tibi addemus aliquid introductionis causa. Hoc ego potius esse reor. Neque enim inuitantis est, tepidè agere, sed rem ipsam, ad quam inuitat, vltro offerre. Referam igitur sermonem habitum à me nuper cum Marcellino familiari meo. Nam cum ille domum ad me salutandi gratia venisset, reperissetque fortè lætificantem, post prima illa amicorum cõsuetã, cum vterque consedisset, Et quid libri hoc est, inquit, quòd modò erat in manibus? Aristotelis, inquam, liber est ad Eudemum. Tria sunt enim, vt audiuisse te credo, huius philosophi volumina de moribus scripta. Vnum ad hunc, quem modò dixi. Alterum ad Nicomachũ filium. Tertium, quòd inscribitur Magnorum moralium. Etsi eadem omnium vis est, tamen alibi enodatiùs, alibi remissiùs res ipsæ tractantur. Rectè, inquit. At enim opportunè facta à te huiusce rei mentio est. Aueo enim iam pridem quid sit huius disciplinæ progressus, & quasi viam cognoscere: nec antehac data mihi facultas est, à te hoc ipso, arbitrato meo percùstandi. Nunc verò quia, vt video, otiosus es, ostende, quæso, de moribus disciplina quid nobis polliceatur. Quid me rogas, inquam, ac non potius ipse tu, vel nostròrum, vel Græcorum, à quibus ista traduntur scripta, lætitas? Græcè, inquit, nescio, Latina verò ista nostratia, vt tibi verum fatear, legentem, me conantemque non admodum iuuat. Coniecto enim esse talia, vt institutum potius erudire, quàm rudè institueri ab initio possint. Tu, qui Græco de fonte (vt ait Flaccus) hausisti, quæso, mihi expone, hęc de moribus disciplina quid eius seætoribus reprobmittat. Non munusculũ, inquam, neq; lucellũ, sed rem maximam, præstantissimãq; omnium, beatos facere homines, modò sibi ipsi non desint, sed agendo, & operando illius præcepta, iussaque sequantur. Et quis non excitetur, inquit, tanta spe proposita? Ardeo, me hercule, iam nunc illius initiari facris. Quare agedum, ede quid præcipit. Longum, inquam, id quidem, & insigne est. Caput tamen, ac summa omnium, vt bene viuas. Id verò non de me

sa, sed de mente sumitur. Sed quoniam id te cupere animaduerto, & adiuuari digna est hæc cupiditas tua, conemur tale aliquid tibi tradere, quale Græci *Isagogicū* appellant, id est, quasi introductionē, ac euidentiā quandam eius disciplinæ, quò paratior ad illā percipiendam queas accedere: ac dicere equidem iam ordiar. Tu verò, si quid inter dicendū ambigis, interpella. Prima igitur huius disciplinæ cōsideratio mihi videri solet, an quid sit extremū, & finis in rebus humanis, ad quem omnia, quæ agimus, referri oporteat. Secunda, quid sit extremum. Tertia, quibus rebus ad id perueniatur. His enim cognitis, & totius vitæ rationem (quemadmodum dirigenda sit) cognoscemus. Quæ enim ad actionū nostrarū ad verum finem referuntur, eas & frugi, & laudabiles dicimus: quæ verò fallaci opinione aberrant, eas vituperamus, atq; propellimus. Vt autem de his dicere incipiam, cōspicuum est, plures in rebus fines esse humanis, aliōsque sub aliis contineri. Finem autē appello, cuius gratia quid agimus. Exemplo quoque hoc ipsum faciamus illustrius. Parat quis nauem nauigandi causa: nauigat autem, quò pecunias acquirat: acquirere autem vult, quò opulentior fiat. Hanc ipsam opulentiam alterius gratia cupit, vel honoris, vel potentia, vel ut nullius indigeat. Hic igitur vides tot esse fines, quot sunt actus, aliōsque subesse alios. Idem est in cæteris operationibus nostris. Semper enim nostra de fine in finē graditur quidē, proceditque intētio. Nec est dubium, quin superior finis pretiosior sit, cum illius gratia inferiores appetantur. Illud præterea constat, nos omnia, quæ agimus, boni gratia agere. Ex quo fit, ut idem sit finis, & bonum. Sed an cuncta alterius gratia volumus, & necubi cōsistit appetitio nostra? vel est aliquis exeremus, & vltimus finis, ad quem cum tandem peruentum fuerit, appetitio conquiescit? Fatēdum est, esse aliquē, ne si fortē negemus, irrita, & stulta probetur cupiditas nostra, & in infinitum progressio, & multa perabsurda exinde consequantur. Id ergo extremum, si modò est aliquid, quod esse planē confitendum est, necesse est esse tale, nulla ut externa illecebra, sed ipsum per se sua vi nos incendat, & rapiat in cupiditate sui, quod propter se expetatur semper, & nunquam propter aliud, ad quod referantur omnia, ipsum autem nusquam. Erit igitur hoc summus finis, & summum bonum. Nam finem, & bonum, idē esse docuimus. Erit quoque principium, & causa. Inde siquidem motus est, cum eius gratia omnia omnes agant. Intelligere mihi videor, inquit, ac probē tenere: quare ad alia, si tibi videtur, progrediare. Age nunc, inquam, hic quid sit extremus finis videamus: hoc enim secūdo erat loco in quaestione propositū. De nomine quidem (inquit Aristoteles) apud omnes cōuenit. Felicitatē enim vulgus, eruditique appellant. Sed ipsa felicitas quid tandē sit, de eo sanē inter se discrepant, nec idem vulgus, sapientēsque tradiderūt. Atenim ne sapientes quidē: nulla enim vnquā de re fuit inter philosophos tanta cōtentio. Nam alii voluptatem esse id extremū, & vltimum, quod per se ipsum expetitur, & cuius causa cætera agimus, asseuerant. Esse quidē id insitum mentibus nostris, ut omnia faciamus, atque patiamur, quò postea in gaudio, & iactitia, cōtenti, & quieti viuere possimus. Ea autē

est summa, & mera voluptas. Ex quo fit, ut principia vel appetendi aliquid, vel fugiendi, à voluptate, dolorēque, proficisci videatur. Quare & ipsas quidem virtutes, ideo censent ab hominibus exerceri debere, quia effectrices sint plurimarum voluptatū. Contrāque, cum delictorum, scelerumque, conscientia nos vexet, & angat, tum inanes cupiditates, quarū stultorum omnis vita referta est, sollicitent mētes, & quietas esse nequaquam permittāt. Itaque eū esse sapientis delectū aiūt, ut prætermittēdis minoribus, sibi maiores cōparent voluptates, & doloribus paruis susceptis, maiores, grauiorēque repellant. In hac fermē sententia Eudoxus, & Aristippus, & Epicurus fuerunt: etsi eorū alius plus, alius minus tribuerit corporis voluptatibus. His adiiciendus est Democritus, qui obscurē quidem, ac verbo penē insolenti *εὐδωμία* summum bonū esse dixit, quasi tranquillitatem quandā animi, omni molestia vacātis. Alii verò in vsu virtutis felicitatem posuere, atque ex eo beatam constare vitam censent. Esse enim quoddā propriū hominis opus, ad quod ad agendum natus sit. Id autem nō esse viuere, quia commune sit etiā plantis: non sensum habere, quia commune sit etiā brutis: sed vitam, & actus secundū rationē, qua quibene, excellētēque vitur, is propriū opus, ad quod natus sit, bene absoluat, eūque bene viuere, ac bene agere, in eōque sitū esse summū illud hominis, quod quærimus, bonū. In hac fermē opinione Aristoteles, & Theophrastus, & cæteri omnes Peripatetici fuerunt. Sed cum quæreretur, nunquid foret hæc vita in potestate sapientis, id est, an sibi ipsi per virtutē hanc præstare vitam vir bonus possit, multæ difficultates suboriri videbātur. Fieri enim potest, ut sapiēs, & bonus vir, & omnibus virtutibus instructus atque ornatus, in exiliū, in orbitatē, in egestatē detur datur, amissa patria, ablato patrimonio, filiis, propinquisque, necatis. Præterea, ut in carcerem tyrāni, ut in equuleum, ut in supplicia grauiā, & miserāda incidat. Hunc igitur, quanquam virtutibus abundantem, tamē beatū dicere tantis in malis quis potest? Quod si ita est, nec virtus ipsa satis videtur ad beatē viuendum. Ob hæc ii, de quibus loquor, philosophi, tria bonorum genera distinxerūt, Animi, Corporis, Externa. Felicitatem in bonis animi reponunt, quæ sunt maxima, ac præcipua bona. Corporis autē, & externa, adesse homini oportere aiūt, non ut illa ex sese beatā conficiant vitam, sed ut ne operationes virtutis, in quibus beata vita cōsistit, impediantur. Etenim suppliciiis, doloribusque, affectum corpus, neque contemplari quicquā, nec agere permittūt, & egestas, exiliūque, multa impediūt, cum tanquam instrumēta desint ad agendū. Quid ergo, miser erit sapiens in iis, quæ supra enumerauimus malis? Certē non miser. Habitus enim virtutis, illum ab hac infami appellatione defendit. Sed nec etiam beatum in tantis calamitatibus nuncupabo. Beata enim vita omnis optabilis est, & plena gaudiorum. Hæc verò calamitosa, nequaquam optabilis: nec beata igitur. Hæc Peripateticorū fermē est de summo bono, vitæque, beata sententia. Nec est dubium, quin & si parum, tamen aliquid fortunæ tribuatur. Itaque Zeno, quique à Zenone sunt Stoici (rigidi nempe homines, & seueri) aliter de summo bono opināti sunt. Negāt enim quicquam esse bonum,

bonum, præter honestum. In eōque cōsistere vitam beatam affirmant. Honestum autem est, quod bene & laudabiliter & ex virtute fit. Vt enim quod timidē, quod libidinosē, quod abiectē agitur, turpe dicitur, ac dedecoris plenum est: sic quod fortiter, quod continenter, quod ex dignitate agitur, honestū, decorum, pulchrum nūcupamus. Corporis autem, & Fortunæ commoda, negant esse bona: contrāque, illorum incommoda, negāt mala esse. Virtutē enim satis esse ad beatē viuendū putant: neque carcere, neque tormētis, neque doloribus vllis, aut egestate, exiliove beatam vitam impediri. Virum enim sapientem, ac verē fortē, magno, inuictōque animo totum ex se ipso pendere, nec humanos casus, neque Fortunæ minas expauescere, nec illis, si accidunt, vnquā frangi: non enim exiliū, nec paupertatē, nec dolores, mala esse sapienti. Quoniam ut nihil bonum, præter id, quod honestum, & cū virtute sit: sic etiā nihil malum, nisi quod turpiter, & cum vitio fit: quod in sapientē cadere nequaquam potest. Quod si Fortunā metuat quis, nunquam erit beatus: cum etsi non facta, attamen faciendā formido illius mutabilitatis sollicitum reddat. Hæc fermē est, ni fallor, Stoicæ disciplinæ forma: nescio an vera, sed certē mascula, atque robusta. Percurri tibi sententias omnes de summo bono, quæ tandē cognitū dignæ videantur, de quibus scire velim quid tandem existimes. Egōne, inquit? Fatebor tibi quid mihi acciderit. Singulis, dum à te referebantur, me totum addixi. Nam voluptate, & vacuitate doloris, quæ prima fuit sententia, nihil optabilius visum est. Quid enim beatius aut esse, aut excogitari possit, quam vita gaudiorum plena, omni molestia detracta? Aut quid deorum immortalium vitæ similius imaginari possimus: qui, cum sint verē felices, atque beati, hoc beatitatis instar nobis mortalibus reliquisse videntur. Rursus verò cum ad virtutis splendorem oculos erexi, victus excellētis laude, vsque adeo contempsi equidem, ac post habui voluptatē, ut etiam molestiis, & doloribus comparandā eam beatitudinem existimarem. Corporis verò commoda, externamque rerum prosperitatem, quasi necessariam in bonis imponebam. Ecce alteri exurgētes, negant quicquam tale in bonis habendum, dantque homini potestatē se ipsum per se in beatitudinem adscribēdi, quo quid optabilius esse potest? Ita cū omnes ad se trahant, ambiguus sum quid maximē putem recipiendū. Non est mirum, inquam, si tibi horum singuli probantur. Nam vulgus quidē philosophorum, qui absurda dicebant, iam pridem auditores, scholæque, ipsæ respuerunt. Illæ restāt disciplinæ, quæ aliquid dicere videatur: quæ & si verbis pugnent, re tamen, & effectu proximæ sunt.

Quomodo proximæ, inquit? an potest quicquā esse distātius? Attende, inquam, an tibi proximitatem hanc satis probare videor? Primum enim Stoici à Peripateticis quid differunt? Vtrique profectō beatæ vitæ dominam, effectricemque, virtutē cōsentiant. In hoc ferē totum est: & qui in vno hoc consentiūt, vix in aliis dissentire possunt. Nam de corporis, externisque commodis, quæ alii bona appellant, alii non bona, id non refert, quantum quisque illis tribuerit, si nō plus his, quam illis, de verbo differencia est, non autem de re: quod alteros vsitatū

verbum delectat, alteros nouum. Quæ enim hi bona, & mala, illi præposita, & reiecta appellant. De Fortunæ modò tormētis, doloribusque; corporis diuersitas est, & quidē non magna. Peripatetici enim non à quibusuis calamitatibus depelli vitā beatam putant, sed ab ingentibus, & multis. Et hæc ipsa si accidat sapienti, nequaquam eum fieri miserum dicunt. Stoici verò etiam in his ipsis calamitatibus beatū asserūt. Vides ergo quā parum interfit inter hos duarum sectarū magistros. Quinetiam voluptatis patroni, non multum ab his discedunt. Felicitas enim absque voluptate esse non potest: adeo non implicata est illi, & annexa voluptas, ut separari nequeat. Nomen certē ipsum, quo beatitas designatur, à gaudio apud Græcos tractum est, quasi vita quædam gaudiosa. Actio verò virtutis, scientiaque, & contemplatio, cōscientia denique ipsa recte factorum, immensas quasdam continet voluptates: ut dubiū fiat, an hæc propter illam, an illa propter hæc expetatur. Clamat enim Epicurus ipse, nō posse cum voluptate viui, nisi iuste, temperatē, prudentēque viuatur. Nec rursus iuste, temperatē, prudentem, nisi cū voluptate. Ita cum tres sint philosophorum sectæ, omnes profectō aut idem, aut propē de summo bono dicere videntur. Quare nō multum tibi formidandum est, ut dum alteros sectaris, ab alteris contingat te abscedere longius. Perquam gratum mihi est, inquit, hanc, ut ita dixerim, conciliationem philosophorum audisse. Nec pluit modo tua de hisce rebus disputatio, verum etiam placuit inquietam mentem, cuius potissimum inhæreret hæsitantem. Sed restat iam tibi tertia illa pars, quum sitne finis aliquis extremus, & summus, & quis sit conspeximus, ut nunc quibus rebus ad illud veniatur, ostēdas. Tute, inquam, ipse viam non ex superioribus dictis iam hinc discernis? Discerno, inquit: virtutes enim beatæ vitæ dominas, effectricēsque, consentio. Sed tamen de his ipsis audire percipio. Audi igitur, inquam, etsi non ad viuum rescare propositum est, sed & quantum ad euidentiā nūc sat erit, breui discursu perstringere. Hoc ipsum, inquit, nunc postulo. De singulis verò si ambigam, aliās. Quum per virtutes ad beatam vitā perueniatur (ab his enim honestas, voluptasque, vera existit) de virtutibus ipsis dicere aggrediar. Atque illud primum à nobis intelligendū est, virtutem omnem esse affectionem animi constantem, quem communi nomine habitum vocāt. Vt enim equum sic à natura generatū videmus, ut & currere, & in gyrum flecti, & portare equitem possit: hæc tamen ipsa non perfectē agit, nisi cum domitus, & exercitatus est, atque ita assuefactus, ut illa bene, & scienter agat: tum enim perfectū quoddam habere videtur. Sic & homo à natura aptus, per exercitationē, & assuetudinē, habitū iustitiæ, & temperantiæ, cæterarumque virtutum nanciscitur, ut tūc demum perfectum ab vsu sit, quod à Natura fuerit inchoatum. Et de virtute quidem omni, in hunc ferē modum accipiendum est, habitum scilicet esse animi, exercitatione, vsuque, acquisitum, ut peritē, & scienter opus suum perficiat. Virtutum verò ipsarum prima partitio est, ut alia sint moris, alia intellectus. Conueniunt in eo, quod omnes sunt habitus. Differunt autem, quia morales fiunt in ea parte

animi, que nō habet rationem: intellectuā autē, in ea parte, quæ rationem habet. Præterea, morales virtutes, mediocritates quædā sunt inter excessum, & defectum. Intellectuā autem excessum non habent, nec sunt mediocritates. Insuper morales, circa affectus, & actus: intellectuā circa veri deprahētionem magis versantur. Sunt verò intellectuæ virtutes quinque, Sapientia, Scientia, Prudentia, Intelligentia, Ars,

Moralium autem maior est numerus. Vt enim affectus sunt humani, qui nos inflectunt, & ducunt, ita virtutes aduersus hos oppositæ resistunt. Ex quo fit, vt morales quidē virtutes omnes circa difficile, arduūq; versentur. Difficile est enim, libidines quasi fræno compescere: difficile iracundiam tenēre: difficile auaritiā coercere. Idem est de aliis affectibus nostris. Ad quæ enim prouisa natura sumus, aduersus illa virtutes opponuntur. Nil agas timidē, dicit virtus, nil intemperanter, nil auarē, nil iracundē, nil iniquē, nil abiectē. Grāde potius quiddam tibi propositum sit. Etsi adsint facultates, magnificentia splendeat. Honores verò ita prosequere, vt declines ambitionem. Veritas & in omni sermone: & in omni vita eluceat. Præterea, caue, ne te virtutis specie decipiat vitium. Inconsulta audacia, fortitudo non est, sed temeritas, & vesania. Tāque est in vitio, qui non timenda formidat, quàm qui timenda omnino non expauescit. Sit timor in periculis, ita tamen si perferenda sint, vt ratio superet, vincatque terrorem. At graue est, vulnera excipere, graue mortem obire. Sint sanè ista, si ita vis, etiam grauisima, tamen incidunt, tempora, in quibus honesta mors turpi fuerit vitæ à sapiente præferenda, & vulnera per gloriam excipere præstet, quàm per ignominiam corpus integrum seruare. Hinc fortitudo illa mirabilis existit, speciosissima profectō virtus, oratorum campus: quæ tanto fauore hominum excepta est vt etiam defunctorum statuas videamus ferè habitu militari: quasi præclarū sit, hoc potissimum genere laudis in vita claruisse. Commune certè virtutis nomen, fortitudo sola in suam propriam appellationem conuertit, nec sanè immeritō. Virtus enim à viro dicitur. Vir autem constans aliquid, & pugna designare videtur. Itaque illud in promptu est: Si viri estis, id est, si fortes. Et Cæsar milites increpans, inquit, sese nō tantum virtutem in milite desiderare, quantum modestiam, virtutē haud dubiè pro fortitudine ponens. Itaque vt in multis aliis, ita in hoc præclaris Græci, quàm nos. Fortitudinem enim illi ἀνδραγαθία vocant. Id importat (vt verbum de verbo exprimam) virilitatem. Nam temperantia communis quidem est, nec viri solū, sed etiam mulieris: fortitudo autem, propria viri est. Versatur autē temperantia circa libidines compescendas: atq; vt fortitudo à fuganos reuocat, sic temperantia ab insequendo coercet: vt quodam modo inter se cōtrariæ, vna ad prælium cohortari, alia receptui canere videatur. Est autem temperantia circa eas voluptates, quæ nobis communes sunt cum cæteris animantibus. Ex quo non propriè illæ quidem hominis voluptates, sed magis feruiles, bestialēque habentur. Diximus de affectibus animi in metu & libidine. Quid? auaritiæ nōne arduum est frænum imponere? aduersus

quam immoderationem virtus est, quam dicimus liberalitatem. Ea est mediocritas quædam in acquirendis, erogandisq; pecuniis, remota quidē ab auaritiæ fordibus, remota etiam à prodigalitate amentia. Auari enim est, nimia acquirendi cupiditas, & remissior, quàm oportet, expendendi cura. Hæc autem duo contraria in prodigo: nam & dissolutus in acquirendo, & profusus in largiendo est. Horum mediū liberalis, vbi, & quando, & quantum capiendum, erogandumq; sit, tenet: & rationem secutus, habitū iam ista agendi ex vsu contraxit. Sed vt circa pecuniarum cupiditatem liberalitas, sic & circa cupiditatem honorum alia quædam virtus existit, ambitioni contraria: nomen verò nequaquam sortita. Sunt enim quidam plus, quàm oportet, honoribus inhiantes, quos dicimus ambitiones. Hi ferè idem in honoribus faciunt, quod auari in pecuniis comparandis. Alii, & quos honestè consequi possunt honores, abiectione quadam animi præmittunt. Inter hæc vitia, virtus est quædam, intellecta quidem apertè, sed non apertè nominata. Atenim & liberalitati, & huic virtuti, quæ est circa honores duæ præclarissimæ virtutes coniunctæ sunt, magnificentia, & magnanimitas: quarum magnificentia, sublimior quædam liberalitas est circa sumptus ingentes, & magnos: vt si quis ad vsu populū theatrum ædificet, aut ludos exhibeat Megalenses, aut gladiatorum munus, aut epulum publicum. Hæc enim, & huiusmodi, quæ priuatum supra modum excedunt, splendorem quendam habent eximium: nec liberalia modò, sed etiam magnifica dicuntur. Magnificentia igitur ad liberalitatem talis est. Eodēque modo magnanimitas ad illam aliam virtutem, quæ circa honores versatur. Est enim ferè eadem, nisi quod magnitudine animi, propositōq; sublimi excedit: vt si maximis dignus sit, maximos sibi honores arrogare non vereatur. Proxima est mansuetudo, & ipsa quoque aduersus cupiditatem constituta, non pecuniarum, nec honorum, sed vindictarum. Est enim ira, vlciscendi cupiditas, cui resistit mansuetudo, ne plus, minūse equo efferatur. Huius excessus, iracūdia: defectus verò, segnities: vtraque in vitio. Mediocritas verò laudabilis, quæ & pro quibus, & aduersum quos, & quantum oportet, irascitur. Hic ille, sublati in me oculis, quasi admiraretur, Mediocritatem inquit, istam cæteræ quidem virtutes, quæ adhuc à te commemoratæ sunt, rectè suscepisse videbantur. Mansuetudo autem, admiror, si hanc suscipiat mediocritatem. Iam enim si hoc fatemur, illud quoq; confitendum erit, iram quandam esse laudabilem: de quo (vt tibi verum fatear) valde equidem subsisto. Quas verò causas ambigendi habeam, si non tibi mea hæc interpellatio molestā sit, exprimere conabor. Tu verò, inquā, arbitrato tuo. Non enim mei causa sermo hic institutus est, sed tui. Puto igitur, inquit, nullam iram esse laudabilem: quod si non laudabilis, neque cum virtute: quando omnis virtus laudabilis est. Virtus enim excellentiam, & præstantiam dicit. Nihil verò est omnium, quod non absque ira melius faciāt homines, quàm irati. Quid enim est ira, nisi ebullitio quædam, & concitatio, maturo, stabilique consilio, & tranquillitati rationis aduersa? Itaque non alia tam crebrò penitenda hominibus incidunt, quàm

quàm illa, quæ per iram geruntur. Nam recta quidem illa ratio, qua nulla carere virtus potest, sedationem animi, serenitatemq; requirit. Ira verò perturbat, & concitat, vt non solū mentis iudicium, sed corporis etiam laudabilem statum peruertat illa quidem atque detorqueat. Furentes oculi, & tremantia labra, verba interrupta, atque infracta, iactatio brachiorum insana, progressio amens: hæc autem (vt pace tua dixerim) furori propiora mihi videntur, quàm virtuti. Atq; perabsurdum est, rectā quidem rationem in virtutibus dominari dicere: iram verò, quæ nos à recta ratione dimouet, in virtutibus aliquando fateri esse: & hunc seruaturū esse modum in rebus agēdis credere, qui in se ipso modum non seruat. Videntur porrò & sapientes viri, hoc ipsam, quod modò dixi, apertissimè testificari. Sunt enim, vt videmus, libri complures aduersus iram ab illis conscripti. Qui verò contra irascentiam scripserit, nemo adhuc, quod equidem sciam, repertus est: quasi non irasci, laudabile sit: irasci verò, vitiosum. Quod si iram nunquàm esse laudabilem constat, sequitur vt mediocritas nulla eius sit, sed omnem penitus huiusmodi perturbationē animi esse improbandam. Tum ego, Non ignoro, inquam, ista ita dici solere ab iis, qui contra Peripateticos disputant. Sed tamen refert quid quisque sentiat. Quæris, num excandescantiam istam, vehementemque iracundiam probem? Negabo quidem, atque detestabor. Quid enim amentius? quid furori similis? Quæris rursus, num irascentiam, & segnitiam omni tempore laudem? Hanc rursus in vitio ducam, atque repræhendam, Etenim peto abs te, si seruus parentem verberet tuum, aut si filia virginem vim afferat, num tu hæc aspiciens animo tranquillo esse debeas? vel potius motu quodam animi ad infringendum illius contumeliam insurgere? Respondet profectō pietas ipsa, & ratio, repræhendendum esse te, nisi pro tanta parentis, filiaq; iniuria indignationem suscipias, & ad vindictam cum acritate quadam vehementiori perciteris. Quid enim, quæso, agat filius, contumeliam parentis indignam cernens? Stabit, credo, eodem animo, atq; vultu, quo fuerat prius, nec eum charissimū, & coniunctissimū iniuria commouebit? Et quis nō hunc detestetur, atque repræhēdat? Ita fit, vt ira quædam nonnunquam laudabilis sit, & non irasci in vitio reponatur. Videtur porrò neque sensum, neque mentem habere, qui vsque adeo hebes, atque dissolutus est, vt neque doleat, neque grauer ferat, cum patriæ, cum parentibus, cum filiis, cum cæteris, quos charissimos habere debemus, contumeliæ inferuntur. Neque sanè verum est, quod dixisti, nihil esse omnium, quod non absque ira melius fiat. Iuuant enim interdum, & certè decent, stimuli quidam, & motus animi vehementiores, pro indignitate flagitii, non immeritō suscepti, qui nos ad pietatem, fortitudinemque impellunt. Nam quod ais, neminem adhuc contra irascentiam scripsisse, ignorare mihi Aristotelem videris, qui vbique scriptorū suorum, segnitiam, & irascentiam istam magnopere damnat. Itaque vt tu iracundum illum furentem, sic ego dissolutum hunc, & segnem mente capto asimilabo, qui nec sentire, nec curare, nec affici vlla re videatur. Sed hæc satis. Ad reliqua instituti ope

ris reuertamur. Diximus de mansuetudine, atque illius extremis. In vita autem, & cōuersatione, multi peccant. Nam reperiuntur quidam contentiosi, displicentes, duri, difficiles, inhumani. Contraque alii, adularores, placendi studio omnia assentantes. Hæc vtraque vitanda sunt. Media verò inter hæc virtus est amicitia similis, procul ab assentatione, procul à contentiosa asperitate. Eodēque modo & ostentationem, & ironiam in vita, & cōuersatione abesse conuenit: quarum altera, in plus, fictio est, altera in minus. Grauitas verò, harum mediocritas est, sed ab ostentatione remotior. Cum autem sit in vita cessatio quædam, atque remissio, (neq; enim continuò laborare homo potest) solatiorum quædam moderatio est. Nam si omnem refugas iucunditatem, rusticus sis: sin autem iucundi arripias occasionē, ita vt nec honestati, nec dignitati parcas, modò risum mouere possis, scurra. Inter hæc, moderatio est quædam virtus, quæ ab his extremis reducta, comitas appellatur. Sic tergemina sunt vitia in cōuersatione hominum deuitanda, ne aduersatores, odiosi, neve rursus placētes adularores simus: ne fingamus ostentando, neve rursus minuendo ironiam vtamur: ne procul ab omni iucunditate, neve rursus ridiculi homines, scurræq; habeamur. Iustitia verò duplex est. Vna perfecta, quæ omnem complectitur virtutem. Altera singularis, in æquitate reposita. Aequitas autem est, vt ne plus commodi, neve minus incommodi suscipiatur. Hic ille, Patere, quæso, inquit, parumper & in hoc loco interpellari te. Cupio enim, nisi molestum sit, quam ob rem perfectam virtutem iustitiā dixeris, intelligere. An forsitan alia, de quibus supra dixisti virtutibus, perfectæ non sunt, ne fortitudo quidem illa, quam tu multis verbis ornasti? quod si illa perfectæ, cur huic perfectionem potius attribuas, quàm illis, non planè intelligo. Iure tu quidem ambigis, inquam. Sed non omnia possunt in hoc tanto, ac tam præcipiti discursu explicari. Iamque à nobis dictum est, non esse propositi nostri, vt ad viuū singula recēseamus: sed tanquam introductores alii qui, euidentiam quandam, & prægustrationem rerū in præsentia tradere. Quod tamen de perfecta requiris virtute, scire debes, bifariam dici perfectā. Vno quidem modo, vt inchoatæ opponitur. Nec enim est dabium, nos ad iustitiam, & temperantiā, & fortitudinem, & liberalitatem quodam modo natura aptos produci: vsus tamen, & assuetudo, exercitatioq; ipsa (vt de æquo diximus) ita nos afficiunt, vt tunc iam perfectum ab vsu sit, quod à Natura fuerat inchoatum. Isto quidem modo omnis moralis virtus perfecta est, neque minū alia, quàm ipsa iustitia. Alio modo perfecta virtus dicitur, quæ omnem omnino virtutem cōtinet, & complectitur. Talis verò est iustitia illa, de qua primò diximus. Est enim secundum leges obseruatio quædam. Leges autem cunctarum virtutum opera iubent, & vitiorum omnium facinora verant. Nam & quæ sunt continentia: vt, non committes adulterium, non flagitium facies. Et quæ sunt fortitudinis: vt, nō fugies in acie, non desereres locum, non arma abiicies. Et quæ sunt mansuetudinis: vt, non iurgia dixeris, non pulsabis, non cōtumelia afficies. Et sic de aliis virtutibus, & vitiis, illas iubendo, & ista vetando.

Quæ verò à legibus proficiuntur, iusta sunt. Itaque illa pars iustitiæ, quæ est legis custos, & obseruatrice, vniuersalis quædam est, & vsum omnium virtutum in se continet. Atque ideo perfecta dicitur, quòd nullius virtutis vsum illi desit, quasi completa quædam, & absoluta virtus. Alia verò iustitiæ pars, quæ in æquitate repositam diximus, particularis est, vt non plus commodi, neu minus incommodi suscipiamus. Est igitur iustitia duplex. Vna vniuersalis virtus, altera singularis. Prima est illa splendida, de qua Euripides inquit, Neque lucifer, neque hesperus est ita mirabilis. Altera verò nō plus ferme laudis in se habet, quàm vna cæterarum virtutum. Mihi quidem, inquit, hæc periuicunda fuere, & mandati memoria quæ dixisti. Sed nunc, quod reliquum est, intellectiuas virtutes expecto. Vnum adhuc restat, inquam, quod ignorare te nolo: postea ad intellectiuas transibimus. Quid est, inquit? De continentia, inquam, & incontinentia dicere: quæ res difficultatem habet, & plerosque fallit, & vtilitatē nō contemnendam eius cognitio affert. Continentia igitur, non est illa quidem virtus, sed finitimum quoddam, & proximum. Ostensum est enim prius, omnem virtutem esse habitum. Continentia verò, habitus non est. Itaque nec virtus dici potest. Versantur autem continentia, & incontinentia in his, in quibus temperantia, & intemperantia. Abstinet quis à iucunditate sensuum indebita: si diu hoc egerit, in habitum trāsit, & tunc demum virtute lucet intemperantiæ. Antè verò, quàm constitutus sit habitus, in ipsis operibus continentia est. Itaque & dolens abstinet continens, nec satis firmus est aduersus cupiditatem. Eodem modo incontinentens, nondum habitum vitii contraxit. Itaque rationem discernit, & principium tenet: superatur tamen ab affectu, & in vitii quodā modo captiuus adducitur. De quo rectè poeta inquit, Video meliora, probòque: deteriora sequor. At intemperans in habitu vitii constitutus, nec rationem iam, nec principium tenet: atque ita corruptus est, vt peruersa natura rerum, malum quidem bonum arbitretur, bonum autem malum. Itaque eligens facit intemperans, incontinentes verò nequaquam eligens, quia rationem intelligit: sed tamen trahitur violentia cupiditatis, quæ in eo quidem est omni ratione potentior. Habes nunc de continentiâ, & incontinentia, quæ breuiter dici potuerunt. Hæc eadem vtilia sunt & in cæteris virtutibus, vt habitum, electionemque; in illis recognoscas. Vitiosus enim omnis, qui habitum vitii iam confecit, lumen cognitionis, principium que amisit. Quam ob rem malo gaudet, quia id bonum putat. Qui verò nondum habitum effecit, se quidem malè agere intelligit, pugnatque simul affectus, & ratio, atque modò hæc, modò illa peruenit. Placet igitur inter virtutem & vitium, medias affectiones quædam, nondum satis stabilitas, vt modò ad hanc, modò ad illud inflectantur. Nunc verò quoniam de moralibus satis dictum, intellectiuas virtutes breuiter videamus. Quarum nempe discussio prolixitatem exigit: breuitas autem succipi operis, compendium flagitat. Tanquam igitur digito illas monstrantes, notare tamen singulas illarum contenti erimus. Quoties ergo de virtute propria loquimur, siue illa moralis, siue intellecti-

ua sit, de animi virtute, non autem corporis loqui nos intelligendū est. Ipsi verò animi partes sunt duæ. Vna rationalis: Altera non habens rationem. Et rursus quæ rationem non habet, partim est vegetatiua, expers omnino rationis, quæ plantis etiam inesse constat: partim appetitiua, cupiditatis, & metus, & affectionum omnium capax: quæ etsi rationem non habet, audiens tamen est, parensque ratio ni. Hæc est enim illa pars animi nostri, quam increpamus erratē, quam coercemus elatam, quam excitamus iacentem, quam consolamur afflictam. Hanc nos dirigimus, & rationi obtemperare compellimus. In hac demum parte virtus moralis fit, quæ est habitus animi per assuetudinem acquisitus, vt mediocritatem quandam in affectibus seruet. Irrationalis igitur pars animi duplex est, vt ostēdimus. Rationalis verò etiam duplex. Nam eius vna pars cōsultatiua est, altera scientifica. Cōsultamus enim de iis, quæ aliter esse possunt. Scimus verò ea, quæ aliter esse non possunt: quapropter neque in cōsultationem possunt cadere. In hac itaque rationali parte animi, virtutes intellectiuæ fiunt, atque vt ista diuiditur, sic illæ distinguuntur. Quinque verò esse numero intellectiuas virtutes, supra diximus: inter quas prudentia nobis prima occurrit, cum superioribus, quas retulimus, virtutibus ferè coniuncta. Etenim in rebus agendis recta illa ratio, quæ moralibus moderatur virtutibus, quæque extrema fugiens, in mediocritate quadam laudabili consistere facit, nihil aliud, quàm prudentia, est. Ex quo fit, vt nulla moralium virtutum absque prudentia esse possit. Versatur autem prudentia in his rebus, quæ non semper eodem modo fiunt, sed aliàs aliter: in quibus etiam cōsiliū, & electio locum habent. Nam de cæteris, & impossibilibus aliter se habere, frustra quis aut consultat, aut eligit. Itaque & cōsiliū, & electio à prudentia est, resque agendæ omnes à cōsilio, electioque pendet. Videtur autem electio non aliis ferè vllis, quàm homini, conuenire. Nam neque bestiis, quæ sunt infra hominē: quoniam niam ratione careant. Neque rursus Deo: quoniam ille puro intuitu singula discernens, nulla de re ambigere potest. At cōsiliū, & electio, de re dubia est. Dicitur autem electio, quòd è pluribus in cōsultatione propositis vnum eligatur, id est suscipiatur. Fit autem hoc, cum, pluribus propositis cōmodis, id, quod videtur maximum, potissimumque assumimus: aut cum pluribus propositis incommodis, minimè malum recipimus. Hæc autem & tempus, & accidentia variant, & rerum experientia cōsiliū dirigit. Prudentia igitur de his est, quæ aliter esse possunt. Scientia verò contrā, de his est rebus, quæ semper eodem modo sunt, & aliter esse non possunt: principia tamen non tractat, sed ab illis iam cognitis discurret. Intelligentia verò, principiorum est, & circa illa versatur. At sapientia, vtrique completitur: nam & de principiis, & de his, quæ à principiis manant, iudicat, & discernit. Itaque rectè definita est, humanarum rerum, diuinarumque cognitio.

O præclaram supellestem, inquit, & quasi diuinam quandam, intelligentiæ syluam!

Quæ enim vel auditæ serenat animum, quid gustatæ, receptæque efficiant?

Restat

Restat ars, inquam, quæ in eodem genere, quo prudentia, versatur. Sed in eo differt, quòd ars in faciēdo est, prudentia in agēdo. Enimvero cum plures sint virtutes, vt diximus, cōstat alias ad otiosam vitā in cōtēplatione repositā, alias ad negotiosam, & ciuile esse aptiores. Sapientia enim, scientia, & intelligentia, contemplatiuum alunt: prudentia verò in omni actione dominatur. Vtraque sanè vita, laudes, commendationesque proprias habet. Contemplatiua quidem, diuinius planè, atque clarior: actiua verò, in communi vtilitate præstantior. Itaque vel in priuata, vel publica re, quæcunque excellenter, & cum laude, quæque pro vtilitate aut nostra, aut patriæ, aut hominum nobis charissimorum agimus, ea quidem omnia à prudentia ab his virtutibus, quæ sunt cum prudentia copulatæ, descendunt. Sed illud ante omnia intelligendum est, nisi bonus sit vir, prudentem esse neminem posse. Est enim prudentia, vera existimatio circa vtilitatem. Vera autem existimatio incorrupta est. Tales verò ipsæ res, quales re vera sunt, nisi bono viro videri non possunt. Improbiorum siquidem hominum iudicia périnde sunt, vt ægrotantium gustus, qui nulla ferè in re verum saporem agnoscunt. Itaque nihil est omnium, cui magis officiant vitia morum, quàm prudentiæ. Sceleratus enim, & flagitiosus homo, veras mathematicæ demonstrationes, & physicæ notitiam retinebit: ad prudentiæ verò opera o-

mnino cæcatur, & lumen veritatis in hac vna amittit. Atqui constat, & hunc nihil velle, nisi bonum: at in illo ipso caligant oculi, quòd bona putat, quæ bona non sunt. Videmus alios tyrannidi inhiantes, alii rapinas, fraudesque meditantur, mœchi verò isti, & pæderastæ, quid est quòd pro libidine explenda nō prætermittant. His si fortè Deus aliquis cupiditatem illam, morbūque animi euellat, ac viri boni mētem, iudiciūque infundat, tanquam respicentes, lumēque recipientes, quantis in tenebris versati sint recognoscent, suūque ipsi maximè detestabuntur errorem. Proposita etenim nobis in omni vita felicitas est, eiūque cupido nobis ingeniata. Ad hanc non per vitia, & libidines, quæ nec laudem in se habent vllam, nec quietare animum possunt, sed per virtutes, modestiāque ascēditur. Bono igitur viro, rectum, expeditūque iter est ad felicitatem. Solus enim hic nō fallitur, neque aberrat. Itaque is solus bene viuit, & bene agit: malus autem contrā. Si ergo beati esse volumus, operam demus vt boni simus, virtutesque exerceamus.

Introductionis in Eudemia Aristotelis,
per Leonardum Aretinum,

FINIS.

ARISTOTELIS STAGIRITAE ETHICORVM ad Eudemum Li- ber Primus.



VI numinis sententiam in Delo edisserit, vestibulo templi inscripsit, Non in eodem omnia conuenire, Bonum, Honestum, & Iucundum. Nam iustitiæ quidē cultum, re esse pulcherrimam, Sanitatem præstantissimam, rei verò amatæ consecutionem suauissimam. Quod nos nequaquam con-

tum pertinent, aliæ verò ad acquisitionem, & negotia spectant. Quam ob rem quæ in sola contemplatione posita sunt, opportuno tempore (id, quod methodi proprium munus est) à nobis, pertractabuntur. Ante omnia verò considerandum, in quonam vita beata consistat, & quo pacto ad eam perueniatur: Vtrum quemadmodum homines parui, magni, & colore differentes, sic quibus nomen beatorum, contigit, vituræ fiant: an per disciplinam, velut certam eò destinatum scientiam: an per exercitationem. Haud enim pauca, neque natura, nec arte aliqua, sed consuetudine sola parantur, vt mala malis, bona bonis. At nullo quidem horum modorum, sed aut Dei alicuius adflatu, quod fanatico furore correptis, aut numine instinctis accidit: aut etiam fortuna. Plurimi enim felicitatem idem quod secundam fortunam esse arbitrantur. Patet igitur, beatitudinem euenire vel per hæc omnia, vel quædam, vel vnum aliquid. Nam ad hæc

principia referuntur omnes rerum generationes.

Ac ab intelligentia profectæ actiones ad eas, quæ à scientia fluunt, transferri queant. Porro bene, beatæque viuere, in tribus maximè rebus consistit, iis nempe, quæ potissimum expetuntur.

Nam prudentiam alii, alii virtutem, alii verò voluptatem vt summum aliquid eligunt, contentuntque inter se, de harum magnitudine, & potestate, quænam ad felicitatis consecutionem vim adferat vberiore. Vnde fit, vt quidam prudentiam virtuti, alii prudentiæ virtutem, nonnulli vtri que voluptatem anteponant. Quocirca ad bene, beatæque viuendum, quidam vnum ex his, alii duo, nonnulli omnia requirunt. Et qui de his præcipiunt, aiunt omnibus scopum quandam rectè viuendi propositum esse, qui modò ex electione viuere iam queant, vt sunt honor, gloria, opes, eruditio, quem spectans quisque, omnes actiones peragit. Quapropter vita proposito sine carens, insignis stultitiæ argumentum est. In primis verò apud sese quisque, nec temerariè, nec segniter constituere debet, quanam parte beata vita consistat, & quid sit, quo sine nemini ea contingat. Neque enim sanum esse, & id, & quo sine nequeat consistere sanitas, pro eodem reputari non debent. Ita nec rectè viuere idem cum eo est, citra quod id nemo consequatur. Quod idem etiam in aliis innumeris obseruatur. Sunt autem causæ eiusmodi, non equidem vitæ, sanitatisve propriæ, sed communes (vt sic loquar) omnium habituum, & operationum. Nam absque respiratione, neque vigilia, nec motus, nec bonum, aut malum in vniuersum vllum subsistit. Aliæ verò propriæ sunt magis vniuscuiusque naturæ, quas ignorare non conueniat. Neque enim ex æquo cum iam dictis ad bonam habitudinem acquirendam faciunt, carniæ esus, aque cibo ingestio deambulatio. Atque hæc sint, quæ difficultatem, controuersiamque pariunt, dum quid sit rectè viuere, & vnde contingat homini, inquiritur. Nam id, quo sine nemo queat beatus esse, nonnulli felicitatis partem existimant. Verùm omnes omnium de his opiniones persequi superuacuum sit, quando & ægrotis, ac deliris, & pueris quædam videantur, quæ nemo sanæ mentis in quæstionem posuerit. Ratione enim opus non est, sed his quidem ætate prouectiore, qua corrigatur iudicium, illis verò punitione, politica, medicæ, que dolori inferendo, plagis, vim habet haud minorem. Similiter & vulgi, de rebus omnibus ferè pronuntiantis omittenda sententia est: absurdum quippe ratione cum iis contendere, qui non rationem, sed multam mereantur. Porro cum in omni negotio quæstiones oriantur, patet etiam de vita excellentissima, dubitationes, opinionèsq; occurrere, quas sit expendere operæpretium. Controuertensium enim argumentis, rationes contrariæ demonstrantur. Ignorare insuper haudquam cõuenit, sub tractationis principium ea, quibus omnis consideratio destinatur, scilicet è quibus bene, rectèque viuere contingat: beatè enim parcius dicere conuenit, ob spem, quæ in singulis à bonis, honestisq; viris percipi solet. Nam si vel in fortuitis, vel iis, quæ naturà eueniunt, sita est vitæ

honestas, commoditasq; spes eius præcidatur multis: quippe qui frustra eò cura, sedulitatèque enitantur, siue id, quod in ipsis est, siue studium actionèmq; spectes. Verùm si in operatione penes ipsum positam, & in eo qualis quisque sit bene viuere constituatur, & communius, & diuinius bonum fuerit, illud quidem quia pluribus participare liceat, hoc quod operationes huiusmodi, vel illiusmodi formare habeat necessum. Equidem quæ de his ambiguntur, & disputantur, perspicua pleræque fuerint, si constiterit, quid verè tandem felicitatem oporteat appellare. An pro animo hoc, vel illo pacto dispositio, vt quidam sapientes, veteresque existimarunt, definire eam conueniat, an verò pro totius hominis statu, aut operationum potius qualitate, & modo. Distinctis autem inter sese vitæ conditionibus, & studiis felicitatem nonnulli haudquaquam in eis collocant, sed necessariorum gratia tantum expeti contendunt, cuiusmodi sunt artes odiosæ, vt appellantur, & quæstuariæ. Odiosas autem voco gloriæ tantum destinatas, mechanicas autem voco sellularias, & mercenarias: quæsturias autem foro, cauponisq; artibus comparatas. Ergo cum ad vitam bene, beatæque tranfigendam tria (vt supra diximus) velut potissima bonorum genera ordinata sint, virtus, prudentia, & voluptas, totidem etiam vitæ genera enasci constat, quas omnes, mentis saltem compotes, adipisci, & sectari cupiant. Nempe ciuile, philosophicum, & voluptuarium. Philosophus enim prudentiam, contemplationemque veritatis, Ciuilis, actiones honestas, eas, inquam, quæ à virtute proficiscuntur. Voluptarius verò corporis voluptates expetit, quapropter, vt supra dictum est, alium, quam priores, felicem, beatumque arbitratur. Vnde Anaxagoras Clazomenius à quodam interrogatus, quemnam beatissimum iudicaret, Nullum, inquit, ex iis, quos existimas, sed qui à felicitate alienissimus tibi videatur. Animaduertat enim nisi magnum, pulchrum, aut diuitem, neminem felicitis appellatione dignum illi censerit. Cum contra, tibi felices, beatique haberentur, qui iustis, honestisque actionibus tranquillè incumbere, diuinæque aliqua contemplatione participarent. Cæterum cum recta, synceraque iudicatio de rebus, difficultate vbique plena sit, tum in primis de iis, quæ obuia, omniumque cognitioni exposita vulgus arbitratur, vt quid in vita expetendum sit, quòve comparato plenam cupiditatem consequantur. Multa quippe mortalium vitam circumstant, & molestam faciunt, & acerbam, vt sunt morbi, dolorum intentio, tempestates: vt si hæc consideranti optio à principio detur, non nasci potius, quam hæc experiri velint. Qua conditione vita puerilis est, ad quam nemo prudens, etiam si queat, redierit. Ac multa quidem, vel voluptatis, dolorumque expertia, vel inhonestis saltem voluptatibus iuncta, eiusmodi sunt, vt non esse omnino, quam viuere, melius iudicetur. Ac in vniuersum, si congeras cuncta, quæ vel agunt, vel patiuntur homines non volentes (quia nec ipsius gratia) adiectis infinitis temporum spatiis, nihil tamen magis viuere, quam non viuere, eligatur. Eodem

Eodem pacto neque ob cibi, Venerisque voluptates, si reliquis destituta fuerit, quas vel cognitio, vel visus, aut sensus quispiam alius suppeditarit, nemo nisi seruile mancipium magnopere sibi vitam exoptandam iudicarit. Patet enim à bruto ita affectum hominem nihil distare, adeò vt bos Aegyptius, quem vt Apin colunt, hos monarchas multis modis antecellat. Eadem ratio est de somni voluptate. Quid enim refert, siue à prima natiuitatis die ad vltimam vsque, mille annis, aut circiter somno profundo stertas, an vitam plantæ viuas: illæ enim eadem propèmodum, qua infantes, vita participant. Nam & hi vt primum in vtero concepti sunt, excrescunt quidem, sed velut iugi somno sopiti. Vnde constat, nequaquam nostræ cognitioni expositum, quid rectum illud, bonumque in vita fiet. Quocirca Anaxagoras, ambigentem quendam, sciscitantemque quare viuere potius, quam non viuere, expetendum esset, iussit cælum, Mundique totius constitutionem, & ordinem contueri. Sentiens vitæ cupiditatem, non nisi scientiæ alicuius gratia laudabilem esse. Cæterum qui Sardanapalum, aut Smindyriden Sybaritam, aut alium quemcunque vitæ voluptuariæ indulgentem, beatum prædicant, hi in lætando felicitatem posuisse videntur. Rursum alii reperiuntur, qui nec prudentiam, nec corporis voluptates, actionibus à virtute prætulerint, quippe quas non gloriæ alicuius gratia sectantur, tum etiam cum felicitatem minimè consequuntur. Sed & multis Ciuilibus appellatio non contingit: nam nec re vera ciuiles sunt, qui honestas per se actiones expetunt, cum plerique alii habendi studio, & gratia diuitiarum vitam eiusmodi capefant. Inde manifestum est, felicitatem ad tria vitæ genera transferri, ciuile, philosophicum, & voluptuarium. Neque clam est, quæ harum circa corporis voluptates consumetur, quæ item, qualisque sit, tum quo pacto fiat. Vt non sit necessum quæ sint, sed num ad felicitatem, & quo pacto conferant, perquirere. Item an voluptates honestas vitæ applicare oporteat, an alio pacto quopiam inter sese communicent. Sunt enim & voluptates aliæ, quibus in rationibus colligendis beatum non absque dolore tantum, sed iucundè etiam viuere arbitrantur. Verùm de his postea dicetur. Virtutis verò, prudentiæque naturam excutiemus quæ sit, & vtrum beatæ vitæ partes existant, vel ipsæ, vel operationes ab ipsis profectæ. Iunguntur enim felicitati, si non ab omnibus, certè ab insignioribus, & pretio aliquo dignis. Socrates igitur senex ille finem summum ponit homini virtutis cognitionem, & quid sit iustitia, quid fortitudo, & quæ pars reliqua eius inquirat. Et rectè id, quando scientias virtutes omnes arbitratur, vt iuxta hunc nosse iustitiam, & iustum esse coincidunt: quemadmodum & geometriam, architectonicamque didicisse, & geometram, architectumque esse. Quocirca non quo pacto, & ex quibus fiat, sed quid sit virtus, vestigat. Id quod in scientiis contemplatiuis vsu venit, neque enim aliud est astrologiæ, geometriæ, physiologiæque officium, quam vt naturam subiectarum rerum norint, & in-

telligent. Sedenim ad eas ipsas, nihil obstat, ad res necessarias multas vtilis nobis, frugiferasque fieri. Verùm alius est actiuis scientiis, alius cognitioni, contemplationique finis propositus, vt sanitas medicinæ, recta iuris, legumque constitutio politicæ. Ergo cum res quidem honestas cognoscere pulchrum sit, in virtutis tamen consideratione, non tam quid sit, quam è quibus petatur, cognoscendum est. Neque enim scire quid sit fortitudo magnopere, sed fortes esse potius volumus, non scire iustitiam, sed iusti esse, quemadmodum sani esse, benèque habere, quam sanitatem, bonumque habitum cognoscere. Probationem verò horum omnium, colligere per rationes oportet, adhibitis testimoniis, exemplisque apparentibus. Potentissimum verò est, in omni probatione, confessum omnibus testimonio proposita firmare posse. Si id nequeas omnino, vel aliquam verisimilitudinem adferre: residet enim penes omnes, aliqua veritatis confessio, quæ nostris confirmandis queant adduci. Nam & ea, quæ verè quidem, sed minùs apertè dicuntur, perspicua fiunt, si confusa notioribus commutaris. Rationes porro in vnaquaque methodo vel philosophicè, vel secus adhibentur, quæ etiam in politicis, haud superuacue ita accommodantur, vt non solum quid, sed quare quid (quod philosophi est proprium) intelligatur. Quia in re animaduersio accurata requiritur. Quia enim philosophicam apparet nihil, si nihil appareat dicere, ignorantes sæpe in rationes peregrinas incidunt, tractationesque inanes aduocant: idque vel ignorantiam, vel etiam insolentiam, qua fit, vt nonnunquam periti, rebusque agendis idonei, ab eiusmodi vincantur, qui hæc nec intelligant, nec in agendo industria vlla valeant. Cuius rei causa est incititia: quæ in vnaquaque re nihil est aliud, quam inopia iudicii, qua propriæ omnes à peregrinis distinguantur. Rectè verò habet si causæ rationem, remque demonstratam studiosè discussis. Tum (vt modò dictum est) non solum certis rationibus, sed apparentibus sæpe potius insistere oportet, animumque aduertere. Nam eas nisi queas soluere, violenter ad fidem habendam pertraheris. Quocirca sæpe quidem id, quod demonstratur ratione, verùm existit quidem, sed non ea ex causa, quæ fortè adfertur: nam & ex falsis colliguntur, quemadmodum in Analyticis ostenditur. Hæc præfari à primis, obscurioribusque exorssi, ad manifestiora progrediemur, quid sit felicitas vestigaturi. Quæ omnium quidem consensu inter humana bona, maximum est, & præstantissimum. (Humana adicio, quia excellentiori fortasse cuidam congruat, vt Deo alicui.) Nam reliqua animantia homine inferiora, huius appellationis prorsus sunt expertia. Neque enim felix dicitur equus, auis, piscis, aut aliud quodcunque animantis genus, nisi fortè naturæ bonitate præstanti, diuinæque re aliqua fruatur, vnde nomen hoc trahat: sed alia quadam bonorum participatione aliud alio commodius, incommodiusve viuunt, quod ad eum modum habere deinceps excutietur. Nunc verò dicamus, quòd bona alia sunt agibilia, quædam

non. Id ita intelligas, quod vt entia quædam metu carent, ita etiam bona nonnulla: atque hæc fortasse natura sunt præstantissima. Alia verò agibilia quidem, sed agibilia præstantioribus homine. Quia verò agibile bifariam dicitur, (nam & quorum gratia agimus, & quæ propter illa actione participant, vt sanitas, & diuitiæ, quæque horum gratia fiunt, salubria, quæstuariæque inter agibilia connumeramus) patet & felicitatē inter agibilia homini præstantissimum dicendum esse. Itaque considerandum quod sit optimum illud, quòtque modis dicatur. Id tribus potissimum opinionibus constat. Omniū enim bonorum excellentissimum inquit ipsum bonum. Ipsū autem bonum esse, quod & primum sit, & aliis suæ bonitatis causa, quorū vtrunque idē boni competit. Vtrunque dico, & primum esse, & causam bonorum, quibus adfuerit. Iuxta hanc enim bona maximè dici, vt quæ participatione, similitudinēque huius primi boni, re vera bona & ipsa existant. Sublata enim idea, participatia quoque auferri: quippe quæ ex eius participatione nomen boni sortiuntur. Primum autem eum habere modum ad posterius, vt bonum ipsum boni idea sit, quæ, vt reliquæ, à participantibus separatur. Verū huius opinionis consideratio alterius exercitationis est, & logicæ magis. Refelentes enim, communēque rationes nulla alia scientia subsistunt. Porro si breuiter hæc dicere conuenit, pronuntiamus primum, ideas, non boni solum, sed cuiuscunque alterius, inutiliter, contentioseque affirmari. Plurimi autem modi sunt, tum peruagatarum, populariumque, tum philosophicarum rationum, quibus hæc inquisitio fieri solet. Deinde si maximè ideas atque boni ideas concesserint, nihil tamen id vel ad vitam honestam, vel actiones contulerit. Quoties enim ens, toties & bonum dicitur. Quemadmodum enim ens (vt alibi quoque ostensum) significat quid sit res, aut qualis, nonnunquam quanta, aut quando: & præterea in eo ponatur interdum quod moueatur, aliquid verò quod moueat. Sic & bonum in singulis his ordinibus conspicitur. Substantia enim mentem, & Deum, qualitas iustum, quantitas mediocre, quando tempus, & opportunitatem, motus docentem, doctumque complectitur. Ergo vt ens non vnum est in prædictis consideratum, & ita nec bonum, & pròinde neque vna scientia & entis, & boni. Sed & nec conformia inter sese ad eandem considerationem pertinent, vt tempus, & mediocritas. Sed alia aliud tempus, alia aliam mediocritatem spectant. Vt opportunitas, mediocritasque, in alimento, quas medicina, & Gymnastice, circa actiones verò bellicas, ars militaris: & sic alia de aliis tradit, docetque. Multò itaque minùs, ipsum bonum vna aliqua scientia comprehendiqueat. Præterea in quibus prius & posterius fuerit, eis communem quandam ideam, & separabilem nequeas constituere. Sic enim sit aliquid primo prius: prius enim & commune, & separabile est, eò quod ablato communi, necesse sit & primum tolli: vt si duplum multiplicium primum est, non licet multiplex communiter prædicatum separari, quippe quod duplo prius est, siquidem ideam

communem esse contendas: pèrinde enim fiat, ac si commune illud separabile reddas. Nam si iustitia bona est, & fortitudo erit. Præterea considerandum quidnam vocent ipsum bonum. Ipsum quidem adiectum eò videtur, vt communem rationem intelligas rationem, quæ quid aliud est, quàm æternum, & inseparabile. Vtrum album diebus multis nihilo magis album est, quàm quod vno. Quapropter còmune bonum idem cum idea censi non debet, omnibus enim inest commune. Rursum verò ostendendum, * quonam pacto impræsentiarum bonum demonstrat. Nunc equidem confessā bona demonstrat, ex iis, penes quæ bona residere in confesso est. Ex numeris, quod iustitia, & sanitas bonum. Ordines enim, & numeri sunt, vt numeris, vnitatibusque inesse bonum affirmetur, cum vnum ipsum bonum sit. Verū ex confessis vt sanitate, robore, modestia, adstruere oportet, & in immobilibus magis honestum esse. (omnia enim hæc, ordo quidam, & quies) quòd si sic habet, alia vtique magis bona sunt: quippe quæ hæc intra sese complectantur. Verū haud germana demonstratione probatur, vnum esse ipsum bonum, quod numeri concupiscant. Non enim appetere manifestè dicuntur, sed simpliciter admodum concupiscentiam etiam dicunt, quàm quo pacto quis tribuat, vita expertibus. Itaque operæpretium est, circa hæc non nihil occupari, neque committere, vt citra rationem transmittantur, quæ ratione adhibita non difficulter persuadeantur, vt affirmare omnia entia bonum aliquid appetere. Verum id quidem. Vnumquodque enim proprium bonum experit, oculus visum, corpus sanitatem, sic etiam reliqua. Verū non esse ipsum bonum, eiusmodi dubitationes habet, & pollicæ inutile esse. Proprium enim bonum videtur, quemadmodum & in aliis, vt Gymnasticæ bona habitudo. Præterea etiam quod in ratione descriptum. Aut enim nulli boni species, aut omnibus ex æquo utilis est. Porro non agibile similiter, neque commune bonum, neque ipsum bonum est. Si nanque medicri bono insit, nihil operabitur. Neque enim quomodocumque medicina in quolibet operabitur, sed vt sanitas acquiratur, similiter & reliquæ artes singulæ. Verū quot modis dicantur bonum, & quod in eo sit pulchrum, quod agibile, illud verò non agibile, eiusmodi autem bonum est id, cuius gratia: ex immobilibus autem non liquebit, quod neque commune, neque ipsum bonum, quod queritur, idea boni existat. Illud enim immobile est, non agibile: hoc verò mobile, sed nihilò tamen magis agibile. Id autem, cuius gratia, finis est præstantissimus, primumque omnium tamen causa inferiorum. Quocirca rerum homini agibilibus ipsum bonum finis, subiectus scilicet omnium rectorici, politicæ, æconomicæ, prudentiæque. Qui habitus ab aliis quidem differunt, eò quod eiusmodi sunt: verū à se inuicem quomodo distinguantur, post explicabitur. Cæterum finem causam inferioribus esse, ostendit ratio, qua finem definiētes, reliqua eò bona demonstramus, quod finis causa existant, velut sanum vt sit corpus, quia causa est aliqua, ea vtique ad ipsum confert.

confert. Porro sanum esse tanquam causa mouens sanitatis est, quæque, vt alii bono sanitas sit, facit. Præterea neque hoc monstratur, sanitatem bonam esse scilicet, nisi aut sophista, non medicus est is, qui ea de re disputat. Hi enim in aliena arena sese iactando cauillantur. Neque vllius artis principium monstratur. Id verò, quod homini, vt finis, bonum est, cum omnium, quæ quidem pos-

sunt ab homine fieri, sit præstantissimum, videndum præstantissimum quoties dicatur: siquidem hoc præstantissimū est, initium disputationis aliud sumentibus erit.

E V D E M I O R V M A R I -
S T O T E L I S L I B R I
P R I M I F I N I S .

A R I S T O T E L I S
E V D E M I O R V M
Liber Secundus.



Porro hæc autem in sequentibus aliud principium constituunt. Omnia enim bona aut extra nos sunt, aut in animo posita sunt: præstantiora autem animi bona, quemadmodum & peruulgata oratione distinguimus. Prudentia enim virtus, & voluptas, in animo sunt, quorum aut nonnulla, aut omnia fines omnibus esse videntur. Animi autem bona, alia habitus, & potentiæ sunt, alia operationes, & motus. Quibus ita positis, & de virtute, fateamur præstantissimam dispositionem esse, aut habitum, aut potentiam singulorum, quorum vsus aliquis, opusve extiterit. Id inductione manifestum fiat. Quemadmodum enim vesti & opus aliquod, & vsū assignamus, præstantissimumque eius habitum virtutem dicimus: sic & de animo sentiendum. Est enim aliquod eius opus, præstantiorisque habitus præstantius opus, & vt sese habitus ad inuicem, ita actiones ab ipsis profectæ habent, ac opus vniuscuiusque finis: Vnde manifestum est, opus habitu præstare: finis enim, quæ finis, vtique excellentissimus est, quando & supra concessum, finem, & vltimum, & optimum esse, vtpote cuius gratia cuncta fiant. Pater igitur, opus habitum, dispositionemque excellere. Verū opus bifariam dicitur. In aliis enim ab vsu diuersum est, vt ædificatoriæ, domus, non ædificatio: medicinæ sanitas, non sanatio, neque medicatio. In aliis verò vsus, opusque non distant: vt visus visio, mathematicæque scientiæ speculatio. Quocirca necessum, vt quorum opus in vsu consistat, vsū habitu præstare. His ita determinatis, dicimus opus negotii, etiam virtutis opus esse, verū non eodem pacto, vt futuriæ, futuriusque calceus. Et siquidem futuriæ, bonique futuri virtus est aliqua, opus erit ipsius bonus, accommodatusque calceus: eodem modo & in reliquis. Nam & animæ opus est, vitam rebus inferre, eius verò vsus vigilia: quando quidem somnus, desidia quædam est, & quies. Quapropter cum opus vnum, atque idem sit necessarium, animæ, virtutisque opus fuerit, vita composita, & honesta: id verò bonum angustius, quod felicitatem supra vocauimus: erat enim ea præstantissima nobis. Porro fines in animo constituti, bona excellentissima sunt. Ipse

verò habitus, & actus, quia est melior dispositione operatio, erit & optimi habitus optima etiam operatio. Virtus autem, optimus habitus est, quocirca operatio à virtute, siue anima profecta, præstantissimum bonum est. Cumque felicitatem præstantissimum illud esse constet, erit ea animæ excellentis operatio. Hæc igitur perfectum quippiam est, vita verò & perfecta, & imperfecta, similiter & virtus: quippe quod alia integra sit, totaque, alia verò particula tantum. Vnde & imperfectorum quoque imperfecta operatio est. Quo ostenditur, Felicitatem esse vitam perfectam, & secundum perfectam virtutem operationem. Atque hoc in definitione genus rectè constitutum esse, testatur communis omnium consensus, qui bene agere, beneque viuere, quod felicem, beatumque esse censent. Quorum vnumquodque vsus est, & operatio, vitæque, & actio: actiua enim vita t vsibus etiam comparata est. Nam faber fræna conficit, equiti etiam vsui futura. Tum etiam quod nec die tantum vna, nec puerili, neque omni ætate felicitatem constare posse dicimus. Quocirca friuola est Solonis sententia, negantis, viuum vllum beatum esse, nisi vbi finem attigerit. Nihil quippe imperfectum felix esse potest, cum integrum non sit. Deinde laudes virtutis, actionibus, earumque encomiis impenduntur, & coronantur, non qui vincere quidem possint, nec vincant tamen, sed victores. Sed & iudicium, quo qualis quisque sit constituitur ex operibus, spectat. Præterea, ob id non laudari felicitas solet, quia reliqua vel partes eius existunt, vel per eam fiunt, aut ad ipsam referuntur, quam ob rem aliud est t præditacio, aliud laus, aliud item encomium. Encomium enim oratio est, facta cuiusque singularia exponens: laus verò vniuersalia celebrans: prædicatio autem finem intendit. Vnde manifestum redditur, interdum quo de conuertitur, quare media vitæ parte, boni, honestisque prauos nihil antecellant: nihil enim discriminis inter dormientes est. Somnus enim est vitæ otium, non operatio: quapropter nutritiæ partis virtus, quemadmodum nec corporis pars, totius virtutis nequaquam censi debet, eò quod in somno vim suam vberius exerat, agatque nutritrix facultas, cum contrà sensitiua, concupiscentisque dormientibus sint

sint imperfectiores, quatenus motu non participant: phantasia verò, nisi morbo, aut alio quopiam malo præpedita fuerint, sapientum efficaciores. Verùm quia virtus animæ est, non accidentariè, de hac considerandum deinceps studiosius erit. Sunt enim humanæ animæ duæ partes, quarum vtraque ratione participat, sed non eodem modo: altera enim vt imperio, altera verò vt obsequentiæ, auscultationique nata: si quid præterea fuerit rationis expers, prætermittatur. Neque verò refert, in partefine diuidi anima queat, an nequeat: sunt enim illi facultates diuersæ, tum illæ etiam, quas memorauimus supra. Quemadmodum in curua superficie concuum, conuexumque separari nõ possunt, item in eadem rectum, & album: quanquam rectum est, quod album non est, nisi per accidens, substantia sit eiusdem licet: ita si quæ pars animæ præterea adscribitur, omittitur, vt naturale. Humanæ nanque animæ hæ partes propriæ sunt, quocirca nec nutrix, nec concupiscibilis facultas, existimari hominis propria debet. Ex naturæ enim humanæ conditione, necessum est, rationem, ac rerum agendarum principium, tum operandi potetiam inesse. Porro quia ratio non imperat rationi, sed affectionibus, & cupiditati, oportet & has quoque partes assignari: & quemadmodum bona habitudo ex singulis corporis virtutibus constat, ita & animæ virtus quatenus finis, è singulis constat. Virtutis verò duæ species sunt, moralis alia, alia intellectiua: neque enim iustos tantum, sed etiam intelligentes, sapientisque laudamus, quia virtutem, eiusve opus laudibus celebrari supra ostendimus: hæ verò, cum non operentur ipsæ quidem, operationes tamè virtutum existunt. Quia verò intellectiua partes cum ratione sunt, à parte rationem habente vendicantur, quæ imperium obtinet in anima, nempe quæ ratione participat. Morales verò, irrationalis quidem partis sunt, sed quæ necessariò sequitur dicentem. Neque enim interroganti, cuiusmodi sit moribus aliquis, respondemus: Sapiens, & callidus, & mansuetus, aut confidens. His itaque consequens, vt de virtute morali, primùm quid sit, & quæ eius partes, consideretur: ad hæc enim etiam reducuntur ea, per quæ fiunt. Oportet autem inquisitionem, quemadmodum in aliis, ita fieri, vt prius constet quod omnes quærunt, & pròinde per ea, quæ verè quidem, sed non perspicuè dicuntur, ea, quæ & vera sunt, & perspicua, colligere. Perinde enim se hæc vestigatio habet, ac si sanitatem finire, dispositionem corporis optimam instituemus: & Coriscum illum, qui in foro sedet, nigerrimum esse dicamus. Quid enim sit alterutrum horum, ignoramus: pròinde quod quid sit vtrunque cognoscatur, operæpretium est quo pacto habeat, prænouisse. Primùm igitur constituatur, præstantissimam actionem à præstantissimis virtutibus produci, & in singulis quid optimum sit, efficere, idque ab vniuscuiusque virtute. Vt è laboribus commodis, nutrimentoque idoneo, bona habitudo oritur, ex habitu verò optima, optima etiam elaborant homines. Deinde omnem dispositionem ex iisdem hoc, vel illo pacto illatis, nasci, & corrupti, velut sanitas ex laboribus, alimento, & temporibus, quæ inductione patent. Pròinde & virtus,

nascens à motibus animæ præstantissimis, & vnde animæ affectiones, operæque præstantissima proueniunt, ab iisdem aliquo modo & fit, & læditur: ad ea verò vsus ipsius, à quibus augetur, & labefactatur, circa quæ & rectissimè vitam disponit. Cæterum circa iucunda, tristitiaque virtutem versari, argumentò sunt punitiones, quæ vt medicationis vice per contraria vsurpantur in aliis, ita per hæc quoque fiunt. Patet igitur, virtutem moralem circa iucunda, tristitiaque versari, quoniam verò mos, vt nomen indicat, à consuetudine incrementum capit, (Advsuecit enim operatrix facultas exercitatione non naturali, vt hoc, vel illo pacto moueatur, etsi inanimatis id non contingat: nemo enim lapidem quamlibet crebrò sursum iactum, itidem facere, nisi vi extrinsecus adhibita, vidit) rectè morem animæ iuxta imperantem rationem vocari, ac potentia qualitatem sequi dicimus. Neque verò prætereundum est, iuxta quas animæ affectiones quales quidam mores dicantur: iuxta potentias verò passionum, à quibus passiuè, iuxtaque habitus modum erga affectus, dicuntur mores vel affecti aliquo modo, vel passionibus minimè obnoxii. Cæterum diuisio constituatur deinceps ex affectuum, potentiarumque, & habituum animæ enumeratione. Voco autem affectus iram, metum, verecundiam, cupiditatem, & in vniuersum, quæ per se voluptas, tristitiaue sensitua sequitur: & secundum hæc quidem qualitas nulla formatur, sed afficiuntur homines iuxta potentias. Voco autem potentias, quibus fit, vt commotè aliquid agere dicamur, vt iracundus, stupidus, amoribus deditus, verecundus, impudens. Habitus verò sunt, quibus efficitur, vt hæc secundum rationem nobis insint, aut contrarium: vt fortitudo, modestia, timor, intemperantia. Quibus ita determinatis, constituendum in omni continuo, diuisibilique, excessum, defectum, mediūque reperiri, arque hæc vel mutuo ad se inuicem, vel nostri respectu: vt gymnastica, medicina, ædificatoria, gubernatoria, & quæcunque actiones alia, siue iuxta scientiam instituta, siue scientiæ expertes, aut artificiosa, siue inartificiosa: motus enim continuum quidpiam est, actio verò motus. In omnibus verò scientia, & ratio, medium nostri respectu, & quid optimum sit præcipit, idque passim habitum gignit præstantissimum, quod etiam inductione, & ratione probari potest. Contraria enim contrariis pugnant, extrema verò & mediis, & sibi. Medium enim vtrunlibet est ad vtrunlibet, vt æquale minore quidem maius, maiore verò minus existit. Itaque necessarium est, virtutem moralem circa media quædam versari, & medium quidpiam virtutem esse. Restat igitur, vt dicatur cuiusmodi mediætas virtus sit, & circa quæ versetur media. Quæ omnia dilucidius exemplis, velut in tabula adumbrabimus. Sumatur enim iracundia, doloris carentia, mansuetudo: confidentia, timor, fortitudo: impudentia, stupor, verecundia: intemperantia, sine sensu vita, modestia. Nam oppositum modestiæ, quod hic *ἀνασθησις* vocamus, nomine vero caret, Vindicta, lucrum, damnum, iustum: prodigalitas, sordes, liberalitas: iactantia, dissimulatio, veritas: adulatio, odium amic

amicitia: placendi studium, contumacia, grauitas: mollities, afflictio, tolerantia: ostentatio inepta, pusillanimitas, magnanimitas: profusio sumptuosa, illiberalitas, magnificentia: versutia, stultitia, prudentia. Hæc, atque eiusmodi affectiones animis accidunt, ac ab excessu, defectuque nomen acquirunt. Iracundus enim dicitur, qui vehementius, & citius, & ob plura, quàm deceat, excandescit. Dolo rem autem vacans deficit, in quibus, & quando, & quo modo conueniebat. Confidens, qui non metuit, nec quæ decebat, nec quando, nec quo modo. Timidus verò, qui metuit quæ non conuenit, nec quando, nec quo modo. Similiter & intemperans, cupiditatibusque indulgens, & qui modum nesciat, in re quacunque tandem. Sensu verò humano caret, qui nec quantum expedit, nec secundum naturam concupiscit, sed omnis affectionis, ad instar lapidis, expers est. Lucri cupidus, qui vnde quæque quæstum aucupatur. Negligentes verò, aut nusquam, aut à paucis certò conquirit. Iactabundus, plura, quàm possideat, ostentat. Dissimulator, pauciora. Assentator plura, quàm deceat, laudat. Odio prosequens, pauciora. Qui nimis ad voluptatem comparat orationem, placendi studiosus: verum qui ægrè, aut pauca ad gratiam dicit, contumax appellatur: & qui nullum dolorem, etiam si expediat, sustinet, mollis: qui verò omnem, proprio quidem, & simplici nomine caret, sed translato, obduratus, ærumnosus, miserisque natus dicitur. Ostentator ineptus, qui pluribus se dignum arbitrat, quàm deceat. Pusillanimus, qui paucioribus. Profusus, qui omnibus sumptibus excedit. Illiberalis, qui omnibus parcat. Similiter & parcus, & prodigus: hic enim excedit erogando modum, alter eum non attingit. Versutus, in omnibus, & vnde quæque alios in utilitatis captione anteuertit. Stolidus verò, etiam isthic cessat, vbi non oportebat. Inuidus, ob successum, plus, quàm deceat, angitur: nam & dignorum successibus adfligitur tales. Contrarius huic, nomine caret, is scilicet, qui spectans indignorum successum, nihil commouetur tamen, sed expeditus est, securusque alienorum, perinde ac solent, qui ventri tantum inseruiunt: ille verò, difficilis est ob inuidiæ morbum. Quæ verò in singulis ita habeant per accidens, superuacuum est determinare. Nulla enim scientia, vel contemplatiua, vel actiua, ea ratiocinando, agendove iungunt: hæc enim contra deceptiones artium logicas adferuntur. Quocirca simpliciter hæc determinata nobis sufficiant, accuratius deinceps pertractanda, vbi de oppositis inter se habitibus disputabitur. Affectionum verò eiusmodi species, ex eo nomen trahunt, quod aut iuxta excessum temporis, aut secundum quod magis quidque est, aut relatione ad aliquid differant ii, in quibus affectus exteruntur. Animo nanque præceps dicitur, eo quod citius, quàm oporteat, prorumpat. Sæuus verò, & immanis, eo quod violentius prorumpat. Acerbus verò, quod irascendi capter occasionem. Percussor verò, & contumeliosus, à punitionibus ex ira profectis. Delicati autem, gulosi, vinolenti, eo quod vtroque alimenti genere nimis, & præter rationem deliniuntur. Cæterum ignorari non

oportet, quando quo modo pro vberiore passione capitur, id quibusdam ex his non competere. Vt adulter non ex eo vocatur, quia magis soleat coniugatis misceri: sed malitia eius facti quædam expenditur. Simul nanque & passio, & talem esse iunguntur, nec segregatur etiam ab eiusmodi contumelia. Vnde sæpe controuertitur, an qui congressus sit, etiam adulterium commiserit, vtpote si ignorans, aut coactus fecerit, & qui percusserit, etiam contumeliatus sit: atque eodem pacto in reliquis. His ita peractis, non prætereundum, quod duæ cum sint animæ partes, virtutes etiam iuxta easdem distingui: alia enim rationalis partis contemplatiua, quarum opus est veritatis inquisitio, vel quomodo habeat, aut generatur: alia verò partis irrationalis, cupiditatibusque obnoxia. Non enim si in partes diuidi anima queat, idcirco omnes eius cupiditate participant. Mores verò honestos, aut prauos, elucere necessum in dolorum, voluptatumque fuga, aut persecutione: id quod ex diuisionibus affectuum, potentiarum, habituumque patet, potentia enim, & habitus affectionum sunt: ipsi verò affectus, dolore, voluptatēque finiuntur. Itaque & ex his, & superioribus, constat, omnes virtutes morales circa dolores, voluptatēque versari. Omnis enim animi voluptas in ea intendit, quibus meliores, deteriorēve reddimur. Etenim in dolorum, ac voluptatum fuga, & persecutione, tum prauos fieri mores manifestum est, quando nec vt oportet, nec quas oportet persequuntur, ac fugiunt: ideoque promptum illud omnibus est, vt animum in voluptatibus, & tristitiis imperturbatè, ac tranquillè consistentem, virtutem esse definiant, contrariaque de vitio loquantur. Quandoquidem autem virtutem, iam liquet habitum eiusmodi esse, quo & effectiui optimorum reddantur homines, vt optimè etiã ad ea disponantur, (optimum enim præstantissimum illud est secundum rectam rationem, medium nempe nostri respectu, excessus, defectusque) necessum est, virtutem moralem, mediocritatem in re quilibet esse, aut in voluptatibus, doloribusque, & in iucundis, ac tristibus circa media quædam versari. Mediocritas verò illa interdum in voluptatibus consistit: in iisdem enim & excessus, & defectus. Interdum in doloribus: nonnunquam in vtrisque. Excessus enim fit, vel nimis iucundis latando, vel tristibus nimis dolendo: idque vel simpliciter, vel termini communis respectu, vt cum non velut vulgus, sed vir bonus, quemadmodum decet, commouetur. Quia verò habitus quidam est, iuxta quem in eadem re hic quidem ad excessum, alius verò ad defectum prolabatur: necessum est, vt quemadmodum hæc & sibi ipsis, & medio contraria sunt, sic etiam habitus & sibi inuicem, & virtutibus pugnare. Contingit autem antitheses alibi quiddem omnes iuxta perspicuas esse, alibi verò in excessibus, alicubi in defectu magis. Causa autem contrarietatis eius est, quia non qui, & quæ semper inæqualiter, similiterve admodum. Sed qui nunc quidem ab excessu, nunc autem à defectu citius transit ad medium, is contrarius magis videtur. Quemadmodum in corporibus laborando quidem excedere, quàm

quàm deficere, edendo verò deficere, quàm excedere, salubrius est. Itaque & delectus rerum earum: ii, inquam, qui his in exercitationibus sunt, similiter habent. Pro rationeque hac aut magis, aut minùs conducibiles dicuntur, vt nunc quidem qui laborum, nunc qui continentiarum, stabilitatisque studiosiores sunt, apti magis sanitati videantur. Et contrà, cum à mediocri, & ab eo, quod ratio probat, dicitur, nunc quidem ignauus ille, laborumque fugiens, non autem ambo, nunc verò luxu perditus, & non famelicus ille delectu deterior dicitur. Id verò euenit, quòd natura non in omnibus æqualiter à medio distat: laboribus enim minùs, quàm voluptatibus, capimur. Quæ t̄ simpliciter circa animam habent. Contraria verò constitutum, habitum, in quo magis excedunt, & in quem vulgus inclinatur: alter verò latet p̄inde, ac non existat prorsus: quia enim contingit rariùs, non sentitur. Ita enim iram mansuetudini opponimus, & iracundum mansueto. Nam et̄i excessus contingat in mansuetudine exercenda, siue admittenda reconciliatione, siue non irascendo, cum sis cæsus alapis, pauci tamen eiusmodi reperiuntur, omnibus in alterum extremum propensis, iram nanque minimè solet esse blanda. Posteaquam igitur habitus circa quamlibet passionem, ac excessus, defectusque, & contrarios habitus, quos habent secundum rectam rationem homines, enumerauimus, superest, vt quid sit recta ratio, cuiusve termini respectu, medium vocandum sit, exponatur. Manifestum verò, omnes virtutes morales, omniaque vitia, circa voluptuaria, tristiaque excessus quosdam esse, atque defectus. Voluptates autem à memoratis habitibus, affectionibusque fiunt: verum optimus habitus rei cuiusque medius existit. Vnde patet, virtutes aut omnes, aut quasdam in mediocritate sitas esse. Quapropter aliud principium considerationi sequenti constituatur. Etenim substantiarum omnes secundum naturam principia quedam sunt, & possunt singulæ multa eius generis progignere, vt homo hominem, & animal in vniuersum alia animalia, plantæque plantas. Præter hæc verò solus omnium animantium homo, actionum quarundam principium est: quippe quòd præter hunc nullum agere prætereà dicitur. Sedenim ea propria vocantur, è quibus primùm motus proficiscuntur: iustissimè verò omnium, è quibus aliter nihil queat produci, cuiusmodi penes Deum sunt. Immobilia autem, vt in mathematicis, non per se quidem, sed similitudine quadam principia appellantur. Hic enim ipso principio labefactato, labefieri omnes, quæ ab illo principio fluxere, demonstrationes oportet, cum ipsæ inter se demonstrationes altera alteram tantisper non euertunt, quantisper illa communis hypothesi, vnde lucem istæ suam habent, non euertitur. Homo igitur motus cuiusdam principium est, non actio motus est. Quia verò principium, quemadmodum & in aliis, eorum, quæ per ipsum sunt, fiuntque, causa existit: vt in demonstrationibus, ita hic quoque penficulare ea conuenit. Nam si habente trigono duos rectos, necessum est tetragonum quatuor rectis constare: manifestum est, quòd trigonus duos rectos habens, causa eius existat. Verum si quid in tri-

gono mutaris, necessarium est & in tetragono mutas, vt si tres habuerunt sex, & si quatuor octo. Sin verò non mutas, vt illud, ita hoc quoque habeat necesse est. Id ita necessariò euenire, ex Analyticis patet: verum impræsentiarum in tantillum neque dicere accuratè, neque non dicere conuenit. Nam si nulla alia triangulo causa est, cur ita habeat, id ipsum principium erit, & causa, qua reliqua adstruantur. Quocirca si quedam sunt eiusmodi, vt etiam contrà habere possint, necessariò etiam principia sunt eiusmodi. Nam ex necessariis nihil, nisi necessariù, concluditur: quæ verò à nobis oriuntur, etiam contrariè euenire possunt. Equidem quæ penes homines sunt, pleraque eius generis comperiuntur, atque ipsi talium etiam principia existunt. Quarum igitur cunque actionum principium & dominus homo constituitur, ea patet fieri, & non fieri posse, & in sua etiam manu esse, qui fiant, vel non fiant: vt puta quorum ipse dominus est, vt vel sint, vel non sint. Quæ verò in ipso sita sunt, vt faciat, vel non faciat, eorum vtique causa existit. Quoniam autem virtus, ac vitium, & vtrorumque effectus, hi quidem laudantur, illi verò vituperantur: vituperantur autem, laudanturque non quæ à necessitate, vel natura, vel fortuna insunt, sed quorum ipsi causa sumus. Quorum verò alii, eorundem etiam laus, vel nota erit, manifestum virtutem, ac vitium circa eiusmodi versari, quorum causa quisque est, & actionis principium. Quocirca dispiciendum, quorum causa, quarumque actionum principium homo existat. Etenim confitemur omnes, voluntariorum tantùm, & eorum, quæ electionem admittunt, neque à volentibus, deliberatòque suscipiuntur, causam quenque esse: inuoluntariorum verò nequaquam. Vnde satis constat, voluntariorum tantùm virtutem esse, ac vitium. Idcirco quid voluntarium, ac inuoluntarium sit, cum virtus his, vitiumque describantur, considerandum erit. E tribus verò his vnum existere videtur, aut iuxta cupiditatè, aut electionem, aut intelligentiam. Nam voluntarium secundum hæc aliquid est, inuoluntarium verò præter hæc aliquid. Porro cupiditas in tres partes distribuitur, consultationem, irascentiam, & cupiditatem. Itaque hæc distinguenda sunt, & primùm quidem secundum cupiditatem. Omne enim, quod iuxta cupiditatem est, voluntarium vtique indicatur: nam inuoluntarium omne violentum videtur: & si violentum sit, etiã acerbum erit, omne scilicet, quod coacti faciunt, aut patiuntur, quemadmodum Euenus inquit, Omnem rem necessariã molestam esse. Itaque si quid molestum, idem etiã violentum erit, & contrà. Quicquid verò præter cupiditatem est, id omne dolorem infert: iucundorum enim cupiditas est. Itaque violenta etiam inuoluntaria sunt, & pròinde quæ secundum cupiditatem eadem voluntaria: hæc enim inter se inuicem sunt contraria. Porro omnis malitia reddit deteriozem. Intemperantia autem, malitia quedam est, vt videtur. Intemperans, qui præter rationem sequitur cupiditates, volens igitur faciet, & voluntarium iuxta cupiditatem. Absurdum enim sit, intemperantes redditos, iustiores fore. Ex his igitur voluntarium secundum cupiditatem iudicari queat, ex aliis

aliis verò contrarium. Quicquid enim fit voluntariè, id fit à volente, quòdque à volente, id voluntarium. Nemo autem vult quod malum esse norit. Verum intemperans non quæ vult facit: siquidem intemperatè agere, est ex cupiditate id quod optimum quis arbitratu agere. Vnde volentem, nolentemque eundem agere contingeret: quod est impossibile. Continens verò iustius agit incontinente. Nam continentia virtus est, & pròinde iustiores efficit sui studiosos. Tum verò exerceatur, cum contra cupiditatem, secundum rationem viuatur. Quocirca iustè, quemadmodum & prauè agere voluntarium est: vtraque enim voluntaria apparent, & necessum si alterum voluntarium sit, etiam alterum esse: quòd verò præter cupiditatem sit, voluntarium. Idem igitur, volens aget, & non volens. Sic etiam propemodum sese de ira habet. Nam continentia, & incontinentia, quemadmodum circa cupiditatem, ita circa iram quoque versari videntur. Nam quod iræ repugnat, triste est, & violenta eius cohibitio. Itaque si violenta, etiam inuoluntaria, & quod secundum iram fit voluntarium. Videtur & Heraclitus, vim iræ contuens, repressioem eius permolestam attestari. Difficile enim, inquit, iræ resistere est. Anima enim fruitur, animoque indulget ira. Sin impossibile, eundem quippiam nolentem, volentemque vnum idem facere, magis voluntarium est, quod à voluntate, quàm cupiditate, aut irascentia fit: argumento est, quòd multa facimus etiam absque ira, & cupiditate. Superest igitur, vt, an quod volunt homines, idem sit voluntarium, consideretur, videtur nanque & id impossibile, quando & supra constitutum est, malitiam reddere iniustiores: ac intemperantia quidem malitia est. Contrarium verò vsu venit, eò quòd nemo quæ mala arbitratu, velit, quæ tamen facit intemperans. Itaque si iniuria afficere, spontaneum est, id autem ex voluntate: ergo intemperans factus, non iniurius, sed temperante priore illo iustior erit: quod est impossibile. Voluntarium igitur non esse quod iuxta cupiditatem sit, neque inuoluntarium quod contra cupiditatem sit, patet. Sed & neque id, quod secundum electionem ex iisdem, manifestum est. Nam quod ab electione fit, demonstratum est inuoluntarium non esse: sed magis quòd quisque vult, id voluntarium. Verum contingit etiam non volentem, tamen spontaneum aliquid agere: atque solum id est demonstratum. Multa insuper repentino motu facimus: eligit autem repente nemo. Etenim si trium horum aliquid voluntarium est, necessariò erit aut secundum cupiditatem, aut electionem, aut intellectum, ex quibus, cum duo priora non sint, relinquatur vt in eo quòd contemplando quis agat situm, voluntarium illud dicamus. Cæterum paululùm progressi oratione finem tractatui de voluntario, inuoluntarioque imponemus. Eorum enim, quæ vi, aut non vi eueniunt, consideratio prioribus cognata est ac propria. Omne enim violentum, inuoluntarium. Quocirca de violento considerandum est, quid sit, quòve pacto ad voluntarium inuoluntarium habeat. Videtur autem violentum necessario, vis, & necessitas voluntario, persuasio-

neque in rebus agendis opponi. In vniuersum autem violentum, necessitatèque etiam inanimatis assignamus. Nam & ignem vi, coactumque deorsum ferri, cernimus. Verum quando secundum naturam, propriumque impetum fertur, nec violentia, nec voluntarium subest, sed nomine caret antithesis, verum cum præter hæc contingunt, vi dicimus fieri. Eodem pacto & animalia, & inanimata vi multa cum facere, tum pati animaduertuntur, quando scilicet præter naturalem impetum ab externo aliquo mouentur. Quod in anima quidem expertibus simplex est, sed in animatis sæpe simplex, vt in quibus non semper ratio, cupiditasque consonant. Ac cæteris quidem animalibus, quemadmodum & inanimatis violentum simplex est, quippe quæ cupiditati (nam ea viuunt) ratione minimè contrarium habeant: homini verò ambo insunt, certa quedam ætate, ea scilicet, quæ rebus per rationem agendis idonea est: neque enim vel puerum, vel feram agere dicimus. Pròinde cum violentum omne molestum esse, nec vi quisquam, sed gaudens agere videatur, magna de temperante, intemperantèque controuersia oritur: eò quòd vterque contrarios intra se impetus sentiens agit. Vnde temperantem vi se ipsum à suauium cupiditate abstraxisse aiunt: dolet enim luctas cum resistente cupiditate. Intemperans autem vi, præter rationem rapitur, minùs tamen adfligitur: nam cupiditati latus indulget, quippe qui suauibus intendit, quocirca non vi, sed volens agit, quia dolore vacat. Porro persuasio, violentiaque, necessitatique opponitur: temperans verò ea sedatur, de quibus persuasus est, non vi, sed volens. Nam cupiditas citra persuasionem trahit, quippe quæ ratione caret. Quòd igitur si soli vi, inuitique facere videantur, quàmque ob causam, scilicet ob similitudinem, qua & inanimata agere dicimus, exposuimus hæcenus: Sedenim si & quod in determinatione positum isthic fuerat, adiciatur, soluitur quod dictum est. Quando igitur foris quippiam præter impetum intrinsecum mouerit, sedarive, vi id fieri asseueramus: quando verò secus, non vi. In temperante autem, intemperantèque, insitus impetus ducit, (vtrunque enim habet) & neuter vi, & coactus, sed volens vterque agit. Nam principium, quod foris est, præter naturalem impetum, siue moueat, siue motum impediat, necessitatè vocamus, vt si quis manu, & voluntate, & cupiditate retinentis arrepta, percutiat alium. Verum si intrinsecus principium fuerit, vis non est: quandoquidem & voluptas inest, & cupiditas, quæ statim à natiuitate in omnibus depræhenditur. Atque his ferè duobus à natura quippiam inesse determinamus, eò scilicet quòd à natiuitate statim à natiuitate inest, & quod generatione existente facillè consequimur, vt senectus, canities, ac alia id genus. Itaque non secundum naturam facit alteruter, sed secundum naturam simpliciter: sed non eandem. Quæstionibus igitur de temperante, intemperantèque, vtrum vi, & non volens agat alter, aut vterque, aut vi simul, inuitique ambo: & si vis voluntaria sit, num volentes simul, nolentisque agant, ex dictis hæcenus occurrendum. Verum & aliter vi, coactique agere dicuntur,

tur, non dissentientibus inter se mutuò ratione & cupiditate, quando scilicet id faciunt, quod molestum quidem, & friuolum iudicant, sed neglectum, damnum, aut mortem inferat: hæc enim omnes, aut coactos facere aiunt, aut non. Faciunt autem omnes: nam omittere quidem licet, sed ferendum incommodum. Verùm ex his alia quidem violenta, alia verò non violenta fortè quis dixerit. Quæcunque enim eorum, per quæ vel facere, vel non facere penes ipsum est, etiam si non volens facit, tamen & facere sponte dicitur, & non vi: quæ verò penes ipsum non sunt, vi quodam modo, sed non simpliciter fieri dicuntur, eò quòd non illud ipsum eligit, sed alicuius gratia agit. Verùm ex his est quoddam discrimen. Nam ridiculus fuerit, si vt contactus quis vitaret, occidisset alterum, vi se id, coactumque fecisse dicat: maius enim, acerbiusque malum oportet, non facienti propositum sit. Sic enim coactus, & non vi faciet, scilicet quando malum boni gratia, vel ob maioris mali repulsionem agit, idque inuitus. Neque enim penes ipsum hæc sunt: quocirca & amorem, & iras quasdam, & naturalia nonnulla inter inuoluntaria cõnumerant, quia violenta nimis, & supra naturam sunt. Vnde & veniam merentur, eò quòd vi cogere naturam soleant. Sed & magis vi, inuitèque facere videtur, qui facit, ne vehementius, aut leuiter doleat, vel etiam ne gaudeat. Nam ad ipsum refertur vniuersum, quod ferendo natura est. Verùm quæ neque naturalis cupiditatis, nec rationis sunt, non debet penes ipsum esse censerì: quam ob rem phanatici, & qui futura prædicunt, quamlibet intellectus opus faciunt, non tamen id penes ipsos esse asseueramus, neq; vt faciant quæ fecerunt, neque vt dicant quæ dixerunt. Sed & nec per cupiditatem. Itaque & intellectus quidam, affectusque, aut actiones secundum eiusmodi rationes, & intelligentias, in nostra potestate non sunt. Sed quemadmodum Philolaus inquit, Rationes quædam sunt nobis potentiores. Ergo voluntariorum, ac inuoluntariorum consideratio, eorum, quæ vi eueniunt, tractatui iungenda est: atque hæc ita sint inter sese distincta. Nam qui spontaneum maximè interpellant, in se coactos dicunt, vt in eam animi sententiam veniant. Et quia finem id iam habet, & voluntarium, nec cupiditate, nec electione terminatum est, reliquum est, vt ea, quæ iuxta intellectum fiunt, determinantur. Videtur autem inuoluntario cõtrarium esse voluntarium, &, quod cuiusque gratia sciens quis facit. Interdum enim nouit quòd pater sit, non tamen quòd occidat, sed feruet potius: vt Peliaes, petebant quidem poculum, sed vt amatorium, & vino plenum: id verò venenum erat. Ignorans autem quem, cui, & quid, ex ignorantia, non per accidens agere dicitur. Quod autem ab ignorante tali sit, inuoluntarium est: ergo voluntarium contrarium est. Quæ igitur penes ipsum sunt, vt facere omittat, facit non ignorans, & per se, ea utique voluntaria sunt, & voluntarium id ipsum est: quæ verò ignorans, ex eo quòd ignorat, ea inuitus facit. Porro quia scire, & intelligere bifariam capiuntur, vel vt habeatur, vel vt usurpetur scientia, qui habens non vitur, interdum ignorans meritò dicitur, interdum verò nequaquam, velut si per ne-

gligentiam non vitur. Similiter & is vituperetur, qui vel facilius, vel necessariorum peritiam, & per negligentiam, aut dolorem aliquem, voluptatèque non vestiget. Hæc loco huic inferenda videbantur. De voluntario igitur, & inuoluntario hoc modo determinatum sit. De electione verò deinceps dicemus, expositis primùm nonnullis quæstionibus. Ambigat enim fortasse quis, in quo genere orientur, tum in quali constituenda sint, aut eademne, aut diuersa sint voluntarium, & inuoluntarium. Maximè verò quidam asseuerant, & quærenti etiam ita fortè videri queat, electionem ex duobus his alterum esse, scilicet aut opinionem, aut appetitum: vtraque enim consuetanea videntur. Verùm appetitum non esse, patet ex eo, quòd tum aut voluntatem, aut cupiditatem, aut iram esse necessum sit: nemo quippe nisi horum aliquid patiens appetit. Ira porro, cupiditasque, etiam feris inest, electio verò nequaquam: & tamen quibus hæc ambo insunt, multa absque ira, cupiditatèque eligunt: sed dum passionibus adfliguntur, non eligunt, sed tolerant. Præterea, cupiditati, iræque semper dolor iungitur: multa verò nos absque dolore eligimus. Voluntas insuper, & electio idem non sunt: volunt enim interdum etiam ea homines, quæ impossibilia norunt, vt omnibus hominibus imperare, immortalem esse, id quod nemo sciens impossibile elegerit: & in vniuersum, quæ & si non per se, sed sibi tamen impossibilia vel factu, vel omisso norit: vnde manifestum, electionem esse rerum penes nos sitarum. Similiter clarum, nec opinionem esse, neque simpliciter, si quis aliquid putet, cum eligibile eiusmodi quid sit, quod viribus nostris pareatur. Multa verò, opinione concipiunt, quæ penes nos non sunt, vt diametrum commensurabilem. Porro nec vera est, nec falsa electio, sed & nec rerum penes nos sitarum opinio, qua faciendum aliquid, vel non faciendum arbitramur. Commune verò id est, de opinione, & voluntate. Nemo enim finem, sed ea, quæ fini consequendo conferunt, eligit: quemadmodum nemo sanum esse, sed ambulare, sedere, sanitatis gratia. Neque felicitate potiri quisquam eligit, sed quæstus studium, & periculationes felicitatis adipiscendæ gratiæ. Et in vniuersum declarat semper eligens, quod, cuiusve gratia eligat: est enim aliud id, cuius gratia, & quod gratia alterius eligit. Vult autem maximè finem, vt in pretio, & sanum esse, feliciter, beatèque viuere. Itaque patet, aliam & opinionis, & voluntatis rationem esse. Voluntas enim, & opinio maximè finem spectat, quod non facit electio. Ergo electionem patet, nec voluntatem, nec opinionem nec simpliciter vllam animi perceptionem esse, quo simul elucet, & quid sit, quidve ab iis differat, ac vt se ad voluntarium habeat. Porro possibile esse, aut non esse, alia eiusmodi sunt, vt de iis suscipiatur deliberatio, alia verò vt non suscipiatur. Quorum enim generatio penes nos non est, etiam si fieri non fieri possint: sed quæ vel natura, vel aliis ex causis fiunt, de iis sciens nemo consultare instituat. Verùm quæ non tantum fieri non fieri possunt, sed in consultationem etiam venire solent, ea sunt, quæ pro arbitrio facere non facere possumus: quapropter non de remotis

remotis apud Indos, nec de circuli quadratura deliberamus: nam illa ad nos non spectant, hoc verò fieri nequit. Sed & nec de omnibus, quæ à nobis queat fieri. Vnde manifestum, nec opinionem simpliciter electionem esse, eligibilia verò etiam agibilia, rerum scilicet penes nos existentium. Pròinde miretur fortè quis, quo pacto medici, quæ scientia complectuntur, in deliberationem ponant, cum id non faciat grāmaticus. Ratio eius ex eo constat, quòd aut ratiocinando, aut sensu error omnis committatur, quorū vtrunq; in medicina contingit, in grammaticis verò iuxta sensum, & actionem, quam spectant, in infinitum progrediuntur. Quoniam igitur neq; opinio, neque voluntas est electio, est certè velut vtrunque, & non ambo. Ex improviso enim nemo eligit, sed cum faciendum videtur, conspiratque voluntas: quæ cum ambo eligenti insint, vtroque constabit electio. Considerandum autem, quomodo insint hæc, idque ex ipso nomine primùm. Nam electio non simpliciter est, sed alterius ad alterum. Vnde consideratione, consiliūque requirit, & pròinde ex opinione consultatiua constituetur. Neq; enim de fine, qui rebus omnibus quidam propositus est, sed de iis, quæ ad finem, suscipitur consultatio. Id verò omnes cõsultamus, donec ad nos transtulerimus generationis principium. Quòd si nemo eligit, nisi re prius cõsultata, expensaque, melius sit, an deterius, volūt autem quæ possibilis nobis sunt, non quæ ad finem erit electio, cupiditas rerum penes nos sitarum, deliberatiua. Enimvero omnes, quæ eligimus, eadem volumus, nec tamen quæ volumus, omnia eligimus. Porro deliberatiuam facultatem voco, cuius principium est consultatio, quæ & concupiscit, id quod utile decreuerit. Quapropter nec reliquis animantibus, nec omni ætati, aut homini electio inest, eò quòd nec cõsultare, nec causam quare quid eueniat, iudicare queat. Opinione tamen, faciendumne quippiam sit, nihil vetat pluribus inesse, sed ratione perspicere, nequaquam. Animæ enim pars deliberatiua, rationes, causasque vestigat. Nā si cuius gratia, vna ex causis existit, (nam quare quid, causa est, & id, cuius gratia quid est, aut fit, vt profectiois facultatū comportatio, quandoquidem eius gratia proficiscuntur) constat, eos, qui proposito fine earent, consultationi parum idoneos esse. Quapropter cum quis facit, aut negligit, quæ penes nos sunt vt faciamus, vel non faciamus, idque non ignoranter, volens utique, aut facit, aut non facit. Cæterum multa eiusmodi citra consultationem, præcogitationemque, agimus. Vnde necessum, omne eligibile voluntariū esse, non autè voluntariū statim eligibile: item quæ ex electione fiunt, omnia voluntaria sunt, non autem voluntaria omnia iuxta electionem. Similiter ex his manifestum, affectiones rectè in voluntarias, inuoluntarias, & consultatas distribui: quæ etiam non sunt accurata, veritate tamen modo aliquò attingunt: verum deinceps de his in tractatu de iustis. Electionem igitur nec voluntatè simpliciter, nec opinionem esse patet, sed opinionem cum appetitione, quado ex consultatione concurrunt. Et quia consultantes o-

mnes gratia alicuius consultant, & scopū habent præfixum certum, quoniam respiciunt vtile, de fine quidem nemo deliberat, qui principium est, & fundamentum: quemadmodum in contemplatiuis scientiis hypotheses, de quibus breuiter sub principium, verum in Analyticis accuratè disseruimus. Cæterum consideratio de iis, quæ ad finem ducunt, partim artificiosa, partim verò inartificialis apud omnes est: vt, bellū gerant, necne, his quibus hoc in consultatione est. Obuiū autem magis est, quapropter id est, cuius gratia consultatio existit, vt opes, vt voluptas, aut aliquid aliud huiusmodi, quodcumque finis est vice: nā consultat, quisquis consilium capit, vel finem rectè perspexerit, constitueritque: tendit enim eò consulendo, quomodo hic finis in ipsum adducatur, vel quomodo ipse perducatur in finem possit. Finis autè semper naturā bonus est, de quo & particulariter consultant, medicus de remedio adhibendo, dux de castrorum metatione, quibus finis propositus est bonus, id scilicet, quod simpliciter optimum. Verum quod præter naturam est, ex aliqua peruersitate, non id quidè verè, sed apparens bonum est. Cuius rei causa est, quòd entium quorundam vsus, non nisi iis, quibus facta natura sunt, applicari potest, vt sunt visibilia: neque enim videre licet, quorum visio non sit, neque audire, quorum nulla auditio. Sed per scientiam etiam ea, quorum scientia non est, possunt fieri: Neque enim æqualiter sanitatis, morbiq; eadè est scientia, sed illius quidem, iuxta, huius autè præter naturam. Sic & voluntas secundum quidem naturam boni est, præter naturam verò mali: & vult natura quidem bonum, præter naturā verò, & ex mentis quadam euerfione, malum. Verum cuiusque corruptio, euerfioque, non in quodlibet, sed in contraria, & mediā competit: hos enim limites transgredi non licet. Et quia error non in quolibet, sed in contraria committitur, quibus contraria sunt, tum in ea contraria, quæ iuxta scientiam opponuntur, necessum est & errorem, & electionem à medio ad contraria ferri. Porro cõtraria sunt, medium, maius, & minus, eò quòd iucundum, & triste sic habeant, vt ab anima iucundum quidem bonum iudicetur, iucundius verò melius, & triste malum, tristius & deterius: vnde patet, circa voluptates, & dolores, virtutes, vitiaque versari: circa eligibilia namque consistunt. Electio autem circa bonum, malum, & apparentia, quæ naturā sunt voluptas, & dolor, versatur. Quoniam igitur ipsa virtus moralis ipsa mediocritas est, omnique circa voluptates, & dolores versatur, vitium autem circa excessum, & defectum, & ea prorsus, in quibus etiam virtus consistit: necessum est, virtutem moralem, electionem esse mediocritatis, quo ad nos, in iucundis & tristibus, iuxta quæ qualis quisque moribus dicitur, dolens, gaudensve. Dulce namque, siue amarum diligens, non qualis quidam moribus dicitur. Quibus ita determinatis, dispiciatur, vtrum virtus electionem reddat non peccabilem, finemque reatum, nempe vt cuius gratia debeat, tantum eligat: an, vt nonnullis videtur, rationem absoluat, id quod temperantiam dicimus, quippe quæ ra-

tionem non evertit. Sedenim virtus, & temperantia discernuntur ab inuicem, de quibus post erit dicendi locus. Quibus enim cunque rationem rectam prestare virtus videtur, id causa existit, cuiusmodi etiam temperantia. Cæterum eam laudabilium esse præmissis dubitationibus ostenditur. Porro scopum quidem licet esse reatum, verum in iis, quæ ad scopum aberrare. Rursum scopo etiam falso proposito, in iis, quæ ad ipsum tendunt, rectè habere: interdum verò vtraque fallunt. Vtrum igitur virtus scopum, an ea, quæ ad scopum, regit? Assueveramus autem, scopum à virtute constitui: quocirca nec collectione, nec ratione aliqua hæc demonstrabuntur, sed ut principium hoc positum nobis esto. Neque enim medicus considerat, an esse sanum, sed vtrum deambulare, an non deambulare oporteat. Neque gymnastes, an bene habere, sed vtrum luctari, vel non luctari expediat. Similiter neque alia vlla circa finem occupatur. Quemadmodum enim in contemplatiuis, hypotheses principiorum locum obtinent, sic & effectiuis finis, & principium est & hypothesis. Quoniam si hoc sanum esse conuenit, necessum est hoc esse, siquidem illud expectes, quemadmodum isthic, si triangulo duo recti, necessum est hoc consequi. Cogitationis igitur principium finis est: actionis verò, cogitantis terminus. Si igitur omnis rectitudinis, aut ratio causa est, aut virtus: si ratio non fuerit, per virtutem finis, non quæ sunt ad finem, constituetur. Finis autem est id, cuius gra-

tia: omnis enim delectio alicuius est de aliquo. Cuius igitur gratia medium est, eius causa virtus, quæ id cuius gratia eligit. Verum quæ deceant, consecutio alterius est facultatis, quæ id cuius gratia eligit. Non enim ipse est electio, sed eius quod ipse gratia. Equidem finis gratia agere oportet. Verum ut finis rectus præstatur, electionis munus est, cuius causa est virtus: quocirca qualis quisque sit ex electione, iudicamus non quid, sed cuius gratia faciat, expenderes. Similiter & virtus contrariorum gratia electionem efficit. Nam si quis, cum in potestate sua sit, bonum agere, malumque ommittere, agat contrarium: necessum est, hunc honesti studium haudquaquam esse. Itaque virtus, & vitium voluntaria sunt, cum nulla necessitas ad mala perpetranda cogat. Inuoluntaria enim, cum turpia sint, non vituperantur tamen, contraque bona non inuoluntaria, sed voluntaria laudantur. Postremo omnes laudantes, vituperantesque, electionem magis, quam facta, intuemur, etiam si virtute sit eligibilior operatio. Faciunt item mala quidam coacti, sed eligit ea nemo. Sed & quia difficile, electionem cuiusmodi sit perspicere, idcirco ex operibus qualis quisque sit, iudicare necessum habemus. Itaque eligibilior actio, sed laudabilior electio. Expositis igitur hæc eueniunt, & consentanea sunt apparètibus.

FINIS SECVN-
DI LIBRI.

ARISTOTELIS STAGIRITAE ETHICORUM ad Eudemum, Liber Tertius.



MEDIOCRITATES igitur esse in virtutibus, easque electiuas, & contraria earum vitia, quæque sint, vniuersaliter dictum est. Singulatim verò vnamquamque perfectas, primùm de fortitudine dicemus. Ferè enim apud omnes in confesso est, & fortem circa terribilia versari, & fortitudinem vnam è virtutibus esse. Distinximus autem in tabula superiore, vtrum confidentia, & fortitudo, cum aliquo pacto sibi inuicem opponantur, etiam inter se contraria sint. Vnde manifestum, qui ab iis habitibus nomen habent, etiam inter sese inuicem opponi, quemadmodum timidus: nam is magis, quam deceat, timere, minus verò audere dicitur. Et confidens, qui ipse quoque ex eo quod huiusmodi sit, minus scilicet, quam deceat, timens, magisque, quam deceat, audens, nomen trahit: vnde & au-

dax ab audacia denominatur. Quocirca cum fortitudini sit circa timores, audaciamque habitus præstantissimus, decet verò nec ut audaces, qui in nonnullis deficiunt, in aliis verò excedunt, agere, neque timidorum instar, in eodem peccant, non eodem tamen, sed contrario modo, (audendo enim deficiunt, timendo verò excedunt.) manifestum est, mediam audaciæ, timiditatisque dispositionem fortitudinem esse: is enim habitus optimus. Videtur autem fortis metu vacare ut plurimum, timidus autem metui obnoxius esse. Et hic quidem multa, pauca, magna, & parua metuit, idque vehementer, & citò: ille verò contra, aut profus non, aut leuiter, ægrè, & rarò, & non nisi magna. Et hic quidem vehementer terribilia sustinet, ille verò nec leuiter quidem horrida. Quæ igitur sustinet fortis primùm sibi, an alteri terribilia? Etenim si alteri terribilia sufferat, nihil videatur magnificum, fortem esse: sin verò sibi ipsi, necessum

necessum est, non nisi magna, & horrida terrorem incutere. Itaque si terribilia vehementer, vehemens: sin leuiter, infirmus etiam metus erit. Vnde contingit, fortem multos, magnosque terrores formidare. Verum videtur timidum contrariè fortitudo præparare, ut in eo quod aut nihil, aut pauca timeat, eaque & leuiter, & ægrè. Sedenim horribile, quemadmodum & iucundum, & bonum, bifariam dicitur: alia enim simpliciter, alia verò cuiusdam iucunda, bonaque vocantur non simpliciter, ac contra praua, & minimè iucunda. Quemadmodum quæ prauis vtilia sunt, & quæ iucunda pueris, quæ pueri sunt: sic etiam terribilia alia simpliciter, alia verò alicui. Quæ igitur timidus metuit, quæ timidus, nemini terribilia sunt. Alia rursum leuiter, alia plurimis timentur. Et quæcunque naturæ humanæ horribilia sunt, ea simpliciter terribilia vocamus: fortis verò ad hæc intrepidè habet, sustinetque eiusmodi. Quæ partim ipsum quoque terrent, partim verò non. Quæ enim homo est, terribilia illi quoque sunt: quæ verò fortis, non sunt, aut certè leuiter, aut nequaquam. Terribilia tamen dicuntur, quæ à plerisque timeri solent: quocirca hic habitus laudatur. Quemadmodum enim robusti, sanique appellatur, non ut illi nonnullis laboribus frangantur, aut hi nullo excessu debilitentur, sed ex eo, quod vel profus non turbantur, aut simpliciter, aut leuiter, à quibus multi, & plerique. Valitudinarii enim, & infirmi, & timidi communibus, vulgaribusque passionibus afficiuntur, sed citius, vehementiusque quam solent multi: præterea quibus multi afficiuntur, ea vel non profus, vel leuiter ipsos tangunt. Quæritur autem, num forti nihil sit terribile, neque metuatur quicquam, an nihil vetet, pro eo ac dictum est, ipsum quoque timere: fortitudo enim rationem sequitur, ratio verò honesta capeffere iubet. Quocirca qui non per hanc sustinet, is aut stupidus est, aut confidens. Verum qui ob honestum tantum non metuit, solus fortis est. Timidus igitur quæ non decet metuit: audax verò in quibus non oportet, audet: fortis verò in vtroque agit quod decet, & proin medius existit. Nam quæ ratio dicat, ea & metuit, & sustinet. Quæ magna, acerba, interitumque inferentia, nisi sint honesta, subire haud iubet. Audax verò etiam non iubente ipsa subit: timidus verò ne si iubeat quidem: solus autem fortis ipse iussu obtemperat. Species autem fortitudinis quinque sunt numero. Eadem enim cum sustineant, non tamen easdem ob causas. Vnde vna ciuilis, quam verecundia parit. Altera militaris, ex peritia, vsuque rerum perfecta, non quemadmodum dixit Socrates, Vt horribilia, sed ut auxilia horribilium cognoscantur. Tertia per ignorantiam, & imperitiam, velut est puerorum, infanorumque fortitudo, qua hi horribilia sustinent, illi verò serpentes manibus præhendunt. Alia rursum ex spe nascitur, qua lautè conuiuati, ebriique pericula suscipiunt. Nam vinum spem solet addere. Postremo alia ex affectuum impotentia rationis expers, ut amore, iræve

accensorum. Nam siue amet quis, audax potius, quam timidus, erit, multaque pericula sustinebit: velut qui in Metaponto tyrannum occidit, & in Creta fabulas recitauit: siue ira commoueat, nam extra se rapitur animus. Vnde & feræ syluestres fortes dicuntur, nec sunt tamen. Concitata enim sunt eiusmodi, non concitata, quemadmodum & audaces inæquales sunt vehementer. Maximè autem naturalis est ab ira profecta fortitudo: inuidia enim ira: quapropter & pueri optimè pugnant. Ciuilibus autem propter legem existit. Cæterum harum nulla secundum veritatem comparata est: ad cohortationes tamen in periculis, vsu adferunt hæc omnia non mediocrem. De horribilibus igitur cum simpliciter iam dixerimus, non ab re fuerit de his fusiùs determinare. In vniuersum igitur horribilia dicuntur metus effectiua, ea scilicet, quæ dolorem inferunt corruptiuum. Nam quibus alia afflictio incidit, alium etiam dolorem, diuersumque affectum, non metum parit. Nam qui molestiam aliquam prospicit, velut eam, qua inuidi, aut æmuli, aut pudore suffusi affliguntur, aliud nomen fortiuntur, eò quod metus eorum tantum malorum est, quorum naturam interitum videtur inferre. Quocirca nonnulli, quamlibet molles, fortes tamen sunt in quibusdam: & nonnulli duri, ac tolerantes, timidi. Videtur enim propemodum proprium fortitudinis munus esse, circa mortem, eiusque acerbiter rectè affici: Nam si algorem quis, & calorè, pro eo ac ratio dicat, sustinet, cum à periculo absint, verum ad mortem mollis sit, & timidus, non ob aliud, nisi ob interitum. Alius verò ad eadem quidem mollis, erga mortem autem intrepidus: ille quidem timidus, hic autem fortis iudicari sanè queat. Periculum nanque iis constare terribilibus tantum dicitur, quæ in propinquo habent eiusmodi interitus effectiua. Apparet autem periculum, quando propè cernitur. Terribilia igitur, circa quæ versari fortis assolet, dicta iam nobis sunt, eò quod appetentia effectiua, doloris corruptiuus oportet, nec procul, sed in propinquo apparere, nec magnitudine humanæ virtutis proportionem excedere. Quædam enim necessum est, omnibus terribilia videantur, omnesque percellant. Nihil enim vetat, quò minus, quemadmodum calida, frigidaque, & alia quædam corporis humani habitus, virisque superant: ita animi affectionibus nonnullis opprimamur. Timidi enim, & audaces secundum habitus decipiuntur. Illis enim non horribilia, horribilia tamen videtur, & quæ leuiter metuenda sunt, vehementer: audaci verò contrariè, horribilia, animosa videntur, & quæ vehementer, leuiter: viro autem forti vera horribilia maxime. Quocirca nec si quis ignoranter pericula sustineat, fortis est: velut qui fulmen, ex infania ferat illatum, ac si cognoscat quantum sit periculum, ex iræ impetu agat: quemadmodum si Celtæ, sumptis armis, occurrant fluctibus: cuiusmodi furiosa fortitudo profus barbarorum est. Nonnulli verò ob alias voluptates pericula sustinent: nam & ira voluptatem ha-

bet quandam, cum spe, nempe ultionis sumēda.
 Verum nec si ob eiusmodi, nec ob alias voluptates, malorumve grauiorum fugam mortem obeat, iustus quisquam propterea merito dicatur. Nam si mori iucundum sit, sæpe per intemperantiam morerentur lasciui. Quemadmodum & hodie, cum ipsa quidem morte minimè, sed inferentibus eam suauibus existentibus sit, vt quidam per incontinentiam certum sibi concilient interitum, non ignari etiam certam mortem propositam: quo ex genere nullus fortis videatur. Neque si quis dolore fugiens, (quod solent multi) mortem accersat, fortis fuerit. Quemadmodum enim Agathon inquit, Praui homines, qui doloribus victi, mortem eligunt. Veluti Chironem fabulæ perhibent, ob dolorem vlcis mortem optasse, licet immortalē. Non procul ab his distant, qui ex peritia pericula sustinent, id quod plerique solent militantes. Id nanque contrarium Socratis sententia, opinantis, scientiam fortitudinem esse: neque enim quia nouerint horribilia, qui super mucronibus iaculorum ingredi didicerunt, id ausi sunt, sed quia præsidia, contra læsionem explorata habent. Neque enim qui audaciùs pugnant, idcirco fortes sunt: quemadmodum nec robur, nec diuitiæ iuxta Theognim, fortitudinem gignunt. Vir enim, vt inquit, paupertate domatur omnis. Manifestè quidam, cum timidi sint, pericula tamen sustinent propter experientiam, idque quod periculum non esse arbitrentur, cum paratum noscant præsidium. Argumento est, quod cum præsidium habere non putant, malis iam re vera imminētibus retrocedunt. Inter omnes igitur parteis, ea videtur virtuti proxima, quæ ex verecundia nascitur, fortitudo. Quemadmodum & Homerus Hectorem scribit, periculum obiisse verecundia impulsū: Hectorem verecundia cepit: primus nanque Polydamas me reprehenderit. Atque ea est, quam diximus ciuilem. Cæterum vera neque hæc est, neque alia ex his vlla, sed furori similis est ferarum, quæ impetu feruntur. Neque enim vel ob ignominiam, vel ex ira, vel quod non morituros se arbitrentur, aut quod facultatibus præseruatiuis instructi sint, sustinere horribilia opinor. Nam ita nihil horribile esse iudicant. Et quoniam virtus omnis electiua est, nempe, vt supra diximus, quod omnia gratia alicuius, eius nepe, quod honestum est, huius instinctu eligatur, patet, fortitudinē, quia virtus est, horribilia gratia alicuius sustinenda docere. Neque ex ignorantia, vt quæ iudicium format, neque ob voluptatem, sed ob solam honestatem. Quoniā si non sit honestum, sed furiosum, quia turpe, id nequaquam suffert. Circa quæ igitur versetur fortitudinis: mediocritas, & quorum sit, & propter quid & horribilia quam vim habeant, satis impresentiarū explicatum videtur. Porro de temperantia, & intemperantia deinceps differere conabimur. Intemperans autem multifariam dicitur: interdum enim quando non est castigatum, nec emendatum, quemadmodum incastratum dicimus, quod castratus non sit, quorum castrari nonnulla possunt, alia non

possunt. (Dicimus enim incastratum, & quod castrari non possit, & quod, cum possit, non sit tamen castratum.) Sic & intemperans dicitur, vel quod temperiem, castigationemque natura non admittat, vel quod admittat quidem, sed nunquam sit castigatum: veluti puer in iis peccatis, quæ rectè moderatur temperans. Iuxta eam enim intemperiem homines intemperantes dicuntur.

Rursum & id intemperans dicitur, quod vel ægrè, vel non omnino castigatione vlla emendari queat. Quia cum multifariam dicatur intemperantia, patet circa voluptates quasdam, & dolores versari. Tum quod ex dispositione circa eas varia, & à se inuicem, & ab aliis homines differant. Prius autem descripsimus quo pacto intemperantiam appellatione transferamus. Nam eos, qui nullo sensu erga eas commouentur, insensatos alii, nonnulli aliud nomen imponunt. Verum non est tota hæc affectio, neque vulgaris, eod quod magis in alterā partem peccetur, & quod congenitus sit omnibus iucundorum eiusmodi sensus, & delinitio. Huiusmodi autem sunt, quos Comici inducunt, agrestes homines, qui nec moderata quidem, necessariæque vlla suauitate miscunt. Et quia temperans circa voluptates versatur, necessum est etiam, cupiditates quasdam illi propositas esse. Itaque quæ sint ista, explicare oportet. Neque enim circa omnes cupiditates, omniæque suauia versatur temperans, sed opinione quidem circa sensibilia duo, gustabile scilicet, & tangibile: re vera autem circa tangibilia tantum. Nam circa voluptatem, quæ citra Veneris cupiditatem pulchrorum, aut dolorem, qui turpium aspectu nascitur, aut eam, quæ ex auditione suauiter consonantium, aut secus, aut quæ olfactu fragrantium, aut foetidorum prouenit, non versatur temperans. Neque enim vel patiendo, vel non patiendo dicitur intemperans. Sicut igitur quis aut pulchram statuam, aut equum, aut hominem cernat, vel suauiter audiat canentem, nec bibere, nec edere, nec Veneri indulgere velit, sed pulchra quidem videre, & canentem audire, is intemperans videatur, quemadmodum nec Sirenum cantibus deliniti. Sed circa duo hæc sensibilia versantur, quæ & reliquorum animantium sensibus incurrentia, dolorem voluptatemve cient: ea scilicet, quæ gustu, tactuque sentiuntur. Cæterum quæ reliquis sensibus suauia existunt, nullū ferè illis sensum mouent: vt circa proportionum pulchritudinis conuentionem nihil magnoperè moueri videntur. Sed & nec auscultationibus sonorum, ritæque consonantium, neque suauè, aut grauiter olentibus, licet omnes sensus acutiùs percillant. Sed & odoribus iis gaudent maximè, qui per accidens, non per sese, oblectant. Dico autem per sese, quibus gaudemus, nec sperantes, nec recordantes aliud, velut cibi, aut potus: non ob aliam, hoc est edendū, bibendūque voluptatem, iis gaudemus. Per se verò, vt est lucorum, & florum. Quocirca scire Stratonicus dixit, illa quidè pulchra, hæc verò suauiter fragrare. Et quia gustabile aliquod, non omnem voluptatem ferè attingit, nec quantum extremo linguæ apice, sed quantum

toto

toto gutture sentitur. Quapropter gulones, non optant linguam longam, sed quemadmodum Philoxenus ex Hyride, vulturis guttur. Itaque circa tangibilia, vt simpliciter dicam, intemperantia est constituenda, circa ea, circa quæ etiam intemperans versatur. Nam vinolentia edacitas, luxuria, crapula, etiā omnia eiusmodi, circa sensus prædictos sunt. Quas in parteis intemperantia diuiditur. Verum qui visu, auditione, olfactuque excedit, non dicitur intemperans, citra que ignominiam tales errores vituperamus: & prorsus circa quæ non dicuntur continentes.

Incontinentes verò nec temperantes sunt, nec intemperantes. Insensatus igitur, aut quocunque alio nomine appellare conueniat, qui in omnibus deficiat, quibus solent plerumque omnes participare, atque lætari. Verum qui excedit, intemperans est. Omnes enim his & natura gaudent, & aliquo etiam modo concupiscunt, nec tamen sunt, vel dicuntur intemperantes. Etenim consecuti excedunt magis, quam oporteat, gaudendo, non consecuti magis quam oporteat dolendo. Sed nec dolore etiam vacantes dicuntur. Non enim deficiunt gaudendo, dolendove, sed magis excedunt. Quia igitur circa hæc est excessus, defectusque, manifestum quod & mediocritas, qui habitus optimus est, & vtrique contrarius. Itaque temperantia habitus præstantissimus circa quæ intemperans versatur, quæ in dictis iucundis sensibilibus tenens medium, insensilitatis, intemperantiaque, mediocritas existit. Excessus verò intemperantia est.

Defectus autem nomine caret, aut supra positas appellationes sortitur. Accuratiùs verò deinceps de iucundorum genere pertractabitur, vbi de continentia, incontinentiaque agemus.

Eodem pacto de mansuetudine, rigiditateque sentiendum est. Nam & mansuetum, qualem quendam esse erga dolorem ex ira profectū cernimus. Supra enim iracundo, rigido, & agresti, (omnia enim hæc sunt dispositionis eiusdem) feruilem, & insensatum opposuimus, eod quod ita vocentur, quotquot non moueantur ad irā, quibus oporteat: sed lacepsiti, faciles, humilisque sese præbeant ad contemptum. Opposita enim sibi inuicem sunt, celeriter & ægrè, leniter & vehementer, & dolor, quem iram dicimus, longo tempore durans, ei, qui breui. Quoniam verò, quemadmodum & in aliis, hic quoque excessus, defectusque reperitur. Rigidus enim est eiusmodi, qui citius magis, longiorēque tempore, tamē nec quando, nec quibus oportet, ac in multis afficitur. Seruilem autem contrarius quispiam est. Et quia vterque habitus vitiosus est, patet, medium horum æquanimitatem esse: neque enim praecurrit, aut excedit. Neque quibus non oportet irascitur, nec quibus oportet, non irascitur.

Quocirca cum & mansuetudo circa eandem affectiones versetur habitus optimus, erit & mansuetudo mediocritas quædam, & mansuetus inter rigidum seruilemque medius. Sunt porro & magnanimitas, & magnificentia, & liberalitas, mediocritates. Liberalitas enim circa ac-

quisitionem, amissionemque facultatum versatur. Nam qui omni acquisitione gaudet, omnique amissione dolet, vtrunque magis, quam oportet, illiberalis est: qui vtrunque minus, quam oporteat, prodigus. Qui verò vtrunque, liberalis. Vt oportet, hic, velut in aliis etiam, expono, quemadmodum recta ratio dicat. Et quia illi quidem in excessu, defectusque sunt. Nam vbi extrema sunt, isthic & medium, quod præstantissimum est, in quaque specie, & vnum: necessum, & liberalitatem, inter prodigalitatem, illiberalitatemque circa facultatum acquisitionem, & amissionem mediam consistere. Bifariam autem facultates, quæstuariumque vocamus. Alia enim per se est facultatum possessio, velut calcei, & vestis. Alia verò per accidens, nec tamen ita, vt si quis lance calcei vice vtatur, sed velut emptio, conductioque mercenaria. Emuntur enim & calcei. Pecunia autem cupidus præ quæstu accidentario, circa numismatum possessionem occupatur. Illiberalis verò, & prodigus, circa accidentarium lucrandi modum. Nam ille quidem in acquisitione naturali augmentum quærit: prodigus verò in necessariis deficit: liberalis autem ex abundantia copia largitur. Species verò harum differre dicuntur, eod quod magis, & minus circa particulas ostendunt, vt illiberalis, parcus, sordidus, turpis lucri cupidus. Parcus enim eod quod non erogat, dicitur. Turpis autem lucri cupidus, quod omnia corrodit: sordidus, qui vehementer in exiguis obnititur: deceptor verò, depilatorque, qui iniustus ex illiberalitate est. Itā contra, prodigorum hic quidem cautus est, qui inordinate consumit: ille verò inconsideratus, qui in eo, quem ferre dicat ratio, durare dolore non potest. De magnanimitate autem, ex iis, quæ de magnanimis dicta sunt, determinare oportet, eod quod, vt in aliis, iuxta affinitatem, & similitudinem, quoad latent, progredi conuenit. Ita & de magnanimitate tractantibus idem vsu venit.

Quocirca nonnunquam contrarii eadem affectant: quemadmodum prodigus & liberalis, perfractus & grauis, audax & fortis. Circa eadem enim versantur, & cognati sunt aliquosque. Nam & audax, & fortis pericula sustinet, sed hic quidè sic, ille verò aliter: quæ plurimum inter se distant. Dicimus autem magnanimum iuxta nominis etymon, velut vi, & magnitudine animi instructum. Itaque & graui, & magnifico similis videatur: quando quidem omnes virtutes quodam modo sectatur. Nam recto iudicio, de rebus maximis, pariter & infimis bonis, possidere, laudabile est. Videntur autem ea magna esse, quæ optimo habitu instructus prosequitur, circa eiusmodi scilicet iucunda. Magnanimitas verò est præstantissima. Iudicat autem in vnoquoque maius & minus rectè iuxta sapientis, virtutisque præscriptum. Vnde vel ipsa omnes virtutes, vel ipsam omnes consequuntur. Præterea, contemptius dicitur magnanimus. Singula verò virtutes, rerum præter rationem magnarum sunt contemptiue, vt fortitudo periculorum: id enim magnum inter turpia depu-

tat, & neq; multitudinem omnem iudicat formi
 dandam. Et intemperans voluptates: liberalis
 opes multas, magnasq; spernit, id quod magna-
 nimi esse videtur, eò quod in paucis occupetur:
 atque hæc magna sunt, eò quod nec cuiuslibet
 iudicium spectat. Magis quippe magnanimus
 spectat quid vni sapienti probetur, quam multi-
 tudini, & vulgo. Quemadmodum ad Agatho-
 nem dixit Antiphon, malignè defensionem lau-
 dantem. Neglectus enim, propria maximè affe-
 ctio magnanimi. Porro nec vitæ, nec opum,
 quibus studere magnopere videntur homines,
 curam gerit, sed tamen honoris. Itaque & dolet
 ignominia affectus, & indigni subiectus imperio:
 gaudet autem principatum assecutus: vnde con-
 traria videntur. Nam circa honores occupari,
 & quæ vulgus sentiat de se contemnere, nō sunt
 consentanea. Quocirca accuratiùs hæc discu-
 tere oportet. Nam honor exiguus, & magnus bi-
 fariam capiuntur: aut enim à multis is, & vulga-
 ribus, aut ab illustribus ille contingit, qui rursus
 pro re, in qua euenit, differt. Magnus enim non
 solum honorantium multitudine, aut qualitate,
 aut pretio æstimatur, sed veritate: vnde & princi-
 patur, & reliqua præclara, & studio digna bona
 censentur; quæ re vera eximia existunt. Quo-
 circa nulla virtus magnitudine caret, qua & am-
 plificare, & ius reddere videtur, in quibus fuerit.
 Sedenim & inter cæteras virtutes magnanimitas
 eminet, quare peculiari vocabulo hæc prædi-
 tus, magnanimus appellatur. Quoniam verò
 bona alia honorabilia sunt, alia verò, vt supra
 determinauimus: ex quibus alia ex vero eximia,
 alia parua sunt: quibus nonnulli, cum digni sint,
 se ipsos dignos etiam arbitrantur, in iisdem so-
 let elucere magnanimus. Quadrifariam verò
 hæc discernuntur. Nam & dignum esse iis, &
 sese dignum iis iudicare contingit: interdum
 Interdum verò, & mediocribus dignum, iis
 quoque se dignum iudicare. Nonnunquam ve-
 rò è conuerso, vtrilibet hæc ad se inuicem com-
 ponuntur. Nam cum exiguis aliquis dignus,
 magnis, atque honorabilibus se dignum arbi-
 tratur, alius maximis dignus, paruis se dignum
 existimat, prior quidem hic est exiguis dignus,
 magnaque affectans, vituperationem meretur.
 De decens enim id est, ac minimè honestū, præ-
 ter dignitatem, quippiam consequi. Verum &
 is vituperandus, qui præsentis honore dignus, eū-
 samen auersetur. Restat, iam vtrique horum
 contrarius, qui, cum rebus magnis dignus sit, se
 ipsum etiam dignum arbitretur, hic laudabilis,
 & inter hos mediis est. Et quia circa honoris
 electionem, fructuque circa honorabilia, re-
 liqua bona, dispositio, est præstantissima magna-
 nimitas, & quemadmodum ostendimus, non cir-
 ca vitia occupatur, ac ipsa mediocritas cum pri-
 mis laudabilis: manifestum, etiam magnanimitatem
 esse quandam mediocritatem. Contra-
 riorum autem, hoc, quod diximus, indignus cum
 sit, maximis sese dignum arbitrantem, lentitudo
 est. Tales quippe lentos dicimus, qui magna
 venditant, cum non insint. Verum vbi dignus,
 magnis se indignum censet, pusillanimitas ap-

pellatur. Pusillanimitas enim est, qui præclara
 meritis, iis sese indignum iudicari. Itaque ma-
 gnanimitatem necesse est mediocritatem esse,
 inter pusillanimitatem, & lentitudinem. Porro
 quartus ex his, neque omnino vituperatione di-
 gnus, neque magnanimus, in nulla re magni quip-
 piam consecutus. Neque enim vel dignus exi-
 stit, vel ita de se ipso censet: quapropter non est
 contrarius. Nam etsi planè contraria inter se
 uideantur, magnis dignum magna, & paruis di-
 gnum exigua deberi sibi arbitrari: contraria ta-
 men non sunt, eò quod hic reprehensione ca-
 reat, quandoquidem ex rationis instinctu agit,
 & eadem quæ magnanimus naturæ conditione:
 cum vterque quibus dignus est, sese dignum ar-
 bitratur. Magnanimus ex iis, quibus dignus est,
 sese dignum censet. Pusillanimitas verò, cum
 magna insint ei bona honorabilia, si eis se indi-
 gnus iudicat, quid faceret, si paruis dignus es-
 set? Aut igitur magnis se dignum iudicans, len-
 tus, aut pauciorum. Quocirca nemo pusillani-
 mem dixerit, qui inquilinus tantum, se non im-
 perio dignum censet, sed; subiiciat, verum qui
 honesto loco natus sit, imperiumque rem ma-
 gnā iudicari. Magnificus autem non ex qua-
 libet operatione, electioneue dicitur, sed ex sum-
 ptibus, nisi fortè per translationem ita vocetur:
 absque sumptu enim magnificentia non est.
 Nam: *μεγαλοπ*, id est, decens, in ornatu: ornatus ve-
 rò, non in quibuslibet, sed in necessariorum ex-
 cessu consistit. Verum qui in magno sumptu
 decentem magnitudinem eligit, eamque medio-
 critatem cum eiusmodi voluptate expetit, ma-
 gnificus est. Qui verò amplius, quam par sit, &
 præter modum, is nomine caret, tamen si quandā
 affinitatem inter sese habent, quos vocant ine-
 ptos, & prodigos. Nam qui opulentus, dilecti
 hominis nuptiis sumptus suppeditat, eum appa-
 ratum se decere arbitrat. Qui frugales, pau-
 cæque desiderantes excipienti conueniat, parui-
 ficus. Verum qui nuptiali apparatu eos excipiat,
 nec ob gloriam, neque pro auctoritate peculiari
 aliqua, prodigo similis videtur. Verum qui
 pro dignitate, iuxtaque rationem id facit, ma-
 gnificus est: decorum enim iuxta dignitatem est,
 quandoquidem nihil præter dignitatem decet:
 nam decorum esse oportet. Et decentis est age-
 re iuxta dignitatem, & quod deceat, & circa quid
 deceat. Aliud enim decorum est circa familia-
 ris, aliud circa amati nuptias, atque ipsi etiam in-
 tantum, aut eiusmodi, vt spectaculum, Cimonem
 non Themistoclem, quod humiliores fortuna ha-
 stenus esset, decere aiebat: ille verò, cui qualif-
 cunque sit dignitas perinde est, nullus est horū.
 De liberalitate verò similiter se habet. Nam li-
 beralis aliquis est, quando liber: & forè etiam sic
 cætera circa mores, vel laudabilia, vel vitupera-
 bilia. Nam alia excessus, alia defectus, alia ve-
 rò mediocritates sunt passiuæ. Quemadmodum
 inuidus, & alienis malis gaudens. Iuxta hos e-
 nim habitus dicitur: inuidus quidè angustis digno-
 rum successu, hic verò in eadem passione nomi-
 ne carere, sed ei affectioni obnoxius, notus est,
 gaudendo indignorum vel casibus, vel successi-
 bus,

bus, item & dignorum lætando. Medius verò
 inter hos est, indignabundus, & quod veteres
μεσος vocant, à dolendo, ob indignorum succes-
 sum. Quapropter & Nemesin deam esse arbi-
 trantur. Verecundia, mediocritas est inter im-
 prudentiam, & stuporem. Nam qui nullam de se
 existimationem moratur, impudens: qui omnes,
 stupidus, qui verò apparentes quasdam modestè,
 verecundus. Amicitia verò medium inter ini-
 micitiam, & adulationem. Nam qui omnibus
 pro cupiditate sua iucundè concreditur, adula-
 tor est: qui verò voluptatem omnem vitat, odio-
 sus: verum qui nec sectatur, nec refugit omnem
 voluptatem, sed quod optimum videtur in con-
 gressu obseruat, amicus est. Grauitas verò, me-
 diocritas est inter contumaciam, & placendi stu-
 dium. Nam qui nihil in conuictu alteri largi-
 tur, sed contemnit, contumax: qui verò omnia,
 omnibusque se subiicit, placendi studiosus est:
 qui verò alia quidem largitur, alia non, grauis ap-
 pellatur. Verus autem, & simplex, quem rigidum
 vocant, inter dissimulatorem, & iactabundum
 medius est. Nam qui sua deteriora mentitur,
 quam sunt, idque non ignorans, dissimulator:
 qui verò maiora prædicat, iactabundus est: verum
 qui vt habeat exponit, verus, & iuxta Homerum
 sapiens appellatur. Et in vniuersum, hic quidem
 veri, ille falsi amator est. Porro vrbanitas, me-
 diocritas est, & vrbanus inter rusticum, & scurrā
 medius. Quemadmodum enim circa alimētum,
 vorax, & terius differunt, quod ille nihil, aut
 pauca, aut ægrè admittat, hic verò facile omnia:
 sic rusticus habet ad importunum, ac scurrā.
 Nam ille ridiculum nihil, aut ægrè admittit, hic
 verò omnia & promptè, & suauiter: verum neu-
 trum ita decet, sed quædam admittenda ioca,
 quædam non, idque iuxta rationem: quod facit
 vrbanus. Ratio est in promptu, quandoquidem
 & eiusmodi est vrbanitas, non quem æquissimū
 habitum, & mediocritatem laudabilem vocant,
 extrema verò vituperabilia sunt. Duplex autem
 vrbanitas est: alia enim, quæ ridiculis gaudet, io-

cisque etiam in ipsum scommate iactis, alia quæ
 iocos, lusufque perexhibere aliis potest. Diuersæ
 quidem à se inuicem, sed mediocritates ambæ.
 Nam qui & exhibere iocum aliis potest, quo af-
 ficiatur syncerè iudicās, & qui in se dictum fer-
 re ridiculum, inter importunum, & frigidū me-
 dius est. Quæ determinatio melior est, quam si
 illuso, quomodocunque affecto, molestum esse
 quod dicitur asseratur: quippe quod magis pla-
 cere, ea moderationem prædico conueniat: hic
 enim rectè iudicat. Cæterum omnes hæc medio-
 critates etsi laudabiles sunt, non tamen virtutes
 dici debent, neque earum contraria, vitia, quip-
 pe quod hæc omnia, ex affectionum diuisione,
 carere electione constat: vnaquæque enim harū
 affectio quædam est. Et quia naturalis est, ad na-
 turales etiam virtutes refertur. Naturales enim
 quodam modo virtutes hæc sunt, vt ex sequenti-
 bus patebit, cum prudentia: vnde & inuidia, iniu-
 stitia, (nam ad alium spectant actiones ab ipsa
 profectæ) & indignatio iustitiæ, verecundia mo-
 destiæ ad censentur: quocirca & eo in genere mo-
 destiam definiunt. Verus autem, & vanus eius-
 modi, vt ille sapiens, hic stultus sit: verum me-
 dium magis extremis contrarium est, quam ipsa
 sibi, eò quod illud cum neutro iungatur, & fit,
 hæc verò frequenter. Suntque nonnunquam
 timido audaces, ac partim prodigi, partim illi-
 iberales, & prorsus vitiosè inæquales. Nam cum
 rectè inæquales sunt, medii existunt: medio nan-
 que extrema aliquo modo insunt. Verum con-
 trarietates non videntur extremis similiter iux-
 ta medium ambæ inesse. Interdum enim iux-
 ta defectum, aliquando iuxta excessum insunt:
 quorum causa sunt, duo illa supra commemora-
 ta. Paucitas erga iucunda insensatorum, & quod
 contrarium magis esse videtur, in quo magis
 peccatur. Tertium verò, quod rarius, minus con-
 trarium videtur: vt audacia ad fortitudinem, &
 prodigalitas ad liberalitatem. De reliquis igitur
 virtutibus laudabilibus ferè dictum est: itaq; de
 iustitia deinceps dicendum erit.

ARISTOTELIS STA- GIRITAE ETHICO- rum ad Eudemum, Liber Quartus.



De iustitia verò, & iniustitia
 considerandū erit circa quas
 actiones versetur, & cuiusmo-
 di mediocritas iustitia, &
 quorum sit medium iustum
 ipsum: atque hæc, eadem ra-
 tione, & via, qua superiora,

executiemus. Cernimus autem, hunc habitum ab
 omnibus ita appellari, vt à quo iustorum effecti-
 ui sint, & ex quo iusta velint, & agant: & ad eun-
 dem modum de iniustitia, qua iniqua & volūt,
 & agunt. Quocirca primū hæc nobis velut in
 summa præmissa sint. Neque enim eo pacto ha-
 bitus, quo scientiæ, facultatēque habent. Facul-

tas enim; & scientia contrariorum eadem esse videntur: habitus autem contrariorum non idem: ut à sanitate non fiunt contraria, sed salubria tantum. Dicimus enim quod sanè ingreditur, quando ut sanus ingreditur. Frequenter igitur à contrario habitu contrarius cognoscitur, frequentèrque ipsi habitus à contrariis. Nam si bona habitudo conspicua est, & mala manifesta erit: & ex bene habentibus bona habitudo, & ex ea bonam habitudinem induentia, eluceant. Nam si bona habitudo densitas est carnis, necessu malam habitudinem, raritatem eiusdem esse. Et pròinde quod bonam habitudinem efficit, idem corpulentiam effectuum est. Contigit autem ut plurimum, si alterum multipliciter dicatur, & alterum dici: ut si iniustum, etiam iniustitia. Et quanquam æquiuocè dici videatur iustitia, & iniustitia, sed quia æquiuocatio eorum est propinqua, latet, nec ut in longè distantibus magis manifesta, in quibus differentia iuxta formam plurima: quemadmodum & clavis æquiuocè dicitur, & is, qui ceruicibus animalium subest, & qua fores occluduntur. Dispiciatur igitur quot modis iniustus dicatur. Videtur nanque legis transgressor etiam iniustus esse: itidem & iniquus fraudator. Contrà igitur, iustus erit iuris obseruator, & æquus. Iustum igitur, legitimum, & æquale: iniustum verò, illegitimum, & inæquale. Cæterum circumscriptor alieni, iniustus est, non circa omnia bona, sed in quibus successus est, & infortunium, quæ simpliciter quidem bona sunt, at euidam non semper, quæ homines voto exoptare, & persequi solent. Et si potius quæ simpliciter bona sunt, etiam sibi ut bona sint, debeant optare: quæ verò ipsis bona, eligere. Iniustus autem non semper amplius, sed frequentèr etiam minus eligit in simpliciter malis. Sed quia videtur quod non malum est, quodam modo bonum esse, ac circa bonum nascitur circumscriptio alterius: ideo etiam circumscriptor esse iniustus videtur: est etenim iniquus. Id nanque & commune, & præter legem obtinet: quandoquidem legis transgressio, & inæqualitas, commune quippiam omnis iniustitiæ, eamque omnem complectitur. Et quia legis transgressor iniustus est, & legitimus iustus, patet, omnia legitima aliquo modo iusta esse. Nam quæ legis constitutione existunt, legitima, ac horum vnumquodque iustum dicitur. Leges autem de omnibus decernunt, respicientes quod utile vel omnibus, vel optimis, vel potentibus fuerit, vel alio aliquo pacto. Itaque iusta quidem nunc vocamus, felicitatis ad civilem communicationem spectantis, eiusque partium effectiua, & conseruatiua. Præcipit autem & fortis, ut viri præstetur officium: ut, non deserendos ordines, non fugiendum, non arma abiicienda: & temperantis: ut, non committendum adulterium, non contumelia quenquam afficiendum: & mansueti: ut, non cædendum, nec maledicendum. Ac ad eundem modum in reliquis vel virtutibus, vel vitiis, alia iubet, alia vetat bene constituta lex: minus verò id præstat, temerè, inconsultèque lata. Pròinde iusti-

tia perfecta quidem virtus est, sed alterum spectat. Vnde non raro omnium reliquarum virtutum esse præstantissima videtur: ac, ut in proverbio dicitur, Nec hesperus, nec lucifer ita sunt mirabiles. Iustitia etenim simul omnes cæteras virtutes complectitur, ipsaque maximè est absoluta, quod & virtutis perfectæ vñibus deseruiat, & quod hac præditus, virtute etiam erga alium uti potest, non erga se ipsum tantum. Quod multis vsu venit, qui, cum in rebus suis obseruare queant, in actionibus erga alios nequeant. Quocirca rectè habet Biantis dictum, Imperium virum declarare: eò quod aliis qui præest, in communicatione quadam, & negotiis cum aliis versatur. Quam ob causam inter cæteras virtutes alienum quoddam bonum videtur iustitia, vñibus nempe aliorum destinata. Nam quæ aliis commodant, facit, utpote suo vel principi, vel consorti. Vnde pessimus sit, necessum est, qui & erga se, & alios nequitiam exercet: optimus autem, non qui erga se, sed alios virtutem exerat: id nanque difficillimum. Quare iustitia, tota virtus, non eius pars est: & contraria illi iniustitia, tota nequitia, non pars est. Verum quid à iustitia virtus differat, ex superioribus patet. Est enim ipsa quidem eadem: verum esse ipsum, non idem. Nam ipsa quidem iniustitia alium respicit, habitus verò simpliciter virtus est. Cæterum nos iustitiam particularem virtutem vestigamus: nam quædam est eiusmodi, ut loqui solemus. Eodem pacto & iniustitia particularis. Argumento est, quod iuxta cæteras quidem nequitias agens, iniuriam quidem inferat, nec tamen alium circumscribat: velut qui scutum ob timorem abiicit, vel ex sæuitia maledicit, aut opem negat pecuniariam, ob illiberalitatem. Verum qui circumscribit alium, non iuxta omnes, sed & frequentèr iuxta nullam harum, & ex improbitate quadam agit: iuxta iniustitiam enim vituperamus. Itaque alia quædam iniustitia, est veluti pars totius: & quidpiam iniustum, pars totius iniusti, eius, quod est præter legem. Præterea, si alius quidem lucri gratia adulterium committit, & quæstum inde facit, alius autem erogat, & passo damno: hic quidem intemperans potius, quam alienis inhians, iudicari queat: ille verò iniustus, intemperans autem nequaquam, eò quod ob lucri gratiam. Præterea, in quolibet maleficio relatio quædam fit ad nequitiam aliquam, ut si adulterium commisit, ad intemperantiam: si ducem deseruit, ad timorem: si percussit, ad iram: si quæstum captarit, ad malitiam nullam, sed iniustitiam tantum. Quam ob rem manifestum, si iniustitia aliqua particularis, præter generalem, synonyma extiterit, eam definitione eadem describi, eò quod vtriusque facultas ad alium pertineat: verum illius quidem circa honorem, aut opes, aut salutem, aut si quo nomine alio hæc cuncta simul queamus complecti, idque ob voluptatem ex lucro manantem versatur: huius verò circa omnia, in quibus & vir bonus occupatur. Patet igitur, plures esse iustitias, & præter generalem virtutem aliam quandam. Verum quæ sit, aut qualis

qualis, nunc explicandum erit. Determinatum autem est, iniustum, quod præter legem est, & inæquale: iustum autem, legitimum, & æquale: iuxta legis enim transgressionem iniustitia (de qua diximus) est ad alium. Quoniam verò inæquale, & illegitimum non idem, sed plus est, ac alterum ut pars ad totum, ac omne amplius inæquale existit, inæquale verò non omne amplius: nec iniustitia, nec iniustum eadem erunt, sed diuersa ab illis. Nam alia ut partes, alia verò ut totum: hæc enim iniustitia totius pars est, similiter & iustitia iustitiæ. Itaque de particulari iustitia, iustitiamque, dicendum erit. Iustitia igitur & iniustitia iuxta generalem virtutem constituta, quæ totius est vsus, ad alium pertinent: quæ verò malitiæ est, prætermittatur. Ac iustum, iniustumque iuxta hæc determinanda nobis sunt. Legitima enim pleraque à virtute vniuersali promanarunt. Nam & singulas virtutes capeffendas, & improbitatem quanque euitandam, lex præcipit. Virtutis autem generalis effectiua, legitima sunt, quæ ad disciplinam communem legibus sancta sunt. Verum de ea, quæ ad singulos spectat, iuxta quam simpliciter vir bonus est, vtrū ciuilis, an alterius virtutis sit, deinceps determinandum erit: fortasse enim non idem fuerit, quod viro bono, & omni ciuili congruat. Verum iustitiæ particularis, iuxtaque eam iusti, vna species est, quæ in honorum, aut facultatum distributione consistit, aut aliorum, quæ diuidi inter coniunctos ciuili societate possunt. Inter eos enim alium alio plus minusve, aut æquale habere contingit. Vnum autem est in contractibus syncerum, incorruptumque iustum, cuius partes duæ sunt. Delictorum verò alia voluntaria sunt, alia inuoluntaria. Voluntaria quidem, ut emptio, venditio, vfura, sponso, vsus, depositum, cōductio: inde scilicet, quod principium contractuum voluntarium sit. Inuoluntariorum verò alia quidem sunt clancularia, ut furtum, adulterium, veneficium, stuprum, insidia, & occulta cædes, falsum testimonium. Violenta verò, & coacta, flagella, vincula, mors, rapina, mutilatio, accusatio, conuicia. Et quia iniustus inæqualis est, & iniustum inæquale, patet quod eius mediū æquale dicatur. Nam in quacunque transgressione magis est, & minus, in eadem & æquale, & inæquale reperitur. Si igitur iniustum inæquale, iustum æquale erit: id, quod circa rationem omnibus ita videtur. Cūmq; æquale medium sit, ac iustum medium, atque ipsum quidem æquale ad minus in duobus consistat, necessum est, iustum & mediū esse, & æquale aliquibus esse, & ad aliquid, quatenus quorundam medium est: ea verò sunt maius, & minus. Quatenus verò æquale duobus, iustum autem erat quibusdam: vnde consequitur, iustum ad minus ad quatuor referri. Duo enim sunt, quibus iustum euenit, duo item, in quibus res ipsa: atque eadē æqualitas erit, quibus, & in quibus. Quemadmodum enim habent, quæ in quibus dicuntur, sic etiā illa: velut si non æquales, non æqualia habeant. Hinc enim certamina, & accusationes, quando vel non æqualia æquales, vel non æquales æqua-

lia possident, & depascuntur: id quod ex formula, secundum dignitatem, patet. Iustum enim in distributione, omnes secundum dignitatem obseruandum consententur. Verum dignitatem alii aliter æstimant. Democratici enim libertatem, oligarchici diuitias, optimates virtutem. Est igitur iustum proportionabile, quod non vnitatem, sed numero constat. Proportio enim æqualitas est rationis, ad minus in quatuor consideratæ. Itaque manifestum est, & diuisam, & continuam proportionem in quatuor membris consistere. Vno enim bis vitur, ac bis dicit: ut, quemadmodum a ad b, sic b ad c. vbi b bis dicitur. Itaque si b bis sumitur, quatuor proportionabilia emergunt. Quocirca & iustum quatuor ad minimum constat. cuius ratio eadem. Similiter enim ut priora diuiditur. Erit igitur quemadmodum a terminus ad b, sic c ad d. Permutatim igitur ut a ad c, sic b ad d, & totum ad totum. id erat, quod non conduplicabat. Verum ita compositum, merito cōduplicat. Coniunctio igitur terminorum a ad c, & b ad d, iustum est in distributione, & medium iustum, hoc est proportionabile: itaque proportionabile medium est, iustum verò proportionabile. Vocant hanc proportionem geometricam Mathematici, ut quæ in geometria eueniat: & totum ad totum, quemadmodum alterum ad alterum. Verum non est continuaproportio. Neque enim fit æquale numero cui, & quod. Iustum igitur hoc est proportionabile, iniustum verò præter proportionem. Itaque proportionabile hoc quidem plus, illud verò minus habet. id, quod in actionibus etiam contingit. Nam qui infert iniuriam, plus, qui patitur, minus habet boni. In malo verò e conuerso. Nam in ratione etiam est minus malum, erga maius collatum, cum minus malum maiore sit eligibilis: eligibile verò bonum, & eligibilis maius bonum. Hæc igitur vna iustitiæ species est. Altera verò vna itidem, correctiua, in commerciis vel voluntariis, vel inuoluntariis incidens: quæ iusti species à priori diuersa est. Nam communium distributiua, semper iuxta dictam proportionem consistit. Nam si ex publicis facultatibus distributio fiat, iuxta rationem eandem erit, quam habent ad se inuicem prius inducta: atque iniustum iusto huic oppositum, præter proportionem est. Quod verò in commerciis consistit iustum, æquale quippiam est: iniustum verò inæquale, verum non iuxta eam, sed iuxta arithmeticam proportionem. Neque enim refert, si frugi aliquis prauum spoliarit, aut prauus frugi hominem: nec, an frugi, vel prauus adulterium commiserit: sed damni diuersitatem solum lex spectat, ac ipsis ut æqualibus vitur: ut, vter intulerit, aut passus sit iniuriam: & vter dederit damnum, aut acceperit. Itaque id iniustum inæquale, æquare iudex conatur. Nam si hic quidē percusserit, ille læserit, aut occiderit, alius mortuus fuerit, diuiduntur in æqualia, passio, & illatio: verum damno æquare conabitur, auferens de lucro. In his enim (ut simpliciter di-

cam (nomine destituti alio, lucrum vocant, velut percipienti, & damnum patienti. Verum cum admetiuntur passionem, appellatur illud quidem damnum, hoc verò lucrum. Itaque in plus, minusque, medium est æquale. Inter lucrum verò, & damnum, illud minus, hoc plus est contrariè. Illud, cum plus boni, & minus mali habet, lucrum est: contrarium verò, damnum: quorum medium æquale, quod iustum esse dicimus: quocirca correctivum iustum, medium 10 lucri, damniq; fuerit. Vnde & controuertentes ad iudicem confugiunt: quod nihil est, nisi ad iustum ire: quippe qui velut iustum animatū vult esse. Iudicè igitur medium quærunt, quem nonnulli medio iustum vocant, tanquam si iustum, etiam medium consequantur. Medium ergo, si quidem iudex est: vt si in linea inæqualiter secta, particulam, qua maior pars medietatem excedit, minori apponat. Ac quando totū in duo 20 æqua secatur, tamen illud ipsum habere dicuntur, quando scilicet æquale accipiunt, quod inter maius & minus medium est, iuxta arithmeti- cam proportionem. Vnde & *δικαιον* appellatur, quod *δίκαιον*, hoc est, duobus æquis constat, velut si quis *δίκαιον* appellet. Atque inde etiam *δικαστής*, id est, iudex dicitur. Nam si quis duobus æqualibus, alteri demat, quod alteri addat, duobus his alter excedet. Nam si auferatur solum alteri, quod alteri non addatur, vno tantum superabit medium: vno enim à medio relinquatur tan-

tum is, cui ademptū est: quo cognoscitur, quid demere plus habenti, quid verò addere inferiori oporteat. Nam quo medium excedit, id alteri adiciendum est: & quo exceditur, demere à maiore. Verbi gratia, æquales sint aa, bb, cc, sibi inuicem: ac ab a auferatur a, e, adiciaturq; c d ad cc: itaque totum d c c excedit e a ipso c d, itaque & b b excedet eo, quod est c d. Euenit idem etiam in reliquis artibus: quippe interierent, nisi faciens, tale, & tantum faceret: itidem & patiens, tantum, & tale pateretur. Porro damni, & lucri appellatio, ex voluntario contractu orta sunt. Plus enim habere quam pro facultatibus propriis, lucrari: sed minus, quam à principio possidere, damnum pati. Vnde emptionem venditionemq; etiam in reliquis lex constituit. Verum cum neque minus habent, sed sua cuiq; eueniunt, tamen sua habere, nec damnum pati, neque lucrari dicuntur. Quocirca lucri, ac damni medium quoddam iustum est, eò quòd præter voluntariū actum, antè & post æquale habet.

Reliqua deinceps vsque ad septimum librum, ordine, & ad verbum inuenies in Ethicis ad Nichomachum, libro quinto, capite quinto, vsque ad librum octauum.

ARISTOTELIS STAGIRITAE ETHICORVM ad Eudemum Li- ber Septimus.



DE AMICITIA, quid sit, & quale sit, quis item amicus: ac utrū simpliciter tantum dicatur amicitia, an multifariam: & si multifariam, quotnam modis: in super quo pacto sit amico vendendum, quidue iustum amicum, nihilò minus excutienda nobis sunt, quam ea, quæ de moribus circa honesta, eligibiliæque traduntur. Nam inter ciuilia officia vel potissimum est, amicitias inter se hominum mutuas conciliare. Eamque ob causam virtutem vtilem existere dicimus, quòd amici esse nequeunt, qui mutuis inter se iniuriis consistantur. Præterea, iustum, iniustumque, maximè circa amicos versari omnes

confitemur. Et sanè videtur vir bonus etiam amicus esse, ac amicitia moralis quidam habitus: vt si iniuriam quis cauere instituat, homines inuicem reddat amicos, eò quòd veri amici nunquam mutuo, quemadmodum & iusti, inferant iniuriam. Quocirca aut idem prorsus, aut cognata inter sese, amicitia, iustitiæque existunt. Præterea, inter bona præstantissima reputamus, paratum esse amicum: & malum grauissimum, solitudinè, amicorumq; carentiã interpretamur: quòd omnis vita, spontaneaq; hominum conuersatio his constet, quæ cum familiaribus, aut cognatis, aut aliis nobiscum degentibus vel liberis, vel parentibus, vel vxore transiguntur. Et propria quidem iusta quæ ad amicos spectant, solum ad nos pertinent: verum quæ lege

lege constituta, non equidem nos, sed alios respiciunt. Verum multa ambigi circa amicitiam solent. Primum quidem, quòd foris assumitur, vt plerunque dicitur. Videtur enim nonnullis simile simili amicum esse: vnde natum est, quod fertur, Deus similem semper adducit ad similem. Etenim graculus ad graculū: & fur furem cognoscit, & lupus lupum. Sed & physiologi vniuersam Naturam rerum describentes, principium hoc constituunt, similia ad similia contendere. Quocirca & Empedocles canem semel lam fictili incumbere aiebat, ob similitudinem, quam cum eo plurimam haberet. Atque hi quidem ad hunc modum amicum definiunt, alii verò contrariū contrario amicum asserunt. Amabilia enim, desiderabiliq;, omnibus amica sunt: & sicca humida, non sicca, appetit. Vnde & terra pluuiam optare dicitur, & rerum omnium mutationem gratam esse: ea verò in contrarium fit. Et simile simili inimicum, & figulus (quod dicitur) odit figulum. Insuper & animata, quibus ex eodem victus suppetit, hostilia inuicem sunt. Opiniones igitur hæc tantum distat ab iis, quæ simile amicum, & contrarium inimicum censent. Minus certè semper ei, quod plus est, hostile existit, inimicitiamq; dies exorditur. Præterea & loca inter se disita, contrariorum sunt: amicitia enim contrahere videtur. Alii verò contraria amica putant, & Heraclitus increpat poetam dicentem, quòd lis inter deos & homines pereat. Neque enim harmoniam consistere inquit, citra acutum, & grauem sonum: neque animalia absque mare & scæmina duobus contrariis. Quæ duæ opiniones de amicitia, sunt in vniuersum plurimum discrepantes: verum alia magis cognata sunt, & propria apparentium. Aliis enim videtur inter prauos amicitiam constare non posse, sed inter bonos tantum. Aliis contra absurdum videtur, si mater liberos non amare asseratur, cum & inter bruta, amicitia intercedat tanta, vt etiam pro sobole sua mori non recusent. Alii tantum vtile amicum arbitrantur. Argumento illis est, quòd omnes id prosequuntur, inutilia verò abiiciunt. Vnde Socrates senex ille saliuam proiciens, & capillos, vnguēsque, præscindens, particulas se inutiles omnes abiicere dicebat, & postremò etiã corpus ipsum, cum mortuum fuerit, & quod nullis porro vibus accommodari queat: verum vbi vsui est, velut in Aegypto, referuat. quæ omnia contraria inter se maximè videntur. Nam inutile simili, & contrarietas similitudini, ac contrarium inutilissimum contrario suo maximè repugnat: quippe quòd contrarii sit contrarium corruptivum. Insuper videtur aliis quidem facile amicos comparare, aliis verò rarissimum hunc cognoscere, quoniam citra successum non contingit. Cum felicibus amicitiam omnes captant: verum alii, ne in iisdem quidem infortuniis persistentibus, credendum iudicant: quippe qui fallacia quadam, fictaque cum calamitosis conuersatione, bonorum amicitia se insinuant. Sed adducendus etiam postremus, qui & opiniones de his rectissimè exponit, & dubitatio-

nes, contrarietasque soluit. Quod fit, dum appositè explicantur, quæ videtur contraria. Eiusmodi enim ratio maximè apparentibus consonat. Contingit autè oppositiones manere, quando quod dictum est, verum sumptum fuerit: interdum verò secus. Dubitationem autem habet, vtrum iucundum, ac bonū id sit, quod ametur. Nam si id maximè concupiscimus, erit eiusmodi, potissimum amor. Neque enim amator dicitur, qui non amet semper. Et cupiditas semper ad iucunda fertur. Nam & iucundum, quod volumus bonū amamus: verum aliud est iucundum, ac bonum: de quibus, & aliis cognatis determinare conabimur, his principiis constitutis. Quæ cupiditate, aut voluntate appetuntur, aut bona sunt, aut apparatus bona. Quapropter & iucundum concupiscibile est, quia apparet bonum: quippe quod aliis bonum iudicetur, aliis appareat tantum, etiam si non iudicetur. neque enim in eadem animæ parte sunt, phantasia. Patet igitur, amicum & bonum, & iucundum esse: quo determinato, altera iam hypothesis præmittenda. Bonorum enim alia simpliciter bona sunt, alia alicui, non simpliciter, atq; eadem simpliciter & bona, simplicitèrque iucunda. Nam quæ sano corpori conducunt, simpliciter corpori bona: quæ verò laboranti tantum, non simpliciter appellamus, velut sunt remedia, & sectiones. Similiter & iucunda simpliciter vocamus, quæ integrum, sanumque corpus oblectant: vt in clara luce, non in tenebris cernere: verum laboranti ex oculis contrarium. Et vinum iucundius esse iudicatur, non linguæ ex violentia corruptæ, quæ ne infusum quidem acetum discernat, sed sensui sincero. Similiter & in iis, quæ animam spectant, non quæ pueris, aut bestis, sed cordatis probantur. Vtrorunque igitur memores, hæc eligimus. Et quemadmodum pueri, ac bestia habent ad cordatum, sic prauus, stolidusque ad moderatum, & sapientem. Iis verò iucunda sunt, quæ iuxta habitus incidunt, quæ sunt bona, & honesta. Quia verò bona multifariam dicuntur, aliud enim quia tale sit, aliud quia vtile, ac frugiferum: sic & iucundum aliud simpliciter, ac bonum simpliciter, aliud verò quod alicui videatur bonum: quemadmodum in inanimatis contingit, ob singula hæc aliquid ametur, & eligatur: vt hominem amant alium, quòd virtute præditus, alium quia bonus, & frugiferus, alium quia iucundus ob voluptatem. Amicus autem fit, quando amatus redamat, neque id ignoratur ab ipsis. Quocirca necessum tres amicitia species esse: neq; iuxta vnum aliquid omnes, neq; vt vnius generis species, neq; omnino equiuocè dicantur: ad vnã enim quandam, primamque, referuntur: quemadmodum medicinale, ad animã medicinalem, & corpus, atque in super etiã instrumentum, & opus. Sed propriè primū, per quod ratio eius nobis inest: velut instrumentum medicinale, quo medicus vtitur, nec tamen instrumenti ratio, medici rationi inest. quocirca in omnibus primum illud quæratur. Et quia primum vniuersale est, vniuersaliter etiam capitur quod fallit. Itaque & de amicitia non sunt

sunt omnia apparentia perdere. Ratione enim vna minùs congruente, non arbitrantur cæteras amicitias esse. Aliæ verò sunt quidem, sed non similiter: aliæ verò cum prima non conueniunt, vt vniuersalis: siquidem prima fuerit, neq; alias esse amicitias inquirunt. Verùm, vt modò dictum est, multæ amicitia species sunt, quoniã tripliciter dici amicitia determinauimus, cum alia ob virtutem, alia ob vtilitatem, alia ob iucunditatem oriri dicatur. Et sanè quæ commo-

10 *ἡ δὲ ἀπὸ ἐπιουροῦ ἀνὴρ τὸν οὐ φιλοῦ ἐσκεμάχηται.*
 Et nondum Athenienses cognouerunt Megarenses. Quæ verò ob voluptatem contrahitur, iuuenum est. mutatis enim pro ætate moribus, etiam iucundum mutant. Quæ verò à virtute proficiscitur, optimorum. Vnde manifestum est, primam amicitiam esse, quæ bonorum est mutuus erga se inuicem amor, mutuæque electio. Amicum enim est amatum amanti, amicusque item redamans amato. Ea igitur sola inter homines est, quippe qui soli electionem sentiunt. Cæteræ autem etiam feris inter se sunt, vbi etiã aliqua mediocris elucet vtilitas. Atque ita etiã cicura homini, & alia aliis amica sunt: quemadmodum regulus auis crocodilo, Herodoto teste: & quemadmodum vates de concessibus, transitionibusque loquuntur. Et mali malos, cum ob vtilitatem, tum ob iucunditatem 20 amant: neque tamen amicos fatentur, cum primæ sint expertes: quippe quòd prauus iniuriam prauè inferat. quod amicitia legibus repugnat. Alii itidem amant citra amicitiam primã, quos tamen reliquas colere nihil vetat. Ob voluptatem enim incontinentes, se ipsos suspectos habent, nec ab iniuria mutua abstinent. Quocirca nec ob voluptatem se mutuò amantes, dici amici debent: quando accuratè disquirentibus planè primam non esse constat. Illa enim firma est amicitia, hæc verò prout hæcenus diximus, nõ illa quidem, sed ab illa profecta. Quapropter vtillò tantum pacto amicus esse asseratur, cogere, est apparentia, absurdæque dicere. Nam iuxta rationem communem quandam affirmare omnes amicitias licet. Superest igitur, vt prima tantum amicitia vocetur: interdum verò etiam omnes: neque vt æquiuocè, neque ad se ipsas quomodocunque habentes, neque iuxta vnam speciem, sed potiùs ad vnum aliquod re-

quod quæritur, sic esse bona, quæ simpliciter bona sunt. Eligibile enim est simpliciter bonum: ipsi verò, quod ipsi bonum quæ conuenire oportet. Et virtus vna talem efficit: & ciuilis facultas etiam, quibus hæc non insunt, indignit, modò iam antè accommodatus & homo existat. Naturaliter enim ei bona sunt, quæ simpliciter bona. Similiter & vir pro fœmina, & stupidus pro prædito indole. Ob dulce verò, necesse est, quæ pulchra sunt, sint & dulcia. Vbi verò dissonant hæc, iam non prorsus bonum: nam intemperantia interuenire potest. Cum enim honestum, iucundumque disconueniunt, in affectionibus intemperantia est. Qua cum prima amicitia est secundum virtutem, erunt & ipsi simpliciter boni: non quia vtilis, sed alio quopiam modo: quandoquidem bifariam, huic & simpliciter bonum capitur. Et similiter quemadmodum in conducibili, & habitibus, vbi aliud est simpliciter conducibile, & honestum, velut se exercitatio ad medicationem habet. Itaque & habitus hominis virtus. Sit igitur homo ex rebus natura præstantibus. Nam virtus natura præstantis simpliciter, alterius verò alicuius nequaquam, sed huic bonum dicitur. Eadem quoque ratio dulcis est. Hinc igitur vestigandum, vtrum absque voluntate sit amicitia, quid ve differat, & in vtro amare consistat, & vtrum bonus esse etiam non iucundus queat, sed nõ propter id ipsum tamen. Amor igitur, cum dicatur bifariam, qui actu est, eò quòd bonum iudicat, non absque voluptate esse apparet: patet autem, quemadmodum in scientia rerum, cognatæ contemplationes, disciplinæque, specie sua facilè intelliguntur, ita etiam familiarium recognitiones expeditæ fiunt. cuius rei ratio eadem in vtrisque est. Natura igitur simpliciter bonum, & simpliciter iucundum: & quibus bonum, iisdem etiam iucundum est. Quapropter similia similibus mox gaudent, & homini homo iucundissimus. Et quia imperfecta, eadè conditione sunt, etiam absoluta eiusmodi erunt. Est autem vir bonus perfectus. Siquidem ergo amare actu mutua familiaritatis, & notitiæ, electio, cum voluptate est. Scilicet & amicitia prorsus simpliciter bonorum, & iucundorum, quia bona, iucundaque sunt, mutua electio. Atque ea amicitia habitus, ex quo eiusmodi electio proficiscitur. Nam opus eius, actus est, qui non extrà, sed in ipso amante consistit, cum potentia extrà, vel in alio insit, vel diuersum saltem existat. Quocirca in amante, non in amato gaudium est. Amari enim amabilis rei, illud verò etiam amicitia actus est, & animati tantum, cum prius etiam inanimatis competat, quando & ea quoque diliguntur. Et quia amare actu est gaudere amato, quatenus amatum, & amicus etiam est, qui amatum vicissim, erit amicus amico non quæ musicus, vel medicus. Voluptas igitur ab ipso percepta, quæ amicus, propriè amica voluptas appellatur: ipsum enim diligit non ob aliud quippiam. Quam ob rem nisi eo, quatenus bonus est, delectatur, non fuerit amicitia prima. Neque rem illam interuenientem obstare decet, vt bonum ipsum non delectet. Itaque etiam si graueolentia fuerit

fuerit aliqua, obliterare, & mentis industriam amplecti verus amicus solet. Hanc igitur primam amicitiam esse omnes consentunt: aliæ verò propter hanc, & aliquo modo videntur, & in controuersiam veniunt. Constantiam enim quandam habere amicitia videtur, ac sola ea constans est. Nam pronuntiatum à grauibus est, constans id esse, quod non citò fiat, neque facilè dissoluatur. cætera iudicio sincero vocat. Porro nec citra fidem consistit amicitia firma: ea verò experimētum requirit, vt inquit Theognis. Neque enim viri, mulierisve mentem cognoueris in periculo, velut de vi metis sumpto. Eodem pacto & nec tempus requirit amicus: quia etiam amici ante contractam amicitia cupiunt, qui habitus velut iam consummata amicitia later. Nam quia ad mutuam amicitia propendunt, & sibi inuicem omnia officia præstant, putatur velle, sed re ipsa amici esse. Verùm quemadmodum in cæteris, ita hic quoque vfu venit. Quemadmodum enim sani non sunt statim, qui id velint, ita nec amici, qui esse voluit. Argumento est, quòd facilè tales nondum assumpto experimento, ita nec calumnia circunueniantur, quòd experimentum quibus in rebus habent, in his facilè se calumnia non præbent: in quibus autem non habent, persuadeantur, si coniecturas calumniator adhibeat. Simul verò patet, nec inter prauos amicitiam constare posse: quippe qui iniqui sunt, & nemini sese committunt, ex se ipsis alios metientes. Vnde & boni facilius decipiuntur, nisi ea periclitatione diffidant. Etenim prauis naturâ, bona amico præferunt, neque quisquam amicū magis, quàm res, amat. Nam tales, amici non sunt: repugnant enim legi amicitia, amicorum communia omnia afferenti: quandoquidem amicus rebus ipsis præferendus est, non amicis res. Vnde prima amicitia inter paucos incidit, eò quòd difficile sit, multorum capere experimentum: quandoquidem non omnibus, quemadmodum oportebat, possis conuiuere. Neque ex æquo de veste, & amico deliberare conuenit. Equidè quod inter duo melius extiterit, eliget mentis saltem compos. Et quo est vfu olim vt deteriore, non præferet ei, quod iudicet melius. In amicitia autè non facilè pro vetere amico, incognitum assumet. Neque enim absque experimento est, & vnus diei amicus: quapropter in prouerbum abiit, Salis modius. Simul autem non eò tantum quòd simpliciter bonus quispiam sit, ad amicitiam sufficit, sed vt etiam tibi sit amicus. Bonus enim quisque dicitur simpliciter, eò quòd bonus est: amicus autem, qui alteri bonus. Simpliciter autem bonus, amicusque, in quo vtraque ista concurrunt. Itaque quod simpliciter bonum alteri, hoc quanquam non simpliciter bono: alteri verò bonus, eò quòd vtilis. Amare autem vnà multos, & ipsum hunc amorem auertere, impossibile erga plures operari. In his autem constat rectè dici, Amicitiam constantium bonorum esse, quemadmodum felicitas sufficientium: etenim natura, non facultates, firmitatem habet. Verùm multò rectius virtutem naturæ esse af-

firmatur, & tempus amantem indicare, infortuniæque magis, quàm successus. In illis enim verè declaratur quod dicitur, Communia amicorum omnia: quippe qui soli bonis, malisque natura, circa infortunia, & successus, in quibus consistunt, hominem præferunt, vel vt illa sint, alia verò non sint. Successus autem arguit non veros amicos, & ad vtilitatem tantum comparatos: tempus verò vtrosque. Neque enim vtilis statim amicus est, verùm suavis, & iucundus. Sed nec qui statim, suavis simpliciter est: quando perinde vt vino, ciboque partim suauitas, partim verò celeritas percipitur, verùm mediocri tempore suauitatem, voluptatèque amittit, sic etiam hominibus vfu venit. Nam quod simpliciter incundum est, sine, temporeque determinari debet. Fateatur autem & vultus, dulce vocans non solum, quod compererunt, sed veluti cum bibunt, cumque adhuc in manibus poculum est. Non enim id inde dulce est, quia compererit aliquis, sed quia non frequenter bibit, ac quia primùm decipitur. Prima igitur amicitia, à qua cæteræ nomen trahunt, secundum virtutem est, iuxtaque eius delectationem, velut dictum est prius. Reliquæ etenim inter pueros, brutaque, & prauos contingunt. Vnde prouerbio dicitur, Aequalis æqualem delectat. & Malus malo iucundè conuiuuit. Nam & prauis nonnunquã se mutuò oblectant, non quatenus prauis, nec quatenus neutri, sed quatenus vel ambo (exempli gratia) streperi: vel hic quidem streperus, ille verò parcus: quatenusque bonum aliquod omnes habent, eatenus congruunt sibi. Præterea, vtilis sibi etiam hos esse contingit, non quidem simpliciter, sed institutis. Sic etiam bono viro amicum malum esse contingit, nempe ad institutum aliquod vtilem: vt malus boni viri instituto, quale bonus habet, inferuiat. Bonus intemperanti quidem ad illud, quod habet institutum, malo autem ad id, quod iuxta naturam existit. Valentque bona simpliciter quidem simpliciter, illi verò ex hypothesi, nempe quatenus aut paupertati, aut morbis confert, idque bonorum simplicium causa: quemadmodum & pharmacum bibit. Non enim bibere vult ipsum, sed huius mali pellendæ gratia vult. Præterea, amici hi esse possunt inuicem, qualiter & ii sunt, qui boni non sunt. Iucundus enim esse potest, non quatenus malus, sed quatenus aliquid commune habet: vt si sit musicus. Insuper quatenus vnū quiddam est omnibus, quod ferre possis: ideo quidem ad colloquium apti, boni habeantur, aut quatenus denique vnicique congruant: aliquid enim boni omnes habent. Tres igitur hæc species amicitia sunt, & in his omnibus iuxta æqualitatem quodam modo amicitia appellatur. Nam & amici secundum virtutem, in æqualitate quadam virtutis sibi inuicem amici sunt. Alia porro in his differentia secundum excessum: velut est Dei erga hominè virtus, (id enim aliud amicitia genus est) & in vniuersum velut principis erga subditum. Quemadmodum & iustum aliud est: proportione enim æquale, numero verò

verò minimè. Quo in genere sunt pater erga filium, & beneficus erga beneficia passum. In iis verò ipsis discrimina quædam elucet, quando alia est patris erga filium ratio, & viri erga uxorem: hæc quidem vt principis erga subditum, illa verò vt benefici erga beneficia passum. In iis aut prorsus non, aut certè non similiter redamare contingit. Ridiculum enim fuerit, si quis Deo exprobrat, si non pro eo ac ab hominibus amatur, vicissim ipse diligat: aut principi, quòd non æqualem amorem subditis præstet. Imperanti enim vt ametur, non vt amet, aut certè alio pacto conuenit. Verùm oblectatione nihil est discriminis, siue vt in opulento, erga facultates domesticas, & sobolem suam, vel vt egens erga id, quo potitur. Quocirca similiter se habet in amicis, qui ob vtilitatem, & qui ob delectationem conciliantur. Nam hi quidem iuxta æqualitatem, illi verò iuxta excessum amici sunt. Proin quemadmodum illi exposcunt, si non ex æquo vtilis sint, ac beneficiis respondeant: sic hi etiam ob delectationem. Quod in amatoribus vsu venit, vbi persæpe ex eiusmodi causis rixæ suboriuntur, ignorante scilicet eo, qui amat, ratione esse diuersam in iis, quæ animi promptitudinem spectant. Quocirca contentionis causam amarus se meminisse arbitratur. Hæc (inquit) non diceret amans, ex eo scilicet, quòd rationem eandem esse existimat. Cùm igitur tres amicitiae species sint, secundum virtutem, secundum vtilitatem, & secundum voluptatem, rursus hæc in duo distinguuntur. Aliæ enim iuxta æqualitatem, aliæ iuxta excessum sunt: amicitia quidè vtræq; amici verò iuxta æqualitatem tantùm. Absurdum enim sit, amicum vocare virum puero, eò quòd amet & ametur. Nam etsi excellentem virum amari aliubi conuenit, sitamen redamet ipse, vt dedecus improperatur, vt qui amet indignum. Nam dignitate quadam, æqualitatemq; ponderatur amicitia. Quædam igitur ex ætatis defectu, quædam verò ex virtutis, generis, aut alio quopiam, indigna æquali amore sunt. Semper autem ab excellète, siue vtilitatem, siue iucunditatem, siue virtutem spectes, aut nullus, aut minor amor requiri debet. Verùm in mediocribus excessibus merito controuersia oriuntur. Paruum enim nonnunquam minimè debet robore æstimari, veluti non ligni, sed aurei vasis pondus præualeat. Atqui paruum illud homines perperam iudicant, quibus domesticum bonum, magnum videtur, quia propinquum: alienum verò exiguum, quia remotum. Cùmque excessus interuenit, nec tamen quidem inquirunt, quo modo, ac an similiter redamari oporteat, perinde si quis amorem à Deo repositat. Manifestum est igitur, amicos in æqualitate quadam consistere: redamare autem licere, vt amici non sint. Neque verò obscurum est, quia homines amicitiam iuxta excessum, ei, quæ ad æqualitatem comparata est, anteponant: eò scilicet, quia & excellètia, & amore potiuntur. Quocirca nonnullis assentator amico gratior est, quippe qui vtrunque cui adulator videtur adstruere. Ac sunt ferè ambitiosi tales:

nam in admiratione esse, excellentiæ cuiusdam speciem habet. Natura autem alii amatorii, alii verò ambitiosi nascuntur. Amatorius quidem, qui magis oblectatur amando, quàm dum amatur. Ambitiosus autem magis amari, & in admiratione esse cupit, excellentiæ amicus: alter verò voluptatis, quam percipit amando. Nam in actu necessario amans est: redamari autem per accidens contingit, & latere potest: amans autem non potest. Et est amicitia hoc peculiare, vt amare potius, quàm amari cupiant: amari verò iuxta id, quòd amabile fuerit, contingit. Argumento est, quòd amicus, si non contingat vtrunque, cognoscere vult magis, quàm cognosci. velut in excessibus summis faciunt fœminæ, vt Andromache Antiphontis, quæ cognosci velle videtur ipsius gratia, vtque bono aliquo afficiatur, non afficiat: cognoscere verò, afficiendi, amandiq; gratia. Quocirca in amorem etiam erga mortuos persistetes laudamus, quippe qui cognoscant, non cognoscantur. Plures igitur modos amicitie esse, & quot, tres nempe: item quòd amari & amici differant, qui iuxta æqualitatem, & qui iuxta excessum amici sunt inuicem, dictum est. Quia verò amicus etiã vniuersaliter dicitur, velut principio, adductis extrariis quibusdam opinionibus, ostendimus, (nam alii simile, alii contrarium amicum pronuntiant) dicendum etiam de his est, quo pacto habeant erga expositas hæc amicitias. Simile autè tam ad iucundum, quàm bonum refertur. Bonum enim simplex est, malum verò multiplex. Et bonus similis sibi semper, neque mores mutat: prauus autem & stultus, sibi dispar est manè, & vesperi. Quocirca nisi inter se paciscantur mali, amici sibi inuicem non erunt, sed dissiliunt: quæ amicitia minimè firmissima est. Quare eatenus simile amicis est, dum simile bonum sit. Interdum autem iuxta voluptatem consistit: similibus enim eadem iucunda sunt, & naturam quodque cuique iucundum est. Vnde & voces, & habitudines, & conuersationes, cognatis inter se suauissimæ solent esse, cùm hominibus, tum cæteris animantibus. Atque hæc possunt etiam prauis se inuicem diligere, & malis malo iucunde conuiuunt. Contrarium autem contrarium amicum, quemadmodum vtile. Nam quod sibi simile, id inutile est. Quapropter dominus seruo, & seruus domino indiget, & vir, fœminaq; inter sese mutuò. Ac iucundum, & desiderabile, contrarium, vt vtile, non quæ in fine, sed quæ vt ad finem. Nam vbi consecutus est quod concupiebat, in fine quidem iam est, sed contrarium non concupiscit: veluti calidum, ipsum frigidum. Porro & contrarii, boniq; amicitia quædam est: se inuicem enim per media desiderant, vt symbola, non vt ex ambobus vnum medium fiat. Per accidens autem contrarii desiderium est, per se autem mediocritatis: neque enim se inuicem, sed medium concupiscunt contraria. Nimiùm enim argentes, ad medium reducuntur, cùm calefiunt, & calentes cùm frige fiunt. Similiter & in reliquis. Sin verò non semper flagruit cupiditas, non in medio erit, sed gaudebit

bit natura iucundis citra cupiditatem in medio constitutus. Alii verò omnibus, quæ naturalem habitudinem egrediuntur, quæ species etiam inanimatis competit. Amare autem contingit, quando fuerit in animatis: quocirca nonnunquam dissimilibus gaudent, velut austeri faceris, iritabiles ad iram tardis, vt qui à se inuicem ad medium reducuntur. Per accidens igitur, velut ostensum est, contraria amica propter bonum sunt. Quot igitur species amicitiae sint, & quæ differentia, iuxta quas discernuntur amantes, ac amati, idque sic vt amici absq; illo vocentur, dictum est hæcenus. Verùm an sibi quisquam ipsi esse amicus queat, vestigationem vberiore requirit. Nonnullis enim videtur, sibi quisque amicus esse maximè: qui eodem vtentes canone, amicitias erga alios etiã iudicant: verùm secundum rationes, iuxtaq; ea, quæ amicis censentur inexistere, partim repugnant, partim verò similia esse videtur. Quodam modo enim iuxta analogiam hæc amicitia est, simpliciter verò nequaquam: eò quòd amari, ac amare in disunctis duobus consistat, iuxta quæ magis hic sibi amicus est: velut in continente, & in incontinente dictum est, qui idem volens, nolensque agit, quando partes aliquo ad se inuicem pacto habent. Ac rationem habent hæc omnia eandem, num qui sibi amicus est, etiam inimicus sit, aut iniuria num se quispiam afficiat. Quæ omnia in duobus disunctim considerantur. Aut enim anima duplex quidpiam est, aut hæc disuncta non consistit: verùm ab habitudine erga se ipsum pendet, velut etiam reliqui amandi modi determinati, iuxta quos, rationes exquirere has solemus. Videtur enim amicus esse, qui alicui vel verè bona, vel quæ arbitretur bona, alii euenire cupiat, non sui, sed alterius gratia. Alio verò modo, quo conuiuere optat ob ipsam conuersationem tantùm, non ob aliud quidpiam: veluti patres liberis quidem bona optant, sed aliis conuiuunt tamen: quæ inter se inuicem omnia pugnant. Ille enim si non quod sibi, hic autem si non quod est. Alii verò conuiuendi desiderium non ad amorem referunt. Condolere quoque dolenti, non ob aliud quidpiam nos dilectionem vocabimus. Solent enim serui ita erga dominos condolere, qui ægrotantes plerumque sunt morosiores, non ob ipsos quidem, & vero affectu, velut matres solent liberis, & aues nonnullæ vnà cum enitentibus similiter dolore affligi. Amicus enim non solum amico condolere vel maximè studet, sed simili etiam conturbatione affici, veluti simul cum sitiente sitire: alioqui enim non fuerit cõiunctissimus. Eadem quoque in gaudento ratio: amicitia enim est, non ob aliud quidpiam, sed ipsum tantùm gaudere. Præterea, eiusmodi de amicitia dicuntur, vt æqualitas quædam sit amor: nec vnà tantùm amicitia iungantur veri amici, sed cuncta hæc simul conferantur in vnum: bona enim cupit alteri versus amicus. Quemadmodum & nemo sibi ipsi ob aliud quippiam benefacit, neque ob gratiam: neque indicat quod

fecit, quatenus vnus est. Nam qui amorem patrefacit, non amare quidem, sed velle amare videtur. Itaque & simul esse, & conuiuere, congaudere, condolere, absq; se mutuò ne viuere quidem posse, (vna enim anima sunt) sed commori, vnus illius, veræq; amicitia est. Sic enim vnus ille habet, ac sibi in hunc modum conuiuuit. Omniaque hæc in bono conspirant: in prauo autem dissentiant, velut in incontinente, vnde & aduersus aliquando ipse sibi existit. Quatenus verò quisque vnus est, indiuisibilis, ac per omnia desiderabilis sibi est: quales boni sunt, & secundum virtutem amici. Malus autem non vnus, sed multi, & die eadem varius, & importunus ipse sibi. Quam ob rem rectè cuiusque erga se ipsum amicitia, ad boni, probatiq; amicitiam reducitur. Quia enim sibi ipsi & similis est, & commodus, ac vnus insuper, vtique etiam amicus sibi est, & desiderabilis, qualis est secundum naturam: contra verò prauus. Porro bonus sibi nihil exprobrat, incontinentis instar: nec posterior prioribus succenset, velut mutabiles: neque prior posteriori, velut leues, vanique solent. Præterea, qui simpliciter bonus est, querit vt ipse etiam sibi amicus existat, quemadmodum & dictum est supra, duo in sese complecti, quæ ad amicitiam mutuam propendeant, quæ disiungere sit impossibile. Quocirca in homine amicitia erga se ipsum constare posse videtur, non etiam in reliquis animantibus. Neque enim equus sibi ipsi amicus est, neque pueri, donec electionem per ætatem consequantur: iam tum enim puer pro cupiditate à se ipso dissentit. Cognatorum amicitia similis videtur ea, quæ cuique est erga se ipsum, quandoquidem neutrum à se queas distinguere: & si maximè differant, cognati tamen illi sunt, ac vnus ille quoad vixerit. Quot igitur modis amare dicatur, quòdque omnes amicitiae ad vnã primam reducantur, ex dictis patet. Proprium verò huius considerationis fuerit, de concordia, benevolentiaque disquirere: quæ aliis eadem, aliis verò absque se mutuò non esse videntur. Est autem benevolentia cum amicitia neque prorsus idem, nec planè diuersum. Nam amicitia tribus modis distincta, neque in ea, quæ vtile, neque ea, quæ voluptatem spectat, consistit. Siue enim vtilitatem volunt, non ob illum, sed se, hanc cupiunt. Videtur autem benevolentia, quemadmodum & amicitia, non benevolentis esse, sed eius, cui is bene vult. Si in iucundo amicitiam constituas, benevolentiam etiam inanimatis tribues. Quapropter benevolentia circa moralem amicitiam consistit. Verùm benevolentiam tantùm est voluntas: amici verò, vt quod vult, præstet etiam. Ac amicitia omnis principium est benevolentia, ac omnis quidem amicus beneuolus, non contra omnis beneuolus amicus. Incipienti enim similis beneuolus est: vnde & amicitia principium, non amicitia appellatur. Cæterum & consentire amici videntur, & cõsentientes inter se, concordisque amici esse. Verùm non circa omnia amica versatur concordia, sed circa res concordibus propositas, quæque ad conuiuium mutuum

mutuum conducant: nec iuxta cogitationem, cupiditatemque tantum. concupiscere enim contraria licet, veluti in incōtinentē hęc ipsa quoque sibi repugnant. Neque oportet simul pro electionis, simul & cupiditatis instinctu, constare concordiam; quippe quæ bonorum est tantum. Pravi autem eadem eligentes, & appetētes, ipsi sibi incommodant. Videtur autem concordia, quemadmodum & amicitia, non dici simpliciter; verum alia prima quædam, & naturā recta, qua mali concordēs esse nequeunt: alia, qua etiā pravi inter sese conspirant, quando pro electione sua, cupiditatēq; res succedunt, quodq; concupiscunt, & eligunt, eiusmodi sit oportet, quo potiri ambo queant. Nam si eas res appetant, quæ nequeant ambobus contingere, certamen oritur: cum contrā inter sese concordēs non soleant contendere. Est autem concordia, eadē de principatu, subiectionēq;, electio, & voluntas: non alterutrius, sed publici boni gratia. Quocirca amicitia quædam civilis concordia est. De concordia igitur, benevolentiaq; hęc dicta sint. Dubitatur autem, quia magis amantes dicantur, qui ipsos affectos, quam qui affecti seipso facientes reddant, cum videatur contrarium iustum esse, quod crediderit quis ob vtile quidpiam, & quia commodare ei contingit. Alium enim iuvari, alium verò impendere decet. Neq; id tantum est, sed naturā etiam eligibilior est actio: rationemque prorsus eandem habet opus, & actio: & qui beneficium accipit, opus est beneficientis. Quocirca & in animantibus peculiare in generando, natōsq; conseruando, studium est. Et magis parentes sobolem suam diligunt, quam diligantur vicissim ipsi: & effusione charitate hanc matres complectuntur, quam patres. Ac nati itidē magis ex se genitos, quam genitores amant: quia præstantissima est actio. Et matres effusius, quam patres, amant, quia magis suum opus esse liberos arbitrantur, & quia opus difficultate definiūt. magis utiq; generando, mater affligitur. De amicitia igitur, quæ vnicuiq; est erga se, quæq; in pluribus versatur, hoc pacto determinatū sit. Videtur autē iustum æquale quippiam esse, & amicitia in æqualitate quadam consistere: nisi frustra dicatur: Amatoria est æqualitas. Porro omnes malitiæ, iusti quædam species sunt: cōmunicatio enim quædam est: & cōmune omne ex iusto cōflatur. Quocirca hęc omnia, amicitia, iusto, & cōmunicatio, quis di iudicabit, ac discrimina quidem tenuia habet. Et quia similiter habet anima ad corpus, ut artifex ad instrumentum, & seruus ad dominū: horum quidem nulla cōmunicatio est, quia duo nō sunt, sed illud quidem vnū: & quod vnus, nullū: neque diuisibile vtrique bonum, sed amborum vnus, cuius gratia est. Corpus enim, instrumentum est congenitum, & seruus domini velut particula, & instrumentum separabile: instrumentū autem, velut seruus inanimatus. Reliquæ autem communicationes sunt, aut particula cōmunicationum ciuitatis, velut contribuliū est, & quæ vocatur orgiorum: præterea quæstuaris Republicæ. Verum ciuitates omnes cōmunicati-

bus quibusdā continentur, & rectæ, & transgressoris. Quemadmodum in harmoniis, sic in ciuitatibus vsu venit: quæ in regia quidem, parentis est: in aristocratiā, velut viri, & vxoris: simplici autem Republica fratrum: excessus autem in his, tyrānis, oligarchia, & plebs, & iusta quidem totidem sunt. Quemadmodū verò æquale aliud quidem numero est, aliud proportionē: sic & iusti, & amicitia cōmunicationis species sunt: secundum numerū quidem, ut socialis amicitia: nam ipsa definitione terminatur: secundum proportionem verò aristocratiā, optima & regia. Neque enim idem principi, subditōque iustum est, sed secundum proportionem. Sic & amicitia similiter patris & filii, neq; absimilis in cōmunicationibus ratio. Amicitia autem sunt, naturalis, socialis, cōmunicatiua, & quæ politica appellatur. Et naturalis quidem multas species habet: alia quidem ut fratrum, alia ut patris & filiorum: illa iuxta proportionem, hęc verò secundum numerū. Propinqua enim socialis est, in qua singuli dignitate participant. Politica autem maximē ad vtilitatem comparata est. Nam quia sibi per se non sufficiunt, conuenire videntur, & cōiunctus mutui gratia: sola autem civilis, & quæ in illa transgressio cōmittitur, nō solum ut amicitia sunt, sed ut amici, iuxta eas inter sese cōmunicant: alia verò iuxta excessum: potissimum verò iustum in vtiliū amicitia consistit, eò quod hoc ipsum civile iustum existat. Alio enim pacto terra, & ars simul conueniunt, non cōmunis alicuius, (nam ut organum, & anima) sed vtrius gratia: contingitq; ut eam industriā id instrumentum consequatur, quæ ad opus iustē cōueniat, ut cuius gratia existit. Ac in terebro id ipsum dupliciter: præstantior enim actus est perforatio ipsa: & in hac quidem specie corpus & seruus, velut dictum est prius. Quærere igitur, quo pacto amico conuiuendum sit, ipsum est iustum quærere, Nā in vniuersum omne iustum ad amicū pertinet: iustum enim aliquibus, & inter sese mutuo cōmunicantibus iustum est. Et amicus cōmunis est, alius genere, alius verò vitæ ratione. Homo enim solus non solum civile, sed æconomicū animal est: & non ut cætera aliquid quando se alteri, aut viro, aut mulieri coniungens, aliquādo verò fugitans, & latitans, sed cōmunicabile animans homo est, erga ea, quibus cum naturalis cognatio illi intercedit. Quocirca & cōmunicatio, & iustum quodpiam erit, etiam si vrbs non sit. Nam & domus, & amicitia quædam est. Serui equidem, & domini, velut artis, & instrumentorum, animæ, & corporis cōmunicatio est. Verum nec amicitia, neque iustitiæ sunt, sed proportionale quidpiam: quemadmodum & salubre non iustum est, sed proportionale. Mulieris autem, & viri amicitia, velut vtile quodpiam, & cōmunicatio: patris verò & filii, velut Dei erga hominē, & benefici erga accipientem, & in vniuersum naturā imperantis ad naturā subiectum. Fratrum autem ad se inuicem, maximē secundum æqualitatem est socialis. Neque enim spurius huic est demonstratus. Ambobus autem pater Iupiter: vocatus est meus

pria

princeps. Hęc enim à quærentibus æquale dicitur. Quocirca in domo primum, fons, & principium amicitia, ciuitatisq;, & iusti oritur. Quia verò tres amicitia species numerantur, iuxta virtutem, iuxta vtilitatem, iuxtaque iucundum, singularē hæc in duo distribuuntur: quandoquidem vnaquæque harum & secundum excessum, & secundum æqualitatem existit. Iustum autem circa has ex controuersis patet. Nam in eo, quod est iuxta excessum, proportione quæritur, non simpliciter, sed excellens conuersim proportionale erga inferiorem flagitat: sic quod ab inferiore fit, in idem tendit. Vnde ita inter se disponuntur hæc, velut imperans ad subditum: si minus, numero æquale quæretur, quemadmodum & in reliquis cōmunicationibus vsu venit, vbi interdum numero, interdum proportione æquale postulatur. Nam si æquale numero argentum illatum fuerit, id æquali numero distinguunt: si verò numero non æquale fuerit, proportionale erit. Excellens verò contraria cōuertit proportionale, iuxtaque diametrum iungit. Ac sic quidem videatur inferior reddi excedens, & ministerium publicum fuerit amicitia, & cōmunicatio. Quocirca aliquo alio æquare, & proportionale reddere conuenit, honore scilicet, qui Deo naturā principi tribuitur à subiectis. Sed & lucrum æquare cum honore conuenit. Ac amicitia quidem ad æqualitatem constituta civilis est. Civilis autem vtilitati destinata est: & quæ admodum vrbes, sic etiam ciues sibi inuicem amici existunt. Et eodem modo non cognoscuntur ab Atheniensibus Megarenses, ac ciues ipsi, nisi inuicem vtilēs fuerint. Verum ex manu in manum hæc amicitia est. Porro hic & preses est, & subditus, non naturale, nec regium, sed quod in parte consistit: neque eius gratia, ut beneficiat Deus, sed ut æqualitas sit boni, ac muneris honorarii. Ad æqualitatem autem prorsus comparata esse vult civilis amicitia. Cæterum vtilis amicitia duæ species sunt: alia enim legalis est, alia moralis. Ac respicit civilis in æqualitatem, & rem ipsam, quemadmodum ementes, & vendentes: vnde dicitur, Merces viro amico. Quando igitur ex pacto conuenitur, civilis est, legalisq; amicitia: verum cum rem arbitrio cōmittunt, ad moralem amicitiam accedit, & socialem. Quocirca potissimum in hac amicitia expostulatio est, eò quod præter naturam. Reliquæ enim amicitia sunt, & quæ vtilitatem spectat, & quæ est secundum virtutem. Nonnulli verò vtrique complecti volunt, & quidem vtilitatis gratia consuetudinem cum alio habent. Moralem autem faciunt ut moderati: prōinde fidem habentes legitimam non faciunt. Nam inter tres istas, vtilis illa expostulationes habet frequentiores. Virtus enim, accusacionis experta est: suaves autem, habentes, erogantēque conciliantur. Vtilēs autem non facile in gratiam redeunt, nisi legitime, atq; ut socios decet, inter sese congregiantur. Inter vtilēs autem amicitias, legitima ipsa quoque criminatione vacat. Pecunia enim de controuersis decedit legitima, quæ & æquale mensuratur. Moralis autem voluntaria conuen-

tio est. Quocirca lex alibi ita cōiuentibus posita est, quæ in contractibus voluntariis vtrū recte habeant, non interponitur. Bonis enim inter sese iustum nullum est: hi verò ut boni, etiam contrahentibus. Licet autem in hac amicitia, vtrique accusaciones anticipēs fieri, quoniam pacto vtrique vtantur, quando iuxta mores, nō legitime fidem habent. Ac dubiū quidem, vtrōnam modo iustum iudicare conueniat, an respectu rei præstitæ, quanta sit, & qualis, an accipientis. Contingit enim interdum, quod inquit Theognis: Tibi quidem dea id paruū est, mihi verò ingens. Nam contrarium euenire potest, velut etiā in oratione ait: Tibi quidem lusus sit, quod mihi mortem adferat. Hinc igitur accusaciones petuntur. Nam ille quidem repetit officium, ut qui rem magnam præstiterit, cum adesset egenti: aut si quid aliud dicat, allatum quantum quidem potuerit, sed quod illi expediebat: hic autem contrā, quantum illi par fuisset, non quātum sibi commodasset. Interdum verò transumpta expostulatione controuertit. Ille enim quantum ipsi contigit, hic verò quāmagnum pro facultatibus præstiterit. Velut si in periculo constitutus, ille drachmæ pretio adiutus sit, hic quidem periculi, alius verò argenti magnitudinem reputabit, velut in retributione pecuniæ fieri solet: nā & hic de his controuertitur. Nam alius ut tū, hic verò ut impræsentiarum res est, nisi conciliant, iudicandum arbitratur. Civilis igitur amicitia conuentionem: & rem ipsam intuetur, moralis autem ad electionem respicit. Quocirca iustum hoc magis est, & iustitia inter amicos vsurpata contentio causa. Vnde honestior amicitia moralis, vtilis autē necessaria magis. Equidem nonnulli moralem amicitiam præ se ferunt, verum vbi quid aduersum experiuntur, declarat sese diuersos. Nam quidam ex bonorum, facultatūque copia, honestum persequuntur: quapropter & honestiori rei amicitia quædam est. Quocirca manifestum ut hæc distinguenda sint. Nam si morales amici sunt, ad electionem spectandum est, num æquale, vel secus, alteri sit ab altero postulandum: verum si vtilitatis mutua gratia conueniunt, & ciuiles, quantum quisque commodarit, expenditur. Quod si hic quidem ex more, ille verò ex vtili statuatur, non pulchrum quidem, sed factu necessarium tamen, ut boni id consulamus, similiter & in altero: ut quia moraliter quidem de rebus non iudicat, at nihil simulat, in amicitia tamen contentus alter in talem amicum incidisse sit. Moralem igitur secundum electionem esse patet, quoniam etiam magnis beneficiis acceptis vel ob facultatum penuriā non rependit, sed quantum potuit præstitit, recte habet. Atq; ita Deus pro facultatum modulo nostrarum sacrificia æstimat: verum emētī, ac mutuo ad vsuram danti, nisi amplius isthinc prouenturum pollicear, non suffecerit. Vnde multæ accusaciones in amicos oriuntur, nisi iustum illud puro iudicio prospiciatur. Difficile enim est, ad vnum quidem exquirere quæ non recte se inuicem spectant, velut inter amantes vsu venit. Vbi alius ob conuiuendi voluptatem comple-

L1

Etur alium: ille verò ipsum propter vtilitatem. Verùm quando is amor refrigescit, alio superueniente aliquo fit alius, ac tum inter sese ratiocinantur, velut Python, & Panmenes altercabantur: & in vniuersum quæ præceptoris erga discipulum ratio est. Neque enim scientiam, & facultates, vno aliquo metiri conuenit. Ac velut Prodicus medicus erga mercedem malignè persoluentem, & citharædus & Rex: hic enim vt iucundo, ille verò vt vtili conuersatur. Et quia persolueret beneficium oportet, iucundum se ipsum exhibet, & ad hilaritatem prouocat, sic vicissim ille alia promittit. Quo autem pacto hæc diiudicanda sint, etiam hinc manifestum fit. Nã vtique hoc loco vno quopiam hæc mensuranda sunt, verùm non termino, sed ratione: proportio enim mensuranda est, quemadmodum & ciuilibus communicatio solet. Nam quo pacto inter agricolam, futoremque communicatio constabit, nisi ex proportione æquetur opera? Nã qui non eodem respectu ad inuicem agunt, mensuram habent proportionem: velut si hic quidem sapientiam, alter verò pro sapientia pecuniam à diuite postulet. Deinde verò quid datum sit, considerandum erit. Nam si alter ex aceruo minori partem dederit, ille verò ex maiore non multiplicem, iniuria vtique afficit. Ac recurrit quidè hoc loco prima controuersia, an vt viles conuenire se ipsos affirmandum sit, alter iuxta aliam quampiam amicitiam. Porro discutiendum, an bono iuxta virtutem amico præstandum sit beneficium, & auxilium, an retribuente, facultatibusque instructo. Quod idè problema est prorsus, an amico potius, quam viro bono, sit beneficium. Et siquidem amicus idem etiam vir bonus fuerit, non sit difficile iudicare, nisi fortasse quis alterum amplifcet, alterum verò imminuat, amicitia vehementiam tribuens, bonitati verò mediocritatem: sin secus fiat, multæ quæstiones oriuntur. Velut si hic quidem erat, non erit autem: ille autem erit, sed nondum. Vel hic quidem factus est, non est tamen, vel est, non erat, neque erit: verùm illud laboriosius fuerit. Quocirca nihil dicit Euripides scribens, rationem rectam adferri, vbi merces rationis inferatur, opera illis operum vice præbuit, nec omnia patri conueniunt, sed & matri alia, quamlibet sit præstantior pater. Neque enim Ioui sacrificatur omnia, neque omnes honores, sed quosdam admittit. Fortasse igitur sunt, quæ vtili præstare oporteat, alia rursus quæ bono: nempe cui non alimentum, & necessaria propriè cõpetant, conuenire enim illi oportet. Et quoniam viuere rectè decet, ei præstanda nõ quæ ipse, sed vtilis largiatur: verùm qui id faciunt, præterquam decet omnium amato idem præstant. Neque iustæ sunt, quæ in orationibus amicitia definitiones constituitur. Et si enim omnes amicitiam exprimant, nõ tamen eandem determinant. Vt illi enim competit velle alteri bona, & benefacienti. Nec tamen hæc amicitia definitio id verè exprimit, sed alii esse, alii verò conuiuere assignatur: ei verò, qui voluptuarius amicus est, communis dolor, communisque lætitia tribuitur. Atque omnes qui-

dem hæc definitiones amicitiam quandam ostendunt: nulla verò propriè vnam exprimit. Nec singulæ singulis amicitias congruunt, etiam si videantur. Velut electio est exiitèdi, quæ & ei quidem secundum excessum & facienti competit, qui suo operi id inexistere vult, ac eroganti vtique conuenit, & vt sit, & vt retribuatur. Verùm nõ huic, sed iucundo conuiuere decet. Nonnulli autem amici se inuicem iniuria afficiunt. †

Considerandum autem est de sufficientia, amicitiaque conditione, quo pacto habeant ad se inuicem ipsarum facultates. Quærat enim fortè quispiam, num per omnia sufficienti amicus sit, cumque vir bonus sufficientissimus, & vnacum virtute beatus, quid habeat opus amico: neque enim vel vtilibus, vel prouidis, vel alieno conuictu sufficienti opus habet, quippe qui abundè sibi ipsi conuiuere, adesseque possit. Veluti Deus, qui, cum nulla re egeat, nec amico etiam opus habet. Quocirca & homo beatissimus minimè omnium eget amico, nisi quatenus impossibile est ex sese sibi sufficientem esse. Vnde necessum est, optimè viuenti amicos paucissimos esse, neque comparandis amicis operam illos dare, sed eligere non vtilis tantum, sed ad mutuum conuictum etiam suaues. Atque hinc sanè perspicuum euadit, nec vsus, nec vtilitatis gratia, sed propter virtutem tantum verum amicum esse. Nam cum re nulla egeamus, tum magis omnes, suis etiã bonis fruituros, magisque in quos conferant, quam à quibus accipiant beneficia, quærunt. Et accuratiore iudicio pollemus rerum copia affluentem, quam egeni, magisque tamen amicos conuictui idoneos requirimus. De hac autem quæstione considerandum est, vttrum aliud quidem rectè dicatur, aliud verò lateat propter parabolum. Manifestum equidem id quidem, sumen tibus quid viuere actu sit. Atque vt finis, patet enim id esse sentire, & cognoscere: quocirca & conuiuere, est simul sentire, & cognoscere. Verùm idem sentire, & cognoscere, cuique maximè expeditur, ob cognitam omnibus viuendi cupiditatem, ac vitæ cognitionem quandam disponit. Verùm si quis detrahat hæc, & cognitionem constituat ipsam per se, & non per se (id equidè latebit, velut in oratione scriptum est, re ipsa tamen licet non latere) nihil referat, si alium pro se ipso cognoscat: sed quod simile viuere alium pro se ipso diuersum est. Rationabile autem est, suum cognoscere, & sentire eligibilius esse. Quocirca coniungere hæc duo in oratione oportet, viuere, & eligibile, & quod bonum ex his constat, quando id inest eadem natura participantibus. Quoniam igitur in eiusmodi serie, altera semper in alterius ordine continetur, & cognoscibile vtique eligibile est, & vt in summa communicatio determinatæ naturæ: quocirca idem velle sentire, est eundem talem quondam esse velle. Et quoniam non secundum nos ipsos horum vnumquodque sumus, sed participatione facultatum sentiendo, cognoscendoque (sentiens enim sensibilis redditur, vt iuxta hoc, vt secundum prius sentit qua & cuius, & cognoscibilis redditur cognoscens) eodem pacto & viuere semper volumus,

volumus, ob iuge cognoscendi desiderium, hoc est, quia & ipse cognoscibile quidpiam esse cupit, electionem esse cupit. Electionem autem conuictus stultum fortè quispiam iudicabit. In cõgressibus primùm etiam animalium ceterorum, vt simul edere, simul bibere. Quid enim aut in cõmuni, aut seorsim sermonem conferre differt? Deinde etiam sermone cõmunicare, cuiuslibet est. Adde quòd qui amicus idoneus est, discere videri non vult. Docentis enim amicus nõ est, quando similitudo quædam est amicitia, sed videtur tamen. Equidem suauis bonum omnes cum amicis communicamus. Quantum scilicet quodque suauitatis adiicit, & qua præstantissima quisque pollet. Ex his autè alia voluptatè corporalem, alia musicã, alia physicã cõtemplatione habent. Audacia porro cõgrediendi amicos decet. Vnde quidam inquit: Labor, sunt procul amici: quocirca voluptate allata non disunctos esse oportuit. Vnde amor maximè, vt videtur, amicitia similis. Bene enim viuere amor cupit, non equidè quàm oportuit potissimum, sed iuxta sensus. Ratio ergo illa dubitando profert: ipsum autem opus sic contigisse videtur. Vnde patet, hæc ambigentem nobis imponere. Veritas autem hinc consideratur. Amicus enim esse vult, vt proverbium habet: Alter Hercules, & alter ipse. Atqui diuulsus est: difficilèque quæ ab vno discesserunt, vnum esse. Atqui iuxta naturam quidem, quæ cognitissima est, similis est: iuxta corpus verò, diuersus, ac etiam iuxta animam diuersus est, iuxtaque partes animæ diuersus: nihilò minus idem, indiuisusque amicus esse vult. Itaque amicum sentire, se ipsum quodam modo sentire necessariò est, cognoscereque, ac si quid molestum amico incidit, in eo collatari, ac conuiuere amico sine dubio iucundum est: accidit enim, vt illius sensus aliquis nobis simul ingeratur, præsertim si qua diuina voluptas est. Causa verò huius est, quia suauis est semper in meliore bono sese cõtemplari. Hoc autem nunc quidem affectus, nunc verò negotium, nunc aliquid aliud est, in quo bene viuere & amico sit possibile. Conuiuere igitur oportere, idque maximè velle omnes, tum beatissimum, optimumque, potissimum talem esse. Verùm quod ex ratione id non eluxerit & rationabiliter, id cõsecutum sit, ex verè dictis, vtputa compositione collationis, in promptu solutio est, quòd eiusmodi non sit, vt amico egeat, aut similem requirat, non reputabit pari ratione vir bonus. Neque enim in hunc modum Deus habet, vt qui pro sua excellentia nihil præter se ipsum cogitat. Nobis autem bonum aliunde euenit, vnde & necessum habemus multos amicos conquirere, cum ipse sibi bonum sit. Simul autem amicum esse nullum vt multi amici, rectè vtunq; affirmatur. Quia enim multis conuiuere licet, simul etiam sentire nobiscum quàm plurimos vtique gratissimum sit. Rursum quia difficile in paucioribus, necessum est actum in mutua sensatione consistere. Non solum multos comparare arduum est, sed etiam comparatis vt. Et interdum quidem abesse amatum volumus prosperè degentem. Interdum verò par-

ticipare iisdem, simul cum eo, quòd amicū, gratumque esse cupimus. Nam cum bonum obuenit, eo vtique omnes participare volunt: non obueniente autem, secus. Et quemadmodum Herculem mater potius Deum esse volebat, quàm vnã cum ipsa manentem, Euristeo mercenariam operam locare. Sic enim diceret, & quem Lacon dicitur irrisit. Vocantem fortè, dum tempestate affligeretur, iubens Castorem & Pollucè implorare. Videtur enim amantis esse, à molestorum participatione arcere: alterius autè, simul eadem sustinere velle: quocirca vtraque rationabiliter eueniunt. Nihil enim decet amico tam acerbum iudicari, vt non teneat priores iucunditate amicus. Videtur tamen nõ malum ipsius expetendum, quando satis est ipsos adffigi: vnde & participationem eiusmodi verant, sed ne videantur sua spectare, inque amici perturbatione lætitiã affectare. Sed & leuius mala tolerantur, cum non soli ferunt. Et quia eligibile est, & vt bonum nobis contingat, & vt simul potiatur amicus, patet, quòd simul in minore bono versari quodam modo eligibile sit, aut cum maiore seorsim. Et quia incertum est quantum, iuxta simul illud distinguuntur, ac simul quidem omnibus participatione amicum est, quemadmodum & simul conuiuari iucundius aiunt hæc habentes, alii autem contra nõ volunt. Quoniam hyperbolas quis probauerit cõsentibus, in perturbatione magna simul communicandum: in successu autem magno seorsim agendum. Similiter etiam circa infortunia: interdum enim amicos præstò esse volumus, neque dolere, quando scilicet nihil sint nobis amplius effecturi. Interdum verò iucundissimū præstò esse, id quod ob prædicta contingit: quando quidem naturam afflicti, & in mala habitudine constitutum videre, non minus, quàm in nobis ipsis, refugimus: gaudentem autem, iucundumque, & non dolentem amicum, velut rem multò suauissimam intuemur, propter causam prædictam. Quocirca vtunq; libet horum fuerit, magis suauem voluntatem, vt vel adesse, vel non adesse propensionem reddit, idque in deterioribus ex eadem causa. Maximè enim cupiunt amicos nõ felices esse. Sed & nec in aduersis cruciari: quocirca nonnunquam simul quos amat interimunt. Maius enim id est, quàm si propriū sentiat malum: quemadmodum & recordates in quo successu vixerint, magis, quàm si perpetuò se male habiturum arbitrentur. Dubitarit autè an quis amico quolibet, & ad quæcunq; idoneus est, & aliter etiam vti liceat, vt oculo ad videndum aut eo distorto peruersè, ac vt vnum duo esse appareat intueri. Ambo igitur illa, & oculus, & quod oculi est, re vera, & per se sunt, alterum verò per accidens. Quemadmodum & in cibo esus, & vomitio, ad velut, & error. Nam qui volens non rectè scribit, ignorantia vti solet, veluti qui conuersis membrorum officii pedibus manuum, & manibus (quòd solent saltatriculæ) pedum vice vtuntur. Quæ ratio omnium etiam præstantissima est scientiarum: atque ita iustitiam vt iniustitiam licet vsurpare, velut qui ex iustitia iniusta agit, perinde vt qui

imperita, & stolidi ex scientia. Verum si id impossibile, manifestum est, virtutes non esse scientias, quando non licet ex scientia ignorare, sed errare tantum, eademque ex ignorantia facere: nec minus tamen ex iustitia, & iniustitia quidpiam agit. Sedenim quando prudentia scientia est, & verum quidpiam idem faciet ea: liceat enim studio à prudentia delipere in iisdem, quibus & stolidus. Verum si simplex cuiusque, quatenus quidque est, vsus fuerit, etiam ita agentes fecerint sapienter. In cæteris igitur scientiis alia quædam princeps est, quæ alimenta ministrat. Et principis rursus illius alia quædam, non tamen scientia, vel intellectus. Sed nec virtus, ut qua vitur, quando temperantis virtus etiam subditi virtutem sibi usurpat. Quid igitur est, an ut intemperantia, vitium irrationalis animæ partis, & quoniam pacto intemperas mente præditus fuerit. Verum prævalens evertit mentem, ratiocinaturque contraria. † Et si virtus quidem in illo, in ratione verò ignorantia resideat, ubi reliquæ iam vendicantur. Sic etiam licet iustitia, iuste quoque, malique & prudentia stultè abuti, unde contraria eueniant. Absurdum enim, si quod in rationali parte virium insidens, eversa ratione ignorantiam inducat. Virtus autem inexistentem in ratione stultitiam non evertit hanc, rectumque de rebus iudicium format. Rursus autem, prudentia rationalem partem occupas, ex irrationali intemperantia sublata, moderatas actiones efficit: id, quod continentia videtur proprium. Itaque licet ab ignorantia prudenter, aliterque à prudentia imprudenter rebus uti: quod in cæterarum nulla euenire cernimus. Velut cum medicinam, & grammaticam nutrit intemperantia. †

Iniustus enim omnia, quæ & iustus potest, & in uniuersum potentia inest impotentia. Quocirca simul prudentes, & bonæ eorum etiam cæteræ habitudines, & corpus firmum, quædò nihil fortius prudentia est. Verum quod scientiam dixit, non rectè habet: virtus enim est, non scientia, & genus diuersum. * Quoniam verò non prudentia solum successum, virtutesque efficit, sed fortunatos etiam bene agere, tanquam fortuna secunda prosperos gignente successus, affirmamus, quæ eadem etiam scientiæ sunt. Considerandum igitur, naturæ fortunatus, ac infortunatus sit, an secus, & quo pacto res habeat. Fortunatos enim quosdam esse cernimus, & stulti in multis, quorum scilicet fortuna domina est, prospere agunt: quandoquidem & quæ arte administrantur, fortunam admittat, in militia, & gubernatoria. Vtrum igitur ab habitudine aliqua successibus eiusmodi conficiendis, aut non idonei homines fiunt? Nunc equidem Naturæ id quidem assignant, in quibusdam quæ tales quosdam efficit, quibus & à natiuitate statim, tale quidpiam ingignit: ut velut cæcis, nigrisque oculis, certa aliqua forma inter se distinguuntur: sic fortunati, & infortunati. Tales enim non per prudentiam prospere agere, inde manifestum est, quia non irrationalis prudentia est, sed ratione prædita, qua res administrat, eam sibi adscribere illi nequeunt, quippe quod horum fortuna cau-

sa existat. Vtunque etiam pateat, circa alios stupidos non esse: neque enim id absurdum, quemadmodum Hippocratem, cum Geometer esset præstantissimus, in cæteris tamen imperitum, stupidumque fuisse constat, qui pecuniæ plurimum amisit, ob stultitiam Bisantii πεντηκοσολόγων. Sed & in nonnullis prospere agunt stolidi. Et non verò velut in arte nauium gubernatrice, peritissimi etiam parum secundam fortunam experiuntur, ac velut in aleæ iactu, alius nihil, alius multum lucratur: quam felicitatem Naturæ beneficio accepit, vel, ut inquirunt, benevolentia Dei, quæ etiam in exilio & eiectus benignitatem fortunæ experitur, non secus ac malè compacta nauis rectius sæpe agitur, non per se quidem, sed quia peritum gubernatorem nata. Sic enim fortunatus ille genium secundum, gubernatorem habet. Sedenim absurdum est, tale à Deo geniove diligere, non præstantissimum potius, sapientissimumque. Quapropter si necessum est, aut Natura, aut intellectu, aut procuracione diuina, fortunam secundam contingere, & neutro posteriorum eueniat: Naturæ itaque ea prosperitas fuerit assignanda. Verum Natura, vel rerum semper sic se, vel ut plurimum habentium causa est: contra autem, fortuna. Si igitur quod præter rationem euenit, fortunæ esse videtur, perque fortunam homines fortunati dicuntur: non equidem Natura causa fuerit, ut quæ, velut dictum, semper, aut ut plurimum, sic se habentibus adscribitur. Aut insuper talis vel voto potitur, vel frustratur: quæadmodum cæcis, cui non fortuna, sed Natura, quod minus cernat acutè, causa existit. Quocirca non fortunatus, sed bona natura præditus dicitur. Quocirca sic de his dicendum est, ut quos fortunatos dicimus, non fortunæ beneficio id esse asseramus: unde nec fortunati etiam sunt: fortunæ namque bona sunt, quorum ipsa est causa. Sic rursus queritur, an fortuna sit in uniuersum aliqua, vel cum sit, an non sit etiam unde. Atqui necessum est & esse fortunam, & causam esse. Unde & bonorum quorundam, & malorum causa fuerit. Etenim si excipienda sint, & nihil assignandum fortunæ, sed alii cuiuspiam causæ, non tamen quare hanc non cernimus, fortunam causam esse affirmamus. Quocirca definiens fortunam, causam proportionalè hominis ratiocinationi constituit, tanquam sit quædam natura. Verum hæc iam alia quæstio fuerit, quandoquidem quos cernimus semel prospera vsos fortuna, quare ii non rursus, & rursus: idem enim eius causa. Non igitur est fortunæ, neque aliud etiam quidpiam indeterminatorum, infinitorumque contingat: erit enim bonum & malum. Scientia verò non erit eius per imperitiam. Quædò & quidam fortunati didicerunt, aut omnes scientiæ (quod Socrates dixit) scientiæ sint. Quid igitur vetat, quod minus euidè ex ordine, non quod oporteat, contingat, sed velut sortes procul sint iaciendæ. Quid enim autem, num impetus in anima non sunt, atqui alii à ratione, alii à cupiditate (qui & priores) proficiscuntur: siquidem naturalis est per cupiditatem iucundæ rei appetitus, ac naturæ omnia ad bonum festinant. Quod si quidam bene

id est, quinquagesimæ partis etiam rum.

bene nati sunt, & velut cætionis imperiti, & citra rationem ferantur, ut dicat Natura, ac concupiscant, quod, quando, & quo pacto oportuit, prospereque agunt, & consequantur stolidi, præterque rationem, eadem, quæ harum rerum præceptores, tales utique fortunati censendi sunt, quotquot scilicet, præter rationem plurimum prospere agunt. Natura igitur quidam fortunati sunt, siquidem multifariam dicatur secunda fortuna: alia enim ex impetu, & prælectione sunt, alia verò secus, & prorsus contrariū. Nam & malè ratiocinati videntur bene agentes, & secunda tamen fortuna vsos confitemur: ac rursus quidem in illis cum voluerint, ac minus bonum acceperint, & licet quidem istis per naturam ut prosperitatem consequantur: nam impetus animi, cupiditasque quod oportebat delata, successu est vsu: ratiocinatio autem stulta, quam fortuna, dum prospere adflat, ex iis, quorum causa existit, non rectam expellit. Interdum verò per cupiditatem quis malè ratiocinatus aduersam expertus est. In cæteris autem quo pacto iuxta appetitus, cupiditatisque ingenuitatem successus erit? Verum hic successus, & fortuna duplex, quæ isthic eadè, & plures prosperitates. Quia verò præter omnes ratiocinationes rectas, scientiisque, quosdam fortuna secunda adfluentes videmus, manifestum est, aliam quampiam successus causam esse: prior autem ista prosperitas, aut non est, aut quæ oportuit concupiuit, cumque ratiocinatio humana desit, non fuerit ipsius: neque enim prorsus rationis expers, nec naturalis est cupiditas, sed ab aliquo corrumpitur. Secunda igitur fortuna in iis, ubi præter rationem ipsa causa existit, locum habet. Id verò improuisum. Nam præter scientiam, præterque vniuersale, nec tamen à fortuna profectum videtur: verum propter hoc videtur. Quocirca hæc quidem ratio non probatur, naturale esse uti secunda fortuna, sed potius quod non omnes, quibus secunda fortuna videtur adfluere, id ex fortuna, sed ex natura habeant: neque nullius esse causam fortunam demonstrat, sed non omnium, quorum existimatur. Quæret forsitan quispiam, an fortuna eius ipsius causa sit, ut quid, & quando oporteat, concupiscatur, aut sic omnium erit: nam & cognoscendi, consultandique. Neque enim consultans consultauit, & hoc consultauit, sed principium est quoddam: neque cogitans cogitauit, id prius cogitare, atque in infinitum eiusmodi fiat progressio. Neque igitur considerandi iunctum principium, neque consultandi consilium. Quid igitur aliud, nisi fortuna? Quocirca à fortuna omnia proficiscuntur, & quoddam est principium, extra quod aliud nullum reperitur. Ipsa autem (queritur) cuiusmodi facultate instructa efficere eiusmodi queat: quod perinde est, ac si principium motus in anima quid sit, inquiratur. Patet autè sic esse, quemadmodum in uniuerso est Deus, & vicissim cuncta in illo: mouentur enim omnia ab inexistente in nobis numine. Rationis autem non ratio, sed præstantius quidpiam est principium. Quid autem scientia præstantius est, nisi Deus? Virtus enim organum intellectus est: quocirca veteres

dixerunt felices ex fortuna, qui irrationabiles ad rectè agendum impellerentur, nec velle ipsis confert: principium enim habent & intellectu, & voluntate præstantius. Alii verò rationem habent, illud verò non habet. Quales sunt enthuasiæ: hoc enim non possunt hi, quippe qui sine ratione feruntur. Itaque horum, qui prudentes, sapientesque sunt, celeris est vaticinatio, & durabilis, qui non à ratione profectam esse suspicari debemus. Sed alii experimento, alii consuetudine, speculando vtuntur. Item hi, quorum est ratio soluta. Itaque & melancholici recta valde, subitæque in somnia habent. Patet autem, quod species felicitatis duæ sunt. Altera diuina: ideòque qui felix est, numine adiutum aliquid fecisse dicunt: is autem est, qui aliquid iuxta impetum diuinum facit: alter est, qui aliquid præter hunc impetum facit. Irrationales verò ambo: æ illa frequens magis felicitas est, ista frequens minus. Singillatim igitur de vnaquaque virtute determinatum est prius. Quia verò seorsim ipsarum vim distinximus, etiam de virtute, quam probitatem vocamus, dicendum erit. Singulas igitur habere reliquas, qui huius appellationem sit constitutus, necessum esse patet: nam neque in cæteris aliter id veniat vsu. Nemo enim toto corpore sanus sit, parte autem nulla: sed necessum aut omnes, aut certè præstantissimas rectè habere: non dissimilis etiam in toto ratio. Bono enim esse, ac honesto simul, & bono licet, non ipsius solum nominibus, sed rerum ipsarum differentia participant. Omnium enim bonorum sunt, ipsi per se, sui que gratia eligibiles, & inter hos honesta quoque, quæ per se ipsa omnia laudabilia sunt. Ut enim ipsa, ita actiones ab ipsis profectæ, laudari solent: actiones enim & modesti, ipsaque modestia celebratur, non etiam sanitas: nam nec opus eius: quando nec quod fortiter sit, laudabile est, tamen bona hæc confiteamur. Similiter autem id etiam in cæteris per inductionem manifestum est. Bonus enim est, qui natura bonis egregiè sit instructus: præstantissima enim, omniaque sui desiderio excitantia bona sunt. Honor, diuitiæ, corporis virtus, facultates, naturam quidem sunt bona, sed noxia nonnullis ob habitum corruptionem. Neque enim vel stultus, vel iniustus, vel intemperans aliquid ex eorum possessione commodum referat, quemadmodum nec æger ex sani hominis alimento, neque infirmus, mulierque, ex sani, integræque hominis ornatu. Honestus autem, bonusque dicitur, & ex eo quod honesta bona per se ipsa insunt illi: & eo quod bonorum, idque ipsorum gratia effectius existat: honesta autem sunt virtutes, operaque ab ipsis profectæ. Sed & habitudo quædam ciuilis est, qualem & Lacones habent, & alii simili ingenio habent, ita comparata. Sunt enim qui virtutem non esse sequendam putent, nisi naturam bonorum gratia. Quocirca viri boni sunt, quod iis natura bona inexistant. Verum istam probitatem non sunt nati: neque enim honesta per se illis sunt, sed boni, honestique, esse eligunt: neque id, tantum sed & quæ non honesta naturam, boni tamen naturam, honestorum loco illis habentur. Honesti enim

sunt, cum eius gratia faciunt, eliguntque honesta, vel quod honesto, bonoque naturâ bona, honesta sunt. Honestum enim iustum est, id verò secundum dignitatem censetur: hic autem iis utique dignum existit, sed & decens honestum. Decentia autem illum sunt, nobilitas, diuitiæ, potentia: quocirca honesto, bonoque; ea quoque honesta vtilia sunt, quæ in aliis disconueniunt. Neque enim simpliciter bona, eis bona sunt, bono autem honesta, quippe qui multas honestas actiones per ea conficiat. Verum qui virtutes æternarum rerum gratia complectendas arbitrat, per accidens honesta facit: quocirca virtus perfecta est probitas. Porro de voluptate, qualis, & quo pacto sit, tum quod alia simpliciter iucunda sint, honestaque, alia verò simpliciter bona, iucundaque, neque voluptas nisi in actione nascitur. Quocirca simpliciter beatus iucundissime viuit. Neque id temere homines arbitrantur, ad quem referes sanum corpus iudicat, & cuius respectu aliquousque progrediendo sanum sit efficiendum corpus, non etiam si plus sit, minusve: Sic & viro bono circa actiones, electionesque; naturâ bonorum, non laudabilium tamen, terminum quendam & de habitudine, & de electione, ac fuga, vel paucitatis, vel copiarum diuitiarum, deque successibus constituere oportuit. In prioribus quidem ostensum est, ut ratio dicitur: quod idem est,


ac si quis dicat, se alimento sumendo omnia obferuare, ut medicina, ac ratio dicitur, quod verum quidem, sed parum manifestum est. Opportuit igitur iuxta quod imperat, iuxtaque; habitudinē, & actionem imperantis vitam instituere, velut seruus iuxta domini, singulæque iuxta conuenientem suum principatum. Quandoquidem & homo ex imperante, subditoque constituitur, ac vnumquodque necessum habet ad principis sui mores accommodare. Is autem duplex est: aliter enim medicina, aliter sanitas imperat, & huic illa destinatur. Sic & incōtemplatiuus principatus habet. Neque enim iubendo Deus imperat, sed cuius gratia prudentia est. Quod verò alicuius gratia iubet, in aliis determinatum est, quoniam ille nullo eget. Quæ igitur electio, possessioque naturâ bonorum vel corporis, vel amicorum, vel reliquorum, cōsiderare maximè Deum facit præstantissima est, atque; hic terminus est pulcherrimus. Quæ verò vel ob defectum, vel ob excessum cōsiderare, colereque Deum permittit minimè, ea est pessima. Atque; sic quidem res habet animæ, & his terminus eius præstantissimus est, minimum, inquam, alteram, irrationalēque; animæ partem sentire, quatenus talis est. Qui igitur terminus: & quæ meta virtutum sit, & quis simpliciter bonorum omnium, quæque nos possidemus, scopus, hunc in modum sit dictum.

In Lib

IN LIBRVM OECONOMICORVM PUBLICORVM, Qui apud Græcos hodie Secundus

Oeconomikῶν in scriptus habetur,
Raphaelis Volaterrani.

ARGVMENTVM.



In hoc libro dicit Aristoteles, optimum œconomum non ignarum esse debere moris locorum circa quæ negotiatur, sed naturam ingeniosum, mente verò iustum, ac laboriosum. Oeconomiarum omnino quatuor, regia, satrapica, politica, & priuata. Regiæ autem prouetus species quatuor: circa monetam, circa importata & exportata, ut sunt portoria: circa sumptus, quum cōpendio fiunt, ac res vice pecuniæ dantur: æstimationeque; ubi expediat magis, quam numerato impensæ fiat. Satrapicæ prouetus species sex: ex terra, quam decimam vocat: ex locorum, ubi dominatur metallicis: ex terra, & agro nascentibus, ex mercatoribus, ex pasturis decima item appellata: sexta ex aliis variis. Tertia œconomiarum species politica, id est ciuitatis. Huius vestigial optimū ex iis, quæ in loco proprio gignuntur: deinde à mercaturis, post hæc ἀπὸ τῶν ἐγκυκλίων. Quarta, & vltima priuati hominis: quæ quidem anomala, id est, absque; norma existit, quod non ad vnam tantum intentionem illi œconomia exerceatur. Est insuper omnium minima, ob breues prouetus, & expensas. Huius optimū vestigial ex terra primum, id est, agricultura, quæ omnium parens est. Hinc enim magis secundum Naturam res nobis acquiruntur, deinde ex rebus aliis: tertium ex argento: præter autem omnia parcere superfluis, & ne maiores sint prouetus expensas. Post hæc prosequitur Aristoteles connumerare populos, & reges, qui calliditate nouas artes vestigialis, & rei parandæ sibi inuenerunt. Byzantii Pharmacopolarum, & funambulorum, eorumque; qui miranda faciunt, & his similibus artium, tertiam partem publico dare iusserunt. Item, existente lege non esse ciuem, nisi ex utroque parente ciuem natum, concessere triginta minas tribuenti ciuem esse, tantum ex altero. Antisthenes Atheniensis in magna Atheniensium necessitate consuluit, ut Dionysia, quæ magna expensâ celebrare cōsueuerunt, supersederent, ac Dionysio fouerent anno futuro duplicia fieri. Cysellus tyrannus Corinthius vouens Ioui offerre bona Corinthiorum, si ipsorum potiretur, decimas tantum eorum possessionum in annos decem dari iussit: quo modo & voto satisfecit, & eorum substantiam ex magna parte seruauit. Lygdamis Naxius, cum exulum bona nullus emere auderet, ipsis exulibus possessiones reddidit: suppellectilem verò, resque pretiosas, si quæ aderant eisdem vendidit, seu aliis, descripto nomine. Hippas Atheniensis tyrannus in augendo vestigiali mira cogitauit: ut qui domos haberent prominentes, & viam occupantes, præterea portas extra aperientes, quod erat honoris, vendidit dominis. Monetam quoque iussit minori commutari: quam à se coactam, rursus in pristinam æstimationem reduxit. Nauarchis, & Demarchis publicis officiis, & muneribus vacare permisit, si

pecuniam tribuissent. Idem cuiuslibet in sacrificio Palladis vouenti, vnam obolū imperauit. Idem & cuiuslibet puero nascenti fecit. Lapsaceni indigentes pecunia, multa coegerunt nauigia frumenti priuatorum, vendideruntque; pluris, quam illi constituerant, atque; hoc modo pretium iam constitutum dominis reddiderunt, reliquum ipsi sibi retinuerunt. Lacedæmonii Telminensibus amicis pecuniam in reditum patriæ rogantibus, iusserunt seruos, & veterina vnam diem ieiunare, impensamque hanc dare Telminensibus. Cyziceni tumultuantes, ac populo diuitibus preualente, cum militibus pecuniā deberent, in penuria statuerunt, ut omnes diuites capti, ac damnati capite, tantum exilio plecterentur, si pecunia se redemissent. Chii legem tulerunt, ut debita priuatorum omnia publicè describerentur, eaque exegerunt in patriæ necessitate, creditoribusque fœnus, quousque; sortem redderent, exoluerunt. Cordaulus magister equitum Mausoli regis iter faciens peregrini fines, donis plurimis, & diuersis, etiam porcis, vitulis, ac his similibus cumulatus, munera, nominatim; dantium iussit scribi, dantibusque; mandauit ea nutriri, donec usus tempus adueniret. Idem finxit, regem velle comas incidere, quod his opus haberet, effecit ut iuuentus, quæ studebat comæ, & elegantia, data pecunia cum eo transigeret: editumque vitaret. Aristoteles Rhodius præfectus Phocensium videns in duas partes multitudinem diuisam, alteri adhærens patri, dixit alteram multa ipsi promississe, uti potiretur alterius: se autem noluisse auscultare, quod beneuolentior huic esset. Hoc illi audientes obtulerunt ei quod voluit. Eodem modo & cum altera egit deinde parte: post hæc inuicem eos conciliauit. Clazomenii debentes militibus viginti talenta, à diuitibus ea receperunt, datis toridè talentis ex ferrea moneta, quam percusserunt. Selymbriani indigentes pecunia, lege prohibente triticum exportari, & fame existente circa, ipsi autem frumento abundantes, constituere priuatos dari ciuitati frumentum certo pretio, sibi reseruato quantum in annum satis esset, deinde pretium terminantes, potestatemque extramittendi facientes, pecunia simul, & frumenti usu abundauerunt. Dionysius Syracusanus volens cogere pecuniam, finxit Cererem sibi apparentem iussisse omnem ornatum muliebrem offerri in templo: itaque prius ipse suarum obrulit, deinde idem facere ceteras coegit, ne dea ipsas, tanquam sacrilegis, irasceret: demum coacta omnia ipse abstulit, tanquam à dea mutuatus. Peracto aliquanto tempore mulieribus ornatum recuperare volentibus, pristinum permisit, si certum aurum deæ offerret. Idem describi iussit orphanorum substantiam, & qui illam detinerent, eoque; modo usus ea est, donec illi ad ætatem venissent. Idem Rhegynis captis, atque direptis permisit libertatem, si certum auri numerum publicè, atque; priuati ei darent. Itaque illi hac spe sollicitati, reliquum, quod occultauerant, promiserunt, eique dederunt: ille ni-

hild magis promissis sterit, aut eos liberavit. Mendicantibus aduersus Olynthios dimicarent, abundantes feruis, & indigentes pecunia, iusserunt ciues, mare & foemina tantum seruis sibi retentis, reliquorum usum ciuitati praeberent. Timotheus Atheniensis bellum gerens aduersus Olynthios, deficiente argento, aescum militibus diuisit, iussitque pro argento usum in exercitu praebere: mercatoribus autem aliud proficiscentibus edixit, ex eadem moneta spolia emere, pro quibus argentum reporrarent. Idem expugnans Samum, fructus ex agricultura omnes eis vendidit, qui militum stipendiis suppeditauere. Didales Persa militibus tumultuantibus, ac stipendia postulantibus in exercitu, in concione dixit, ei non deesse pecuniam, verum in quodam loco, quem nominauit, esse, finxitque iumenta plura onerata argento, atque contacta, dein vnum tantum cum argento, disco aperto, praemissit. Quod conspicuus exercitus, in spem venit: at ille inquit, minime exoluere stipendium oportere, donec Amasum peruenissent, quod tendebat, eratque iter plurimum dierum, ac hyemale. Atque hoc modo usus est interim exercitu, tantum necessaria praebendo. Iphicrates Atheniensis Coryi Thraci congreganti exercitum, in pecuniae inopia consuluit imperare subditis, ut quilibet tres tritici modios pro eo fereret: ex quo ille magnam vim frumenti congregans, cum mercatoribus pecunia commutauit. Corys idem rogauit Corinthios pecuniam mutuam in congregando exercitu, quod negantes iterum rogauit, mitterent aliquos ciues, quibus ipse custodiam quarundam arcium & oppidorum, uti fidelioribus, tradere volebat: quo facto eos ciues in custodia detinuit, donec coegit eos mutuum, quod rogauerat, dare. Cleomenes Alexandreus Aegypti Satrapa, cum ex suis quidam per Nilum nauigans a crocodilo esset arreptus, sacerdos eius loci postulat, ut ob vltionem hos venarentur: illi qui sacros habent crocodilos, magna vi pecuniae sese ab hac iusione redemerunt. Alexander Macedo volens prope Pharam ciuitatem habitari, illucque emporium, quod Canobi erat, vna cum sacerdotibus transferri, illi ne hoc cogerebantur pecunia transegerunt. Stabelbyus rex Mysorum debens stipendium militibus, duces eorum congregauit, monuitque non amplius priuatis opus habere, sed ducibus. Itaque stipendium, quod militibus debebat, eis se recepit datum, modo missos faciant milites: quod illis facientibus, ac procedente tempore stipendium petentibus, respondit: neque tibicinem sine choro, neque ducem sine exercitu aliquid vtilitatis adferre. iussit igitur illos discedere. Huiusmodi ergo Aristoteles exempla connumerat, quibus profecto nostrorum ingenia minime cedunt, si consideremus quae principes quaestus genera moliantur. Ut alia omittam, quae Xistus, quae Innocentius pontifices noua in vrbe collegia communi sunt, vnde breuem vtilitatem praeposuerunt decori, atque libertati Curiae sempiternae. Quid

Laurentius Medices Florentiae, inuentis albis quadrantibus quae portoriis penderentur? Quid Neapoli Ferdinandus rex in belli necessitate chartea moneta iussa rebus commutari? Denique tot impudentissime non solum populis, sed sacerdotibus quotidie imperatque pecuniae. Stobeus in collectaneis sapientum dicta de oeconomia breuissima ponit. Solon dicebat, domum honestam sibi videri, in qua res possessae neque possidentibus iniustae, neque custodientibus difficiles, neque augentibus poenitentiae sint. Bias, in qua talis est dominus, qualis extra per legem. Thales, in qua ita probe sint omnia disposita, ut plurimum in ea vacare domino liceat. Critobulus, in qua dominus plures habeat sui amantes, quam timentes. Pittacus, in qua superfluorum nihil requirens, & necessarium nihil indigens dominus. Chilo, quae maxime imperio similis sit ciuitatis. Musonius maxime vituperat in oeconomia superfluos sumptus, luxumque, ac vasa argentea, aurea triclinia, lectos eburneos, cedrinas mensas: praeterea plures, quam oporteat, seruos, & ancillas, epulas item sumptuosiores: quibus rebus non solum inepti efficiuntur, sed iniusti, & auari, quum pro his comparare multas oporteat opes, ac vestigal magnum, quod nisi per iniustitiam quaeri non potest. Deliciis insuper longe tolerabiliorem morbum esse dicit, quod is corpus tantum corrumpat, illae vero corpus, animaque; inficiant. Antiphon ita, rem oeconomiam describit, ut uxorem velit domui, rebusque domesticis conseruandis, praeparandisque praesse: vnum autem foris in agro, in foro, in Republica. Bernardus noster & ipse de oeconomia tractatum edidit, ubi pascenda copia est quidem familiam, citra tamen delicias, iubet. Reliqua vero ac pulcherrima in hac disciplina qui cupiat videre, eum ad Xenophontis oeconomicum, quem conuerti, relegamus. Officia domestica apud veteres fuerant: dispensator, condus, promus, ariensis, cocus, dulciarius, qui confectiones praeparabat: structor, qui conuiuia: chironomon, qui obsonium in repositoriis secabat. Iuuenalis: Spectas & chironomota volanti cultello. Prægustator, qui libabat. Praeterea medicus, ietralepra, qui vnguētis, aut pharmacis praeparandis praerant, domino siue lauanti, siue aegrotanti: id nunc officium aromatarii vsurpant. Cubicularius, a poculis, a memoria, ab epistolis, a libellis, a studiis, vestiarius, ianitor, anagnostes, designator: is erat & publicus, & priuatus principum, qui nunc ceremoniarum magister. In marmore Romae, C. Verres Eros designator Caesaris Augusti. & in Plauto, Surge designator. Loca enim & in ludis, & in funeribus, cuique constituebat. Horatius: Designatorem decorabat funebribus atris. Quanquam omnes designatorem legunt, quod male omnino putauerim: designare nanque aliquid est mente disponere, ut Terentius de adolescente, Quid nunc non designauit is mali, seu etiam aliquid in aedificando ordinare, ut Liuius, Loca theatri designauit.

Arist

ARISTOTELIS STAGIRITAE OECONOMIARVM LIBER SECVNDVS,

Iacobo Stapulensi Interprete.

Quibus instructum esse oporteat negotiantem.



Dispensationum diuisionis, & accidentia.

VM quispiam debet aliquadebito modo dispensare, locorum, circa quae negotiatur, minime debet in expertus esse, sed suapte natura ingeniosus, & sponte laborum patiens, atque iustus. Quaecumque enim harum defuerit partium, complura peccabit, circa id, quod sibi parat, negotium. Dispensationes autem sunt quatuor, ut est rudi Minerua diuidere: (nam alias cum his coincidere comperimus) regia, satrapica, quae & praefectoria: ciuilibus, & priuata. Harum autem maxima & simplicissima, regia est: maxime euarias, & facillima, ciuilibus: minima autem itidem & admodum varia, priuata: promiscua quidem illis multa esse necessarium est: at quaecumque; maxime per se vnique earum accidunt, illa nos considerare operæpretium est. Primum igitur consideremus regiam: est autem ipsa potens omnino, species habens quatuor: circa numum, circa ea, quae exportanda sunt, circa ea, quae sunt inferenda, & circa sumptus. Horum autem vnumquodque ut circa numum dico, qualis, & quando multo pretio, aut vili faciendus. Circa autem inferenda, efferendaque, quando, & qualia a praefectis in regno, ut rex ipse vtilitate suscipiat, disponenda sunt. Circa autem sumptus, quales dispartienda, & quando: & vtrum erogandi numi ad ipsos sumptus parandos, aut ea potius, quae numo comparantur. Secundo autem loco praetoriam consideremus. Eius vero species sunt sex: prouentuum a terra: ab iis, quae in regione peculiaris nascuntur: ab emporiis, a tributis, a pascuis, & a caeteris aliis. Harum autem specierum prima & optima ea est, quae a terra suscipit prouentum. Haec autem est, quam ii quidem oblationem, illi vero decimam appellant. Secunda autem est, quae ab iis, quae regioni peculiaris sunt, prouenit. Aliquo enim in loco peculiare est aurum, alibi argentum, alibi aes, alibi autem quodcunque fieri contingat. Tertia vero est quae ab emporiis, & mercatu rerum prouenit. Quarta, quae fit a tributis earum rerum quae terra profert, aliquo pretio comparandarum. Quinta vero, quae a pecoribus, & frugibus, quae & decima vocatur. Sexta porro, quae est ab aliis a capite &

manu nuncupata, quod capitatum aut pro dignitate manuatum exigatur. Tertio vero loco ciuilem dispensationem discutiamus. Huius autem optimus prouentus est is, qui est a peculiaribus earum rerum, quae in regione proueniunt: deinde ii, qui ab emporiis, & mercibus, quae in limitibus regionis, & circum circa habitantibus afferuntur. Quarto autem, & vltimo loco, ea inspicienda est, quae est priuatae curae. Haec autem est irregularis, ob id ipsum, quod non decet eam ad vnam intentionem dispensare. Minima vero propter id est, quia prouetus, & impensa in ea modicae sunt. Huius autem optimus prouentus, qui a terra prouenit: secundus autem is, qui ex iis, quae aliorum culpa negliguntur, suscipitur: tertius autem is, qui a numo. Praeterea autem haec quod omnibus communiter curandum est dispensationibus, & quod perquirere par est, id minime superuacaneum putetur. Maxime autem hoc pacto, si sumptus non maiores ipsis prouentibus fiant. At vero quoniam diuisiones attulimus, post hoc rursus intelligendum, vtrum prouincia, aut ciuitas, circa qua negotiamur, habet ea, quae diuisimus, aut plurima horum afferre possit, atque his utendum. Haec igitur circa oeconomias, id est, dispensationes, atque partes earum diximus. Quaecumque vero nonnulli priorum fecerunt, facultate rerum potius, quam arte aliqua illa profecti sunt. Quorum quae enarratu digna esse censemus, colligimus. Neque enim hanc historiam inutilem arbitramur futuram. Fieri enim potest, ut quispiam iis accommodet, qualiacumque; ipse efficienda susceperit. Cypsellus Corinthius vouit Ioui, si dominus ciuitatis fieret, quae Corinthiorum essent, omnia se oblaturum. Potitus autem domino, praecipit eos describi: cum autem descripti fuissent, decimam partem a singulo quoque; suscepit: at vero ex reliquis partibus praecipit ut operaretur. Exaeto subinde anno, idem quoque; fecit. Quare euenit, ut in decem annis ille cuncta habuerit, quaecumque; sacrificaturum se vouerat, Corinthii autem reliqua possederint. Lygdamis Naxius expelles profugos, quia nullus eorum res, nisi vili, mercari voluit, eisdem profugis vendidit, & sacra, & reliqua ipsorum, quaecumque in officinis imperfecta relicta erant, etiam vendidit eisdem, & aliorum cuiuslibet volenti, ita tamen ut describeretur ementis nomen. Porro Byzantii indigentes pecuniis, templa publica vendiderunt, & fructifera aliquo tempore, infructifera vero perpetuo, & ea, quae ad societates, & ad patriam pertinebant, & quaecumque; in locis priuatis iacebant, eme-

bant enim carè, quorum erat & alia possessio, & aliarum rerum, quæcunque erant societatibus publicè, aut circa gymnasium, aut forù, aut portum, aut vbiunque quis quippiam vendebat, & capturæ maris, & venditionis salinarum, & admirandarum rerù, artificumq; & vatium, & pharmaca vendentium, & aliorum consimilium modorum, tertiam quidem partem rei perfectæ cõtribuere ordinarunt: & numerorum commutationem vni campforiæ mensæ commiserunt: & penes nullum alterù potestas erat aut dare, aut accipere: sin minùs, rerum suarum priuatione multabatur. Cùm lex ipsis esset, ne quis admitteretur ciuis, qui non esset ex ipsorum vtroque ciue: ipsi pecuniarum indigentia, sanxerunt, eum, qui ex vno ipsorum esset soluèdo libras triginta, fore ciuem. In rei frumentariæ inopia, facti inopes pecuniarum, reduxerunt naues ex Ponto: tempore autem factò, mercatoribus molestè ferentibus, tributum dederunt illis fœnus sesquidecimum: vendentibus etiam statuerunt vltra pretium dare totius partem decimam. At verò cùm nonnulli incolarum fœnerati fuissent super possessionibus suis, decreto statuerunt, vt quicumque tertiam debiti partem afferre vellet, liberè possessionem suam haberet. Hippias Atheniensis eminentias superiorum tabulatorum in viis publicis, & ascèsus, & præstruções & portas, quæ aperiebantur foris, vendebat. Comparabant igitur ii, quorum possessiones erant, sicque collectæ sunt pecuniæ multæ. Numum insuper, qui Atheniensibus in vsu erat, fecit improbum: & pretium ponens, iussit ad se ferri. Cùm autem conuenissent ad signandam pecuniam nouo caractere, dedit idem argentum. Quicumq; etiam nauis præfecturam habere, vel tribunatum, vel impensas suppeditare, aut aliquam aliam publicam curam gerere deberent, pretium ponens moderatum, præcipiebat vt is, qui vellet id pretii persoluere, describeretur inter publicos administratores. Sacerdoti præterea Palladis, quæ degebat Acropoli, præcepit pro quolibet mortuo mensuram afferre ordeï, & alteram mensuram tritici, & obolum vnum. Atque simili modo pro quolibet puerulo nato illud idem fieri iubebat. Athenienses in Poriæa habitantes, cùm pecuniis ad parandum bellum indigerent, instituerunt vt omnium facultates describerentur, quæ apud vnumquemque in populo confusæ, inordinatæque erant: sed & quo in loco vnaquæque possessio erat, vt pauperes possent erogare. Cui autem possessio deerat, corpus condemnabatur. Itaq; ab illis quod descriptum fuerat, vnusquisque ciuitati saluum afferebat. Antistheus etiam, cùm ciuitas indigeret pecuniis, & ciues consueuissent splendè celebrare Dionysia, in quibus varia, & multa cõsumebant quotannis, atque preparabant: appropinquante hac festiuitate, persuasit illis, vt Baccho vouerent duplicita iis, quæ nuper collegerant, sequenti anno se duros, illa autem cõgregantes vicinis vrbibus venderent. Quæ cùm ita fecissent, ipsis collectæ sunt pecuniæ ad eorum vsum non modicæ. Lampfaceni cùm expe-

starent triremes multas ad se venturas, & modium farina quatuor drachmis veniret, præceperunt vt emptoribus venderent modium sex drachmis, & olei choe mensurâ drachmis quatuor, ac tribus obolis, & vini, & aliarum rerum pretia similiter posuerunt. Antiquum autem pretium priuati recipiebant, at quod plus erat, vltraque pretium, ciuitas: quare pecuniis abundauit. Heracleotæ mittentes naues quadraginta tyrannis, qui erant in Bosphoro, nõ habentes pecuniarum copiam, comparauerunt à mercatoribus vniuersum triticum, & oleum, & vinum, & alias merces, & tempus definierunt, in quo ipsi pretium essent persoluturi. Mercatoribus autem probè visum est, vt non ad mensuram distribuerent, sed simul onera expedirent: illis autè quod vbi semel dedissent, nihil amplius de mercede esset præstandum. Verùm considerauerunt empti, & virum vnum dispensatorem in vnaquaq; nauium constituerunt. Cùm autem peruenerunt ad locum hostium, milites ab eis comparabant omnia. Cùm verò prius aggregatum fuisset argentum, dederunt ducibus nauium, duces autem rursus mercedem soluerunt: quo factum est, vt argentum eis non defecerit, quousq; ad propria remeassent. Lacedæmonii Samiis rogitantibus pecuniam eis ad regressum dari, consilio decreuerunt vnam diem & se, & seruos, & animalia ieiunare, & quantum expendisset quisque, tantum dare Samiis. Carthaginenses frequentibus in ciuitate apud ipsos factis peregrinis, mercedem debentes, quam dissoluere non poterant, proclamari fecerunt: si quis ciuium, vel inquilinorum prædam habet ex ciuitate, aut ex priuato, aut habere vult, describatur. Descriptis autem compluribus, miserunt naues, quæ adnavigabant Pontum, rationabili prætextu, ad prædandum, statueruntque tempus, in quo rationem pro ipsis dicebant se reddituros. Collectis autem compluribus pecuniis milites dimiserunt, & pro prædarum exigentia diuiserunt: & si qua erant ex iniustitia præda, ciuitas ex prouentibus restituit. Cyzicenis etiam ad inuicem dissidentibus, obtinuit populus: & diuitibus captis, qui debebant pecuniam militibus, statuerunt non interimere captos, sed vbi pecuniam dedissent, expellere. Chii etiam cùm illis esset lex, describi debita in publico, & pecunia indigerent, statuerunt vt debitores quidem ciuitati debita assignarent, ciuitas verò de reditibus vsuras fœneratoribus dissolueret, quousque ad antiquum ditesceret morem. Mausolus Cariæ tyrannus, mittente rege ad eum pro tributo, cõgregans ditissimos regionis, dicebat, regem poscere tributum, se autem non esse soluendo. Præparati autem ex industria viri, pollicebantur ei quandam summam, quam quisque allaturus esset. His autem hoc agentibus, ditiores partim verecundia moti, partim verò timentes, multò plura, quàm illi, promiserunt, atq; obtulerunt. Iterum pecuniarum egens, in concione vocatis Mylaffenibus, inquit, metropolim (cùm sua esset ciuitas) muris immunitam esse, regem autem aduersus eum bellum decernere:

nere: quæ de causa iubebat vnumquemque Mylaffenium, immodicam afferre pecuniã, asserens se, & eos, qui attulissent, & reliqua eorum bona seruaturum. Quæ vbi oblata fuere, multam sibi coaceruauit pecuniam. At inquit, Deo non videtur in præsentem, moenia ædificanda esse. Condalus Mausoli præfectus, quando ei per regionem proficiscenti offerebat quispiam aut ouem, aut porcum, aut vitulum, describebat dantem; & tempus, præcipiebatque vt in domum reduceret, nutrirétque quousque reuerteretur. At verò cùm tempus satis illi effluxisse videretur, cõputans & quod nutriendum dederat, & quicquid fructus inde prouenerat, repetebat. Arborum autem quæcunq; porrigerentur, aut deciderent in publicas, regiasque vias, vsum fructum vendebat. Militum si quis moriebatur, elationem corporis drachma vendebat, & hinc quoque simul argentum percipiebat: simulque neq; eum fallere duces poterant, cùm quispiam militum è vita demigraret. Intuens etiam Lycios amantes cæsariem ferre, dixit epistolâ huc venisse à rege, quæ iuberent mittèdas esse comas ad proscomia: igitur sibi iniunctum esse à Mausolo, vt detonderet eos: veruntamen si vellent capitatum taxam aliquã dare, se à Græcia comas transmissurum, qui libenter dederunt. Sicque plurima pecunia à numerosa turba collecta est. Aristoteles Rhodius Phoreæ princeps pecuniis indigens, videns duas esse factiones Phoreorum, alteram partim seditionis secretò allocutus dixit, alios sibi velle pecuniam dare, vt illis negotia ciuitatis cõmitteret, ipse autem malle ab ipsis accipere, atq; eis ciuitatis administrationem tradere. Quæ audientes, illico pecuniam quantum præcepit in pròptu dedere. At verò ille rursus aliis ostendit, quæ ab his acceperat, qui dixerunt se non minus duros. Sumens autem ab vtrisque, conciliauit eos inuicem. Conspiciens etiam ciues multas inter se agitare causas: magnâq; longo ex tempore iniurias, quæ per bellum illis obtigerant, iudicium statuens edixit, quicumq; definito tempore non essent sententiam assecuti, legem posuisse, non vltius fore præteritorum delictorum iudicia. Tunc autem à multis offerentibus pecuniam propter breuitatem temporis, & obtinendam iustitiam, multis etiam multâ offerentibus vt prològaret tempus, à singulis suscipiens, immodicam congescit pecuniam. Claxomenii in frumenti penuria pecunia indigentes, statuerunt, vt si qui priuatorum haberent olei, mutuarent ciuitati ad fœnus (nascitur enim hic fructus multus in regione) quibus mutuantibus, conducentes nauigia, miserunt ad emporia, vnde ipsis veniret triticum, habito pacto, de pretio olei. Insuper debentes militibus stipendium viginti talenta, & dare non valentes, pendebant fœnus ducibus annuè quatuor talenta. Cùm autem antiquo debito nihil deduceretur, sed semper frustra consumerent, percussurum numum ferreum, qui argenti haberet rationem viginti talentorum. Deinde dantes ditissimis ciuitatis cuilibet suo ordine, argentum ab illis receperunt æquale. Quare priuati habuerunt ad

quotidianos vsus impensas, & ciuitas à debito liberata. Secundum verò ex prouentibus illis fœnus restituerunt: semper diuidentes vniciueque in parte dabant, illi autem ferreos numos reportabant. Selibriani pecuniæ laborantes indigentia (lege apud eos posita, cùm in fame constituti fuissent, non educendum esse triticum) apud eos autem vetus triticum abundaret, statuerunt priuatos ciuitati dare triticum, determinato pretio, vnoquoque retinente ad annui victus sufficientiam: deinde statuentes pretium, quod illis rectè se habere videbatur, vniciueque educere volenti vendiderunt. Abydeni propter seditionem regione facta vacua, & accolis nihil eis porrigentibus, quia adhuc deberent, statuerunt vt quicumque vellent, fœnerarent agricolis, quò terram colerent, sic ipsis primis allatio ex frugibus fieret, aliis autem ex reliquis. Ephesii cùm pecuniis egerent, legem posuere, vt mulieres aurum non gestarent: quantum verò impræsentiarum haberent, mutuarent ciuitati. Pro columnis etiam, quæ erant in templo, statuerunt argentum esse soluendum: eius autem, qui soluisset, nomen esse scribendum perinde, ac si obtulisset. Dionysius Syracusanus volens pecunias congregare, concionem faciens dixit, apparuisse sibi Cererem, iussisseque vt mulierum ornatum in templum deferret: se verò mulierum, quæ apud ipsum sunt, ornatum obtulisse, atque hoc idem facere cæteros hortatur, ne qua forte indignatio à dea exuscitaretur: qui autè negligeret, reum fore sacrilegii. Afferentibus autem cunctis quæ habebant, quisque propter deã, & propter illum sacrificans, deã ornatum abstulit tanquam à dea mutans. Elapso insuper tempore, cùm mulieres rursus ornatum ferrent, præcepit, vt ea, quæ vellet aurum ferre, ordinata quædam in templo offerret. Debens etiam triremes extruere, agnoscens sibi opus esse pecunia, concionem vocans, inquit, quandam sibi ciuitatem tradi, ad quam opus erat pecuniis, precarique ciues, vt quisque sibi duos stateres mitteret. Intermittens autem duos, aut tres dies, tanquam in tradenda ciuitate error contigisset, ciues laudans reddidit vniciueque, quod miserat. Id autem agens, ciues in gratia fouit. Postea verò arbitrâtes, quòd eam accepturus esset, rursus miserunt, ille verò suscipiens, ad nauium extruccionem aptauit. Cùm rursus non abundaret argento, numum percussit è stanno, & concionem vocans, multa super laudato numo dixit. Illi verò decreuerunt, quanuis etiam nollent, vt quisque haberet tanquam argentum, non autem tanquam stannum. Cùm rursus pecuniis egeret, rogabat ciues vt ei contribuerent. Illi autem responderunt, se non habere. Extrahens igitur Dionysius vasa, quæ apud ipsum erant, vendebat, quasi id ob indigentiam faciens. Syracusis autè eumentibus, describebatur quid vnusquisque comparasset. Postquã autem pretiũ suscepit, iussit vnusquemque vas afferre, quod emisset. Cùm etiam ciues propter tributum pecora non nutrent, dixit, quòd ei tanta sufficerent: volentes autem nunt acquirere, immunes fore à tributo. Multis autè

cito

Obolus pondus sex
Siliquas continet.
Era una moneta
Atheniense, que
Valeria como se
marauit nustrat.
Segun Coranubio.
XX obola hanc
in siclo, como ex
presamente se
lee en el Exodo
3. et Exech. 40.
Ay obolo Griego.
2 Hebreo segun
Coran. el He-
breo q la 5
parte mayor que
el Griego.
Obolus Achaonij, q flete que dar las animas que van al infierno.
Taly hoc. Ex vocabul. Anonij Nebris.
Siliqua es. pvo de quatro granos de trigo.

citò multa comparentibus armenta, tanquam habituri ea essent absq; tributo, opportunum id esse ratus, æstimare præcepit, imposuitque tributum. Hac igitur deceptione indignati ciues, illa iugulantes vendebant: ille verò contrà id statuit, quod in die occidi oporteret. At illi iterum in sacrificiis immolabāt: ille verò vetuit, ne fœminam sacris immolarent. Rursus pecuniis egens, iussit apud se describi pecunias, quotquot essent familiæ orphanorum. Descriptis autē cunctis, illorum bonis abutebatur, quousque ad ætatem quisque peruenisset. Cùm cepisset Rhegyum, conuocato populo, dixit quam ob causam ab eo iuste capti essent, nunc tamen impensas, quas in belli usum consumpsisset percipiens, & insuper ab vnoquoque minas tres, absolueret eos. Rhegyenses verò quæcunque absconderant, in apertum eduxerunt: & egeni à ditioribus, & peregrinis mutuo accipientes, confluxerunt summam quam præceperat: quam ab ipsis accipiens, nihilò minùs omnium corpora vendidit, & cunctam supellectilem, vniuersaque bona, siue occulta, siue aperta, diripuit. A ciuibus etiam accipiēs pecunias, ea lege vt illas restitueret, cùm ab eo repeterent, iussit ad se afferri quantum quisque possideret argenti, alioqui mortem multam indixit. Delato autem argento, numum percussit nouo caractere, deditque drachmam duarum drachmarum valore: sicq; debitum penes ipsum remansit. In Tyrreniam autem centum nauibus adnauigans, accepit è sacello Leucotheæ, id est, albæ deæ, aurum quoque, & argentum multum, aliumq; apparatus immodicum. Cognoscens etiam quòd nauis quàm plurima haberet, proclamationem fieri fecit, vt quisq; dimidium eorum, quæ haberet, deferret ad ipsum, aliud dimidium habiturus: non afferenti autem, statuit pro multa mortem. Arbitrantes igitur nauis, si ferrent dimidia, reliqua se habituros, securè attulere. Posteaquam verò illa accepit, præcepit rursus, vt alia afferrent dimidia. Mnedei, iis, quæ à portibus, & aliis vectigalibus proueniebant, utebantur ad gubernationem ciuitatis. Ex tributis autem, quæ ex terra, & familiis proueniebant, nihil operabantur: sed obseruabāt eos, qui illa haberent: & cùm necessitas pecuniarum ingrueret, reddebant illi, qui deberent. Lucrabantur igitur ex præterito tempore, pecuniis absque fœnore vtentes. Bellum item suscipientes aduersus Olynthios, cùm illis pecuniæ deessent, at adessent mancipia, statuerunt, vt relictis euilibet ciuium mare & fœmina, cetera ad usum ciuitatis venderent, tanquam in priuatorum exhibitione pecunias commodarent. Callistratus in Macedonia cùm prouentus portus vt plurimum viginti talentis æstimaretur, modum inuenit vt duplum conficeret. Nam & conspiciens eos, qui emebant, semper euadere ditiores, cùm oporteret eos dare fideiussores viginti talentorum, proclamari fecit, quicumque emere vellet, constitueret fideiussores tertiæ partis, solueret autem quisque quantum se posse sibi suaderet. Timotheus Atheniensis bellum gerens aduersus Olynthios, argento egens, signauit æs, & de-

dit militibus. Illis autem egrè ferentibus, dixit, quòd illo æquè venderent, emerentque omnes, ab iis, qui vendunt, atq; emunt. Iphis autem mercatoribus antè indicauit, vt quisquis es illud accepisset, illo rursus emeret ea, quæ in regione venderentur, & spolia, quæ afferrentur. Quòd si apud eos æs remaneret, portarent ad ipsum, recepturi denique æris loco argentum. Circa etiam Corcyram bellum exercens, exiliter satisfaciens militibus, petentibus quidem stipendium, inobedientibus, & ad inimicos deficere se velle afferentibus, cœtum congregauit, ac dixit, non posse propter hyemem ad se peruenire argentum, cùm tanta esset illi copia: quapropter solutionem trium mensium, quam prius soluerat, se illis dono dare. At verò illi suspicantes, nunquam Timotheum tanta munera eis dare, nisi re vera ab eo expectaretur pecuniæ, quæ uerit à petendo stipendio, donec voto potitus est. Obsidens item Samum, fructus, & ea, quæ in agris erant, vendidit Samiis: quare pecunia satis abundauit ad stipendia militum. Cùm commeatus, necessariorumque ad victum in exercitu esset raritas ob aduenientes, prohibuit ne viderent triticum farina cōminutum, neque minorem mensuram modio, neque quippiam liquidorum minus, quàm metretæ mensura. Principes itaque ordinum, & manipulares comparantes omnia simul, dederunt militibus: aduenientes autem sumebant victui necessaria. Cùm autem discederent, si quid residuum fuisset, principibus ordinum, manipulorumque vendebant. Atque ita euenit, ipsos milites abundare victuum copia, sufficientique commeatu. Didales Perfa milites habens, ex iis, quæ in dies ex bello conquirere poterat, illis dabat. Non habens autem numos, quos elargiretur illis stipendia poscentibus, vbi aduenit tempus, quod illi visum est accommodum, tale quippiam machinatus est: conuocans cœtum, Ne credatis, inquit, me pecuniarum penuria laborare, imò in quodam prædio mihi sufficienti copia est, & pariter locum indicauit, atq; discedens illuc profectus est. Cùm verò loco vicinus esset, præcessit, & quæcunque in templis erant argentea vasa, diripuit: præparauitq; multos, tanquam argentum onusti deferrent, & vasa illa illis ostendens ibat. Atqui videntes milites, rati cuncta, quæ ferebantur, esse argentum, confidebant se stipendium percepturos: ille verò dixit oportere eos vsque ad Amison peruenire, illi hinc se stipendia percipere. Erat autem plurimum dierum iter ad Amison, & tempus hyemis. Sicq; illo tempore exercitu abusus est, solum illis commeatum præbens, cùm in exercitu & artifices, & cauponarios, & commutantes haberet, quorum opera aut nihil, aut perparum indigeret. Chabrias Atheniensis, Thaeo Aegyptiorum regi gerenti bellum, & pecuniis indigenti consuluit, vt aliquis diceret sacerdotibus, oportere & virorum, & mulierum multitudinem sacris initiatorum submouere, propter impensam, Audientes autem sacerdotes, & sacerdotium penes se manere volētes, singuli propriam dedere pecuniā. Postquam autē à cunctis accepit, iussit illis

illis præcipi, decimam partem expensarum, quas prius in templo faciebant, & reliquorum, regi mutuare, quousque finem bello imposuisset. Ab vnaquaque colonia præcepit, omnes quippiam determinatum afferre: & ab vnoquoque corpore similiter. Ex frumento etiam, quod vendebatur, à vendente, & emente, præter pretium, pro modulo percipiebatur obolum. Ab vnaquaque naue, & officina, & vnoquoque opus aliquod exercentium, decimam partem operis. Illis autem, qui ex regione debebāt sub eo militare, præcepit afferre, si quis aut auri, aut argenti quippiam non signati haberet: cùm verò plurimi attulissent, illo ipse utebatur. Mutuantes autē præfectis classium commisit, vt de iis, quæ abundarent apud eos, illis redderent. Iphicrates Atheniensis, Coty parante exercitum, effecit hoc pacto, vt compararet pecuniam: præcepit hominibus, quibus præerat, seminare sibi tres modios tritici: quo facto, collegit tritici ingentem multitudinem, quæ ad emporia mittens vendidit, obtinuitq; pecuniam. Cotys Thrax petebat à Pirinthiis sibi mutuo dari pecunias, quo suum cōgregaret exercitum: Pirinthii verò illi dare recusarunt. Tūc eos rogauit, vt viros è ciuibus illi darent, ad custodiam quorundam castrorum, quatenus militum opera, qui nunc illa custodiunt, vti posset. Illi verò illico id fecerunt, arbitrantes se futuros locorum dominos. Missos autem Cotys in custodia tenuit, præcepitque eam pecuniam dari, quam ab illis mutuo petierat.

Mentor filius, Hermiam capiens, & prædia eius obtinens, dimisit eosdem curatores in regione, qui fuerant ab Hermia constituti: cùm verò securi iam essent, quæcunque absconderant secum, accepere: Mentor verò omnes capiens, diripuit vniuersa, quæ habebāt. Memnon Rhodius, qui Lampfaci dominabatur, pecuniis egens scripsit ditissimis Lampfacenorum, vt aliquam magnam argenti summam ei conficerent, quàm recepturi essent ab aliis ciuibus, quibus commissum erat illam afferre. Atqui cùm illis alii ciues afferrent, iussit eandem sibi mutuo dari, vsque ad certum tempus, in quo eam illis redderet. Rursus pecuniis indigēs, precatus est eos, vt illi darent, quas ex prouentibus eius mox recepturi essent. Illi autem attulerunt, quia citò prouentuum receptio futura erat: at vbi ea, quæ prouentuum erant, missa sunt, sibi illis opus esse dixit, se verò postea constatum æs, dissolutum ire cum vsuris. A militantibus etiam auferebat solutiones, & stipendia sex dierum in anno, quos dicebat exemptos: dicens, his diebus neque custodiam illis vllam esse, neque itineris expeditionem: neque ipse impensas faceret. Ante id tempus dabat militibus stipendia secunda die à nono mense: à primo quidem mense præteribant dies tres, à sequenti quinque, & ita vsq; ad tricesimum diem: sicque in anno mensem vnum à militibus iterum auferebat. Charidemus Orites habens quadam prædia in Aeolide, cùm aduersus eum militaret Artabazus, pecuniis indigebat ad militares copias. Primum quidem exhibuerunt illi, postmodum verò se non am-

plius habere quod exhiberent, dixerunt. Charidemus autem coniciens prædium esse opulentissimum, præcepit, si quid haberent pecuniæ, aut supellectilem pretiosam, mitterent in alium prædium, & daret eis conductum custodum. Simul autem & ipse hoc facere videbatur, suaque in prædium aliud mittere. Obsequentibus igitur illi hominibus, postquam haud admodum ab vrbe abfuerunt, scrutatus est quæ habebant, & cepit quibuscunque indigebat: illos autem rursus in urbem remisit. Proclamari etiam fecit in ciuitatibus, quibus dominabatur, neminem domi arma tenere, alioqui multari argento, quod per præconem indicebatur. Quod subinde negligere visus est, & nullā eius rei curam gerere. Homines autem arbitrantes proclamationem illam sibi vanè fuisse factam, habebant singuli per regionem arma, quæ prius possederant. At ille repente explorationem domorum faciens, apud quos arma sunt reperta, indictæ pœnæ multam dederunt. Philoxenus quidam Macedo præfectus Cariæ pecuniis indigens, se debere Dionysia celebrare dicebat, scribebātque ad eos, qui maximè fructibus abundabant, vt festi essent apparatus, eis præcipiens quæ essent apparanda. Videns autem eos grauitè ferre, milit aliquos, interrogans, quid dare vellent, & absoluerentur ab huiusmodi ministerio. At illi multò plura, quàm se censebant exposituros, velle dare dixerunt, vt non ventur, & à propriis abesse non cogantur. Ab his igitur capiens quod dederunt, ad alios rursus scribebat, donec percepit quod ipse volebat ex iis, quæ apud illos erant. Euafes Syrus Aegyptiorum præfectus, sentiens Nomarchas, qui sub ipso erant, debere rebellare, vocauit eos ad tribunalia, & omnes suspendere fecit: præcepitque vt familiaribus eorum diceretur, eos in carcere detineri. Vnusquisque igitur affinium, pro vnoquoque sollicitus erat, vt captiuos pecuniis redimeret. Ille verò pro vnoquoque paciscens, & quæ pacta erant accipiens, singulis mortuum reddidit. Cleomenes Alexandrinus præfectus Aegypti, ingenti fame aliis in locis facta, in Aegypto autem re mediocriter se habente, vetuit educationem tritici. Nomarchis autem causantibus se non posse tributa soluere, nisi educerent, educere permisit: sed permultum tritico imposuit tributum, ita vt paucò ducto tritico, multum illi contingerit recipere tributum: quo factum est, vt Nomarchæ à suo destiterint proposito. Transfretans autem Nomon, vbi crocodilus pro Deo habetur, vnus puerorum suorum raptus est. Aduocans igitur sacerdotes, dixit, se, qui prior iniuria affectus esset, vltum iri in crocodilos: itaque præcepit venari eos, & ab aquis extrahi crocodilum. Sacerdotes verò, vt Deus eorum non haberetur contemptui, congregarunt quantum auri potuerunt, & illi dederunt, sicque ab incœpto destitit. Alexandro rege mandante Cleomeni, vt sibi construeret urbem ad Pharon, & emporium, quod prius erat in Canopo, illi hinc constitueret: ipse nauigauit in Canopum

ad sacerdotes, & eos, qui illhic diuitias haberet, & se ad hoc venisse dixit, vt eos deduceret colonos. Sacerdotes autem, & accolæ afferentes pecuniam, dederunt illi, vt eos, & emporium illis in regione relinquat. Accipiens autem, tunc quoque discessit. Porro transfretans cum essent sibi parata quæcunque erant necessaria ad ædificationem, petiit ab eis pecuniam, quæ longè multitudinem excedebat: tanti autem interesse sibi emporium illhic esse, & non hîc. Cùm autem dicerent, se dare non posse, transmigrare eos fecit. Quosdam etiam ad merces comparandas mittens, & sentiens eos bene emisse, at conuenisse vt ei deberent ratiocinio pretium supputare, ille ad notos ementium dicebat, se audiuisse eos merces supra pretium comparasse quod præceperat, & simul eorum cum simulata iracundia, arguebat inscitiam. Illi autem hæc audientes, dicebant, non decere eum credere quippiam obloquentibus in eos prius, quàm ipsi veniant, & rationem ei reddant. Atque cùm emprores venissent, illi recitarunt eis quæ audierant à Cleomene. Ii verò volentes illis, & Cleomeni rem ostendere, pretia retulerunt, quibus emerant. Cùm triticum in regione vāniret decem drachmis, vocans operatores, interrogauit, quomodo volunt ipsi laborasse? inquit se velle illi, etiam minoris, quàm quanti mercatoribus vendere. Illud autem iussit, vt tanti ipsi darent, quanti aliis vendebant. Atqui mox statuit pretium tritici triginta & duas drachmas, atque ita vendebat. Accersens etiam sacerdotes dixit, enormem impensam in regione ad sacrificia fieri: quare oportere aliqua sacrificiorum, & multitudinem sacerdotum tollere. Porro sacerdotes, & quisque priuatus, & communiter sacras pecunias dedere, arbitantes ipsum id re vera facere velle, & optabat quisque sacrificium apud se fieri, & regionis esse sacerdos. Antimenides Rhodius princeps factus ab Alexandro super viæ dimidium, circa Babylonem, hoc pacto pecunias confluuit: Cùm antiquitus in Babylonia lex fuisset, omnium, quæ inferbantur, decimam soluere, & nullus illa lege vteretur, obseruauit præfectos omnes approbatos, & milites non paucos, & senes, & alios artifices accersitos inferentes bona propria peregrinando, & multa illis allata dona, & secundum legem positam decimam exegit. Rursus mancipia, quæ erant in exercitu: præbens, iussit eum, qui vellet, describere quod vellet: debere autem pro anno octo drachmas deponere: quod si deficeret feruus, reportaret pretiū, quod descriptū fuerat. Descriptis igitur compluribus mancipiis, non paucum argentum utilitati fuit. Si autem aliquod mancipiorum defecisset, iussit præfectum, sub cuius præfectura fuisset exercitum cōseruando, pretiū domino eius restituere. Ophelas Olympius constituens curatorem super pascuis Ar-

thriditem, cùm accessissent ad eum Nomarchæ loci illius, dixerunt se velle illi multo plura dare: precabantur autem, vt mutaret curatorem, quem constituerat. Interrogauit eos, si cōtribuere possent, quæ pollicebantur: affirmantibus ipsis, curatorem in officio dimisit: quæ autem ipsi promiserant tributa, exigi præcepit. Ergo nec curatorem, quem instituerat, spernere visus est, nec illos ad maiora tributa, quàm ipsi statuerant, soluenda coegisse. Pythocles Atheniensis consuluit Atheniensibus, plumbum ex Tyriis accipere, qui in ciuitate priuati essent, eo, quo vendebant, pretio duarum drachmarum: deinde statuit illis pretium sex drachmarum, sicq; vendebat. Chabrias cùm electi sufficerent ad implendas naues centum & viginti, esset autem ei opus solum sexaginta nauibus, præcepit iis, qui ex sexaginta nauibus eius, quæ remanebant, nauigaturi erant, ad bimestre annonam ministrare, aut ipsos nauigare: ipsi verò malètes propriis rebus incumbere, dederunt ea, quæ præcepit. Antimenes thesauros, qui per vias regias continebatur, iussit præfectos implere secundum legem regionis. Cùm verò exercitus, aut turba alia absq; rege indignisset, vendebat ea, quæ erant ex thesauris, aliquem ad eos mittens. Cleomenes appropinquante nouæ lunationis tempore, cùm ingrueret necessitas stipendia militibus persoluere, nauigauit ex industria. Procedente autem mense stipendia persoluit, ac resumpsit nauigationem: postea verò incæpto mense, solutionem differabat vsq; ad lunam silentem: milites autem, quia nuper recepissent stipendia, quieret se habebant. Ille verò in anno mensē vnū prorogans, semper mensis mercedē auferebat. Stabelbius Mison, militibus stipendia debens, conuocans duces dixit illis, nullo pacto se priuatis indigere militibus, sed ducibus: cùm verò sibi opus esset, mitteret eos, dans eorum cuiilibet argentum, ad colligendos exernos: stipendia autem, quæ illis debebat, ducibus ipsis pollicebatur se dare. Præcepit igitur vnumquemque dimittere extraneos è regione. Duces itaque arbitantes, pecuniam illam suam fore, remiserunt milites, vt præceperat. Paruo autem exacto tempore, cùm mercedē poscerent, eos conuocans dixit, neq; tibicinem sine chorea, neque duces sine militibus ad quicquam utiles esse: quare præcipiebat, vt è regione discederent. Dionysius sacella circuibat, si cubi videret positam boni dæmonis mensam auream, aut argenteam, & auferre præcipiebat: & quæcunque statux quippiam prætere videretur, auferri iubebat, dicens, Quodcunq; accipio, tollere præcipiunt. Vestimenta etiam aurea, & coronas aureas statuarum tollebat, dicens se & leuiora, & accommodatiora daturum: & subinde illis albiculos amictus, albiculasq; circumponebat coronas.

Virtutum

VIRTUTVM EXACTIOR DIVISIO PER Simonem Grynæum.



VIRTUTVM quatuor diuisionem non membratim persequi, sed à certo principio paucis deducere, propositū est. Et quidem quatuor esse prima virtutum genera, quibus mens humana, velut anchoris quatuor, aduersus omnes animi tempestates regatur, vetus doctissimorum hominū cōsensus est, etiam eorum, qui de religione vera verissimè senserunt. Id igitur in communi rerum prius, mox in propria hominis formula spectemus. Omnis ergo natura res, & substantiam habet aliquam, in qua versatur, & ἐνέργεια, secundum quam intelligitur, ac iudicatur virtus: Vt enim nisi subiecta in re operatio non cernitur, vt nusquam nisi in oculo visio: ita nisi in operatione intelligi quæ cuiusque rei virtus, ac præstantia sit, non potest, vt nusquam nisi in videndo visus perspicacia. Quod si virtutem qualibet in re agendi, & munere suo fungendi rectitudinem vocamus, & rectum est quicquid ab instituto fine non errat, finis autem sua cuiusque rei consummatio est: id certe virtus erit, in consummationem sui quò quidque agendo fertur. Intelligendum est autem, vnamquæque naturam in rerum medium sic expositam esse, vt hinc quidem infesta, & inimica, inde idonea, ac congruentia sibi circumposita habeat: in quorum congressu vt omnis operatio cōsumitur, sic virtus omnis spectatur, dum vnaquæque rerum constituere sibi imperium conuenientium cōfederatione, & repugnantium amolitione conatur. Itaque tanquam in certamen, & æmulationem omnes naturæ res positas, ac commissas ab opifice, ad communem vniuersi salutem esse videmus: vt in contrarii propulsione, & conuenientis coniunctione vis rerum, virtusq; omnis versetur. Quæ si ita habent, & si virtutis descriptio hæc vera est, omnisque vt operatio Naturæ, sic virtus inter contraria versatur, prima certe virtutum vnicuique rei fuerit, quæcunque conuenientis, inconuenientisque notatione viam agendi prætentat, ac præmunit rebus quidam boni, malique sensus, ac iudicium minimè fallax: quo sublato, quia in vtrunque iam æquè res fertur, & idonei, inidoneique sibi discrimen nullum tenet, cæteras virtutes cadere necesse est. Quem enim in agendo conatum adhibeamus, vbi quid agendum sit, nemo est qui docet? Prima igitur hæc vnaquæque in re naturalis operationis veluti directio, ac virtus esto, conuenientis, repugnantisque sibi natura certum iudicium habere, vt antè, quàm quicquam agitur, sequi res agendo commoditatem suam norit. Proxima, qua in præscripta, præmonstrataque, ac recta secundū Naturam via, iam cognita sic insistit, vt ab infesto, resistentique sibi non statim depellatur. Nam quia confligendum omnibus naturæ cum contrario suo est, siue sustinendi eius vis nulla rei suppetit, locū id sibi non repulsum facit, & superat: itaq; rei iā operatio debilitata, agendo prodesse sibi non potest: siue nimis in contrarium auidè inuadit, non tã arcendo, quàm vehemētiore hostis congressu se ipsum violando, sibi ipsi res agendo incommodat. Quorū vtrunq; virtuti pugnat, quæ ei, in quo est, prodesse tantum, nō etiā obesse nouit. Hæc virtus ab illa priore sic pendet, vt quàm firmū à bono suo iudiciū est, quàm acutus, solersq; conuenientis sensus tã firmus ad bonū ingressus sit. Infirmata ferri animalia cupiditatis impetu videmus: at illam

at illā pro magnitudine apprehēsi per phantasiā boni inardescere constat. Duae itaque iam in omni Naturæ operatione ritè progrediente virtutes necessariò intelligimus. Sed quia tam mali, quàm boni non veri species à præscripta Naturæ via subducit, etiam in conueniente, quæ procliuatatem Naturæ moderetur, ac sistat, necessaria vnicuique rei virtus tertia est. Siue enim conueniente sibi ignauiter, & oscitanter mouetur, vtilitatem suam stipes, & fatua natura negligit: siue nimis hoc accenditur, & rapitur, cupiditate eius præcipitata, commoda ex re capit incommodum. Quorum vtrunque non solum non virtus, sed intolerabilis naturæ inscitia est. Porrò autem & hæc ab illa prima, rationeque eadem oritur. Sed iam in vtrunq; bene instructam Naturam, hoc est ita comparatam, vt quorsumcunque agendo fertur, quantum in ipsa est, tueri suum officium possit, quomodo non rectam vocemus? Quod quidem iustitiæ nomen antè, quàm superiores illæ inter se conspirant virtutes, rei nulli potest competere. Ergo substantia quædam primùm omnibus reliquis subiecta est: *ἐνέργεια* substantiæ, ad tuitionem sui vnicuique naturæ facultas: *ἐνέργειās* virtus, & modus, qua vt ferè se res tueatur sola fit: est apti, idoneique sibi iudicium, virtus prima: est arcendi contrarii vis, virtus secunda: est amplectendi idonei vis, virtus tertia: est his ita comparatis rectitudo iam Naturæ, virtus communis quarta. Hæc in omnibus Naturæ rebus eodem pacto habent, ac vt in toto corpore, ita qualibet corporis naturalis in parte, institutio vna, eademque hæc Naturæ inuenitur. Substantia sua res omnis bona est, operatione bona mala fieri, virtute tantum bona, vitio tantum mala esse potest. Tolle primam, in exitium æquè, ac salutem suam per inscitiam res tendit: tolle secundam, frustra quòquam tendit, semper occurrentem ob hostem ab itinere instituto per ignauiam retrocessura: tolle tertiam, frustra quòquam tendit, semper ob occurrentem amicum viæ oblitura. Vnamquamuis harum trium tolle, rectè ad tuitionem sui, & rerum commercium comparatum est nihil. Contra da primam, accincta res ad commercium naturæ est, & negotiandi viam tenet: da secundam, in ea progreditur, & quantum in ipsa est, ab infesto non interpellatur: da tertiam, nusquam se ipsam remorabitur in idoneo: da hæc omnia, rectè natura quæque habet. Quatuor hæc neque substantia, neque ipsius *ἐνέργεια*, sed quædam substantiæ nobilitas, & præstantia sunt. Vna virtus vnicuique ad tuitionem sui concessa, nomina diuersa pro rerum, in quas egit, varietate, & modo sumens. Nam vt quæque præstantissima substantia est, sic eius est *ἐνέργεια* potentissima: & vt *ἐνέργεια* est potentissima, sic conuenientis, & inconuenientis sensum acutissimè seruat. Sed vt quidque de rebus extra se positis amicis, inimicisque perfectissimè iudicat, sic iisdem optimè ad tuendum se vtetur. Equidem & hoc intelligendum est, in seriem Naturæ vnamquamque rem insertam, vel in suprapositum sibi, proximèque ante se præfectum, vel in infrapositum, suffectumque sibi respicere: & illhinc quidem vim virtutis veram omnem haurire, huc verò omnè exonerare, & reddere, meliorisque, & superioris se consortio tantum in officio res permanere: inde diuulsas, virtutem statim amittere. Docent plantæ, quæ Solis: animalia, quæ hominū: ingenia, quæ artium: mentes, quæ spiritus vi sola consummantur, & in finem ducuntur suum. Et hæc quidem momēta sic in omni natura impressa sunt, vt in pessimè dispositis simulacra, & ymbra virtutum quædam extent. At vera virtus sola præstantioris se ductu sine suo potitur: cum cætera omnia, concessis Natura facultatibus, virtute destituta, in exitium suū tendant. Videmus in superatis morbo

corporibus,

corporibus, vim omnem contra se ipsam naturam conuertere. Formulam hanc ad naturam iam nostram transferre paucis licet. Est rationalis anima virtutum omnium & capax, & stragulum omnium: est animæ *ἐνέργεια*, secundum quam intelligitur virtus, omnia cum ratione faciendi: est *ἐνέργειās* aliqua rectitudo, ac virtus, id efficiens vt secundum rationem anima rationalis omnia agendo, in exitium suum minimè tendere, sed tueri sese, & bonum sibi, non malum, adsciscere possit. Est virtutum eius prima, rationis intelligentiæque lux, id est, vera veri sui boni cognitio, cuius præsidio contra omnia sese tueatur. Est secunda rationis de vero suo bono immota, etiam si acerbus maximè sensus repugnet, sententia. Est tertia rationis de vero suo bono immota, etiam si suauitas sensuum maximè diuersum doceat, sententia. Est quarta ex his iam consurgens rationis totius rectitudo, ac iustitia. Quatuor nomina, res, ac virtus vna. Præclarèque scriptura luci fidei sine errore in verum & æternum bonum suum intuenti, virtutum omnium vim veram tribuit. Hæc fides in rebus iudicandis, verum iudicium: in sustinendis malis non veris, de vero suo malo veri iudicii constantia: in contemnendis non veris bonis, de vero suo bono iudicii eiusdem firmitas, & robur est. Quibus virtutibus qui sic instructus est, ferri, incitarique in quenquam contra fas, & ius minimè potest: & quem nec commodum, nec incommodum abducit à recto, in omni vitæ commercio, vir erit rectus, iustusque. Vna igitur vis fidei in eadem scriptura, sapientiæ, prudentiæ, fortitudinis, sobrietatis, iustitiæque, ac virtutum omnium nomen frequentissimè capit. Umbratilis virtus, in natura hominū communiter omnium inest: sed vera superioris commercio inuecta. Quonam enim pacto vis non diuina est, quæcunque in consortium Dei mentem adducit? qui finis vtique hominis est. Itaque cum de virtutibus legunt, & in virtutum exempla incidunt iuuenes, veram virtutem fidem, virtutum simulacra reliqua omnia esse meminerint. Nulla in plantis vis est, quæ facere possit sola frugiferas, de cælo Solisque beneficio vis omnis nascendi datur. Nulla in homine vis est, qua finem suum consequi sine superioris adminiculo sola possit: luce de cælo bona vera mentibus hominum inscribi sic oportet, vt eorum desiderio quæ vera non sunt contemnant. Stet igitur hoc, vt si nec plantis incrementū sine tacito numinis aspiratu, consensuque datur, omnem omnium rerum virtutem, & vigorem verum diuini numinis esse. De vera igitur virtute, ac prima eius in genera quatuor sectione, monere hæc lectorem paucis operæpretium duxi. Reliqua sunt ab authoribus suis perfectè tradita.

M m

ARISTOTELIS STAGIRITAE DE VIRTUTIBUS LIBELLVS,

Simone Grynæo Interprete.

Virtutum & vitiorum diuisio.



QUAE AD MODUM vehere laudibus quæ pulchra sunt, sic quæ sunt turpia, conuiciis proscindere, par est. Sed inter pulchra quidem virtutes, inter turpia verò vitia primatum tenent. Laudari

verò non ipsa modò virtus, sed causæ quoque, & comites, fructusque, & opus omne virtutis, vt contrà repræhendi contraria debent. Cùm autem animæ partes, qualiter opinatur Plato, tres sint: qua de agendis, omittendisque dispicitur, prudentia: qua sustentantur infesta, mansuetudo ac robur: qua ad discendis idoneis, cupiditas regitur, sobrietas, ac continentia: communisque partium omnium harum, iustitia, liberalitas, ac magnanimitas: totidem rerum earundem opposita vitia, in dispiciendo recto stultitiam, in arcendo infesto ferocia, & ignauiam, in ad discendo idoneo proteruitatem, ac incontinentiam, communisque partium earum omnium iniustitiam, & illiberalitatem, animique paruitatem esse oportet.

Quid vnaqueque virtus sit.



PROUDENTIA igitur, rationabilis animi partis virtus est, qua ea, quæ ad felicitatem suam tendunt, dispicientes sibi comparant.

Mansuetudo verò, incitabilis ad vindictam animi partis virtus est, quam per ægrè ad iram concitantur.

Fortitudo verò, incitabilis ad vindictam animi partis virtus est, quam per ægrè terroribus mortem minantibus concutiuntur.

Sobrietas verò, pronæ ad cupiditatem partis virtus est: qua fit vt in fruendis rebus sic versentur, prauas vt omnino voluptates ne appetant.

Continentia verò, proni ad cupiditatem animi retinaculum est, quam per in fruendis rebus prauas ad voluptates incitantem cupiditatem ratione fi-
sunt, ac continent.

Iustitia verò, virtus animi, qua tribuitur quod cuique est par.

Liberalitas autem, animi virtus est, erogare qua-

tenus honestum est parata.

Magnanimitas verò, virtus animi, qua ferre fortunam, infortuniūque, nomen, & ignominiam potest.

Quid vnumquodque vitium sit.



STULTITIA, rationis est vitium, ac moribus, infelicis vitæ totius causa.

Iracundia, incitabilis ad vindictam partis vitium, vnde procliuiter iræ concedunt.

Timiditas, incitabilis ad vindictam partis vitium, quo terroribus facillè concutiuntur, præsertim interitum minantibus.

Proteruitas, ac lasciuia, pronæ ad cupiendum partis vitium est, quo prauas voluptates deligunt.

Incontinentia, pronæ ad cupiendum partis vitium est, quo fit, vt contra rationem auidè cupita, tametsi turpium ad voluptatum illecebras ducentia amplectimur, attrahimúsque.

Iniustitia verò, vitium animi est, quo amplius, quàm par sit, qualibet in re habere, pollerèque volunt.

Illiberalitas autem, vitium, quo lucrum vndique oblatum sectantur.

Paruitas autem, paruitatisque animi, vitium est, per quod fit, vt neque fortunam, nec infortunium, neque nomen, nec ignominiam ferre possint.

Quid sit vnicuique virtuti suum.



CONSILIIUM prudentiæ quidem est, & consilium capere, & bona, malæque discernere, & petenda, fugiendaque in vita omnia iudicare, & bonis iis, quæ quidem concessa nobis Naturæ sunt, præclare vti, & rectè cum

hominibus congruere, & opportunitatem rerum cerere, & rationem, orationemque sagaciter adhibere, & eorum, quæ esse nobis possunt vsui, omnium experimentum, scientiamque tenere. Ipsa verò memoria, experiètiæque, & industria, aut à prudentia proficiuntur, aut comes eius vnaqueque earum existit. Aut experimentum, & memoria quidem, concurrentes, coadiutricisque causæ: industria verò, & in dando consilio felicitas, partes prudentiæ sunt iudicandæ.

Mansuetudinis est autem, criminationes, calumniásque, & cõtemptus moderatè ferre, ac ad vindictam celeriter non tendere, minimèque ad iram precipitem esse: & cùm nec insuauibus, nec iritabilibus moribus sis, placidum, stabilèque animum retinere.

retinere.

At fortitudinis est, imperculso mortis ad minas animo esse, alacritatemque difficilibus in rebus seruire, & ad subeunda pericula animis abundare, magisque præclare mori, quàm turpiter viuere, seruarique cupere, authorèque victoriæ existere. Adhæc, laborare, durareque cùm velle, cupereque, tum posse, fortitudinis est. Hanc & animositas, & generositas, & fiducia, & audacia, tum & sedulitas, & tolerantia sequuntur.

Sobrietatis autem, siue moderationis, voluptatum corporearum illecebras minimè mirari, nullaque turpis illeceamenti delinitione duci, ac etiam licitis vtendi rebus securitatem suspectam habere: & non magis cùm ampliter, quàm cùm mediocriter suppetit, animum, vitamque laxare est. Comes sobrietatis, quædam ordinis conseruatio, & rerum munditia, & verecundia, & cautio est.

Continentiæ verò, ratione cupiditatem turpes ad illecebras, voluptatesque cientem compescere, & animo aduersus naturalium rerum defectiones, perturbationesque constanti esse, ac durabili.

Iustitiæ verò, eius, quod par, dignumque quoque sit, qualibet in re rationem habere, & mores, ac instituta patria, scriptasque leges conseruare, veritatem, vbicunque refert, dicere, pactaque custodire.

Prima verò iustitia est, qua Deo: proxima, qua diuis: tertia deinde, qua patriæ, parentibusque: postrema, qua vita iam functis debitum, suumque cuique officium præstamus. Inter quas, pietas, aut pars iustitiæ, aut ipsam consequens iustitiam est. Iustitiam verò, & sanctitas, & veritas, & fides, & ipsum prauitatis totius odium consequitur.

Liberalitatis est, animo tali comparatū esse, vt opes suas honestas ad res erogare, vtque in expendendo necessarias ad res abundare, tum vt subsidio sicubi maximè referat esse, contraque vt inde, vnde non decet, minimè accipere velis. Liberalis autem vir, etiam vestes, ac habitationem mundam amat: sapèque superuacuas, honestas modò, ac haud insuauem oblectationem habentes res, licet ipsi non magno vsui futuras, comparabit: quale est, animantia aut iucundum, aut mirabile quippiam præ se ferentia alere. Comes huius, quædam in moribus remissio, facilitasque, & humanitas: tum ad misericordiam, ad amicitiam, ad hospitalitatem, ad omnèque præclarum propensio, & amor est.

Magnanimitatis autem, stantem, restantemque Fortunam, nomen, & ignominiam præclare ferre: ac neque voluptatem, neque clientelam, neque potestatem, neque victorias eas, quæ certando parantur, mirari: sed aliquod in animo profundum, ac veluti pondus habere est.

Est autem magnanimus is, qui nec viuere faciat plurimi, nec vitam ipsam vehementer amet, sed simplici quodam animo, generosèque cùm sit, ferre iniuriam absque vindictæ studio potest. Comes huius, simplicitas est, & veritas.

Quid vnicuique sit vitio suum.



STULTITIÆ verò proprium, prauè de rebus iudicare, prauèque consulere, prauè præsentibus cum rebus congruere, conuictariæque, prauè de iis rebus, quæ in

vita bonæ, malæque versantur, sentire est. Comites eius, inscitia, impotentia, ineptitudo sunt, ac obliuio.

Iracundiæ verò tria sunt genera: excandescencia, amarulentia, & quædam ex offensa torpescencia. Est autem iracundi hominis, contemptiones, imminutionesve sui, vel minimas, ferre minimè posse, sed ad vindictam, multamque statim tendere: itaque & verbo, & re qualibet ad iram perfacillè moueri. Consequitur hanc, concitatis, mobilibusque in vniuersum vt moribus reddat homines, tum leuissimas vt res, cura sua dignas maximè iudicet, easque; propter vt turberet: quos quidem mores nec constanter, nec diu, sed subito, ac momento patitur, sustinetque iracundia.

Timiditatis autem est, ab vndecunque venientibus terroribus commoueri facillè, iis præsertim, quæ vel mortem ipsam corpori, vel aliquam corpoream orbitatem minentur: tum qualitercunque superesse, seruarique, quàm præclare oppetere, satius ducere. Sequitur hanc animi mollitia, inuiritasque, & inertia, ac lucis huius, vitæque tuendæ nimia cupiditas. Subest autem quædam huic cautio, morisque eius alienos esse à contentione videmus.

Proteruitatis autem, perniciosarum, turpiūque voluptatum illecebras sectari est, eosque, qui his dediti sunt, felices maximè esse putare, risuque, & salibus, & facietis gaudere, abundareque, denique cùm rebus, tum verbis supinum, ac dissolutum esse. Comites huius, confusio, & imprudentia, & inuenustas, & negligentia, & contemptus, & dissolutio sunt.

Incontinentiæ verò est, voluptatum illecebras ratione prohibente, & his non potiri nihilò minus velle: cùmque recta, honestaque, quæ sunt, esse faciendæ statuas, ea voluptatis ergò deserere. Comes incontinentiæ, mollitia, pœnitentiæque est, & omnia ferè, quæ proteruitatem sequuntur.

Iniustitiæ verò genera tria reperiuntur, impietas, arrogancia, contumelia. Impietas quidem erga Deos, viuosque, aut etiam erga mortuos, tum erga parentes, & patriam, rectum non seruans. Arrogancia verò, circa contractus, commerciumque vitæ, supra quàm merita est præpollere volens. Contumelia verò, voluptatè sibi sic struens, in probrum, ac dedecus alios vt ducat. Rectèque de ea sic Euenes, Tametsi nil sibi commodet, inquit, iniuria gaudet tamen. Iniquitatis est verò, mores, ritusque patrios præuaricari, legibus, & authoritati publicæ subesse non velle, mentiri etiam, ac peierare, pactaque transgredi, & fidem fallere. Hanc calumnia, iactantiæque, ac humanitatis simulatio, & peruersitas, dolusque malus sequuntur.

Illiberalitatis quoque genera tria sunt, turpilucrum, parcitas, & tenacitas. Turpilucrum, quo quærere, lucrumque ex re qualibet facere non putat, plurisque lucrum, quàm ignominia est. Parcitas autem, qua honestas, necessariasque ad res nostra minimè sustinemus impendere. Tenacitas autem, qua impendunt quidem, tenuiter verò, malignèque adeò, plus vt incommodent, dum sumptus in tempore non faciunt. Illiberalitatis est, maximi pecuniam facere, inque; faciendo lucro probrum

nullum inesse putare. Mercenaria hæc, seruilisque, ac sordida vita, ab omnique honorum studio, ac liberalitate aliena est, qua vsu nobis venit, vt nostris in rationibus quidem angustia circundemur: in studiis verò, ac voluntatibus, veluti pondus, ac molem obiectam habeamus: ac omnino pusillitas, ac deiectio, ingenerositasque animi, ac humanitatis totius odium, nos vt consequatur.

Pusillitas autem, neque fortunam, nec infortunium, neque nomen, nec ignominiam ferre posse est: sed honore subeunte tumescere, vanumque, ac leuem reddi: fortuna verò vel paululum aspirante, continuo extolli: ignominiam autem ne minimam quidem sustinere posse: repulsam verò, frustratiōnemq; quantumuis exiguam, infortunium ingens esse iudicare, omnemque eam lacrymis prosequi, ac ægrè velut impositum pondus gestare. Denique talis pusillus homo est, qui omnem neglectum sui, etiam qui per ignorantiam, obliuionemque euenit, iniuriam, ac contumeliam nominet. Hanc angustia, querimoniâque, & diffidentia, & depressio quædam animi sequitur.

Quid in vniuersum virtuti sit suum.



N vniuersum autem animus ritè compositus vt sit, placidusque, ac moderatis & suis motibus vt feratur, omnisque per partes ipsius (quas tres esse diximus) velut harmonia, vt consonet, efficere, virtutis est. Itaque Reipublicæ similis virtuosus animi status esse videtur. Est verò virtutis & hoc, beneficii dignos afficere, bonos amicitia sua dignari: tum nec pœnæ, nec vindictæ cupidum, sed misericordem, clementemque, ac veniam cōcedere paratum esse. Comites virtutis, probitas, æquitas, candor, spes bona, & id genus alia sunt: qualis est familiarium, amicorum, sociorum, hospitem, hominum denique eorum bonorum, præsertim amor. Quæ quidem laudatorum de numero sunt omnia. Vitium verò, contrariis per omnia præditum est moribus.

Aristotelis de virtutibus libelli, Simone Grynaeo Interprete, Finis.

ARISTOTELIS STAGIRITAE DE VIRTUTIBUS LIBELLVS,

Alexandro Chamailardo Interprete.



LAUDABILIA quidem sunt, honesta: vituperabilia verò, turpia. Et quidè in honestis principem locum obtinent virtutes: in turpibus autem, vitia. Laudabilia porrò sunt, & causæ virtutum, & quæ virtutes consequuntur, & quæ exoriuntur ab iis, & opera ipsarum: vituperabilia verò, contraria. Quum autem anima secundum Platonem, in tres distribuatur partes, Rationalis quidem virtus est, prudentia: animosæ autem, mansuetudo, & fortitudo: cupidæ verò, temperantia, & continentia: totius autem animæ, iustitia, liberalitas, & animi magnitudo. Vitium verò est rationalis quidem, imprudentia: animosæ verò, iracundia, & ignauia: cupidæ autem, intemperantia, & incontinentia: totius verò animæ, iniustitia, illiberalitas, & animi paruitas.

Prudentia.

Est autem prudentia, virtus animæ rationalis, ea

præparans, quæ ad felicitatem spectant.

Mansuetudo.

Mansuetudo verò, est virtus animosæ, qua qui præditi sunt, difficulter ira concitantur.

Fortitudo.

Fortitudo autem, virtus est animosæ, per quam non facilè mortis metu percelluntur.

Temperantia.

Temperantia verò, est virtus appetentis, per quam à malarum voluptatum appetentia redduntur alieni.

Continentia.

Continentia autem, virtus est cupidæ, qua cupiditatem, quæ in malas fert voluptates, ratione inhibent.

Iustitia.

Iustitia verò, est virtus animæ, eius distributiva, quod quisque meruit.

Liberalitas.

Liberalitas autem, est virtus animæ, honestorum sumptuum ministra.

Magnanimitas.

Magnanimitas autè, est virtus animæ, per quam ferre possunt vtranq; fortunam, honorem, & ignominiam.

Imprud

Imprudentia.

Imprudentia verò, est vitium rationalis, malè viuendi causa.

Iracundia.

Iracundia autem, vitium est animosæ, per quod fiunt ad iram præcipientes.

Ignauia.

Ignauia autem, vitium est animosæ, per quod periculis, & maximè mortis, consternantur.

Intemperantia.

Intemperantia autem, vitium est appetentis, per quod amplectuntur malas voluptates.

De incontinentia quidem nihil: sic autem potes definire.

Incontinentia.

Incontinentia verò, vitium est cupidæ, per quod stoliditate huc, illhucque cupiditatem circumagunt, impellentem ad malarum voluptatum delectationes.

Iniustitia.

Iniustitia verò, est vitium animæ, per quod circunscriptores fiunt præter dignitatem.

Auaritia.

Auaritia autem, est vitium animæ, per quod appetunt vndequeque lucrum.

Pusillanimitas.

Pusillanimitas autem, vitium est animæ, per quod neutram possunt fortunam ferre, nec honorem, nec ignominiam.

Prudentia.

Prudentia autem est, consilium agitare, discernere bona, & mala, & omnia, quæ sunt in vita sequenda, & fugienda: honestè vti omnibus bonis, cum aliis rectè versari, prospicere occasiones, solerter verbis, & rebus vt, experientiam habere vtilium omnium. Memoria autem, peritia, & solertia, vel manant à prudentia, vel prudentiæ sunt asseclæ, aut partim prudentiæ adminicula, vt experientia, & memoria: partim tanquam prudentiæ partes, vt consilium, & solertia.

Mansuetudinis.

Mansuetudinis autem est, posse ferre moderatè obiecta crimina, & contemptus, nec celeriter rapi in vltiones, nec esse de facili mobilem ad iras, esse autem moribus comem, & mitem, & ingenio esse quieto, & stabili.

Fortitudinis.

Fortitudinis verò est, inconcussam à mortis metibus, & constantem in malis, & intrepidum ad pericula esse, & malle honestè mori, quam turpiter seruari, & victoriæ causam præstare. Præterea autem fortitudinis est, & laborare, & in animo instituere, & posse. Accedit autem fortitudini & audacia, & animi præstantia, & fiducia, & confidentia: adhæc, industria & tolerantia.

Temperantia.

Temperantiæ autem est, nihil mirari corporis voluptates, & cuiusuis foedæ voluptatis, & delectationis minimè appetentem, & timere etiam iustam

licentiam, & intentum esse in vitæ rationem similiter in paruis & magnis. Affectatur autem temperantiam ordo, moderatio, pudor, reuerentia.

Continentia.

Continentiæ autem est, posse cohibere ratione cupiditatem, ferentem ad malas delectationes, & voluptates, & pati, & tolerare pro natura indigentia, & ægritudinis.

Iustitia.

Iustitiæ autem est, distributium esse eius, quod est secundum cuiusque dignitatem, & tueri patrias consuetudines, & instituta: & seruare scriptas leges, & veridicum esse in controuersis, & stare conventionibus. Est autem prima iustitiarum, aduersus Deos: proxima, in dæmonas: deinde, in patriam, & parentes: deinde, erga defunctos: in quibus est pietas, vel pars iustitiæ, vel eius comes. Sectatur autem iustitiam & sanctitas, & veritas, & fides, & virtiorum odium.

Liberalitatis.

Liberalitatis autem est, erogare pecunias in laudabilia, & largitio ad honestos sumptus faciendos, & præsto esse ad auxilium in aduersa fortuna, & non accipere vnde non oportet. Est autem liberalis, & circa indumenta nitidus, & circa habitationem: est & instructor permagnarum rerum, & elegantium: & oblectationem habentium, nulla commodi ducta ratione: est & alter animalium, mirum quid, aut suaue habentium. Comitatur autem liberalitatem morum facilitas, & comitas, & humanitas: & esse misericordem, & erga amicos beneuolum, & hospitalem, & honesti studiosum.

Magnanimitatis.

Magnanimitatis autem est, pulchrè ferre & felicitatem, & infelicitatem, & honorem, & ignominiam, & non admirari neque delicias, neque clientelas, neque potestates, neque victorias gymnicas, habere autem quandam animi altitudinem, & magnitudinem. Est autem magnanimus, neque vitam magnificiens, neq; vitæ amans: simplex porrò moribus, & generosus, iniuria potens lacessiri, & non vindex. Sequitur autem magnanimitatem, simplicitas, & veritas.

Imprudentia.

Imprudentiæ autem est, iudicare peruersè de rebus, delibere perperam, vti nequire presentibus bonis, in falsam adduci opinionem, de iis, quæ ad vitam sunt bona, & honesta. Sectatur autem imprudentiam, inciticia, incontinentia, rusticitas, obliuio.

Iracundia.

Iracundiæ autem sunt species tres, exandescencia, sæuitia, & vecordia. Est autem iracundi, non posse ferre foedas contemptiones, neque imminutiones: esse autem plagosum, & vindictæ cupidum, & de facili ad iram factò, verbòve quouis moueri. Affectatur autem iracundiam morositas, & inconstantia, & sordida illiberalitas, & de paruis angi, & ab iisdem derepentè affici, & per breue tempus.

Ignauia.

Ignauia autem est, quouis metu facilè percelli, & mortis maximè, & noxarum corporis: & arbi-

trari præstabilius esse quomodocunque feruari, quàm pulchrè mortem obire. Comitatur autem ignauiam mollities, effœminatio, torpor, vitæ studium. Subest etiam quædam timiditas, & contentionis detrectatio.

Intemperantiæ.

Intemperantiæ autem est, sequi delectationes voluptatum noxiarum, & turpium, & arbitrari maximè felices eos esse, qui in huiusmodi voluptatibus versantur, & facetum esse, & dicacem, & vrbatum, & versutum, tam in verbis, quàm rebus. Sectatur autem intemperantiæ ordinis perturbatio, impudentia, confusio, incuria, negligentia, dissolutio.

Incontinentiæ.

Incontinentiæ autem est, prohibente ratione, delectationes voluptatum sectari, & ducere præstabilius esse, non frui ipsis, frui autem nihilò minùs: & opinari quidem oportere facere & pulchra, & conferentia, abhorrere tamen ab ipsis propter voluptates. Est autem comes incontinentiæ, mollities, & poenitentia, & plura eiusmodi, quæ intemperantiæ comitantur.

Iniustitiæ.

Iniustitiæ autem sunt species tres, impietas, auaritia, immanior improbitas: Impietas quidem est aduersus Deos, & dæmones, & circa defunctos, & circa parentes, & circa patriam. Auaritia autem circa commercia, præter dignitatem eligens præcipuum. Immanior autem improbitas est, per quam voluptates sibi comparant, ludibrio alios habentes: vnde Euenes de ea dicit, Quæ lucrum captans, nil tamen ipsa nocet. Est autem iniustitiæ, patria violare & instituta, & iura, nec parère legibus, nec magistratibus, mentiri, peierare, transgredi conuentiones, & fidem fallere. Comitem autem iniustitiæ se addit calumnia, iactantia, humanitatis afsimulatio, malignitas, calliditas.

Auaritiæ.

Auaritiæ autem species sunt tres: turpis quæstus, tenacitas, illiberalitas. Turpis quæstus qui-

dem, per quem ditescere quærunt vndecunque, & lucrum, quàm pudorem, pluris faciunt. Tenacitas autem, per quam sumptui parcunt, & impensæ in re honesta: Illiberalitas autem est, per quam expendunt quidem, minutatim autem malè, & plus iacturæ facientes, nullo scilicet habito temporis delectu. Est autem auaritiæ, plurimi facere pecunias, nec id probum putare, quod quæstuosum sit. Vita mercenaria, & seruilis, & sordida, à munificentia, & liberalitate aliena. Consequuntur autem illiberalitatem, sordes, ægrimonia, pusillanimitas, humilitas, immodestia, ignobilitas, hominum odium.

Pusillanimitatis.

Pusillanimitatis autem est, neque honorem, neque ignominiam, neque felicitatem, neque infortunia posse ferre, sed honoratum quidem tumescere, & leui successu prospero auctum efferri, & subsultare, ignominiam autem ne minimam quidem ferre posse. Aberratio porrò est, infortunium non diiudicare magnum: conqueri verò de omnibus, & ægro animo ferre: præterea autem talis est pusillanimus, vt omnes neglectus, contumeliam vocet, & ignominiam, etiam per imprudentiam, vel obliuionem admissos. Comitatur autem pusillanimitatem sordes, querimonia, diffidentia, humilitas.

In vniuersum autem virtutis quidem est, facere studiosum, & probum affectum in animo, quietis, & constitutis motibus vtentem omnibus ex partibus consonantem: quapropter videtur instituti, atque rationis boni animi esse honestus affectus. Est porrò virtutis & beneficiis dignos afficere, & diligere bonos, & neque ad sumendas poenas, neque ad vindictam, ardenti esse animo, sed clementi, placido, & misericordi. Assecta est autem virtutis, benignitas, æquitas, animi candor, spes bona, & quæ eiusdem sunt generis, veluti familiarium studiosum, & amicorum esse, sociabilem, hospitem, humanum, elegantem se exhibere, quæ vtiq; omnia laudabilia sunt: vitii autem, contraria.

IN



R I V S in locis vniuersitas rerum cernitur: in hoc viuo cæli, terræque, & rectè Mundi vocati opere, mox vbi velut in speculo relucet, mente: dénique in oratione, hoc est, mentè hominum repræsentante imagine. Nam rerum est: nec in mente, Mundo altero, quicquam est, quod non reluceat, nec quicquam concipi mente potest, quod in oratione hominum non versetur. Noua igitur, mirandaque vis orationis est, Naturæ spectaculum omne, qualiter animo, mentèque conceptum est, per orationem, ceu viuam quandam picturam, in eius, qui te audiat, mentem, & animum, tanquam tabelam, viuis verborum coloribus transferendi, transcribendique, sic vt is, qui audit sui, tui, verborumque, ac orationis oblitus, animi sensu in ipsas per orationem res totus transferatur, transformeturque. Vna eademque, & quidem angusta, facultas, quorsumcunque adhibetur. Itaque stultè faciunt, hanc qui infinita præceptorum turba spargunt. Eius prima in concipiendo mente, secunda in exprimendo verbis, tertia in conformando auditoribus rem vis versatur. Cætera enim omnia ciuilibus facultatis, non huius sunt: morum humanorum, institutorumque ciuilium, ac historiarum omnium, antiquitatisque totius, ac etiam rerum Naturæ cognitio, vnde velut è fonte diuite vis hæc dicendi manat. In concipienda re non magna difficultas est, vigiles modò, attentique Naturæ rerum, ac negotiorum humanorum vim, & momenta spectare,

obseruareque, & in animum diligenter reponere velimus: qui fons, vt iam diximus, eloquentiæ solus est. Res enim omnes in animo nõ stupido vestigia quædam sui, sensusque viuos Natura relinquunt: quos si quis præsentis notet, præteritos iam facile reuocabit, & his excitatus nouas sibi rerum imagines, formasque, quantum poscit vsus, confinger. In exprimendo magna procliuitas est, si sint res cõceptæ, ac impressæ bene, & si spectator, obseruator, arbiter, & iudex rerum animus Oratoris bonus fuit. Lingua enim, & os, & vultus, & omnia pro habitu mentis mouentur. Itaque non verborum, vt stulti putant, sed mentis vis elocutio est, ac regula hæc breuis datur, pro statu mentis dicturum, primùm bene mentem instituire: déinde in hanc, tantisper dum in linguam, in os, in oculos, in manus expressè, totaque referatur, incumbere. In conformatione plurimum difficultatis est, hæc enim est, de qua præcepta tam infinita traduntur. Variare enim locum, tempus, personas, causas, momentaque rerum in immensum videmus. Itaque cum superiora duo facultatis propria sint, hoc vsus est, insuper & exercitationis ciuilibus cuiusdam infinitæ. Pars igitur hæc in congressu hominum, cuiusque consuetudine, & luce ab ineunte ætate discenda est. Nos verò accommodare prius eloquentiam, si diis placet, seculo nostro studiosos cogimus, quàm eloquentiam ipsam tradamus. Tria hæc si Cicero verbis totidem notauit, quid, quo, quicque loco, & quomodo dicatur, videndum Oratori esse. Facit idem hæc Aristoteles, de primo, primo, de conformatione secundo, de expressione tertio libro tradens.

M m 4

GEORGII TRAPEZUNTII AD PAPAE
 THESAURARIUM,
 PROLOGVS IN TRES
 RHETORICORVM ARISTOTELIS LIBROS AD
 THEODECTEN, A
 SE TRACTATOS.



LIBROS Rhetoricorum Aristotelis, quos è Græca lingua in Latinam nuper traduxi, tuo potissimum nomini dedicaui. Est enim liber cæteris ferè Aristotelis libris omnibus longè vtilior, iis præsertim, qui multorum, magnorumque negotiorum onera subeunt: adeò vt facile animum inducere lector possit, aut multa se de rebus humanis hinc didicisse: aut quæ prius experiendo didicerat, cuncta hinc recognouisse. Mirum enim est, sic ipsum omnia de moribus hominum per diuersas ætates, atque fortunas prudenter inuenisse, distinctè explicasse, ornatè conscripsisse, vt nihil ab eo prætermisum esse videatur: nec secreta Naturæ solùm, vt summus omnium philosophus, sed abditas quoque hominum mentes, motusque reconditos non iniuria percepisse putetur. Quod ita esse tu ipse legendo iudicabis. Nam ad alias laudes virtutis, humanitatisque tuæ hæc etiam accedit, quòd inter tot occupationes, laborisque tuos legendi quoque ratio tibi habeatur. Vnde fit, vt qui docti sunt, aut esse videntur, eos omnes complectaris, ac foueas. Sed de laudibus tuis dabitur tempus aliàs. Hunc verò librum nomini tuo traduxi: quoniam quum tuorum in me beneficiorum magnitudinem considero: plus me tibi debere inuenio, quàm possim aut facultate, aut ingenio, aut dicendi copia debitam gratiam referre: quippe qui & magna mihi contulisti, & nulla re alia, quàm insita tibi humanitate, commotus contulisti. Quare non esse à me alienum putauit, si volo is esse, quem tu me esse voluisti: & si referre nullo pacto possim, aliquid tamen efficere, quo gratum animum meum ostenderem. Suscipias ergo Reuerende mi pater translationis meæ munusculum, & tibi recipienti pulcherrimum, & mihi offerenti ornatissimum.

ARIST

ARISTOTELIS
 STAGIRITAE
 RHETORICORVM
 ad Theodecten, Liber Primus.

Georgio Trapezuntio Interprete.

Quòd de eisdem sint Rhetorica, & Dialectica, quòdque qui ante ipsum de Rhetorica scripserunt, non rectè tractauerunt, & de utilitate eius.

Cap. I.



RHETORICA dialecticæ æqui pollet: nam de iis vtraque est, quæ omnium quoddammodo communia, & nullius determinatæ scientiæ esse cognoscuntur. Quapropter omnes etiã vtriusque aliquo modo particeps sunt. Quippe omnes aliquouosque tum quærere, ac reddere rationem, tum defendere, & accusare conantur. Verùm multi hæc temerè, nonnulli exercitatione, ac habitu faciunt. Quæ quoniam vtroque fieri modo possunt, patet quòd possunt & in certam rationem, ac viã redigi, cum eius causam inspicere possimus, quo tam qui exercitatione, tam qui Naturæ ductu, sponteque sua dicunt, quod volunt adipiscuntur. id verò artis esse officium omnes rectè concedent. Quicumque igitur eloquentiæ artes ad præsens vsque composuerunt, paruam ipsius particulam adinuerunt. Nam cum fidem facere, artificiosum tantummodo sit, cætera verò accedat: ii de enthymematibus, quæ persuasionis sunt nerui, nihil dicunt: de iis autem, quæ præter re sunt, plurima pertractant. Indignatio enim, misericordia, ira, cæterique animi affectus, non de ipsa re sunt, sed commouendi iudicis causa. Quare si quemadmodum in nonnullis ciuitatibus fieri solet, maximèque in iis, quæ bonis legibus gubernantur, sic in omnibus quoque iudiciis esset: nihil profectò haberent quod dicerent. Nam omnes oportere legibus esse ita constitutum arbitrantur, partim etiam vtuntur, ac prohibent præter rem quicquam dicere, vt Ariopagita. rectè id ita putantes. Non enim oportet in iram, aut inuidiam,

Artis opus
 cuiusq; rei
 causam nos
 se.

Vis huius
 artis impro
 babilis co
 gnitione.
 Affectus
 præter rem

aut misericordiam impellèdo, à recto iudicem flectere: ne similes ei simus, qui eam, qua vsurus sit, regulam prius inflectit. Adhæc quoque perspicuum est, nihil ad litigantem pertinere, nisi vt ostendat, gularum res sit, necne, & factumne sit, an non. Si verò magnum, aut paruum, iustum, aut iniustum, quæ legislator non determinauit, ea non à litigantibus accipere, sed per se ipsum iudicem scire oportet. Maxime igitur conuenit, vt quæ rectè positæ sunt leges, cuncta ipsæ explicent, quæ explicari queant, & quæ minima iudicibus relinquât. Primum, quia vnum, aut paucos prudentes, qui leges ferre, aut iudicare possint, facilius est inuenire, quàm multos. Deinde quoniam longi temporis consideratione leges feruntur, iudicia breuissimè conficiuntur, difficile est vt bene à iudicibus iustum, & cõducibile distribuatur. Illud autem omnium maximum est, quòd legislatoris iudicium non de singulis, nec de præsentibus, sed de vniuersalibus, & de futuris est. Senator verò, & iudex de præsentibus iam, determinatisque iudicant. Vnde fit, vt cum & ament, & oderint, sua quoque utilitas connexa sit, non satis queat veritatem perspicere: sed propria vel voluptas, vel dolor iudicia sua obumbret. Quare minimam cæterarum rerum potestatem iudici tribuendam dicimus: factum verò esse, aut non factum, & fore, aut non fore, esse quoque, vel non esse: hæc omnia, cum non possit lator legis providere, iudicibus relinquenda necessariò sunt. Quæ quoniam sic se habent, patet cum de exordio, narratione, cæterisque particulis, quid habere debeant, præcipiunt, aliena, remotaque ipsos præcipere. Nihil enim aliud ii agunt, nisi iudicem quomodocunque afficiant: de artificialibus autem probationibus nihil afferunt: quod est vt ostendant vnde quispiam enthymematicus fieri possit. Idcirco etiam cum eadem sit via, & ratio deliberationis, & iudicii, cumque melior, ac ciuitatibus vtilior deliberatiua præceptio sit, quàm iudicialis, de illa nihil, de hac plurima tradere conantur. Minus enim in deliberationibus conducit præter rem dicere, minusque insidiarum deliberatio habet, quàm forensis cõtentio, cù sit cõmunis. Hic enim de singulis, quæ vidit, iudicaturus est. Itaque nihil aliud demonstrare oportet, nisi quòd sic se habeat, vt is, qui cõsultat, affirmat. In iudicialibus autem id non satisfacit. Nam cum de

Discrimen
 inter legem
 & iudicem.

Legum ne
 cessitas &
 vsus.

Colligit
 iam.

alienis rebus iudicium sit, vtilis est auditorum præparatio, qui rem suam considerantes, ac ad gratiam audientes, largiuntur litigantibus operam, non iudicant. Quapropter multis quoque in locis (vt iam diximus) ne præter rem quicquam dicatur, in iudicio cautum est legibus. In consultatione verò id ipsi iudices exactè obseruant. Verùm quoniam perspicuum est, artificiosam viam, & rationem in persuadendo consistere, persuasionemque quandam esse demonstrationem, (tunc enim vehementer credimus, cum demonstratum esse putauerimus) enthymema quoque rhetoricam esse demonstrationem: quod (vt simpliciter dicam) præcipuum est in persuasionem: idque esse syllogismum quandam: & de quolibet syllogismo dialecticam vel vniuersam, vel partem eius quandam cõsiderare: patet, eum qui ex quibus, & quomodo syllogismus fiat, optimè possit perspicere, maximè enthymematicum esse, insuper qui hoc etiam teneat, quibus de rebus enthymemata sint, quidque à logico syllogismo differant. Eiusdem enim virtutis est & veri, & verisimilis consideratio. Atque etiam homines factis ad veritatem nati sunt, & vt plurimum veritatem consequuntur. Quam ob rem qui probabilia

Vtilitas Rhetoricæ.

facile coniectura consequitur, is & ad veritatem similiter se habet. Perspicuum igitur est, quæ præter rem sunt artes, ab aliis quoque traditas esse, quàmque ob rem ad iudiciales magis præceptiones declinarunt. Vtilis autem rhetorica est, tum quoniam vera, & iusta meliora secundum Naturam sunt, quàm contraria, ita vt nisi decenter iudicia fiant, necesse sit in eis vinci quod vituperatione dignum est, tum quia ne si certissimam quidem habeamus scientiam, facile est nonnullis per eam persuadere, impossibile nanque id est. Cùm enim disciplinæ ratio ad scientiam sit ita necessaria, (vt etiam in Topicis dicebamus, cùm de colloquutione cum multis diceremus) fides, & oratio ex communibus faciendæ est. Præterea oportet, vt, sicut & in syllogismis, persuadere contraria possimus, non vtraque faciemus (nam mala faciendæ non sunt) sed ne nos lateant quomodo se habeant, & vt cùm alii non iuste vtantur oratione, soluere possimus.

Quid ab aliis partibus differant Rhetorica & Dialectica.

Aliarum igitur artium nulla de contrariis ratiocinatur, sed dialectica, & rhetorica id solæ faciunt. Nam vtraque similiter de contrariis est, quanuis non similiter subiectæ res se habent, sed semper vterque præstantioraque secundum naturam, meliùs syllogismo colliguntur, aut (vt simpliciter dicam) credibilia sunt. Adhæc absurdum est, si non posse corpore sibi præsidio esse, turpe sit, oratione verò non sit, quod hominibus magis est proprium, quàm vsus corporis. Sed quod magna inferat incommoda, qui vi hac orationis iniuste vtitur, id certè omnium bonorum, præterquam virtutis, & maximè præstantissimorum, vt virium, sanitatis, diuitiarum, imperii commune est. Nam his omnibus maximè quisquam proderit, cùm iuste vtatur, & lædet, cùm iniuste. Quod igitur non sit vnius cuiusdam, ac determinati generis rhetorica, sed sicut dialectica, & quod vtilis, expositum est, quodque opus eius non est persuadere, sed posse quæ in singulis credi-

Orationis vtilitas.

bilis sunt perspicere, veluti etiam in cæteris artibus vniuersis. Nec enim medicina est, sanitatem inducere, sed quoadusque possibile sit, ad hoc vsque perducere, eum possibile sit, etiam eos, qui nullo possunt pacto sanari, bene tamen curare. Præterea, quod eiusdem sit, tam quod credibile est, quàm quod credibile videtur, perspicere, vt dialecticæ tam syllogismum, quàm apparentem syllogismum. Cauillator enim non viribus, sed electione, hic verò tam scientia, quàm electione orator erit: ibi electione quidem cauillator, dialectus autem non electione, sed viribus. Sed iam de ratione ipsa dicendi conabimur exponere. quo pacto, & ex quibus propositum assequi poterimus. Rursus igitur, ceu ab initio desinientes ipsam quid sit, reliqua dicamus.

Officium Rhetoricæ.

Quid sit rhetorica, quod eius subiectum, quomodo se ad dialecticam habeat, & ex quibus rebus principalibus oratio conficiatur.

Cap. II.



It ergo rhetorica, vis, qua quod in vnaquoque re probabile est, perspicitur. Nullius enim alterius artis id officium est. Nam singulæ artes circa id, quod eis subiectum est, doctrinales, persuadentesque sunt, veluti medicina circa id, quod sanari, ægrotareque possit. Geometrica circa passionem, quæ magnitudinibus accidunt. Arithmetica circa numerum, & similiter reliquæ artes, & scientiæ. Rhetorica verò, quæ de re data (vt ita dicam) credibilia sunt, perspicere posse videtur. Quocirca etiam dicimus non in genere quodam determinato hanc artem versari. Probationum verò alia sine arte, alia artificiosa. Sine arte illas appello, quæ non à nobis excogitantur, sed in causa extiterunt prius, & sponte suppetunt, vt testes, cruciatus, scripta. Artificiosas verò, quæ ratione, ac via à nobis excogitari possunt. Itaque ipsarum aliis vti oportet, alias inuenire. Harum igitur, quæ ratione parantur, persuasionum genera sunt tria. Nam alia sunt in moribus eius, qui dicit, alia in audire modo quodam afficiendo, alia in ratione ipsa cùm demonstramus, aut demonstrare videamur. Propter mores igitur credunt, cùm sic dicitur oratio, vt fide dignus, qui dicit, videatur. Nam probis & magis, & facilius de omnibus simpliciter credimus. In quibus verò rebus certitudo ea non est, in iis, quoniam diuersis agimur opinionibus, etiam omnino. Verùm id etiam non quoniam præopinatus quis fuerit, talem quendam eum esse, qui dicit, sed quia talibus in oratione moribus vsus sit, oportet euenire. Nam probitas dicentis non (vt quidam eorum reliquerunt, qui artes scripserunt) nihil affert ad probandum, sed ferè (vt breui absoluam) præcipuam mores faciunt fidem. Propter se ipsos autem auditores credunt, cùm oratione in affectum impelluntur. Non enim si militer iudiciū reddimus, cùm dolemus, & cū lætamur, & cū diligimus, & cū odimus. Qua de re. sola qui.

Rhetoricæ ad nullū de terminatū genus alligari.

Artificialiū probationū diuisio.

παθητικῆς

qui nunc artes scribunt, præcipere conantur. De quibus singulis explanabimus, cùm de affectibus dicemus. Rationibus autem in fidem auditores inducimus, cùm verum, aut verisimile ex probabilibus, quæ in vnoquoque sunt, esse demonstramus. Verùm quoniam fides his sit, patet hæc tria esse capiunda: vt scilicet facultatem ratiocinandi habeamus, vt mores, ac virtutes cõsideremus, & tertium, quibus vt de affectibus quid vnusquisque sit, & quale quid. rebus opus & ex quibus nascitur, & quo pacto. Itaque efficitur, sit oratori rhetoricam quasi propaginem esse dialecticæ, & futuro. eius negotii, quod circa mores est: quod cum de affectibus sit, æquum est, vt ciuile appelleretur. Quæ propter & rhetorica ipsa, & qui eam adepti sunt, vel ignorantia, vel arrogantia, vel aliis causis, quibus homines perturbantur, ipsius quoque ciuilibus potestatem consecutos se arbitrantur. Particula enim dialecticæ quædam est ad simulacrū, vt principio diximus. Neutra enim earum de re determinata quomodo se habeat scientia est: sed facultates quædam sunt inueniendarum rationum. De ipsarum igitur vi, & quo pacto altera se ad alteram habeat, satis ferè dictum est. Eorum autem, quibus probamus (vt & in dialecticis) aliud inductio est, aliud syllogismus. Nam enthymema quidem syllogismum rhetoricum, exemplum verò rhetoricæ inductionem appello. Omnes autem fidem faciunt demonstrationem, vel exempla dicendo, vel enthymemata, & præter hæc penè nihil. Quare si omnino necesse est, syllogismo, vel inductione quodcumque ostendere, vt à nobis in Resolutiuis expositum est, necessario vtrunque illorum vtrique horum idem erit. Quid autem inter enthymema, & exemplum interfit, ex Topicis patet. Nam ibidem de syllogismo, & inductione dictum est prius: quia si multis, ac similibus sic se habere ostendas, ibi quidem inductio, hic autem exemplum est. Sin verò cùm quædam sint, aliud quid horum causa eueniat propter hæc, quoniam hæc sunt aut vt vniuersaliter, aut vt plurimum: ibi quidem syllogismus, hic autem enthymema vocatur. Nec latet, quod vtrunque rhetoricæ genus laudatur. Nam, vt & in methodicis dictum est, ita & in his se habet. Vt enim orationum quædam sunt exemplares, quædam enthymematicæ: sic oratorum quoque alii exemplares, alii enthymematici. Neque minùs credibilis oratio est, quæ per exempla est: turbatur autè magis enthymematica. Cuius rei causam, & quo pacto vtendum vtraque sit, postea dicemus. Nunc verò de his ipsis explanatiuis determinabimus. Nam cùm credibile, cuidam credibile sit, & aliud quidem per se ipsum illico si credibile, atque probabile: aliud quoniam probari per talia videatur: cùmque ars nulla consideret singularia, vt medicina quid Socrati, aut Calliæ salubre sit, sed quid tali, vel talibus (id enim artificiosum est) singularia autem infinita sunt, & scientia nequeunt contineri: nec rhetorica vtrique quod cuique credibile est considerabit, vt puta quid Socrati, aut Hippia, sed quid talibus, veluti & dialectica. Vtitur enim & ipsa syllogismo non ex quibuscumque, cùm deliris quoque nonnulla videantur: sed dialectica ex iis, quæ illis videntur, quibus cum sit disputatio, & ratione egent: rhetorica ex iis, quæ in consultationem venire solent,

ομιμα.

Rhetorica dialecticæ & politicae gemina.

Quibus argumentario-num generibus vtantur Rhetorica & dialectica.

Præcepta vniuersalia.

Probabile rhetoricum quid differat à dialectico.

vtputa contingentibus. Huius enim officium de iis est, de quibus consultamus, & artem non habemus: & apud huiusmodi auditores, qui nequeat per plura intelligere, nec ex remotis ratiocinari. Consultamus autem de iis, quæ videntur vtroque posse pacto fieri. Nam de iis, quæ aliter fieri, aut fore, aut se habere non possunt, nemo velit sic existimare, eum non aliter, quàm sic, consultari possit. Est autem possibile ratiocinari, atque colligere, alia quidem ex iis, quæ prius syllogismo collecta sunt: alia verò ex iis, quæ syllogismo quidem collecta non sunt, syllogismo autem indigent, eò quod non sint probabilia: quorum necessario quædam huiusmodi sunt, vt ea iudex propter prolixitatem (simplex enim esse supponitur) non bene consequatur. Quædam non credibilia, quoniam nec sunt ex concessis, nec ex probabilibus. Quare necesse est, tam enthymema, quàm exemplum de iis esse, quæ vt plurimum aliter quoque possunt se habere: exemplū quidem, inductione: enthymema verò, syllogismū, & ex paucis, ac sepe paucioribus, quàm ea sunt, ex quibus constat primus syllogismus. Nam si quid eorū perspicuū est, id dicendum non est. Ipse nanque auditor id ex se ipso affert: vt Lacedæmonius eo certamine vicit, quo coronam meruit, sufficit dicere Olympia. Quod autem qui Olympia vincit, coronetur, non est opus apponere: cùm qui id ignoret, sit nemo. Verùm quoniam pauca eorum, ex quibus rhetorici constant syllogismi, necessaria sunt, cùm plurima, de quibus iudicia, & deliberationes sunt, aliter quoque possint se habere: quæ nanque agunt, de iis consulunt, atque deliberant, quorum nihil (vt vno verbo dicam) necessarium est: ea verò, quæ vt plurimum accidunt, quæque, probabilis sunt, necesse est, vt ex aliis huiusmodi per syllogismum comprobentur, necessaria quoque ex necessariis: quod in Resolutiuis aperte à nobis explanatum est: patet, ea, ex quibus enthymemata fluunt, quædam fore necessaria, plurima verò huiusmodi, vt ferè semper soleant fieri. Fluunt autem enthymemata ex probabilibus, & signis: quare horum alterum alteri idem esse necesse est. Probabile nanque est, quod ferè semper solet fieri: verùm non simpliciter (vt quidam definiunt) sed quod cùm de iis sit, quæ aliter se possunt habere, sic se habet ad illud, ad quod est probabile, sicut vniuersale ad particulare. Signorum autem aliud ita se habet, vt singulare quiddam ad vniuersale: aliud vt vniuersale quiddam ad particulare. Horum quoddam necessarium est, quod τεκμήριον vocatur. quod autem non necessarium, id secundum hanc differentiam innominatum est. Necessaria verò appello, ex quibus syllogismus constituitur: quocirca & argumentum dicitur. Nam cùm non possint soluere quod dictum est, tunc putant argumentum esse allatum, quasi demonstratum sit, atque cõclusum. Signum enim, & conclusio idem est secundum veterem linguam. Signum igitur, quod est tanquàm singulare ad vniuersale, huiusmodi est, vt si quis signum diceret esse, omnes sapietes iustos esse. quoniam Socrates, cùm esset sapiens, iustus erat. Id igitur signum est, quod soluitur, etiam si verum sit. Non enim potest syllogismo colligi. Sin autem dixeris quempiam ægrotare, quoniam febricitet: aut peperisse, quoniam

Probabile quid.

Signorum diuisio.

† τεκμήριον.

† τεκμήριον.

τὴν μὲν ἰσχυρίαν. niam lac habeat: id iam necessarium, & solum ex si gnist argumentum est, cum solum (si verum est) in- solubile sit. Quod verò quasi vniuersale se habet ad particulare, huiusmodi est, vt si quis febricitare hominem dicat, & eius signum esse, quòd crebrò respiret. Solubile autem & hoc est, etiam si verum sit. Possibile nanque est, etiam si febre non agite- tur, crebrò tamen anhelare. Quid igitur probabi- le, quid signum, quid argumentum sit, quidque in- ter se differant, & nunc dictum est, & in Resolutiuis de iis: & quemadmodum alia eorù syllogismo col- ligantur, alia non, explanatiùs demonstratum est.

τὴν μὲν ἰσχυρίαν. **Exemplum** Exemplum autem quid sit, & quid inductio sit, & & in quibus versetur inductio, dictum est. Est enim neque vt pars ad totum, neque vt totum ad partem, neque vt totum ad totum, sed vt pars ad partem, si- mile ad simile, quando vtraque sub eodem genere sunt, sed alterum altero magis perspicuum, hoc pa- to: Per insidias Dionisius ad tyrannidem præsi- dium petit. Nam & Pisistratus ad tyrannidem per insidias petiit præsidium: quod cum impetrasset, ty- rannide ciuitatem oppressit. Et Theagenes in Me- garis. Alii etiam, quos id fecisse sciunt, omnes exem- plum Dionysii fiunt, quem nondum sciunt idcir- co petere. Quæ omnia sub eodem sunt vniuersali: Qui præsidium petit, insidiosè tyrannidem affe- rat. Ex quibus ergo sint, quæ demonstratiuâ fidem facere conantur, dictum est. Inter enthymemata ve- rò non mediocris illa est differentia, maximèque omnibus penè ignota, quæ est etiam in dialectica syllogismorum via, & ratione. Nam quædam eor- um secundum rhetoricam sunt: vt & syllogismo- rum secundum dialecticam viam, ac rationem, quæ- dam secundum alias artes, atque facultates, quarum alix sunt, alix nondum comprehensæ sunt: qua- propter auditores quoque latent, magisque possunt aliquo modo tangentes commodiùs elabi. Verum quod dicimus, apertius erit, si pluribus explanabi- tur. Voco igitur dialecticos, & rhetoricos syllo- gismos, eos, quorum locos dicimus. Hi autè sunt, qui communiter de iustis, physicis, ciuilibus, & de multis specie differentibus sunt, veluti maioris, & minoris locus. Nò enim ex hoc magis ratiocinari, vel enthymema inferre poterimus de iustis, aut physicis, quàm de quocunque alio, quàm hanc spe- cie differant. Propria verò, quæcunque ex iis sunt, quæ circa vnamquamque speciem & genus propo- sitionum sunt. Sunt enim propositiones de phy- sicis, ex quibus nec enthymema, nec syllogismus de moralibus est: & de his alix, ex quibus non erit syl- logismus de physicis: eodemque modo de cæteris. Et illa quidem nullo in genere facient prudetem, cum non sint circa subiectum vllum. Ex iis verò, si diligentius quisquam propositiones deligat, faciet ignorans aliquam, quam dialecticam, ac rhetori- cam scientiam. Nam si principia fortè habebit, nò amplius rhetorica, vel dialectica, sed illa erit, cuius principia possidebit. Enthymematum autem plura ex his generibus emanant, quæ particularium sunt, atque priorum, ex communibus verò paucio- ra. Quemadmodum ergo in Topicis, sic etiam hinc enthymematum species, ac loci, ex quibus sumen- dum est, distribuendi sunt. Voco autem species, pro- prias vniuscuiusque generis propositiones: locos

verò, qui similiter omnium ex æquo communes sunt. Primum igitur de speciebus dicimus, si prius genera rhetoricæ cognouerimus: vt cum distribu- erimus, quot sint, eorum elementa, propositionesq; seorsum inuestigemus.

De tribus generibus causarum, & finibus ipsorum.

Cap. III.

Quoniam igitur tria sunt auditorum ge- nera, tria quoque numero Rhetoricæ genera sunt. Nam cum ex tribus oratio constituatur, ex eo, qui dicit, de quo di- cit, & ad quem, id est, auditorè, penes quem etiam finis est: què necesse est, aut spectatorem esse, aut iudicem: & iudicem aut præteritorum, aut futuro- rum: qui de futuris iudicat, senator: qui de præteri- tis, iudex: qui verò de facultate, spectator est. Qua- re necessariò tria sunt dicendi genera: deliberati- uum, iudiciale, demonstratiuum. Est autem delibe- ratiuæ orationis, aliud suasio, aliud dissuasio. Nam semper & qui priuatim consulunt, & qui publicè concionantur, horum alterum aggrediuntur. Iudi- ciale, aliud accusatio, aliud defensio. Horum enim alterutrum occupant litigantes. Demonstratiuæ, aliud laus, aliud vituperatio. Horum autem vni- cuique tempus accommodatur: Consulenti, futu- rum. De futuris enim consulit, aut suadens, aut dis- suadens. Litiganti, præteritum. Nam de præteritis semper alius accusat, alius defendit. Demonstranti autem præcipuè tempus præsens. Nam omnes se- cundum ea, quæ præsentia sunt, laudant, aut vitupe- rant, sed vtuntur etiam ad hæc plerunque præteri- tis, in memoriam illa reducentes, futura quoque de eis conicientes. Vnicuique etiam horù finis alius est. Cumque tres sint, fines etiam tres sunt consu- lenti vtile, aut contrà. Nam qui suadet, quasi ad me- lius hortatur. Qui autem dissuadet, quasi à peiore dehortatur. Cætera verò aut iustum, aut iniustum, aut honestum vel turpe, ad hæc assumunt: litiganti iustum & iniustum. Cætera verò etiam hi ad hæc assumunt. Laudanti, & vituperanti, honestum & tur- pe. Sed hi quoque ad hæc cætera referunt. Quòd verò dictus vnicuiq; finis est, signo illud est, quòd de cæteris interdum quidam non ambigunt, vtputa qui causam dicit, quòd factum non sit, aut quòd non obfuerit. Quandoque nullam facit quæstio- nem. Quòd verò iniuriatus fuerit, nunquam confi- tebitur. Non enim esset opus lite. Similiter etiam qui consulunt, cætera sæpe concedunt. Quòd verò ad inutilia hortètur, aut ab vtilibus dehortètur, nù- quàm concedet. Sed verum non iniustum sit, finiti- mos, ac eos, qui nò iniurientur, seruitute premere, sæpe nò curant. Eodem modo & qui laudat, aut vi- tuperat, nò animaduertunt vtrù vtilia gessit, an con- trà: sed sæpius etiam laudi dant, quoniam vt præcla- rè gereret, parui propriam duxit vtilitatem. Laudat enim Achillem, quòd Patrocli sodalis vitionem susceperit: cum sciret parum, se de hac causa victu- rum: cui mors huiusmodi pulchrior, vita ve- rò vtilis fuit. Ex dictis ergo patet, necessarium esse, de iis prius propositiones habere. Argu- menta nanque, & probabilia, & similiter signa, rhe- toricæ

Loci gene- rales.

Loci pro- prii cuius- que gene- ris.

10

20

30

40

50

60

Officium singulorum generum.

Tempus.

Finis.

Ratio.

τὴν μὲν ἰσχυρίαν.

toricæ propositiones sunt. Nam syllogismus vni- uersaliter ex propositionibus est: enthymema verò syllogismus est ex dictis constans propositionibus. Verum quoniam impossibile est, vt quæ impossi- bilia factu sunt, ac item quæ non fuerunt, aut futu- ra non sunt, ea vel facta iam, vel facienda sint, neces- se est tam consulenti, quàm litiganti, & demonst- ranti habere propositiones de possibili, & impossibili, & vtrum factum sit, an nò, & si erit, vel non. Præ- terea, cum omnes siue laudent, aut vituperent, siue suadeant, aut dissuadeant, siue accusent, aut defen- dant, non solum quæ diximus, verum etiam quòd conferens, aut nocens sit, quòd honestum vel tur- pe, quòd iustum vel iniustum, & hæc omnia magna vel parua sint, aut per se ipsa, aut adiuuicem com- parata, ostendere conentur: perspicuum est, quòd opus sit de magnitudine quoque, ac paruitate, & de maiore, & minore, tam de vniuersali, quàm de vno quoque, propositiones habere: vtputa quid maius, aut minus bonum, & quæ maior, aut minor iniu- ria, & iure factum: eodemque modo de cæteris. De quibus igitur propositiones accipiendæ sunt, dixi- mus. Nunc verò seorsum de vnoquoque istorum distribuendum est. Et primum de quibus delibe- ratio est, deinde de quibus demonstrationes, tertio de quibus iudicia.

Loci de pos- sibili, impos- sibili, & ne- cessario.

Loci ampli- ficatiouis.

De quibus deliberatio esse solet.

Cap. IIII.

Primum igitur tenendum est, non de omnibus bonis, aut malis consiliarium consulere, sed de iis, quæ possunt fieri, & non fieri. De iis autem, quæ necessa- riò sunt, aut erunt, aut quæ impossibile est esse, vel fieri, nulla deliberatio est. Sed neq; de cunctis con- tingentibus. Sunt enim quædam à Natura, quæ- dam à Fortuna, bona: quæ quauis contingentia sint, possintque fieri, & non fieri, nihil tamen ad ea confert deliberatio. Hinc patet, de iis esse consul- tationem, quæcunque referri ad nos nata sunt, quo- rumque origo, & causa in nobis est. Nam ad hoc vsque deliberamus, quousque possimùsne, an non possimus agere, inuenerimus. Verum certius singu- la enumerare, ac in species ea omnia redigere, secu- dumque veritatem in quantum possibile est deter- minare, de quibus consilia fieri consueuerunt, non est præsentis temporis: non est enim artis rhetori- cæ, sed altioris, ac verioris. Sed tamen multò plura nunc ipsi propria theoremata concedantur. Nam quod iam diximus, verum est, rhetoricam scilicet ex resolutiua scientia, & ea ciuili, quæ de moribus est, compositam esse, similèque esse partim diale- cticæ, partim orationi sophericæ. Si quis autem aut hanc, aut dialecticam non vt facultates, sed vt scientias instruere, ac docere conatur, is naturam earum hoc transitu interimere videtur, cum non solum in orationis, sed in quarundam subiectarum rerum scientias redigat. Attamen quæcunque di- stribuere operæpretium est, & ciuili scientiæ confi- derationem relinquunt, etiam nunc dicamus. Nam maxima, de quibus omnes consultant, & quæ deli- berantes concionantur, quinque ferè numero sunt:

de opibus, de bello, ac pace, de regionis locorum cu- stodia, de iis, quæ inferuntur, vel efferuntur, de le- gumlatione. Qui ergo de opibus consulere consti- tuit, eum oportet ciuitatis reditus qui sint, & quot- tatio de facul- tibus. & si quis tenuior sit, amplificetur. Præterea, expen- sas ciuitatis omnes: vt quæ inutilis sit, dematur: & quæ profusior, cogatur ad modicum. Non enim so- lum rerum accessiones, verum etiam expensarum attenuaciones reddunt ditiores. Quæ non vsu so- lum, quem de nostris habemus rebus, conspiciere possumus, sed necessarium est ad dicendum de iis sententiam, eorum etiam, quæ alii adinuenerunt, peritum esse. De bello autem, & pace qui dicit, is ciuitatis copias non ignorabit, quantæ in præsen- tia sunt, & quæ magnæ fore possunt, & adhuc qua- les quedã sunt, quas modò habemus, & quales quas habituri sumus. Præterea, quomodo, & quæ bella ciuitas gessit. Hæc igitur scire oportet, nec solum suæ ciuitatis, sed finitimorum etiam, ac eorum ma- ximè, aduersus quos bellum suscipiendum opina- ris: vt pax cum melioribus habeatur, & in ipsis sit præstatio- cum minoribus belligerare. Copias etiam, similè scribus, ne, an dissimiles sint. Nam hac quoque parte me- tioriores quidam, aut imbecilliores esse possunt. Sed bus. maximè ad hæc pertinet bellorum euentus, non t superior- modò ciuitatis suæ, verum etiam aliarum, quomo- res. do exierint, perspexisse. Similia enim à similibus fieri consueuerunt. Præterea, non oportet ignora- De regio- nis custo- dia. re, quo pacto regio custodiatur, sed tam multitudi- nis custodum, quàm qualitatis non esse nescium, locorum quoq; vbi sint præsidia collocanda: quòd impossibile est, nisi regionem optimè noueris, vt si minora sint præsidia, augeantur: sin verò supernua- cua, omnino tollantur, & loca opportuna magis cu- stodianur. Adhuc quàm magna impensa ciuitati ad victum sufficiat, & quæ à propriis agris colliga- tur, & quæ afferatur aliunde. Item quas res efferre, quas inferre opus sit, vt ad huiusmodi homines foe- dera sint, atque pacta. Ad duo enim genera homi- num sine crimine consuenda, ciuitas est: ad melio- res, & ad eos, qui ad predicta conducunt. Sed cum horum omnium cognitio multum ad ciuitatem tu- tandam pertineat. tum verò non minimum est, le- gumlationis esse segacem. Nam salus ciuitatis in le- De legisla- gibus sita est. Quare necessariù est scire, quot Re- tione. rumpublicarum genera sunt, quæque vnicuiq; con- ferunt, & quibus extingui solent tam contrariis, quàm secundis. Dico autem secundis extingui, quoniam præter optimam Rempubicam cæteræ omnes & intentione, & remissione corrupun- tur: vt popularis status non modò cum remittitur, imbecillior ita redditur, vt tandem ad potentiam paucorum deueniat: sed etiam cum vehemèter in- tenditur, veluti aquilinum, vel simum non solum ad mediocritatem perueniunt, cum remittuntur, sed valde huiusmodi facta sima aut aquilina sic na- sum afficiunt, vt ne nasus quidem esse videatur. Ve- rum ad legum lationem vtile maximè est, tum ex præteritis, quis Reipublicæ status conducat, perspi- cere, tum aliorum quoq; scire conditionè, & quæ quibus conueniant, non ignorare. Ita patet, ad fe- rendas

Consulta- tio de facul- tibus.

De bello & Pace.

Prestatio- cum inferiori- bus. Superior- res.

De regio- nis custo- dia.

De legisla- tione.

10

20

40

50

60

rendas quidem leges, peregrinationes, quibus mul-
tarum gentium leges cognoscere poteris, esse per-
utiles: ad publica verò consilia, diligenter perscri-
ptam rerum gestarum historiam. Quæ omnia ciui-
lis scientiæ, non rhetoriæ officia sunt. De iis igitur,
quæ oporteat eum habere, qui de rebus maxi-
mis dicturus sententiam est, tot dicta sint. Verùm
ex quibus tam de iis, quàm de aliis suadere, aut dis-
suadere conueniat, rursus dicamus.

De felicitate, ac sine deliberantium.

Cap.

V.



Erè autem & unicuique priuatim, & pu-
blicè omnibus finis quidam est, quem
coniuicentes, alia persequuntur, alia fu-
giunt. Is verò est (vt vno verbo dicam)
felicitas, aut eius particulæ. Quare exempli gratia
exponamus quid sit (vt simpliciter dicam) felicitas,
& quæ sint eius particulæ. De hac enim, & de iis,
quæ ad hanc conferunt, de eius quoque contrariis
suasiones, dissuasionesque ab omnibus suscipiuntur.
Nam quæ aut ipsam, aut particulari eius quam
pam efficiunt, aut maiorem reddunt, faciunda: quæ
verò interimunt, vel impediunt, vel contraria faci-
ciunt, ea minimè faciunda sunt. Sit ergo felicitas,
fortuna secunda cum virtute, vel per se sufficien-
tia vitæ, vel vita tuta, & iucundissima, vel posses-
sionum facultas, & corporis vires, cum factiua, con-
seruatiua, amplificatiuaque horum virtute. Omnes
enim ferè vnum quiddam istorum, aut plura, felici-
tatem esse fatentur. Quòd si huiusmodi quid felici-
tatis sit, necesse est partes ipsius esse nobilitatem,
multorum atque bonorum gratiam, diuitias, bo-
norum liberorum & multorum procreationem,
commodam senectutem, præterea corporis com-
moda, veluti sanitatem, formam, vires, procerita-
tem, robur ad certandum, gloriam, honorem, pro-
speritatem, virtutem, ac partes eius, prudentiam, for-
titudinem, iustitiam, temperantiam. Sic enim suffi-
cientissimus quispiam erit, si sibi adsint quæq; in
ipso, & quæ extra sunt bona, cum præter hæc alia
non sint. Sunt autem in ipso, quæ in anima, & quæ
in corpore sunt, Extrà verò nobilitas, amici, pecu-
niæ, honores. Adhæc oportere arbitramur poten-
tiam, & fortunam non esse. Hoc nanque pacto vita
erit tutissima. Sed dicamus similiter quid sit ho-
rum vnumquodque. Nobilitas igitur gentis, ac ciui-
tatis est, indigenas aut vetustissimos esse, & pri-
mos duces illustres, multos quoque ex ea gente in
rebus, quæ expetuntur præclaros extitisse. Priuata
verò nobilitas, aut à viris, aut à mulieribus est, le-
gitimæque ab eis procreatio. Et vt in ciuitate, sic
in priuata quoque nobilitate, aut virtute, aut diui-
tiis, aut alia re laudata primos claros fuisse. Multos
quoque famosos ex ea gente viros, & mulieres iu-
niores ac seniores fuisse. Probitas verò liberorum,
ac multitudo quæ sit, perspicuum est. Publicè id
ita accipitur, si multa sit iuuentus, ac bona. Et bo-
na: tum commodis corporis, vt proceritate, forma,

viribus, certandi robore: tum animi virtutibus, vt
temperantia, & fortitudine. Hæ nanque iuuenum
virtutes sunt. Priuatim verò, si proprii liberi tam
mares, quàm foeminae, & multi, & probi sunt. Est Vxor.
autem foeminarum virtus, corporis quidem for-
ma, & proceritas: animi verò, pudicitia, & operan-
di studium, absque illiberalitate. Oportet igitur &
priuatim, & publicè, tam viris, quàm foeminis sin-
gula horum adesse. Nam quibuscunque haud bo-
næ sunt mulieres, (sicuti Lacedæmoniis) in media
penè felicitatis parte priuantur. Diuitiarum verò
partes sunt nummi, agri, prædia, supellex, animalia
bruta, mancipia multitudinem, magnitudine pulchri-
tudineque excellentia. Quæ omnia firma, amœ-
na, vtilia esse nimirum debent. Sunt igitur vtilia,
quæ magis frugifera sunt: amœna, quibus frui que-
as. Et frugifera sunt, ex quibus reditus capimus.
Quibus verò fruimur, ex his nihil magni, præter
vsum, consequimur. Firmorum autem ita defini-
tio, vt hîc & sic possideas, vt & vsum eius, & retinen-
dæ, alienandæque proprietatis potestas in te ipso
sit. Alienationem porrò dico, cum donare, atque
vendere possis. In summa diuitem esse, in vtendo
magis, quàm in possidendo, consistit. Vtentis
enim operatio est, possessio verò ipsa diuitiæ sunt.
Gloria verò est, cum virtuosus à cunctis existima-
tur, aut id habere putatur, quod omnes, vel plures
vel probi, vel prudentes expetunt. Honor autem,
est existimationis benefactiua iudicium. Honoran-
tur ergo maximè, atque meritò, qui beneficia
contulerunt: deinde qui conferre queant. Bene-
ficientia verò illa primas partes habet, quæ salutis
est causa, & vt simus: secundas verò, quæ diuitia-
rum, vel alterius boni, quod vel omnino, vel hîc,
vel aliquando non facilè acquiritur. Nam multi
honorem assequuti sunt, quanuis parua præbue-
rint: sed modus profuit, atque occasio. Honoris
verò partes sunt, sacra, memorations, decantatio-
nes carminum, aut solutæ orationis ad laudem
recitatio, præmia, delubra, vel primi confessus, se-
pulcra, imagines, publici victus. Adhæc etiam
barbara, vt inclinari, loco cedere: munera quoque,
sed alia apud alios honoratiora. Est autem mun-
us, rei alicuius donatio, ac honoris signum. Qua-
propter tam æris auidi, quàm ambitiosi donari cu-
piunt, cum id donatio habeat, quod vtrique appe-
tunt. Nam & res est, quam auari desiderant, & ho-
norem affert, quem ambitiosi expetunt. Corporis
verò virtus, est sanitas, vt scilicet corpore penè in-
ægrotabili ad labores vtaris. Nam qui sic sani
sunt, vt Heroicus fertur, eos nemo sanitatis gratia
felices putabit. Nam ille vt sanus esset, quibus ho-
mines vtuntur, his omnibus, aut plurimis abstinere
bat. Pulchritudo autem alia in alia ætate est. Nam
iuuenis pulcher est, cui cõmodum ad subeûdos &
cursus, & violentiæ labores, corpus est, aspectûq;
in super iucundum. Quocirca Pentathli formosissimi
sunt: cum & ad vim, & ad velocitatē simul præstan-
tissimi sunt. Vir verò pulcher est, qui & labores bel-
licos sustinere queat: & ita iucundus aspectu est, vt
simul quoque dum videatur, terreat. Senex autem,
cuius ad necessarios labores corpus satisfacit,
cumque

Felicitas quid.

Felicitatis partes.

Nobilitas.

Liberi.

10

20

30

40

50

60

sedulitas

Diuitia

Gloria

Honor

Honoris partes

Sanitas

Vide Plat. lib. 3. de re-
pub.

Pulchritudo iuuenis

virii

Senis

Visrobur.

Magnitudo

Vis Achle-
tica.

Senectus
commoda.

Logauitas

Amicitia
multorum.

Fortuna
bona quæ.

cumque nihil eorum habeat, quæ senectus infert
incommoda, facilè sine dolore conseruatur. Vires
autem sunt, quibus possis quod mouere cupias, ita
mouere vt velis. Mouemus autem trahetes, aut pel-
lentes, aut eleuantes, aut deiciences, aut comprimé-
res. Quare robustus, vel cunctis, vel quibusdam ho-
rum robustus est, magnitudinis verò ea virtus est,
qua in longum, vel in profundum, vel in latum plu-
rimis ita præstas, vt propter magnitudinem motio-
nes corporis non retardentur. Corporis autem cer-
tatiua virtus, ex magnitudine, robore, velocitatēq;
constat. Velox nanque robustus est. Qui enim po-
test pedes quodam proicere modo, citòq; ac lon-
gè mouere, cursor. Qui premere, ac retinere, lucta-
tor. Qui pulsando pellere, is percussor. Qui vtrif-
que, is pancratiasta. Qui omnibus, is pentathlus. Se-
nectus verò bona est, quæ cum tardè inuadit, etiã
dolores non infert. Nam tam qui citò conuenit,
quàm qui tardè, sed non absque dolore, incommo-
da vitur senectute. Verù id & corporis est, & For-
tunæ. Nam & qui valetudinarius est, & non robu-
stus, cum facilè pariat, ac doleat, vitæ breuioris
sit, non est felix. Est autem etiam sine robore, ac fa-
nitate vis quædam alia vitæ longioris. Multi enim
absque virtutibus corporis diu viuunt. Sed impræ-
sentiaru exacta horum inquisitio inutilis est. Quid
autem multorum, ac proborum amicitia sit, amici
definitione ostendetur. Est igitur amicus, qui quæ
amico bona fore putat, ea propter ipsum agit ami-
cum. Cui ergo multi huiusmodi, is multorum: cui
etiã viri probi, is proborum amicus est. Secunda
verò fortuna est, cum omnia, vel plurima, vel maxi-
ma bona eorum, quorum ipsa fortuna causa est, for-
tè eueniant, atque permaneant. Est autem Fortuna,
causa quorundam artificialium, & multorum inarti-
ficialium: quæ quanquàm à Natura sint, possunt
etiam præter Naturam esse, vt sanitatis ars est cau-
sa, pulchritudinis ac proceritatis Natura. Et omni-
no ea bona sunt à Fortuna, in quibus inuidia est.
Verùm eorum quoque bonorum, quæ præter rati-
onem accidunt, Fortuna causa est, vt si cum cæte-
ri fratres deformes sint, solus formosus sit. Vel si
cum cæteri thesaurum non viderint, solus aspexerit.
Vel si cum proximus sagitta interierit, is ne ta-
ctus quidem sit. Vel si solus non venerit, cum sem-
per solitus: & qui non solebant, semel tunc vene-
rint, & occisi sint. Nam hæc omnia fortunatorum
esse videntur. De virtute verò animi, quoniam ad
laudes is locus maximè accommodatur, cum de
demonstratiuo dicemus, tunc determinabimus.

De vtili, ac bono. Cap. VI.



E quibus igitur nobis velut futuris, vel
præsentibus coniuicendum est, siue sua-
dentibus, siue dissuadentibus, iam ape-
ruimus. Contraria enim suadentibus,
dissuadentes habent. Verùm quoniam dicenti sen-
tentiam, finis vtilitatis propositus est, nec de fine
sed de iis, quæ ad finem sunt, consulit, quæ sunt,
quæ in rebus gerendis conducunt, quoniamque vti

le bonum est, quasi elementa quædam de bono, ac
vtili simpliciter sumenda sunt. Sit ergo bonum, boni & vti-
quod sui ipsius gratia est expetendum, & id, cuius
gratia aliud quiddam appetimus, & quod omnia ap-
petunt, vel quæ sensum habent omnia, vel quæ in-
tellectum habent, aut si haberent. Et quicquid in-
tellectus vniciq; tribuerit, & quicquid qui de sin-
gulis est intellectus tribuit, id vniciq; bonum est:
& id, quod cum adsit, bene afficitur cui adest, satis-
que habet, & sufficiens per se ipsum. Præterea quod
hæc efficit, aut conseruat, & id, quo hæc cõsequun-
tur, & quo horum arcetur contraria, & quæ cor-
rumpunt. Consequuntur autem dupliciter: aut si-
mul, aut postea, vt ad discendum scire, sed postea:
sanitatem verò, vita simul. Efficientia verò tripli-
citer: vt sanitatis quædam, vt sanum esse, quædam
vt cibum, quædam vt exercitatio. Nanque plerun-
que sanitatem efficit. His ita determinatis, acquisi-
tiones bonorum, & malorum abiectiones necessa-
riò bonæ sunt. Has enim, ne malum habeas, simul
consequitur. Illas verò, vt bonum adipiscaris pos-
stea. Maioris quoque boni pro minore, & minoris bona con-
mali pro maiore acceptio. Nam quò minus exce-
ditur à maiore, id illi acquisitio, huius abiectio est.
Virtutes etiam necesse est bonum esse, cum bene
iis afficiantur qui habent, & effectiua, atque acti-
ua honoru sunt. Verùm de singulis, & quæ, & qua-
les, separatim tractandum. Voluptatem quoq; esse
bonum constat, cum animalia ipsam secundum na-
turam appetant. Quare iucunda, ac speciosa, bona
esse necessarium est. Nam illa voluptatis efficientia
sunt, & ex speciosis quædam delectant, quædam ex
petibilia per se ipsa sunt. Vt verò sigillatim dica-
mus, hæc bona esse necesse est: felicitatem quidem,
cum per se ipsam expetibilis sit, atque sufficiens,
multaque gratia huius appetimus, iustitiam, forti-
tudinem, modestiam, magnanimitatē magnificen-
tiam, cæterisque huiusmodi habitus, qui animi
virtutes sunt. Præterea sanitatem, formam, & hu-
iusmodi. Corporis nanq; virtutes hæc sunt, & esse
ctiua multorum: veluti sanitas, & viuendi, & volu-
ptatis. Idcirco multis quoque optimum esse vide-
tur, cum horum duorum, quæ præcipua sunt, causa
sit, viuendi scilicet, ac voluptatis. Adhæc diuitias.
Possidendi enim hæc virtus est, & multorum effe-
ctiua. Amicum quoque, ac amicitiam. Nam ami-
cus expetibile per se, ac multorum effectiuum est.
Item honorem, ac gloriam. iucunda enim sunt, &
effectiua multorum, ac vt plurimum ea verè inef-
se ostendunt, propter quæ fiunt. Dicendi etiam, at-
que agendi virtutem. Nam omnia hæc bonorum
effectiua sunt. Similiter ingenium, memoriam, di-
scendi facilitatem, mentis præstantiam, & quæ hu-
iusmodi sunt. Bonorum enim effectiua omnes hæc
facultates sunt. Eodémque modo scientias omnes,
ac artes, & viuere ipsum. Nam etiam si nihil aliud
bonum inde sequeretur, per se ipsum tamen expe-
tendum est. Adhæc iustum ipsum, quoniam pu-
blicè conducit. Hæc ferme sunt, quæ apud omnes
bona esse constat. Ea verò, de quibus dubitatur,
ex iis bonum esse ratiocinabimur. Cuius contra-
Bona con-
rium malum est, & cuius contrarium inimicis trouerfa.
condu

Elementa
boni & vti-
lis.
1 2
3 4
5 6 7
8
9 10 11
12 13 14 15
16 17
18 19

10

20

30

40

50

60



Erùm quoniam sæpenumero quid vtile sit concedentes, quid magis conferat quærunt: de maiore nunc bono, ac magis utili dicendum videtur. Sic igitur excedens quidem, quod tantum, & amplius. Excessum verò, quod inest, & maius quidem, & plus semper ad minus. Magnum verò, ac paruum, & multum, ac paucum, ad multorum magnitudinem. Magnum igitur excedens est. Cui autem deficit, id paruum. Multum quoque ac paucum, eodem modo. Quoniam ergo bonū dicimus, quod non alterius, sed sui ipsius gratia est expetibile, & quod appetunt omnes, & quod quæcunque mentem, aut prudentiam habent, expeterent, & efficiens, ac conservans, vel id, ad quod hæc consequuntur: id verò, cuius gratia, ac finis est: is nanque est, gratia cuius cætera: quoniam etiam id ipsi bonum, quod sic ad ipsum dispositum est, necesse est plura vno, ac paucioribus, vno ac paucioribus connumeratis, maius esse bonum: excedit enim. quod verò inest, exceditur. Item si maximum à maximo exceditur, ipsa quoque ab ipsis. Quod si ipsa ab ipsis, maximum quoque à maximo: ut si vir maximus maior est, quam femina maxima, omnino quoque viri fœminis maiores: & si omnino maiores sunt fœminis viri, vir quoque maximus maxima fœmina maior. Excessus enim generum, & eorum, quæ in generibus maxima sunt, proportionabiliter se habent. Item cum quippiam ex aliquo sequitur, & hoc ex illo non sequitur: sequitur autem aut simul, aut postea, aut potestate. Nam usus eius, quod sequitur, in altero est. Sequitur autem simul, quod si sanus est, vivat: ex hoc verò illud non sequitur. Scire verò ex discere postea sequitur. Sed potestate ad sacrilegium furtum sequitur. Nam qui rem sacram abstulit, priuatam quoque abstulisset. Præterea, illa maiora sunt, quæ eandem rem maiore excedunt: cum necesse sit, ipsum quoque maius excedi. Adhæc quæ maioris boni efficientia sunt, ipsa quoque maiora sunt. Id enim erat effectuum esse maioris. Illud quoque, cuius efficiens maius, eodem modo. Nam si salubre iucundo eligibilis, maiusque bonum, sanitas voluptate quoque maior. Item quod per se expetibile est, eo eligibilis est, quod non per se, ut vires salubribus rebus, cum hæ non sui gratia, illæ sui gratia, quæ boni ratio erat, expetantur. Item si alterum finis sit, alterum non. hoc enim alterius gratia est, illud sui: ut exerceri ad sanitatē se habet. Item quod minus alio, aut aliis indiget. est enim sufficientius. Indiget autem minus, quod paucioribus, aut facilioribus indiget, & cum hoc absque illo aut non sit, aut fieri non possit, illud verò absque hoc fieri potest. Nam cum sufficientius sit quod non indiget, maius bonum videtur. Item si vnum principium est, alterum non est. Et si causa vnum, alterum non propter eandem causam. Nam sine principio, aut causa, impossibile est esse, aut fieri. Cumque duo principia diuersorum sint: quod à maiore principio est, maius est: & quod à maiore causa, similiter: & è conuerso, duorum principiorum, aut causa-

rum, quod maioris principium, aut causa, maius est. Ex dictis itaque vtrunque maius esse. Quod si alterum principium est, alterum non: illud maius videbitur, & hoc etiam, quod principium non est. Nam finis maius est, & tamen principium non est: ut accusando Leodamas ad Callistratum dixit, eum qui cōsuluit, magis peccasse, quam qui fecerit: quoniam non esset factum, nisi consultum fuisset. Chabrius verò, eū, qui gessit, peccasse magis, quam qui consuluit. Non enim factum esset, nisi fuisset qui faceret. Huius enim gratia consulunt, ut agant scilicet. Præterea, quod rarius est, eo magis quod abundantius, ut aurum ferro. Inutilius enim ferrū. Aurum nanque maior possessio, quoniam difficilius inuenitur. Alia verò consideratione, quod abundat magis, id maius est: quoniam eo in pluribus utimur. Rarum nanque à frequenti exceditur, vnde dicitur aquam esse optimam. Et summam, difficiliora facilioribus, quoniam rariora sunt. Et faciliora difficilioribus, consideratione, alia: quoniam habeantur cum volumus. Præterea, cuius contrarium maius. Item cuius priuatio maior. Item virtus non virtute, & vitium non vicio maius: cum illa fines sint, hæc non sint. Item quorum opera pulchriora, vel deformiora, ipsa quoque maiora. Item quorum vitia, & virtutes maiores sunt, eorum quoque opera maiora sunt. Siquidem sicut causa, principiaque se habent, sic & effectus, & sicut effectus, sic & causa, & principia. Præterea, quorum excessus eligibilior, aut pulchrior, veluti bona oculorum acie uti, eligibilior, quam olfactu bono. Nam & visus olfactu eligibilior. Et similiter amicorum esse studiosum, pulchrius, quam pecuniarum. Quare studia quoque in amicos, pecuniarum studio, & contra rerum meliorum excessus meliores sunt, & pulchriorum pulchriores. Præterea, quorum cupiditas melior, aut laudabilior. Maiorum nanque rerum maior appetitio est, & propter id ipsi meliorum laudabiliorumque cupiditates laudabiliores melioresque sunt. Præterea, quorum scientiæ pulchriores sunt, magisque expetuntur, ipsæ quoque res pulchriores sunt, & magis expetuntur. Nam sicut scientia, sic & ipsa veritas. Vnaquæque autem quod suum est præcipit. Eadem etiam de causa rerum, quæ magis expetuntur, ac pulchriorum scientiæ, proportionaliter se habent. Præterea, quod censerent, aut quod iam decreuerunt prudentes, vel omnes, vel multi, vel plures, vel præstantes, maius esse bonum, id necessarium est aut simpliciter ita se habere, aut in quantum secundum prudentiam iudicantur. Id autem etiam cum aliis commune est. Nam & quid, & quantum, & quale sic se habet, ut scientia, prudentiæque iudicaret. Verum id ad bona retulimus, quoniam bonum id definitum est, quod vnaquæque res expeteret, si haberet prudentiam. Quare patet, id esse maius, quod ita prudentia iudicat. Item quod melioribus aut simpliciter inest, aut quatenus meliores: ut fortitudo viribus corporis. Præterea, quod melior aut simpliciter eligeret ut qua melior, aut iniuriam potius pati, quam inferre. Nam illud profecto iustior eligeret. Præterea, iucundius, quam minus iucundum. Voluptatem enim omnia insequuntur, & ipsius iucundi gratia appetunt. His enim bonum, ac finis definitur. Iucundius autem,

quod à dolore magis abest, & quod longiori tempore iucundum est, & quod melius est minus bono. Bonum enim ipsum vel iucundum est, vel quod per se expetibile est. Præterea, quorum aut sibi, aut amicis causa esse mallent, ea maiora bona. Quæcunque verò minimè, ea maiora sunt mala. Præterea, diuturniora iis, quæ minus diuturna sunt, & stabiliora instabilioribus. Nam usus illorum quidem tempore, horum verò voluntate superat. Nam rei stabilis usus præter magis est cum volueris. Præterea, quæcunque à similibus casibus, atque coniugatis consequuntur: veluti si quod fortiter fit, pulchrius, ac eligibilis sit, quam quod modeste: fortitudo quoque pulchrior, quam modestia. Fortem enim esse, melius, quam modestum. Item quod omnes expetunt, eo, quod non omnes: & quod plures, eo, quod pauciores. Bonum enim id erat, quod omnes appetunt. Quare maius etiam, quod magis appetunt: & quod inimici litigio expetunt, aut qui iudicant, aut qui iudicium sententiam subeunt. Nam illud ita est, ut omnes dicerent: hoc, ut qui potiuntur, & qui sciunt. Et interdum etiam quo participant omnes, id maius. Vituperabile nanque est, si non participes. Interdum verò quo aut nemo, aut pauci. Idem enim rarius. Præterea, quæ laudabiliora sunt: pulchriora enim. Et quorum maiora sunt pretia: ipsa quoque similiter. Nam pretium, veluti dignitas quædam est. Et quorum iactura maior. Præterea, quæ iis maiora sunt, quæ aut certè maiora sunt, aut videntur. Hæc cum in partes diuiduntur, multò maiora videntur. Plurimum enim apparet excessus. Quare poeta quoque persuasisse Meleagro ait uxorem, ut in prælium exiret, enumerantem quot accidant vrbe capta hominibus mala. Sternuntur populi, ignis concremat vrbe hostilis, trahuntur ab hostibus liberi, & arctius succinduntur mulieres. Præterea, superpositio & exaggeratio, ut apud Epicharmum. Partim eadem de causa, qua diuuisio. Magnum enim ostendit excessum exaggeratio. Partim quoniam principium, atque causa rerum magnarum videtur. Verum quoniam id maius est, quod rarius est, atque difficilius: occasiones quoque, ac ætates, loca, tempora, vires, maiores res reddunt. Nam si vltra vires, si præter ætatem, si præter cæteros, si sic, vel hic, vel tunc: pulchritudinis, aut bonitatis, aut iustitiæ, vel oppositorum magnitudinem habebit. Vnde elogium quoque in eum, qui Olympia vicit. Habens prius in humeris asperam asyllam, ex Argis pisces afferebam. Hinc Iphicrates quoque se ipsum laudabat dicens, ex quibus ea fuerunt. Præterea, natiuum acquisitio: difficilius enim. Quare poeta quoque dicit, per se ipsum didicisse. Præterea, rei magnæ pars maxima: veluti Pericles in funebri ait oratione. Ita ciuitatem iuuentute ablata deformem, ut annus, si ver ab eo remoueretur. Præterea, quæ in maiore inopia, necessitatēque requiruntur, velut quæ in senectute, ac morbo. Præterea, de duobus, quod fini propius est. Præterea, quod idem, & simpliciter valet. Præterea, possibile melius, quam impossibile, cum illud in ipso sit, hoc non sit. Præterea, quæ in fine vitæ. Finis nanque magis sunt ea, quæ prope finem. Præterea, quæ ad veritatem pertinent, magis, quam quæ ad opinionem. Definitur autem id, quod ad

1 2 concludit, id bonum est. Verbi gratia, si timidos nos esse, hostibus maximè concludit, fortitudo nobis utilisissima est. Et omnino quod inimici optant, aut quo gaudent, huius contrarium nobis utile est. Vnde illud excogitatum Homero est: Profecto Priamus lætabitur. Sunt autem non semper hæc, sed plerumque bona: cum nihil obstat interdum vnum, ac idem aduersariis, & nobis conferre. Vnde & cum eadem res vtriusque incommodo sit, prouerbio dici solet, Cōciliant homines mala. Itè quod modicum est, id bonum. Nam quod maius est, quàm oporteat, id malum est. Et cuius gratia multos pertulerunt labores, aut multa consumpserunt. Iam enim bonum id apparet, ac ut finis, & quidem multorum existimatur: finis verò bonus est. Hinc illud Homero dictum est, Ast Priamo gloriam. Et illud, Tupéque diu trahere moram. Prouerbum quoque hinc, In ianua vrceum. Adhæc, quod multum expetunt, cuiusque causa bella suscipi videntur. Nam quod omnes expetunt, id bonum. Multi verò quasi omnes apparent. Item laudabile. Nemo enim laudat quod bonum non est. Et quod inimici, ac prauis laudant. Quasi enim omnes iam laudant, cum vel illi, qui malè ex eo affecti sunt, laudant. Quoniam enim perspicue bonum est, idcirco plures laudare videtur: veluti etiam ii prauis, quos amici vituperant: & ii boni, quos inimici laudibus ornant. Quapropter conuiciatum Simonidem Corinthii sibi putarunt, quod cecinerit non conqueri cum Corinthiis Ilium. Item quod prudentium, ac bonorum virorum quispiam, vel fœminarum prætulit, ut Vlysses Minerua, Helenam Theseus, Alexandrum Deæ, Achilem Homerus. Ac vniuersaliter quæcunque eligibilia sunt. Eligunt enim, ac agunt quæ dicta sunt, & quæ inimicis obsunt, ac amicis profunt. Item possibilia, quæ duplicia sunt, quæ vix fierent, & quæ facile. Facilia verò sunt, quæ vel sine dolore, vel tempore breui fiunt. Difficile enim aut dolore, aut magnitudine temporis definitur. Item si, ut optant, fit. Optant autem ut nihil mali, aut bono minus. Quod erit, si aut latere possunt, ne puniantur, aut poena parua sit. Item quæ sua, & quæ nemo, & quæ vltra necessarium usum sunt, Sic nanque honorem magis consequuntur. Item quæ opinionum, existimationumque cuiusque de se congruunt, cuiusmodi sunt, quæ sibi ex genere pertinere, aut viribus suis conuenire, & quæ deesse sibi, parua licet sint, arbitrantur. Nec enim idcirco minus hæc agere optant. Item quæ à quouis obiri queant. Possibilia enim hæc, sicuti facilia. Facilia factu autem putantur, quæ omnes, aut plures, aut pares, aut minores gesserunt. Item quæ amicis grata, & inimicis molesta. Item quæcunque ii eligunt, quos singulares ducunt. Item eæ, quorum usum habent, & ad quæ apti natura sunt. Hæc enim facilius se gesturos omnes arbitrantur. Item quæ nemo improbus, hæc enim laudantur magis. Item quæ cupiunt. Nam hæc & iucunda, & meliora videntur. Item ea vnusquisque, quibus maximè afficitur, ut bellicosus victoria, ambitiosus honore, auarus pecunia: eodemque modo cæteri. De bono igitur, ac utili ex iis faciunda fides est.

Iliad. 6

id est, amicus Corinthii mali habentur, inimicis vero boni.

Possibile. Facile. Difficile.

17 18 19

20

21

22

23

24

duras elitelas.

opinionem, & gloriam sit, hoc pacto. Quod ab eo non eligeretur qui id occultum fore putaret. Vnde accipere, quàm facere beneficium, eligibilis esse videtur. Illud enim vel si nemo sciat te accepisse, profectò eliges: hoc, si occultum futurum est te contulisse, non videris electurus. Præterea, ea, quæ magis esse, quàm videri, volunt. Ad veritatem enim magis. Quapropter iustitiam quoque aiunt parum quid esse, quoniam eligibilis videri, quàm esse: at sanum esse, non ita. Insuper quod ad plura utile, veluti ad viuendum, & ad bene viuendum, & agendum honesta, & ad voluptatem. Quapropter diuitiæ, ac bona valetudo, maxima esse videntur, cum omnia hæc possideant. Adhæc quod sit absq; dolore. Quod voluptatem etiam affert. Vno enim plura meliora. Quare cum & voluptas, & indolentia bona sint, duo in vnum composita totum maius efficiunt. Item quæ cum adsint non latent, quàm quæ latent. Ad veritatem enim illa tendunt. Ita maius est bonum, diuitem esse, quàm videri. Præterea, quod charum est, & aliis solum. Quocirca non pari iactura luscus quis oculum eruet, & eius, qui duos habet. Charum enim, & vnicum luscus amisit. Ex quibus igitur tam suadendo, quàm dissuadendo fidem facimus, ferè dictum est.

De Reipublicarum numero, & formis.

Cap. VIII.

Aeterum ad persuadendum, benèque consulendum, illud est omnium maximum, atque firmissimum, vt Reipublicarum species omnes pernoscamus, & qui mores, quæ leges, quæ commoda vnicuique sint, distinguamus. Cunctis enim utilitas persuadet. Utile autem est, quod ciuitatem conseruat, & tutatur. Adhæc præcipui in Republica cuiusque ratio, & sententiâ rata est: principantes verò distinctione ciuitatum distribuuntur. Tot enim sunt præcipuæ res, quot ciuitates. Quare cum quatuor Reipublicarum formæ sint, populi, paucorum, optimatum, vnius imperium: quod præest in vnaquaque, ac iudicat, vel pars aliqua eius, vel vniuersum erit. Populi igitur gubernatio est Respublica, in qua forte magistratus declaratur. Paucorum verò potestas, in qua censu. Optimatum autem, in qua imperant, qui disciplina excellunt. Appello autem disciplinam, quæ legibus posita est. Nam qui legibus semper obtemperarunt, ii optimates videntur, ac in huiusmodi ciuitate gerendarum rerum principatu potiuntur: à quibus & nomen ea forma sortita est. Monarchia verò est, (vt vel nomen ipsum ostendit) in qua vnus omnium dominus est. Hæc ordine quodam constituta, regnum: inordinata verò, tyrannis appellatur. Cum igitur ea eligantur, quæ ad finem sunt, non oportet vniuscuiusque finem ignorare. Popularis ergo status finis est libertas. Paucorum verò, diuitiæ. Optimatum autem, quæ ad disciplinam, & ad leges pertinent. Tyrannidis verò, custodia. Quare patet, ad hos fines vniuscuiusque mores, & commoda, & quæ legibus constituta sunt, esse diuidenda. Siquidem ad hos referentes eligunt. Verum quoniam non solum rationibus, sed etiam oratione affecta, & morata fidem facimus, (credimus enim eò facilius, quò qualis quidam orator vi-

detur, id est, si vir bonus, si beneuolus, aut vtrunq;) non oportebit ciuitatum nos ignorare mores. Probantur enim vniuscuiusque mores, si ad Reipublicæ mores accommodantur: ii autem reperientur ex iisdem. Ex voluntate enim, ac electione mores aperiantur. Voluntas verò, ac electio ad finem refertur. Quæcunque igitur vel futura, vel præsentia suadentibus expetenda sunt, & ex quibus de vtili fidem facimus, adhæc de ciuitatum moribus, ac institutis, itémque quibus, & quo pacto inueniemus, quantum ad præsens opus est, dictum est. Diligentius verò de his in Politicis explanauimus.

De honesto, ac laudabili, quæ ad demonstratiuum genus pertinent. Cap. IX.

Vnc autem de virtute, ac vitio, honesto, ac turpi dicamus. Laudantes enim, ac vituperantes hæc intendunt. Continget etiam, si de iis dicemus, illa simul aperire, quibus quales quidè moribus putabimur: quod secundo loco fidem facere diximus. Ex eisdem enim & de nobis, & de aliis virtutis opinionem facere poterimus. Verum quoniam accidit iocò, vel seriò laudare sepe non solum hominem, aut Deum, sed etiam inanimata, aliorumq; animalium quodlibet: de iis quoque propositiones eodem modo accipiendæ. Quare veluti exempli gratia hæc etiam percurramus. Honestum igitur est, quod cum propter se eligibile sit, laudabile est: aut quod cum bonum sit, idcirco iucundum est, quoniam bonum. Quod si sic est, necesse est, virtutem honestum esse. Nam cum sit bonum, laudabilis quoque est. Est autem virtus, vt videtur, vis quædam productiua, aut conseruatiua rerum bonarum. Item vis benefaciendi multa, ac magna, & omnia in omnibus. Huius partes iustitia, fortitudo, modestia, magnificentia, magnanimitas, liberalitas, mansuetudo, prudentia, sapientia. Necesse autem est, siquidem virtus, benefaciendi vis est, maximas esse virtutes, quæ plurimum aliis conferunt. Quapropter iustos, ac fortes maximè laudant: cum alii bello, alii etiam in pace vtilis hominibus sint: deinde liberales. Non enim contendunt de pecuniis: sed largiuntur eas, quas summo opere cæteri cupiunt. Iustitia igitur, est virtus, qua singuli sua secundum leges possident. Iniustitia est, per quam aliena contra leges retinēt. Fortitudo est, per quam actiui bonarum rerum, vt leges iubent, in periculis sumus: estque legibus administratiua, obtemperatiuaq;. Huius contrarium, timor est. Temperantia, virtus est, per quam voluptatibus corporis, pro eo ac lex præcipit, afficimur. Intemperantia, contrarium. Liberalitas, est pecuniis benefactiua. Illiberalitas, contrarium. Magnanimitas, est magnorum beneficiorum effectiua virtus. Magnificentia, est virtus magnitudinis sumptuum effectiua. Harum contraria, modicitas, & pusillanimitas. Prudentia, est mentis virtus, qua de malis, ac bonis, quæ ad felicitatem pertinent, bene possumus consulere. De virtute igitur, ac vitio vniuersaliter, & de partibus satis impræsentiarum dictum est: de cæteris autem non est difficile perspicere. Perspicuum enim est & virtutis effectiua, quoniam ad virtutem, & quæ à virtute fiunt, laudabilia esse. Huiusmodi autem sunt indicia virtutis, & opera.

opera. Quoniam ergo indicia, & similia quæcunq; sunt boni viri opera, vel passiones, laudabilia sunt, necesse est, quæcunque fortitudinis opera, vel indicia sunt, aut fortiter gesta sunt, hæc omnia laudabilia esse. Iusta quoque similiter, & quæ iustè facta sunt, sed passiones nequaquam. Nam in hac vna virtute non semper quod iustè fit, honestum est. Cum enim damnantur, turpe magis est, si iustè fit, quàm si iniustè: eodemque modo in reliquis virtutibus. Item, ea, quorum præmium honor est, omnia laudabilia sunt. Et ea magis, quorum honor, quàm ea, quorum pecunia. Item, quæcunque eligibilium non sui quispiam gratia gerit. Et quæ simpliciter bona sunt, vt quæcunque pro patria quispiam facit, sua contemnens. Et quæ naturâ bona sunt, & quæ bona, sed non sibi. Nam quæ sibi, sui gratia facit. Et quæcunque mortuum magis consequuntur, quàm viuum. Nam quæ viuos consequuntur, ea sui gratia facere magis videntur. Item, quæcunque opera laudis fiunt gratia. Nam hæc minus sui gratia sunt. Itè, quæ non sibi, sed aliis vtilitati sunt: & benefactoribus magis. Iustū enim & beneficia, quoniã in alios. Item, his opposita, quibus aut dicentes, aut facientes, aut dicturi, aut facturi, erubescunt. Turpia enim verecundantur & dicentes, & facientes, & facturi: quemadmodum Alcæo dicenti, vellem tibi aliquid dicere, sed pudor impedit. Sappho respondit. Si bona, laudabiliaque cuperes, nec lingua aliquid turpe dicere meditareris: nullus oculos pudor retineret. Item, ea, de quibus certant intrepidè. Sic enim his bonis maximè afficiuntur, quæ ad gloriam ducunt. Item, virtutes, ac opera eorum, qui naturâ excellunt, laudabiliores: veluti viri magis, quàm mulieris: & quibus alii magis fruuntur, quàm ipsi. Quam ob rem iustum, & iustitia laudantur. Item, inimicos vlcisci potius, quàm reconciliari. Nam malum reddere iustum est. Et iustum omne laudabile. Et adhæc fortis est inuictum esse. Quare victoria, & honor laudabilium sunt. Nam etiam si inutilia sint, eligibilia tamen sunt, & virtutem eximiam ostendunt. Item, memorationses, ac monumenta: & quæ magis, ac magis. Magis autem, quæ ad defunctum consequuntur: & quibus honos maior connectitur. Item, quæ superuacanea sunt, & soli insunt, laudabiliora: digniora enim memoratu. Item, non frugifera prædia: liberius nanque id magis. Singulorum quoque propria laudabilia sunt: & quæcunq; indicia eorum sunt, quæ apud eos, quibus cum viuis, laudantur: veluti apud Laconas comam nutrire, laudabile est. Nam quoniam non est facile seruire aliquod opus facere crinitum hominem, libertatis id apud eos iudicium est. Item, nulla vti arte fabili. Liberum nanque non virtute ad alium. Ea quoque accipienda sunt, quæ honestis propinqua sunt, tanquam ad laudem, vel vituperationem conferentia: vt si moderatum, ac mitioris animi, timidum, & insidiatorem appelles: & insensatum, frugi: & mansuetum, eum, qui dolorem animi non sentit. Et hoc modo à consequentibus ad optimum semper, vtputa iracundum, ac furiosum, simplicem, & arrogansem, magnificum, atque grauem. Eos quoque, qui excedunt, quasi virtuosi essent, vt ferocem fortem esse, prodigum liberalem: nam & pluribus ita videtur, & apparentem ex causa potest habere ra-

Affinia virtutum.

tionem. Nam si vbi necesse non est, pericula suscipit, multò magis videbitur in re honesta, ac laudabili: & si in quolibet profusus, quantò magis in amicos. Virtutis enim eximie est, cunctis benefacere. Oportet etiam apud quos laudamus considerare: sicut Socrates dicere solebat, non esse difficile, Athenienses apud Athenienses laudare. Et quod apud singulos honor est, id oportet affirmare: vt apud Scythas, apud Laconas, apud philosophos: ac vniuersaliter honorabile asserere oportet, quod honestum sit. Propinqua enim esse videntur. Item quæcunque vt conueniens est, veluti si maioribus digna, & rebus antea gestis. Ad honestatem nanq;, ac felicitatem pertinet honoris accessio. Aut etiam si præter id, quod conueniens est, ad melius, atque honestius: vt si quis vitur secunda fortuna, is moderatus sit: & qui aduersa, is magnanimus. Aut si cum ad maiora conscendit, frugi tamen magis, ac facilius sit: quale illud est Hiphicratis: O quæ sunt ex quibus: & illius, qui deuicit Olympia: Qui prius duras ferebam in humeris elitellas. Et illud Simonidis: Cuius mulieris pater, ac maritus tyrannorum fratres fuerunt. Verum quoniam laus ex operationibus est, virtuosique proprium electione agere: ita dicendum, vt ostendatur, electione ipsum gessisse quæ gesserit. Quam ad rem confert, vt sapius fecisse demonstretur. Quare quæ casu, aut fortuna facta sunt, consilio, ac iudicio attribuenda. Nam si multa, similiaque connectuntur, virtutis, atque iudicii videbuntur esse indicium. Cum verò laus sit, magnitudinem virtutis ostendens oratio, oportet operationes quod eiusmodi sint extollere. Encomium verò operum est, absque personis. Ea verò, quæ afferuntur extrà, vt fidem faciant, dicuntur, vt nobilitas, doctrina. Versimile nanque est, bonum esse ex bonis, & sic educatum eiusmodi esse. Laudamus ergo eos, qui fecerunt: quoniam facta signa sunt habitus. Nam etiam eum, qui non fecit, laudaremus, si talem esse crederemus. Beatior verò, & felicitatio ipsis quidem eadem, his autem non eadem: sed vt felicitas virtutem, sic continet hæc felicitatio. Habent autem communem speciem laudes cum deliberatione. Nam quæ in admonendo diceris, ea dictione orationis commutata laudem constituunt. Cum ergo habeas quæ agenda sint, & qualem quandam esse oporteat: hæc quasi admonendo dicta, verbis commutanda, transponendaq; sunt: vt in admonitione, consilioq; fit. Non oportet secunda fortuna confidere nimium, sed iis, quæ à se ipso sunt. In laude sic, non secunda fortuna, sed se ipso plurimum confidebat. Quas ob res laudando quid admoneas, & consulendo quid laudes considera, & opposita necessariò dictione vtaris, cum tam prohibens, quàm non prohibens commutaueris. Vtaris autem & eorum, quæ amplifican, pluribus, vt si solus, si primus, aut cum paucis, aut quod maximè factum est. Laudabilia enim hæc omnia. Præterea, quod ex tempore, atque occasione est, quæ sunt præter quàm conuenit. Adhæc, si sapius eandem rem gessit. Magnum nanque id, nec à fortuna, sed ab eo ipso profectum videtur. Si quibus ad virtutem inflamamur, & quibus honoramur, hæc ab eo inuenta, constitutaque sunt. Si primus omnium laudatus est: sicut Hippolochus, & Har-

modio, ac Aristogitoni in foro statuz primùm posita: & in contrariis similiter. Quòd si ex eo ipso non facillè adinuenire potes, aliis compara. Quod Isocrates ex consuetudine declamandi faciebat. Sed oportet illustribus comparare. Amplificat enim id, maximèque laudabile est, cum virtuosus melior ostendatur. Cæterum amplificatio meritò in laudes incidit. Excellentia enim est: & excellere, laudabile. Quapropter cum excessus ipse virtutem ostendere videatur, etsi non illustribus, attamè aliis comparandum. E generibus igitur omni orationi communibus amplificatio demonstrationi accommodatior. Nam cum res gestas quasi certas accipiant, reliquum est, vt magnitudinem eis, ac ornamentum afferat. Exempla verò deliberatiuis aptiora sunt. Ex præteritis enim futura coniciunt iudicamus. Enthymemata autem iudicialibus magis conueniunt. Nam quod factum est, & causam, quare factum est, suscipit, & probationem patitur, quoniam incertum est. Ex quibus igitur laus, ac vituperatio fermè omnis, & ad quam respicientes, laudare, ac vituperare oporteat, & ex quibus commendationes, & opprobria fluant, hæc sunt. Nam horum contraria non latent: vituperatio autem ex contrariis est.

De accusatione, & defensione.

Cap. X.

Nunc de accusatione, ac defensione, ex quibus, & quot ratiocinationes faciendæ sunt, dicendum videtur. Tria igitur sumenda sunt. Primum, quot, & quorum gratia iniuriam inferunt. Deinde quomodo affecti. Tertium, quales, & quomodo se habentes. Si ergo iniuriam primùm definierimus, de reliquis deinceps explicabimus. Sit ergo iniuriari, sponte præter leges officere. Legum autem alia propria, alia communis. Propriam dicimus, qua ciues scripta vtuntur: communem verò, qua nulla, etiam si scripta non sunt, apud omnes tamen valere videntur. Sponte autem facimus, quæcunque scientes, & non coacti, facimus. Quæ igitur sponte facimus, non omnia eligimus: quæ autem eligimus, omnia cognoscimus. Nemo enim ignorat quæ eligit. Ea verò, quibus officere, ac praua præter leges committere statuunt, improbitas sunt, & intemperantia. Si enim vitium habeat vnum, aut plura, in quo improbi sunt, in eo etiam iniusti: veluti prodigus, in pecuniis: intemperatus, in voluptatibus corporis: mollis, in desidia: timidus, in periculis. Deserit enim periculis socios, propter timorem. Ambitiosus etiam propter honores iniustus est: iracundus, propter iram: contentiosus, cupiditate victoriarum: acerbus, propter vltionem: stultus, quoniam circa bonum, & iustum decipitur: eodemque modo cæteri, vnusquisque in suo subiecto. Verùm hæc partim ex iis, quæ de virtutibus dicta sunt, perspicua sunt: partim ex iis, quæ de affectibus dicuntur, patebunt. Quare reliquum est, vt cuius gratia, quomodoque se habentes, & quibus iniuriantur, tractemus. Primum ergo diuidentes dicimus, quæ sunt quæ appetimus, & qualia sunt, quæ vt fugiamus, iniuriam facere conamur. Perspicuum enim est, considerandum esse accusatori quot, & quæ reo

insunt ex iis, quæ omnes appetunt, qui iniuria cæteros afficiunt. Defensori autem, quæ, & quot eorum non insunt. Quæ igitur agunt, alia omnes propter se ipsos agunt, alia non propter se ipsos: & istorum alia casu, alia necessitate. Horum etiam quædam vi, quædam natura. Quare quæcunque non propter se ipsos faciunt, aut casu, aut natura, aut vi faciunt. Quæcunque autem propter se ipsos, quorum scilicet ipsi causa sunt, alia propter consuetudinem agunt, alia propter appetitum. Et horum quædam appetitu rationali, quædam irrationali. Nam voluntas, appetitus est boni cum ratione. Nullus enim aliquid vult, nisi cum bonum esse putauerit. Appetitiones verò irrationabiles, ira, & cupiditas. Quare quæcunque homines agunt, septem eos de causis agere oportet, fortuna, vi nature, consuetudine, ratione, ira, cupiditate. Neque oportet secundum ætates, aut habitus, aut talia quædam, ea, quæ aguntur, distinguere. Nam si accidit, vt iracundi, aut cupidi iuuenes sint, non tamen propter ætatem agunt quæ agunt, sed propter cupiditatem, ac iram. Neque diuites, ac pauperes propter diuitias, & paupertatem: sed accidit, vt pauperes propter egestatem pecunias cupiant, diuites verò propter licentias voluptates non necessarias. Itaque ii etiam non propter diuitias, aut egestatem agunt, sed propter cupiditatem. Eodemque modo iusti, & iniusti, cæteri que, qui secundum habitus agere dicuntur, propter hæc omnia agent. Nam aut propter rationem, aut propter affectum. Sed quidam moribus, & affectibus bonis, quidam contra. Accidit autem, vt ad hos quidem habitus alia, ad illos verò alia consequantur. Foran enim statim modestum propter modestiam ipsam tam opiniones, quam cupiditates probæ circa voluptates consequuntur. At immodestum circa easdem ipsas contrariæ. Quapropter huiusmodi diuisionibus superfedendum est, & considerandum quæ quos sequi soleant. Nam si albus, aut niger, aut magnus, aut paruus, nihil ex eis consequitur. Sin autem iuuenis, aut senex, aut iustus, aut iniustus, iam inter se differunt: & omnino quæcunque accidentium mores hominum differentes efficiunt: vt si quis diuitem se, aut inopem putat, & felicem, aut infelicem, id ipsum verò nonnullam faciet differentiam. Sed de his postea. Nunc de aliis dicamus. Fortuna igitur sunt, quæcunque ita fiunt, vt cum eorum causa indeterminabilis sit, nec huius gratia, nec semper, nec vt plurimum, nec ordine fiunt. Quæ omnia fortunæ ipsius definitione patent. Natura fiunt, quæ causam, & ordinem in se ipsis habent: nam aut semper, aut vt plurimum sic eueniunt. Nam quæ præter naturam fiunt, ea vtum secundum quandam naturam, an alia causa fiant, non oportet inquirere: quauis etiam fortuna causa horum esse videatur. Vi autem, quæcunque per cupiditatem, ac rationem per ipsos agentes fiunt. Consuetudine verò, quæcunque ideo faciunt, quoniam sæpe fecerunt. Ratione autem, quæ, cum sint ex bonis iam dictis, conferrèque videantur, vel vt finis, vel vt ad finem, propter vtilitatem aguntur. Nam quædam intemperantes etiam agunt vtilia, verùm non propter vtilitatem, sed propter voluptatem. Ira verò fiunt, quibus vlciscimur. Differunt autem pœna, & vltio. Nam pœna, eius, qui patitur, gratia

gratia fit. Vltio verò eius, qui facit, vt expleatur. Verùm ex quibus ira fit, ex iis, quæ de affectibus dicemus, patebit. Cupiditate autem aguntur, quæcunque iucunda videntur. Verùm & consuetudo, & ea, in quibus assueti sumus, iucunda sunt. Nam multa etiam eorum, quæ natura iucunda non sunt, cum voluptate faciunt, qui assueti sunt. Quare, vt breuiter dicam, quæcunque propter se ipsos agunt, omnia vel bona sunt, vel bona esse videntur, & aut iucunda, aut videntur iucunda. Verùm quoniam quæ propter se ipsos agunt, hæc sponte agunt: non sponte autem quæ non propter se ipsos, omnia, quæ volentes agunt, bona erunt, vel apparentia bona, & aut iucunda, aut apparentia iucunda. Ponimus autem malorum etiam, vel apparentium malorum reiectionem, aut minoris pro maiore assumptionem in bonorum numero, cum eligibilia quodam modo sint. Et similiter doloris, & apparentis doloris reiectionem, aut minoris pro maiore assumptionem in iucundis numeramus. Quare quot, & qualia vtilia sint, aut iucunda, sumendum est. Sed cum de vtilibus, quando de deliberatione tractabamus, satis dictum sit, de iucundis impræsentiarum agamus. Oportet autem, definitiones has sufficientes putare, si ita se habent, vt de vnoquoque neque obscuræ sint, neque exactæ. Supponatur igitur nobis, voluptatem esse motum animi quendam, & affectionem totam simul, & sensibiliter in naturam proficiscentem, dolorem verò contrarium.

De iucundis. Cap. XI.



Quare si hoc voluptas sit, patet id iucundum esse, quod dictum affectionem efficit: triste verò, ac dolorosum, vel eius corruptiuum, vel contrariæ affectionis effectiuum. Ita iucundum necessariò est, tam quod secundum naturam vt plurimum proficiscitur, ac maximè cum quæ natura fiunt, iam naturam suam, & consuetudinem consecuta sunt. Quod enim vitarum est, quasi iam innatum esset, gignitur. Nam cum sæpe ipsum ipsi semper propinquum sit, & ipsius quidem semper natura sit, ipsius verò sæpe consuetudo, naturæ consuetudo similis est, & quod violentum non est: vis enim præter naturam est. Itaque tristis necessitas est, rectèque dicitur violentum omne natura dolorem efficere. Quare curæ, seria, animi intentiones, tristitia sunt. Necessitudine enim, ac vi fiunt, nisi qui faciunt, assueti sint. Horum verò contraria iucunda sunt. Idcirco desidia, iocis, quies, accubationes, somnus in iucundis sunt, cum nihil eorum vi fiat. Præterea, cuius cupiditas inest, omne iucundum. Nam cupiditas, iucunda appetitio est. Cupiditatum autem aliarum sine ratione sunt, aliarum cum ratione. Irrationales dico, quas ex nulla cogitatione cupiunt: quales sunt, quæ natura esse dicuntur, vt quæ sunt per corpus, veluti alimentis, & famis. Est autem in singulis etiam alimentis speciebus cupiditas, & in gustabilibus, atque Veneris, & vniuersaliter in tangibilibus, & in olfactu odoris, & in auditu, atque visu. Rationales verò, cum quædam persuasi cupiunt. Nam multa & expectere, & possidere cupiunt cum audiuerint, persuasique fuerint. Verùm quoniam voluptate frui tum est, cum aliquo sensu afficimur, imaginatioque sen-

sus quidam est debilis, & recordantem, ac sperantem eius rei sequitur imaginatio, quam recordatur, ac sperat: quoniam igitur hæc ita sunt, patet, voluptates inesse recordantibus valde, atque sperantibus: siquidem & sensus. Quare necessarium est, iucunda omnia, vel in sentiendo præsentia esse, vel in recolendo præterita, vel in sperando futura. Si quidem præsentia sentimus, præterita meminimus, futura speramus. Quæ igitur meminimus, iucunda sunt: nec solùm quæ cum aderant, voluptatem afferebant, verùm etiam nonnulla eorum, quæ dolorem, si post illa bonum, ac laudabile quid habeamus. Hinc illud dictum est. Iucundum est seruat, meminisse periculi. Et illud. Lætatur enim vir post labores, cum multa tulisse, multaque gessisse recorderet. Cuius causa est, quoniam malum etiam non habere, iucundum est. Eorum autem, quæ in spe sunt, quæcunque delectationem, aut vtilitatem afferre non paruam cum adsunt, aut sine dolore iuuare videntur: & omnino quæcunque cum adsunt, delectationi sunt: ea, inquam, omnia sperantibus quoque, ac recordantibus vt plurimum iucunda sunt. Idcirco irasci quoque iucundum. Vnde Homerus etiam dixit de ira, quòd defluente melle multò sit dulcior. Nemo enim illis irascitur, quos vlcisci putat impossibile. Illis etiam, qui potentia excedunt, aut non irascuntur, aut minùs irascuntur. Adhæc ingentes quoque cupiditates voluptas quædam consequitur. Nam cum se assequutos meminerint, aut sperent assequuturos, voluptate quadam afficiuntur: veluti qui febricitant, siti oppressi, memoriæ habentes quod biberint, sperantesque se bibituros, gaudent. Similiter amantes cum alloquantur, aut scribant, aut quicquam aliud faciant ad eum, quem absentem amant, gaudent. In omnibus nanque his quasi sentire putant eum, quem amant, cum eis recordentur. Idque amoris initium omnibus est, si non solùm, cum adest, lætantur, sed absentes etiam memoriam tenentes amant. Idcirco etiam cum mœsti sunt, quoniam non adest. Et in luctu, & fletu inest quædam voluptas. Mœror enim in eo est, quod non adest: voluptas autem, quòd recordentur, ac illum quodam modo videant, & quæ agebat, & qualis erat. Vnde illud dictum est:

Sic fatus, flendi cunctis immisit amorem.

Vlcisci etiam, iucundum est. Nam quod si non assequeris, triste: si assequeris, id iucundum est. Et punire, delectabile est. Id enim adipisci iucundum, cuius frustratio est tristis. Qui verò irascuntur, magnopere dolent non vlti: sperantes autem gaudent. Vincere quoque iucundum est, nec contentiosis solùm, sed omnibus. Excessus nanque imaginatio fit: cuius rei omnes aut moderatè, aut magis etiam, quam oporteat, cupidi sunt. Verùm quoniam iucundum vincere est, ludos etiam omnes, qui pugna, aut contentionis speciem habet, iucundos esse necesse est, (sæpe nanque in ipsis victoria inest) vt tesseris, aleam, pilam, tabulam, ludos quoque liberos similiter. Nam eorum alii iucundi fiunt, si quis assequerit: alii statim iucundi, vt venatio, & omnis bestiarum persequutio. Vbi enim certatio est, ibi victoria quoque est. Quapropter forum, disputationesque assuetis, atque potentibus iucunda: Honor etiam, atque gloria iucundissimorum est. Fit enim

unicuique imaginatio talem se esse, ac virtuosum, præsertim, cum ii asserant, quos non existimat mentiri, quales domestici potius sunt, quam alieni: deinde familiares, ac noti, & ciues potius, quam peregrini: & qui sunt, potius, quam futuri: prudentes potius, quam fatui: & multi, quam pauci. Hos enim veraciter prædicare verisimilius est, quam oppositos. Nulla enim cura est, ut ab iis quispiam nimium quos despiciat, veluti à pueris, aut à bestiis honor, aut gloria conquiratur, non, inquam, ipsius gloriæ, sed forsitan cuiusdam alterius gratia. Amicus quoque iucundum est: nam & amare, iucundum. Nullus enim vinum amat, qui vino non lætatur. Amari etiam iucundum. Imaginatio enim hæc quoque fit, bonum sibi inesse, quod qui sentiunt, omnes cupiunt. Admirationi etiam esse, iucundum: quoniam & honorari. Assentationibus quoque aures præbere. Ideo etiam adulator iucundum. Nam & admirari, & amare videtur. Idem etiam sæpius agere, iucundum. Consuetudo namque iucunda erat. Varietas quoque, ac vicissitudo, iucunda. In naturam enim mutatio fit. Quocumque autem vno modo semper se habet, constituti, atque fixi habitus satietatem generat. Vnde dictum est, vicissitudinem rerum omnium iucundam esse. Idcirco etiam quæ interuallo temporis magno videntur, iucunda sunt, tam res, quam homines. Mutatio enim præsentium fit. Et simile etiam est, quod magno temporis interuallo interposito fit. Discere quoque, & admirari, iucundum ut plurimum est. In admirando enim dicendi cupiditas inest. Quare admirabile, desiderabile est. In discendo autem reditus inest in naturam. Beneficium etiam tam conferre, quam accipere, ex iucundis est. Nam qui recipit, quod cupit adipiscitur. Qui autem confert, habet, abundatque iis, quæ vterque appetit. Verum quoniam bene mereri iucundum est, idcirco subuenire quoque propinquis, & manca supplere, suaue hominibus est. Et quoniam discere, atque admirari, iucundum: necesse est, ut quæ imitatione assequuti sumus, iucunda sint: ut pingendi, atque fingendi artes, & poetica similiter, omnique, quod imitatione fit, etiam si iucundum id non sit, quod imitantur. Non enim illo lætantur, sed quoniam ratiocinationem faciunt, quod hoc illud est, quare aliquid discere accidit. Euadere quoque à periculis, tantò iucundius, quanto propius periculo. Admirabilia enim omnia hæc sunt. Et quoniam quod secundum naturam est, iucundum est, omniaque genere inter se coniuncta, secundum naturam sunt: idcirco ut plurimum quæ similia sunt, ac genere coniuncta, iucunda sunt: ut homo homini, equus equo, adolescens adolescenti. Hinc & proverbia celebrata sunt, quod æqualis æqualem delectat, quodque semper à simili simile amatur, & quod bellua belluam cognoscit, & quod semper merula ad merulam, & quæcunque huiusmodi. Verum quoniam quod simile & eiusdem generis est, sibi ipsi iucundum est, idque maxime vnusquisque ad se ipsum habet: necesse est omnes, alios plus, alios minus se ipsos amare. Nam omnia illa vniciuique ad se ipsum maxime infunt. Quod si omnes se ipsos amant, sua quoque vniciuique iucunda esse necesse est: ut opera, orationes. Quare assentatorum ut plurimum, atque amatorum amici sunt.

Ambitiosi quoque, ac liberorum amore victi. Nam liberi, opera sua sunt. Manca quoque supplere, iucundum: quoniam opus iam suum fit. Et quoniam principari iucundissimum est, ideo sapientem esse iucundum videtur. Nam sapere, principantis est. Sapientia autem multarum, ac mirabilium rerum scientia est. Præterea, quoniam ut plurimum ambitiosi sunt, necesse est, increpare quoque alios, iucundum esse. Item, in quo vnusquisque sibi optimus esse videtur, in eo versari: ut Euripides ait. In id adducitur, magnam diei partem ei adtribuens: ut ipse se ipso fruatur: cum sit optimus. Insuper cum ludus, ac iocus ex iucundis sint: remissio quoque omnis, ac risus, & ridicula, iucunda necessariò sunt, & homines, & verba, & opera. Sed de ridiculis in iis, quæ de arte poetica dicta sunt, determinatum est. Verum de iucundis hæc dicta sint. Dolorem autem inferentia, ex contrariis horum patet. Quorum igitur gratia iniuriantur, hæc sunt.

Quomodo se habentes, & quibus iniuriantur.

Cap. XII.



Vnc autem quomodo se habentes, & quibus, exponamus. Ipsi ergo tum rem geri possibilem arbitrantur, & sibi possibilem, siue celare sperent, siue deprehensos non duros poenas: aut duros quidem, sed minus sibi, vel suis futurum supplicium, quam emolumentum. Verum quæ possibilia, quæque impossibilia videantur, posterius explanabitur. Communia enim sunt omnibus rhetoricæ partibus. Ipsi autem posse se absque damno iniuriari arbitrantur, si orationis copiam habeant, si actiui sint, si multis in certaminibus experti, si amicis abundant, si diuites sunt, aut ipsi maxime, aut saltem si huiusmodi sibi amici, aut ministri, aut focii sint. Nam hæc propter & celare, & facere, & non dare poenas possunt. Præterea, si amici sunt iis, qui iniuriam perpetiuntur, aut iudicibus. Nam & amici nec obseruant iniuriantes amicos, & reconciliari malunt, quam accusare: & iudices iis gratificantur, quos amant, & aut omnino absolunt, aut parui condemnant. Celare autem facilius possunt, partim qui ad ipsa crimina incommodi sunt: ut si imbecillus pulsasse hominem accusetur, aut inops, aut deformis adulterii. Et quæ in aperto, & ante oculos posita sunt. Nam quæ nemo putat, nemo seruat: & quæ tot, & tanta sunt, ut ea nullus. Nam & hæc minime obseruantur. Omnes enim homines, quibus vrsitissima iniuriæ sunt, ab eis cauent: veluti etiam à morbis, qui solent inuadere. Quo autem nondum aliquis laborauit, ab eo nemo cauet. Partim ii, quibus inimicus nullus est, aut plurimi. Alii enim celaturos se putant, quod non obseruentur, alii quod non videantur aggressuri fuisse, cum obseruentur. Habentque defensionem hanc, quod non fuissent aggressuri. Partim quos vel mores, vel affectio, vel locus commodè celant. Partim ii, qui si non celare potuerint, propellere omnino iudicium possunt, aut in longius prorogare, aut iudices corrumpere. Partim ii, qui si pecunia damnabuntur, vel solutioni supersedere possunt, aut in longius producere, vel ob inopiam nihil habeant quod perdant. Partim quibus emolumenta quidem vel aperte adueniunt,

niunt, vel magna, vel de propinquo: damna verò econtra, vel occulta, vel parua, vel delonge. Partim quibus maior est vtilitas, quam ut par supplicium excogitari queat: quod tyrannis consequuta videtur. Partim quibuscumque iniuriæ lucra quidem sunt, condemnationes autem opprobria solum. Et contra, quibus iniuriæ quidem laudi quodam modo sunt: ut si alicui simul contigerit parentem vlscisci, veluti Zenoni. Condemnationes verò, aut exilii, aut pecuniæ, aut alterius huiusmodi. Iniuriantur enim vtrique ii, siue hoc, siue illo se pacto habeant: sed non ut iidem ipsi sunt, verum ut oppositi in moribus. Partim qui sæpe aut celarunt, aut condemnati non sunt. Item, quibus sæpius aggressis parum successit. Sunt enim nonnulli tales in iniuriando, quales in re bellica, qui iterum, atque iterum pugnas inceperunt. Præterea, qui voluptatem, aut lucrum statim assequuntur, dolorem, aut damnum postea: quales incontinentes sunt. Inest enim incontinentia circa amia, quæ appetuntur. Et contra, qui dolorem, aut damnum statim perpetiuntur, voluptatem verò, aut emolumentum postea, & tardius. Continentes enim, ac solertiores hæc persequuntur. Partim qui videri possunt, vel fortuna, vel necessitudine, vel natura, vel consuetudine fecisse: & in summa errasse, sed non iniuriatos fuisse. Partim qui ius suum haud aliter obtinere possunt. Partim qui eguerint. Sunt autem egentes dupliciter: nam aut necessariis, ut inopes: aut superuacaneis, ut diuites. Partim qui præclari, aut infames sunt. Alii quoniam non videbuntur. Alii quoniam non magis videbuntur. Ac ipsi quidem sic se habentes aggreduuntur. Iniuria verò afficiunt hos, & in his. Primum habentes ea, quibus ipsi egeant, vel ut necessitatem expleant, vel ut abundant, vel ut fruuntur. Deinde tam longè absentes, quam propè. Ab aliis namque citò auferunt, ab aliis tardius puniuntur: veluti qui Carthaginensibus furantur. Præterea, non obseruantes, neque cauentes, sed credulos. Nam omnes hos celare facile. Adhæc negligentes: nam vlscisci, diligentis est. Verecundos etiam: non enim pugnant de lucro. Eos quoque, qui affecti à multis iniuria, non curarunt de vltione. Nam (ut tri to prouerbio dicitur) Mysorum præda sunt. Insuper eos, quos nunquam, & quos sæpius. Vtrique enim incauti: illi quod nunquam, ii quod non amplius. Item, eos, qui aduersis rumoribus vel opprimuntur, vel facile possunt opprimi. Nam ii nec volunt, cum timeant iudices: nec persuadere queunt: cuiusmodi sunt & quos multi oderunt, & quibus multi inuidet. Item, aduersus quos causam habuerunt, vel ex ipsis, vel ex parentibus, vel ex amicis: qui malè aut fecerunt, aut facturi erant, vel sibi, vel parentibus, vel iis, qui sibi curæ sunt, sicuti prouerbio fertur. Improbis prætextum quærit. Item, amicos, atque inimicos: alios namque facile, alios iucundè. Item, eos, qui amicos non habent. Item, eos, qui nec ad dicendum, nec ad faciendum multum valent. Nam ii aut vlscisci negligunt, aut reconciliantur, aut non ad finem vsque persequuntur. Præterea, quibus inutile est, dum iudicia, & compensationem expectant, tempus consumere: quales sunt aduenæ, ac opifices, qui iniuriantes sibi paruo absolunt, & facile cessant. Præterea, eos, qui aut ipsi

aliis sæpe iniuriam intulerunt, aut iniuria talia fecerunt, qualia patiuntur. Nam id non videtur ferè iniuria, cum tale quid perpeffus quispiam sit, quale ipse est solitus facere: ut si quis contumeliari solitum verberauerit, vel eos, qui malè aut fecerunt, aut voluerunt, aut facturi sunt. Nam & voluptatem id, & laudem habet: nec ferè iniuria esse videtur. Item, eos, quorum iniuria vel amicis, vel dominis, vel, in summa, quibus ipsi viuunt, gratia videtur. Item, eos, à quibus sperant veniam se consequuturos. Præterea, eos, de quibus conquesti sunt, & alienati, suspectique: ut Calippus in Dionem fecit. Hæc enim quasi iniuria careant, speciem habent. Præterea, eos, quos etiam si ipsi dimitterent, ab aliis tamen opprimerentur: quasi non sit amplius possibile consilium adhiberi, ut Aenesidemus ad Gelonè, cum ab eo Cotabia oppidum depopulatum fuisset, scripsisse fertur, quod scilicet eum urbem illam depopulaturum paulò præuenisset. Præterea, eos, quibus iniuriari poterunt iuste agere multa, quasi facile resarturi: ut Iason Theffalus dixit, opus esse in quibusdam iniuriari, ut iure quoque multa facere possis. Item, ea facilius committunt, quæ omnes, aut multi factitant. Veniam enim se consecuturos in his putant. Item, ea, quæ celari vbique commodius possunt: qualia sunt, quæ citò consumuntur, ut edulia, vel facile figura, colore, complexionem immutantur: vel quæ celari vbique possunt. Et quæ facile portantur, & paruis in locis reconduntur. Item, ea, quorum similia multa iniurians possidebat: & quæ perpeffum dicere pudet: ut vxorum adulteria, contumeliæque sui, vel liberorum. Et in quibus qui accusat, litium studiosis videtur: qualia sunt parua, & in quibus venia dari solet. Ac quomodo se habentes iniuriantur, & quibus, & quomodo, & cur, hæc ferè sunt.

De iniuria, iurèque factis. Cap. XIII.



Ed iniuria, iurèque facta omnia distinguamus, hinc primum incipientes. Determinantur itaque iusta, atque iniusta primum duabus legibus, deinde quibus fiunt, dupliciter. Legem autem dico, alteram propriam esse, alteram communem. Et propriam quidem quæ singulis inter se ipsis determinata est. Et hanc aliam scriptam, aliam non. Communem verò, quæ secundum naturam est. Est enim quoddam natura iustum, & iniustum, quod omnes vaticinantur, etiam si nulla inter se societas, aut pactio sit: quale Antigone apud Sophoclem dicere videtur, cum iustum esse asserat, sepulturæ Polynicen tradere. Non enim, inquit, nunc, aut nudius tertius, verum semper id viget, nemòque scit ex quo ita constitutum est. Et ut Empedocles dicit de non interficiendis animatis. Non enim id apud quosdam iustum, apud quosdam verò iniustum: sed apud omnes, inquit, legitimum, ac per æthera latum, terræque iacentes constitutum est. Et ut Alcidas etiam in Mefeniaco dicit. Quibus autem determinata sunt, dupliciter determinata sunt. Nam aut ad communem societatem, aut ad vnum supremum societatis agenda, aut non agenda spectant. Idcirco dupliciter etiam iure, ac iniuria facere possumus. Nam aut vnum, ac certum, aut ciuitatem lædimus. Qui

enim adulteratur, aut hominē cædit, certū quendā lædit. Qui verò militiā deserit, ciuitatē. Cū igitur quæ iniuste fiunt, omnia ita bipartitō distribuatur, si prius quid sit iniuriam pati, repetierimus, cætera dicemus. Iniuriam pati ergo est, cū à volentibus iniusta inferuntur. Iniuriari enim, volūtarium esse iam definitum est. Verū quoniam necesse est, eū, qui iniuste patitur, lædi, neque sponte lædi: læsionēque ex iis, quæ iam diximus, patent (bona enim, & mala prius diuisa sunt, voluntaria etiam dictum est ea esse, quæ scientes faciunt) necesse est peccata omnia vel ad ciuitatem, vel ad priuatos spectare: & hæc aut à nesciente, aut inuito, & à volente, atque sciente fieri. Et horum quædam electione, quædam affectu. Ac de his quidem in tractatu de affectibus explanabitur. Quæ verò eligunt, & quomodo se habentes, iam explanatum est. Verū quoniam sæpe concedentes fecisse, aut intentionem accusatoris, nomēque facti negant, aut id, de quo est intentio, vt cepisse, sed non furatum fuisse: verberasse, sed non contumeliatum esse: fuisse vnā, sed non adulteratū fuisse: aut furatum esse, sed non commisisse sacrilegium: non enim rem diuinā attigisse: aut sustulisse, sed non publica: aut collocutū cum hostibus fuisse, sed non prodidisse: propterea oportebit etiā quid furtum sit, quid contumelia, quid adulterium, determinare: vt siue esse, siue non esse iustum velimus ostendere, facere queamus. Nam de omnibus his questio est, vtrum iniustus sit, & improbus, an non. Est enim in electione improbitas, atque iniuria: & huiusmodi nomina elegisse ostendunt, veluti contumelia, furtum. Nec enim si verberauit, statim contumelia affecit: sed si alienius gratia, vt si aut ignominia afficiendi alium, aut voluptatis suæ. Nec si clam accepit, statim furatus est: sed si vt alteri damnum, sibi vtilitatem afferret: similiterque de aliis. Quoniam verò duæ iustorum, atque iniustorum partes erant (quædam enim scripta, quædam non scripta) de iis quidem, de quibus leges scribunt, dictum est: ea verò, quæ scripta non sunt, bipartitō distribuimus. Nam alia sunt per excessum virtutis, aut vitii: in quibus vituperationes, honores, infamia, donationesque sunt: veluti gratiam & habere, & referre benemerito, paratum esse amicis, cæteraque huiusmodi. Alia legum scriptarum defectus. Nam æquum, & bonum, iustum esse videtur. Aequum autem, & bonum est, quod præter legem scriptam iustum est. Idque accidit partim volentibus, partim inuitis legumlatoribus. Inuitis quidem, cū se effugerit: volentibus autem, & cū nequeant determinare, sed necesse sit vniuersaliter dicere, quod non ita, sed vt plurimum. Et cū determinatio propter infinitatem facilis non sit, vt si ferro percussit, quanto, & quali quodam. Tempus enim deerit enumeranti. Si ergo, de quo determinari non potest, de eo lex ferenda est, necessariō simpliciter dicendum, Quare si cū annullatus sit, manum extollat, vel percutiat: lege quidem scripta reus est, & iniuriatus est: verè autem non est iniuriatus: & id est æquum, ac bonum. Si ergo quod dictū est, æquum, ac bonum est, patet, æquum etiā esse, ne tanti errores fiant, quanti iniuria: nec quæ aduersa fortuna eueniunt, tanti, quanti errores. Dicuntur autem aduersa fieri fortuna, quæcunque cū præter opinio-

De statu de finituo.

De æquo & bono.

Infortunū quid.

nem fiant, non fiunt ex prauitate. Errore autē, cū nec præter opinionem, nec ex prauitate. Iniuria verò, cū non præter opinionem, & ex prauitate. Nā quæ cupiditate fiunt, ex prauitate fiunt. Aequum etiam est, rebus humanis ad ignoscendum commoueri, & non legem, sed legis scriptorem, ac non verba, sed sententiam spectare: nec factum, sed voluntatem: nec partem, sed totū: nec quis nunc, sed quis semper, aut ferè semper fuerit, considera, & meminisse bonorū magis, quæ in se collata sunt, quàm malorum, & eorum bonorum magis, quæ recepit, quàm quæ fecit: & non iniquo animo iniuriā ferre: & oratione disceptare potius velle, quàm re: & in arbitrium magis, quàm in forum velle descendere. Nam arbiter ad æquum, & bonum, & iudex ad legē spectat. Et hac de causa arbiter eligitur, vt æquum, & bonum præualeat. Ac de æquo, & bono sic determinatum sit.

Error. Iniuria.

De maiore, ac minore iniuria. Cap. XIII.

Iniuria verò maior, quæ à maiore proficiscitur iniquitate. Quocirca quæ minima sunt crimina, maxima interdum videntur: vt Menalopum Callistratus accusabat, quod templi custodes decepisset, triaque vascula è sacris minimi ponderis sustulisset. Contrà verò est in ipsa iustitia. Hæc autē ita sunt, quoniam viribus excedunt. Nam qui sacra vascula parui ponderis furatus est, is quauis in re peccabit. Interdum igitur sic magna iniuria, interdū ex magnitudine damni æstimatur, vt illa, cui nullum potest supplicium exæquari, sed omnis pœna minor inuenitur, & cui remedium afferri non potest. Acerbum enim, atque inauditum. Et in qua non potest qui passus est, pœnam sumere, cū res nullum remediū patiatur. Nam vltio, atque pœna, remedium est. Et si qui perpeffus est, turpitudinē ferre non potuit. Maiore nanque supplicio, qui fecit, dignus est, vt Sophocles cū Euestemonis causam ageret, ac ille non ferens contumeliam, se ipsum interemisset: nō æstimare se contumeliam minoris inquit, quàm quanti, qui passus est, æstimauit. Et si solus, aut primus fecit, aut si pauci admodum eo crimine contaminati sunt. Idem etiam sæpius peccare, permagnū. Similiter maximè is peccat, cuius causa quærantur, ac excogitentur quæ prohibeāt, vt supplicia, & cruciatus: sicut ii, propter quos carcer exædificatus est. Et apud Argiuos pecunia is mulctatur, propter quæ lex posita est. Maius etiam est, quod belluarum magis est: & quod ex præmeditatione magis: & quod qui audiunt, timent magis, quàm misereantur. Amplificantia verò illa sunt, quod multa iusta euertit, aut contempfit, iusiurandum, datam dexteram, hospitium, fidem, affinitates. Multorum nanque criminum exaggeratio fit. Adhæc, non parum ibi peccare, vbi puniuntur iniusti: quod falsi testes faciunt. Vbi enim non peccabūt, qui vel apud iudices peccant? Præterea, ea maiora, in quibus turpitudine maior. Summa etiam iniuria, si eum lædit, qui de se bene meritus est. Plura nanque peccat, quod non benefacit, & quod malè. Is etiam vituperandus, qui iustitiam secundum leges scriptas solummodo feruat. Melior enim, qui non coactus iustus est. Scri-

seipsum affligens.

pra

pta verò coacti seruant, sed non coacti minimè. alio etiam modo qui præter scripta facit. Nam qui ea cōmittit, quæ leges prohibent, & de quibus supplicia sunt, is multò magis committet, de quibus nullum supplicium est. De iniuria igitur maiore, vel minore dictum est.

De inartificiali fide. Cap. XV.

Fide autem, quæ inartificialis dicitur, deinceps dicendum. Propria enim iudicialium causarum. Sunt igitur, quæ fidem huiusmodi faciunt, quinque numero: leges, testes, pacta, quæstiones, iusiurandum. Primum autem de legibus, quo pacto suadenti, & dissuadenti, & accusanti, & defendenti vtendum sit, dicamus. Patet ergo si lex scripta aduersus nos sit, communi tunc lege vtendum esse, & æquo ac bono tanquam iustioribus, & quod optima sententia vti, hoc est, ne vtaris scriptis in omnibus: & quod æquū & bonum idem permaneat semper, & nūquā immutetur, sed ne communis lex, cū secundum naturam sit: ius verò scriptum sapius. Vnde dictum est in Antigone Sophoclis, fecisse se præter Creontis legem, sed non præter illam non scriptam. Non enim nunc, aut nudius tertius, sed semper. Hanc ergo ego non curabam hominis, verum nullius legē. Et quod iustum, verum quid est, atque vtile: sed nō id, quod videtur. Quare quæ scripta est, lex non est, cū legis opus non faciat. Et quod iudex quasi argenti, atque auri cognitor est, vt verè iustū ab adulterato discernat. Et quod melioris est viri, non scriptis potius, quàm scriptis, vti, & in eis permanere. Et si alii, quæ probetur legi, aut sibi ipsi contraria est, veluti si altera esse iubeat firma, quæcunque inter se pacti sunt, cū altera veter, ne aduersus leges pangant. Et si ambigua, vt vertere, inspicerēque liceat, quam ad partem iustum, ad quam vtile accomodabitur: ac ita demum ipsa vti. Et si res, de quibus lex lata est, non similiter se habeant, lex autem ita: tunc verò id ipsum significandum est, ostendendumque sibi ipsi eam repugnare. Sin verò lex scripta rebus conueniat, tunc optima sententia dicendum non esse legem positam, vt præter leges iudices, sed ne ignorando quod leges volunt, peieres. Et quod nemo eligit, quod simpliciter bonum est, sed omnes quod sibi. Et quod non differat, vel nullas esse leges, vel non vti. Et quod etiam in morbis non conferat aduersus medicum cauillari: quanuis non tantum medici error officia, quantum si obaudire principibus assuescimus. Et quod probata leges id maximè vetant, ne quis se legibus prudentiorem velit ostendere. Ac de legibus quidem sic determinatum sit. Testes autem alii veteres, alii iuniores. Et horum cum aliis periculum commune est, alii omnino extra periculum sunt. Veteres igitur dico poetas, cæterosque claros, quorum sententiæ approbantur, sicuti Homero teste de Salamine Athenienses vsi sunt. Tenedii quoque nuper aduersus Sigienfes Periandro Corinthio, & Leophron in Critiam Solonis vsus est elegiis, vt ostenderet iam ex priscis temporibus domū eius impudicā fuisse. Non enim scripisset Solon, Flauo Critiæ dicendum mihi est, vt patri ausculet. Hi ergo testes de præteritis sunt, de futuris verò oraculorum etiam inter-

Contra legē scriptam.

Pro lege.

Testes.

pretes, vt Themistocles, quod muri lignei, nauali vtendum esse pugna moneant. Præterea, prouerbiū quoque (vt dictum est) testimonium quoddam est: veluti si quis cū cōsultat, senem non esse in amicitia suscipiendum, prouerbiū huic attestari dicat, quo fertur: Nunquā beneficium in senē collocandum. Cū verò liberos cum parentibus interficiendos, Fatuus, qui, patre cæso, liberis pepercit. Iuniorum etiam, qui clari sunt, sententiæ litigantibus conferunt: sicuti Eubulus in iudicio Platonici quiddam aduersus Chareta protulit, quod Plato in Archibium dixit. Increuisse iam propter illum in ciuitate, vt prauos se omnes esse fateantur. Et quibuscunque commune periculum est, si mentiri viderentur. Verū ii de huiusmodi solummodo testes sunt, factūne sit, an non, & vtrum sit, an non. De qualitate verò minimè: vtputa si iustum, si iniustum: vtile, an inutile. Prisci autem etiam de qualitate. Nam cū corrumpi non possint, fide dignissimi sunt. Qui ergo testes non habet, iis prælidiis vtetur, quod ex probabilibus iudicandū sit. Id enim est optima sententia iudicare, quod pecunia corrumpi probabilia non possint, quod falsi nunquā testimonii crimine accusentur. Qui autem habet, aduersus non habentem his vtetur, quod ad ferendam sententiam probabilia non sufficiant: quod testibus nunquā opus esset, si ratione res satis cognosci posset. Sunt autem testimonia vel de nobis, vel de aduersariis, & alia de re, alia de moribus. Quare patet, testimonii conferentis inopiam nunquā futuram. Erit nanque de re quidem vel pro nobis, vel contra aduersarios: de moribus autem, de bonitate nostra, vel de aduersariorum nequitia. Cætera verò de testibus, amicis, aut inimicis, aut neutris, vel probis, vel improbis, vel neutris, ac de quibuscunque aliis huiusmodi testium differentiis, ex iis locis quærendum, ex quibus enthymemata etiā ipsa manant. De pactis autem is orationis vsus est, vt augeas, aut extenuas, & vel credibilia, vel incredibilia ostendas. Nam si pro nobis sunt, credibilia, & vera. Sin pro aduersariis, contrā. Qui ergo probabilia, vel contrā ostendere vult, ea considerabit, quæ de testibus diximus. Nam ex qualitate eorum, qui in pactis conscripti sunt, aut qui seruare ea debent, credibilia, vel contrā sunt. Cū verò conceditur, pactum sic intercessisse: si pro nobis est, amplificatione vtendum. Pactum enim, lex quædam de particulari est. Ac leges quidem non approbantur à pactis. Pacta verò, cū legitima sint, à legibus comprobantur. Et omnino lex ipsa pactum quoddam est. Quare qui non credit, euertitque pactum, leges euertit. Præterea, commutationes rerum vltro, ac citro. Similiter quæ voluntaria sunt, pactis vt plurimum facimus. Quare si quis pacta infirmat, is vsum hominum inter se penitus euertit. Cætera verò hanc ad rem accommodata, facilia intellectu sunt. Sin autē pro aduersariis sint, primū omnia, quæ in legem contrariam quispiam dicet, accommodari possunt. Est enim absurdū, si legibus, cū non rectè, sed iniuste, ac dolo malo latoris positas cognouerimus, non stabimus: & pactis necessariō stabimus. Deinde si iudex iusti distributor est, non est considerandū quod iustum est, sed quod iustius. Et iustum quidem nec deceptione, nec necessita-

Pacta.

N n 5

re verti potest, quoniam innatum sit. Pacta verò & à deceptis, & à coactis fiunt. Adhæc, perspicendum si pacta alicui legum vel scriptarum, vel non scriptarum, si iustis, si honestis, ac demum si alii pacto priori, vel posteriori contradicunt. Nam aut priora vera sunt, & posteriora falsa: aut rectè se habent posteriora, sed priora sefellerunt. Itaque altero istorum ex re nostra vtemur. Denique altiùs inspiciendum, si aliquo modo iudicibus inutilia sunt: cæteraque huiusmodi: facilia nanque inuentu similiter sunt. **Quæstiones autem, testimonia quædam sunt, videnturque fidem facere, quoniam cogunt: quas nō est difficile percipere, ac ea, quæ hinc inueniri, dicique possunt, conspiciere.** Nam si pro nobis sunt, amplificatione vtendum est, quod ex testimoniis sola hæc vera sint. Sin verò aduersus nos, & pro aduersariis, dissoluemus, quæ vera sunt, de vniuerso genere quæstionum differentes. Nam qui coguntur, non minùs falsa dicunt, quàm vera: & tum tolerantis vera occultant, tum falsa dicentes credunt se citiùs euasuros. Sed oportet hæc exëplis comprobare, quæ ipsis iudicibus non ignorentur. De iureiurando autem quadripartitò distribuere possumus. Nam aut offert, & suscipit, aut neutrum, aut alterutrum: id est, aut offert, sed non suscipit: aut suscipit, sed non offert. Præterea, de iis ipsis aliter, si iam iuratum est, & sic vel ab hoc, vel ab illo. Non offerre igitur se dicet, quoniam homines, cum ab eis pecunia petitur, facile peierant: & quoniam qui iurauit, non reddit: qui non iurauit, eum faciliùs condènariputant: & quoniã minus periculũ, iudicibus causam cõmittere, cum his credat, illi minimè. Nō suscipit verò, quoniã pro pecunia iusiurandum est. Et cum sit melius aliqua de causa prauũ esse, quàm de

nulla, iurasset profectò, si prauus esset. Nam iurãdo habebit, nō iurãdo nō habebit. Quare non ne peieret, sed propter virtutem non suscipit. His consentaneum illud Xenophanis, non parè esse hanc proocationem impio ad pium, sed similem ac si robustus ad inferendum, suscipiendumque ictum imbecillem prouocaret. Qui suscipit, quod non aduersariis sed sibi ipsi veritatem tribuit. Illud quoq; Xenophanis conuertendo, dicet par esse, si impius offerat, & pius suscipiat. Graue esse repellere iuratos, cum iudices eadem de re velint sententiam ferre. Qui offert, pium affirmabit esse, vt Diis velis committere: præterea non esse opus aduersario aliis iudicibus, cum sibi ipsi iudiciũ permittatur. Adhæc, iniquum esse iusiurandum repellere, cum eadem de re alios velit iurare. Quoniã igitur per singula quid dicendum sit, aperuimus, patet etiam in coniunctis: vt si suscipit, & nolit offerre: aut si offert, & non suscipit: aut si offert, simul & suscipit: aut neutrum. Nam cum hæc ex illis coniungantur, horum etiam rationes, & rationibus illorum coniungi necesse est. Quod si ab aduersario quispiam deceptus est, patet, id periurium non esse. Iniuria enim ex voluntariis est, & periurium iniuria est: cuncta verò, quæ vi vel deceptione fiunt, inuoluntaria. Hinc colligitur, quid peierare sit. Est enim mēte, sed non ore. Quod si iam ab aduersario iuratum sit, omnia dicemus eum conuertere, qui non seruat quæ iurauit. Nam idcirco legibus etiam vtimur priùs iurantes. Et cum iudices, dignum putemus, vt vos iudicando ea seruetis, quæ iurastis, ipsi non seruabimus? Cæteraque huiusmodi, quæ amplificando quispiam dicet. Verum de comprobatione inartificiali tot dicta sint.

ARIST

ARISTOTELIS STAGIRITAE RHETORICORVM AD THEODECTEN LIBER SECVNDVS.

Quod auditores afficiendi sunt.

Cap. I.



X quibus igitur suadere, ac dissuadere, vituperare, ac laudare, accusare, ac defendere oportet, & quæ ad faciendam in eis fidẽ opinionones, & propositiones conducunt, hæc sunt. De his

enim, & ex his, vt seorsum de vnoquoque genere orationis tractemus, enthymemata ducuntur. Verum quoniam iudicii causa rhetorica est, nam & in deliberationibus iudicant, & in foro iudicium est: necesse est non solum dare operam, vt oratio fide digna, demonstratiuaque sit, sed vt ipse quoque, ac iudex, qualis quidam efficiatur. Nam id in consiliis præcipuè, deinde & in iudiciis ad fidem faciendam plurimum pertinet, vt qualis quidam videatur qui dicit, puteturque ab auditoribus affectus quodam modo erga ipsos esse. Adhæc, vt & ipsi auditores affecti quodam modo sint. Verum consulenti magis confert, vt ipse qualis quidam esse videatur. Auditoris autem affectus litiganti vtilior. Non enim eadem iudicibus videntur, cum diligant, & cum oderint, nec iratis, & quietis: sed vel omnia diuersa, vel magnitudine diuersa. Nam reus aut nullam, aut paruam fecisse iniuriam amanti videtur: contra verò ei, qui oderit: cupienti autem, sperantique, si quod dicitur futurum, iucundum sit, & fore, & bonum fore videtur. Contra verò ei videtur, qui aspernatur, atq; desperat. Vt igitur dicentes ipsi fide digni videantur, tres causæ sunt. Tria enim sunt, quæ præter demonstrationẽ fidẽ faciunt, prudẽtia, virtus, beneuolentia. Nã qui dicunt, aut consulunt, vel propter hæc omnia, vel propter aliquid horum fallunt. Aut enim propter stultitiã non rectè opinantur: aut rectè sentientes, propter improbitatẽ non dicunt vt sentiunt: aut quauis rectè sentiant, virtuosique sint, tamen cum beneuoli non sint, facile creduntur sponte non optimè consulere. Hæc igitur

sunt quare fallunt, & præterea nihil. Quare necesse est, si quis omnia hæc videtur habere, fide dignum esse apud audientes. Verum vnde prudentes, ac virtuosos videri poterunt, ex iis, quæ de virtutibus dicta sunt, sumendum est. Nam ex eisdem tam alium, quàm se ipsum huiusmodi quispiam efficiet. De beneuolentia verò, & amore, ac vniuersaliter de affectibus nunc dicendum. Affectus igitur sunt, quibus homines commoti differenter iudicant: quos quidem affectus voluptas, aut dolor consequitur, vt ira, misericordia, timor, cæteraque huiusmodi, & his opposita. Sed oportet quæ circa vnumquemque sunt, in tria distribuere, veluti quæ circa iram, quomodo affecti irascuntur, quibus irasci soleant, qualibus in rebus. Nam si vnum horum, aut duo, & non omnia, habeamus, non erit nobis possibile in iram audientes impellere. Similiterque in aliis. Ac sicut in superioribus propositiones ipsas conscripsimus, sic in his quoque faciemus, distribuentes vt diximus.

De ira.

Cap. II.



It ergo ira apparentis vltionis appetitus cum dolore propter apparentem immeritò vel in se, vel in suos contemptum. Quoniam igitur id ira est, necesse est, cum quis irascitur, cuidam semper ex singulis irasci: vt Cleoni: sed non homini: & quoniam ei, vel suorum alicui aliquid fecit, vel facturus erat. Et ad omnem iram quandam sequi voluptatem, propter spem vltionis. Iucundum enim est, si quis putat ea se consequuturum, quæ expetit: nemo enim quæ sibi videntur impossibilia, expetit. Quare iratus possibilia sibi expetit. Itaque rectè illud de ira dictum est, quod defluente melle dulcior in viorum pectoribus gliscit. Consequitur enim voluptas etiam quædam, & propter hæc quæ diximus, & quoniam in vltiscendi cogitatione immorantur: quæ imaginatio voluptatem similem ei efficit, quæ in somniis accidit. Quoniam verò contemptus est actus opinionis in id, quod nihil dignum æstimatur (mala enim & bona, quæque ad ea tendunt, non parui facimus, sed ea nihili pendimus, quæ aut nulla sunt, aut minima) tres contemptus partes erunt, despectus, vexatio, contumelia: nam & despiciens

Affectus quid.

Contemptus quid.

Species contemptus tres.

cont

contemnit. Quæ enim nihili ducunt, hæc despiciunt. Contemnunt autem rei digna nullius. Et vexat qui + detrahit, contemnere videtur. Est enim + de-
 v^{eratio} tractio, cum alicuius voluntati quispiam impedi-
 mento est, non vt sibi quicquam, sed ne illi. Quo-
 niam ergo nihil sibi quærit, ideo contemnit. Quod
 inde patet, quod sibi nec obfuturum existimat:
 (nam si putaret, timeret, & non contemneret) nec
 in re, de qua curandum sit, profuturum. Daret enim
 operam, vt ab eo diligeretur. Et qui contumelia-
 tur, similiter contemnit. Contumelia enim est,
 10 damno, atque dolore in iis afficere, in quibus tur-
 pe patiæti est: non vt aliud quoddam sibi fiat, quam
 quod factum est: sed vt voluptate afficiatur. Qui
 enim par pari reddunt, non contumeliantur, sed vl-
 ciscuntur. Est autem voluptatis contumeliantibus cau-
 sa, quod arbitrentur malè faciendo eis, magis
 excellere. Quapropter iuuenes, & diuites contu-
 meliatores sunt: longè nanq; putant contumelian-
 do excellere. Contumeliæ autem vituperatio prop-
 20 pria. Contemnit enim, qui vituperat. Nam quod
 nullius rei dignum est, nullius est pretii, neque bo-
 ni, neque mali. Propterea iratus Achilles dicit:
 Nullius existimarunt: meum nanq; honorem abstu-
 lit ipse: ac me priuauit, vt quendam nullius pretii
 exulem: quasi hæc propter irascatur. Multi enim
 fieri se oportere arbitrantur à minoribus genere,
 potentia virtute, ac omnino in quo multum excel-
 lunt, vt diues in pecuniis pauperem superat, & ora-
 30 tor in oratione verborum inopem, & princeps
 subditum, & qui se principatu dignum putat, di-
 gnum seruire. Vnde dictum est. Animus autem
 magnus est in regibus diuis. Et illud. Sed iram etiã
 postea seruat, vt vlciscatur. Molestè nanque ferunt,
 quoniam excedunt. Adhæc à quibus oportebat gra-
 tiam referri. Hi autem sunt, quibus aut benefecit
 ipse, vel suorum aliquis, vel propter ipsum, & aut
 vult, aut iam voluit. Ex his igitur patet quomodo
 se habentes irascuntur, & quibus, & quas ob res.
 Nam ipsi quidem quando dolent. Nam qui dolet,
 40 aliquid expetit, siue in oppositum quis se obiiciat,
 veluti sitienti ne bibat, siue non. Ex opposito idem
 videtur facere: & siue contrà faciat quispiam, siue
 non adiuuet, siue aliud quoddam perturbet: omni-
 bus, cum sic se habeat, irascatur. Quapropter ægro-
 tantes, pauperes, amantes, scientes, ac vniuersaliter
 cupientes, & non assequentes, iracundi sunt, ac fa-
 cile incenduntur, primùm quidem, ac maximè ad-
 uersus eos, qui propter præsentem fortunam se con-
 temnunt: veluti ægrotus eos, qui propter morbum:
 50 pauper eos, qui propter pecuniam: militans eos, qui
 propter militiam: amans eos, qui propter amores:
 ac in cæteris similiter. Præparatur enim quilibet vt
 vnicuique irascatur, à turbatione, quæ in ipso est.
 Deinde si fortè opposita expectabat. Maiorè enim
 infert dolorem, quod magnùm est, & præter opi-
 nionem: quemadmodum etiam delectat, si præter
 opinionem factum sit quod optant. Hinc tempora
 quoque, ac dispositiones, & ætates patent quam
 aptiores ad iram sint, & qui facile mobiles ad iram,
 & quando, & vbi. Et quò in his magis sunt, eò
 60 etiam magis mobiles sunt. Ipsi ergo sic se habentes,
 facile mobiles ad iram sunt. Irascuntur autem deri-
 dentibus primùm, & subannantibus, atque conui-

Quibus ira-
 scuntur.

ciantibus: omnes enim contemnunt. Deinde iis,
 qui ita officunt, vt contumeliæ causa facere vi-
 deantur. Huiusmodi autem facta sunt, quæ neque
 alicuius rei gratia, & inutilia sunt facientibus. Hæc
 enim contumeliæ causa fieri videntur. Præterea,
 maledicentibus, aut vilipendentibus ea, quibus ipsi
 maximè student: vt qui philosophia gloriantur, phi-
 losophiam: qui forma, formam contemnentibus:
 ac in cæteris similiter. Longè verò magis in his
 irascuntur, si supicati fuerint, non esse in eis vel pe-
 nitus, vel non valde, vel opinione hominum ea, in
 quibus increpantur. Cum verò vehementer sibi ea
 inesse putant, non perturbantur. Adhæc, amicis ma-
 gis, quam inimicis. Putant enim oportere magis
 ab illis sibi bene fieri, quam non, & assuetis hono-
 rare, ac multi facere, si non similiter erga ipsos se ha-
 beant: parui pendii enim ab his arbitrantur. Idem fa-
 ciunt, etiam si qui non remunerant, nec æqualia
 reddunt. Et opposita facientibus, si minores sunt.
 20 Nam ii omnes contemnere videntur, hi quidem
 quasi minores, illi verò quasi à minoribus. Et iis
 maximè, qui nullius opinionis sunt, si cõtemnunt.
 Nam & suppositum est, iram esse, cum quis imme-
 ritò contemnitur. Et par est, ne à minoribus ma-
 iores contemnantur: Amicis autem si non bene di-
 cunt, aut faciunt: ac multò magis si contrà vel di-
 cunt vel faciunt. Et si non animaduertunt egere
 ipsos: sicuti & Plexippus Antiphontis Meleagro.
 Nam cum quæ nobis curæ sunt, non latent, con-
 30 temptus signum est, non animaduertere. Et iis, qui
 in aduersa sua fortuna gestiant, aut omnino con-
 tenti esse videantur. Nam vel inimicitiarum, vel
 contemptus, id signum est. Et iis, qui non curant, si
 dolorem intulerunt. Quia de re malòrum nuntiis
 etiam irascuntur. Et iis, qui vel audiunt, vel oculis
 mala eorum cernunt: quippe cum aut contemnen-
 tibus, aut inimicis simillimi videantur. Amici enim
 condolent, ac omnes, qui sua mala considerant, do-
 lent. Præterea, iis, qui apud hos quandoque con-
 temnunt, apud quos honorari cupiunt, quos admi-
 rantur, quibus mirabiles videri cupiunt, quos ve-
 rentur. Et demum apud illos, qui eos verentur.
 Apud hos homines si quis contemnat, ei valde ira-
 scuntur. Et iis, qui eos contemnunt, quibus nisi
 succurrant, turpe est: vt parentes, liberos, vxores,
 subditos. Et ingratis. Contemnunt enim, qui non
 agunt vt par est. Et illudentibus studia sua apud stu-
 diosos. Nempe illusio ex contemptu proficiscitur.
 Et iis, qui cum in cæteros liberales sint, erga se
 non sunt. Contemni enim videtur, cum solus in-
 dignus iudicatus sit. Adhæc omnia, obliuio quo-
 que iram efficit, veluti & nominum, quanuis res
 minima sit: quippe cum ipsa quoque signum esse
 contemptus videatur. Proficiscitur enim ex negli-
 gentia: negligentia verò contemptus est. Quibus
 igitur irascuntur, qualiterque se habentes, & quas
 ob res, dictum est. Patet autem, opus esse vt
 oratione tales orator præparando effi-
 ciat, quales sunt, qui ad irascendum
 sunt apti, aduersariòsque iis
 rebus reos, propter quas
 irascuntur, ac tales,
 quibus irascun-
 tur.

De

De mansuetudine.

Cap. III.



Erùm quoniam irasci, & mansuetum
 esse, contraria sunt, & ira mansuetudi-
 ni contrarium: dicendum nunc est, quo-
 modo se habentes mansueti sunt, &
 quibus, & quas ob res. Sit igitur mansuetudo, de-
 pressio iræ, atque sedatio. Si ergo contemnentibus
 irascuntur, contemptusque voluntarius est: manifestum
 est iis, qui nihil horum faciunt, aut inuiti faciunt, aut
 huiusmodi videntur, mansuetos, ac mites esse, &
 iis, qui contrà vellent, quam fecerint: & omnibus,
 qui in se ipsos etiam huiusmodi sunt: cum nemo se
 ipsum contemnere videatur: & iis, quos pœnitet, &
 fatentur. Nam quasi pœnas sumperint, quod do-
 lent factum, cessant ab ira. Huius signum in puni-
 tione seruorum sumere possumus. Negantes enim
 atque contradicentes multò magis punimus: cum
 verò iure se puniri fateantur, cessamus ab ira. Cuius
 causa est, quoniam manifesta negare, impudentia
 est: impudentia verò contemptio est, atque despe-
 ctus. Quare quos valde despiciamus, eos non vere-
 mur. Præterea, iis, qui humiliter se gerunt, neque
 contradicunt iratis. Videntur enim minores se fa-
 teri: minores verò metuunt: & metuentes nullus
 contemnit. Quod autem humilitate ira sedatur,
 canes quoque ostendunt, qui sedentes non mor-
 dent. Et iis, qui studiosi erga studiosos sunt. Non
 enim contemni, sed multifiteri videntur. Et iis, qui
 maiora largiti sunt, & rogantibus atque deprecanti-
 bus: humiliores enim. Et iis, qui nec contumelia-
 30 tores, nec subannatores, nec contemptores, aut
 nullius, aut non bonorum, aut non talium, quales
 ipsi. Vniuersaliter verò ex contrariis mitigantia
 consideranda sunt. Præterea, iis, quos timent, &
 quos verentur. Nam quandiu sic se habent, non
 irascuntur. Impossibile enim est timere simul, atq;
 irasci. Adhæc, iis, qui ira concitati fecerunt, aut
 non irascuntur, aut minùs irascuntur. Non enim
 videntur contemptu fecisse: quippe cum nullus ira-
 40 tus contemnat. Est enim contemptus absque do-
 lore: ira verò, non sine dolore. His etiam, qui ipsos
 verentur. Præterea, qui modo se contrario habent,
 quam qui irascuntur, eos patet mites esse, veluti in
 ludo, in ioco, in die festo, in felicitate, in successu,
 in consummatione, ac in totum in non dolendo, &
 in laudabili voluptate, ac spe honesta. Insuper, eos,
 qui iam diu est ex quo perturbati fuerunt. Sedat
 enim iram tempus. Sedat autem etiam maiorem
 hominis iram, sumptum ab alio priùs supplicium.
 50 Quocirca rectè Philocrates, cum ei quidam dixisset.
 Cur te iratæ plebi non purgas? Nondum, in-
 quit, opportunum. Quando igitur? Cum alium, in-
 quit, condemnatum videro. Mansuescunt enim,
 cum iram in alium effuderint: quod Ergophilo con-
 tigit: quem quanuis magis in eum furerent, quam
 in Callisthenem, quoniam tamen pridie Callisthe-
 nem morte damnarant, facile absoluerunt. Si præ-
 60 terea maiora incommoda passii sunt qui deliquere-
 runt, quam irati eos affecissent. Quasi enim suppli-
 cium sumpsisse arbitrantur. Adhæc, si intulisse ipsi
 putant iniuriam, ac ideo non iniuria vexari: non
 enim ex iure factò, aut dicto ira proficiscitur. Cum
 ergo immeritò vexari arbitrantur, (quod ira erat)

oratione castigandi sunt. Quare vel serui sic casti-
 gati minùs molestè ferunt, cum puniantur. Item, si
 ignoracuros putant quod propter ipsos, atque pro
 iis, quæ passii sunt. Vt enim ex definitione patet, ira
 in singulos est. Quare rectè dictum est à poeta,
 Vlystem dic vrbium expugnatorem: quasi non vl-
 tus, nisi à quo, & quam ob rem, cognouisset. Quare
 nec cæteris, qui non sentiunt, irascuntur: nec de-
 functis, quasi iam extrema passii, nec dolituri, nec
 10 cognituri sint, quod irati cupiunt. Quapropter pro-
 bè poeta, cum Achillis iram sedare veller, quam in
 Hectorem iam mortuum gerebat, dixit. Surdam
 enim terram iratus vexas. Iam ergo patet, si sedare
 iram volumus, ex his locis ita dicendum esse, vt &
 auditores huiusmodi faciamus: & quibus irascun-
 tur, eos aut timendos, aut verendos, aut gratos, aut
 inuitos fecisse, aut factum dolentes ostendamus.

De amicitia, & amore, & eorum contrarijs.

Cap. IIII.



Vos autem amant, aut oderunt, amidi-
 tiam & amare ipsum priùs definientes
 dicamus. Sit igitur amare, velle alicui
 quæ bona putat, illius, non sui gratia:
 eorumque actuum esse in quantum potest. Ami-
 20 cus autem est, qui amat, & redamatur. Itaque ami-
 cos se putant, qui sic se adinuicem habere putant.
 His ita suppositis, eum, qui & in bonis congratula-
 tur, & in dolore condoleat, non alia de causa, nisi il-
 lius, amicum esse necesse est. Omnes enim gau-
 dent, si vt volunt, sit: si contrà, dolent. Quare dolo-
 res, ac voluptates, voluntatis signum sunt. Præter-
 eà, quibus iam eadem bona, ac mala sunt, & qui eis-
 dem amici, & qui eisdem inimici. Nam his eadem
 velle necesse est. Qui verò eadem sibi, ac alii vult,
 hac ipsa de causa illi amicus esse videtur. Amant
 etiam eos, qui vel benefecerunt aut ipsis, & iis,
 qui sibi curæ sunt: præsertim si magna, si libenter, si
 temporibus huiusmodi, suique gratia: vel quoscun-
 que benefaciendi voluntatem habere opinantur.
 Insuper amicorum amicos, & amantes quos ipsi
 amant, & amatos ab iis, qui à se ipsis amantur, &
 eisdem inimicos, & eos, qui oderunt quos ipsi odio
 habent, & inimicos inimicorum. Nam his omni-
 bus eadem esse bona, & sibi videntur: quare bona
 30 ipsis volunt, quod erat amici. Adhæc, beneficos in
 pecunia, & salute. Quocirca liberales, ac fortes co-
 lunt: iustos quoque. Tales autem esse putant eos,
 qui non aliunde viuunt, quales qui ab operando,
 horumque, qui ab agricultura, aliorum verò opi-
 fices maximè. Modestos etiam, quoniam non
 iniusti, & propterea etiam non curiosos. Et eos,
 quibus amici esse volunt, si velle videntur: quales
 sunt, qui virtute excellunt, & clari vel apud omnes,
 vel apud optimos, vel apud eos, quos ipsi admi-
 rantur, & in iis, in quibus ipsos admirantur.
 40 Præterea, iucundos in consuetudine diurna,
 quales sunt faciles, & neque peccata redarguen-
 tes, neque contentiosi, neque pertinaces: omnes
 enim hi pugnaces sunt. Pugnantes verò non ea-
 dem, sed opposita velle videntur. Adhæc, tam illu-
 dere,

Amare
 quid.
 Amicus
 quid.

dere, quàm sufferre apti. Ad eadem enim vtrique tendunt amici, cum & illudi, & illudere aptè possint. Item, eos, qui præsentia bona laudant, & ea maximè, quæ ipsi timent amittere. Mundos quoque facie, veste, tota vita, & non exprobrantes nec errores, nec beneficia: vtrique enim arguendi cupidissimi. Item, eos, qui maleficia obliuiscuntur, quoniam crimina memoria non teneant, sed facillè reconcilientur. Nam quales erga cæteros esse putamus, tales etiam in nos futuros arbitramur. Item non maledicos, & tam aliorum, quàm sua mala ignorantes: sed non bona. Id enim agere, boni est. Præterea, non contradicentes irascentibus, aut studiosè quicquam agentibus: pugnaces enim, qui sic faciunt. Et eos, qui erga nos sic affecti sunt, ut nos admirentur, virtuososque putent, nobisque gaudent, ac ita maximè iis in rebus affecti sunt, in quibus magnopere volumus studiosi, admirationeque digni, ac iucundi videri. Præterea, similes, eademque proficentes, nisi turbent, & nisi eadem ex re vitæ subsidia consequantur. Hoc enim pacto illud fieret, Figulus figulo. Eadem etiam cupientes, si possibile sit simul ipsos participare. Quod si non, idem Hesiodicum similiter sequitur. Eos præterea, qui ita se habent erga nos, ut non vereantur quæ ad ostentationem faciunt, ipsis detegere, nequaquam interim ut leues contemnent. Et eos, quos pudet verè cogitata scelera, admittæ apud ipsos detegere. Et eos, apud quos iactabundi sunt: & eos, quos æmulatores, sed non inuidos habere vellent, aut amant, aut illis amici esse vellent. Et quibus bona cooperantur, ne sibi ipsis maiora eueniant mala. Item, eos, qui absentes similiter, atque præsentis diligunt. Quocirca qui in defunctos huiusmodi sunt, hos cuncti amant. Et vniuersaliter studiosos nimium in amicos, neque derelinqentes. Nam ex omnibus bonis, boni amici summopere diliguntur. Et eos, qui nihil eis fingunt, neque dissimulant, cuiusmodi sunt, qui vel mala sua nobis aperiant. Dictum enim est, non vereri homines, si apud amicos, quæ ad gloriam. Si ergo qui veretur, non amat, qui non veretur, amanti similis est. Præterea, non timendos, & quibus confidimus. Nullus enim amat, quem metuit. Sunt autem amicitia species, sodalitiū, familiaritas, propinquitas, & quæcunque huiusmodi. Amicitiam verò efficiunt gratia, & si feceris non rogatus, & non significaris cum feceris. Sic enim ipsius causa videris, & non ob aliud fecisse. De inimicitia autem & odisse patet ex contrariis esse perspiciendum. Huius efficiencia sunt, ira, detractio, calumnia. Sed ira ex iis est, quæ ad se ipsum pertinent. Inimicitia verò, etiam sine illis. Nam si talem esse suspicabimur, odimus. Præterea, ira semper in singulos, ut Socratem, Calliam: odium verò etiam in genera. Omnes namque calumniantem, atque furem oderunt: & alterum tempore sanabile, alterum non. Adhæc, ira dolorem inferre cupit: odium verò affligere potius. Nam qui irascitur, cognosci vult: hic verò non curat. Sunt autem cuncta, quæ dolorem faciunt, sensibilia. Quæ verò maximè vitia sunt, ea minimè sunt sensibilia, veluti iniustitia, & amentia. Non enim infert dolorem præsentia vitii. Itaque alterum cum dolore est, alterum absque dolore.

Diferimen
inter iram,
& odium.

Dolet enim qui irascitur: qui odit, non dolet. Et ille multis modis miserebitur, hic nullo pacto. Nam ille iniucem dolere ipsum vult, cui irascitur: hic verò non esse quem odit. Ex his igitur patet quod sit possibile, inimicos, atque amicos, & cum sint, ostendere, & cum non sint, facere, & cum se esse significant, dissoluere. Et vel propter iram, vel propter inimicitiam dubios, vtram in partem velis impellere. Quare autem timeant, & quæ, quomodoque habentes, nunc erit manifestum.

De timore, & eius contrario.

Cap. V.



It ergo timor, ex imaginatione futuri mali corruptiui, aut dolorem inferentis, perturbatio quædam, aut dolor. Non enim cuncta timemus mala: ut si erit iniustus, aut tardus: sed quæcunque vel magnos dolores, vel corruptiones adducunt. Et ea, quæ non longè absunt, sed propè videntur, ut iam impendeant. Remota nanque nimium, non timent. Omnes enim sciunt se morituros: verum quoniam non propè, idcirco non curant. Si ergo id timor est, necesse est, ea terribilia, timendaque esse, quæcunque ingentes videntur habere vires corrumpendi, aut ita nocendi, ut nocementum ad ingentem tendat dolorem. Quare signa quoque istorum timenda: propè nanque ostendunt esse quod timeatur. Id verò periculum est. Est enim periculum, timendæ rei appropinquatio. Talia verò sunt inimicitia, & ira potentium quippiam facere. Nam cum nō lateat velle, ac posse ipsos, propè iam ad faciendum sunt. Item iniustitia vires habens. Eò enim quod velit iniustus, iniustus est. Virtus quoque si contumeliis afficitur, viresque habeat. Patet enim quod vult, cum semper impropere. Potest enim nunc & timor potentium quicquam facere. Nam in præparatione quoque huiusmodi homines esse necesse est. At quoniam plures lucro seruiunt, timendique in periculis sunt, idcirco in potestate alterius esse timorem inferre, ut plurimum natum est. Quare conscii quempiam perperam fecisse, timentur, ne aut dicant, aut deserant. Præterea, potentes semper iniuriari, illis terribiles, qui possunt iniuriis affici. Homines namque ut plurimum cum possint iniuriantur. Adhæc, qui passi iniuriam sunt, aut pati se putant: semper enim opportunitatem expectant. Qui etiam iniuriam intulerunt, si vires habeant, terribiles, timentes ne contra referatur quod terribile, ac timendum esse suppositum erat. Et qui de eisdem certant, cum verisque simul eadem esse non possunt: hi enim semper pugnant. Et qui à maioribus timetur, ii etiam à minoribus, cum possint minoribus magis, quàm maioribus, obesse. Et quos maiores timent, & qui maiores interemerunt: & qui minores, quàm ipsi sunt, aggrediuntur, eadē de causa. Nā ut iam terribiles, aut cum creuerint. Præterea, ex affectis iniuria, & inimicis, ac aduersariis, non qui acuta iræ sunt, atque minaces, sed tranquilli, dissimulatores, versuti, latent enim qui propè. Quare nunquam timendū, quod procul. Cuncta verò, quæ timorem inferre possunt, terribiliora

biliora sunt, si cum errauerint, non possint corrigi, verum aut omnino impossibilis sit correctio, aut non in se ipsis, sed in aduersariis. Item, ea, in quibus auxilia non sunt, aut non facillè sunt. Ac (ut simpliciter dicam) terribilia, timendaque sunt, quæ, cum in alios fiant, aut immincant, miserabilia sunt. Terribilia igitur, & quæ timemus, hæc ferè maxima sunt. Quomodo verò affecti timemus, nunc dicamus. Si ergo timor est cum expectatione corruptiua passionis, manifestum est, neminem timere, cum arbitretur nihil se passurum: nec ea, quæ non putat pati: nec eos, à quibus non putat: nec tunc, quando non putat. Quare necessarium est, eos timere, qui se aliquid passuros arbitrantur, & ab iis, & hæc, & tunc. Non putant autem quicquam posse pati, nec qui ampla in fortuna sunt: qui idcirco contumeliosiores, contemptores, ac audaces sunt. Tales verò efficiunt diuitiæ, vires, potentia, amicorum multitudo. Nec qui iam perpeffos omnia se grauiam putant, qui spe extincta, malis immortui sunt: veluti extremè torti. Sed opus est, salutis subesse spem, pro quo luctantur. Cuius signum, quod timor ad consulendum inducit. Nemo enim de re consulit, de qua nulla spes apparet. Quare opus est, quando melius sit auditores in timorem inducere, tales ipsos reddere, ut credant se pati posse, cum & alii maiores passi sint: similes quoque aut pati, aut passos ostendemus, & ab iis, à quibus non putabant, & hæc, & tunc cum non putabant. Ac quoniam patet quid timor sit, & quid timendum, & quomodo se habentes singuli timeant, ex his etiam manifestum est, quid confidere sit, & in quibus homines confidant, & quo pacto confidentes affecti sunt. Ut enim fiducia timori contrarium est, sic id, quo confidimus, ei, quod timemus. Quare spes est simul cum imaginatione rerum salutarium, quod propè adsint, cum terribilia vel non sint, vel longè absint. Sunt autem in quibus confidendum est, & pericula, cum longè absint: & secunda, cum propè adsint. Correctiones quoque si sunt, & præsidia, vel multa, vel magna, vel vtrunque. Item, si neque affecerint, neque affecti iniuriis sint, si aduersarii omnino non sint, aut non habeant potentiam: aut si habeant, amici sint, vel benemeriti de nobis, vel de quibus nos benemeriti. Item confert, si plures in eisdem sunt, aut meliores, aut vtrunque. Ipsi verò fidentes sunt, si ita se habeant, ut multa gessisse se putent: & non periclitasse, si sæpius in pericula deuerint, & euaferint. Dupliciter enim impassibiles homines solent fieri, aut quod experti non sunt, aut quod auxilium habeant, veluti in periculis marinis, & qui inexperti tempestatum sunt, confidunt de futuris: & qui opitulari sibi possunt, quoniam experti. Præterea, si non terribile paribus sit, aut minoribus, & quibus meliores se putant. Putant autem iis se meliores, quos ipsos, vel eorum pares, aut etiam meliores superarunt. Si plura, & maiora sibi inesse arbitrantur, quibus, cum excedant, timendi sunt. Ea sunt pecuniæ magnitudo, corporum vires, opes regionis, & amicorum, apparatus quoque bellici, aut omnes, aut maximi. Si neminem iniuriis affecerunt, aut non multos, aut non tales, quales metuerent. Et vniuersaliter si pii in deos sunt: & tam ad cætera, quæ diis attribuuntur, bene se habeant,

Qui me-
tuat.

quàm ad omnia, & oracula. Habet & ira confidentiam. Non afficere autem iniuriis, sed affici, iræ effectiuum est. Porro Deus iniuria vexatis opitulari creditur. Adhæc, cum præuenientes, vel nihil se passuros, sed mala facillè se correcturos arbitrantur. Vnde de terribilibus, & de iis, quibus confidunt, dictum est.

De verecundia, & inuerecundia.

Cap. VI.



Væ autem verecundentur, & quæ non, & quos, & quomodo se habentes, hinc planum erit. Sit igitur verecundia, dolor quidam, atque perturbatio ex malis aut præsentibus, aut præteritis, aut futuris, quæ infamiam inferant. Inuerecundia verò, contemptus quidam eorum, atque impassibilitas. Si ergo id verecundia est, necesse est, in iis malis erubescere, quæ vel ipsis, vel iis, qui sibi curæ sunt, dedecori esse videntur: qualia sunt, quæ à vitio proficiscuntur, ut scutum amittere, aut fugere, quoniam è metu: negare depositum, quoniam ex iniustitia. Commisceri quibus non oportet, vel vbi nō oportet, vel quado non oportet, quoniā ex libidine. Præterea lucra ex paruis assequi, aut à turpibus, aut ab impotentibus, veluti à pauperibus, vel defunctis. Vnde prouerbum quoque illud est. Vel mortuo tributū auferre: quoniam ab avaritia, & illiberalitate. Adhæc, non opitulari pecunia, cum possis, aut minus, quàm possis, & iuuari ab iis, quibus minor facultas est. Et mutuo accipere, cum petere videaris, & petere cum exigere, & exigere cum petere, & laudare ut petas. Nec minus his, petere, & non consequi. Hæc enim omnia illiberalitatis indicia sunt: præsentem autem laudare, adulationis. Item, si bona nimis laudes, & praua delenias. Adhæc, si vehementius dolenti condoles, cæteraque huiusmodi. Cuncta enim adulationis sunt signa. Adhæc, si labores non feras, quos aut seniores, aut qui in deliciis viuunt, aut qui maiore sunt in potestate, ac vniuersaliter imbecilliores. Omnia enim mollietiei hæc signa. Præterea, ab alio beneficia suscipere, & sæpius quæ tu benefeceris, exprobrare. Hæc enim omnia pusillanimitatis, deiectionisque signa sunt. De se quoque multa dicere, ac polliceri, & aliena sua esse prædicare: arrogantis enim. Eodemque modo in cæteris morum vitiis, opera, signa, comparia. Turpia enim sunt, & effectiua verecundia. Adhæc, eorum esse bonorum expertem, de quibus omnes, aut pares omnes, aut plurimi participant. Pares verò dico eiusdem gentis, ciuitatis, ætatis, propinquitatis, & vniuersaliter in æqualitate constitutos. Turpe nanque si non participes, veluti de disciplina, & in tantum, similiterque aliis. Quæ omnia maiorem inferunt ignominiam, si eorum in causa sis, siue præteritorum, siue præsentium, siue futurorum. Patientes autem, aut passi, aut passuri quæcunque in ignominiam, atque opprobria ducunt, verecundantur, quæ sunt quæ ad ministeria pertinent, vel corporis, vel operū turpium, quæ vituperationem pariunt: & quæ quidē ad libidinem pertinent, volūtaria, & inuolūtaria. Quæ verò ad vim, inuol

inuoluntaria. Ignauia enim, timiditasque, sufferre, ac perpeti, & non se defendere. Quæ igitur verecundantur, hæc, atque alia talia sunt. Verum quoniam verecundia, imaginatio est de ignominia, & de hac sui gratia, sed non propter euentus, nemôq; de opinione curat, nisi propter opinantes: eos verecundari necesse est, quos multi faciunt. Multi autem faciunt admirantes, & quos admirantur, & quos de se admirari vellent, & à quibus honorari cupiunt, & quorum opinionem non contemnunt, mirari de se hos volunt. Mirantur autem eos, qui aut bonorum honorabilium quicquam habent, aut earum rerum domini sunt, quas ipsi vehementer cupiunt, vt amantes ad pares quidem gloriantur. Prudentes verò tanquam veraces magnificiunt, quales sunt senes, aut docti. Verecundantur præterea tam quæ oculis cernuntur, quæ in propatulo sunt. Vnde pro uerbiū quoque fertur. Pudorem in oculis esse. Idcirco semper affuturos magis verecundantur, & obseruantes ipsos: quoniam utriusque præ oculis. Et eos, qui eidem turpitudini non sunt obnoxii. Persuadent enim sibi errantes contraria illis videri. Et eos, qui non facile ignoscunt. Non enim indignamur, cum alii ea faciunt, quæ nos ipsi. Quare si non faciunt, patet quod indignamur. Et eos, qui ad multos libenter efferre solent quæ perceperunt. Nihil enim interest inter non videri, & non efferri. Huiusmodi autem sunt & iniuriis oppressi, quoniam obseruant: & maledici. Nam si etiam innocentibus, multo magis nocentibus. Et eos, qui vitam in peccatis aliorum agere videntur: quales sunt, qui omnia irridere solent, vt Satyrici, & Comædi. Maledici enim, ac libenter efferentes. Adhæc, quos nihil vnquam frustra rogarunt. Quasi enim admiratione sui affectos illos putant. Idcirco eos quoque, qui nunc primum aliquid rogarunt, verecundantur: quoniam nondum quicquam ab ipsis petierunt: quales sunt & qui modo volunt amorem alicuius sibi conciliare. Quæ eim optima sunt, perspexerunt. Ideo probè Syracusanis respondit Euripides: Et veteres familiares, si nullius rei conscii sunt. Pudet igitur homines non dictarum solummodo rerum, sed etiam signorum: vt non solum rem Veneream agentes, verum etiam Veneream signa: nec solum turpiter facientes, sed dicentes quoque. Similiter non solum prædictos verecundantur, sed eis etiam significaturos, vt seruos, atque amicos eorum. Omnino autem non pudet nec eorum, de quibus communis opinio est quod verè non dicant. Vnde neminem bestiarum, puerorumque pudet. Nec ob easdem res apud notos, & ignotos pudet. Sed apud notos in iis, quæ ad veritatem pertinere videntur, apud ignotos verò in iis, quæ ad legem. Ipsi autem sic affecti erubescunt. Primum siquidem tales ad eos sunt, quales esse diximus, quos verecundantur. Erant autem ii, aut quos admirantur, aut qui ipsos admirentur, aut quibus vellent admirationi esse, aut quorum in re aliqua egerit, quam non assequerentur, si erunt infames. Hi omnes sunt, quos supra diximus in oculis: sicuti Cydia, cum de Samo ob diuisionem agrorum ageretur, ad populum dixit. Rogabat enim Athenienses, vt circumstare Græcos omnes fingerent, nec quasi audituros solum, verum etiam iam videntes

decretum suum. Vel si propè illi sunt, vel si sensuri sunt. Idcirco cum in aduersa fortuna sunt, nunquam vellent ab æmulis videri. Admirari enim de æmulis solent. Præterea, cum res gestas habeant, quas contaminare videntur, aut suas, aut maiorum, ac aliorum, quibus cum nonnulla sit ipsis necessitudo, & omnino pro quibus ipsos puderet, quales sunt, quos iam significauimus. Et qui ad ipsos quocumque modo pertinent, quorum doctores, aut consiliarii fuerunt: & si qui alii huiusmodi sunt, quos sibi honorificos putant. Multa enim cum propter illos pudeat, & faciunt, & non faciunt. Item cum visum iri necesse sit, in apertoque versari, verecundi magis propter conscientiam sunt. Hinc poeta quoque Antipho ad supplicium à Dionysio missus, cum eos vidisset, qui secum morituri erant, capita vel asse per portas exeuntes: quid ita faciem, inquit, occultatis? Anne cras quispiam horum vos videat? Ac de pudore quidem hæc. De impudentia verò patet ex contrariis esse inueniendum.

De gratia.

Cap. VII.

Gratiam autem quibus habent, & de quibus, & qualiter se habentes, si gratiam quid sit definierimus, manifestum erit. Sit igitur gratia, per quam dicuntur roganti gratis aliquid facere: non pro re aliqua, nec vt sibi quicquam qui faciunt subueniant, sed vt cui faciunt. Magna verò erit, aut quia rogantes egeant nimium, aut quia magna, & difficilia rogant, aut quia in temporibus huiusmodi, aut quia solus, aut quia primus, aut quia maximè. Rogationes autem, appetitiones sunt: harumque maximè, quæ tristitiam habent, cum aliter sit, quales sunt cupiditates, vt amores, & in afflictionibus corporis, & in periculis. Periclitans enim cupit, similiter & dolens. Quas ob res qui in paupertate, ac in exilio adsunt, etiam si parua contulerunt, tamen propter petitionis magnitudinem, atq; tempora grati sunt: vt ille, qui in Lyeio fiscellam dedit. Oportet igitur in iis maximè subuenisse: quod si non, at in æqualibus, vel maioribus. Quare si manifestum est quando, & in quibus gratia fit, & qualiter habentibus: patet hinc esse demonstrandum, alios vel esse, vel fuisse in huiusmodi inopia, & dolore, alios in ea inopia succurrisse tale quid facientes. Patet etiam hinc, quibus locis tollere gratiam possumus, ac odiosos ostendere. Nam aut quoniam sui causa faciunt, aut fecerunt quod est minimè gratiosum, aut quoniam forè incidit vt facerent, aut quoniam coacti fecerunt, aut quoniam reddiderunt, non dederunt, siue scierunt, siue non. Vtroque enim modo sui ipsius gratia fiunt. Quare nec sic vlla erit gratia. Considerandum autem per prædicamenta omnia. Gratia enim est, vel quia hoc, vel quia tantum, vel tale, vel quando, vel vbi. Signum verò, si minus non fecit, & si inimicis, vel hæc, vel æqualia, vel maiora. Patet enim, nec ista nostri causa facta esse. Aut si praua cognouerit. Nemo enim rogare de prauis fatetur. Ac de gratia quidem quo pacto facta, vel non facta est, dictum sit. Quæ verò miseraabilia sint, & quorum miserentur, & qualiter ipsi se habentes, modo dicamus.

De

De commiseratione. Cap. VIII.



It ergo commiseratio, dolor quidam ex apparente malo corruptiuo, ac dolorem inferente in non dignum pati: quod ipse putabit se pati etiã posse, vel suorum aliquem, idque sic, vt propinquū videatur. Palam enim, si miseraturus sit, eum huiusmodi esse oportet, vt putare possit aut in se, aut suorum aliquem mali quicquam competere posse, malumque huiusmodi, quale definiendo diximus, aut idem, aut simile. Quapropter nec omnino perdit miserentur. Nihil enim se amplius passuros arbitrantur, vltima iam passi. Nec qui se felices esse credunt, sed contumeliantur. Nam si omnia sibi bona adesse opinantur, nihil se mali pati posse profecto existimant: cum id quoque ex bonis sit. Sic autem se habent, vt se posse pati putent, qui iam pertulerunt, ac euaserunt. Senes etiam, tum quia prudentes sunt, tum quia experti, & imbecilliores, ac timidiore. Docti quoque. Nam rectè ratiocinantur. Præterea, qui parentes habent, aut liberos, aut uxores. Sua enim hæc, & possibilia pati propter illa, quæ dicta sunt. Item, qui non sunt in fortitudinis affectu, vt puta in ira, vel fiducia. Non enim faciunt hi de futuro rationem. Similiter qui in contumeliandi affectu sunt. Nam & hi nihil se passuros arbitrantur. Semper ergo inter hos medii. Sed nec rursus qui valde timeant. Non enim miseretur, qui perterriti sunt, cum perturbatione propria moueantur. Præterea, qui putant probos quosdam esse. Nam qui neminem probum esse ducit, omnes malo dignos existimabit. Ac vniuersaliter cum sic se habet, vt possit talia vel recordari aut sibi, aut suis accidisse, vel timere futura sibi, aut suis. Qualiter igitur se habentes miserentur, dictum est. Miseraabilia verò quæ sint, patet ex definitione. Sunt enim quæcunque ex iis, quæ dolorem inferunt, corruptiuæ sunt, & quæcunque possunt interimere. Similiter omnia mala, quorum fortuna est causa, si magnitudinem habeant. Sunt autem corruptiuæ, dolorisque effectiuæ mortes, verbera, corporis afflictiones, senectus, morbi, cibi inopia. Mala verò, quorum fortuna est causa, hæc sunt: si neminem habeas amicum, aut quam paucissimos: quare diuelli quoq; à sociis, atque amicis miserabile est. Præterea, turpitudine, imbecillitas, mancum esse: & si vnde oportebat bonum quippiam contigisse, inde malum acciderit, & si sæpius tale: & si cum iam passus sit, bonum quoddam collatum est, vt quæ Diopithi à rege missa sunt, quæ ipso iam mortuo delata sunt. Et si nullum bonum contigerit: aut si contigerit, nulla eius fruitio, quod adfuit. Miseraabilia igitur hæc, atque huiusmodi sunt. Miserantur autem notos, nisi valde propinqui, atq; sui sint. Nam erga hos sic se habent, quemadmodum & in se ipsos. Quare Amasis quoq; cum ad mortem filius duceretur, non effudit lacrymas, vt fertur: at cum amicum mendicare aspexisset, effudit. Est enim hoc miserabile, illud terribile. Terribile enim aliud à miserabili est,

Ex quibus nascatur miseria.

Quorum miserantur.

& ipsius commiserationis expulsium, ac ideo aduersario sæpius vtile. Præterea, miserantur, cum terribile appropinquat. Similium quoque miserentur secundum ætates, mores, habitus, dignitatem, & genus. In omnibus enim his sibi quoque damnum dari posse maximè videtur. Illud enim oportet vniuersaliter sumere, quod quæcunque sibi ipsis timent, his, cum in alios fiant, in miseracionem impelluntur. Quoniam verò afflictiones tunc miserales sunt, cum oculis cernuntur: quæ autem mille annis antea fuerunt, vel futuræ sunt, etiam si timeant, aut memoriæ habeant, vel omnino non miserantur, vel non similiter: necesse esse, qui motu corporis, voce, veste, ac vniuersim actione simulata talia consequuntur, eos esse miserales. Efficiunt enim hi, vt ante oculos esse malum videatur, siue quasi futurum: siue quasi præteritum. Adhæc, quæ nuper facta sunt, aut citò futura, hæc eadem de causa miserales sunt. Signa quoque, ac facta, vt vestes eorum, qui passi sunt, cæteraq; huiusmodi, & verba cum iam morentur, ac maximè si magno in his temporibus animo fuerunt. Nam hæc omnia, quoniam propinquiora videntur, ac ante oculos calamitates ponunt, simulq; indignos fuisse ostendunt, miseracionem mouent.

De Indignatione. Cap. IX.



Miseracioni autem maximè id opponitur, quod indignari nuncupant. Dolere namq; propter res aduersas quæ indignè illatæ sint, illi quodam modo est oppositum, ab eisdemq; proficiscitur moribus, quod est rebus secundis indignè collatis dolere. Suntq; perturbationes hæc bonorum amorem. Oportet enim condolere, cum quis indignè vexetur, similiterque propter illos indignari. Nam quod præter dignitatem sit, tam iustum est. Ac idcirco diis quoque ipsis indignatio attribuitur. Sed inuidia etiam eodem miseracioni opponi modo videri poterit, quasi proximum, idemq; sit cum indignatione. Sed aliud est: nam & inuidia dolor perturbans est propter res secundas, sed non indigni, verum æqualis, atque similis. Indignatio verò eorum est, qui non propter sese, si quid fortè contingat, sed propter proximum, conturbantur. Oportet enim, vt iniquiunt, omnibus ex æquo distribuere. Nam si propterea dolor, atque perturbatio inest, quoniam ab alterius felicitate mali quicquam sibi futurum sit, non erit amplius vel indignatio, vel inuidia, sed timor. Perspicuum autem est, contrarias ad hæc sequi affectiones. Nam qui dolet, quoniam non digni vexentur, is voluptate afficietur, aut certè non dolebit, cum illis contrarii vexentur: veluti cum parricide, ac scelesti puniuntur, nemo probus dolebit: cum oporteat eorum gaudere supplicio. Similiter quoque si secunda ei contingunt, qui dignus est. Iusta enim vtraque, ac probis gaudium afferunt, cum necesse sit, vt sperent sibi quoque posse contingere, quæ similibus. Proficiscantur igitur omnia hæc ex eadem animi constitutione: horum verò contraria, ex contrariis. Idem enim est, qui perter-

Apud quos & quorum non pudeat nos.

50

60

30

40

50

60

se gaudet, atque inuidus. Nam quo quispiam do-
let, cum fiat, & sit, hunc necesse est priuatione
eius, atque corruptione gaudere. Quapropter
omnia hæc miserationis prohibitiua sunt, quæ
quanuis propter expolitas iam causas inter se
differant, eodem tamen omnia modo ad eiicien-
dam miserationem conferunt. Primum igitur
de indignatione, quibus indignantur, & in qui-
bus, & qualiter ipsi se habentes, deinde de re-
liquis dicamus. Patet autem ex dictis. Nam si
indignari est dolere, quod cuidam secunda in-
digne contingant, primum perspicuum est, non
esse possibile de bonis omnibus indignari. Ne-
mo enim indignatur, si iusti, si fortes, vel si om-
nino virtutem aliquam habeant. Miserationes
enim non sunt in horum contrariis, sed indi-
gnantur diuitiis, potentia, & huiusmodi, quibus
(ut simpliciter dicam) bonis indigni sunt. Deinde
de si quæ secundum naturam bona sunt, ha-
beant, veluti nobilitatem, formam, cæteraque
huiusmodi. Et quoniam vetus, iis, quæ secundum
naturam sunt, propinquum videtur: necessarium
est, si qui bonum id habeant, nuperque adepti
sint, ac ideo beati putentur, illis magis indignari.
Magis enim perturbant, qui modò diuitias
assequuti sunt, quam qui olim, & à genere rece-
perunt. Similiter principes, potentes, gratiosi,
bonos habentes liberos, ac huiusmodi alia. Et si
propter hæc aliud quoddam bonum ipsis con-
tingat, similiter. Nam his indignantur magis,
qui nuper ditati sunt, cum propter diuitias prin-
cipentur, quam qui diuites ex maioribus fue-
runt. Eodemque pacto in aliis. Eius causa est,
quoniam hi sua possidere videtur, illi minimè.
Nam quod semper sic se habere videtur, verum
esse videtur. Quam ob rem non videntur illi
sua possidere: ac quoniam non quilibet vno-
quoque bono dignus est, sed proportio quædam
atque quid idoneum consideratur: ut arma pul-
cherrima non iusto, sed forti cõsentanea: & ex-
cellentes nuptiæ non nuper ditatis, sed nobili-
bus. Si ergo cum probus sit, quæ congruunt, non
consequitur, indigna res est: & si peior cum me-
liore contendat: ac maximè si in eodem. Vnde
ad quoque dictum est. Sed Aiæis Telamoniade
virabat congressum: Iupiter nanque ei, quod
viro cum fortiore pugnaret, indignatus est. Si
verò non, etiam si qualitercunque peior cum
meliore: veluti si musicus cum iusto. Nam iu-
stitia melior, quam musica est. Quibus igitur in-
dignentur, & quas ob res, ex his adaptum est.
hæc enim & eiusmodi sunt. Ipsi autem indignati-
ui sunt primum si maximis digni sunt bonis,
eaque possidentes. Non enim iustum est, ut non
similes similia consequantur. Deinde si cum bo-
nis sint, studiosi quoque sunt. Iudicant nanque
probe, oderuntque quod iniustum est. Præterea,
si ambitiosi, quarundamque operationum appe-
tentes, ac maximè si in iis ambitiosi sunt, quæ &
alii, cum sint indigni, tamen assequuntur. Et
vniuersim qui se ipsos quibusdã rebus dignos
putant, quibus alios putant indignos, illis indi-
gnantur, & horum causa. Quocirca feruiles pra-
ui, & honorem cõtemnentes, indignatiui non

sunt, cum nihil huiusmodi sit, ut eo se dignos ar-
bitrentur. Ex his patet, quibus in rebus, si aduer-
sa vtuntur fortuna, & affliguntur, aut non conse-
quuntur, gaudere, aut absque dolore esse cõgruit.
Nam ex dictis, quæ sint opposita, patet. Quare si
& iudices ita oratio præparabit, ut eos, qui di-
gni misericordia videri velint, & quibus in re-
bus, indignos misericordia ostendat, quia condi-
gnos ut non consequantur, impossibile erit eor-
um misereri.

De Inuidia. Cap. X.

Patet etiam quibus inuidet, & qui-
bus in rebus, & quomodo se habent-
es. Si quidem inuidia est dolor qui-
dam, quoniam similes boni aliquid
adepti videantur, non ut quicquam sibi, sed pro-
pter illos. Hi enim inuidebunt, quibus aut sunt
quidam, aut videntur similes. Similes verò di-
co genere, propinquitate, ætate, habitu, gloria,
diuitiis. Item, iis, quibus parum deest, ne omnia
teneant. Quocirca maxima gerentes, & felici-
ter, inuidi sunt: cum putent sua ab omnibus au-
ferri. Et qui valde in aliqua re honorantur, ac
maximè in sapientia, & felicitate. Et ambitiosi
magis inuidet, quam non ambitiosi. Et qui se
sapientes videri putant. Ambitiosi nanque in sa-
pientia. Et vniuersaliter qui ex re aliqua glo-
riam quærunt, de illa sunt inuidi: & pusillanimi,
quoniam eis magna omnia videantur. De qui-
bus igitur inuidet bonis, iam dictum est. De
quibuscunque enim operibus honorem, atque
gloriam quærunt, & quarum rerum concupi-
scent, ac de quibuscunque felicitate actis. Nam
de omnibus ferè inuidia est, præsertim si aut ap-
petunt ipsi, aut putant ea se habere oportere, aut
si earum rerum possessione ipsi parum superer-
et, vel parum deficient. Patet autem & quibus in-
uidet. simul enim dictum est. Nam qui proximi
sunt tempore, loco, ætate, gloria, iis inuidet.
Vnde illud dictum est. Propinquitas inuidere so-
let. Et quibuscunque de honore contendunt.
Contendunt autem, quibus cum diximus. Cum
iis verò, qui antea mille annis fuerunt, aut futuri
sunt, & cum mortuis nemo contendit, nec
cum iis, qui apud Herculis columnas habitant:
nec cum iis, à quibus, vel suo, vel aliorum iudicio
multum putat deficere: nec cum iis, quos
non parum excedere. Similiter nec cum iis, &
de talibus. Verum quoniam cum aduersariis &
rivalibus, ac vniuersaliter cum iis, qui eadem
cupiunt, contendunt, necesse est iis maximè in-
uidere. Vnde dictum est. Figulus figulo inuidet,
faberque fabro. Et iis, qui citò obtinuerunt, qui
aut vix, aut nequaquam consecuti sunt, inuidet.
Præterea, iis, qui si possideant, aut si perficiant,
ipsis opprobrium est. Nam & hi prope similes
sunt. Patet enim eorum causa bonum ipsos non
consequi: quæ res, cum dolorem inferat, inui-
diam mouet. Iis etiam, qui ea possident, aut ha-
bent, quæ ipsos oportuit, vel quæ ipsi aliquan-
do possidebant. Quapropter iunioribus senio-
res inuidet. Adhæc, qui multa, iis, qui pauca
eadem pro re consumpserunt. Perspicuum etiã
est,

est, quibus isti rebus gaudeant, & quibus homi-
nibus, qualiterque se habentes. Nam quemadmo-
dum non habentes dolent in contrariis: si sic se
habeant, voluptate afficientur. Quare si & ipsi,
ut ita se habeant, præparatur, & qui ut sui mise-
reantur, vel ut boni aliquid consequantur, ro-
gant, tales sint, quales iam dicti, palam est quod
non consequentur.

De Aemulatione. Cap. XI.

Quomodo autem se habeant æmulan-
tes, & in quibus, & quibus, hinc erit
manifestum: Nam si æmulatio est do-
lor quidam, quoniam bona, & hono-
rabilia, quæ ipse quoque assequi posset, naturã
similibus adesse videantur, non quoniam aliis
sunt, sed quoniam non ipsi quoque. Ideo & pro-
bum quiddam æmulatio est, & proborum: inui-
dia verò improbum, & improborum. Alteri
enim ut ad consequenda bona se præparent,
æmulatione concitantur: alteri propter inuidiã
proximis impedimento sunt: Necesse est ergo,
eos esse æmulatiuos, qui se iis bonis dignos ar-
bitrantur, quæ non habeant. Nullus autem se di-
gnum putat impossibilibus, si sic apparent. Idcir-
co iuuenes, atque magnanimi huiusmodi sunt.
Et qui ea bona possident, quibus præclari viri
digni sunt, quæ sunt diuitiæ, multorum gratia,
principatus, & huiuscemodi. Quasi enim suum
sit bonos esse, quoniam hæc bona, bonorum sunt,
æmulantur in ipsis. Præterea, iis, quos cæteri di-
gnos arbitrantur: & quorum maiores, aut cogna-
ti, aut domestici, aut gens, aut patria, præclara: hi
de iis æmulatiui sunt: sua enim hæc putant, & se
iis esse dignos. Quod si honorabilia bona æmu-
labilia sunt, necesse est virtutes huiusmodi esse,
ac quæcunque aliis vtilia, & ad benefaciendum
apta. Benefacientes enim, atque probos simili-
ter honorant. Insuper ea bona, quibus fruun-
tur, ut diuitiæ, ac forma, magis, quam sanitas.
Hinc etiam patet, qui sunt apti, ut eos æmulen-
tur. sunt enim, qui hæc, taliæque possident, velu-
ti fortitudinem, sapientiam, principatum. Nam
principes multis benefacere possunt, ut duces,
rectores, omnesque, qui talia possunt. Præterea,
iis, quibus multi vellent similes esse, aut quibus
sunt noti, aut amici multi, aut quos multi admi-
rantur, aut quos ipsi. Adhæc, quorum laudes vel
à poetis, vel à scriptoribus decantantur. Hos igitur
æmulantur, contrarios verò contemnunt.
Contemptus enim æmulationi contrarium est.
Aemulari quoque, atque contemnere, contraria
sunt. Est autem necessarium, qui sic se habent,
ut nonnullos æmulentur, aut ipsos alii, hos aptos
esse ad eos contemnendos, qui ea mala habeant,
quæ bonorum æmulabilium contraria sunt.
Quapropter sæpenumero contemnunt fortuna-
tos, cum absque honorabilibus bonis adest eis
fortuna. Quibus igitur rebus affectus mouetur,
& quibus dissoluntur, & vnde fit fides, dictum
est. Quales verò quidam moribus, affectibus,
habilitatibus, ætatibus, ac denique fortunis sint,
deinceps scribamus.

De affectibus, & habitibus iuuenum.

Cap. XII.



Affectus autem dico iram, cupiditatẽ,
cæteraque huiusmodi, de quibus iam
diximus. Habitus verò, virtutes, ac
vitia, de quibus etiam dictum est. Et
adhæc, quæ singuli eligunt, quorumque actiui
sunt. Aetates verò sunt, iuuentus, virilitas, senec-
tus. Fortunam autem appello nobilitatem, di-
uitias, potentiam, & horum contraria, & vniuer-
saliter secundam, & aduersam fortunam. Iuue-
nes ergo huiusmodi moribus sunt, ut aptissimi
ad cupiendum sint, potentisque, facere quæcunque
cupiant. Maximè autem ex cupiditatibus, eius se-
quaces sunt, quæ in rebus Venereis est, & in hac
incõtinentes. Mutabiles verò sunt in cupiditati-
bus, citòque fastidientes. Et vehemèter quidem
cupiunt, cessant autem citò. Voluntates enim
acutas habent, & non magnas, veluti ægrotan-
tium fitis, aut fames. Adhæc, ad irascendum apti
sunt, & acutæ iræ, potentisque appetitiones se-
qui. Vincuntur autem ira, quoniam ex ambitio-
ne contemni non patiuntur, sed molestè ferunt,
cum putant iniuriam sibi fieri. Ambitiosi etiam
sunt, imò contentiosi. Excedere nanque iuuen-
tus cupit: & victoria, excessus quidam est. Sunt
autem horum vel duorum magis, quam pecu-
niarum, studiosi: pecuniarum studiosi minimè.
Non enim adhuc inopiæ periculum fecerunt,
sicut elogium Pittaci in Amphiarum cõrinet.
Nec malitiosi, sed simplices. Nondum enim ver-
sutias multas inspexerunt. Creduli etiam sunt,
quoniam nondum in multis decepti. Spei quoque
bonæ. Sic enim à Natura percalidi iuuenes sunt,
quemadmodum qui vino pleni sunt. Et simul
quoniam nondum in multis aberrarunt. Viuunt
igitur maximè spe. Spes enim, futuri est: memo-
ria verò, præteriti. Ac iuuenibus futurum qui-
dem multum restat, præteritum autem breue est.
Nam primo die nihil meminisse putant, spera-
re verò cuncta. Qua de causa ut facilè quoque
decipiantur, idonei sunt, quoniam facilè sperant.
Fortiores etiam, quoniam facilè irascuntur, &
bene sperant. Quorum alterum, ne timeant, al-
terum ut confidant, facit. Nam neque cum ira-
scitur quispiam, timet: & cum boni aliquid spe-
rat, confidit. Præterea verecundi. Nondum
enim alia esse honesta existimant, sed lege sim-
plicitatisque Naturæ solùm instituti. Magnanimi
quoque. Nam nec vnquam vita ipsos deiecit,
sed periculorum expertes sunt. Et dignum se
magnis putare, magnanimitatis est, id verò be-
ne sperantis. In agendo autem honesta potius
eligunt, quam vtilia. Moribus enim à Natura
tributis viuunt magis, quam rationatione.
Ratiocinatio autem vtilium est, virtus verò
honesti. Amicorum quoque studiosi sunt, at-
que sodalium, multò magis, quam cæteræ æta-
tes. Gaudent nanque in conuiuendo, non-
dumque ad vtilitatem aliquid iudicant: qua-
re nec amicos. Omnia etiam nimis, vehe-
mentiùsque peccant, contra Chilonis dictum.
Nimis enim agunt in omnibus, nimis amant, ni-

Qui sint ad
indignatio-
nem proueni-

mis oderūt. Cætera omnia similiter. Scire quoq; omnia putant, atque affirmant: quod etiam causa est ut omnia nimis. Iniurias etiam in contumeliam faciunt, non in malignitatem. Ad commiserationem quoque parati, quoniam probos ac bonos omnes arbitratur. Sua enim simplicitate cæteros metiuntur: itaque indigna ipsos pati facile credunt. Risui etiam student: idcirco & dicaces sunt: Dicacitas enim, castigata contumelia est. Iuuenum igitur mores tales sunt.

De affectibus, & habitibus senum.

Cap. XIII.

Seniores autem, ac ætate prouecti, horum ferè contrarios mores, ut plurimum habent. Nam quoniam multos iam annos vixerunt, & errauerunt in pluribus, deceptiq; fuerunt, ac insuper quoniam rerum plurimæ vitiosæ sunt, neque affirmant quicquam, & multò minoris cuncta existimant, quam oporteat. Sciunt autem nihil, sed ambigentes, semper forsan, ac fortassis addunt, & sic omnia dicunt firmiter verò nihil. Malitiosi quoque sunt. Malitia verò est, in peiorem cuncta partem suspicari. Suspiciosi nanque sunt, quoniam increduli. Increduli verò, quoniam experti. Quapropter neque amant, neque oderunt nimium, sed, secundum Biantis præceptum, & amat ut osuri, & oderunt ut amaturi. Præterea, pusillanimitas sunt, vitæq; ductu deiectioni. Nullum enim magnum, neque superuacuum, sed quæ ad vitam necessaria sunt, cupiunt. Illiberales etiam sunt, quoniam substantia vnum ex necessariis est: simulumq; quoniam experti, non ignorant difficilem quidem esse acquisitionem, iacturam verò facilem. Adhæc, timidi sunt, & ad pertimescendum cuncta parati: contrario enim modo, quam iuuenes, dispositi sunt: sunt enim frigidi, cum illi calidi sint. Itaque senectus viam timori præparauit. Timor enim frigiditas quædam est. Vitæ quoque cupidi sunt, ac maximè in extremo die. Cupiditas enim, rei absentis est: & cuius egent, id summopere cupiunt. Accusandi quoque studiosi magis, quam oporteat. Nam id etiam pusillanimitas quædam est: viuuntq; ad vtile, non ad honestum, magis, quam oporteat, quoniam se ipsos maximè amant. Vtile nanque sibi, honestum verò simpliciter bonum est. Inuerecundi quoque magis, quam verecundi. Nam quoniam non similiter de honesto, atque utili curant, existimationem contemnunt. Malæ quoque spei sunt, tum propter experientiam, quoniam plurimæ rerum vitiosæ sunt, multaq; ad peius tandè deueniunt, tum propter timiditatem. Viuuntque memoria magis, quam spe. Nam futurum breue sibi est, præteritum multum. Spes autem, futurorum est: memoria verò, præteritorum. Quod causam etiam loquacitatis sibi affert. Perseuerant enim præterita narrantes: quoniam recordantes voluptate afficiuntur. Ira verò acuta quidem est, sed infirma. Cupiditates quoque, aliæ defecerunt, aliæ infirmæ sunt. Quare neque cupidi sunt, neque secundum cupiditates, sed secundum lucrum actiui. Idcirco ad modestiam

quoque apti grandes natu videntur. Nam & cupiditates deseruerunt, & ipsi lucro seruiunt. Viuuntque magis ratione, quam moribus. Nam ratiocinatio vtilitatis est, mores autem virtutis. Iniurias verò non in contumeliam, sed ad iniuriandum faciunt. Ad commiserationem præterea parati sunt, sed non ea de causa, qua iuuenes. Nam iuuenes ex humanitate, senes autem ex imbecillitate. Omnia enim impendere sibi putant, propèque esse ut patiantur. Id verò aptitudo ad commiserationem erat. Vnde queruli sunt, non dicaces, neque faceti. Contrarii enim sunt querulus, atque facetus. Iuuenum igitur, ac senum mores huiusmodi sunt. Quare cum omnes orationem probent, quæ moribus suis accommodetur, atque eis similis sit, non latet quomodo vsus oratione, tam ipse, quam oratio huiusmodi videbitur.

De moribus ætatis mediæ.

Cap. XIII.

Constantis verò mores ætatis inter hos versabuntur, utrorumq; fugientes excessum, & neque valde confidentes, quod ferocitatis est: neque timentes valde, sed bene se habentes ad utrumq;. Nec increduli omnibus sunt, sed secundum solummodo veritatem iudicant. Nec parci, nec prodigi, sed accommodati rebus sunt. Similiter se ad iram quoque, ac cupiditatem habent. Suntq; modesti cum fortitudine, & fortes cum modestia. Nam hæc in iuuenibus, atque senibus disuncta sunt. Iuuenes enim, fortes, ac immodesti sunt: senes verò, modesti, ac timidi. Verum (ut vniuersaliter dicam) quæcunque iuuentus, atque senectus seorsum ex vtilibus habent, hæc & viri habent. In quibuscunque verò illi excedunt, aut deficiunt, hæc in viris commodè, ac mediocriter sunt. Viget autem corpus quidem à trigésimo ætatis anno ad trigésimum quintum: anima verò vsque vndequinquaginta. De iuuentute igitur, & senectute, ac virili ætate, quorum morum vnaquæque sit, hæc dicta sint.

De moribus nobilium.

Cap. XV.

De moribus autem, qui fortunæ bonis quales quidam efficiantur, deinceps dicamus. Nobilitatis igitur mores sunt, ut ambitiosior sit, qui nobilior est. Nam omnes, cum quid adsit, ad id solènt coacervare. Nobilitas verò quædam maiorum claritas est. Præterea, nobiles ad contemnendos maiorum suorum similes parati sunt. Nam ea, quæ iam diu gesta sunt, honorabiliora sunt, ad iactationemque aptiora, quam quæ nuper facta. Est autem nobile secundum virtutem generis. Generosum verò secundum quod non recedit à natura: quod non contingit ut plurimum nobilibus, sed multi humiles, atque deiectioni sunt. Est autem etiam in virorum generibus fertilitas quædam, sicut in agris aliquando: ac interdum si genus bonum fuerit, viri præstantes generantur: rursumq; genus deicitur. Deueniunt autem ingeniosa quidem genera in mores furiosos magis

gis, ut qui ab Alcibiadè, quiq; à superiore Dionysio sunt. Quieta verò in segnitie, veluti qui à Cimone, Pericle, ac Socrate sunt.

De moribus diuitem. Cap. XVI.

Mores autem, qui diuitias comitantur, facile omnes perspicere possunt. Contumeliosiores nanque sunt, ac superbi, qui possessione opum perturbantur. Nam quasi omnia bona possideant, sic afficiuntur. Sunt enim quasi pretium aliorum, diuitiæ, quibus eorum dignitas æstimatur: ac idcirco cuncta videntur emi posse diuitiis. Delicati etiam sunt, sibiq; plurimum arrogantes. Illud propter delicias, ac felicitatis ostentationem: hoc, quoniam omnes in eo versari soliti sunt, quod ipsi amant, ac admirantur: & quoniam quæ ipsi, ea cæteros quoque putent æmulari. Nec iniuria sic affecti sunt, cum multi sint, qui habentium auxilio egeant. Vnde à Simonide quoque de diuitibus, ac sapientibus ad Hieronis vxoris dictum est, cum interrogasset utrum melius, esse diuitem, an sapientem: Sapientes enim, inquit, in diuitum ianuis video. Adhæc quoniam dignos se arbitrantur principatu: ea enim habent, quorum gratia dignum putant se cæteris dominari. Ac (ut in summa dicam) diuitiarum mores, amantis simul, atque felicitis mores sunt. Sed interest inter locupletorum nuper mores, & iam diu diuitum. Magis enim mala omnia insunt nuper locupletatis, peioraque in ipsis sunt. Nam nuper ditatus, veluti non castigatus habet diuitias. Præterea, iniurias non ex malignitate, sed aliàs ex contumelia, aliàs ex intemperantia faciunt, veluti virgis cadere, & adulterari.

De moribus potentium, & fortunatorum.

Cap. XVII.

Similiter autem potentia quoque omnes penè mores in aperto sunt. Partim enim eosdem habent, quos diuitia, partim etiã meliores. Sunt enim potentes secundum mores ambitiosi, ac viriliores, quam diuites, eò quod operationes eas expectant, quas ipsis propter potentiam gerere licet. Diligentes quoque magis. Nam coacti quæ potentia sunt considerare, in cura sunt. Honestiores etiam, quam morosiores. Moderantur enim sibi, cum propter honores coram aliis iuuat. Est autè honestas mollis, cõpositaq; morositas. Et si iniuriatur, non in paruis, sed in magnis iniuriatur. Secunda verò fortuna dictorum morum habent secundum partes. Ad has enim tendunt, quæ secunda videntur fortuna contingere. Et ad hæc ad proborum liberorum procreationem, corporis quoque bona secunda contingunt fortuna. Superbi ergo magis, & minus rationales propter secundam fortunam sunt, quamuis mos melior hanc fortunam vnus sequitur. Sunt enim erga Deum pii, afficiunturq; quodam modo ad ipsum propter bona, quæ sibi à fortuna præbentur, credentes. De moribus igitur ætatum, & fortunæ, dictum est. Contraria enim horum ex contrariis manifesta sunt, veluti pauperis, infortunati, ac impotentis mores.

Quod sunt quedam omnibus generibus cõmunia. Cap. XVIII.

Erum quoniam probabilis orationis vsus ad iudicium spectat, (nam quæ iam sciimus, ac iudicauimus, nulla egent amplius oratione) ac quoniam & si quis cum suadeat ad vnum, oratione vtatur, vt admonetes, aut hortantes faciunt, nihilò minus ille vnus iudex est. Nam cui persuadendum est, is (vt simpliciter dicam) iudex est, & siue ad litigantes, siue ad causam quispiam in deliberando dicat, similiter. Vti nanque oratione, necesse est, & cõtraria euertere, ad quæ, tanquam in aduersarium, orationem facit. Eodèque modo in demonstratiuis. Nam ad spectantem, quasi ad iudicem, oratio cõponitur, ac vniuersaliter solus est, vt simpliciter iudex, qui in ciuili certamine quæsit iudicat. Nam & de quibus litigant, & de quibus consultant, omnia, quomodo se habeant, inquiruntur. Quoniamq; de ciuitatum moribus dictum iam prius est in deliberatione, fit, vt determinatum iam sit, quo pacto, & quibus moratam orationem faciemus. Et quoniam alius quidem in vnoquoque orationis genere finis erat, ac de omnibus opiniones, propositionesque sumptæ sunt ex quibus deliberantes, demonstrantes, litigantes fidem faciunt, & adhæc quoniam ex quibus moratam, affectamq; orationem facere possibile sit, determinatum est: restat iam vt de communibus tractemus. In oratione igitur omnibus necessarium est, vt possibili, atque impossibili vtantur, aliisq; quod fuit, aliisq; quæ sint res habituræ euentum, cõnentur ostendere. Magnitudo quoque omni orationi communis est. Omnes enim, siue suadeant, aut dissuadeant, siue laudent, aut vituperent, siue accusent, aut defendant, amplificatione, atq; attenuatione vtantur. Quibus determinatis, de enthymematibus communiter, atque exemplis conabimur dicere: vt quæ restant apponentes, quod ab initio intendimus, consequamur. Est autem ex communibus amplificatio demonstratiua, commodissima, præteritum verò iudiciali, possibile autem, & futurum deliberatiua, vt dictum est.

De possibili, & impossibili. Cap. XIX.

Rimùm igitur de possibilibus, & impossibilibus dicamus. Si ergo contrarium vel esse, vel fieri possibile sit, cõtrarium quoque possibile profectò esse videbitur: vt si sanari hominem possibile est, erit etiam egrotare. Ea enim contrariorum potentia est, quatenus sunt contraria. Item, si simile possibile est, erit & dissimile. Præterea, si quod difficilius est, possibile est, & quod facilius etiam. Insuper, si studiosum, aut pulchrum fieri possibile, omnino quoque fieri possibile. Nam difficilius est, pulchram fieri domum, quam domum. Item, cuius principium fieri possibile, huius & finis possibile. Nihil enim eorum fit, neq; incipit fieri, quæ impossibilia sunt, vt commensurabilem esse diametrum, nec fieri vnquam incipiet, nec iam fit. Et conuersim, eu-

Epilogus omnium, quæ hactenus disputata sunt.

ius finis, huius etiam principium. Cuncta enim ex principio sunt. Adhæc, si quod substantia posterius est, aut generatione, id fieri possibile, & prius quoque: velut si virum fieri possibile, & puerum quoque: hoc nanque fit prius. Quod si puerum, & virum etiam: principium enim illud. Præterea, quorum amor, aut cupido secundum naturam est. Nemo enim amat impossibilia, nec ea cupit: vt plurimum. Insuper, ea, quorum est ars, aut scientia, & esse, & fieri, possibile est. Itē, ea, quorum generationis principium in iis est, quos vel cogere possumus, vel persuadere: ii vero sunt, quibus aut meliores sumus, aut domini, aut amici. Adhæc, quorum partes posibles, & totum. Et quorum totum, partes quoque vt plurimum. Nam si lacinia, & manica, cæteraq; partes fieri possunt, & vestis quoque tota. Et si tota vestis, lacinia quoque atque manica. Præterea, si vniuersum genus ex possibilibus, species quoque fieri possibilis. Et si species, genus quoque: vt si nauem fieri possibile, triremem etiam. Et si triremem, nauem quoque. Præterea, si alterum eorum, quæ nata sunt ad inuicem referri, alterum quoque: vt si duplum, mediū etiam: & si mediū, duplum quoque. Præterea, si absque arte, ac præparatione possibile quippiam: fieri, id multo magis arte, ac cura fieri possibile. Hinc apud Agathonem dictum est: Atqui quæ vos fortuna facitis, hæc nobis arte, necessitatēq; sunt. Et quod peioribus, aut minoribus, aut imprudētioribus possibile, id contrariis horum multo magis: vt, Socrates dixit graue esse, si quod Euthymius didicit, ipse non poterit inuenire. De impossibilibus autem palam quod ex contrariis istorum sunt. Si verò factum sit, aut non, ex his considerandum primum, si quod minus fieri natum est, id factum est: & quod magis natum, id quoque factum. Deinde si quod posterius fieri solet factum est, & quod prius: vt si oblitus est, didicit aliquando. Præterea, si & volebat: & poterat, fecit. Nam omnes, si possunt, cum voluerint, agunt. Nihil enim impedimento est. Si volebat etiam, & extraneorum nihil impediēbat. Et si poterat, & cupiebat. Et si poterat, & delectabatur. Nam quibus delectantur, ea vt plurimum si possunt efficiunt. Improbi quidem ex intemperantia, probi verò quoniam proba desiderant. Et si factus erat, & fecit. Probabile nanq; fecisse ipsum quod facturus erat. Et si facta sunt, quæcunque nata sunt ante aliquid fieri: aut illius gratia: vt si coruscavit, tonuit. Et si tentauit, etiam fecit. Adhæc, si facta sunt quæcunque posterius nata sunt, vel id, cuius gratia fuerit prius quoque, & hoc, huius gratia ante hoc factum est: vt si tonuit, etiam coruscavit: & si fecit, etiam tentauit. Horum autem omnium alia necessaria sunt, alia vt plurimum ita se habent. Ex contrariis autem istorum patet, si factum non sit. De futuro quoque manifestum ex eisdem est. Nam & quod in potestate, & voluntate est, erit. Et quod in cupiditate, ira, cogitationēq; est simul cum potestate. Propter hæc similiter. Præterea si est in appetitione faciendi, vel cura. Nam vt plurimum sapius fiunt, quæ curæ sunt, quam quæ non sunt.

Et si iā facta sunt, quæ prius fieri nata sunt, vt si nubibus celū obregitur, verisimile est vt pluat. Et si quod huius gratia, factum est, verisimile vt hoc quoque fiat: vt si fundamenta iacta sunt, fiet domus. De amplificatione autem, ac attenuatione rerum, maiorisque, atque minoris, & omnino magnarum, atq; paruarum, ex iis, quæ iam diximus, manifestum. Dictum est enim in deliberatio, & de bonorum magnitudine, & de maiore simpliciter, atq; minore. Quare si in vnoquoque causarum genere bonum est finis, vtputa vile, honestum, ac iustum: perspicuum est, horum omnibus amplificationes esse sumendas. Quærere verò præter hæc quicquid de magnitudine simpliciter, ac excessu, id est verba incassum effundere. Singularia enim, ad vsum præstantiora vniuersalibus sunt. Ac de possibili quidē, ac impossibili, & factumne sit, an nō, & erit, an non erit, præterea de amplificatione, & attenuatione rerum, hæc dicta sint.

De Exemplo. Cap. XX.



Est autem de fide communiter dicere, quoniam de propriis iam dictum est. Est autem communis fides genere duplex: exemplum, & enthymema. Nam sententia, pars enthymematis est. Primum igitur de exemplo dicamus: quoniam inductioni simile est. Inductio autem, principium. Exemplorum ergo species duæ sunt. Altera, si res præteritas dicis: altera, si ipse fingis. Et huius aliud similitudo, aliud apologi, sicut Aesopii & Libyci. Exemplum igitur tale quid est, vt si quispiam dicat, oportere apparatus aduersus regem fieri, qui faciat ne potiatur Aegypto. Nam si Darius non prius traiecit, quam Aegyptum cepit, & cum cepisset, statim traiecit: is quoque si ceperit: traiecit. Quare nō est ipsi permittenda Aegyptus. Similitudo verò Socratica est, vt si quis dicat, non oportere magistratus fortiri: simile nanque esse, si quis athletas sortiatur, non eos, qui certare possint, sed qui sorte euenerint: aut si è nautis sorte gubernatorem constituat. Quasi verò sorte potiùs, quam scientia, constituendus sit. Apologus talis est Stesichori ad Phalarim, & Aesopi pro Demegoro. Nam Stesichorus cum Himeræi Phalarim plena potestate Imperatorem constituisset, custodēsq; corporis daturi essent, postquam alia disseruit, apologum eis dixit: Equus, inquit, prata solus obtinebat: quorum cum ceruus adueuiens pasqua deuastasset, de vltione cerui equus hominem consuluit, si vnà secum pœnas posset ex ceruo sumere. At ille, Facile, inquit, si frænum patieris, & ego in te hastam tenens ascendero. Accepit equus conditionem, ascendit in ipsum homo. Ita pro vltione homini equus seruiuit. Quam ob rem & vos (inquit) caute, ne cum velitis hostem vlcisci, idem quod equus patiamini. Frænum iam recepistis, quod Imperatorem Dictatorem constituitis. Si verò custodiam quoq; dederitis, ac ascendere permiseritis, seruietis profectò Phalaridi. Aesopus autem, cum in Samo primatem quendam populi capitatis accersitum defenderet, dixit, vulpem

Quæ factum probent.

Coniecturæ.

Species est plorum.

Species est plorum.

Similitudo.

Apologus.

vulpem, cum fluuium transiret, in foueam decidisse, eique longo ibi tempore, cum exire non posset, afflicta, multas caninas muscas infedisse. eam transiens aspexit Hericius, misertusq; rogauit, si vellet vt ab ea caninas muscas euelleret. Cumque ipsa negasset, causam miratus quærebat. Tunc illa, iam, inquit, hæc saturata parum sanguinis trahunt. Quod si has tu excuties, famelcentes venient alia, quæ, quod mihi sanguinis restat, totum ebibent. Sic igitur, dixit, vobis quoque, viri Samii, nihil iam iste locupletatus officit. Si verò hunc interimetis, pauperes alii locum eius occupabunt, qui ciuitatis pecuniam facile furando consumunt. Huiusmodi ergo apologi ad populum maximè accommodati sunt, habentque hanc præstantiam, cum difficile sit, res præteritas similes inuenire, apologos facillimum est fingere. Nanque opus est hoc modo inuenire, vt & similitudines, modò possis, quod simile est, perspicere: quod philosophia facile præstat. Nō est igitur difficile apologos inuenire. Verum ad consultationem res gestæ multo vtiliores sunt. Nam vt plurimum futura præteritis similia sunt. Exemplis igitur, si quidem non habeas enthymemata, quasi demonstrationibus vtendum. Si verò habeas, quasi testimoniis post enthymemata in perorationibus. Cū enim præponuntur, similia inductionibus sunt: inductio autem orationi oratoriæ, præterquam in paucis, non est idonea. Postposita verò, testimoniis assimilantur. Testis autem vbique ad fidē vtilis. Præterea præponenti multa dicere necesse est. Postponenti autem vnus etiam sufficit. Nam testis probus vel vnus satisfacit. Quot igitur species exemplorum sint, & quo pacto, & quando ipsis vtendum, dictum est.

De sententia. Cap. XXI.



De sententiis autem adhibendis, si, quid sententia sit, dixerimus, facile patebit quibus de rebus, & quando, & quibus consentaneum est in oratione sententiis vti. Sententia igitur, est nō de singularibus, vt qualis quidem Iphicrates sit, sed de vniuersali enuntiatio: nec de omnibus vniuersalibus, vt rectum obliquo contrarium esse: sed de quibuscunque operationes sunt, quæ ad agendum eligenda, vel fugienda sunt. Quare quoniam enthymemata syllogismi de istis sunt, tam conclusiones enthymematum, quam principia syllogismo semoto sententiæ ferè sunt: vt illud, Oportet prudentē virum non nimium in sapientia liberos erudire. Id igitur sententia est: cui si causa quam ob rem accesserit, totum enthymema erit. Nam ad otium, quod habent, perniciosam etiam sibi hominum inuidiam attrahunt. Et illud, Non est, qui felix omnibus in rebus sit. & Nullus hominum liber est. Nam aut pecuniæ, aut fortunæ seruit. Si ergo sententia est, quod diximus, quatuor sententiæ species esse necesse est. Nam aut cum ratione erit, aut sine ratione. Quæ igitur egent demonstratione, cum ratione sunt. Quæcunque verò nihil mirum continent, absque ratione. Quarum alia

Sententia quid.

Sententiarū species quatuor.

necessariò, quoniam ratione præsciuntur, non egent: vt illud, Bene valere, præstantissimum hominibus est, vt nobis videtur. Id enim ita iam multis videtur. Alia simul cum dicantur, patent perspicienti: vt illud, Nemo amator est, qui nō semper amet. Earū verò, quæ cum ratione sunt, alia pars enthymematis sunt: vt, Oportet prudentem virum esse. Alia enthymematica quidem sunt, enthymematis autem pars non sunt: quæ maximè probatur. Huiusmodi autem sunt, in quibuscunque causa inest: vt in illo, Iram im mortalem, cum sis mortalis, non serua. Nam quod ira seruanda semper non sit, sententia est: adiectum verò, Cū sis mortalis: quam ob rem significat: cui simile est, Mortalia mortalem, non immortalia, curare oportet. Perspicuum igitur est, quot sint sententiæ species, & quibus vnaquæq; rebus accommodetur. Rebus enim ambigu, aut nouis, & præter opinionē accommodabitur, sed aut ratione præposita sententia vtetur cōcludēdo: vt si quis dicat, Ego igitur, quoniā nec inuidiosum, nec otiosum esse conducit, nō oportere doceri assero. Aut hoc præposito, reliqua postponemus. Quæ verò etsi præter opinionem non videantur, sunt tamen incerta, ea rotundissimè dicentur, si quam ob rem præposueris: quibus etiam Laconica dicta accommodantur, & ænigmata: vt si quis dicat, quod Stesichorus apud Locros dixit, Non oportere contumeliatos esse, ne cicadæ humo canant. Sententias autem dicere ætate prouectis maximè congruit, de rebus, inquam, quarum quis vsum habet. Nam qui tantus non est, eum dedecet sententias dicere, sicuti fabulas. Qui autem de iis, quorum vsum non habet, is ineptus, atque indoctus est. Signum huius sufficiens, quod agrestes maximè sententiarum fictores sunt, facileq; enuntiant. Vniuersaliter autem proferre quod vniuersale non est, conuestioni, ac amplificationi conuenit, & in his aut cum incipias, aut cum iam demonstraueris. Verum peruulgatis etiam sententiis, atque communibus vtendum est, si vtilis sunt. Nam quoniam communes sunt, quasi omnes ita concedant, rectè se habere videntur: vt hortanti ad subeunda pericula, inauspicatò. Vna est auis optima, pro patria pugnare. Cūque pauciores sint, Martem esse communem. Et ad occidēdos inimicorum liberos nihil iniuriantes. Stolidus, qui, cum patrē occiderit, liberis pepercit. Propterea prouerbiorum nonnullæ sententiæ quoq; sunt, & quasi testimonia, sicut, Atticus aduena. Oportet autem sententias tunc vel contra peruulgata dicere. Peruulgata verò dico, vt, Cognosce te ipsum. &, Nihil nimis. Cum aut meliores poterunt mores videri, aut ex perturbatione dicetur. Ex perturbatione quidem, si quis iratus dicat, falsum esse, quod oporteat se ipsum cognoscere. Nam hic, si se ipsum cognouisset, nunquam magistratum petiisset. Mores verò meliores, quod non oporteat sic amare, vt fertur, quasi osurus sis: sed potiùs odisse, quasi amaturus. Opus est autem, vt cum habitu voluntatē ostendas. Si verò non ratio statim asserenda est, vt si

Ænigmata.

Paræmiæ.

Correptiones sententiarum.

aut hoc pacto dicas, quod amare oporteat, non ut fertur, sed quasi semper amaturus. Infidiatoris enim illud est, aut sic: Non enim probatur mihi, quod fertur. Nam amicum verum sic oportet amare, quasi semper amaturus sis. Sed neque illud, Nihil nimis: cum oporteat nimis odisse, saltem improbos. Afferunt autem orationi vires magnas sententiæ, partim quia maximè per eas auditores capiuntur. Gaudent enim, si quis vniuersaliter dicens, in eas opiniones fortè deueniat, quas illi particulariter habent. Quod autem dico, hinc erit manifestum, & simul quo pacto ipsas venari conueniat. Nam sententiæ, ut dictum est, vniuersalis enuntiatio est. Gaudent autem, cum id vniuersaliter dicitur, quod particulariter ipsi opinantur: ut si quis vicinos, aut liberos prauos habeat, gratum profectò illud sibi videbitur, Nihil vicino molestius, vel, Nihil procreatione liberorum stultius. Quare coniecturæ primùm sequendū est quod præopinatur, dein de in vniuersum de ipso dicendum. Hic igitur vnus sententiæ vsus est. Alter, & melior, quod moratam facit orationem. Affecta enim oratio est, qua dicentis voluntas apparet. Quod omnis sententiæ ideo facit, quoniam qui eam dicit, vniuersaliter de eligibilibus enuntiat. Quare si sententiæ probæ sunt, faciunt ut proborum, qui dicit morum videatur. Verùm de sententiæ, & quid est, & quot eius species, & quando his vtendum, quàmque vtilitatem afferat, hæc dicta sint.

De Enthymemate. Cap. XXII.

Nunc verò de enthymematibus primùm vniuersaliter quo pacto quæredum sit, dicamus: deinde locos exponemus. Alia enim vtriusque horum species est. Quod igitur enthymema syllogismus quidam sit, dictum est prius, & quomodo syllogismus, & in quo à dialecticis differat. Non enim de longe, nec omnia sumentè oportet colligere. Nam alterum propter prolixitatem, obscuritatis est: alterum, quoniam manifesta dicuntur, nugationis. Et hæc causa est, ut apud vulgus probabiliores indocti sint, veluti etiam poetæ aiunt concinnius rudes in vulgo dicere. Communia enim afferunt, atque vniuersalia. Illi verò, ex quibus sciunt & proxima. Non ergo ex omnibus, quæ videntur, dicendum, sed ex certis, aut ipsis iudiciis, aut iis, quos multifaciunt. Idque quoniam sic aut omnibus, aut plurimis perspicuum esse videatur. Nec solum ex necessariis colligendum, sed etiam ex iis, quæ ut plurimum sunt. Primùm ergo id nobis sumendum est, quod, de quo generetur, dicere, atque ratiocinari oportet, siue syllogismo ciuili, siue quocunq; alio, necessariū est, quæ in eo sunt vel cuncta, vel saltem aliqua tenere. Nam si nihil habes, vnde colligas nō habebis. Quo enim pacto, bellandumne sit, an non, Atheniensibus consulere poteris, nisi quæ sint ipsorum copiarū, & quantæ: vestigalia etiam quæ sint, aut socii, aut hostes, & ad hæc quæ bella gesserunt, &

quomodo, cæteraque huiusmodi? Laudare quoque quomodo poteris, nisi habeas nauale apud Salamina pugnam, & prælium apud Marathonam, vel quæ pro Herculis nepotibus gesta sunt, vel alia huiusmodi? Omnes enim ex iis bonis, quæ alicui adsunt, vel adesse videntur, laudant. Similiter etiam vituperant ex contrariis perspicientes, si quid tale in ipsis est, aut esse videatur: vtputa quoniam Græcos in seruitutem redegerunt, & Aeginetas, & Potideatas, qui cum eis aduersus barbarum pugnarunt, præclarèq; gesserunt, sibi subiecerunt, & si quid huiusmodi erratum in ipsis est. Eodè modo accusantes quoque, ac defendentes, ex iis, quæ sunt & accusant, & defendunt. Nihil autem differt de Atheniensibus, aut de Lacedæmoniis, & vel de homine, vel de Deo id ipsum agere. Nam si Achilli consuleres, aut si eum laudares, vel vituperares, vel defenderes, quæ sunt, aut quæ videntur esse, sumeres, vt ex eis diceres laudans, aut vituperans, si quid honestum, aut turpe sibi gestum est, accusans verò, aut defendens, si quid iustum, aut iniustum, consulens autem, si quid vile inest, aut noxium. Similiter iis de quacunque re alia, vt de iustitia, vtrum bonum, an non, ex his, quæ in iustitia sunt, aut in bono. Verùm quoniam & ita omnes ostendere videmus, siue rectè, siue minùs rectè syllogismo vtantur. Non enim ex omnibus, sed ex iis, quæ in vnoquoque sunt, sumere oportet, idque recta connectendi ratione adhibita. Perspicuum enim quod impossibile sit aliter demonstrare. Patet igitur, necessarium esse, sicut in Topicis primùm, vt electa de possibilibus, atque opportunissimis circa vnumquodque habeantur: quæ verò subito incidunt, eodem pacto quæramus, respicientes nō in indefinita, sed in ea, quæ in illis sunt, de quibus habetur oratio: vt præterea plurima, & proxima rebus circumscribenda sint. Nam quantum plura eorum, quæ in re sunt, teneas, tantò facilius demonstrabis. Et quantum propinquiora, tantò propria magis, ac minùs communia. Communia verò dicimus, vt si Achille laudes quoniam homo, quoniam semideus, quoniam in Troianos traiecit: hæc enim aliis multis insunt. Quare non Achillem magis, quàm Diomedem laudas. Propria verò, quæ nemini, quàm Achilli, contigerunt, vt quoniam Hectora, qui Troianorum erat fortissimus, interfecit, & Cygnū, qui, cum esset inuulnerabilis, omnes, ne descenderent è nauibus, inhibebat, & quoniam adolescens, nec iureiurando adstrictus militauit, cæteraque huiusmodi. Vnus igitur eligendus modus: primūque is locus est. Nunc verò enthymematum elementa dicamus. Elementum autem enthymematum, atque locum, idem dico. Sed prius de iis dicamus, de quibus necesse est prius dicere. Sunt enim enthymematum species duæ: Nam quædam quod sit, vel non sit, approbatiua sunt: quædam ἐλεγκτικὰ. Græcæ appellantur: id Latine dicere possumus redarguedi potestati habentia, differuntq; sicut in dialecticis syllogismus, & elenchus. Est autè approbatiuum quidè enthymema, cum ex concessis colligitur. Elencticum

Propria cuiusque propria tenenda.

cticum verò, cum repugnantia colliguntur. Ferè igitur nobis in vnoquoque genere vtili, atque necessario loci dicti sunt. Quare quibus enthymemata ex locis elicienda sunt, de bono, aut malo, honesto, aut turpi, iusto, aut iniusto, de propriis etiam affectibus, eodè modo sumpti sunt nobis iam prius loci ex quibus. Verùm nunc alio modo de omnibus communiter sumamus, atque dicamus qui approbatiui, quique elenctici sunt, annotantes eos etiam, qui sunt apparentium enthymematum, quæ tamen non sunt enthymemata, quoniam nec syllogismi. Quibus explicatis, de obiectionibus, solutionibusque dicemus, vnde enthymemata elicienda sunt.

De locis enthymematum.

Cap. XXIII.

Locus ex contrariis.



Nus igitur approbatiuorum locus ex contrariis est. Nam inspicere oportet si contrario contrarium confirmanti quidem inest, confutanti autè si non inest, vt temperantiam bonum esse, quoniam intemperantia malum: vt in Messeniaca. Nam si bellum horum malorum causa est, per pacem hæc emendabimus. Item, quod si non iis, qui inuiti obfuerunt, irasci par est: nec iis, qui coacti profuerunt, gratia est habenda. Itè, quod si multa etsi hominibus credibilia sint, falsa tamen sunt: contrarium quoque credendum est, multa quanuis mortalibus incredibilia sint, vera tamen esse. Alius ex similibus casibus. Similiter nanq; esse, & non esse oportet: vt si dicas, nō omne iustum bonum esse: nam quicquid est iustum, id bene esset. Nunc verò iuste mori, non est appetibile. Alius ex iis, quæ adinuicè. Nā si alteri iuste ac bene agere inest, alteri pati inerit. Et si imperasse, etiam fecisse: vt de publicanis Dionedon publicanorum princeps. Nam si vobis lo-

Ex coniugatis. Ex connectis, vel relictis.

Fallacia ex hoc loco. Ob persona rum vel relictarum constantiarum complexum.

Ita ait aliquis nomine sororis.

Locus comparationis.

care turpe non est, nec nobis conducere. Nam si quis passus est, iuste ac bene id passus est. Sed potest in hoc cauillatio fieri. Nam si iuste occisus est, iuste passus est, sed fortè non abs te. Quare seorsum perspicendum, si pati dignus fuit, qui passus est, & facere qui fecit: deinde vtendum quomodocunq; congruit. Nam interdum id dissonat, nihilque prohibet, veluti & Alcæoni apud Theodectem, Matrem verò tuam nemo mortalium oderat. Ait autem respondens, Sed distinguentes considerare oportet. Interrogante verò Alphefibœa, cur illam quidem morte dignam iudicauerunt, se verò iniuria interfecisse. Et veluti iudicium de Demosthene, & eorum, qui Nicanora interemerunt. Nam quoniam iure interfecisse iudicati sunt, iure cæsus indicatus est. Et vt de interfecto Thebis, de quo iudicium fieri volebat, si occidi dignus erat: quasi nō sit contra ius eum occidere, qui iure cæsus est. Alius ex eo, quod magis & minus: vt, Nec dii quidem omnes sciunt, quonam pacto homines? Id enim est, si cui magis inesse deberet, non inest: nec cui minùs. Illud verò, vicinos ab eo verberari, à quo vel pater ipse, ex eo quod si minus est, & maius est, vtrumque ostendere opus sit, siue quod sit, siue quod non. Præterea, si neque magis, neque

minùs. Vnde dictum est, Tuus pater, cum liberos amiserit, miserabilis est: Oeneus verò non est, qui filium amisit totius Græciæ præclarissimum. Et si Theseus iniuriatus non est, neque Alexander: & si nec Tindaridæ, nec Alexander: & Patroclum Hector, & Achillem Alexander: & si cæteri artifices prauis non sunt, nec philosophi. Et si duces prauis non sunt, quia sæpe superantur, nec sophistæ. Et si oportet priuatos existimationis vestræ curam habere, & vos Græcorum existimationis. Alius à temporis consideratione, vt Iphicrates pro Harmodio. Et si statuam petenti antè, quàm faceret, dedissetis, nunc, cum fecerit, non dabitis? Num igitur accepturi quidem pollicemini: cum verò acceperitis, tunc auferitis? Et rursus ad illud, an Thebani Philippum in Atticam patientur pertransire, si antè, quàm auxilium eis aduersus Phocenses tulerit, petiisset, sponderent profectò. Incredibile igitur, si quia prodidit, ac fidem præstitit, idcirco transitum ei esse negaturos. Alius ex iis, quæ quispiam dixit, in se ipsum reiectis. Sed modus differt, vt Iphicrates in Teucro aduersus Aristophontæ fecit. Nam cum Aristophon, si proderet naues pecunia, rogatus, negasset, intulit deinde: Tu, qui Aristophon es, non prodidisses? Fab. lib. 5. ego verò, qui sum Iphicrates, prodidissim. Oportet autem, vt magis ille facturus videatur. Nam aliter ridiculum videbitur: vt si aduersus Aristidem accusantem id quispiam dixerit. Verùm ad detrahendum accusatori fidem. Omnino enim accusator defensore melior esse vult. Ad id igitur vniuersaliter reprobandum is locus est, quod alius quispiam facere repræhendat quæ ipse vel non facit, vel non faceret: aut facere hortetur quæ vel non facit ipse, vel non faceret. Alius ex definitione, vt si dicas, Dæmonium nihil est aliud, nisi Deus, aut Dei opus. Atqui si quis putat Dei opus esse, hunc putare necesse est, deos quoque esse. Et, sicut Iphicrates dixit, generosissimum eum esse, qui optimus est. Nihil enim Harmodio, & Aristogitoni generosum erat antea, quàm generose gesserant. Et quod propinquior ipse. Nam gesta mea Harmodii, atque Aristogitonis gestis propinquiora sunt, quàm tua. Et vt in Alexandro, Omnes profectò concedemus, non vnus fruitionem corporis impuros cupere. Id etiam, quod Socrates dixit, nolle ad Archelaum proficisci. Turpe nanque similiter aiebat esse, si beneficio affectus non possis referre, quemadmodum si maleficio. Omnes enim isti cum definierint, acceperintque quid sit, tunc, de quo dicunt, ratiocinantur. Alius ex eo, quod multipliciter: vt in Topicis de eo, quod rectè. Alius ex partitione, vtputa si omnes trium causa iniuriatur, aut hulus, aut ne isti, aut illius rei gratia, & propter hæc quidem impossibile, propter tertium autem neque ipsi dicunt. Alius ex inductione, vt ex Pe- Ab indu- parethia, quod mulieres vbique de liberis verectione. rè discernant. Nam tum Athenis Mantia oratori ambigenti de filio mater asseruit: tum Thebis Ismenia, & Stilbone ambigentibus, Ismenia

filium esse Dodonis confirmavit, ac idcirco Theofali eum Ismenia filium putarunt. Rursus ex Theodectis lege. Qui de alienis equis parvam curam habuerunt, iis suos non tradunt. Neque iis, qui naues alienas euerterunt, aliquis tradit suam. Si ergo id ita in omnibus fit, iis etiam, qui aliorum salutem neglexerunt, in custodiam sui utendum non est. Et ut Alcidas: Omnes, inquit, quomodocumque sapientes honorant. Nam Parii Archilochum, quanquam eos vituperasset, honorarunt. Et Chii Homerum, quanquam civis suus non esset. Et Mitylenæi Sappho, quanquam foemina fuerit. Et Lacedæmonii, quanquam minimè philosophorum studiosi sunt, Chilonem tamen in Senatorum suorum ordinem redegerunt. Itali quoque Pythagoram, Lampfaceni verò Anaxagoram, etsi peregrinus esset, magnificè tamen sepelierunt, & ad hunc usque diem venerantur. Athenienses etiam quousque Solonis legibus utebantur, beati fuerunt, & Lacedæmonii Lycurgi legibus usi. Thebis quoque qui præfuerunt, philosophi erant, & civitas erat in felicitate. Alius ex iudicato, aut eodem, aut simili, aut contrario, præsertim si omnes, & semper, aut si saltem plurimi, aut sapientes, & ii vel omnes, vel clariores, aut etiam si ipsi iudices, vel qui ipsi grati sunt, vel ii, adversus quos iudicare non possunt, domini: vel adversus quos iudicare turpe sit, ut dii, pater, doctor: veluti Autocles dixit in Mixidemida: Si furis, quæ sunt deæ, sufficit pœnas in Ariopago dare, Mixidemidæ verò minimè. Aut sicuti Sappho, Malum esse mortem. Dii nanq; nisi sic iudicassent, morerentur. Aut sicuti Aristippus ad Platonem arrogantiorem, ut putabat. Atqui sodalis noster, inquit, nihil tale de Socrate dicēs. Egesippus quoque oraculo prius in Olympo usus, Delphis postea quærebat ab Apolline, si quæ patri, eadē quoq; sibi videantur: quasi turpe sit contradicere. Isocrates etiam de Helena scribit pulcherrimā fuisse: siquidem Theseus ita iudicavit. Et de Alexandro, quem dii præposuerunt. Euagoram quoq; virtute præclarū fuisse, quod Conon, cum in calamitatem incidisset, relictis cæteris, Euagoram solum petiit. Alius à partibus, sicuti in Topicis, quæ movet anima. Nā hæc, aut illa. Exemplum hoc sit ex Socrate Theodectis, Quod ille sacrum non piè coluit, quos deos despexit, quos civitas deos esse arbitretur? Alius quoniam in pluribus accidat, ut bonū quid, aut malum inde consequatur, à consequentibus suadere vel dissuadere, accusare vel defendere, laudare vel vituperare: ut eruditionem invidia malum consequitur, sapientiam bonum. Quare non oportet erudiri, ne habeamus invidios. Aut oportet: sapientem enim esse oportet. Hic locus totum Calippi artificium est, si possibile, ceteraq; ut dictū est, addideris. Alius, cum de duobus oppositis suadendum, vel dissuadendum sit, hoc modo de utrisque dicere, quo modo exposuimus. Differt autem, quoniam ibi quæ fortè oblata sunt, opponuntur, hic verò contraria: ut sacerdos quidam filium vetabat ad populum orationem habere. Nam si iniusta suades, (inquit)

dii: si verò iusta, homines te odio habebunt. Imò verò habenda est ad populum oratio. Nam si iniusta, homines: si verò iusta dicam, dii me amabunt. Hoc autē idem est illi proverbio, quo fertur, oleum, ac falem emi oportere. Et cōmunitio quidem est, cum ad utrunque duorum contrariorum bonum, ac malum consequantur, alterum alteri contrarium. Alius, quoniam non eadem occultè, atque apertè laudant, sed apertè quidem quæ iusta sunt, atque honesta maxime, occultè autem malunt, quæ conferunt, dare operam, ut ex his alterum colligatur. Nam hic locus, eorum, quæ præter opinionem sunt, principalissimus est. Alius, quoniam ita ex proportionem conueniat: ut Iphicrates, cum censes filium eius puerum adhuc ætate, quoniam statura longus erat, civitatis onera ferre cogent: Si longos ex pueris, inquit, viros putabunt, breves ex viris pueros esse profectò censebunt. Et Theodectes in lege, cum tributa pendentes, veluti Strabaca, & Charidemum, propter probitatem civis faciatis, non expelletis eos ex civitate, qui in tributarios nefanda commiserunt? Alius à consequenti, si idem sit, quod & à quibus consequitur, eadem sint: ut Xenophanes dicebant similiter eos impios esse, qui deos afferant factos, quemadmodum eos, qui morituros affirmant, cum utrinque accidat, deos aliquando non esse. Omnino autem, quod ex utroque accidit, quasi semper idem capiatur. Iudicaturi autē estis, non de Socrate, sed professione, an philosophandum sit. Et quod dare terram, & aquam: id feruire sit. Et communis esse participem pacis, id est, iusta facere. Sumendum autem alterum, quod accommodatius est. Alius ex eo quod non idem ab eisdem semper eligitur, sed oppositum prius, aut posterius, veluti hoc enthymema: Si exulantes pugnabamus, ut reduceremur: reducti sponte exulabimus, ne pugnemus? Aliquando enim pugnare, ut domi essent, eligebant, aliquando non esse domi, ne pugnarent. Alius, si cuius gratia id factum non sit, huius gratia esse, aut factum fuisse dicere: ut si quis afferat cuiquam aliquid, ut, cum abstulerit, doleat. Vnde illud dictum est, Multis non ex benevolentia Deus ingentes præstat prosperitates, verum ut nobiliores suæ fiant calamitates. Et illud Antiphontis ex Meleagro, Non ut feram occiderent, sed ut de virtute testes Meleagro ad Græciam essent uniuersam. Et Theodectis ex Aiace, quod Diomedes non ut honoraret elegit Vlysses, sed ut minor esset, ac sequeretur. Possibile nanque est huius gratia fecisse. Alius litigantibus & consulentibus communis, ut suaforia, & dissuaforia consideres, & ea, quorum gratia vel agunt, vel fugiunt. Hæc enim sunt, quæ si insunt, agendum est: ut puta si possibile, si utile, si facile aut sibi, aut amicis, vel si nocuum, damni que illatium inimicis, aut si iactura minor est emolumento. Ex his enim suadent, ex contrariis autem dissuadent. Ex his etiam ipsis & accusant, & defendunt quidem ex dissuaforiis, accusant verò ex suaforiis. Est autem hic locus Pamphili, atque Calippi ars uniuersa. Alius

ex iis, quæ fieri quidem videmus, incredibilia verò sunt, quoniam non credentur, nisi aut essent, aut propè essent, & quàm maximè. Nam aut quæ sunt, aut quæ probabilia sunt, credunt. Si ergo nec credibilia, nec probabilia, vera profectò sunt. Non enim quoniam probabilia, ideo credibilia sic videntur, ut Androcli Pytheo leges reprehendenti exhiberunt, quoniam dixit, lege opus esse legibus, quæ ipsas corrigat: nam & sale piscibus. Non enim probabile, nec credibile videtur, cum in mari enutiantur, salis egere. Oliuaceis quoque oleo, quanuis non credibile, oleo ea egere, ex quibus oleum gignitur. Alius elencticus, quo repugnantia considerantur, partim in aduersario, si quid tempore, factis, oratione repugnat, hoc pacto. Deinde dicit vos amare, qui cum triginta viris coniuravit. Partim in se ipso, sic. Deinde litigiosum me ait, litem verò vllam me vnquam suscepisse non potest ostendere. Partim & in se ipso, & in aduersario, hoc modo: Et iste quidem nihil vnquā mutuo dedit, ego autē pro multis etiā vestrum solui. Alius, cum res, aut homines suspecti sint, vel videantur causam eius afferre, quod suspicionem facit. Est enim aliquid, quare ita videtur: ut cum reprehenderetur quædam de filio: nam quoniam osculabatur adolescentē, impudica esse videbatur. Causa dicta soluit suspicionem. Et ut in Aiace apud Theodecten aduersus Aiace Vlysses dicit, quod cum sit Aiace fortior, tamen non videatur. Alius à causa si est, quod sit etiam illud, quod causam sequitur: si non est, nec causa sit. Simul enim causa, & id, cuius causa, & absque causa nihil est: ut Leo domas se defendens, accusante Thrasybulo, dixit quod in arce quidem constitutus infamiae notatus, Respondit, Si ita esset, non se pulsatum in plebem susceptum triginta viri crederent. Alius, considerare si possibile erat, aut est melius, quod consulit, aut facit, aut fecit. Perspicuum nanq; si sic se habent, quod non facit, cum nemo volens, ac sciens mala eligat: quod quidē falsum nonnunquam est. Nam sæpe manifestatur postea, melius aliter fuisse, quod prius non erat manifestum. Alius, considerare si quid factis contrarium facturi sint, ut Xenophanes lugentibus Eleatis, ac rogantibus an Matutz sacrificarent, consulebat, si deam putabant, ne lugerent: sin hominem, ne ipsi sacrificarent. Alius à perperam factis accusare vel defendere, ut in Medea Carcini. Hi quidem accusant, quod filios Medea interemerit, quoniam non apparent. Erravit enim Medea emissionem filiorum. Hæc autem se defendit, quod non filios, sed Iasonem interfecerit. Id nanq; nisi fecisset, peccasset. Siquidem & alterum fecisset. Hic autem locus, ac enthymematis species tota Theodori prior ars est. Alius à nomine, ut Sophocles, apertè Sidero, nomenq; ipsum ferens. Et ut in deorum consueuerunt laudibus dicere. Et ut Conon Thrasybulum appellabat. Herodicus quoque in Thrasymachum dicit, Semper tu Thrasymachus es. Et in Polum, Semper Polus es. Et de Dracone legumlatore, quod leges illæ non hominis essent,

sed Draconis. Erant enim duræ. Et apud Euripidem Hecuba in Venerem: Nomen quoq; tibi rectè inditum: dea enim es amentia præfecta. Et Chæremon Pentheus à futura calamitate appellatus. Laudantur autem ex enthymematibus, elenctica magis, quàm demonstratiua. Nā & breuis contrariorum collectio est enthymema elencticum, & auditori quæ inter se conferuntur, lucidiora sunt. Ex omnibus verò enthymematibus tam ad demonstrandum, quàm ad redarguendum accommodatis, iis maximè plaudunt, quæ & acuta sunt, & audientes statim cum inceperis percipiunt. Ipsi enim secum gaudent quod præuiderint: & quæ ita consequuntur, ut non nisi postea, quàm dicta sunt, intelligantur.

De apparentium enthymematum locis.

Cap. XXIIII.



Erum quoniam possibile est, alium esse syllogismū, aliū non esse, sed videri: necesse est ut enthymema quoq; aliud enthymema sit, aliud non sit, sed videatur. Siquidē enthymema syllogismus quidā est: loci autem enthymematum, quæ non sunt, sed videntur, hi sunt. Primus penes dictionem: & huius quidem vna pars, ut & in dialecticis est, cum non ratiocinatus conclusionem tandem infert. Non est hoc, & hoc, est ergo necesse hoc atq; hoc esse. Nam quod in enthymematibus conuolutum, atq; per opposita dictū est, id videtur enthymema. Dictio enim huiusmodi capax enthymematis est: videturq; id esse penes figuram dictionis. Est autem vtile ad dicendum dictione syllogistica, multorum syllogismorum capita dicere, hoc pacto: Qui illos seruauit, qui nostros vltus est, qui Græcos liberavit. Quorum vnumquodq; ex aliis demonstratum est, sed simul collecta aliquid facere videntur. Alter verò penes æquiuocationē, ut si μὲν laudandus diceretur, quoniam mysteria inde dicantur, quæ sacrorum omnium, maximè sunt veneranda: vel initium optimum esse, vnde initiati appellantur. Aut si quis cum canem laudet, de cælesti simul dicat, aut de Pæne: quoniam Pindarus ait, O felix, quoniam magnum Dei canem, atque varium cælestes appellant. Aut si nullum esse canem decori est, canē esse dedecori est. Et si dicas, Mercurium omnium deorum esse liberalissimū, cum solis communis Mercurius vocitetur. Et si existimatione optimū esse dicas, quia viri probi non pecunia digni, sed existimatione digni sunt. Nam existimatione dignum non simpliciter dicitur. Alius, si quæ seiuncta sunt, coniunctim, aut quæ coniuncta, seiunctim dicis. Nam quoniam idem esse videtur, cum sæpe idem non sit: utrum vtilius, id faciendum. Est autem hæc Euthydemii præceptio: ut scire quia triremis in Pyrao sit. Quilibet enim id nouit. Et quod qui elementa scit, carmen quoque sciat: idem enim est. Et quoniam si duplicem valetudinarium, nec simplex salubre. Nam si duo bona sunt, quomodo eorum alterum malum? Quod ita dictum, elencticum est, sic verò demonstratiuum. Non enim possibile est, duo esse bona, quorum vnum malum sit. Omnino

A pronuntiat.

A partibus.

A cōnexis.

Ab oppositis.

Elencticus locus.

Suspicio vt eluenda.

Ex duplici hominum opinione.

Ex analogia.

A consequentibus.

A causa.

Omnino autem hic locus cauillatorius est. Rursum quod in Thrasybulum Polycrates dixit, quod triginta tyrannos deposuit: coniungit enim. Vel quod in Oreste Theodectis est ex se iunctio, iustum, eam, quæ maritum occiderit, mori: & patris ultionem à filio fieri, par est. Ergo hæc facta sunt: quæ si coniunxeris, non fortè amplius iustum. Id autem etiam ex defectu esse potest. Non enim dixit à quo. Alius, amplificatione confirmare, aut refutare. Quod sit, si antè, quàm demonstraueris quod feceris, rem amplifices. Efficit enim ut videatur vel quod non fecerit, quando, qui causam dicit, amplificat: vel quod fecerit, quado accusator indignatur. Quare enthymema non est. Falsò enim colligit auditor, factum ab eo esse, aut non esse, cum demonstratum sit. Alius, ex signo. Nam id nihil colligit: ut si quis dicit, amores ciuitatibus conducere. Nam Harmodii, & Aristogitonis amores Hipparchi destruxerunt tyrannidem. Aut sic: Furatur Dionysius: prauus enim est. Nihil enim colligit, cum non sit omnis prauus fur, sed omnis fur prauus. Alius per accidens, sicuti Polycrates de muribus dicit, quod auxilium tulissent, arcuum chordas rodentes. Aut si quis dicat, optimum esse in cœnam vocari. Nam Achilles cum apud Tenedum vocatus non esset, fuit iratus Achivus. Constat autem, illum, quasi neglectum, cõcitarum fuisse: quod inde accidit, quod vocatus non fuit. Alius, penes consequens, hoc pacto: Alexander magnanimus fuit. Despexit enim multorum consuetudinem, & apud Idam secum conuerfabatur. Nam quia tales magnanimi sunt, magnanimus etiam is videbitur. Item exornat se delicatè, nocturnus; circumerrat: adulter ego. His simile, quod in tēplis inopes & cantant, & saliant, & quod exilibus licet, vbi cunq; volunt, habitare. Nam cum iis, qui felices esse videntur, hæc adsint, & ii, quibus adsunt, felices putabuntur. Sed in modo differunt: quapropter etiam in defectum incidunt. Alius penes non causam ut causam, hoc pacto: Quia simul, aut post, hoc factum est. Capiunt enim post hoc, quasi propter hoc, & maximè qui Rempublicam gerunt, ut Demades Demosthenis administrationem omnium malorum causam esse dicebat, quoniam post illam bellum euenerit. Alius penes defectum eius, quod est quando, & quomodo, hoc pacto: Non iniuria Helenam abstulit Alexander, cum eligenti à patre daretur. Non enim semper, sed semel. Ad hoc enim vsq; in potestate patris erat. Vel sic, Ingens cõtumelia est, liberos homines pulsare. Non enim omnino, sed cum non inceperint, manus inferre. Adhæc, sicut in contentiosis penes simpliciter, & non simpliciter, sed quoddam sit apparens syllogismus, ut in dialecticis, quod non ens, ens est. Nam non ens ens, est non ens. Et quod scitur ignotum: scitur enim ignotum quod ignotum sit. Sic etiam in rhetoricis apparet est enthymema penes probabile, non simpliciter, sed probabile quoddam. Id verò est non vniuersaliter, ut Agathon quoq; dicit: fortè quis illud probabile putet, multa mortalibus esse non probabilia. Fit enim hoc præter probabile: quare id

etiam probabile, quod est præter probabile. Si verò sic, erit probabile, quod est non probabile. Verum ut in contentiosis secundum quid, aut ad aliquid, aut quomodo non additum deceptionem facit, ita & hic, quoniam probabile sit non simpliciter, sed quoddam: quo ex loco ars Coracis composita est. Nam siue suspectus non sit, ut si pulsationis imbellis homo accusetur, non enim probabile id: siue suspectus, quoniam robustus: nec id etiam probabile, quoniam probabile videri poterat: & similiter in aliis: nam vel suspectus, vel non suspectus erit necessarius, utraque profectò probabilia videntur. Sed alterum probabile est, alterum non simpliciter, sed ut dictum est. Inferiorem quoq; rationem superiorem facere hoc ipsum est. Hinc iure homines Protagoræ professionem non ferebant: falsum enim profitebatur, non verum. Sed apparens probabile nec in arte vlla, sed in rhetorica, & contentiosa. Sed de enthymematibus, tam de iis, quæ sunt, quàm de apparentibus, dictum est. Nunc de solutionibus dicendum videtur.

De solutionibus. Cap. XXV.



Soluimus autem vel aliud enthymema contra opposites, vel obiectionem inferentes. Cum igitur aliud opponimus, patet quod ex eisdem possumus dicere locis. Syllogismi enim ex probabilibus sunt: probabilia verò multa inter se contraria sunt. Obiectiones autem, sicut in Topicis, quatuor ex locis inveniuntur. Sunt enim aut ex eodem, aut ex simili, aut ex contrario, aut ex iudicatis. Ex eodè, ut si enthymema esset de amore, quoniam bonus, obiectione duplex est. Nam vel vniuersaliter dices, omnem indigentiam malum esse, vel secundum partem, quod neque optimi, neque pessimi amores dicerentur, nisi etiam mali essent amores. Ex contrario autem obiectione ducitur: ut si cum enthymema esset, probum virum amicis bene facere: ac nec improbos omnibus malè facere, responderes. Ex simili verò hoc pacto sit enthymema, Maleficio affecti semper oderunt. At, inquires, beneficio affecti non semper amant. Iudicata verò ea dicimus, quæ clarissimorum virorum iudicio comprobata sunt. Sit enthymema, quod oporteat ebriis ignoscere, quum ignorantes peccent. Obiectione: Non ergo Pittacus laude dignus esset, qui maiores pœnas in legibus sumi de illis scripsit, qui vi no peccent. Verum quoniam ex iis quatuor omnia enthymemata fluunt, probabili, exemplo, argumento, signo, & sunt ex probabilibus quidè, quæ colliguntur ex iis, quæ ut plurimum aut sunt, aut esse videtur: ab exemplo autem, quæ per inductionem ex vno, vel pluribus similibus, cum vniuersale corporis, & particularia, ratiocinatione collegeris. Ex argumento autem sunt, quæ ex iis inferuntur, quæ necessario indicio sunt. Ex signo verò, cum per vniuersale, aut singulare, siue sit, siue non, collegeris. Quoniam igitur probabile non semper, sed ut plurimum verum est, perspicuum est, possibile semper esse, huiusmodi enthymemata soluere obiectione allata. Quæ quidem

dem non semper vera, sed apparens solutio est. Nam qui obiicit, non dissoluit verisimilitudinè, sed non esse necessariam probat. Quare semper contingit, defendentem magis, quàm accusantem, abundare, propter hanc deceptionem. Nam cum accusator per probabilia confirmet, semperque quod ut plurimum est, obiectionem habeat, non enim esse probabile, sed semper, ac necessarium: non est eadem solutio, quod non sit probabile, & quod non sit necessarium. Itaque index deceptus putat, si ita solutum est, aut probabile non esse, aut sibi non iudicandum, ut dicebamus. Sed non ex necessariis tantum iudicandum est, verum etiam ex probabilibus. Id enim est optima sententia iudicare. Quare non satisfacit, cum soluat, probetque non esse necessarium: sed soluendum est, quod non probabile: quod eueniet, si obiectione magis ut plurimum est. Dupliciter autem potest huiusmodi esse: aut tempore, aut rebus ipsis. Firmissima verò est, si vtriusque. Nam quod sapius fit, id magis probabile est. Refutantur autem & signa, & quæ ex signis sunt, enthymemata, etiam si vera sunt, ut prius dictum est. Nullum enim signum syllogismo colligit, ut nobis ex Analyticis patuit. Contra exempla verò eadem, quæ contra probabilia, est dissolutio. Nam si quid habemus, nec si solutum est, sed quod non sit necessarium, & aut plura, aut sapius, aliter. Sin verò & plura, & sapius, sic pugnandum, aut non esse simile id, de quo agitur, aut non similiter, quandamque inesse differentiam. Argumenta verò sunt, & quæ ex argumentis enthymemata, non possunt solui, quod syllogismo non colligant: quod etiam ex resolutiuis patuit. Quare

restat probare, quod ita sit, ut dicitur. Quod si patet ita esse, & argumentum esse, insolubile iam id redditur, cum omnia per demonstrationem facta sint certiora.

De amplificatione, & attenuatione. Cap. XXVI.



Amplificatio autem, & attenuatio, non est enthymematis elementum. Idem enim elementum dico, & locum. Nam elementum, ac locus est, in quem multa incidunt enthymemata. Amplificatio autem, & attenuatio, enthymemata sunt, ad ostendendum magnum esse, vel paruum, quemadmodum bonum quoque, ac malum, iustum ac iniustum, & aliorum quodlibet. Hæc verò sunt omnia, de quibus syllogismi, aut enthymemata fiunt. Quare si nihil horum locus enthymematis est, nec amplificatio, ac attenuatio. Verum nec refutatio enthymemata species quædam est alia, quàm affirmatiua sunt. Patet namque quod refutat aut obiectionem inferens, aut probans. Probant autem quod oppositum est, ut si factum vnus esse ostendit, alter factum non esse. Quod si factum non esse ille, factum esse hic ostendet. Quam ob rem non erit hæc differentia, cum eisdem vtriusque vrantur. Enthymemata autem afferunt quod sit, aut non sit. Obiectione etiam non est enthymema, sed, sicut in Topicis, opinionem quandam dicere, unde perspicuum fiat vel quod non colligit syllogismo, vel quod falsum quiddam assumpsit. Sed de exemplo, de sententia, de enthymematibus, ac omnino de rebus unde inueniemus, & quomodo inuentas dissoluemus, hæc nobis dicta sint.

ARISTOTELIS STAGIRITÆ Rethororum ad Theodecten, Liber Tertius.

De partibus rhetorica. Cap. I.



Verum quoniam tria in oratione requiruntur: primum unde fiat fides, alterum de eloquutione, tertium de ordine partium orationis: ac de fide iam dictum est, ex quibus, & ex quot, quod ex tribus, & cur tot solum: nam aut quia ipsi, qui iudicant, quodam modo affecti sunt, aut quia quales quosdam eos, qui dicunt, arbitrantur, aut quia quod demonstratum est, omnibus persuadetur: & hæc explanatum unde enthymemata inueniantur: sunt enim species enthymematum & loci: sequitur nunc ut de elocutione dicamus. Non enim sufficit, si habeas quæ dicenda sint, sed necesse est, ea, ut oportet, dicere, quod plurimum cõfert, ut oratio qualis quædam esse videatur. Primum igitur quæsitum est, quod natura primum est, unde res ipsæ credibilitatem habeant: deinde quo pa-

to in dictione ponendæ sunt. Tertio, quod vires quidem habet ingentes, sed nondum explicatum quomodo prænantandam. Nam vel in tragœdiam, atque comœdiam tardiùs accessit. Ipsi enim poetæ tragœdias olim pronuntiabant. Quare manifestum est id etiam in rhetorica ita esse, quemadmodum in re poetica: quod & alii quidam tractarunt, & Glaucus Teius. Est autem pronuntiatio in voce, quo pacto ipsa in singulis affectibus utendum sit, veluti quando magna, quando parua, quando mediocri, & accentibus quomodo, sicut acuto, graui, mediocri. Et quibus in vnoquoque numeris. Tria enim sunt, quæ considerant, magnitudo, harmonia, numerus. Præmia ergo ex certaminibus in penè ferunt. Verum sicut in poeticis certaminibus plus ipsis poetis possunt actores, sic & in ciuilibus propter ciuitatum deprauationem. Sed nondum de ipsa ars composita est. Nam & de elocutione tardiùs acceptum: videturque parum honestum esse, si bene examines: sed tamen

tamen cum rhetorica, eiusque præceptio ad opinionem spectet, non quod recte se habeat, sed quia necessarium, non est negligendum. Iustum enim est, nihil plus in oratione querere, quam ne aut dolore, aut voluptate afficiat. Ita cum par sit ipsis rebus certare, cætera præter demonstratio-

Actio etiã nes superuacanea sunt. Veruntamen nimium facta in scripta ciunt, vt dictum est, propter auditorum prauitatem. Verum elocutio ipsa habet parum quid in docendo semper necessarium. Refert enim ad significandum, sic aut sic dicere, quanuis non tantum. Verum hæc omnia concepta animi imago sunt, & auditorem respiciunt: quapropter nemo geometriam sic docet. Nam elocutio, quæ solis verbis fit, siquidem recte fit, id facit quod & pronuntiatio. Cœperunt autem parum de ipsa quidam dicere, veluti Thrasymachus de cõmiserationis pronuntiatione: sed est Naturæ aptum esse, & ad agendum, & minus artificiosum, quam cætera: eloquutio autem artificiosa, quocirca qui id facere possunt rhetores, iis quoque, sicut & pronuntiantibus, præmia posita sunt. Nam orationes scriptæ vehementiores propter eloquutionem videntur, quam propter sententias. Cœperunt igitur, sicuti Natura postulat, id primò poetæ mouere. Nam ipsa nomina, imitationes sunt. Est autem & vox nobis ad imitandum, omnium particularum aptissima. Quapropter artes quoque constitutæ sunt, rhapsodia, & histrionica, & aliæ eiusmodi. Ac quoniam poetæ res friuolas dicentes, propter dictionem videbatur gloriam consequuti, idcirco poetica primò suscepta est dicitio, qualis est Gorgia. Et ad præsens vsque multi minus docti hos optimè dicere arbitrantur. Id verò ita non est, sed alia orationis, alia poesis dicitio est. Quod inde etiam ostenditur, quod nec ipsi, qui tragœdias faciunt, illo modo amplius vtuntur: verum sicut ex tetrametris ad iambicum transgressi sunt, quoniam metrorum omnium id orationi simillimum est: sic quæcumque nomina præter consuetudinem sunt, ea neglexerunt: & quibus præfici exornabant, & impræsentiarum etiam qui hexametra componunt, prætermiserunt. Quam ob rem risu dignum est, eos imitari, qui non amplius illo modo vtuntur. Quare perspicuum est, nõ omnia, quæ de dictione dici possunt, nobis esse examinanda, sed de ea, qua dicimus. De illa verò dictum est in iis, quæ de arte poetica tractauimus: ibi ergo perspicuiatur.

De eloquutione. Cap. II.



loquutionis igitur huius virtus diluciditate definiatur: quod ita esse illud signi est, quoniam nisi oratio significet, non habebit opus suum. Et quoniam nec deiectam, & humilem, nec rerum dignitatem excedere, sed accommodatam esse oportet. Poetica quoque fortè non humilis, sed orationi non accommodata est. Dilucidam autem reddunt orationem, quæ propria sunt, siue nomina, siue verba: non deiectam verò, sed ornatum, reliqua, de quibus in arte poetica diximus.

Nam inuitata grauiorem reddunt orationem. Quod enim ad peregrinos, atque aduenas patimur, id etiam ipsum ad dictionem sustinemus. Quocirca inuitatiora sunt adhibenda: hæc enim ex omnibus admiramur. Mirabile autem omne iucundum est. In metro igitur multa id faciunt, commodèque ibi dicuntur. Nam tam res, quam personæ, de quibus habetur oratio, excellentiores sunt. In oratione verò soluta, cum causa minor sit, multò paucioribus vtendum. Nam ibi quoque si seruus, aut adolescens ornatiore diceret, aut de paruis, indecorum esset. Quamquam etiam in his extenuatio, iusque, & amplitudo decori est, quare oportet id facientes latere, ne fide dicere videantur, sed genuinè: hoc enim verisimilem facit orationem, illud autem contrarium. Nam tanquam insidiantia vituperantur, quemadmodum & vina mista. Quod Theodori vox ad aliorum habet histrionum. Illa enim, eius ipsius, qui dicit, esse videtur: hæc alienæ. Celantur autem faciliè, si quis ex consuetudine, communi que dicendi ratione eligens componat, quod Euripides facit, & primus monstrauit. Cum autem nominibus, atque verbis constet oratio, cumque nominum tot sint genera, quot in arte poetica dicta sunt, ex iis præcis quædam, & compositis, atque iteratis nominibus, & fictitiis raro, & paucis in locis vtendum. Sed vbi, dicimus postea. Causa quoque dicta est: ad maius enim, quam decorum est, orationem extolunt. Propria verò, & congrua, & translatio solutæ orationis eloquutioni conueniunt. Cuius signum est, quod solum his omnes vtuntur. Omnes enim translationibus, & congruis, atque propriis colloquuntur. Quare patet, si quis hæc rectè componat, quod oratio & clara, & præcis videbitur: & cur præcis, latebit: quæ orationis oratoris virtus erat. Nominum verò, quæ sunt æquiuoca, cauillatori conferunt: æquiocationibus enim fraudem parat. Quæ verò synonyma sunt, poetis. Dico autem propria, & synonyma, vt proficisci, ac ire. Nam hæc ambo, & propria, & synonyma sunt adinuicem. Quid autem vnumquodque horum sit, & quot translationis genera sint, & quod plurimum tam in re poetica, quam in soluta oratione translationes possint in arte poetica, vt diximus, dictum est. Tantò autem magis in ipsis oratori est elaborandum, quantò pauciora præsidia soluta oratio habet, quam metrica. Sed dilucidum quoque, iucundum, ac præcis maximè affert translatio: neque est accipere ipsum ab aliquo. Sunt autem epitheta, & translationes accommodatæ ad inuicem dicenda, quod ex proportione fiet: aliter indecorum videbitur. Nam contraria simul collata maximè apparent. Considerandum igitur, vt iuueni purpureum, sic seni quid conuenit. Non enim eadem vtrisque decora est vestis. Ad hæc, cum laudare velis, à melioribus: cum vituperare, à peioribus. Eorum, quæ in genere sunt, ducenda translatio est: veluti si quoniam in eodem genere contraria sunt, mendicantem flagitare dices, ei flagitantem mendicare. Nam quoniam petitiones ambo sunt, licet quod

Metaphora
rudelectus.

quod diximus facere: sicut etiam Iphicrates dixit, Calliam mitragyrtem, id est, stipem flagitantem, sed non daduchum. Dixit autem non fuisse ipsum initiatum. Non enim mitragyrtem ipsum appellasset, sed daduchum. Nam cum vtraque in diuinis sint, alterum laudabile, alterum illaudabile est. Sic etiam Dionysii adulatores, artifices se ipsos appellabant. Hæc autem ambo metaphora, hæc quidem sordidantium, hæc autem contrarium. Et prædones quidem se ipsos acquisite vocant nunc. Quapropter licebit etiam dicere iniuriarum errasse, & errantem iniuriari: furatum quoque & accepisse, & rapuisse. Quod verò Telephus apud Euripidem dicit, præesse remis, & in Mysiam abitus, indecorum est. Nam regnare, cum dignitatem rerum excedat, non igitur rectè est tecta hæc metaphora. Fit autem in syllabis quoque error, cum suaves non fuerint, veluti Dionysius Chalceus in elegiis poemam clamorem Calliopes appellat: nam vtraque voces sunt. Translatio autem per non significantes voces friuola est. Præterea, non longè petenda, sed à propinquis, & iis, quæ eiusdem generis sunt, & innominata per translationem ita nominare oportet, vt cum dicta sint, pateat esse propinqua, vt in illo comparato ænigmati. Aereum vidi virum ignitum, viro conglutinatum. Res enim innominata est: sed ambo, additio quædam sunt. Conglutinationem igitur, ipsius curbitatæ adhesionem dixit. Et profecto in comparatione translationibus commodas possumus inuenire translationes. Nam cum ænigmatica orationi translationes congruant, manifestum est, probè, ac ex probis esse translatum. Pulchritudo autem nominis, vt Lycimnius, in sono, aut in significato. Et è diuerso turpitudine quoque similiter. Et ad hæc tertium, quod cauillatoriam soluit rationem. Non enim (vt dixit Bryson) nemo turpiter loquitur, cum hoc pro illo dixit, si quid dicit, hocce significat, innuitque. Nam id falsum est, cum aliud alio magis proprium sit, & similius, & aptius, vt rem ante oculos ponat. Præterea, non similiter se habens, proprium, & translatum significat. Quare vel sic aliud alio pulchrius, & turpius existimandum. Nam vtraque honestum, ac turpe significant, sed non in quantum honestum, atque in quantum turpe: aut hæc quidem sic, vt rem honestam, turpemve significet, contraque hæc ita sit, sed hæc tamen magis exprimit rem turpem, quam turpis est, alia minus. Translationes verò à pulchris transferendæ, aut voce, aut potestate, aut visu, aut alio quodam sensu. Differt autem, & melius dicitur aurora rosea, quam phœnicia, vel multò ineptius rubea. In epithetis etiam adiectiones tam à malo, vel turpi facere possumus, vt turpius dicitur matricida, quam parricida, rursus à meliore, vt vltor parentis. Et Simonides cum sibi non multum afferebat, qui mulabus vicit, nolēbat carnem componere, quasi moleste ferret in laudem mularum id facere: cum verò multum attulit, componebat, Equorum salute venti pedum filia. Atque asinorum etiam filia erant. Ad hæc, illud ipsum diminutione consequi licet. Est autè di-

Abitus pro
nauigans
mis seruuile
est.

Ænigmata
etiam me-
taphoris i-
donea.

Epitheto-
rum dele-
ctus.

minutio quæ tam bonum, quam malum minus ostendit, vt in Babylonis Aristophanes mordaciter dicit pro auro aurulum, pro veste vesticula, pro conuicio conuiciolum, pro ægrotatio ægrotatiuncula. Cautum autem esse oportet, & in vtrisque seruare mediocritatem.

De frigidis. Cap. III.



Rigida verò in dictione sunt quadrupliciter. In nominibus compositis, vt Lycophron, multifacies calos, magniceruicis terræ, litus angustoportum. Et, vt Gorgias appellabat, mendicimus adulator, & periuros, atque probiuiros. Et vt Alcidas, referta animum viribus, & faciem facta ignicolor: & promptitudinem ipsorum putauit fore finiferam, & orationis vim finiferam constituit, & purpurocolor Thessali pauimentum. Nam omnia hæc propter compositionem poetica videntur. Hæc quidem vna causa est. Altera, præcis nimium vt, vt Lycophron. Xerxes, dico, vir montis instar, & Schiron, vir vastus. Et Alcidas ludicrum poesi, & ipsam Naturæ soliditatem, & ardenti mentis ira exacerbatum. Tertium in epithetis, cum aut longis, aut alienis, aut frequentioribus vtimur. In poesi enim decet album lac dicere, in oratione verò soluta nonnulla indecora sunt, & nonnulla, si crebrius ponantur, arguunt, ac patefaciunt modum poeticum. Sed quoniam opus est ipsis vt, (tollunt enim quod vtitatissimum est, & faciunt vt eloquutio grauior videatur) habenda est mediocritatis cura, ne peius efficiant, quam si frustra dicerentur. Nam malè dicere illi efficitur, iis non bene. Idcirco quæ scripsit Alcidas, frigida videntur. Non enim quasi bellariis, sed quasi cibariis vtitur epithetis, valde crebris, ac patentibus, & amplioribus, quam res postulat. Non enim sudorem dicit, sed sudorem humidum: nec in Isthmia, sed in Isthmiorum solennitatem: nec leges, sed ciuitatum leges: nec curribundus, sed impetu animi curribundus: nec auditorium, sed Naturæ auditorium, & tristem solitudinem animi: nec gratia, sed plebeia gratia conditor, & gubernator auditorium voluptatis: nec ramis, sed syluæ ramis occulit: nec corpus tegebat, sed pudenda corporis. Et honorabilem animi cupiditatem: quod simul & compositum, & epitheton est. Sic igitur poema, & sic prauitatis adinuenerunt excessum. Nam qui poeticè dicunt, propter indecorum ridicula, & frigida confingunt, atque componunt, & adhæc obscura propter nugationem. Qui enim, quanuis auditor intelligat, tamen interponit, diluciditatem obscuratè dissoluit. Vtimur autem compositis, cum & res innominata sit, & dicitio ad compositionem apta, vt Xenophon, quod si crebrius fit, omnino poeticum est. Quare composita dicitio dithyrambicis est perutilis. Inflati nanque isti sunt. Præcis verò Heroicis dignitatem enim, ac magnitudinem affert. Translatio autem iambicis, quibus nunc vtuntur, vt dictum est. Ad hæc in translationibus quartò frigiditas fit, cum non conueniant,

niant, aut quoniam ridiculè, quibus Comici v-
runtur, aut quoniam inflatè nimis, ac tragicè, aut
quoniam obscurè, quia remotiores, vt Gorgias.
Virides res, atque oxanguës, quas turpiter femi-
nasti, & perperam messuisti. Hoc enim valde poe-
ticum est. Et vt etiam Alcidas philosophiam
vallum legum, atque fossam appellat. Odyssæam
verò pulcherrimum humanæ vitæ speculum, ni-
hilque tale pœsi ludicrum asserens. Cuncta hæc
parum credibilia, propter ea, quæ dicta sunt. Il-
lud autem Gorgiæ in hirundinem, cum super eū
volans stercus emiseric, optimè, ac tragicè di-
ctum est. Dixit enim, Turpe est hoc ð Philome-
na. Hoc quidem aui dictum, turpe non fit, verum
ad virginem turpissimum. Rectè igitur obiurga-
uit, quoniam non quod est dixit, sed quod fue-
rat iam olim.

De imagine. Cap. IIII.

IMago etiam, translatio est. Parum e-
nim à translatione differt. Nam cum
Achilleum, vt leonē, irruisse poeta di-
cit, imago est: cum verò leonē, trans-
latio. Nam quoniam vterque viribus excellit,
Achillem traducendo leonem appellauit. Ac-
commodantur autem imagines orationi etiam
solutæ, sed rariùs. Poeticum enim id est. Ducun-
tur verò sicut translationes ab eis differentes eo,
quod dictum est. Sunt igitur imagines in soluta
oratione, vt apud Androtionem in Idria, similem
ipsum esse canibus vincis. Nam illæ quicquid
incidit mordent, & Idria ex vinculis solutum
infestum esse. Et vt Theodamas Archidamum
Euxeno geometriam ignoranti conferebat, &
ex proportione. Erit enim Euxenus Archida-
mus geometricus. Et in Republica Platonis:
Qui mortuos spoliunt, eos canibus similes esse,
quæ lapides mordent, & proicientes non tan-
gunt. Et vt Demosthenes in plebem, gubernato-
ri similem ipsam esse, robusto quidem, sed sub-
curuo. Illud quoque in carmina poetarum, for-
mosis absque pulchritudine similia esse. Nam &
illi cum defloruerint, & hæc soluto numero lon-
gè alia, quàm fuerint, esse videntur. Et Pericles
in Samios, similes ipsos esse pueris, qui panem
accipiunt, sed plorantes. Et in Bœotios, quod il-
licibus similes essent. Nam ilices inter se ipsas
frangi, atque dirumpi, & Bœotios aduersus se ip-
sos pugnantes. Item Demosthenes in plebem,
quod similis ex navigatione nauæa laboranti-
bus sit. Et Democrates oratores nutricibus con-
ferebat, quæ deglutientes cibum, salua pueros
inungunt. Antisthenes etiam Cephifodotum te-
nuem tui parem esse dixit, quoniam periens la-
tificat. Nam hæc omnia & vt imagines, & vt
translationes dicere licet. Quare quæcunque vt
translationes dicta probantur, omnia etiam ima-
gines erunt, & imagines translationes erunt ra-
tione indigentes. Verum oportet translatio-
nem, quæ ex proportione ducitur ad vtranque
partem, & in iis, quæ sunt eiusdem generis,
reddere: vt si phiala Liberi patris scutum est,
commodè quoque scutum ipsum Martis phia-
la dicetur. Oratio igitur ex iis componitur.



Nitium autem eloquutionis Latini-
tas est: quæ in quinque fundatur. Pri-
mum in coniunctionibus, cum sicuti
flagitant prius, aut posterius altera
reddi ad alteram, sic collocantur, veluti ad ip-
sum quidem, verò, vel autem, consequitur. O-
portet autem ita eas collocare, vt facillè memo-
ria teneantur, & neque longo interuallo redire,
neque coniunctionem aliam prius, quàm neces-
sariam reddere: quod tamen, quauis rariùs, com-
modè fit, hoc pacto: Ego verò postea, quàm mihi
nuntiatum est, (venit enim Cleo rogans, atque
orans) profectus sum, mecum eos accipiens. Nā
hic multæ ante redditionē interiectæ sunt con-
iunctiones. Quod si longior interpositio fiat,
obscura erit oratio. Primum igitur coniun-
ctiones bene disponantur. Deinde propriis di-
cendum vocabulis, & non per circuitiones. Ter-
tiò, non ambigè, nisi consultò ita quispiam faci-
at: quod faciunt, qui cum nihil habent dice-
re, aliquid tamen se dicere simulant: vt in pœsi
fit, & Empedocles facit. Decipit enim circuitio,
cum crebra sit, ac ita auditores afficiuntur, sicut
multi cum ambigua oracula audiant, annuunt.
Cræsus cum Halyn traiecerit, magnum delebit
principatum. Et omnino quoniam minor com-
mittitur error, idcirco rem in genere, qui vatici-
nantur, dicunt. Dicer enim fortè aliquis verum
magis in ludo paria vel imparia dicens, quàm
quot: & magis quod hoc erit, quàm quando.
Quocirca aruspices non determinant quando.
Hæc ergo omnia, hisque similia fugienda, nisi
quis studio faciat. Quartò, vt Protagoras nomi-
na generum distribuebat, masculina, foemina,
instrumenta. Nam hæc quoque rectè oportet
reddere. Sic progressa, collocatæque præcessit.
Quintò, vt multa, & pauca, & vnum rectè dican-
tur: vt, Illi profecti hominem pulsarunt. Vni-
uersaliter autem oportet legibile esse, quod scri-
ptum est, & dictu facile: quod idem est. Id autem
multæ coniunctiones, longæq; redditiones non
habent, nec ea, quæ non facillè distinguuntur: ve-
luti quæ Heraclitus scripsit, quæ quoniam non
patet priorine, an posteriori quicquam accom-
modetur, distinguere arduum est, veluti statim
in ipso initio libri, Rationis, quæ verè est, & im-
mutabilis, semper, imprudentes homines sunt.
Dubium enim est vtri, semper, attribuendum
sit. Præterea, incongrua fit oratio, cum non
reddideris, nisi coniunxeris vtrique congru-
entia, vt sonum, aut colorem videre quid-
dem commune non est, sentire verò. Obscurum
autem etiam cum dicitis non apponendo, sed
multa interferendo, hoc pacto: Constitui
enim, cum tecum hæc, atq; hæc, & sic
colloquutus essem, proficisci. Sed
non hoc pacto. Constitui e-
nim proficisci, si hæc,
& sic colloquutus
essem.

* *

De



Locutionis verò amplitudinem hæc fa-
ciunt, si ratione, nominis loco vtaris:
veluti si non circulum, sed superficiem
dicas, in qua mediū ab extremis æqua-
liter vndique distat. Cuius contrarium ad breuita-
tem confert, si pro ratione nomen. Similiter si tur-
pe, aut indecorum, Nam si rationi turpitudine inest,
nomen: si verò nomini, & rationem dices. Si trans-
lationibus, & epithetis significes, modò ne vt poe-
ticum genus iucidas. Si multa pro vno ponas, vt
poetæ faciunt. Nam & si vnum velint significare
portum, dicunt tamen portus in Achiuos. Si non
connectendo dicitis, vxoris nostræ, vxoris tuæ. Econ-
tra verò breuiter, nostræ tuæque vxoris. Item si
cum coniunctione dicitis. Sin verò breuiter, absq;
coniunctione, sed non inconnexa, hoc pacto: Et
profectus, & alloquutus illum sum. Profectus, allo-
quutus illum sum. Præterea, si quæ non sunt, ea di-
cis. Quod de Teumesso facit Antimachus. Modi-
cus quidam ventosus collis. In infinitum enim sic
amplificatio fit tam in bonis, quàm in malis. Est
igitur in vtroque conducibile, si quomodo nō ha-
bet, dicitis. Qua ex re verba etiam poetæ deducunt,
vt illud, harmoniam in fidem, & alyram. priuatiua
enim inferunt. Quod maximè in translationibus,
quæ ex proportione sumuntur, probari solet, vt si
quis tubam esse dicat cantum infidem.

De decore in elocutione. Cap. VII.



Ecorum autem erit in elocutione, si af-
fecta erit, & morata, & rebus accommo-
data. Accommodata verò erit, si nō sit
humilis in rebus magnis, nec in paruis
ampla, neque humili verbo infit ornatus. Comica
enim videtur, vt apud Cleophontem, Venerabilis
tu. Affecta verò, vt cum contumeliamur iratorum
dicto. Cum impia, turpiq; dicuntur, molestè qua-
si, & cautè dicere: cum laudabilia, cum admiratio-
ne: cum miserabilia, humiliter: & in aliis similiter.
Hæc enim accommodata dictio rem verisimilem
reddit. Nam cum auditores sic se habere homines
in huiusmodi rebus considerent, decipiuntur. Qua
re quanquam non ita fit, vt orator dicit, putant ta-
men sic esse. Similiterque semper audientes affi-
ciuntur, ac ille, qui affectus dicit, etiam si non ve-
rè dicat. Quocirca multi clamantes terrent audito-
res, Verum comprobatio quoque à signis, morata
est. Sequitur enim sic accommodata est, genera sin-
gula, atque habitus. Dico autem genus, ætate, sexu,
natione, vt puer, vir, senex, foemina, vir, Lacedæ-
monius, Theffalus. Habitum autem, secundum
quem qualis quidam in viuendo est. Non enim se-
cundum omnem habitum vita qualis quædam est.
Si igitur habitui verba accommodantur, moratum
dicendi faciet genus. Non enim eadem, nec eo-
dem modo indoctus est, & doctus dicit. Verum au-
ditores ea quoque re afficiuntur, qua scriptores ni-
miùm vtuntur. Quis nescit quæ nemo ignorat?
Nam cum sic dicitur, quasi vereatur auditor, ne fo-
lus ignarus eius rei sit, quàm omnes sciunt, annuit.
Porro quando sit opportunum, vel importunum,

cōformare orationem, in omnibus generibus per-
spiciet facillè orator. Verum in omni excessu illud
remedio est, quod vulgò fertur, Ne quid nimis.
Oportet enim, vt quisque se ipsum castiget. Sic De arte ce-
enim fit, vt quod dicitur, verum esse videatur. Nec landa-
tamen dicentem latebit, quid sit quod faciat. Præ-
terea: si omnibus simul congruentibus vtaris: sic
enim auditor decipitur. Dico autem, veluti si aspe-
ra verba sint, quæ ad hoc genus pertinent, vocem,
ac vultum, ac cætera non oportet esse dura. Quod
si obseruetur, euadet perspicuus vnusquisque cha-
racter. Sin verò hoc quidem adhibuerit, illud verò
non, latebit industria. Si ergo asperè dicatur lenia,
& aspera leniter, nullam habet verisimilitudinem.
Composita verò verba si plura sunt, & epitheta, &
inuitata, & ex affectu dicenti congruunt. Ignosci-
mus enim irato, si malum quid inauditum, monstri-
ficum, montisque instar dicat, & tunc maximè, quā-
do iam commouit auditores laude, ac vituperatio-
ne, odio aut amore. Quod Ifostrates in Panegyri-
co facit circa finem. Fama verò, atque sententia, &
si qui passi sunt. Similia enim dicunt omnes com-
moti: quare similiter dispositi hæc libenter audiūt.
Idcirco pœsi quoque congruūt. Videtur enim in-
citari pœsis, quoniam furore aguntur. Aut ergo sic
oportet, aut illudendo, sicuti Gorgias faciebat, &
sicut se habent, quæ in Phædro sunt.

De numero. Cap. VIII.



Igura igitur orationis illa maximè pro-
batur, quæ nec metrica est, nec sine nu-
mero. Alterum enim non verisimile
fit, cum factum esse videatur nimis lon-
gè à communi dicendi ratione discedit, cum expe-
ctationem faciat, mox idem recursurū. Sicut etiā
Hoc vlti-
præcones pueri præueniunt, illudque præoccupāt, mum fuisse
quem procuratorem eligat, qui Cleonem manumit videtur in
tit. Alterum, quod sine numero est, interminatum præconis
est. Verum terminari quidem oportet orationem: manumif-
sed nō metro. In infinitum enim nec iucundum, nec sionum.
cognoscibile est. Omnia verò numero terminan-
tur. Numerus autè figuræ eloquutionis rhythmus
est, cuius mensuræ decisiones sunt. Quare nume-
rum quidem habebit oratio, metrum verò non ha-
bebit, ne poema sit. Numerum quoque non omni-
no exquisitum: quod erit, si ad aliquid vsque infit.
Numerorum autem heroicus, amplius, elegans, &
egens harmoniæ. Iambicus verò ipsa oratio multo-
rum est. Idcirco ex omnibus metris iambica ex tē-
pore maximè dicunt. Sed opus est, ampliorem ora-
tionem facere, ac vulgo alienam. Trochaicus au-
tem tripudiis aptior: quod ita esse tetrametra osten-
dunt. Restat etiam præan, quo quasi secreto à Thra-
symacho incipientes vtēbantur, sed nesciebant di-
cere quis esset. Tertius autem est præan, qui & ex
prædictis constat. Sunt enim tria ad duo, cum al-
ter illorum vnum ad vnum sit, alter duo ad vnum.
His igitur proportionibus sequitertia constat: &
hæc est præan. Reliqui igitur & propter ea, quæ di-
cta sunt, & quoniam meretrici, omitterantur. Præan
verò sumendus, in quo solo ex dictis numeris me-
trum non constat: quare maximè later. Impræsen-
tiarum itaque vno præane incipientes etiam vtūtur,
P p

Sed oportet exitum à principio differre. Nam cum sint duo inter se opposita pæanis genera, vnum, in quo prima producta est, quam res breues sequuntur, Delogena Diana filia Iouis, principiis cõgruit, sicut & vtuntur. Alterum econtrâ, in quo res præcedunt breues, vltima verò producitur. Põst terras, & aquas, Oceanunque rapit atra nox. Is igitur exitum facit incommodum. Nam breuis, cum imperfecta sit, mancum facit, si vltima est. Oportet igitur producta disseparare, vt finis manifestus sit, nõ propter scriptorem, nec propter compositionem, sed propter numerum. Quod igitur non sine numero, sed numerosam oportet esse orationem, & qui sonorum faciunt numerum, & quo pacto dispositi, dictum est.

De pendente oratione, ac eius contraria.

Cap. IX.



Necessarium autem est, vel pendente esse orationem, ipsaque coniunctio vna, vt qui in dithyrambicis ambitus sunt, vel conuolutam, & prisca poetarum antistrophis similem. Pendens igitur compositio, ac prisca, Herodoti est, atque Thuri, qua priores quidem omnes, nõ verò non multi vtuntur. Dico autem pendente, quæ nullum per se habet exitum: nisi res, quæ dicitur, in exitu peruenerit: quæ insuavis est, quoniam infinita. Omnes enim finem conspiciere volunt. Quo circa etiam in calce expirant, ac resoluuntur. Non enim fatigantur, cum calcem prospiciant. Pendens igitur talis compositio est. Conuoluta verò, quæ circuitibus effertur. Circuitum autem, id est Græcè *παιδιον*, appello compositionem, quæ ipsa per se ipsam principium habeat, & finem, magnitudinemque mediocrem: quæ compositio suavis, atque dilucida est: suavis quidem, quoniam interminato cõtraria est, & quoniam semper aliquid se habere auditor putat, cum sibi aliquid semper terminatum sit. Nam cum nihil prouideatur, nec expediat, iucunda compositio est. Dilucida verò, quoniam memoria facile retineatur, quod habet, quoniam circuitus compositio numerosa est: quæ res omnium aptissima est, vt facile memoria teneatur. Quapropter carmina omnes melius recordantur, quam solutam orationem. Numerum nanque habent, quo mensurantur. Oportet autem vt sensus quoque in circuitu concludatur, nec incidatur, sicut iambici Sophoclis versus, Calidon hæc est terra Peloponnesiacæ telluris. Contrarium nanque contingit suspicari: vt in eo, quod modo diximus, Calidone in Peloponneso esse. Circuitus autem alius ex membris constat, alius supinus est. Ex membris constare dicitur, cum oratio absoluta sit, & distincta, facilisque respirationis, nõ in ipso intervallo: vt qui modo dictus est circuitus, sed totus: membrum verò, est altera eius particula. Supinũ autem dicimus, qui vno membro cõstat. Verum oportet, ne tam membra, quam circuitus ipsi aut manci sint, aut longi. Parua enim quasi impingere auditorẽ faciunt. Nam necesse est quando ad longius, & mediocritatem prospiciat, nec sibi terminum præfixerit, cum subito intervallo retrahatur, quasi illisionẽ ex repulsione fieri. Longiora verò sic auditorem

relinquunt, sicut qui calcem prætereunt, deambulantes relinquunt. Circuitus longus omnino fit suspensioni similis. Illud itaque fit, quod Chius Democritus in Melampodem, qui pro antistrophis suspensionem fecit, mordaciter dixit. Is vir malum alii struens, sibi ipsi malum fabricatus est. Longa enim suspensio facienti pessima, quod commodè in longimembris quoque dicere possumus. Qui verò breuimembres nimium sunt, circuitus non sunt: præcipitem enim agunt auditorem. Dicitio autem, quæ in membro est, alia opposita est, alia non opposita. Non opposita quidem, hoc pacto: Sæpe numero eos miratus sum, qui festos dies celebrant, & agonès gymnicos instituerunt. Opposita verò, cum in vtroque membro aut contrarium ad contrarium refertur, aut idem contrariis adiungitur, hoc pacto: Vtrisque vtilitatem attulerunt, & iis, qui remanserunt, & iis, qui sequuti sunt. Nam illis plura, quam domi habebant, conquisierunt, his sufficientia domi reliquerunt. Contraria verò est remansio sequutioni, sufficiens pluribus. Quare pecunia indigentibus, & absumere volentibus, absumptio acquisitioni opponitur. Item accidit etiam sapius, vt stolidi feliciter, prudentes infeliciter agant: quia illi mox quidem virtuosus dignificati sunt: non multò autem posterius principatum maris acceperunt. Item, Nauigauit per terras, pedibus iuit per maria. Hellepontum enim coniunxit, Atho montem effodit. Item, Natura ciues, lege ciuitates priuantur. Nam ipsorum alii miserè interierunt, alii turpiter exularunt. Item, turpe est, cum priuatim Barbaris in famulatu vtamur, multos sociorum ipsis publicè seruientes negligere. Item, aut viuos amplifices, aut mortuos derelinquas. Item, quod ad Pitholaum aliquis dixit, & ad Lycophronem in prætorio: Isti nos domi quidem seruientes vendebant, postea autem, quam venerunt ad nos, empti sunt. In his enim omnibus, quod diximus, fit. Estque suavis huiusmodi dicitio, vel quoniam contraria patent aperte, multoque magis cum ad se ipsa breui referuntur: vel quoniam oratio syllogismo similis videtur. Elenchus enim oppositorum collectio est: huiusmodi autem oratio contentio dicitur. Compar verò, cum membra æqualia sunt. Assimilatio autem est, cum vltima vtrisque membris similia sint. Idque necessariò vel incipiendo, vel desinendo. Et incipiendo quidem in nominibus semper sic: Ager erat, qui ager esse dicebatur. Desinendo verò in vltimis syllabis vel verbis, vel nominis, aut etiam in integra dictione. Ac in verbi quidem vltima syllaba, quod similiter desinens dicitur, sic: Putarunt eum bene fecisse, & eum ipsum causam fuisse. In nominis autem quod similiter cadens appellatur, hoc modo: Erat in cogitatione maxima, & in spe minima. In verbo autem integro, quàm conuersionem appellamus, hoc pacto: Dignus est insigniri ære, non dignus est ære. At tu & viuo dicebas malè, & nunc in mortuum scribis malè. Concurrunt autem in idem nonnunquam contentio, compar, & similiter desinens. Circuituũ verò principia in Theodecticis enumerata ferè sunt. Sed contentiones falsæ quoque inueniuntur, vt apud Epicharmum: Interdum quidem ego illorum eram, interdum verò apud illos ego.

De vt

De vrbanis. Cap. X.



Vrum quoniam de his iam demonstratum est: nunc vnde vrbana ducantur, & ea maximè, quæ probantur, dicendum est. Nam posse facere dicere, aut ingeniosi est, aut exercitati: docere autem, doctrinæ huius. Quare nobis dicenda, enumerandaque sunt, id initium sumentibus. Faciliter discere, ac intelligere, Natura omnibus est suaue: verba verò aliquid significant. Quare quæcunque ex verbis facile nobis ingerunt disciplinam, hæc suauissima sunt. Prisca igitur, ac aliarum gentium, non intelliguntur: propria verò, ac nostratia scimus. Trãslatio autem id maximè facit: Nam cum senectutem quis stipulam dixerit, disciplinam per senectutem, cognitionemque fecit: quoniam vtraque defloruerunt. Verum poetarum etiam imagines id ipsum faciunt. Vnde illis vt vrbani esse videntur, cum sit imago, vt iam dictum est, trãslatio additione differens: quare minùs suavis, quoniam longior: & non dicit hoc illud esse, quare nec animus id quærit. Necesse igitur est tam dictionem, quàm enthymemata ea vrbana esse, quæ velocem nobis eognitionem faciunt. Idcirco nec quæ vulgaria sunt, ex enthymematibus comprobantur. Dicimus autem vulgaria, quæ cuiuslibet patent, nec quicquam habent, quod in eis quærere oporteat. Nec quæcunque dicta ignorantur, sed quoruncunque cognitio vel simul primum incidunt, fit, vel etiam si prius non erat, non multò post mens ea consequitur. Sic enim quasi disciplinatio fit, illo autem modo neutrum. Verum hæc, atque huiusmodi enthymemata propter sententiam comprobantur: propter dictionem autem dicendi quidem figura, si per oppositionem dicuntur, hoc modo: Quam communem aliis pacem, eam suis bellum putabant. Opponitur enim bellum paci. Verbis verò, si trãslatio inest orationi, nec aliena. Difficilis enim hæc intellectu est, nec vulgaris: non enim mouet. Præterea, si præ oculis re ponit, quasi agatur. Cernere enim magis possumus quæ aguntur, quàm futura. Et adhæc tria cõsideranda sunt: trãslatio, oppositio, principium. Cum autem quatuor trãslationes sint, maximè quæ secundum proportionem sunt, comprobantur: vt Pericles de iuuenibus, qui in bello perierunt, dixit sic iuuentutẽ e ciuitate amissam, veluti si quis ver tollat ex anno. Et Leptines de Lacedæmoniis, non permissuros vt Græcia lusca fiat. Et Cephifodotus cum Chares Olynthiaci belli rationem reddere festinaret, grauiter ferebat, dicens in laqueo ab eo plebem tenèri, cui ratio reddenda est. Idem in Eubœam Athenienses exhortans, sumptis necessariis dixit, oportere Miltiadæ sententiam exire. Et Iphicrates, cum inducias cum Epidaurensibus, & regionem maritimam Athenienses fecissent, molestè tulit, dixitque, neruos belli ab ipsis esse incisos. Et Pericles Aeginam dixit tollendam Piræi pestem. Et Esiõ Græciam in Siciliam effuderunt. Trãslatio enim id, & ante oculos. Item, vt Græcia clamet. Nam & id modo quodam ante oculos trãslatio est. Et Cephifodotus, cauendum esse, ne consilia concursus fiant. Et Isocrates. In diem festum concurrentes. Et in funebri, quod dignum esset in se-

pultura eorum, qui apud Salamin. ceciderunt, Græciam crines incidere, quoniam vnà cum virtute, ipsorum libertas quoque sepulta esset. Nam si dixisset, dignum esse lacrymas effundere, cum vnà virtus quoque sepeliatur: trãslatio est, & ante oculos. Sed quoniam vnà cum virtute libertatem dixit: quandam habet oppositionem. Et Iphicrates: Via enim est mihi orationis per medias res gestas Charetis. Trãslatio enim ex proportione est. Et illud, Per medias: ante oculos ponit. Et qui dicit pericula ipsa exhortari, vt in periculis succurramus, ante oculos transfert. Et quod Deus in anima lumen intellectus accendit. vtraque enim significanter dicta sunt. Nec bella dissoluimus, sed in posterum reuicimus. Vtrumque enim futurum, & reiectio, & huiusmodi pax. Item, conditionis pacis trophæa sunt multò clariora, quàm quæ in præliis constituitur, cum hæc pro vno prælio feliciter gesto, ille pro totius belli dispositione. Nam vtraque signa victoriæ sunt. Item, magnas vituperatione hominum pœnas dant ciuitates. Pœna enim iustum quoddam damnum est. Dictum igitur est, vrbانيتes ex trãslatione per proportionem dici, cum ante oculos ponant.

Quid sit ante oculos ponere.

Cap. XI.



Sed nunc dicendum est, quid est, quod dicimus, ante oculos, & quid facientibus emergit. Præ oculis igitur ponunt, quæcunque significanter geri aliquid ostendunt. Nam si quis bonum virum quadratum dicit, trãslatione vsus est: vtrumque enim perfectum est. Sed hæc trãslatio nihil gerentem significat. Illa verò significat in florētissimo statu, vt illud: At Græci iam liberi iubilantes pedibus. Nam iubilare, & trãslatio, & actio est: velocitatem enim ostendit. Et veluti Homerus sapius facit, dum inanimata vt animata gerere dicat per trãslationem. In omnibus igitur si significat aliquid geri ostendas, comprobatur, vt in istis: Ac rursus in campos lapis impudens ferebatur. Item, Hastæque volabat. Item, Volare ardebat. Item, Fixoque in terra corpore, saturari cupiebant. Item, At mucro per pectus ruens traiecit. Nam in his omnibus quasi animata gerere aliquid videntur. Impudentia enim, & ruerere, & cetera, actiones sunt, quæ omnia per trãslationem ex proportione poeta coniunxit. Sic enim lapis se habet ad Sisyphum, vt impudens ad eum, quem impudenter vexat. Verum hæc in imaginibus etiam comprobatis de rebus inanimatis facit, Cur ui fluctus albescens. Moueri enim, ac viuere cuncta ostendit. Actio autem hæc, mutatio est. Oportet autem, vt iam dictum est, à propinquis, & apertis transferre: quale in philosophia quoque simile est, quod vel in multò diuersis perspicere, ingeniosi est, atque solertis, vt Archytas dixit idem esse prætozem, ac aram: quoniam ad vtrumque refugit, qui iniuriam patitur. At si quis dicat anchoram, & suppositorium, idem esse. Sunt enim idem quid ambo, sed differunt in eo, quod inferius, atque desuper. Aut exæquatas esse ciuitates. Idem enim est in his, quæ multum differunt inter se, apparitione, & pote

P p 2

state, quicquid est æquale. Sunt autem vrbantates etiam per translationem ex deceptione. Manifestius autem fit quod didicit, quoniam contra opinabatur, videturque animus dicere, Ita verè est, ego verò errabam. Apophthegmata etiam ex eo quod non dicunt, id quod ostendunt, vrbana sunt: vt illud Stefichori, quod eis cicadæ humi canent. Eademque de causa, quæ comprobantur ænigmata, iucunda sunt: disciplinatio enim inest. Dicitur etiam translatio, vt Theodorus dicit, cum noua dicuntur. Quod fit, cum præter opinionem sit, nec vt ille dicit, si ad priorem opinionem conferas: Verum quemadmodum in ridiculis quæ deprauata sunt, & in salibus, qui ex literarum quadam fiunt deprauatione: decipitur enim auditor: & in metris, cum non consequatur oratio, vt auditor putabat. Ibat autem in pedibus habens vlcera. Auditor aut opinabatur calceos ducturum, simul enim hæc dum dicuntur, aperiri oportet. Quod verò deprauatione fit, aliud facit, quàm dicit, vt illud Theodori aduersus citharædum Niconem, Turbat te, dissimulauit enim velle dicere, quod te decipiat. Id enim turbat, significat. At ille, quoniam ex Thracia ipsum esse sciebat, aliud dicebat. Quocirca discenti iucundum. Sic & in vrbanis, atque facetis, velut apud Athenienses, principatum maris non esse principium malorum: vel, vt apud Isocratem, principatum ciuitatis principium esse malorum. Quod enim non putabatur dicturus, id dixit. Imperium enim principium dicere nihil habet egregium, & ægypti, non quem dixerat reddit, sed aliud. Quæ omnia tunc probantur, cum per æquiocationem, vel translationem nomen affertur, & commodè si fiat repetitio nominis secundo loco. Nec oportet hospitem semper esse hospitem. Et illud Anaxandridæ, quod in primis fertur, Bonum est mori antè, quàm morte dignum quid faciat. Idem est enim, ac si dicas: Dignum est mori antè, quàm sis dignus mori. Genus igitur dictionis in istis idè est: verum quòtò breuius, & per oppositionè dicta sunt, tantò magis probantur. Cuius rei causa est, quia promptius contraria ex contrariis discimus, & quoniam paucis, ideo citius. Oportet autem semper aut ad quem dicitur, aut quod rectè dicitur, significari, si quod dicitur, & verum est, & non vulgare. Separantur enim hæc nonnunquam, hoc pacto: Mori oportet nihil peccantem. Nam id non est vrbane dictum: nec id, Dignum oportet dignam vxorem ducere. Sed si vtraque simul habeat, hoc modo: Dignum enim tunc mori, cum non sis dignus mori. Quantò autem plura cõtinebit, tantò vrbanius videtur: vt si & verba per translationem sint, & trãlatio huiusmodi, & si compositio comparitãque inest, & si geri videatur. Imagines quoque, sicut & in superioribus dictum est, translationes quodam modo sunt, & laudantur. Nam aut ex duobus constant, sicut & translatio per proportionem: veluti dicimus clypeum Martis phialam, & arcum lyrã infidem. Sic igitur cum dicimus, non simplex fit: cum verò dicimus arcum lyram, aut clypeum phialam, simplices. Fingunt enim imagines sic, veluti simiã cantantem quatrici, aut lupo ad calcem madefacto. Vtraque enim tenus contrahuntur. Probè verò dicitur, cum translatio inest. Possumus enim clypeum phialæ Martis assimilare, & ruinam vesti laeræ ferui: & Niceratus, Philocteten esse à Praty morsu laceratū. Ita enim contulit Thrasymachus, cum à Praty victum vidisset Niceratum versus barbarū adhuc, atque squallidum decantantem. In quibus maxime poetæ excidunt, cum non rectè vli imagine fuerint: sin probè, celebrantur, veluti Philamon cum Coryco contendens dixit, Veluti apium tortuosa crura gerit. Et sunt omnia hæc imagines, quas trãlationes esse iam sæpe dictum est. Prouerbia quoque translationes ex specie in speciem sunt: vt si quis, vt boni aliquid consequatur, id adducat vnde damnum illatum sit: vt Carpathius inquit leporem. Vtrisque enim quod dictum est accidit. Verum vnde vrbana dicuntur, & cur, causa ferè dicta est. Sunt autem probatæ quoque causæ superlationes per translationem, in vlceribus plenum quiddam dixi. Putauit enim ipsum plenam moris fiscellam esse. Nam vlcus rubrum quiddam est, imò valde rubrum. Cum verò dicitur, sicuti hoc, atque hoc, superlatio est, modo quodam dicendi differēs, vt illud, Philamon Coryco pugnat. Putauit autem ipsum Philamonè esse Coryco pugnatem, veluti apium crura esse tortuosa. Putauit enim non crura, sed apia eum genere sic tortuosa. Sunt autem etiam superlationes pueriles, quoniam vehementiam significant. Quocirca irati maxime ita dicunt, Nec si mihi tot daret, quot arena, & puluis. Item, Atridæ verò Agamemnonis filiam non ducam, etiam si aurea cum Venere de pulchritudine certaret. Ipsumque vincat opere, cæcis oculis Mineruam. Vtuntur autem hoc modo maxime Attici oratores: sed seni sic dicere indecorum est.

De diuersis dicendi generibus.

Cap. XII.



Portet autem non ignorare, non eandem vnicuique generi eloquutionem congruere. Non enim eadem est historica, & concertatiua: nec deliberatiua, & iudicialis. Vtrunque autem necesse est scire, alterum vt Latine dicere scias: alterum, ne cum aliis significare velis, tacere cogaris: quod patiuntur, qui scribere nesciunt. Historica igitur dictio est, quæ maxime propria, & elaborata est. Cõcertatiua verò, quæ maxime simulata est. Cuius duo genera sunt. Nam altera morata est, altera affecta. Quapropter & historiones huiusmodi fabulas eligunt, poetæ quoque hos, & tales. Tolerantur verò, qui legi digni sunt, vt Chæramon, (est enim exquisitus vt historicus) & Lycimnius ex dithyrambicis. Cùmque conferuntur, historici quidem in certaminibus angusti, oratores autem boni, cum legantur, agrestes videntur. Causa verò est seorsim, quoniam certamini congruunt: Quam ob causam simulata hæc, cum actione remota suum non reddant officium, stolidiora videntur: veluti asyndeta, & ea, quibus sapius idem dicitur, rectè in historia reprobantur. At verò in contentione oratores vtuntur. Simulata enim sunt. Est autem necessarium commutare, cum idem dicis. Nam id viam præbet actioni, hoc modo: Isest, qui vestra furatus est: is, qui vos decipit: is, qui denique vos proderere conatus est. Quod Philemon histrio

Historici.
Forensis.

histrio faciebat in Alexandridæ gerontomania, quodcumque Rhadamanthus, aut Palamedes introducit. Et in præfatione Piorum, ego ac ego, sapius repetit. Nam si quis hæc non rectè effingat moribus, fit, vt qui truncum in Comœdia portant, ridiculus. Et articulos similiter, Veni, offendi, supplicauit. Opus enim est actione, nec vt vnum dicere, nec eodem modo, & eadem vocis intentione dicere. Præterea asyndeta, breuiusque dissoluta proprium quiddam habent. In eodem enim tempore multa dicere videntur. Nam cum coniunctio multa faciat vnum: patet econtra, quod vnum erit multa, si tollitur. Quare amplificat: Veni dixi, supplicauit, sed despexit quæ dixi, quæ approbauit. Id Homerus quoque facit in illo: Nireus ab Syme, Nireus Aglaia, Nireus, qui formosissimus. Nã cum de aliquo multa dicuntur, necesse est quoque multoties dici. Quare si multoties, multa quoque videntur, Amplificauit igitur semel eius recordatus propter deceptionem, mentionemque nullibi amplius fecit, cum & in enumeratione postrema eius meminerit. Deliberatiua verò eloquutio adumbrationi, atque picturæ omnino similis est. Nã quantò maior populus sit, tantò longius spectant. Quapropter quæ exquisita sunt, superuacua magis, peioraq; in vtrisque videntur. Iudicialis autem exquisitior, multoq; magis, si apud vnum iudicem. Minimum nanque id est in rhetoricis. Nam quod ad rem pertinet, breuis est: aliena verò, & concertatio absunt. quare iudicium purum est. Quapropter nec iidem in omnibus his comprobantur oratores: sed vbi actionis plurimum, ibi minimum est exquisitæ eloquutionis. Id verò vbi voce, ac maxime vbi magna opus est. Demonstratiua verò dictio, historica maxime, cuius opus lectio, post hanc iudicialis. Superuacuum verò est, eloquutionem in iucundam, & in magnificam diuidere. Nam cur id magis, quàm in liberalem, & modestam, & in alias morum virtutes? Quæ enim dicta sunt, ea iucundam faciunt, si quidem eloquutionis virtus rectè definita est. Cuius enim gratia non humilem, sed dilucidam, atque decentem oportet esse? Nam si loquax est, non est dilucida. Sed nec etiam si breuis. Patet igitur, mediocritatem commodam esse: iucundam quoque facient quæ dicta sunt, si trita, & prisca bene collocetur, & numerus, & verisimilitudo ita vt decet. Ac de dictione quidem, ac eloquutione, & communiter de omni, & seorsum de singulorum generum dictum est: restat modò de ordine dicere.

De partibus orationis. Cap. XIII.



Vnt igitur duæ orationis partes. Necesse enim est primo re exponere, de qua, deinde demonstrare. Idcirco non demonstrare cum exposueris, vel demonstrare re nõ proposita, impossibile. Nam & qui demonstrat, aliquid demonstrat: & qui exponit, demonstrandi gratia exponit. Horum autem alterum propositio est, alterum fides, veluti si quis diuidat, ac dicat alterum esse problema, alterum demonstrationem. Nunc autem ridiculose diuidit. Nam narratio iurisdicialis solum orationis est. Demonstratiua autem, & deliberatiua quomodo potest esse narratio qualis ab his dicitur? Aut quæ in aduersarium feruntur, aut demonstrationum enumeratio?

Proœmium verò, & collatio, & replicatio tunc in concionibus sunt, cum controuersia inest. Nam accusatio, atque defensio sæpe, verum non ita deliberatio. Sed epilogus adhuc neque iudiciali omni: veluti si breuis oratio est, aut si res memoratu facilis. Accidit enim ei, vt prolixitatem imminuat. Quare partes necessariae, propositio, & fides. Propriæ itaque hæc: quæ autem communes, proœmium, propositio, persuasio, & epilogus. Nam quæ in aduersarium feruntur, ad fidem faciendam dicuntur. Collatio verò, suorum amplificatio est. Quare pars quedam est eorum, quæ fidem faciunt. Demonstrat enim aliquid, qui confert: sed exordiū nequaquam, nec enumeratio, sed in memoriam reducit. Quare si quis hæc ita diuidit, vt Theodori auditores faciebant, erit aliud narratio, & aliud prænarratio, & aliud supernarratio, elenchus quoque, ac superelenchus. Sed oportet cum speciem quandam dicas, ac differentiam, tunc nomen imponere. Aliter inane, ac nugatorium est: veluti Lycimnius in arte facit, corroborationem appellans, & aberrationem, & ramos.

De exordio. Cap. XIII.



Exordium igitur est orationis initium, sicuti in poesi prologus, & in lyræ pulsatione præludium. Omnia enim hæc, initia sunt, & quasi viæ ad sequentia præparatio. Pulsationis igitur præludium demonstratiuo exordio simile est. Nam quemadmodum qui fistula canunt, quod cantaturi sunt, id præcantatum suaui inuitatione coniunxerunt: sic in demonstratiua oratione scribendum est. Quicquid enim velis, oportet, cum statim prædixeris, producere, atque coniungere. Idque omnes ita faciunt. Cuius exemplum Isocraticæ in Helenam orationis exordium. Nihil enim contentiosis sermonibus, & Helenæ, commune est. Et simul si digredietur, par est, ne tota oratio eiusdem sit speciei. Fluunt autem demonstratiuorum exordia ex laude, aut vituperatione: vt Gorgias in Olympiaca oratione, Admiratione dignum apud multos est ò Græci. Laudat enim eos, qui celebres solennitates constituerunt. Isocrates verò vituperat, quoniam virtutem corporis muneribus pretioque aestimarunt, prudentiæ autem nullum certamen posuerunt. Et à cõsilio, vt si quis diceret probos viros colèdos esse, ac ideo Aristidem laudare non eos, qui nec probantur, nec improbantur: sed eos qui, cum probi sint, latè: vt Alexander Priami. Hic enim consulit. Præterea, ex iudicialibus exordiis. Id autem est ex iis, quæ ad auditorem sunt, si aut de re noua, præterque opinionem habeatur oratio, aut de difficili, aut de peruulgata, vt ignoscendum sit, vt Chærilus dicit. Nunc verò cum omnia sorte distributa sint. Demonstratiua igitur orationis exordia ex his sunt, ex laude, ex vituperatione, ex adhortatione, ex dehortatione, ex iis, quæ ad auditorem sunt: necesseque est vel aliena, vel propria esse, quæ vjam orationi faciunt. Iudicialia verò exordia idem possunt, quod fabularum præfationes, & poesis exordia. Sed dithyrambicorum demonstratiuis similia sunt: vt illud, Propter te, atque munera tua, imò prædas. In orationibus autem, atque poesi, futuræ orationis monstratio sunt, vt audientes non sint suspensi, sed præsciãt quæ de re habeatur oratio. Nam quod indeterminatum est, in ex

rorem adducit. Qui ergo principium quasi in manum dedit, is facit, ut auditor retentus orationem sequatur. Propterea poeta dixit, Iram pande mihi. Dic mihi Musa virum, & Dux mihi Musa sis, quoniam pacto ex Asiatica tellure bellum in Europam ingens irrupit. Tragici quoque fabulam significat, quauis non statim, ut Euripides. In prologo significat: sicut & Sophocles, Mihi pater Polybius erat. Comœdia etiam eodem modo. Exordii ergo id proprium opus est, maximèq; necessarium finem ostendere ipsum, cuius gratia oratio habetur. Quare si patet, & res parua sit, non est utendum exordio. Cætera verò genera, quibus utuntur, remedia calūniarum, & communia sunt, quæ vel ab ipso dicente dicuntur, vel ab auditore, vel à rebus, vel ab aduersariis. A nobis igitur & ab aduersario petuntur quæcunq; ad calumniam vel faciendam, vel soluendam pertinent: sed non in eodem loco. Nam qui defendit, primum ad calumniam respondet. Qui verò accusat, in peroratione inuehitur: nec causa latet. Necessè nanq; est defendenti, quæ impedimento sunt, primum dissoluere: calumnianti verò in peroratione id facere, ut audientes meliùs meminerint. Auditor autem disponitur, si ad beneuolentiam, vel ad iram prouocatur, & interdum si attentus sit, aut contra contemnens. Non tamen semper conducit attentum facere. Multi nanq; conantur ad risum deducere. Ad docilitatem igitur omnia refert, & si quis ita vult etiã ut probus videatur: his enim magis attendunt. Attenti ergo fiunt rebus magnis, suis, nouis, incundis. Quare faciendum, ut de his oratio esse videatur. Ad contemnendum verò aptos facimus, si rem dicemus paruam, si doloris effectiuam, si nihil ad eos pertinere. Non oportet autem ignorare extra orationem hæc esse omnia. Ad paruam enim dicuntur auditorem, qui quæ sunt extra rem, libenter audit. Nam si talis non est, non est opus exordio, nisi ut res summam dicatur. Est autem omnium partium cõmunis attentio. Vbi enim magis remittuntur, quàm in principiis? Quare ridiculus, qui solum in principio collocat, quando maximè omnes attentè audiunt. Vbiunque igitur opus erit, dicendum: Animaduertite, quæso: nam hæc res non est magis mea, quàm vestra. vel, Dicam enim vobis nouum, atque inauditum crimen: vel, rem ita mirabilem. Id verò est, ut Prodicus dixit, cum ad somnum auditores deferuntur, pecuniã inter ipsos spargere. Quod verò ad auditorem, non in quantum auditor, patet. Nam omnes vel calumniantur, vel à timore se in exordiis dissoluunt. Dicam, o rex, qui verò rem turpem habent, aut habere videntur, his vbiuis immorari confert magis, quàm in re. Quapropter etiam serui non respondent ad interrogata: sed quæ circa illa sunt, ea dicunt, & exordiuur. Vnde autem beneuoli quant, & de huiusmodi cæteris, dictum est. Verùm quoniam probè dicitur, Ad Phæacas mihi præsta Pallas amicũ, miserabilẽmq; venire. Hæc duo summopere spectanda sunt. In demonstratiuis autem faciendum, ut auditor collaudari aut se ipsum, aut genus, aut studia sua putet, vel alio quodã modo. Nã quod Socrates in funebri dixit, nõ esse difficile laudare Athenienses apud Athenienses, sed apud Lacedæmonios: id verũ est. Deliberatiuæ autem orationis exordia ex iudicialibus ra-

tionibus fluunt. Nam propria minimè habet. Nam eũ de quo sciũt dicatur, nõ eget res exordio, nisi aut propter se ipsum, aut propter aduersarios, aut si nõ tantum quantum vult, sed vel maius vel minus arbitrat. Quas ob res vel calumniandum, vel dissoluendum est, & aut amplificandum, aut attenuandum. Horum igitur causa exordio in deliberatiuis opus est, aut etiam ornatus causa, quoniam manca videntur, nisi habeant: qualis Gorgiæ laudatio in Elios. Nam cum nihil prædixerit, neque commouerit, illico erupit: Elis ciuitas felix.

Loci ad dissoluendam calumniam.

Cap. XV.



AD dissoluendam verò calumniam vnus quidem locus, vnde quispiam turpem existimationẽ propulset. Nihil enim differt, siue quis inuectus est, siue non, sed tacita resideat in auditorum animis suspicio, quare id vniuersale. Alius locus, ut illata crimina depellas, aut quod non sunt, aut quod nocua non sunt, aut non huic, aut non tanta, aut non iniusta, aut non magna, aut non turpia, aut non habetia magnitudinẽ. De his enim quæstio, ut Iphicrates aduersus Nausicratem dixit, fecisse se quod ille dicebat, & nocuisse, sed non fecisse iniuriam. Aut aliud alii opponendum hoc pacto: Nocuum, sed honestũ: dolorem inferens, sed vtile: cæteraque huiusmodi. Alius locus, quod error, vel aduersa fortuna, vel necessitudo fuit: sicut Sophocles dixit, timere se non vt accusator dixit, vt fenex videatur, sed inuitus. Non enim vellet se annos octoginta natũ. Prætereã, finem pro fine opponere. Noluit nocere, sed hoc voluit. Et fecisse quidem id, de quo accusatur, nocumẽtum verò accidisse: par autem odio me haberi, si, vt sic eueniret, fecissem. Alius, si depræhensus in eo crimine calumniator vel nunc, vel aliàs, & aut ipse, aut propinquorum aliquis. Alius, si alii quoque inuoluuntur, quos aduersarii nõ esse reos concedunt: vt puta, si adulter mundus est: & hic ergo, Alius, si alios quoque calūniatus est, aut si alius ipsum, aut si absque calūnia credebatur, veluti & ipse nunc, qui tamen extra id crimen erant. Alius, calumniari calumniantem. Cur enim cum ipse parum credat, huius verba creduntur? Alius, si iudiciũ factum est, veluti Euripides aduersus Hygiã nontem in Antidosi accusantem impietatis, quod scripserit peierandum esse, cum dicat: Lingua iurauit, mens verò minimè respondit, iniuriam; facere Hygiã nontem, cum iudicia Dionysiaci certaminis in forum ducat. Ibi enim causam dixisse, dicturũq; si accusare voluerit. Alius accusatorem accusando vt puta quod alia iudicia querit, quod rebus nõ credit. Communis autem vtriusque è singulis est, veluti Vlysses in Teucrũ, quod propinquus esset Priamo. Soror enim Hesiõne, ille verò, ac pater Telamon, Priami hostis, tu autem etiam exploratores non prodidisti. Alius accusatoris propriũs, cum parũ laudat, vt magis vituperet: magnum breuiter: aut cum multa bona præposuit, vt vnum, quod ad rem pertineat, vituperet: quales sunt, qui artificiosissimi atq; iniustissimi sunt. Nam per res bonas nocere conatur cum malis eas permiscentes. Communẽ

mune autem dissoluenti cum calumniatore, quoniam cõtingit idem multorum gratia factum esse, vt hic deprauando ad peius accipiat, dissolvens autem ad melius: hoc pacto Diomedes Vlysses elegit. Alter dicit: quoniam virum fortem putabat, aliter, non ideo, sed solum ne concertatorem haberet tãquam ignauum. Ac de calūnia hæc dicta sunt.

De narratione. Cap. XVI.



Narratio autem in demonstratiuis continua non est, sed in partes diuisa. Nam oportet exponere res gestas, ex quibus oratio constituitur. Constituitur autem oratio partim ex eo, quod artificiale non est. Non enim est rerum gestarum orator causa. Partim ex eo, quod est artificiosum. Id verò est, cum ostendunt quod sit, præsertim si incredibile videretur, aut quale, aut quantum, aut hæc omnia. Quas ob res non semper oportet continuò enarrare. Difficile enim est, memoria tenere, quæ sic demonstrantur: sed ex his fortis, & ex his prudens, aut iustus ostendetur. Nam hæc oratio explicatior est, illa verò implicatior, atque multiplex, & minimè plana. Oportet autem, cum res notæ sint, in memoriã eas solummodo breuiter reducere. Nam multis narratione opus non est: veluti si Achillem laudes, cuius res gestas omnes perceperunt: cognitis rebus tantum vti oportebit. Verum si Critiã laudaturus sis, cum non multi res eius teneat, narrare necesse est. Cum igitur laus sit, magnitudinem virtutis ostendens oratio: tales res gestas fuisse demonstrandum. Laus igitur, rerum gestarum est. Quæ verò extra sunt, sicut nobilitas, ac educatio, ad faciendam fidẽ adhibentur. Verisimile nanque est, probum ex probis, & bene educatum in bonum virũ euasisse. Quapropter & qui gesserunt, eos laudamus, & operationes ipsius actionis signa esse ducimus. Verum quoniam laudaremus, etiam si non gesserit, si talẽ esse nobis persuaserimus, beatio, & felicitatio ipsis quidem eadem, his verò nõ eadem, sed sicut virtutem felicitas, sic hæc felicitatio continet. Habet autem laus non nihil cum consilio commune. Nam quæ consulendo admoneres, hæc commutata oratione laudem conficiunt. Quare cum habeas quæ agere, qualẽque esse oporteat, admonendõque id explicaueris: mutanda, versandãq; oratio est, vt laudem efficiat: veluti cum dicas, Non oportet à Fortuna, neque extrinsecus, sed intrinsecus, atque à se ipso pendere. Hanc compositione in orationis admonitionem sic in laudem vertes: non enim à Fortuna, neque extrinsecus, sed intrinsecus, atque à se ipso ille pendebat. Quare laudaturus, quid consuleres, & consulturus, quid laudares cõsidera, orationemque ita versa, vt nunc quidem quod prohibet, nunc verò quod non prohibet commutes. Qui verò breuem esse asserunt narrationem oportere, ridiculi sunt: veluti qui interroganti pistori, durumne, an mollem pinset? quid, inquit, estne impossibile bene pinset? Oportet enim non esse longam narrationem, nec exordium, nec quæ fidem faciunt: bene dicere tamen, quod est oratoris proprium, nec in lógo, nec in breui est, sed in mediocri. Id verò est, si ea dicas, quæ re significatè exponat, id est, quæ possint efficere vt vel factũ esse, vel iniuria factum

Modum narrationi, nisi mediocriter præsertim non possit.

esse, vel damno fuisse, vel tantam re esse, quantum velis, credat auditor. Aduersariis autem horũ contraria. Annectenda verò narrationi sunt quæcunq; vel virtutes tuas, vel aduersarii vitia subostendunt, vel auditoribus iucunda sunt: vt si diceres, At ego semper consulebam, quod iustum, ac pium est, non esse deferendos liberos: hic autem reclamabat, vbi cunq; ipse esset, ibi facillè alios sibi liberos futuros. cæteraq; huiusmodi, quæ dicit Herodotus transfugas Aegyptiis respõdisse. Defensori igitur breuior semper narratio, & per quæstiones, aut factum non esse, aut non iniuria, aut non damno fuisse, aut non tantum. Non enim à quæstione recedendum, nisi quid ad illam conducatur: vt si factum esset, nõ esset tamen iniuria factum. Adhæc, quæ gesta non sunt, si commiserationem, aut indignationem faciunt, perinde vt gesta narranda. Huius exemplum Alcinoi apologus, quod ad Penelopem in sexaginta esset annis factus. Et phaylli circulus, & in Oeneum præfatio. Oportet autem narrationem maximè moratam, atq; affectam esse. Quod facillè faciemus, si affecta morã nõ ignorabimus quid sit, quod moratã orationem ratãque nar efficiat. Primum igitur est, si ita dicas, vt qualis sit ratio. animus hominis, subappareat. Morata autem oratio qualis quædam ideo est, quod voluntas, atq; electio qualis, quædã est, huic verò inest qualitas propter finem. Idcirco mathematica oratio affecta esse non potest: quoniam, cum cuius gratia non habeat, nulla in ea subapparet electio. Socratica verò, quoniam de talibus est, morata est. Moratam igitur orationem efficiunt, quæ mores hominis consequuntur: vt si dicas, Hæc ambulãdo vociferabatur. Ostendit enim audacem hominem, atq; agrestem. Item, si non ita vt ratione persuasus, quod multi nunc faciunt, sed vt appetitione. Elegisti, ego verò malui quod vtilissimũ erat, aut quod optimum. Est enim illud prudentis, vtilia persequi: hoc viri boni, honestum præponere. Quod si parum credibile quod dicis videretur, ratio afferenda: vt Antigone apud Sophoclem facit, cum persuadere velit fratrem se viro, atq; filiis anteponere, Viro enim, ac filiis amissis, alios facillè forsã habebis: frater verò, si parentes obierunt, nunquam tibi nasciturus est. Verum si nulla succurrit ratio, illud dicere poteris, nõ ignorare te parum credibilia hæc videri, & tamen audaciũs dicere, quoniam natura huiusmodi sis. Minus autem auditori credibile videtur, si aliud præter vtile nos agere ostendimus. Prætereã, si ea narrando expones, quæ affectus mouent, eorũq; consequentia, & præcipuè quæ auditores non ignorant, & aut tibi, aut illi insunt, hoc modo: Hic autem, cum me illuisset, abiit. Et vt de Cratylo Aeschynes, quod ore personans, manusque quassans, & intonuit, manusque minatus est. Verisimilem enim hæc orationem faciunt: quoniam quæ non ignorantur ab auditoribus, hæc eorum signa fiunt, quæ nesciunt. Huiusmodi verò plurima Homerus nobis suppeditabit. A st anus, inquit, facie manibus retinebat. Nam qui lacrymas effundere inceptant, manibus oculos attingunt. Post hæc illico te qualem quendam videri latenter facias. Quod facillè fieri posse inde patet, quod de nouarum rerum nuntiis, quauis eos minimè cognoscamus, vi tamen orationis qualẽnam sint suspicamus. Est autem opus multis in lo-

Vbi narrandum.

cis narrare, & nonnunquam in ipso principio: In deliberatione verò idcirco narratio non incidit, quoniam de fututis rebus narrandum non est. Et cum incidit, rerum iam gestarum est, quibus aut deprimendo, aut efferendo, auditores concitantur, ut illarum memoria de futuris melius consulant. Verum tunc officium consiliarii non adhibetur. Quod si quid minus credibile narratur, dicere statim causam, aut polliceri oportet: ut in Oedipode Carcini Iocastæ cum is interrogaret, qui filium quærebat, semper promittit. Similiter, apud Sophoclem Aemon.

De confirmatione. Cap. XVII.



Verò fidem faciunt, ea vim demonstrandi, quoad eius fieri potest continent. Et cum quatuor quæstiones sint, si factum est, si obfuit, si tantum, si iure, semper ad id, quod in iudicio quæritur, accommodanda demonstratio est: eodemque modo, etiam si de faciundo, aut non faciundo quæstio est, aut quod non nocuerit huic, aut non tantum, aut merito, & id genus alia. Neque nos fugiat, quod in hac una quæstione alterum esse prauum necesse est. Non enim ut si qui de iure, aut iniuria quærent, ignorantia causa est: quare in hoc, non in cæteris, immorandum est. In demonstratione verò quod honestè, aut vtiliter gesserit, ut plurimum amplificatio fiet. Nam res quidem ipsæ, cum credi debeant, raro, neque nisi cum vel incredibiles videantur, vel alius causam habeat, solent demonstrari. In deliberatione autem aut non futura, quæ dicis, respondebit quispiam, aut si futura concedet, tamen vel non iusta, vel non vtilia, vel non tanta fore asseuerabit: eritque illud maximè perspicuum, si quid præter rem falsò dicat. Id enim signo erit, cætera quoque ipsum mentiri. Præterea, scire oportet sic exempla deliberationibus maximè accommodari, ut iudicialibus enthymemata. Nam cum sit omnis deliberatio de futuris, à præteritis per exempla de ipsis necesse est dicere: iudicia verò de iam factis, aut non factis sunt: quæ demonstrationem idcirco habent, quoniam & necessitatem habent. Præterita enim necessitatem iam habent. Non oportet autem enthymemata continuè dicere, sed aliis permiscere, ne aliud alii officiat. Est etiam quantitatis terminus quidam, ut Homerus quoque ostendit, Amicè quoniam tot dixisti, quod sapiens vir attulisset, tot inquit, non ieiunsmodi. Nec enthymematis cuncta tibi probanda, ne tibi necesse sit ex ignotioribus notiora confirmare: quod philosophantiū nonnullis accidit. Nec cum affectus mouèdi sunt, enthymemate vtaris, ne quoniã motus, qui simul fiunt, alter alterum excutiat, vel ambo concidant, vel remissiores reddantur, aut affectus excutiantur, aut frustra sit alatum enthymema. Nec cum moratam orationem efficere velis, enthymema quæras. Nam demonstratio nec animos mouet, nec electionem habet. Sententiis autè tam in narratione, quàm in cõcertatione vtendū est. Plurimum enim afficiunt, moratamque orationem reddunt, hoc modo: Commisi ego hæc illi, quanuis scirem omnibus credendum non esse. Et cum affectu sic: Nec tamè, etiam si vexatus iniuria sum, me poenitet, præsertim cum videã huic

Enthymematis quatenus vtendum.

lucrum, mihi ius superesse. Verum deliberatio iudiciali causa multò difficilior est: primum quia illa rerum futurorum, hæc præteritorum est, quæ vaticinanti bus saltem (ut Epimennides Cretensis dicere solebat) certiora sunt. Is enim diuinationem futurorum respuebat, præteritorum, quæ occulta erant, solum amplexabatur. Deinde quia cum leges iudicialibus supponantur, principium afferunt, vnde inueniendi facultas præbetur. Adhæc, quia non habet multa diuersoria, vtputa in aduersariū, aut de ipso, aut auditoris in affectum impellèdi. quod minimè adhibendum est, nisi digrediat. Idque per dubitationem faciendum: ut Athenienses oratores facti tãt, & Isocrates. Accusat enim in cõsulendo, ut Lacedæmonios in panegyrica, & Chæretæ in sociali oratione. In demonstrationibus autem exterioribus laudibus amplior efficienda oratio est. Quod Isocrates facit, aliquid extrà semper adducens. Id verò est, quod Gorgias dicere solitus erat, quod videlicet nunquam sibi deesset oratio. Nam si de Achille dicendum est, inquit, Peleam laudabo, deinde & Aeacum, postremò Iouem. Eodemque modo si fortitudinem: aut quoniam hæc, atque hæc faciat, quod tale quid est: aut quoniam talis quædam est. Cum igitur demonstrationibus non eges, tunc & moratè, & demonstrando erit tibi dicendum. Cum verò enthymemata non succurrunt, tunc morata maximè tibi erit oratio. Quæ res idcirco bonum virum magis decet, quod malit ipse probus videri, quàm demonstrationes sibi esse certiores. Ex enthymematibus verò, quæ redarguunt, magis probatur, quàm quæ demonstrant. Nam quoniam contraria ex collatione magis cognoscuntur, idcirco quæ redarguunt, acrius inferuntur. Cum verò iam aduersarii locos aggredimur, non in alia parte, sed in faciunda fide adhuc versamur, ac alios obiciendo, alios argumentando dissoluimus. Sunt autem tam in consilio, quàm in iudicio nostra primum collocanda, deinde aduersariorum cum contemptione quadam refutanda. Quod si multiplex, & varia est aduersariorum oratio, primum confutabimus: ut Callistratus in consultatione Messeniaca fecit: qui primò quæ dicere aduersarii possent, cõfutatis, sua deinde posuit. Si verò secundus dices, refutandū tibi prius erit soluèdo, ac contrà arguendo, & maximè si aduersarius persuasisse videretur. Nam quædam modum infamè hominè animus aspernatur, sic oratione quoque contemnit, si bene dixisse aduersarius videatur. Quare auditor vel omnium, vel plurium, vel firmissimorum, vel saltè cõfutatu faciliū infirmatione preparatas aures nostris dabit, credibilioraque putabit: ut illud, Primum diis propugnabo. Nam ego Iunonem. Primum enim quod honestissimū erat, aggressus est. Verū hæc de fide dicta sint. Cum autem morata vtimur oratione, quoniã quæ de nobis dicimus, aut inuidiã prouocant, aut longam orationem efficiunt, aut obiectionem patiuntur: quæ verò de aliis vel cõtumeliosa, vel agrestia videntur, quoniam hæc incommoda consequuntur, alium oportet dicentem introducere. Quod Isocrates in Philippo, & in Antiodosi facit. Et vt Archilocus vituperat, cum patrè de filia fingat in iãbo dicere: Quid non mortales pro pecuniis facturos credimus? aut quid non deieraturos? Sophocles quoque sic

sic Aemona pro Antigone aduersus patrem introducit, vt alii dicere videantur. Varia etiam oratione vtendum, vt nunc enthymemata in sententias, nunc sententiæ in enthymemata commodè immutentur, hoc pacto: Conciliari maximè tunc oportet, cum felix sis. Sic enim ex sententia rem tuam conficias. Hanc sententiam sic in enthymema vertemus: Nam si oportet, cum tibi maximè confert, tunc cõciliari, nunc id agendum: cum secunda nobis cuncta procedant. Sed de his satis. Nunc de occasione interrogandi dicendum videtur.

De occasione interrogandi. Cap. XVIII.



Primum igitur tunc maximè interrogandum, cum ex duobus alterum iam ipse aduersarius protulit, vt altero per interrogationem adducto, absurdum quid cõsequatur: vt à Pericle de salutis sacrificiis interrogatū Lamponem ferunt respondisse, nefas esse non initiatum audire, Periclemque percontatum si ipse sciret. Cumque annueret, & quomodo, dixisse, cum initiatus non sis. Deinde cum propositionum alia manifesta sit, aliam daturos aduersarios non ambigis: tum etiam necesse non est, eam propositionem, quæ manifesta est, interrogando proponere, sed conclusionem inferre: velut Socrates cum Melitus diceret non arbitrari ipsum Deos esse. Atqui, inquit, dæmonia esse quædam fateor. Quod ille cum affirmasset, interrogauit an dæmones Deorum filii essent, vel saltem diuinum quiddam. Quo dato, Est igitur, intulit, qui Deorum quidem filios esse, Deos verò non esse arbitretur. Præterea cum vel contraria, vel præter opinionè dicere aduersarium demonstrari sumus. Quartò cum non possit soluere, nisi cauillatorio modo respondeat. Nam si sic respondebit, esse quodam modo, & quodam modo non esse, aut hæc quidem sic, illa verò non: aut aliquando sic, aliquando non: turbantur dubitantes, Aliter igitur nec ponendum quidem est. Nam si instabit, victus iam videbitur. Non enim poterit propter auditoris imbecillitatem de multis simul interrogare. Quapropter enthymemata quoque ipsa quàm maximè conuoluenda sunt. In respondendo autem si ambigua sunt, non statim soluere, sed prius ratione distinguere oportet. Sin verò contraria videntur, statim pro responsione inferenda solutio antea, quàm consequenter aliud interroget, aut ratiocinetur. Nec enim difficile est, in quo ratio sit, perspicere. Cæterum ex Topicis tam hoc, quàm solutiones nobis patebunt. Præterea, si concludendo conclusionem interrogationem facit, causa dicenda est: vt Sophocles à Pisandro interrogatus, si sibi quoque vt cæteris consiliariis visum fuit quadringentos viros constituere, respondit: An hæc improba tibi non videbantur? At ille: Tu ergo hæc improba comprobasti. Ita: dixit, nec enim erant meliora. Et vt Lacedæmonius quidam censuræ rationem reddens, interrogatusque, si iure sibi cæteri perempti videretur, dixit: Ergo tu eadem istis censuisti? At ille: Ergo tu quoque iure peribis. Minimè, inquit. Nam illi corrupti pecunia hæc iudicarunt,

ego verò nequaquam, sed sententia. Quapropter nec rursus post conclusionem interrogandum est, nec iteratò conclusionem ipsam, si non multum veritatis habet. Quoniam verò ridiculorum quoque vsus in certaminibus est, oportereque; Gorgias rectè dicebat aduersariorum seria risu præuertere, & risum seriis, explanatumque in iis, quæ de re poetica dicta sunt, quot ridiculorum genera sint, quorum alia liberis congruunt: alia non: inde quæ rei conuenient, orator assumet. Est autem illusio scurrilitate libero magis idonea. Nam qui illa vtitur, sui, scurræ verò alterius gratia loquitur.

De peroratione. Cap. XIX.



Peroratio autem ex quatuor constat: ex iis, quæ faciunt vt bene de nobis, malè de aduersariis auditor sentiat. Quæ amplificat, aut extenuat. Quibus in affectus auditor impellitur. Quibus in memoriam dictorum reducitur. Natura enim fit, vt cum te quidem veracem, aduersarium verò mendacem ostenderit, tunc vel laudes, vel vituperes, & omnino supermoliaris. Est autè horum duorum alterum considerandum, aut quod is semper bonus, aut simpliciter, ille verò quod is infestus, aut simpliciter. Vnde verò tales boni aut infesti fiant, iam dicti sunt loci. Post hæc autem Natura duce, quod iam demonstratum est, aut amplificandum, aut attenuandum est. Opus enim est, vt quæ facta sunt, pateant prius, quàm ipsorum quantitas explicetur. Nam & corporum incrementum ex præexistentibus est. Vnde autem amplificandum, attenuandumque sit, iam pridem expositi loci nobis sunt. Postea verò cum iam & qualia sint, & quanta sint, patefactum est, in affectus auditor impellendus est: qui sunt cõmiseratio, indignatio, ira, odium, inuidia, æmulatio, contentio: quorum etiã loci iam dicti sunt. Quare illud iam restat, vt prædicta in memoriam reducantur. Quod sic cõuenit facere, sicut in exordiis non rectè præcipiunt faciendum. Nam vt facilia intellectu sint, sapius idem dicere iubent. Verum ibi quidem res summatim dicenda, ne auditores, de quo sit iudicium, ignorent. Hic verò ea, quibus demonstratum est, per capita repetenda. Initium autem repetitionis, quando persoluitur iam quæ pollicitus est, quare & quæ dicenda erant, & de quo dicendum. Repetuntur autem per collationem eorum, quæ ab aduersario dicta sunt. Conferuntur igitur aut quæ de eodem ambo, aut quæ non opposita dixerunt. Sed hic quidem hæc de hoc, ego verò hæc, & propter hæc. Aut per illusionem: vtputa, Et hæc quidem hic: ego verò hæc, atque hæc. Et sic, Quid iste nunc faceret, si hæc, atque hæc demonstrasset, & non illa? Aut per interrogationem, Quid non demonstratū est? Et contrà, Quid ab isto demonstratum est? Aut igitur sic, aut per collationem, aut ordine, quo dicta sunt prius tua. Et rursus, si ita vis, quæ aduersarii dixerunt seorsum: fini verò dissoluta maximè, atque per articulum oratio idonea est, vt peroratio non oratio sit, Dixi, Audistis, Habetis, Iudicate.

FRANCISCI PHILEL-
PHI PRÆFATIO IN
Aristotelis rhetoricam ad Ale-
xandrum regem.



VM superiore anno Bononiæ docerem, clarissime pater, quod ea in vrbe nemini maioribus aut honoribus, aut præmiis vnquam contingit, cœpere nonnulli & nobiles, & magni viri dare operam Græcis literis, quippe qui iam animaduertissent, si secus facerent, ne non pro dignitate ad Latinum eloquium eniterentur. Quare cum Aristotelis præcepta illa his Græcè legerem, quæ de ciuilibus causis ad Alexandrum regem cum pro authoris more doctissimè, tum, vt semper, disertissimè scripta sunt, summis à nobis precibus contenderunt id efficerem, vt ea Latine loquerentur. Censebant enim prudentes viri, quòd longè plus & vtilitatis, & ornamenti ex his Latinis à me factis, quoniam & illi Latine loqui, quàm Græcè, malent, quàm si Græca essent, assequerentur. Non enim eò Græcas literas tantopere omnes discere studemus, quòd his apud Athenienses, Byzantiòsve vtamur, sed vt illarum subsidio, atque ductu Latinam literaturam, atque eloquentiam melius teneamus, & lautius. Præterea, nescio quo pacto qui minùs, & diu, & multùm Græcos codices pertractarint, & sese illis totos dederint, nusquam incredibilem illum, ac propè diuinum lactei Græcorum eloqui leporem, atque dulcedinem, neque apud oratores, neque apud poetas, neque apud philosophos percipiunt: quo fit, vt nostri ferè omnes, qui aures delenire concupierint, malint initio Græca Latine, quàm eadem Græcè lectitare: ignorantibus hi quidem & vtilius admodum fore volentibus Græca discere, vt Græcæ voces, Græcique concentus illorum auribus die, noctûque obstrepant: & quemadmodum grauitate Latinos Græcis, ita nobis suauitate illos, & quadam quasi dictionis ambrosia, ac nectare mirum in modum antecellere. Id igitur ita familiaribus à me illis efflagitantibus, obstinatissimè refragari cœpi, tum quia videbam rem à nobis peti cum sua natura difficilem, (est enim in arte verbum sapius è verbo exprimendum: quod ne absurdè fiat, laboris nonnunquam maximi, interdum autem propter sermonis vel dissimilitudinem, vel angustias, voti est) tum quia non eo me pollere ingenio, vsùve intelligerem, qui maiestatem Aristotelicæ dictionis Latinæ interpretationis filo exprimerem. Pròinde nolebam aut ineptus apud aliquos, aut temerarius iudicari. Sic igitur pro virili parte refragantibus nobis, clarus vir, mihi que amicissimus, & tui nominis eximius prædicator Albertus, is, qui per id temporis Bononiæ quæstorem pro summo pontifice gerebat, idem cœpit, quòd illi antea consuessem, studiosissimè à nobis contendere. Qui tametsi pro suo iure omnia apud me potest, eò tamen facilius persuasit, quòd vnã hanc rem fore diceret, quam præcipuè gratificari mansuetudini tuæ quirem. Aiebat enim te vnum esse, qui pro regia ista, & innata tibi animi magnificentia, generositateque, & inaudito quodam splendore, magnitudinèque ingenii, cum reliquis omnis illustres disciplinas, insignesque virtutes maximi penderes, tum hæc elegantiores artes in primis. Id mihi vir ille & amicus, & grauis, persuasit hæud difficulter, vtpote quem vera loqui non minùs nosse, quàm velle, iam pridem animaduertissem. Quod quidem cum aliis multis rebus

rebus de illo expertus sum, tum in iis laudibus, quas de tua felici, & augusta illa Bononiensi legatione dies, noctesque prædicabat. Eas enim ita ponebat ante oculos, vt nihil postea Bononiensium Reipublicæ acciderit, quod non multò antè impendere vel lapides ipsi præuiderint. Et profectò si tua sequi vestigia, quibus ea res erat in manu, voluissent, neque ipsi excidissent, neque tanta, tamque præclara vrbs in tantas calamitates, ærumnasque decidisset. Sed de his aliàs. Cum hanc igitur traductionem non ingrati tibi futuram intelligerem, vt amicissimo homini morè gererem, id est, vt me ipsum tuo nomini cum Alberto meo dedicarem, oblitus sum nostri. Omnia vincit amor. Rem difficillimam, & meis imparem viribus sum aggressus. Audentes Fortuna iuuat. Potuit Homericus ille Ajax Hectora, quem neque Vlysses, neque Nestor in prælium prouocantem excepisset, sola audacia & aggredi, & singulari certamine superare. Potuit & Troasidem ab incensis iam nauibus, fufis Achiuis omnibus, arcere. Potuerimus fortassis etiam nos etsi minus orationis Aristotelicæ nitorem, at ipsa certè sensa Latinis verbis explicare. Verùm ne id vnum omiserim, nos à Fabio Quintiliano nonnullis in dictionibus interpretatione discrepasse, idque non inconsultò factitatum: vt quod ille *ἀμνηστικόν*, verbum è verbo exprimens, concionale genus, & *προκατάλητον* præsumptionem dixerit, nos vsitatiore vocabulo deliberatiuum, & præoccupationem nõ absurdè (vt arbitror) exprimere maluimus. Sic & alia pleraque inueniri contigerit. Nam quauis perdoctus ille quidem, & acutus vir fuit, veluti certè est, voluit tamen in nonnullis verbis & rebus magis se sui, quàm Ciceronis, similem dici. Nos autem & M. Tullii, & Horatii Flacci, & Eusebii Hieronymi, qui Latinissimi simul, & eloquentissimi extiterunt, testimonio, & autoritate freti, in id maximè studemus, vt quæ à Græcis transferimus, nihil aliud, quoad eius rei fieri possit, quàm Latinitatem sapiant. Pròinde & hoc præsentis operis ad numerum charactera, ac figuram pro virili parte traduximus. Suscipies igitur præsens hoc quicquid est munusculi, magnifice pater: quod, siquidem authorem ipsum tecum reputes Aristotelem, non te minùs è regia profapia genito magnanimo principe, quàm Alexandro Macedonum rege dignum existimes. Si verò nostram in te obseruatiã, si nostram in Albertum, & in præclaram omnem Albertorum familiam dilectionem, amorè que consideres, & eximium certè id, in primisque deuotum. Cæterùm si hisce te rebus delectari intellexero, efficies vt propediem huic quasi præludio maiora fortasse quædam, valentioraque certamina subnectam. Interea verò hunc Aristotelem lectitabis, intueberisque magna ex parte quæ à maioribus nostris de bene dicendi scientia & tradita nobis, & relicta sunt, ab Aristotelico fonte præcepta illa quæque emanauisse. Qua quidem ex re eò magis eorum impudentia miranda est, qui cum se Aristotelicos dici volunt, & loquendo, & scribendo absurdissimi simul, & infantissimi planè reperiuntur.

ARIST



SM tuis literis factus certior, nonnullos sæpe ad nos misisse, qui ut ciuiliū causarum præcepta ad te præscriberem, à me peterent. Ego verò haud negligentia quidem vlla in hoc vsq; tempus rem distuli, sed ut quærerem ita diligenter de his ad te scribere, ut alius certè nemo, qui hisce in rebus elaborasset, diligentius vnquã scripserit. Hæc igitur rectè mihi fuerat sententia. Nam quemadmodum vestium decore, atq; magnificentia cæteris hominibus præstare maximè studes, ita etiam dicendi inuentionem, ac vim eam ut accipias nitendum est, quæ pulcherrima sit, apprimèque præclarissima. Longè enim pulchrius est, ac regale magis, animo esse bene constituto, quàm habitum corporis vestibus ornatum pulchris intueri. Absurdum enim est, eum, qui rerum gestarum gloria cæteris antecellat, videre humillimis quibuspiam in dicendo cedere, præfertim cum non sis nescius, eos, qui in populari principatu versentur, res omnes ad populū: qui verò sub vnus imperii ductu cõstituti sint, ad rationem, orationemque referre. Quemadmodū liberæ ciuitates communis lex, quæ ad honestissimū aliquem finem ducat, dirigere consueuerit, eodem etiã modo & oratio tua queat eos, quos imperio tenes, ad id agere, quod conducibile sit, & vtile. Etenim lex (ut ita dixerim) oratio quædam est, quæ communi ciuitati consensu definita, iubet quo pacto vnumquodque agendum sit. Accedit ad rem, quod neq; tibi obscurum existimo, solere nos laudibus eos perinde, atq; honestos, & fortes prosequi, qui & ratione vtuntur, & omnia, ea duce, agere pergunt: qui verò absq; ratione, & oratione quicquã faciunt, tanquam atroces, immanèscque adimus. Qua quidem re factū est, ut & malos eorum vitiū ostendentes malè affecerimus, & bonos eorum virtutē declarantes quasi beatos, admirandos, imitandōsq; voluerimus. Sicq; & quomodo futuras calamitates euitaremus, bonisq; instantibus fruere, adinuenimus. Pròinde & imminètes difficultates effugimus, & absentes utilitates comparauimus. Nam veluti vita, quæ nulli mœrori subiacet, eligèda, ita prudens est oratio deligenda. Neq; id te prætereà oportèbit, quòd hominum plurimis, aliis quidè lex ipsa, aliis verò tua tum vita, tum oratio exemplo datur. Ut cunctis igitur, tum Græcis, tum Barbaris antecellas, omni tibi studio annitendum est: quòd iis, qui versantur in his exemplis, ita horū imitatione per virtutis elementa pulchrè effingāt, ut haud sibi deteriora cõsulant, sed eius se participes fieri & cupiant, & exoptent. Rerum est prætereà humanarū augustissimum, cõsultatione vti. Quare nec in superuacaneis vulgaribus rebus studiū tibi terendum est, sed pro virili potius parte elaborandum, ut ipsam bellè cõsultandi artē & perdiscas, & teneas. Quis enim sanæ mentis dubitarit, si quis incõsultò quid egerit, amētique quidem: sin autè ratione duce, sapientiæ signū esse? Inueniri etiam licet eos omnes, qui optima inter Græ-

cos Republica vtuntur, oratione prius, quàm rebus, conuenire. Itèmq; apud eos, qui inter Barbaros dignitate præstant, oratione rebus anteire: quippe qui probè norint eam, quæ ratione, orationeq; perspectio utilitatis, cognitioq; sit, esse quandã salutis arcem, & eiusmodi certè arcem, quæ nõ manū facta, verum & inexpugnabilis quidè sit, in primisque secura opinanda. Sed vereor hac de re pluribus ad te scribere, ne fortassis ostentare me ipsum videar, hinc præsertim in rebus, quæ probatione nõ indigēt, sed planè patent, & in pròptu sunt omnibus. Quam ob rem hæc omnia missa faciēs, illa dixerim solūm de quibus in omnē vitam dicendum est, hoc vnum esse quo cæteris animalibus præstamus, præclarum quoddã ab immortali Deo adepti videamur. Nam si quidem & cupiditate & ira & aliis huiuscemodi affectionibus vtuntur, etiã reliqua quæq; animalia, oratione autem homo duntaxat, absurdū profectò maximè omnium cedat, si qua vna re bestiis antecellimus, eam bene viuendi ducem præ negligentia reliquerimus. Pròinde te iam pridem sua spòte incitatum, etiam, atq; etiam hortor, ut dicendi philosophiam omni studio cõplectare. Nam veluti corpus bona valetudine, ita & animus disciplina, eruditioneque seruetur. Huius enim ductu haudquaquã tibi in rebus gerendis aberrare cõtigerit, quin potius omnia, (ut ita dicam) quæ tibi iam parta sunt, bona, planè tuebere. Quòd si prætereà oculis videre, iucundum est, animi luminibus cernere, penitusque perspicere, admirabile certè plurimum. Rursus autem quemadmodum Imperator sui est seruator exercitus, ita etiã eloquentia, quæ sapiētia coniuncta sit, humanæ est vitæ gubernatrix. Sed hæc omnia, atq; his similia, operæpretiū puto ut missa hoc tempore faciamus. Monuisti autè tuis literis, ne quis omnino mortaliū hunc librum accipiat, quippe qui non sis nescius, sicuti parètes, quos ex se genuerint, magis, quàm ii, quibus suppositi sunt, partus amare solent: eodèmq; modo ii, qui præclarū aliquid ex se inuenerint, maiore ad id studio afficiuntur, quàm quibus eo vti cõtigerit. Non secus enim pro inuentis, atq; pro liberis emori periclitentur. Enimvero ii, quos Paris vocat sophiste, quoniã nihil ipsi pro inertiquadã negligentia pariunt, ne diligūt quidem, sed acceptis pecuniis ab se dimittūt. Hanc igitur ob rem te vehementer moneo, & exhortor, ita hæc dicendi præcepta serues, atque tueare, ut cum & ipsa adolescāt, nullius opibus violentur, sed honestè tecum, decorèq; vnã viuant: & cum in adultam ætatē euaserint, immortalè gloriã nanciscantur. Adsumpsimus autè (sicuti nobis Nicanor exposuit) si quid hisce de rebus apud cæteros artis scriptores expolitum, elimatūmq; inuenimus. Impendes autem operam etiam hisce duobus libris, quorum alter meus est, eas cõtinentes artes, quas ad Theodesten scripseram: alter autem est Coracis. Reliqua verò omnia, quæ siue ad ciuilia præcepta, siue ad iudicialia pertinent, separatim hoc in libro scripta sunt: quapropter ex hisce ad te commentariis ad ea consequenda abundè tibi adiumenta suppetent. Vale.

De

De genere deliberatiuo.



Ria sunt genera ciuiliū causarum, deliberatiuum, demonstratiuum, iudiciale. Horum autem species sunt septem, suasio, dissuasio, laus, vituperatio, accusatio, defensio, & quæstio aut ipsa secundum sese, aut ad aliud. Species igitur, in quibus omnis versatur oratio, hæc sunt numero. His autem vtimur & in cõsultatione ciuili, & apud iudices, & circa alicuius certæ personæ dictionem: de quibus quidem omnibus ita poterimus aptè dicere, si singillatim vniuscuiusque speciei vim, & vsum, & exercitationem numero comprehenderit. Et primū quidem de suasionibus est, dissuasionibusq; dicendum. Ipsarum enim vsum in demonstratiuo, deliberatiuoque genere locum in primis habet. Ut igitur summam dixerim, suasio est ad aliquid eligendum, aut dicendum, agendumve exhortatio. Dissuasio verò, ne quid eligatur aut dicatur agaturve, dehortatio. His autè ita definitis suasor ostendat oportet hæc, ad quæ exhortatur, & iusta, & legitima, & vtilia, & honesta, & iucunda, & facilia factū esse. Quòd si minus id poterit, demonstrandum erit, cum ad laboriosa, & grauiam quædam exhortatur, hæc factū & possibilia esse, & quàm necessaria: dissuasor autem ex contrariis dehortetur oportet, ut neque iustum, neque legitimum, neq; vtile, neq; honestum, neq; iucundum, neque factū possibile hoc sit, vel saltem & laboriosissimum id esse, & minimè necessarium. Omnes autem actiones harum vtriusque sunt causarum participes: quare dubitandum non est, quin oratio harum alteram contineat. Quæ igitur suadentes, dissuadentesque desiderare conueniat, hæc sunt. Desinere autem iam aggrediar vnumquodque horum quid sit: demonstrabiturque vnde ea nobis in dicendo suppeditemus. Iustum igitur est, hominum plurimorum non scripta consuetudo, honesta, turpiamque determinans: id verò est honorare parentes, amicis benefacere, & beneficiis gratiam referre. Hæc enim, & his similia, nõ iubent scriptæ leges hominibus faciunda, sed consuetudine non scripta, & communi quadam lege legitimum sit. Iusta igitur hæc sunt. Lex autem, est communis ciuitatis consensus, qui scriptis præceperit quomodo vnumquodque agendum sit. Vtile verò est, presentium bonorū cõseruatio, aut absentium comparatio, aut malorum instantium propulsatio, aut futurorum incommodorum inhibitio. Hoc autem diuidas oportet, priuatis quidè hominibus in corpus, & animum, & res extrarias. Corpori enim est vtile robur, formæ dignitas, bona valetudo: animo verò fortitudo, sapiētia, iustitia. Extraria verò sunt amici, pecuniæ, possessiones. His autem contraria vtilia sunt. Ciuitati autem vtilia talia quædam sunt, concordia, vires ad bellum, pecuniæ, & prouentuum copia, sociorum virtus, atque multitudo, ac summam reliqua his similia vtilia esse ducimus: quæ verò his contraria sunt, inutilia. Honestæ verò sunt, ex quibus splendor aliquis, atque illustris honos in eos, qui aliquid gesserint, emanaturus sit. Iucunda autem, quæ afficiunt gaudio. Facilia verò sunt, quæ breui tempore, & minimo labore, impensa que absoluuntur. Possibilia autem, quæ cun-

que fieri Naturâ possunt. Necessaria verò, quæ vt fiant, arbitrii nostri non est, sed tanquam ex diuina quadam, aut humana necessitate omnino fiunt. Iusta igitur, & legitima, & vtilia, & honesta, & iucunda, facilia, & possibilia, & necessaria hæc sunt. De his autem dicere abundè poterimus, & ex antè dictis, & his similibus, & ipsis contrariis, & ab iis, quæ indicata sunt, aut à diis immortalibus, aut à claris hominibus, aut à iudicibus, aut ab aduersariis nostris. Cuiusmodi igitur iustum esset, declarauimus: simile autem iusto est huiusmodi. Nam quemadmodum iustum existimamus, obtemperare parentibus, itidem cõuenit, filios parentum res gestas imitari: & veluti beneficiis benefacere iustum est, ita & ii, à quibus malū nihil suscepimus, iusto simile est, nõ nocere. Hoc igitur modo simile iusto capiendum est. Ex contrariis autem opus est exemplum ipsum perspicuum faciamus. Nam veluti iustum est, in eos animaduertere, qui aliquid peperam patrauerint, ita iis, qui nos beneficio fouerint, referre gratiam decet. Id autem iustum, quod ab aliquibus claris viris iudicatum fuerit, sic erit accipiendum: Verum neque nos soli odio hostes insequimur, maloque afficimus, sed & Athenienses, & Lacedæmonii iustum esse iudicant, inimicos multare. Iustum igitur hoc modo crebra exercitatione accipies. Legitimum verò, quale etiam ipsum sit, antè à nobis definitum est. Oportet autem, vbi vsui sit, vt is, qui sententiam dicit, legem etiã adsumat: deinde simile legi scriptæ. Effet verò huiusmodi. Nam sicut legumlator maximis animaduersionibus fures plectendos voluit, ita & seductores maxime sunt multandi. Etenim hi furantes eius, quem deceperint, hominis mentē: & veluti legumlator hæredes eos statuit, qui genere proximi iis essent, qui sine filiis interissent, eodem modo & huius pecuniarum, rerumque liberti me nunc dominum fieri decet. Nam cum iis, qui ipsum liberarint, hac luce orbatis, proximus ipse sum cognatione, iustus certè sum, qui illius res omnes dominio teneã. Legitimo ergo simile adsumitur hoc modo. Contrarium verò sic: Si quidem lex prohibet publica priuatim distribuere, perspicuū est, eos, qui illa distribuunt, iniuria omnes afficere à legumlatore iudicatos. Nam si eos leges ornari iubēt, qui honestè rebus cõmunibus, iustèque præfuisse, nequaquam obscurum est, quin & publicarum rerum dissipatores multa dignos existiment. Ex contrariis igitur ita legitimum clarum sit. Ex iudicatis autem hoc modo: Neque ipse solūm præsentem legem harum causa rerum à legumlatore positam dico, sed etiam antea ipsi iudices, auctore Lyfistida, æquè, atque nunc à me dicitur, sententiam de hac re protulere. Legitimum igitur hoc modo tractātes, multipliciter demonstrabimus. Vtile autè quale sit, antea definiuimus. Assumendum est autem in dicendo, etiã si quid ex vtili inciderit: eodèmq; modo tractandum, quemadmodum in iusto, legitimoq; tradidimus: & sic crebris in locis ostendendū. Effet autem vtile simile huiusmodi. Sicuti nanq; in bello con-

titudini, iustissimōsq; præesse: & quemadmodū hominibus

minibus in bona valetudine, cauere, ne in aduersam incidant, vtile est, ita etiã pacatis vrbibus, con cordiaque vtentibus, conducibile est, sese ab omni seditione custodiant. Similia ergo vtili hoc modo crebro tractanda sunt. Ex contrariis autem vtile sic perspicuũ fit: Nam si conducit, eos ciues, qui æqui, & boni sunt, honoribus prosequi, ita punire improbos, vtilitatis plurimum adfert: & si quidem inutile est, nos solos aduersus Thebanos bellum gerere, vtile erit, vt Lacedæmonios socios nobis adsciscamus, itaq; aduersum illos belligeremus. Ex contrariis igitur sic vtile clarum efficit. Vtile vero à claris viris iudicatu hoc pacto adsumes. Nam & Lacedæmonii, vbi Athenienses bello superassent, vsui sibi fore existimarunt, ne eorum vrbem in prædam verterent: & Athenienses rursus cum possent Spartam funditus euertere, cõducere sibi arbitrati sunt, si Lacedæmonii superessent. Et iustum quidem, & legitimum, & vtile sic tibi tractandum est. Honestum verò, & facile, & iucundum, & possibile, & necessarium, quomodo & hæc superiora, te tractare conueniet, & de his quidem, & hisce dicere comode poterimus.

Quæ sint consultanda.



Vrsus autem definiemus quantum, & quale, & quid tum in curia, tum in concione cõsultabimus. Nam si horum singula planè tenuerimus, res ipsæ pro vnaquaque nobis consultatione verba suppeditabunt. Communes autem species, quas diu antè nouerimus, facile in vnamquaq; causam inducere poterimus: quapropter ea sunt nobis diuidenda, de quibus vulgò consultant omnes. Vt summatim ergo dixerimus, eæ, de quibus orationem habemus, propositiones septem sunt numero. Necesse enim est, nos & consultare, & orare tum in Senatu, tum apud populum, aut de sacrificiis, aut de legibus, aut de apparatu ciuili, aut de societatibus, ac fœderibus aduersus alias vrbes, aut de bellis, aut de pace, aut de pecuniarum prouentibus. Hæc igitur propositiones sunt, de quibus omnis est nobis & consultatio, & oratio. Harum autem vnamquaq; diuidamus, consideremusque quibus modis oratione in his vtendum fuerit. De sacrificiis autem abundè dicere necesse est. Aut enim dicimus præsentem in statu ea seruanda esse, aut vt magnificentius, aut vt in his humilius quodam modo agendum sit. Cum igitur dixerimus, in præsentem statu ea seruanda esse, causas inueniemus, ex iusto quidem dicentes, iniustum apud omnes esse, præter cõsuetudines patrias quicquam agere, quòdque omnia vaticinia hominibus iubent patrio more sacrificia esse facienda, & quòd eorum, qui vrbes primò cõdiderunt, & templa diis immortalibus erexere, diuini cultus maximè sunt, diuque obseruandi. Ex vtili autem dicemus, quòd ad rei pecuniariæ impensam, aut priuatim, aut publicè conducet, vbi pro patrio more sacrificiis sit indultum, & quòd ad ciuiliũ audentiam ea res confert non mediocriter, quippe quòd grauioris armaturæ peditibus, equitibusque, ac velitibus ludos celebrantibus ciues ea ambitione delectati audentiores fient. Ab honesto autem dicemus, si hoc modo 60

ditate verò, si & varietas quædam circa Deorum sacrificia ad spectandum accesserit. A possibili autem, si in eiusmodi ludis nihil fiat, neque parum, neque nimis. Cum igitur in rebus diu constitutis cõsultatio nobis habetur, cum hæc tractamus, operæpretium est de antè dictis, aut de horũ similibus cõsideremus, & ea pro rei natura edoceamus. Cum verò consultemus, vt ad splendidiorem quandam apparatus sacrificia traducantur, eæ sunt causæ nobis adferendæ, quibus meritò cõsuetudines patrias mouere videamur, dicentes, addere præsentibus quicquam, id haud esse soluere, sed augere potius res antè constitutas, ac firmatas, deinde quòd & consentaneum sit, Deos immortales beneuolentiores in eos esse, à quibus magis venerentur. Item quòd neque maiores ipsi eundem semper modum in sacrificiis obseruabant, sed pro tempore, proque secũdis rebus, & priuatim, & publicè Deorum cultum legibus sanciebant: postea verò, quòd veluti in cæteris rebus omnibus consueuimus, ita & Respublicas, atque priuatas domos administramus. Dicitur enim opus est, si qua ex his ita constitutis vtilitas ciuitati, aut splendor, aut voluptas futura est. Quæ quidem omnia ita tractabis, veluti in superioribus dictum est. Cum ad humiliter exhortamur, primùm quidem temporibus est accommedanda oratio, dicendumque quibus in rebus deterius nunc habeant, quàm antè habuissent: deinde verò quòd ne consentaneum quidem sit, Deos sacrificantium sumptibus, sed pietate potius gaudere. Item quòd eos, qui supra vires quicquam faciunt, & Dii, & homines, quàm stultissimos iudicant. Demum verò, quòd nec in hominum arbitriis publici sumptus modo, verum & in secundis, aduersusque rebus existunt. Has igitur causas, & harum similes, in sacrificiorum propositionibus habebimus. Vt autem & quæ ad optimum sacrificium pertinent sciamus, & exponere, & sancire hoc etiam definiam. Est enim id vnum omnium quidem optimum sacrificium, quòd aduersus Deos piè, ac diuinè, ad sumptus verò moderatè, ad bellum autem vtiliter, ad spectacula verò splendide habuerit. Aduersus autem Deos habebit piè, si patriæ cõsuetudines, institutaque non soluantur: moderatè verò ad sumptus, si non quæcunque ad pompam missa fuerint, consumantur. Ad bellum autem vtiliter, si equites, & milites vnà compositè ludos agant: ad spectacula verò splendide, si & auro, & iis huiusmodi rebus, quæ haud cõsumuntur, magnificè quis vtitur. Quæ igitur aduersus Deos seruanda sunt, perpulchrè ex his constituemus. Ex iis verò, quæ antè dixerimus, planè scire poterimus quibus modis oratio de vnoquoque sacrificandi genere haberi possit. De legibus autem, deque constitutione ciuili rursus eodè modo tractemus. Etenim leges sunt, vt summatim dixerim, ciuitatis publici cõsensus, qui scriptis terminant, atque imperat quid vnumquodque agendum sit. Eæ verò leges colendæ sunt, quibus magistratus parui quidem, ac multi ex fortitione, id quòd seditione vacat, maximè autem ex totius multitudinis suffragiis in popularibus principatibus designentur. Ita enim & ipse populus, quoniã in ipso sit, eos donare honoribus, quos voluerit, haudquaquã accipiētibus inuidebit, & clariores magis, magisque; probitati studebunt, vt pote qui intelligunt

intelligant, vsui sibi futurum, apud ciues se probari. Quæ igitur circa comitia in populari dominatu san cipi oporteat, hæc sunt. Quæ verò ad reliquam administrationem pertinent, singillatim exponere, operosum admodum fuerit. Verum, vt breuiter dixerim, id obseruari oportet, vt multitudini leges impedimento sint, ne locupletum rei insidiantur, diuites autem inducant vt vltro ad publica ministeria munificentissimi sint. Hoc autem assequi poterunt, si locupletes pro ea, quam in publicum munificentiam exhibent, statutis quibusdã honoribus ab ipsis legibus donentur, sicque & agricolos pauperibus, & nauium gubernatores vectoribus anteponant. Sic enim & locupletes nõ inuiti Reipublicæ inseruiēt, & plebes non calumniæ, sed ministeriis studebunt. Opus est præterea in conditis legibus seueritatem inesse, qua neque agrum ad egestatem redigere, neque morientium substantias publicare fas sit: & magnos iis cruciatus inscribere, qui hæc obseruare neglexerint. Decet autem aliquem iis honestum sepulture locum ante vrbem publicè dari, qui pro patria bellando perissent, & eorum filios ad pubertatem vsque publicis alimentis enutriri. Huiusmodi igitur leges in populari principatu ferendæ sunt. In oligarchiis verò, quæ paucorum dominatu administrantur, magistratus æquè sunt in omnes illius ordinis viros distribuendi legibus. Horum autem plurimi quidem ex fortitione, maximi verò magistratus occulto suffragio, & iureiurando, & magna cum diligentia, atque studio decernendi sunt. In eos autem, qui vlla in ciues vti cõtumelia perrexerint, maximæ sunt pœnæ constituendæ. Plebs nanque nõ ira ægrè patitur quòd magistratibus caret, quàm grauius & molestè fert, quòd afficitur contumelia. Ciuium autem controuersias per breui dissoluere, neque in tempus trahere conuenit. Neque vultus in vrbem ex agro est congregandum. Nam ex huiusmodi conuentibus plebes turbantur, paucorumque principatus rescindunt. Vt paucis igitur dixerim, debent in popularibus principatibus leges cohibere plebem, ne locupletiorum bonis inhiant, insidianturque: in paucorum verò principatibus auertere illos, qui Rempublicam gerunt, & ab imbecillorum contumeliis, & à calumniis, insimulationibusque in ciues. Quæ igitur & in legibus, & in omni cõstitutione ciuili desideranda, obseruandaque sunt, ex his cognosces. Is autem orator, qui quicquam lege suadere voluerit, hanc ostendat oportet æqualem esse ciuibus, & reliquis legibus consentaneam, ciuitatisque conducibilem ad quietem, & concordiam maximè, vel ad ciuium probitatem, aut ad publica tributa, aut ad ipsius Reipublicæ gloriam, aut ad vrbes potentiam, aut ad aliud huiusmodi aliquid vsui cedere. Aduersarius verò primùm considerabit, an minùs lex illa communis sit omnibus, deinde an reliquis legibus non consentiat, sed aduersetur potius quodam modo: præterea an ad horum, quæ antè dicta sunt, conductura sit nihil, sed contra nocitura potius. De legibus igitur, deque constitutione ciuili ex his & contendendo, & orando nobis facilius aditus fiet. De sociis autem, deque aduersus alias vrbes fœderibus dicere incipiemus. Fœdera igitur, atque eorum ordines, necesse est publicis conuentibus fieri. Socii verò pro ea tem-

porum sunt conditione faciendi, cum aliqui suis viribus infirmi sunt, aut bellum aliquod videatur impendere, aut eò est cum aliquibus ineunda societas, quòd bello quosdam à se defecturos putent. Hæc igitur sunt causæ, hisque consimiles, quibus plures nobis adsciscimus socios. Necesse est autem, cum ineundam societatem persuadere volueris, eam maximè tempestiuam ostendas, declarèque, eos socios apprimè iustitiam colere, & bene antè Rempublicam accessisse, esseque potentissimos, & in proximo residere. Quòd si minùs hæc omnia potueris, quæ suberunt, oratione complectere. Cum autem societatem dissuaseras, primùm ostendas oportet, haud nunc eam facere opus esse, deinde quòd neque hi iusti sunt, postea verò quòd & malè nos prius affecerint. Sin id minùs poterimus, dicemus eos à nobis porro habitare, neque facultatem his esse, quòd nobis opportunè adsint auxilio. Ex his igitur, hisque similibus circa faciendas, aut non faciendas societates, & dissuadendi, suadendique vsum facile cognoscemus. Rursus autem & pacis, & belli faciendi maxima nobis argumenta capiantur. Causæ itaque bellandi aduersus aliquos, sunt huiusmodi. Par autem est de iis tempestiuè nunc vltionem capiamus, qui nos antè iniuria lacefferunt: vt nunc iniuria prouocati, pro nobis ipsis, aut pro cognatis, aut pro iis, qui benefici erga nos fuerint, aut quo auxilio simus iniuste affectis sociis, aut publica pro vtilitate, aut ad gloriam, aut ad opes, aut ad vires, aut ad aliud quippiam huiusmodi bellum suscipiamus. Cum igitur ad bellum voluerimus auditores exhortari, debemus ex his causis, quàm plurimas dicendo complecti, ac demum demonstrare eorum plurimas, quibus bellantes superiores fiant, ipsis auditoribus adesse. Superiores etenim omnes fiunt, aut Deorum beneuolentia, quam bonam Fortunam appellauerimus: aut corporum multitudine, atque robore, aut pecuniarum affluentia, atque Imperatoris prudentia, aut virtute sociorum, aut opportunitate locorum. Ex his igitur, & similibus, quæ maximè rei congruant, bellum sumi oportere exhortabimur, aduersariorum partes deprimendo, nostras autem augendo, atque amplificando. Quòd si futurum bellum impedire studuerimus, primùm eæ causæ inueniendæ sunt, quibus demonstratur aut omnino, aut nullam, aut paruas, humilisque molestias afferri, quibus ad bellum rapiamur. Deinde quòd bellum minime conducit, eritque percurrendum, quæ hominibus bello soleant accidere calamitates. Ad hoc item ostendendum, quæ victoriam solent in bellando efficere, ea hostibus magis adesse. Hæc autem sunt, quæ paulò antè commemorauimus. Futurum itaque bellum ex iis rebus dissuademus. Quòd si ab instanti bello quiescendum esse cohortabimur, si quidem consultores superiores fuerint, hoc ipsum primùm dicendum erit, decere eos, qui mente valent, haud opperiri quòd ad casum eant, sed cum vincunt, pacem faciendam iis esse. Deinde quoniam ea belli natura sit, & plerisque ex eis, qui secunda in eo fortuna primùm vsi sunt, ad postremum perdant: pacis verò contrà, vt & victos seruet, & victoribus rerum bello adeptarum fructum adferat. Exponendum etiam

etiam erit, eas, quæ in bello cum multæ, tum variæ mutationes fieri solent. Qui ergo superiores in bello fuerint, ex huiusmodi rationibus ad pacem exhortabimur: eos autem, quibus aduersæ in bello res extiterint, tum ex ipsis casibus exhortabimur: tum verò à quibus iniuriam antè susceperint, suis calamitatibus admoniti iritare eos ne pergant: tum ex iis periculis, quæ antea, quàm pacem noluisissent, perpessi fuerint, tum denique quòd fatius partem aliquam suarum fortunarum potioribus ipsis cedere, quàm bello periculose decernere, quo ipsi vnà cum sua re pereant. Summatim autem id sciamus oportet, tunc solere omnes homines bellum inuicem soluere, cum aut iusta hostes rogare arbitrentur, aut cum aduersus socios vlla fuerit exorta contentio, aut bello defatigati sint, aut aduersarios timuerint, aut ipsi inter sese dissideant. Quam ob rem quæ ex his omnibus, atque horum similibus commodatissima in rem fuerint colligens, quàm facillimè & de bello poteris, & de pace disserere. Reliquum est, vt de pecuniis comparandis iam sequamur. Primum igitur cõsiderandum erit, si quid ex vrbis possessionibus neglectum est, quod neque redditum afferat, neque diis immortalibus dedicatum sit: veluti sunt quidam publici loci iam neglecti, ex quibus aliquis prouentus, vbi ii priuatis hominibus aut venditi, aut mercede exculsi fuerint, ciuitati fiat. Huiusmodi nanque census omnium maximè communis est semper. Quòd si nihil sit huiusmodi, necesse erit pro singulorum copiis tributa inferantur: vt pauperibus quidem indictum sit, corpora, locupletibus autem pecunias, opificibus verò arma præsent aduersum pericula. Summatim autem oportet, eum, qui de huiusmodi prouentibus narret, dicere eos æquales ciuibus, & diuturnos, ac magnos esse: hostibus autem secus. Propositiones igitur, de quibus in genere deliberatio verba faciemus, & harum partes, de quibus orationem & suadendo, & dissuadendo constituemus, ex antè dictis cognoscemus. Rursus autem propositiones de laudatiua, vituperatiuaque specie, deinceps dicere aggrediemur.

De genere demonstratiuo.



Audatiua igitur species (vt compedio vtat) est & voluntatum, & rerum gestarum, & verborum illustrium amplificatio, & eorum, quæ absint, accommodatio: vituperatiua autem contrà, illustrium horum extenuatio, obscurorum verò exaggeratio. Et digna quidem laude ea sunt, quæ iusta, quæ legitima, quæ vtilia, quæ honesta, quæ iucunda, quæ facilia factu sunt: quæ quidem omnia cuiusmodi sint, & quo pacto iis abundè vtamur, in superioribus dictum est. Oportet autem eum, qui laudat, oratione ostendat in hoc seu homine, seu in rebus huius aliquid inesse, quod aut ipse gesserit, aut per ipsum manarit, aut ex hoc contigerit, aut huiusmodi gratia factum fuerit, aut quòd sine hoc patratum non sit. Eodem verò modo & vituperator ostendat oportet, horum contraria inesse in illo, quem vituperatum velit. Quod ex hoc contigerit, hoc modo: Ex studiosa corporis exercitatione victoriæ contingunt, & ex otio in ægrotationem inciditur. Item,

ex philosophiæ studio homines circa prudentiam sunt acriores, & ex negligentia sunt rerum necessariarum indigentes. Quod huiusmodi gratia factum fuerit, hoc modo: Vt à ciuibus coronentur, permultos labores, permultaq; pericula mortales perferunt: & vt iis, quos diligunt, gratificentur, aliud curant nihil. Quod autem sine hoc patratum non sit, hoc modo: Neque sine nautis naualium pugnarum victoriæ, neque sine potu ebrietates fiunt. Hæc autem, atque iis similia, pèrinde vt superiora percurrrens, & laudare, & vituperare abundè poteris. Amplificationes verò, extenuationesque, ac talia simul quoque hoc modo tractabis. Primum quidem ostendes (veluti modò docebamus) ab hoc multa vel bona effecta esse. Vnus igitur amplificandi modus hic est. Secundus autem modus est, cum iudicatum aliquid transfers, si quid laudes, bonum: sin autem vituperes, malum: deinde conferas oportet quod abs te dictum sit, & adiuicem compares, ex tuis maxima, ex aduersarii verò dictis minima enarrando, & hoc modo magnum illud iudicatum ostendas. Tertius modus est, vt ad illud, quod abs te dictum est, minimum quid ex iis, quæ sub eadem speciem cadunt, compares. Sic enim quod abs te dicitur, maius apparebit: veluti mediocri statura homines maiores apparent, cum ad minores comparantur. Amplificare autem poteris hoc modo: Si magnum sit hoc bonum iudicatum, magnum appareat malum necesse est, vbi cõtrarium huic aliquid narraueris. Eodem verò modo si magnum malum existimatur, vbi huic contrarium dixeris, magnum bonum apparebit. Amplificabis autem & hoc pacto vel bona, vel mala, si eum gradatim ostenderit, quòd præmeditatus iam diu fuerit, quòd de industria multa gerere aggressus sit, quòd permultum tempus gesserit, quibus cum nemo alius, quòd post hos, post quos alius nemo, quòd sponte, quòd ex sententia: quòd si omnes pariter, atq; hic, fecerimus, profectò bene, beatèque, aut contrà malè miserèq; vixerimus. Oportet autem & consequenti continuatione vt i, & rem alteram, tanquam in alteram properando, amplificare, hoc modo: Cuius verò amici curæ sunt, hunc rectè consentaneum est, suos etiam colere parentes: qui autem suos parentes colit, hic profectò volet etiam patriæ benefacere. Summatim autem si multarum, siue bonarum, siue malarum rerum eum causam ostenderit, eæ magnæ videantur necesse est. Considerandum est etiam, qualis res ipsa videbitur, eam suis partibus diuidendo, singulatimque narrando, quæque maior visâ fuerit, eam hoc modo explicare conueniet. Amplificando igitur, vbi hoc pacto tractaueris, & plurimas facies, & maximas. Extenuabis autem in dicendo & bona & mala, si contrario modo tractaueris, sicuti in magnis dixeramus, & tum maximè, cum nullius eum rei authorem demonstraris: vel si id minùs, quòd minimarum, & paruisimarum. Quomodo igitur & laudando, & vituperando amplificabimus, atque extenuabimus quæcunque voluerimus, scire ex iis poterimus. Amplificationum autem causæ in aliis quoque speciebus vtilis sunt: sed plurima ipsarum vis in laudationibus, vituperationibusque consistit, de quibus quidem ex antè dictis planè adiumenta nobis suppeditabimus.

De genere iudiciali.



Rursum autem simili modo accusandi, defendendique speciem, quæ circa iudicalem versatur causam, quibusque rebus conitat, & quomodo iis vti cõueniat, diuidamus. Accusatio quidem, est (vt breuiter dixerim) iniuriarum, delictorumque expositio. Defensio autem, est delictorum, & iniuriarum, quæ vel in accusatione, vel in suspicionem venerint, dissolutio. Cum vtraque verò species hanc vim habeat, accusatori quidem dicendum est, quandoquidem improbitatis aduersarios criminetur, eorù facinora & iniusta, & iniqua esse, ac ciuiù multitudini perniciofa: cum verò stultitiæ criminetur, quòd & ipsi agenti inutilia ea sunt, & turpia, & iniucunda, & quæ perfici nullo pacto queant. Hæ, & iis similes, aduersus improbos, vanosq; argumentationes sunt. Est præterea & hoc accusatori obseruandum, aduersus cuiusmodi crimina supplicia sunt à legibus constituta, & circa quæ ipsi iudices multas definiunt. Cum lex itaque pœnam definerit, hoc est duntaxat accusatori considerandum, vt demonstrat facinus patratum esse. Cum iudices autem crimen admissum sciunt, crimina illa quæque, aduersariorumque delicta augeri conuenit, ac maximè quidem demonstrari sponte illum & de industria, non forte quadam, sed dedita vehementer opera, iniuriam intulisse. Quòd si minùs hoc fieri abs te potuerit, putâsq; potius ab aduersario demonstratû iri, se modò deliquisse, aut quòd hæc agere probè meditato sibi, minùs prosperè successerit, debes veniæ apud auditores aditum intercludere, inquit nequaquam aduersarios decere, vt post gestum negotium se imprudenter errauisse dicant, sed antè potius vereri, quàm gerant. Deinde, quòd quâuis ille imprudenter gesserit, aut ei aduersè successerit, oportet ipsum tã ob causas, atque imprudentiam longè multari magis, quàm qui horum neutrum perpetrasset. Præterea, quòd etiam legûlator eos, qui imprudenter deliquissent, non pœnæ immunes, sed iudicio obnoxios fecit, ne omnibus errando noceant. Dicendum est etiam, quòd si talia respondentem admiserint, nonnullos sunt habituri ad iniuriam, quàm promptissimos. Nacti nanque occasionem, quæcunque voluerint efficient. Si verò aberrauerint, rem in fortunam reicientes, supplicio se liberabunt. Accusatores igitur ex huiusmodi rebus veniæ locus auferendus est, sicuti antea dictum est. Multorum malorum causæ aduersariorum facinora per exaggerationes demonstranda sunt. Species igitur accusandi perficitur ex his partibus. Defendendi autem species tribus præceptis cõstat. Aut enim defensori ostendendum est, se nihil eorum, quorù accusatur, patrauisse. Aut si cogatur fateri, enitendum est, vt gestum à se negotium & legitimum, & iustum, & honestum, & publicæ vtilitati vsui esse ostendat. Si hoc autem ostendere nequiverit, aut in imprudentiâ, aut in fortunam gesta negotia cõferens, & iacturas ab his profectas, quàm minimas ostendens, vt sibi ignoscatur operam dabit.

Iniuriam autem, & imprudentiam, & casum ita definias, quod ex meditatione mali fit quippiam, id iniuriam ponere, inquit oportere pœnas maximas in huiusmodi rebus capere. Quòd verò per ignorantiâ detrimeti quid agitur imprudentiâ esse dicendû est. Quod autè non sponte, sed aliena potius vi, aut fortuna quadâ nihil eorum, quæ rectis consiliis administrata sunt, perficit, casum esse ponendum est. Dicitòq; iniuriam inferre, malorum esse hominum proprium: imprudenter verò delinquere, & circa rem gerendam aduersam fortunam pati, non esse sibi priuatim modò, sed cõmune & ipsorum iudiciû, & aliorum quorunq; hominum. Coactus autem ex huiusmodi causis quid fateri, vt tibi ignoscatur precabere, & vt per imprudentiâ, casumq; delinquere tibi cû auditoribus ipsis cõmune esse ostendas, studebis. Oportet autem defensorè vndique intueri, quibus in criminibus leges supplicia iusserit. Iudices verò ipsi pecuniis puniunt. Et cum lex supplicia iusserit, demonstrandû erit aut omnino nihil patrauisse, aut legitime, iustèq; fecisse. Cum iudices verò constituti fuerint punitionis æstimatores, rursus eodem modo laudandû est, quòd hæc non egerit, sed elaborandum est potius vt ostendat, se paruo detrimento aduersarium affecisse, & inuitum deliquisse. Ex his igitur, atque similibus, accusando, defendendoque verba suppeditabimus: reliquum est, vt iam quæstionis speciem pertractemus.

De quæstione.



igitur summatim dixerim, quæstio est voluntatum, vel rerù, verborumve ad inuicem, aut ad aliâ dissentientem vitam demonstratio. Oportet autem quærentem quærere, sicubi aut verbum eius, quæ quæret, aut actiones, aut voluntates inter se discrepant. Præceptum verò hoc sit: Considerandum erit in præterito tempore, si cui quis antea amicus cum esset, rursus inimicus, & iterû huic ipsi amicus effectus fuerit, aut aliud quid cõtrarium, aut quod perulentiam, & flagitium ferat, gesserit, gesturûve sit, si quando ipsi detur occasio, quod antè actis rebus eius contrarium sit. Identidem quoque intueri, si quid dicendo cõtrarium nunc iis dicit, quæ prius ab eo dicta fuerint, aut si quid iis, quæ dicuntur, aut quæ antea dicta sunt, contrarium dixerit. Eodemq; modo si quid dicere voluit iis contrarium, quæ ab ipso antè dicta sunt, aut velit opportunitate oblata. Identidem verò assumendæ sunt etiam ad alia præclara studia eius, qui quærit, vitæ contrarietates. Quærendi ergo speciem si hoc pacto tractaris, nullum relinques quæstionis modum. Harum autem omnium specierum, quas superius partiti sumus, oportet etiam diuisum qualibet pro commodo vt i, & vnâ ipsarum proprietates commiscere: hæc nanq; differentias habent maximas. Enimuero communis earum est ad inuicem vsus, & idem quod & hominum species partitur. Hi nanque partim similes sunt, partim verò dissimiles tum aspectibus, tum etiam sensibus. Sic autem determinatis speciebus, rursus

quibus indigent, communiter enumerabimus, & quomodo his uti conueniat, quæremus.

Quæ communia sunt omnibus generibus.

Rimùm igitur & iustum, & legitimū, & vtile, & honestum, & iucundū, reliquaque deinceps, quemadmodum ab initio sum partitus, speciebus omnibus sunt communia: veruntamen in suadendo maximè his utimur. Secundo autem loco amplificationes, extenuationesq; præ cæteris omnibus vtilis sunt: harum verò vsus in laudem, ac vituperationem maximè cadunt. Demum autè probationes sunt, quibus etsi circa omnes causarum partes vtendū est, in accusationibus tamen, defensionibusq; quàm vtilissimæ sunt: his namq; plurimæ cõtrouersia indigent. Sunt præterea & præoccupationes, & postulata, & iterationes, & oratiõis prolixitas, & prolixitatis modus, & breuitas, & interpretatio: hæc enim, & his similia, speciebus omnibus sunt communia. Quoniam igitur de iustis, & legitimis, ac de his similibus prius determinauimus, & eorum vsum enarrauimus, & de amplificationibus quoque, extenuationibusq; diximus, iam de aliis declarabimus.

De probationibus.

Vt igitur à probationibus primùm incipiamus, duo sunt earū genera. Fiunt enim aliæ quidem ex ipsis verbis, & negotiis, & hominibus, aliæ verò appositæ sunt iis quæq; dicuntur, & quæ geruntur. Nam icota, & exempla, & coniecturæ, & cõmentationes, & sententiæ, & signa, & argumenta, & probationes ex ipsis verbis, & hominibus, & negotiis sunt: appositæ autem probationes, testes, iuramenta, & quæstiones existunt. Opus est autem, harum vnamquaq; probationū intelligere qualis sit, & vnde idonea in eam verba abudè nobis suppetent, & quid demum ex inuicem differunt. Icos igitur, quod probabilè propositionem dicimus, illud est, quod cum dixeris auditoribus, in mentibus eius exempla tenent. Dico autem, veluti si quis inquirat velle patriam magnam esse, & necessarios rebus secundis uti, aduersis autem inimicos: atq; his similia summam probabilia videantur. Quilibet enim auditorum, qui huiusmodi desiderii teneatur, ipse sibi de hisce, deque similibus rebus conscius est. Quam ob rē hoc nobis in dicendo semper suadendum est, si rei, de qua loquimur, conscios auditores perceperimus. Hisce enim rebus par est credere eos maximè. Vis ergo probabilis est huiusmodi: ipsum verò in tres distribuemus species. Vna quidem est, quæ eas perturbationes accusando, aut defendendo verbis comprehendit, quibus homines natura afficiuntur: veluti si quæ aliqui floccipenderint, aut timuerint, aut eandem rem sapiensimè fecerint, aut iterū voluptate, vel dolore, vel libidine affecti fuerint, aut cupiditate vacarint, aut diuitiis abundarint, aut aliā huiusmodi perturbationem, siue animis, siue corporibus, siue aliquo illorum sensuum, quibus homines afficiuntur, passi fuerint. Hæc namque, & his similia, quæ cõmunes sunt humani ingenii per-

turbationes, auditoribus nota sunt. Quæ igitur secundū naturam hominibus fieri consueuere, quæque dicendo cõprehendenda dicimus, sunt huiusmodi. Altera verò probabilis pars est mos, quem pro consuetudine singuli facimus. Tertia verò species, lucrum est. Nam sæpe lucranda gratia naturæ vim adferentes, consultò mores inducimus. His autem ita determinatis, in suadendo quidem, ac dissuadendo demonstrare pro quæsitis oportet, ut hoc negotium, ad quod ipsi exhortamur, vel cui aduersamur, ita sit, sicuti à nobis dicitur, velut ea, quæ huic negotio similia sunt, hoc modo fiant, quo nos dicimus, aut plurima, aut omnia. Cõtra res igitur, hoc pacto probabile est capiendū: contra homines verò, in accusationibus quidem, si potueris, demonstrabis aduersarium hoc idem negotium sæpe antea patrauisse. Sin id minùs poteris, huic similia demonstrato. Ostendere autem elabora, quòd hæc facere cõducibile ei fuerat, hominū autem plurimi, quoniam ipsi vtile omnibus rebus anteponunt, itidem etiam alios omnia gerere huiusmodi genera facillè putat. Si quidem igitur ab ipsis aduersariis probabile capere potueris, ita illud inducito: sin id minùs quieris, à similibus tibi, quæ homines consueuere, inferenda sunt. Dico autem, ut huiusmodi iuuenis est, quem accusas, quæ ii, qui id ætatis sunt, agunt, hæc ipsum fecisse dicito. Nā pro similitudine etiam quæ aduersus hunc dicitur, facillimè credentur. Eodemq; modo si eius socios tales ostenderis, qualem hunc esse dicis. Etenim ob eam, quæ huic cum illis consuetudo est, videbitur iisdem rebus indulgere, quibus amici solent. Itaq; probabile accusatoribus hoc pacto tractandum est. Defensores autem maximè ostendant oportet, ut minimè profus omnium quicquam antea earum rerum, quarū insimulantur, neq; ipsi, neq; amicorū aliquis, neq; ipsorū similis vnquam egerit, utq; nihil in iis vtilitatis consequi potuisset. Quòd si liquidum sit, hoc idem te antea patrauisse, causam in ætatem reiciēs, & aliquam huiusmodi aliam afferes causam, qua tunc non absurdè erraueris. Dic autem nec ea tempestate, dum hæc gesseras, conduxisse tibi, nec etiam nunc conducere potuisset. Si autē nihil huiusmodi abs te patratum sit, sed ex tuis amicis aliqui talia quædam fecerint, dicendum est, haudquaquam iustum esse, te ab illis calūnia afficit. Eritque demonstrandum, eorum socios, qui tibi consuetudine iuncti sint, & moderatos, & honestos esse. Sic enim insimulationem ambigam reddes. Quòd si similitum aliquos demonstrarint eadem patrauisse, absurdum esse inquires, si propterea quòd alii quidam deliquisse appareant, creditum eant, te eorum aliquid, quibus in iudicium arcesseris, fecisse. Si quidem igitur inficiatus fueris, haud ea fecisse, quorū accusaris, sic te per probabilia respondere oportet. Itanāq; accusationis verisimilitudinem infirmabis. Si verò fateri compellaris, ex multorū consuetudine similitudinem negotiis tuis vindicam, quàm maximè, inquires, ut plurimi, vel potius omnes, & hoc, & similia agant, sicuti etiam abs te factitatum sit. Quòd si hoc demonstrari nequeat,

queat, confugiendum est ad casum, & ad imprudentiam, & ut tibi ignoscatur enitendū, omnēque hominū perturbationes, quibus ratione deficiunt, complectēdæ. Hæc autem sunt, amor, ira, vinolentia, ambitio, & iis similia. Itaque iis præceptis probabile pulcherrimè tractabimus.

De exemplis.

Exempla autem, sunt res his, quæ factæ sunt similes, & his, de quibus nunc loquimur, contrariæ. Is verò vtendū est, cum quod ipse affirmas, vbi minùs verisimile sit, id te perspicuum facturum dicas. Nam si minùs fidei per probabile præstetur, vbi didicerint rem aliam ei similem, de qua loqueris, ita habuisse, ut à te dicitur, magis crediderint verbis tuis. Sunt autem exemplorum duo genera. Res namque partim ratione, partim præter rationem fiunt. Quæ verò ratione fiunt, facillè creduntur: quæ autem præter rationem, non creduntur. Dico autem, sicuti si quis ait, diuites esse pauperibus iustiores: adducitque iustas aliquas virorum diuitum actiones, huiusmodi exempla secundum rationem videntur esse. Plurimi enim putat, diuites pauperibus iustiores. Quòd si quis rursus enuntiet diuitum quosdam ob pecunias iniuriam intulisse, eo vsus exemplo, quòd præter rationem sit, planè efficiat, quòd locupletibus fidei minus adhibeatur. Identidem etiam si quis earum rerum exemplum afferat, quæ rationi similes sunt. Quoniā Lacedæmonii quædoque, aut Athenienses, freti essent magna sociorum manu, hostes expugnauere. Et sic auditoribus suadet, socios multos esse faciendos. Huiusmodi ergo exempla secundum rationem sunt. Omnes enim existimant, in bellis multitudinem non parum momenti ad victoriam ferre. Si quis autem ostendere voluerit, non hanc esse viuendi causam, earum rerum vtatur exemplis, quæ præter rationem factæ fuerint, inquires, Vt Athenarū exules, cum quinquaginta primùm viri duntaxat & tribu assumpta, etiam aduersus eos, qui admodum plures in vrbe fuerant, quæquam Lacedæmonii sociis vtentur, bello in urbem redire. Thebani autem Lacedæmonii, atque omnibus propè Peloponnesiis in Bœotiam impetum facientibus, hi soli ad Leuctra commisso prælio Lacedæmoniorum vires perfregere. Dion verò Syracusanus cum militibus tribus millibus Syracusas nauigans, Dionysium longè maiore vi fretum debellauit. Itidem autem & Corinthii cum in Syracusanorum auxilium nouem triremibus issent, Carthaginenses, qui centum & quinquaginta nauibus in Syracusanorum portus applicuissent, atque urbem omnem præter arcem haberent, nihilò tamen minùs expugnauere. Summatim verò hæc, atque iis similia, quæ præter rationem sint gesta, ea in consultationes improbare consueuere, quæ pro ratione fiunt. Exemplorum igitur natura est huiusmodi. Iis verò vtroq; modo vtendum est. Nam cum res, quæ ratione fiunt, dixerimus, ostendemus ut plurimū hoc pacto negotia perfici. Cum autem quæ præter rationem fiunt loquimur, af-

feremus quæcunque temeritate videntur facta, rectissimo fine conclusa. Cum aduersa autè hæc dixerint, oportet ostendere hæc perinde, ac fortunato casu aliquo accidisse: eritque dicendum, eiusmodi res quàm rarissimè cõtingisse: quæ verò à te narrarentur, quàm sapiensimè. Exēplis igitur ita uti conuenit. Enimvero cum ea, quæ nulla ratione sunt facta, in medium attulerimus, opus est, eorum quàm plurima complectamur, dicamusque nihil ea magis, quàm hæc, fieri cõsueuuisse. Exemplis verò non ex iis solū, verum etiam ex contrariis est vtendum: sicuti si ostenderit, auarè quosdam vsos sociis, & propterea ipsorum solutam amicitiam, & asseras. Nos verò si æqualiter, ac pro commodis erga ipsos rē gesserimus, societatem multum temporis conferuabimus. Et iterum, si quos alios, quoniam imparati descendissent in bellum, deuictos, superatosque ostendas, ita dixeris, si instructi bellum aggredi voluerimus, meliores certè spes de victoria habuerimus. Multa verò assumes exemplatum ex præteritis, tum etiam ex instantibus negotiis. Plurimæ namque res partim similes, partim dissimiles inuicem sunt. Quam ob rem id causæ exēplis abundabimus, & quæ ab aliis dicuntur, haud difficilè refellemus. Exemplorum ergo genera, & quomodo iis uti oporteat, & vnde de multa capienda sunt, ex antè dictis cognoscere possumus.

De coniecturis.

Coniecturæ autem sunt, quæcunque hisce rebus, de quibus omnis habetur dictio, repugnant, & quibus ipsa sibi oratio aduersatur. Auditorum enim plurimi iis contrarietatibus, quæ dicendo, agendove cõtingunt, coniectant sani inesse nihil neque in dictis, neque in factis quidem. Multas autem capies coniecturas, intuens siue ipsa sibi aduersarii cõtradicit oratio, siue res ipsa est dictioni cõtraria. Coniecturæ igitur huiusmodi sunt, & ita uti vbertim poteris.

De commentationibus.

Comentationes verò sunt non ex modo, quod orationi, atq; negotio aduersantur, sed & aliis rebus omnibus. Assumes autem multas, easque tractabis quemadmodum in quærendi specie dictum est. Cõsiderabis etiam sicubi ipsa sibi dissentit oratio, aut si gesta negotia iustis, aut legi, aut vtili, aut honesto, aut possibili, aut facili, aut probabili, aut mori dicentis, aut rerum cõsuetudini aduersatur. Huiusmodi igitur commentationes sunt cõtra aduersarios assumendæ: his verò contrariæ pro nobis dicendæ sunt: quippe qui ostendamus & negotia, & verba nostra iniustis, & exlegibus, & inutilibus, & improborum hominum moribus, & summatim iis, qui nequam censentur, maximè aduersari. Oportet autem harū singulas breuiter, & nominibus quàm paucissimis eloqui. Commentationibus igitur hoc modo copiosissimè uti, optimèque poterimus.

Sententia verò (vt summatim dicam) est aduersus res omnes opinionis propria declaratio. Sententiarum autem duo genera sunt. Alterum quidem credible, alterum verò incredibile. Cum ergo credible dixeris, nullæ sunt reddendæ causæ. Nam neque quod dicitur ignoratur, neque non creditur quidem. Cum verò incredibile dixeris, causæ paucis sunt dicendæ, vt & dicacitatem, & incredibilitatem effugias. Sententiæ autem ex semper afferendæ sunt, quæ sint rebus presentibus quàm consentaneæ: ne quod dicitur, incōcinnum, violentumve appareat. Eas autem multas faciemus, aut ex propria natura, aut ex superlacione, aut ex similitudine. Sententiæ autem ex propria natura huiusmodi sunt: Nemo, mea sententia, rerum imperitus grauis Imperator esse potest. Altera autem talis est: Prudentium virorum certè est, ex rerum præteritarum exemplis operam dare, vt inconsulta effugiant errata. Ex propria igitur natura huiusmodi sententias faciemus. Ex superlacione verò tales: Acerbiora mihi videntur fures, quàm latrones, admittere. Nam illi clanculum, hi verò palam pecunias eripiunt. Sententias igitur ex superlacione hoc modo multas faciemus. Ex similitudine autem sunt huiusmodi: Qui pecunias auferunt, idem facient, mea sententia, quod hi solent, qui vrbes produunt. Vtrique enim crediti iniuria credentes afficiunt. Alia verò huiusmodi est: Videntur mihi aduersarii tyrannos plane imitari. Nam etiam illi quarum ipsi iniurias aliis faciunt, pœnas dare indignum putant: quæ autem aliis crimini dant, vehementissimè horum causa illos cruciant: & hi siquidem ipsi aliquid mihi debent, haud reddunt: si quid verò iis ego debeo, & id, & fœnora restitui sibi decere arbitrantur. Sententiis igitur ita tractando affatim abundabimus.

De Signo.

Signum verò est alterius aliud, non quoduis cuiusuis, neque omnis omne, sed quod aut antè fuerit, aut in ipso negotio, aut post fieri consueuerit. Est autem signum, & factum, non facti solùm, sed & non facti. Identidem verò & non factum non solùm non facti, verùm & facti. Signa verò efficiunt alia quidem opinionem, alia verò scientiam. Id autem pulcherrimum est quod scientiam efficit, secundo autem loco quod opinionem maximè verisimilem operatur. Signorum autem copia nobis ybertim erit (vt summatim dicam) ex eorum singulis, quæ dicuntur, quæ geruntur, quæ videntur, pro vnoquoque; assumendo, tum ex magnitudine, tum ex paruitate eorum, quæ nobis mala, bonave contingunt, item ex testimoniis, ex testificatis, ex nostris, ex aduersariorum fauoribus, ex ipsis illis, ex prouocationibus, ex temporibus, ex aliis multis. Hinc igitur signorum multitudine abundabimus.

Argumentum autem est (sic enim elenchon interpretatur) quod aliter habere non potest, atque ipsi dicimus. Assumitur autem ex naturâ necessariis, vt nos dicimus, aut aduersariis: & ex iis quæ natura fieri aut possunt, aut non possunt, sicuti aduersarii dicunt. Natura igitur necessariū est, sicuti viuos cibus indigere, & iis similia. Vt verò nos dicimus, necessarium est affectos verberibus ea confiteri, quæ credentes iusserint. Natura autem fieri non potest puellum argenti tantum furto subripuisse, quantum ferre nequeat, & id ferentem abiisse. Vt autem aduersarius dicat, fieri non poterit, si quidem dixerit quibus temporibus Athenis debiti tabellas nos fecisse: ipsi autem possumus auditoribus demonstrare, vt ea tempestate ad aliam quandam urbem aberamus. Argumenta igitur ex iis, atque similibus faciemus. Prorsus verò & ex ipsa conditione, & ex negotiis, & ex aliis probationes omnes transigimus. Consideremus etiam quid item inuicem ex differunt.

De probabili, & differentiis.

Probabile igitur ab exemplo hoc differt, quod probabilis ipsi auditores notationem habent, exempla verò ex contrariis, & ex similibus fieri possunt. Coniecturæ autem solùm ex dictionibus, actionibusque; contrariis constant. Verùm commentatio à coniectura hanc habet differentiam, quod coniectura quidem circa dictionem, actionemque; contrarietas quædam est, cōmentatio verò & circa reliquas species contrarietates excipit: aut quod & coniecturam non est in nobis assumere, nisi circa res, & verba, repugnantia quædam fuerit: commentatio verò è multis locis trahi dicendo potest. Sententiæ autem à commentationibus differunt, quod ex solùm ex contrariis constant: sententias verò & cū repugnantibus, & simpliciter ipsas secundum sese ostendere possumus. Signa autem à sententiis, & ab omnibus antè dictis hanc habent differentiam, quod reliqua quidem omnia opinionem faciunt apud auditores: signorum autem quædam, vt etiam perspicue hi cognoscant, efficiunt. Item quod ex reliquis nequaquam contigerit, vt ipsi plurima suppeditare possimus. Signa verò plurima facile queunt fieri. Item & argumentum à signo hanc habet differentiam, quod signorum quidem aliqua opinionem duntaxat faciunt apud auditores, argumentum autem omnem veritatem iudices edocet. Verborum igitur, rerumque; probationes eiusmodi sunt: & vnde his abundemus, quidque; inter se differunt, possumus ex antè dictis cognoscere: quæ autem opponuntur eis, singillatim percurramus. Opinio ergo dicentis est, suam aduersus negotia declarare sententiam. Opus autem est, earum se rerum, de quibus orationem habuerit, peritum esse ostendat, demonstratque; sibi conducere non mediocriter vt veritatem de his loquatur: aduersarium verò demonstrat nullam prorsus, de quibus contra enuntiat, tenere peritiam, opinionemque; identidem ostendat. Sin hoc fieri nequi

nequirit, dicendum erit, solere etiam rerum peritos errare nonnunquam. Si hoc autem dici nequeat, dicetur perniciosum aduersariis esse de hisce rebus veritatem loqui. Itaque; hoc modo dicentis opinionibus utemur & nostra asserendo: & aduersariis contradicendo.

De testimonio, & testibus.

Testimonium verò, est rei cognitæ voluntaria confessio. Necessè autem est aut verisimile testificatum esse, aut non verisimile, aut ad credendum ambiguum. Eodem quoque modo testem aut probabilem, aut improbabilem, aut ambiguum esse. Cum ergo testificatum verisimile fuerit, & testis verax, testimonia epilogis minimè indigent, ni fortasse decoris gratia, vel sententia, vel commentatione vt paucis volueris. Cum testis autem suspectus fuerit, demonstrandum erit vt neque; gratia, neque; cruciatu, neque; lucro aliquo hic mendacii quicquam testificaretur. Docendum est etiã, neque; conducere quidem mendosum testimonium. Nam & utilitates paruas esse, & argui difficillimum, præsertim cum depræhensum non solùm argento, verùm & gloriæ, & perfidiæ pœna leges plectendum volunt. De testium igitur fide ita loquemur. Ii autem, qui testimonio contradicunt, oportet testis moribus detrahant, si improbus fuerit, aut testificatum quaerendum esse dicant, si minus probabilitatis habuerit, aut horum vtrique; contradicant, & in vnum omnia aduersariorum vitia, flagitiãque; congerant. Considerandum est etiam, an testis ei, cui testimonium dicit, amicus est, aut si secum negotii alicunde est particeps, aut si ei, quem contra testificatur, inimicus est, aut pauper. Hi etenim alii gratia, alii cruciatu, alii lucro mendacii suspicioni obnoxii testificando existunt, & falsorum testium legem de his legumlatorem tulisse inquamus. Proinde absurdum esse dicemus, quibus legumlator non crediderit, iudices, qui secundum leges iudicare iurati sunt, testibus ipsis credant. Hoc igitur modo testium fidem infirmabimus. Poterimus autè & testimonium imprudentibus aduersariis nostris subducere, hoc pacto: Dic mihi, ô Callicle, testimonium. Per Deos immortales nullo modo sum dicturus: nam me prohibente hæc gesta ab hoc sunt. Et ob id in ferenda sententia falsus testis falsi testimonii pœnæ non erit obnoxius. Cum igitur testimonium subducere nobis conduxerit, sic eo utemur. Quod si aduersarii tale quid fecerint, demonstrabimus eorum versutiã, & scriptis testimoniũ dicere iubebimus. Quomodo igitur & testibus, & testimoniis vti conueniat, ex his sciemus.

De questione.

Questio verò, est inuita conscii hominis confessio. Cum nobis igitur utile fuerit eam vehementer efficere, dicendum erit vt priuatim quidem homines de valde necessariis, ciuitates autè de maximis rebus ex quæstionibus probationes capiunt, quodque certior testibus est quæstio. Nam

testibus mentiri conducit sæpe: quibus autem quæstiones admotæ sint, veritatem loqui plurimum utilitatis affert: sic enim cruciatu celerrimè liberantur. Cum verò quæstiones improbare volueris, primùm quidem dicendum erit, vt quæstionibus cruciati, iis, à quibus traditi sunt, hostes fiunt, & propterea non nihil in heros mentiantur: deinde quod quærentibus plerumque; non vera cōfitentur, quod maturius doloribus sese eximant. Erit etiam demonstrandum, nonnullos liberos homines, quod celerius supplicium effugerent, aduersum semetipfos tormentis affectos ementitos. Quam ob rem magis consentaneum esse, seruos aduersus dominos, quod suum effugiant cruciatum, ementiri, quàm multos dolores, & corporibus, & animis tolerare, quod cæteri nihil mali patiantur, vbi mentiri ipsi voluerint. Quæstiones igitur ex his, atque horum similibus probabiles, & improbabiles constituemus.

De iureiurando.

Iureiurandum est, cū diuina veneratione dictio probationis expers. Cum igitur augere ipsum voluerimus, ita dicendum erit: Nemo certè peierare vellet, cum diuini supplicii metu, tum decoris apud homines. Eritque subdendum, latere homines posse, deos autem non posse. Cum aduersarii verò ad iusiurandum confugerint, si extenuare id voluerimus, demonstrandum erit, eorundem esse hominum vt malè agant, & peierare non curent. Nam qui facinorosus deos latere putat, hic neque peierans supplicium se ire sortitum putat. Et iusiurandum quidem eodem modo, quo etiã reliqua antè dicta tractauimus, planè dicendo nobis suppeteret. Summatim autem omnes probationes, quemadmodum proposuimus, iam percurramus, dedimusque non eam vim solùm, quæ earum quælibet haberet, verùm etiam quid inter se differunt, & quo pacto his vti conueniat, ostendimus. Nunc autem edocebimus de reliquis partibus, quæ & trium specierum sunt, & in omnem orationem plurimum decoris, & utilitatis adferunt.

De præoccupatione.

Præoccupatio igitur est, qua & auditorum existimationes, & eorum, qui contradicunt, verba præuenientes, obuias difficultates remouebimus. Auditorum autem existimationes hoc sunt modo præoccupandæ. Admirantur autè aliqui fortasse vestrum, quod ipse iuuenis ita de rebus magnis verba facere aggressus fuerim. Et rursus: Nemo sese mihi difficilè obuiam offerat, quod de his sim vobis rebus consultaturus, de quibus alii quidã audacter apud vos eloqui cunctantur. Quæ igitur molestè auditores latari sunt, sic præoccupando. Causas veras oportet, quibus rectè facere consultando videare: vt pote qui demonstrat oratorum inopiam, periculorum magnitudinem, aut publicam utilitatem, aut aliam huiusmodi causam, qua auditorum indignationem soluturus sis. Quod si nihilò minus audi-

tores turbentur, breuiter dicendum est, vel tanquam in sententiæ velut in commentationis figura, quarum omnium absurdissimū venire quidem, tanquam ea hisce de rebus cōsulturos, quæ optima sint. Nunc autem quandoquidem volūt eos audire, qui sententiam dicunt, arbitrari pulchrè consulere posse. Et rursus honestum est, aut ipsos assurgentes sententiam dicere, aut dicentes audire quæcunq; ex suffragiis facere ipsi censuerint. Deliberatio igitur in genere sic est & præoccupationibus vtendū, & tumultibus occurrēdum. In iudiciali autē præoccupationibus vtetur: quemadmodum etiā in prædictis. Occurremus autem tumultibus, si quidē in orationum principiis fiant, hoc modo: Nōne igitur absurdum est, legūlatorem quidem iussisse duas orationes aduersariorum cuique reddendas, vos autem iudices ex lege iudicare iureiurando adstringi, deinde ne vnam quidem orationem audire velle, & eam quidem orationem, quæ tantā consilii vim habet, vt in ea audienda rectissimè sitis sententiam laturi: vos autē in his adeo negligentes esse, vt eam neque ipsa dictionum initia pertuleritis, iam omnia accuratissimè didicisse existimetis? Et alio modo, qui non absurdus est, Legūlatorem quidem in pari sententiarum numero imperare reo victoriā dari: vos autem vsque adeo contrā de iis sentire, vt neque insimulationi reos respondentes audiatis: & illud quidem ob maius reorum periculum hanc ipsis prærogatiuam, atque priuilegium in ferendis sententiis impartiri, vos autem cōtrā iis, qui villo sine periculo accusatum veniunt, neq; contentiosos, neq; pertinaces esse: eos verò, qui cū metu, periculoque criminibus respondent, clamoribus corripere, atque perterere? Si quidem igitur in orationum initiis turbæ fiant, hoc pacto erit iis occurrēdū. Quod si quid in dictionis progressu dicentem turbauerit, si quidē pauci quidam id agant, erunt hi corripendi, dicendūq; ipsorū profectō esse iustitiæ, vt sese nunc ad audiendum præstent, ne aliis rectè iudicandi impedimento sint: cū verò audierint, vt tunc quicquid liberit faciant. Sin multitudo omnis tumultuetur, nō ipsos iudices, sed ipsum te corripias oportet. Nam si illis molestus fueris, iram in te contrahas. Si te verò accusaris, ac dixeris deliquisse, vt veniam consequare facilè præstabis. Opus est etiam iudices deprecemur, vt nos dicentes benignè audiāt, & quarum rerum clam sententiam suat laturi, iam perspicuam mentem ponant. Vt autem breuiter complectamur, turbis summatim occurremus vel sententiis, vel commentationibus, ostendemusq; perturbantes aut iusto, aut legitimo, aut publico vtili, aut honesto repugnare. Ex hisce nanq; maximè fit, vt auditores à tumultibus acquiescant. Quomodo igitur præoccupationibus apud auditores vtendum sit, & quo pacto turbis occurrēdum, ex antè dictis cognoscemus. Quæ autem ab aduersariis veniēda sunt, demōstrabo. Fortèque suam deflebit inopiam, cuius non ego quidem, sed huius mos erit causa. Et rursus, Audio ipsum & hoc,

illudque dicturum. In superiore ergo oratione, quæ aduersarii dicturi videantur, sic præoccupādo & soluere, & infirmare oportet. Etenim tametsi firmissima sunt, quorum insimulamur, non itidem magna iis, qui iam antea audierint, videtur. Quod si secundæ in dicendo partes nobis datæ fuerint, & aduersarii quæ dicturi sumus præoccuparint, ea rursus contrā anticipando, ita à nobis soluenda sunt: Hic autem nedū multa de me mētus apud vos fuerit, sed certò sciēs sese à me redargutum iri, meam orationem occupando calumniæ dedit, ne ea, quam oranti sibi præstiteratis, in me audiendo attentione sitis: vel ne ipse orationem habeam apud vos ob eā, quam hic de me prius calumniam habuerit. Sed planè puto oportere vos meā dictionem ex me ipso potiùs, quàm ex aduersario meo cognoscere: & si hæc ab eo sunt prius dicendo insimulata, quas non mediocres dixerim esse coniecturas, eum nihil nunc sani dicitare. Vtitur autem & euripides in Philoctete pulcherrimè hac specie hoc modo: Dicemus ipsi licet, & hic nostrā putet iam perdidisse dictionem, suggerens iniuriam fecisse. Verum ex me meas res disce, sese pandet hic de se loquens. Quemadmodum igitur præoccupationibus & erga iudices, & erga aduersarios sit vtendum, ex his sciemus.

De postulatis.

Postulata verò in orationibus sunt, quæ ab auditoribus oratores postulat. Horum autem alia sunt iusta, alia verò iniusta. Iustum quidem postulatū est, per quod iis, quæ loquimur, attentionē præstari, ac benignè audiri petimus. Iniustum verò, quo secundum leges nos iuuari, ac nihil præter leges in nos decerni, & casibus ignoscendum postulamur. Si quidem postulatū præter leges fuerit, iniustum: si verò secundum leges fuerit, iustum dicitur. Postulata igitur sunt huiusmodi: ipsorū autem differentias diuisimus, quo & iustum, & iniustum postulatū dignoscetes, non ineptè iis vtī possimus, & ne nos aduersarii lateant, cū iniustum quicquam à iudicibus flagitant. Et de iis quidem, & ex antè dictis scire poterimus.

De iteratione.

Iteratio autem, est breuis admonitio. Ea verò vtendū est tum circa partiū, tum circa totius orationis exitū. Iterabimus autem summatim vel ratiocinando, vel interrogando, vel enumerando, vel eligendo. Ipsorum autem vnumquodque quale sit demonstrabo. Ratiocinari igitur est huiusmodi: Ambigo autem ipse quidē quid hi fecerint, nisi vos planè antea reliquissent: arguebatur autem aduersus hanc urbem nostram cū exercitu processisse: nihil verò eorum vnquam, quæ spondidissent, factitarunt. Itaque ratiocinari est huiusmodi. Enumerare autem tale est, Demonstravi autem ipsos, qui priores societate soluere, qui primū nos sunt adorti, quo tēpore aduersus Lacedæmonios bellum gerebamus, quique maximè

maximè studuere urbem nostrā in prædam vertere. Enumerare igitur est huiusmodi. Ex electione autem admonere est huiusmodi, Recordari oportet cōtigisse nobis, vt postea, quàm societatem cum iis iniuimus, nihil vnquam mali ab hostibus passi sumus. Nam cū sæpenumero nobis auxilio venissent, Lacedæmonios, qui nostrum agrum deuastrarent, propulsarunt: multas etiam pecunias, etiam hoc tempore ad nos defuerunt. Ex electione igitur hoc modo admonebimus: ex interrogatione verò hoc modo: Libenter autem ex istis quærerem, quid vobis pro cōuentis haud soluunt. Neque enim indigentes se dicere audeant, quippe qui tantum pecuniarum ex hoc solo quotannis accepisse demonstrētur. Neque dixerint quidem, multū æris circa Rempublicam consumpsisse. Prorsus enim minores impensas, quàm reliqui omnes insulani, pertulerunt. Ex interrogationibus igitur hoc pacto tractabimus. Ironia verò, quam tum simulandi, tum dissimulandi cauillationem vocamus, est cū aliud dicimus, & aliud dicere simulamus. Eius autem forma sit huiusmodi, vt in antè dictis breuiter cōmorando persistam: nequaquā verò dicere oportet, mea sententia, vt hi, qui multa se bona factitasse prædicant, malis plurimis ciuitatem affecerint: nos verò, qui ab iis ingratitude carpi mur, & iis auxilio sæpe fuerimus, & iniuriā nemini intulerimus. Cū igitur aliquod simulamus ommittere, eò quod breuiter dicimus, hoc pacto admonemus. Res verò cōtrariis nominibus appellare ita fit, Hi quidem probi viri multorū malorum socii extitere, nos autem ignaui plurimorum fuimus bonorum authores. Ex iis igitur breuiter admonentes iterationibus vtetur, & circa singularum partium, & circa totius orationis exitum.

De facetiis, & prolixitate orationis.

Vnde autem faciet dicēdum, & pro arbitrio orationis prolixitate vtendum sit, rursus exponemus. Hic igitur faciet dicendi locus est, si quidem cōmentationes totas, mediāse dixerimus: ita vt quod reliquum est, medium auditores ipsi compræhendant, quo locis, & sententiis vtī conuenit. Opus est autem in totam orationē facietas hæc dispartiamus, verbāq; commutemus, neq; easdem semper, in eandemq; sententiam frequentes afferamus: & hoc pacto nostra comis apparebit oratio. Qui verò dicendi prolixitate vtī voluerit, opus est rem diuidat, & quæ qualibet in parte insint, quàmquam naturam sapiant, edoceat, eorumque vsum omnem, tum proprium, tum cōmunem, & ipsas causas enarret. Quod si longiorem quoq; voluerimus circa singula vtendum est, eritque singularis in orationis partibus iterandum, & iterationem ipsam paucis absoluendum: in fine verò orationis hæc omnia, de quibus singillatim dixeris, congestim ponas, ac de rebus omnibus dicas, conuenit. Hoc igitur modo prolixiores reddi orationes poterunt. Qui autem dicendi voluerit breuitate vtī, oportet totum ne-

gotium vno vocabulo cōplectatur, & hoc maximè quod in ipsa re breuissimū insit. Opus est etiam paucis vtī copulis, plurima verò coniungere: nominibus ita vtī, vt vna dicitio duabus seruiat rebus: eritque frequens illa iteratio è partibus amouenda, & in orationum duntaxat finibus iterandum. Et hoc quidem modo breues poterimus orationes efficere. Quod si mediocritate vtī in dicendo volueris, partium maximas diligens, de hisce verba facias oportet. Est etiā mediis vtendum nominibus, quæ scilicet neq; longissima, neque breuissima, neq; multa de aliqua vna re sint, sed mediocria potiùs. Oportet & epilogos ex intermediis partibus neque omnino auferri, neq; vbiq; rursus inferri. Sed quæ maximè auditoribus nota esse volueris, in iis maximè ad finem iterationibus vtī conuenit. Ex hisce igitur, quodcunq; libuerit, prolixitate, vtī in dicendo quibimus. Quod si facetam volueris orationem scribere permixtè tibi obseruandū est, vt verborū mores hominibus similes queas reddere. Id autē efficies, si qui magni, qui curiosi, qui mediocres sunt mores, consideraris. De iis igitur poteris hac via cognoscere: de no minum verò cōpositione iam declarabimus. Est enim etiam hoc apprimè necessarium.

Primum igitur figuræ nominū sunt tres, simplex, composita, & translata. Eodem positiones sunt tres: Vna quidem, quæ in vocalem connectionibus terminat, & à vocali incipit. Secunda verò, quæ à muta incipiens, in mutam definit. Tertia autem, quæ mutas vocalibus iūgit. Item, ordines sunt quatuor, quorum vnus similia nomina aut inuicem collocat, aut dispergit: alius verò, qui eisdem rationibus vtitur, aut inuicem mutat: tertius verò, qui vno, multisve nominibus rem appellat: quartus autem ordo est, quo gesta negotia nominamus, aut præterimus. Quo igitur pacto pulcherrimæ orationis filum textendum sit, nunc edocebimus.

De nominum compositione.

Primū quidem interpretationem ipsam in duas partes distribuere, deinde conuenit dilucidè dicere. In duas verò partes interpretationem distribuimus his hisce modis: Vno, quod ipse potest & hoc, & aliud. Secundo, quod hic quidem haud potest, alius autem potest. Tertio, quod hic & hoc, & aliud potest. Quarto, quod neq; ipse, neque alius potest. Quinto, quod ipse quidem potest, alter verò non potest. Sexto, quod ipse quidem alterum potest, alius verò nō potest alterū. Horum autem vnumquodq; ex hisce perspicies, Quod etenim ipse potest & hoc & aliud, huiusmodi est: Ego autem non harum duntaxat rerū author vobis extiti, verum & Timotheo, qui aduersus vos esset expeditiones ducturus, impedimento fui. Quod verò hic non potest, alter autem potest, tale est: Ipse quidem non potis est qui pro vobis legatione fungatur: hic verò, qui Spartiatarum ciuitati amicus est, facilimè apud eos, quæ vultis, queat efficere. Quod hic autem potest, & hoc & aliud, est huiusmodi. Nō autem

in bellis solùm hic se robustissimum, & fortissimum præstitit, sed & consiliis ciuium cedit nemini. Quod autem neque ipse, neque alius potest, tale est: Neque ipse parua munitus manu hostes queat, neque alius quisquam ciuium expugnare. Quod verò ille potest, ipse autem nequit, est huiusmodi, nepe, Hic corporis valet viribus, ego verò sum corpore imbecillus. Quod autem ipse aliud potest, ille verò non potest aliud, huiusmodi est equidè: Ipse, qui clauo, & gubernaculis præsum, valeo, hic autem neq; qui remouatur, potis est. Figuras igitur interpretandi duas partes facies, hoc modo omnibus in rebus idem modus seruandus est. Quibus autem rebus dilucida tua reddatur oratio, id rursus est considerandum.

De oratione dilucida.

Primùm quidem quodcumq; dixeris, propriis, suisq; nominibus appella: & quicquid ambiguum fuerit, euitato. Caueas etiã oportet, ne vocales deinceps ponas. Aduertendum est præterea, vt quos articulos vocant, opportunè, & aptè loces. Item consideres opus est, ne confusa sit, neque perturbata nominum compositio. Talis enim oratio & obscura est, & cognitu difficilis. Coniunctionibus verò quascunque antè dixeris, consequentes reddito copulas. Coniunctiones autem coniunctionibus reddere ita fit: Ego quidè ad quod temporis dixeram, adfui: tu autem quando te venturum dixeram, nõ venisti. Item, cum eadem coniunctio consequens sit: Tu etenim & illorũ author extitisti, & horum author ipse tu. De coniunctionibus igitur dictum est, ex quibus licet & reliqua quæque coniectari. Ipsa verò nominum structura, neque confusa, neque perturbata fieri debet. Et confusa quidem est huiusmodi, sicuti cum dixeris: Graue est, hunc verberibus afficere. Nam obscurum esset, qui esset cadens. Quod si ita dixeris, Graue est, hunc verberibus ab hoc affici: perspicuã reddes orationem. Structura igitur nominum confundere tale est. Vt autem aduertat quo pacto articuli ipsi tempestiue, apteque addantur, ex hisce tibi liquidum fiet: *ὄντος ὁ ἀνθρώπος τοῦτον τὸν ἀνθρώπου ἀδύνην.* Hic ipse homo hunc ipsum hominem iniuria afficit. Hunc enim interiecti articuli dilucidam faciunt dictionem: exempti verò obscuram apud Græcos efficient. Contingit autem & aliquando contrarium. Quæ igitur in articulis seruari conuenit, huiusmodi sunt. Vocales autem iuxta inuicem ponendæ non sunt, nisi aut aliter obscura reddatur oratio, aut replicatio quædam, aliãve segregatio fiat. Ambigua verò fugere ita quibimus. Quædam nomina diuersis seruiunt rebus, sicuti ludus, quem ludimus, & ludus schola. Oportet autem in huiusmodi nominibus semper id complectamur, quod proprium est significatum, & dilucidè quidem in nominibus, si hæc fecerimus, loquemur: ex superioribus verò præceptis in duas partes interpretationes distribuimus.

De contentionibus.

De contentionibus autem, & comparibus, & similiter cadentibus iam dicere aggrediamur. Nam & his quoque nobis opus erit. Est igitur contentio, quæ contrarium nomen simul, & vim oppositis rebus habet, aut horum alterum. Quæ igitur contrarium nomen simul, & vim habet, huiusmodi esse poterit. Non enim iuris est, huc meis rebus vsurpando locupletari, me verò meis priuatum rebus pauperie ita premi. Contentio verò nominibus solis erit huiusmodi: Det enim locuples, ac felix, pauperi, & egeno. Vi autem contentio hæc fit: Ego quidem hunc aduersa valetudine laborantem curavi, hic autem mihi maximorum author malorum extitit. Nam hoc loco nõ in nominibus, sed in ipsis rebus contrarietas est, Quæ ergo & vi, & nomine contentio fuerit, ea erit longè pulcherrima. Reliquæ verò contentiones duæ sunt.

De compari.

Compar autem est, quando duæ pares enuntiatũ clausulæ. Pares autem esse poterunt multæ, etiam paruæ clausulæ, paucis magnis, & pares magnitudine paribus numero. Figuram verò habet compar huiusmodi, aut propter pecuniam inopiam, aut propter belli magnitudinẽ. Hæc nanq; clausulæ, neque similes, neque contrariæ, sed tamen inuicem pares sunt.

De similiter cadente.

Similiter verò cadens est, quod compari quidem maius est. Non enim pares solùm clausulas, verùm & similes, & similibus efficit verbis. Est autem huiusmodi, quantum te docet orationis imitatio, tantum ad sit delectationis machinatio. Maximè verò similes fieri oportet exitus dictionũ. Iis nanq; vel in primis efficitur similiter cadẽs. Similes autem dictiones sunt ex similibus syllabis, in quibus plurimæ literæ eadem sunt: sicuti militibus nullis valet, & viribus multis caret. Quæque verò extra artem posita sunt, ea vltro id ipsum demonstrabunt. Sed de his hæcenus satis. Etenim iustum, & honestum, & vtile, reliquaq; & ipsa, quæ sunt, tenemus, & vnde his affluamus, ex antè dictis planè cognoscimus. Eodem autem modo quæ sint amplificationes, extenuationesque, & ex quibus hæc locis desumantur intelligimus. Identidem verò & præoccupationes, & postulata ab auditoribus, & iterationes, & facetias, & orationũ prolixitates, & ipsius interpretationis structurã omnem scimus. Quas ob res comunem omnium specierum vim, atq; differentiam, ipsarumq; vsu omnem, si ex antè dictis tenuerimus, affluerimus, facili nõmet ipsos, qui his omnibus pro artis præceptis exercitati abundemus, & adiumenti ex ipsis plurimum tum dicendo, tum scribendo consequamur. Igitur præcepta causarum hoc pacto accuratissimè per partes distribueris. Vt autem pro vnaquaque specie ad humani corporis effigiem verba

verba locari conueniat, & quæ sint circa orationis partes obseruanda, & quomodo hisce partibus sit vtendum, rursus ostendam. De exordiis igitur dicendum est prius. Ea verò septem speciebus communia sunt, & omnibus in negotiis congruè dici poterunt.

De exordiis.

Exordium est (vt compendio dixerim) oratio quedã, quæ rebus iis, de quibus reliqua futura est dictio, summatim expositis, auditorũ animos ad attentionem idonee, & quoad fieri dicẽdo potest, ad benevolentiam nobis cõparat. Hæc enim per exordium præstari cõuenit. Quomodo autem ea vtamur, primùm quidem deliberatio in genere, & suadendi specie ostendã. Cum rē igitur auditoribus proponere, ac liquidã facere voluerimus, fieri poterit hoc modo Surrexi, vt, quo pacto pro Syracusanis bellandum sit consulã. Vel hoc modo: Surrexi, vt quid sentiam dicã, qui nõ deceat nos Syracusanis auxiliũ ferre. Hoc igitur modo summatim rem exponemus. Qui verò ad attentionem exhortemur, scire ex hisce poterimus, si nos ipsi animaduertimus quibus & verbis, & rebus ad audiendam sententiam attenti sumus. Nempe his sumus attenti, cum de magnis, vel terribilibus, vel ad nos pertinentibus rebus consulamus, aut cum orantes ipsi demonstraturos se dixerint iusta illa esse, & honesta, & vtilia, & facilia, & vera, ad quæ nos gerenda exhortantur, aut cum nos rogaerint se attente audiamus. Quemadmodum igitur ipsi aliis solemus, ita & nos, si quæ ex præmissis commodissima in præsentem rem fuerint delegerimus, eaq; auditoribus perspicua reddiderimus, eos nobis attentos faciemus. Ad attentionem igitur ex his auditores exhortamur. Benevolentiam verò cõparabimus, si considerauerimus primùm quo in nos animo ipsi sint, beneuolone, an infesto, aut neq; bono, neq; malo. Si beneuoli ergo fuerint, de benevolentia dicere superuacaneũ cedat. Verùm si omnino id facere voluerimus, oportet paucis cū dissimulatione quadã id fieri, hoc modo: Quanta sit mea in hanc urbem benevolentia, vtq; sæpenumero suasu meo quæ factu essent vtilia gesseritis, & quæ me præterea ad cõmunia cõmoda præbeo iustitia, quippe qui publicarũ magis, quàm priuatarum, mihi rerũ habendam rationem censuerim, nequaquam à me dici opus existimo. Hoc enim vobis perspicuũ est, & cognitũ. Verùm quod & nunc, si fidẽ adhibere mihi volueritis, consulētis in rem pulcherrimè, hæc de re vt vos edoceam, dabo operã. Hoc igitur modo eos, qui bono sunt in nos animo, in cõsultationibus benevolentiaẽ ad monebimus. Si verò auditores neq; nobis infesti sunt, neq; beneuoli, dicendum est, & iustum esse, & conducibile, eos his ciuibus beneuolos fieri, qui nullũ sui dederunt experimentũ. Deinde oportet laude, auditores demulcere, quod iustè, & grauiter quæ dicuntur iudicare consueuerint. Item & extenuationes afferendæ: sicuti si dicatur, Surrexi non tam vlla dicendi vi, elegantiaue confusus, quàm existimans ea à me narrari,

quæ ad communem vtilitatẽ, commodumq; accedant. Cum igitur auditores neq; à nobis alieni, neq; beneuoli nobis sunt, ex huiusmodi rebus beneuolentia captabitur. Sin autem calumnia obnoxii apud auditores fuerint, necesse est aut ipsos in sese, aut res, de quibus dicunt, aut ipsam demum orationem calumnias continere. Hæc autem calumnia, aut ex præsentis, aut ex præterito tempore trahuntur. Ex præterito quidem tempore, si qua improbitatis suspicio de aliqua habeatur, primùm in auditores præoccupatione vtendum est, atq; dicendũ ita: Neq; ipse quidem ignarus sum, me apud vos calumnia affectum esse, sed omnem ego de me insimulationem falsam esse demonstrabo. Postea summatim enumerando in exordiis dicendum erit (si quid in rem tuam oratione complecti queas, & aut vituperanda iudicia) necesse enim est, siue publicè, siue priuatum calumnia de quopiam facta sit, vel esse, vel fore iudicium, vel nolle accusatores iudiciũ sumere: eritq; dicendũ vt iudicatum iniuste fuerit, quodq; inimicè nobis homines nocuerint: aut si minus hoc verisimile visum fuerit, dicendum erit, satis id esse debere, quod minus tunc ex sententia nobis cesserit: iniustũ autem esse, cum res iudicatæ iam fuerint, rursus easdem caluniari. Si verò celebre sit iudiciũ futurũ, te paratum planè dicito, qui ad insinuationes in hoc ipso pulcherrimo cõfessu respondeas, & si quid aduersus Rempublicam per iniuriã parauisse demonstraris, te morte multatũ iri. Sin autem accusatores minus in causa persistant, eadẽ oportet vt cõiectura, quoniã falsam de nobis calumnia detulissent, desistunt causa: non enim consentaneũ videbitur, nolle eos iudiciũ capere, qui veram accusationem detulerint. Vsq; verò in calunias accerrimè est inuehendũ, dicendũq; quàm trux, & cõmunis, & multorũ malorum causa. Ostendatur quoq; oportet, permultos iam iniuste per calumnia perisse. Item monendum, stultum esse, eos, qui de Republica cõsultant, non quæ ab omnibus dicuntur audire, & quod vtile sit animo volutare, sed aliquorũ insinuationibus cõmoueri. Commonefacias autem, atq; pollicearis oportet, ea te, de quibus cõsulere sis pollicitus, & iusta, & vtilia, & honesta demonstraturũ. Eos igitur, quorum ex præterito tempore calunia delata sit, conuenit hoc pacto insimulationes in cõsultationibus soluere. Ex præsentis verò tempore oratoribus caluniam solet afferre, primùm quidem ætas ipsa. Nam siue omnino iuuenis, siue senior cõcionatur, auditores moleste ferunt. Hinc enim nondum incipere, illi verò iam quietere decorũ esse putant. Deinde si crebrò orationem habere cõsueuerit. Hic enim importunus videtur esse. Et nunquam antea orationem habuerit. Nam & hic alicuius priuati cõmodi gratia præter consuetudinem videtur cõcionari. Ex præsentis igitur tempore huiusmodi poterunt in illũ insimulationes fieri, qui apud concionem orauerit: sed causa de iis afferatur necesse est. A iuniore quidè ex cõsultantium inopia, & ex eo, quod suam esse potissimum videtur: quæadmodum si diuero de iudicio lampadarchia, vel de

gymnasio, vel de armis, aut de equis, aut de re bellica. Horum enim non minima pars adhæret iuueni. Dicendum est autem quod tametsi nondum iuuenis per ætatem prudens esse potest, verum natura, & diligentia quadam certe potest. Ostendendum est etiam, qui aliquid imprudenter gesserit, aduersum casum sibi priuatim dari: affecto uero communem esse utilitatem cum reliquis. Iuuenis igitur ex iis, atque similibus argumentabitur. Senior autem argumentabitur & ab inopia consultantium, & à facultate sua, præterea & à magnitudine, & nouitate periculis, & ab aliis huiusmodi rebus. Crebro autem dictionem habere consuetus, ab experientia argumentabitur, & ab eo, quod turpe sit, non eum sententiam nunc dicere, qui antea consueuerit. Non autem consuetus argumentabitur tum à periculis magnitudine, tum ab eo, quod necesse omnino sit, eum, qui ciuitatis est particeps, de iis, quæ in præsentia aguntur, sententiam dicere. Eas igitur insimulationes, quæ in concionibus circa hominem fiunt, hoc pacto refellere studebimus. Fiunt autem circa rem, cum quis nihil neque iis, à quibus nulla simus iniuria lacesiti, neque iis, qui fortiores, potentioresque sunt, per noscendum esse consultat, aut pacem turpem fieri persuadet, aut circa Deorum immortalium sacrificia quam minimos effici sumptus monet, aut huiusmodi quicquam narrat. Oportet autem in huiusmodi rebus præoccupatione prius ad auditores uti, quarum causam, aut in necessitatem, aut in Fortunam, aut in tempora, aut in aliquod commodum referamus, dicamusque non consultantibus quid esse, sed rebus potius huiusmodi causam adscribendum. Hoc igitur modo eas, quæ circa rem sunt, insimulationes à consultantibus remouebimus. Oratio uero ipsa in concionibus solet insimulari, cum aut prolixè, aut nimis prisca, aut minus probabiliter dicatur. Et siquid longa fuerit, in rerum multitudinè causa est referenda: si prisca sit, doceatur oportet, nunc ipsam tempustiam esse. Sin autem minus probabilis sit, pollicearis oportet, eam te veram in dicendi progressu demonstraturum. Consultationes igitur ex iis rebus principio constituemus. Quo uero utamur ordine, animaduerti conuenit. Si quidem nulla prorsus insimulatio sit, neque nobis, neque orationi, neque ipsi rei, à propositione continuè est inchoandum. Attentè autem quæ dicuntur, humanèque audire ad postremum exhortabimur. Sin uero aliqua sumus ab illis, qui antè dixerunt, insimulatione præuenti, post anticipatam auditorum opinionem, eorum, quorum insimulati fuerimus, & responsiones, & causas breuiter in medium deferentes, ita proponemus, & auditores ad attentionem exhortabimur. Exordia quidem in consultationibus hæc modo sunt constituenda.

De narratione.

Rostea uero necesse est, aut res gestas à nobis renuntiari, referri, aut res præsentis diuidendo exponi, aut, quæ futuræ sunt, iam prædicari. Cum igitur

de legatione sit nobis renuntiandum, omnia, quæ dicta fuerint, dilucidè narrare oportet, quò primùm quidem grauitatem oratio præ se ferat. Hæc enim renuntiatio solùm erit, nullaque alia orationis figura incidet. Deinde siquidem nobis ex sententia minus res contigerit, non vlla id negligentia nostra, sed alia quadam causa accidisse auditores existiment. Sin uero ex sententia contigerit, non casu aliquo, sed nostra diligentia, & industria id factum opinentur. Hæc autem eò facilius credunt, si, quoniam gestioni negotiorum nequaquam interfuerint, nostram in oratione negligentiam, promptitudinèque perspexerint, utpote, qui nihil omittamus, sed vnumquodque quam accuratissimè referimus. Cum igitur legationem renuntiemus iis causis, singula quæque quo pacto gesta fuerint, renuntiare oportet. Cum uero ipsi concionantes aliquid præteritum narramus, siue etiam præsentia exponamus, siue prædicamus futura, necesse est ut vnumquodque horum & breuiter, & dilucidè, & non sine probabilitate faciamus. Dilucidè quidem, ut quæ dicuntur, comprehendere queant. Breuiter autem, quò quæ dicta fuerint, memoriæ auditores teneant. Probabiliter uero, ne ipsi auditores prius, quam probationibus, atque iuris partibus nostram orationem confirmauerimus, nostras iam narrationes falsas esse reprobent. Dilucidè igitur exponemus, aut à nominibus, aut à negotiis. A negotiis quidem, si non ea perturbatè exponamus, sed rerum, ac temporum ordinem seruemus, reliqua uero deinceps collocemus, & si neque eo, de quo dicere cœperimus, relicto negotio, in rem aliam transeamus. A nominibus uero, si quam maximè idoneis rerum nominibus negotia appellemus, & si non ambiguè utamur, neque perturbatè ipsa collocemus, sed usque cohærentia deinceps ordinemus. Dilucidè igitur exponemus, si hæc diligenter obseruauerimus. Breuiter uero narrare poterimus, si tum ex negotiis, tum ex nominibus ea remouerimus, quæ non sint dictu necessaria, & ea solùm complectemur, sine quibus obscura reddetur oratio. Et breuiter quidem hoc modo exponemus. Probabiliter autem à nobis narrabitur, si ad ea negotia, quæ minus uerisimilia uidentur, causas attulerimus, quibus illa non absurdè gesta uideantur: si qua uero omnino incredibilia contigerint, ea relinquamus necesse est. Sin autem necessaria sunt, quæ dicantur, ea te scire ostendas oportet, sed ad consultationis partem, quia cum illa implicata sint, dicenda referuare, orationisque progressu id te uerum demonstraturum polliceri, ea uisus argutia, quòd quæ prius abs te dicta fuerint, ea prius uera, iustaque demonstrare, quam aliud huiusmodi quicquam uelis. Et hoc quidem modo his, quæ minus uerisimilia sunt, medebimur. Ut autem summam unà omnia complectamur, & renuntiando, & exponendo, & prædicando, ex his omnibus, quæ antè diximus, dilucidas, breues, & probabiles narrationes faciamus.

De

De ordine narrationum.



As autem tripliciter ordinabimus. Nam si quid eam, de quibus dicimus, pauca sint auditoribus cognita, exordio narrationem coniungemus, ne pars hæc separatim posita breuis admodum fiat. Cum uero negotia & permulta, & incognita sint, ad vnumquodque coniunctas narrationes faciemus, easque iustas, & utiles, & honestas ostendemus, quò non modò in narrandis rebus occupati simplicem, & non uarietate quadam insignem orationem faciamus, uerum & auditorum animos capiamus. Sin autem negotia mediocria, & minimè nota sint, opus est, uel renuntiationem, uel expositionem, uel prædicationem in exordio uno & eodem quasi corpore collocemus. Hoc autem faciemus, si à rerum initio ad extremum usque narrando prosequamur, & nihil aliud complectamur, sed ipsa negotia expedite declaramus. Quemadmodum igitur in exordio narrationes ordinandæ sunt, ita scire poterimus.

De confirmatione.



Deinceps autem confirmatio sequatur necesse est, per quam prænarrata negotia ex probationibus & iustis, & utilibus, sicuti nos demonstraturos polliciti sumus, confirmabimus. Cum igitur coniunctas narrationes facere oportet, probationes in consultationibus quam commodissimè ducuntur à rerum consuetudine, ab exemplo, à cōmemoratione, & ab ea, quæ de oratore sit apud omnes, opinione. Utendum est etiam & si qua ex aliis probationum partibus inciderit. Ex uero sic sunt collocandæ: Primùm quidem dicentis opinio. Sin id minus poterimus, rerum consuetudines ordinabimus, demonstrabimusque; & hæc, quæ dicimus, uel & his similia hoc modo fieri consueisse: deinde uero exempla adferemus. Et si qua est cum his, quæ à nobis dicuntur, similitudinem adducemus. Ea autem exempla capiamus oportet, quæ tum rei congruant, tum ipsis auditoribus, uel loco, uel tempore sint proxima. Si autem secus sint, debemus ex aliis, quæ maxima, & notissima sint, accipere. Post hæc uero sententiis utendum est. Oportet autem eas partes, quibus probabilis, & exempla tractata fuerint, in fine commentationibus, & sententiis terminemus. Et probationes quidem hoc modo ad negotiorum confirmationem adducemus. Si uero narratis rebus cōtinuè sit fides adhibita, probationes ipsas relinquemus, & à iustis, & legitimis, & utilibus, & honestis, & iucundis, & facilis, & possibilibus, & necessariis partibus antè dicta negotia confirmabimus. Et si quidem iustum inest, id primùm collocabimus, & per hoc, perque huic simile, & per contrariū, & per iudicatum iustum enarrabimus. Et similia his iustis, de quibus loqueris, exempla sunt afferenda. Habebis autem permulta exempla tum ex his, quæ priuatim apud singulos iusta existimantur, tum etiam ex his, quæ in ipsa urbe, ubi orationem habes, tum demum ex his, quæ in aliis urbibus iusta duci solent. Cum uero hæc omnia hoc modo percurrentes narrauerimus, in ipsiusque

iusti sine sententias, commentationesque; moderatas, & sibi inuicem dissimiles attulerimus, si quidem ea pars longa sit, eiusque meminisse uoluerimus, paucis iterabimus. Sin autem mediocris sit, commemoreturque; tunc ubi eam finierimus, aliam quoque partem adiungemus. Est autem id huiusmodi: Quòd iustum quidem est, auxilium nos ferre Syracusanis, satis ex iis, quæ dicta sunt, demonstratum existimo. Quòd autem etià id nobis conducturum sit, enitar edocere. Et cum rursus eodem modo ut de iusto factitaras, utile percurreris, & eius extremam partem uel breuiter iterando, uel finiendo absolueris, itidem aliam partem, quæcunque tibi in manu fuerit, adijunge. Hoc igitur modo aliam alii partem addere, & orationem contexere opus est. Cum hæc uero omnia profecutus fueris, quibus ea, quæ persuades, cōfirmare queas, oportet in his de omnibus summam cum commentationibus, & sententiis, coloribusque; demones non ea efficere, & iniustum, & perniciosum, & turpe, & triste admodum fore. Contra uero summam addendum est, & iustum, & utile, & honestum, uoluptuosumque; futurum, si hæc, ad quæ eos exhortaris, effecerint. Ubi uero iam satis, abundèque; sententiarum grauitate usus fueris, quæ persuades, conclusionem terminabis. Et hoc quidem modo quæ proposita fuerint, confirmatione dicere aggrediemur.

De præoccupatione.



St autem præoccupatio, eorum locorum, qui contra tuam dictionem haberi possent, præoccupans reprehensio. Oportet autem quæ ab aduersariis dicuntur extenuare, tua uero amplificare, ueluti superius in amplificandi tractatu audieras. Opus est etiam, conferas vnum uni, cum tuum scilicet maius sit: & plura pluribus, & unum multis, & multa uni. Sic secundum omnem speciem uarietate debemus uti, nostra quidem augendo, aduersariorum autem infirmando, atque deprimendo. Et hoc quidem modo præoccupationibus utemur. Hæc autem ubi fuerimus profecuti, iterationibus exitum terminabimus, coloribusque; antè dictos ratiocinationis, uel enumerationis, aut electionis, aut interrogationis, aut ironiæ assumemus.

Suadendi species.



Quòd si ad ferendum aliquibus auxiliū suaferimus, siue priuatis hominibus, siue urbibus, paucis dicere conueniet, & si qua his in auditores, siue amici, siue gratia, siue misericordia præcesserit, in mediū referre congruū erit. Maximè enim omnes his auxilio esse uolunt, qui tali animo in eos fuerint. Diligunt enim eos, à quibus uel ab ipsis, uel ipsorum amicis aliquid beneficii siue ipsi, siue alii, qui eis curæ sunt, uel opportunè suscepisse, uel suscipere, uel susceptum ire crediderint. His autem habet gratias, qui siue ipsi, siue ipsorum amici, aut in eos, aut in eorum necessarios boni quippiam opportunè uel contulisse, uel conferre, collaturive putentur. Si horum igitur aliquid unum incidat,

id

id breuiter doceamus, & ad misericordiam redigamus oportet. Id autem affatim facere poterimus, si cognouerimus solere omnes in eos misericordia moueri, quos familiari erga se animo esse opinentur, aut indignos calamitate suspicantur. Hæc autem in iis esse ostendentes, quos misericordia dignos velis demonstrare. Estque demonstrandum, eos iniquè passos, vel pati, vel passuros, ubi minùs his auxilio auditores fuerint. Sin verò hæc in illis non sunt, demonstrabis, eos omnium bonorum inopes esse, quorum ceteri omnes, aut plurimi sint participes, quisque nihil unquam boni vel nati fuerint, vel nanciscantur, nacturive sint, nisi auditores hoc tempore ad misericordiam moueantur. Ex his igitur auditores ad misericordiam inducemus. Dissuadere autem ex contrariis locis poterimus, eodemque modo exordiemur, & narrabimus, & probationibus utemur, auditoribusque ostendemus, quæ facere aggrediuntur, esse & præter leges, & iniusta, & perniciofa, & turpia, & tristia, & impossibilia, & difficilia, ac minimè necessaria. In dissuadendo verò idem dispositionis modus seruabitur, qui etiam in suadendo. Quam ob rem qui vtrò dissuadet, disponere ita poterunt. Qui verò aliorum suasionibus contradicere voluerint, primum quidem ea in exordio proponere debent, quibus sint contradicaturi: in reliquis verò singillatim est exordium: post singula verò prædictorum exordia est secundum vnumquodque propositum maximè demonstrandum, minimè omnium ea esse, ad quæ aduersarius exhortetur, neque iusta, neque quæ ea sequuntur. Hoc autem facies, ut ostendas vel iniusta esse, quæ ille narrat, vel inutilia, vel his similia, aut iustis contraria, aut vtilibus, aut his, quæ talia esse iudicantur. Eodem quoque modo & cetera, quæ inciderint, tractare debebis. Optimus igitur dissuadendi modus hic est. Quod si minùs hoc facere commodè potueris, ex eo, quod reliqueris, genere dissuadere orando poteris: ut si quidem aduersarius iustum esse ostenderit, tu vel turpe esse, vel inutile, vel difficile, vel impossibile, vel aliud quiduis huiusmodi enitere demonstrare. Sin vtile aduersarius esse ostenderit, iniustum ipse, & si quid aliud opportunum ad id habueris, demonstrabis. Tua prætereà augendo, & aduersarii deprimendo facies quemadmodum in suasionibus dictum est. Decet eodem quoque modo sententias, commentationesque afferre, præoccupationesque, refellere, ac breuiter ad exitum iterare. Prætereà quoque in suasionibus ostendendum est, aut eos, quibus auxilium ferendum suademus, horum amicos esse, quos ad id faciendum exhortamur: aut hoc, gratias his deberi, qui deprecantur. Quibus verò auxilium ferre dissuaserimus, eos vel ira, vel inuidia, vel odio dignos ostendemus. In odium quidem adducemus, si ab illis aut ipsos auditores, auditorumve amicos, aut alios, qui his curæ sint, mali quippiam iniquè passos demonstrabimus. In iram autem rapiemus, si vel auditores ipsos, vel ipsorum amicos, vel alios, qui his sunt curæ, indignè neglectos, iniuriave affectos ostendemus. In inuidiam verò contrahemus, si summatim indignè fortu-

natos extitisse, aut esse, aut fore, vel si nullius unquam boni fuisse inopes, aut esse, aut futuros, vel si unquam malorum quippiam passos, aut pati, aut passuros demonstrabimus. Inuidiam igitur, & odium, atque iram hoc modo concitabimus, benevolentiam verò, & gratiam, & misericordiam ex his poterimus comparare, quæ in suasionibus dicta sunt. Eas autem ex antè dictis omnibus contexere, ordinareque poterimus. Species igitur suadedi, & qualis ipsa sit, & ex quibus consistet, & quomodo ea utendum sit, ex iis liquidò cognoscimus.

Laudandi, vituperandique species.

Rursum autem laudandi, vituperandique speciem deinceps consideremus. Cùm in hoc genere exordiri voluerimus, propositiones primum ordinamus in simulationesque dissoluimus itidem atque in suadendo. Ad attentionem verò exhortamur tum ex his, quæ in consultationibus dicta sunt, tum ex eo quod mirabilia, illustriaque dicamus, ut æquitatem nostram, eorumque, quos vel laudamus, vel vituperamus, facinora demonstramus. In huiusmodi enim causis ut plurimum non disceptationis, sed ostentationis potius causa orationem habere consueuimus. Primum autem exordia eodem modo constituemus, qui in deliberatio à nobis genere demonstratus est. Post exordium verò partiri debemus & ea, quæ extra virtutem sunt, & ea, quæ in ipsa virtute bona considerantur, hoc modo, externa quidem bona in bonam valetudinem, & robur, & formæ dignitatem, & diuitias: virtutem verò in sapientiam, iustitiam, & fortitudinem, illustresque; disciplinas distribuimus. Horum autem, quæ in virtute posita, locataque sunt, iure laudantur, extraria autem subducuntur. Robustos namque, & pulchros, & nobiles, atque locupletes nequaquam laudare, sed dicere beatos conuenit. His autem diligenter consideratis, post exordia de genere primum dictionem ordinabimus. Hoc enim primum hominibus, ac reliquis animalibus clarum inest, vel obscurum. Pròinde rectè quidem aut hominem, aut aliud tale animal ex genere commemorabimus. Cùm verò aut affectum, aut rem, aut orationem, possessionemve laudare voluerimus, continuo ex iis, quæ honesta adsunt, non absurdè laudabimus. A genere autem laudare ita conuenit. Si quidem progenitores insignes fuerint, debemus omnes ab initio ad eum usque, quem laudatū volumus, resumere, & in singulis progenitoribus clarū aliquid summatim apponere. Quod si primi industrii, insignesque fuerint; reliquos verò nihil oratione dignum gessisse contigerit; primos quidem illos eodem modo prosequemur, ignauos autem, atque degeneres omitemus, ea vfu cauillatione, quod propter maiorum multitudinem nolimus auditoribus orationis longitudine graues effici, præsertim cùm nemini sit obscurum, qui ex bonis, clarisque parentibus nati sunt, eos consentaneè fieri suis maioribus non dissimiles. Sin autem veteres progenitores obscuro fuerint, qui verò proximè extiterunt illustres, ab iis est laus generis capienda, dicendumque;

dumque, ut de illis quidem longam repetere quædam orationem superuacaneum admodum fuerit. Sed si eò laudes referantur, qui proximi iis, qui laudantur, extitissent, planè & hi quoque boni, probique viri ostenduntur, quodque perspicuum sit, horum maiores industrius quosdam, insignesque; extitisse. Haud namque, verisimile videri, huiusmodi homines honestos, & bonos esse, qui ex improbis progenitoribus nati essent. Vbi verò nullus maiorum sit splendor, dices ipsum in se generosum esse, colligensque eos omnes ingenuè natos esse, qui ingentiam sibi virtutem habent, & eos, aliis quoque omnibus longè antecellere, qui suos progenitores laudant. Per multos enim, qui ex claris maioribus nati essent, degeneres extitisse: addesque; quod de huius nunc, & non de progenitorum, præconiis agatur. Eodem autem modo in vituperationibus origo generis in improbos, & maiores referenda est. Et ita laudando, ac vituperando quæ ad genus pertinent, ordinabimus. Et si quid illi, de quo loquimur, præclarum fortuna cesserit, hoc duntaxat tuebimur, ut ea, quæ ætati conueniunt, enarremus, & id quidem haud prolixè. Pueri namque tam suo ingenio, quam eorum, qui ipsis præfuerint, diligentia, honesti, pudicique sunt. Quare breuis de iis est habenda oratio. Cùm autem hunc modum percurreris, habita ad posterum commentatione, atque sententia debes hanc partem in adolescentis ætatem terminare. Et propositione deinde facta, aut eius, qui laudatur, res gestas, aut mores, aut studia amplificabis, quæ admodum ab initio in demonstratio genere prius diximus. Exponesque ab hoc, quem ipse laudas, cùm esset hac ætate, aut per hunc, aut per studium, aut ex hoc, aut huius gratia tum hoc, tum illud præclarum facinus gestum fuisse. Oportet & cæterorum quoque iuuenum præclara facinora colligendo conferre, & huius longè iis maiora esse ostendere, illorum quidem, quæ minima sunt, huius autem, quæ tu laudas, quæ maxima sunt enarrando. Conuenit autem & quæ apud alios res illustres parum prodignitate collata fuerint, eas abs te dicendo itidem magnas demonstrari. Et semper res ita comparando augendæ, & exornandæ sunt, ut, ubi, & quis iuuenis ita philosophus unquam fuit, qui vel senior magnum adeo incrementum habuerit? Et qui adeo robuste gymnasiorum labores perfert, vehementer is philosophiæ studium, & industriam adamabit. Et hoc quidem modo similitudine, & collatione vfu amplificabimus. Cùm verò quæ circa ætatem adolescentis considerantur, absoluerimus, in fine huius partis sententias, commentationesque locabimus, aut quæ dicta sunt breuiter iterantes, aut ad postremam partem finientes. Rursus ubi proposuerimus quæ gesta sint ab ipso viro, quem laudamus, de iustitia primum dicere aggrediemur, quam eodem modo, ut in superioribus, exornantes, ad prudentiam, si fuerit, descendemus. Et hanc eodem quoque modo absoluentes, fortitudinem, si fuerit, proponemus. Quam eadè amplificationis ratione item percurrentes, cùm ipsius finem partis attigerimus, & omnia genera profecuti sumus, summatim que

antè dicta fuerint, iterantes, exitum vel sententia, vel commentatione toti orationi apponemus. Congruet autem laudibus, nominibus etiã multis circa vnumquodque; vti, & splendidam facere dictionem, atque magnificam. Eodem quoque modo cùm de nequâ hominibus oratio nobis erit, vituperationes constituemus. Oportet autem nullis in eum vtamur cauillis, quem carpinimus, sed ipsius duntaxat vitam enarremus. Sermones enim longè magis, quam iocosa obiurgationes, atque cauilla, & auditoribus persuadet, & ægritudine quos vituperamus afficiunt. Nam huiusmodi quidem sales ad ideam, vel substantiam referuntur. Sermones verò sunt ingeniorum, morumque veluti imagines. Cauendum est etiam, ne res turpes nominibus appelles turpibus. Id enim adfert grauitati caluniam. Sed quæ huiusmodi sunt, tanquam per ænigma significabimus, & aliarum rerum nominibus rem ipsam manifestabimus. Debemus autem in vituperationibus ironia vti, & in iis aduersarium deridere, quibus ille maximè exultat: & priuatim quidem, paucisque presentibus eum dehonestare. In vulgus autem & multitudinem communes maximè vituperationes maledicere. Vituperationes verò eodem modo poterimus quo etiam & præconia, & augere, & extenuare. Itaque harum specierum ex iis, quæ superius dicta sunt, vsum omnè intelligemus.

Accusationis, questionisque; præcepta.

Reliquum est, ut accusandi, querendique præcepta peragamus, quæ rursus quemadmodum in iudiciali genere dictum est, componemus, ordinabimus, percurremus. Primum igitur in exordiis rem, de qua fit accusatio, vel defensio, proponemus, ut etiam in aliis præmissis speciebus. Ad attentionem autem ab iisdem locis exhortabimur, quos in suadendo, dissuadendoque; docuimus. Item etiã de benevolentia idem quoque modus seruandus erit, qui in deliberatio genere præmissus est. Nam is, cui auditores beneuoli sunt, ex præterito, aut presenti tempore, & is, ne calumnia affectus sit, ad eos irritados vel in se, vel in re ipsam, vel in orationem, benevolentiam captabit eodem modo, ut illuc docuimus. Is verò, in quem neque beneuoli auditores, neque infensi fuerint, benevolentiam captare poterit ex præterito, presentive tempore, vel per se ipsum, vel per rem, vel per orationem. Ille autem, qui apud auditores calumnie obnoxius factus fuerit, partim mistim, partim priuatim benevolentiam captabit. Hic igitur modus erit, per quem benevolentia comparabitur. Enimvero hi, aduersus quos neque bono, neque malo animo auditores fuerint, paucis sunt laudandi, & aduersarii vituperandi. Oportet autem eos ab iis laudare, quæ videntur maximè auditorum interesse: (dico autem ciuitatis studiosum, amicorum obseruatorem, gratum, misericordem, & similia) aduersarios autem ab iis vituperare, quibus auditores ad iram iritantur. Hæc autem sunt, ciuitatis inimicus, amicorum hostis, ingratus, immitis, & huiusmodi. Opus est etiam, laude iudices delentire, quod iusti iudi

sti iudices, grauesque sunt. Aduersariorum præterea defectus, sicubi tibi minores extiterint, siue ad dicendum, siue ad agendum, seu ad aliud quicquam, quod in disceptatione versetur, erunt oratione complectendi, & iustum præterea, & legitimum, & vtile, & quæ deinceps sequuntur, inducenda. Cum iudices igitur neque bono, neque malo animo in nos fuerint, ex iis beneuolentiam captabimus. Si quis verò in calumnia sit, idque ex præterito tempore, & circa orationem, scire ex antè dictis poterimus quo pacto insimulationes soluere oporteat. Quod si ex præsentis tempore calumnia fuerit, necesse est circa ipsum hominem eam fieri: aut si ineptus præsentis controuersia, aut si criminibus subcontrarius, aut si pro confessio accusationi obnoxius videatur. Ineptus quidem fuerit, si aut iunior, aut senior pro alio disceptet. Subcontrarius verò esset, si quis robustus imbecillum verberationis accuset, aut si quis contumeliosus contumelia temperantem insimulet, aut si quis admodum pauper hominem ditissimum pecuniarum egens in iudicium deuocet. Itaque huiusmodi homines subcontrarii criminibus sunt. Pro confessio autem erit, si quis fortis, robustusque existens, ab infirmo, & imbecillo verberationis accusetur, aut si quis fur existimatus, furti reus in iudicium arcessatur. Vt autem omnia vno complectamur verbo, hi, quorum moribus similis est hominum opinio, videbuntur criminibus esse obnoxii. Circa ipsum igitur hominem ex instanti tempore calumnia huiusmodi fieri poterunt: circa rem autem ea contingent, si quid aduersus domesticos amicos, aut aduersus hospites, aut in suos, vel de prauis, vel de turpibus rebus negotia adferat. Hæc enim infamiam disceptantibus afferunt. Quemadmodum igitur eas insimulationes sumus dissoluturi, deinceps ostendam. Duo esse communia in omnibus elementa existimo: alterum quidem, ut quibus rebus correpturos iudices aduersarios putes, his eos præueniens corripias. Alterum verò est, si res in aduersarios quidem maxime, sin id minus, in alios quosdam transferas, ea usus cauillatione, quod non ex sententia tua, sed ab aduersariis coactus in certamen descenderis. In vnamquamque verò calumniam hæc argumentari conuenit. Iunior quidem causabitur aut seniorum, aut amicorum, qui pro se disceptent, solitudinem, aut criminum magnitudinem, aut temporis præscriptionem, aut rerum multitudinem, aut aliud quid huiusmodi. Si verò habueris pro alio dictionem, dicendum erit, te amicitia gratia aduocatum fieri, aut aduersarii motum inimicitias, aut quia negotiis interfueris, aut ob utilitatem publicam, aut quia is cui patronus venis, & ab omnibus est desertus, & iniuria premittitur. Quod si crimini pro confessio obnoxius, vel subcontrarius accusationi effici videatur, cum præoccupatione vtendum est, tum etiam dicendum ut neque iustum, neque legitimum, neque vtile sit ex opinione, ac suspicione ferre prius sententiam, quam res fuerit audita. Quæ igitur circa ipsum hominem sunt, hoc pacto insimulationes diluemus: eas verò, quæ circa rem sunt,

ita repellamus. Causam in aduersarium reiciemus, vel si maledictum ei crimini demus, vel si iniuriam, aut cupiditatem, aut pertinaciam, aut iram prætendamus, quod nullo alio modo ius consequi possibile possit. Priuatas igitur calumnias apud iudices ita diluemus: communes verò omnibus speciebus soluere poterimus, quemadmodum in superioribus dictum est. Exordia verò in genere iudiciali eodem modo collocabimus, sicuti etiam in deliberatio. Eadem etiam ratione narrationis exordio coniungemus, quas vel particulatim probabiles esse, iustasque ostendemus: aut ipsas separatim, tanquam in vnum corpus, ordinabimus. Deinde verò erit confirmatio, quam, si quidem rebus ipsi aduersarii contradixerint, ex probationibus, sin autem consenserint, ex iustis, & vtilibus, & his similibus confirmare debemus. Collocanda sunt ex probationibus primùm quidem testimonia, & si quæ nobis ex quæstionibus confessiones fuerint. Demum verò si nullo modo verisimilia ea fuerint, sententiis, & commentationibus: sin autem non omnino verisimilia, probabili, demum exemplis, & coniecturis, & signis, & argumētis, demum verò commentationibus, & sententiis confirmare debemus. Quod si verisimilia fuerint, probationes quidem omitemus, iustis autem, quemadmodum in antè dictis, vtetur. Et hoc quidem modo confirmabimus. Post confirmationem autem, vbi ea, quæ in aduersarios sunt, collocauerimus, præoccupabimus eas res, quas verisimile fuerit aduersarios dicturos. Et si quidem aduersarii rem negarint, probationes illas à nobis dictas amplificabimus: quas verò illi dicturi sunt, reprehendemus, & extenuabimus. Si verò fateantur & legitima, & iusta esse, quæ secundum scriptas leges à nobis inductas ostenderimus, enitendum est, ut his simul leges, quas & iustas, & honestas, & conducibiles vniuersæ Reipublicæ plures iudicarent, tales etiam eas esse ostendamus: quas autem aduersarii induxerunt, eas contra habere demonstramus. Quod si minus commodè hæc dici quierint, iudices commonefaciendi sunt, eos non de lege, sed de re iudicare, quodque iurati sint secundum leges latas sententiam latum ire, & doceas haud hoc tempore decere leges, sed in constitutis diebus eas ferre. Sed si contigerit, rem his legibus agitari, quæ iniquæ esse videantur, dicendum erit, non legem rem huiusmodi, verum iniquitatem esse, cum lex quidem ad utilitatem feratur, hæc autem afferat ciuitati perniciem. Dicendum etiã erit, haud contra leges facturos, si huic legi contrariam sententiam tulerint, sed leges potius laturus, ne sit improbis, iniquisque decretis vtendum. Oportet autem ad id collectionem afferre, quod nulla lex prohibet Reipublicæ benefacere: sed improbas leges autoritate priuare, aliud nihil esse, quam ciuitatem beneficium donare. Quascumque igitur ex his legibus, quæ nullam ambiguitatem continent, habuerimus, ex talibus præuenientes abundè contradicere poterimus. De ambiguis verò legibus si iudices ita senserint, ut tibi expedit, oportet hæc demonstrare. Quod si iudex dicat quemadmodum aduersarii

aduersarii, condocere facendus est, legumlatorem non hoc sensisse, quod ab illo dicitur, quodque conducit ipsis iudicibus legem ita dicere. Verum si nullo modo possis in contrariam sententiam commutare, ostende aliud nihil posse contrariam legem dicere, atque ipse dicas. Et quo quidem pacto oporteat uti legibus, ex his, quæ diximus, abundabis. Summatim verò si peccasse omnino fateantur, & ex iusti tamen, & legitimi partibus defensionem parent: ex his ea sunt confutatione præuenienda, quæ dicturi illi videantur. Sin autem peccasse fateatur, & sibi tamen ignosci postularint, sic talia oportet confutare. Primùm quidem dicendum erit, deterioris esse moris, quodque tunc illi crimen in imprudentiam reiciunt, cum se deprehensos intuentur. Proinde si huic ignoscitis, alios ite omnes suppliciiis, atque cruciatibus liberabitis. Dic etiam & illud, Si eos, qui peccasse confitentur, absoluetis, quo pacto inficiantes condemnabitis? Dicendum etiã erit, Et si imprudenter errauit, non tamen decet me ob huius imprudentiam detrimento affici. Præterea dicitur, Cum neque legumlator imprudenter delinquentibus ignoscit, eod neque à iudicibus, qui secundum leges iudicant, ignosci iure potest. Ex his igitur, atque similibus, eos, qui sibi secundum postulant, confutare poterimus: sicuti etiam ab initio exposuimus. Vt compendio autem vtatur, quæcunque sint aduersarii dicturi, & ad probationem, & ad iuris sui partes afferendas, & ad veniam postulandam, ex antè dictis præoccupabimus. Post hanc autem causam tota est oratio per enumerationem summatim repetenda, & breuiter (si fieri potest) iudicium animi in aduersarios quidem, vel ad odium, vel ad iram, vel ad inuidiam, in nos autè ad beneuolentiam, vel gratiam, vel misericordiam commouendi. Quibus autem rebus hoc fiat, in deliberatio genere, in suasionibus, & dissuasionibus diximus, ac rursum in defensionis specie ad finem percurremus. Orationis igitur principium in iudiciali genere, si quidem accusemus, ita componemus, & ordinabimus: si verò defendamus, exordium, quemadmodum & in accusando, constituemus. Eas autem res, quarum accusamur, quibusque accusator scientiam auditoribus fecerit, relinquemus: quibus verò opinionem reliquerit, hæc, vbi post exordium proposuerimus, dissoluemus: testesque, & quæstiones, & iuramenta refellemus, quemadmodum antè audisti. Et si quidem res credibiles fuerint, poterimus ipsarum responsionem in eius, quod relictum sit, locum transferre. Quod si testes per quæstiones fidem fecerint, aut in orationem, aut in negotium, aut in quodcunque aliud fuerit in aduersariis maxime verisimile, ipsorum est responsio transferenda. Si verò aut contra utilitatem publicam, aut contra consuetudinem accusator te fecisse criminetur, debes defendere, id maxime esse vtile, quod ab eo crimini datur: vel si id minus poteris, dices ut neque abs te, neque ab is, qui tibi sint similes, aut quod non hoc modo huiusmodi res geri consueuerit. Probabile igitur ita solues. Exemplum verò debes primùm, si potes, demō-

strare id haudquaquam esse criminationi simile, vel aliud tibi ex contrariis præter verisimilitudinem exemplum ferendum esse. Coniecturam autem potes confutare, si dicas quibus causis contraria significare contigerit. Sententias verò, atque commentationes, aut improbables, aut ambiguas ostendas oportet. Signa autem non eius solum, cuius ipse sis accusatus, sed rerum plurimarum signa esse ostende. Et ea quidem, quæ ab aduersariis dicta fuerint, in contrarium, aut ambiguum conuertentes, poterimus hoc modo improbare. Si verò quorum nos accusator criminatur, ea fecisse fateamur, idque ex iusti, & legitimi partibus defendere pergamus, magis legitimas res nostras, iustioresque demonstrare elaborabimus. Quod si minus commodè fieri poterit, ad imprudentiam, casumque defugiemus, iacturasque paruas esse ostendemus, & ignoscendum nobis esse argumentabimur, demonstrantes quàm omnium quidem hominum per imprudentiam delinquere commune sit: sed efficere iniuria, improborum esse proprium. Dices etiam & æquum, & bonum esse, & iustum, & conducibile his ignoscere, qui per imprudentiam deliquerint. Neminem enim omnium scire, si quid aliquando sibi huiusmodi euenturum sit. Ostendendum est etiam, si quid aduersarius ipse aberrauerit, & veniam tamen consecutus sit. Post hæc ea præoccupationes sequuntur, quæ ab aduersariis dictæ sunt. Harum igitur alias satis, superque à rebus ipsis soluere poterimus. Sed si calumniatur, scriptas, nos orationes recitare, aut quod eas recitemus meditari, aut mercede conductos patronos fieri, ad hæc talia contraueniamus oportet, dissimulandoque dicamus minimè omnium lege prohiberi, aut se scripta, aut illud non conscripta loqui. Lege nanque talia patrare non permitti, loqui verò ut quisque velit, facile fini. Dicendum quoque erit, vsque adeo aduersarii delicta vel ipsius eius sententia permagna esse, ut existimet me nunquam dignè in se accusando satisfacere posse, nisi quæ dicturus essem, & antè scriberè, ac multum temporis meditatus sim. Ad scriptarum igitur orationum calumnias sic occurrere poterimus. Si verò dixerint, nos discere, meditarique dicendi facultatem, confitebimur id quidem, dicemusque, Nos quidem, quos ais discere, neque calumniatores, neque contentiosi certè sumus. Tu verò, qui oratoriam tenes, cum hoc tempore, tum sæpe alias nos calumniis circumuenire deprehensus es. Quare conducere ciuibus videtur, ut & ille oratoriam discat. Non enim ac malum, neque insimulatorem eum fore. Eodem quoque modo si quis nos mercede conductos causarum patronos dicat, & fatebimur, & cauillabimur, huiusque rei authorem accusatorem nostrum, ac reliquos omnes demonstrabimus. Mercedum autem species diuidemus, dicemusque alios pecuniis, alios gratis, alios suppliciiis, alios honoribus aduocatos assistere. Te igitur gratis id obire muneris ostende: aduersarium verò dicitur ne paruo quidem pretio aduocatum assistere. Eum nanque ut aliquid argenti iniuste capiat, non autem ne persoluat, in iudicium ire.

Idem quoque modus seruandus est, si quis nos aut aliquos edocere dixerit, qui controuersis apud iudices vtantur, aut iudiciales orationes conscribere. Nam & alios omnes ostendes pro viribus adiumento amicis esse, & docendo quidem, & consulendo: & artificiosissimè in huiusmodi rebus occures. Oportet autem & circa interrogationes, atq; responsiones, quotquot in huiusmodi speciebus inciderint, ne nos negligentia vlla capiat, sed quæ respondeo, concedatur, quæq; negentur, sunt consideranda. Concessionem igitur sunt huiusmodi: Mihi filium enecasti. Enecaui equidem: nam ille in me prius distrinxit gladium. Filium mihi pulsasti. Pulsauit equidem: iniuria enim in me prius manus iniecit. Mihi caput confregisti. Confregi equidem: nam noctu impetum in meam fecisti domum. Tales igitur concessionem legibus freti nonnunquam facimus. Huiusmodi verò negationem legem declinant, Mihi filium occidisti. Non ego quidem, sed lex occidit. Hæc autem omnia ita oportet respondere, cum duarum legum altera iubet hoc faciendum, altera non vetet. Quæ igitur in aduersarios dicenda sunt, ex his omnibus colliges. Post hæc autem eorum, quæ antè dixerimus, iteratione, breuis est admonitio adhibenda. Ea verò est utilis omni tempore: quam ob rem & singulis in speciebus ea iteratione vtendum est. Verùm in accusationibus maximè, & defensionibus ea congruit. Itidem quoque in suasionibus, atque dissuasionibus. Neque solùm ea hinc commemorare quæ antè dixerimus, quemadmodum in laudando, & vituperando, verùm etiam animos iudicum in benevolentiam nostram conciliare, & in aduersarios concitare debemus. Hanc verò iterationem in orationis partibus postremam constituimus. Hæc enim facit vt reminiscaris, summam quæ dicta sunt enumerando, aut ratiocinando, aut interrogando, tua quidem quæ optima sunt: aduersariorum autem, quæ nequissima, si quidem interrogationis figura vt volueris. Cuiusmodi autem vnumquodq; horum sit, ex iis cognoscere possumus, quæ superius dicta sunt. In benevolentiam verò nostram iudices conciliabimus, & in aduersarios concitabimus ex iis beneficiis, vt etiam in deliberatio genere summam ostendimus, quibus nos, vt amici nostri ipsos, à quibus iniuriam suscipimus, ipsorumve necessarios, seu iudices ipsos, vel eos, qui eis curæ sunt, siue affecterimus, siue afficimus, siue sumus affecturi, & si ipsis dixerimus nunc tempus esse referendarum pro susceptis beneficiis gratiarum. Et si eos in commiserationem, si opus fuerit, adduxerimus. Hos autem eò faciemus, quò nostram in auditores benevolentiam demonstramus, & quàm indignè ob ea, quæ malè passi fuerimus, aut patimur, passurive sumus, miseria premimur, nisi hi nobis adiumento fuerint. Si verò nihil nobis absit huiusmodi, commemorabimus quibus bonis priuari fuerimus, aut priuamur, aut priuabimur, vbi iudices nos neglexerint, seu vt nunquam boni quippiam nacti fuerimus, aut nanciscimur, aut nacturi sumus, nisi ab iis auxilium meruerimus. Ex his

nanque commiseratione nos dignos constituemus, & auditores nobis conciliabimus. Aduersarios verò calumniis circumuentos in inuidiam, & odium apud auditores ex horum contrariis adducemus, cum ostenderimus ab iis, aut horum amicis auditores ipsos, ipsorumve necessarios mali quippiam indignè passos, aut pati, aut passuros. Ex huiusmodi enim rebus ad odium, & iram in aduersarios rapietur. Sin autem hæc fieri commodè nequuerint, ea in vnū redigemus, quibus auditores in aduersarios ad inuidiam concitemus. Inuidia namq; propinqua est odio. His autem summam inuidebitur, si eos indignè fortunatos, & ab auditoribus animo alienos ostenderimus, percurrentes quàm multa bona iniuste passi fuerint, aut patiuntur, passurive sunt. Aut quàm nunquam nullius boni indiguerint, vel indigent, vel indigebunt, aut quàm in nihil vnquam mali inciderint, seu incidunt, seu incident, nisi nunc à iudicibus puniantur. Ex his igitur rebus auditorum nobis animos ad benevolentiam in conclusionibus constituere, & in aduersarios contra commouere poterimus. Ex omnibus verò supra dictis accusationes, defensionisque quàm aptissimè ordinabimus.

De questionis speciebus.

Vtendi autem species separatim quidem ipsa raro constituitur, sed aliis speciebus commiscetur, & aduersus contradictiones maximè est utilis. Veruntamen ne huius nos ordo lateat, si quædo vel oratio, vel vita hominum, aut actio, aut ciuitatis administratio querenda contingeret, item etiam hac de parte summam percurrat. Est igitur querentibus eodem quasi modo exordium, sicuti etiam calumnia circumuentos oportere docuimus. Quare cum idoneas in principiis causas attulerimus, quibus id rectè facere videamur, ita ad querendum veniemus. Causæ autem congruent in ciuilibus quidem conuentibus, quòd aut contentione quadam, quin potius ne auditores lateat, id facimus: demum quòd nobis hi prius molesti fuerint. In priuatis verò vel inimicitias, vel paruas eorum, qui queruntur, consuetudines, vel in eos ipsos benevolentiam, vel vt quæ agunt remittentes, non amplius hæc faciant, proferre oportebit. In publicis autem, si legitimum, & iustum, & publicam utilitatem proferemus. Ex iis autem, & his similibus exordio constituto, ac singulis deinceps propositis, aut dictis, aut gestis, aut cogitatis quæremus, eaq; demonstrabimus, & iustis & legitimis, & priuatis, & publicis utilitatibus aduersari. Et omnia demum considerabimus, si quo in loco ipsa sibi vel moribus proborum hominum, officiiue dissentiant. Sed ne in singulis enarradis longiore vtamur oratione, quò pluribus illustrium studiorum, aut rerum, aut verborum, aut consuetudinum res eorum, quos quærimus, aduersari ostenderimus, eò ipsos obscuriores apud auditores constituemus. Opus est autem non tristi, & acerbo quodam, sed miti, mansuetoque; vultu quæramus. Hoc enim modo verisimiliores reddentur apud auditores habitæ

habitæ orationes, & oratores ipsi nullum de se relinquent insimulationi locum. Vbi verò diligenter omnia quæsieris, atq; amplificaueris, orationis exitum breui iteratione terminabis, & vt eorum, quæ dicta fuerint, auditores reminiscantur, efficias. Has igitur species vbi hoc pacto constituerimus, pulcherrimè ipsis vti poterimus.

Peroratio ante dictorum omnium per enumerationem, & amplificationem.



Pus est prætereà orando, & scribendo in id quàm maximè enitatur, elaboramus, vt pro rerum natura verba commodemus, & ita nosmetipsos trita consuetudine iis cunctis exerceamus, vt eorum vsus nobis in promptu sit, atq; vt ex arte quidè dicere possimus, tum in priuatis, publicisque disputationibus, tum iis etiã in sermonibus, quos aduersus alios habuerimus, plurima hinc, & artificiosissima adiumenta suscipiemus. Elaborandum est etiam vt non circa verba orator duntaxat, verùm etiam circa vitam, quàm antè dictis speciebus exornet, atq; magnificet, suam diligentiam omnem, studiumq; accomodat. Nam vitæ compositio & ad suadendum, & ad boni, & æqui viri existimationem adipiscendam conducit plurimum. Primum igitur diuidendæ sunt secundum omnem disciplinæ distributionem, quid primum, quid secundum, quid tertium, quid quartum tractandum sit. Demum ea tibi sunt præparanda, quæ circa auditores attenduntur, de quibus in exordiiis docuimus. Enimvero benevolentiam à persona tua captare poteris, si promissis insistas, & eosdem amicos in omnem vitam tueare, neq; in aliis actionibus inconstans esse, sed iisdem semper vti videre. Attenti autem fient auditores, si his in negotiis verferis, quæ & magna, & honesta sunt, multisq; conducant. Cum verò benevolos auditores reddideris, vbi ad negotiorum expositionem abs te deuentum est, quæcunq; propulsionem malorum, bonorum autem continent exhibitionem, facile apud illos admittuntur: quæcunq; verò secus sunt, reiiciuntur. Sed pro celeri, & aperta, & verisimili narratione hæc sunt tibi faciunda. Celeriter autem absolues, si non omnia volueris simul agere, sed prius primò, & quod reliqui est deinceps. Dilucidè verò, si non statim relicta actione in alias res prius trãseris, quàm illam absolueris. Verisimiliter autem, si nihil à tuo more alienum agas. Item si non eosdè finxeris & inimicos tibi, & amicos esse. Ex his autem probationibus eas assumemus, de quibus ita scientiam ad perficienda negotia tenemus, vt eam aliis interpretari, & explicare possimus. De quibus autem scientiam non habemus, eas prout sæpius accedere solent, adsumemus. Tutissimè namq; in huiusmodi rebus egeris, si consuetudinè sequi volueris. In certamine verò contra aduersarios, siquidè oratione contenditur, ex iis, quæ dicta sunt, nostram confirmationem faciemus. Sin verò contra dictis hoc faciemus, si secundum leges & non scriptas, & scriptas, cum testibus quàm optinis, ac tempore præfinito eos confecerimus. Ex conclusione verò eorum, quæ dicta fuerint, re-

minisci auditores faciemus, si quæ gesta sunt, summam rursus dicemus. Ex his autè quæ agimus, ita commonebimus, quandocunq; eadem negotia, vel similia prioribus tractemus. Beneuoli autem nobis erunt auditores, si ea gesserimus, quibus aliquid beneficii suscepisse, aut suscipere, aut suscepturi videbuntur. Magnas autè res geremus, si ea negotia tractauerimus, quæ multorum sint bonorum causa. Hoc igitur modo quæ ad vitam pertinent, præparanda sunt: ex priore autè instituto circa orationem est exercitatio adhibenda. Sacrificia verò, vt præmissum est, faciemus ad deos quidem piè, ad sumptus autem moderatè, ad spectacula verò splendidè, ad ciues autem vtiliter. Et aduersus immortales quidè deos ea habebunt piè, si patrio more sacrificemus. Ad sumptus autem moderatè, si non quæcunq; missa fuerint, ab his, qui sumptibus præsumunt consumantur. Ad spectacula verò splendidè, si magnifico sint apparatu constituta. Ad ciues autem vtiliter, si & equites, & grauioris armaturæ pedites bellè instructi pompam celebrent. Quæ igitur hoc modo mortales in Deos fecerint, piè certè fecerint. Eos autem amicos comparabimus, qui sint nobis moribus non dissimiles, & quibus eadè, quæ etiam nobis conducant, & quibus magnis in rebus communis nobiscum fortuna sit: talis enim amicitia perdurat maximè. Socios autem eos facere debemus, qui & iustissimi sint, & non mediocri valent potentia, & in proximo habitent: hostes autè faciemus, qui horum sint contrarii. Suscipiendum autem bellum in eos est, qui Rempublicam, aut eius siue amicos, siue socios iniuria violare moliuntur. Præsidia autè habeamus oportet, aut nostra, aut sociorum, aut hospitem causa: & primò quidem nostra, demum sociorum, tertio verò hospitem. De tributis autè id quidè est optimum, quod à priuatis prouentibus, ac possessionibus proficiscitur: secundum verò à censibus: tertium autè à pauperibus, qui sua corpora ministeriis præbent: ab opificibus autem arma, à locupletibus verò pecuniæ. De administratione autem Reipublicæ popularis quidem principatus est optimus, in quo leges optimatibus honores distribuunt: plebs verò neq; dandis priuatis suffragiis, neq; ferendis quidem sententiis: proxima verò illa est, in qua leges à ditioribus affici contumelia plebem non sinunt. Principatus autem paucorum duo sunt genera. Aut enim est ex amicitia, & societate quadam, aut à censibus. Necessè autem est, socios faciamus, cum ciues minùs ex se potentes sunt, qui tum solum, tum oppida tueantur, aut hostibus repugnent. Est autem societas omittenda, cum aut eam facere non sit opus, aut socii longè à nobis distent, neque potentes sint, qui opportunè adsint. Ciuis autè bonus est, qui amicos ciuitati utilissimos comparat, inimicos verò & paucissimos, & infirmissimos, quique sine vlla priuatorum bonorum publicatione prouentus comparat quàm plurimos, & qui sese iustissimum præbens eos in quæstionem agit, qui Rerumpublicarum aliquid per iniustitiam violant. Largitionibus verò vtuntur omnes, aut quoniam aliquid inde sperant commodorum, aut quoniam

susceptorum beneficiorum gratiam referant. Obsequuntur autem omnes aut lucri, aut honoris, aut voluptatis, aut timoris gratia. Commutationibus verò vtuntur omnes aut spontè, aut inuitè. Omnes enim actiones, aut vi, aut suasionè, aut fraude, aut occasione perficiuntur. In bello autem vincitur aut fortuna, aut corporum multitudine, robustitate, aut pecuniarum copia, aut opportunitate locorum, aut virtute sociorum, aut consilio, & calliditate Imperatoris. Socios verò derelinquendos putant, aut maiore utilitate, aut belli solutione. Iustè autem agere est, cõmu-

nes sequi utilitatis cõsuetudines, parère legibus, priuataque pacta seruare. Conducit autem corpori quidem bona habitudo, & formæ dignitas, aut vires, & bona valetudo: animo verò sapientia, prudentia, fortitudo, temperatìa, iustitia. His autem vtrisque pecuniæ, & amici. Inutilia verò sunt horum contraria: plurimum verò utilitatis affert bonorum ciuium multitudo.

R H E T O R I C O R V M A R I -
S T O T E L I S A D A L E X A N -
D R V M , F I N I S .

ARISTOTELIS STAGIRITAE POETICA,

Alexandro Paccio Patritio Florentino Interprete.



DE POETICA eiusq; generibus, quam facultatè singula habeant, & quo pacto, vt rectè Poësis se habeat, componi fabulas oporteat: ex quot etiam, quibusq; partibus constet: de omnibus item, quæcunq; ad hanc viam, & rationem pertinent, dicamus initio secundum naturam sumpto, primùm à primis. Epopœia sanè, Tragediæq; Poësis, Comœdia insuper ac Dithyrambica, tum pleræque illarum, quas ad tibias, citharasve accomodamus, omnes prorsus in hoc vno conueniunt, vt imitatio sint. Tribus autem differunt inter se, aut quòd genere diuersis imitantur, aut quòd res diuersas, aut quòd modò diuerso, minimèq; secundum eam rationem. Vt enim coloribus, atq; figuris pleraque quidam æmulantes imitantur, hi quidem arte, consuetudine illi, nonnulli etiam voce: ita quoq; & in dictis artibus accidit. Etenim omnes imitationem exercent, numero dico, sermone, harmonia, hisq; vel separatim, vel promiscuè. Verbi gratia: Harmonia simul & numero tantùm vtuntur illæ, quæ ad tibias, quæque ad citharas pertinent: tum si quæ alia sint, quæ facultatem huiusmodi fortiantur, vt est illa fistularum. Numero verò ipso seorsum ab harmonia imitari, saltantium est: quandoquidem hi gesticulationis numerosa varietate, mores, perturbationes, actionesque imitantur. Nudis autem sermonibus, siue metris solummodo Epopœia vtitur, metrorum quidem hætenus siue mistis aliquibus inter se, siue generis eiusdè

alicuius. Nam quod Sophronis, & Xenarchi mimis cõmune dicamus, sermonibusq; Socraticis, aliud prorsus habemus nihil: nec itè si quis trimetris, elegis, aliisve talibus aliquibus imitatione fecerit. Quamquam homines ipsi metro fingere adiungentes, elegorum fictores hos, hexametrorum illos nominant: non quidem secundum imitatione, sed cõmuniter secundum metrum poetas ipsos appellantes. Etenim si quid medicum, harmonicumue numeris efferunt, hæc sanè ratione appellare consueuerunt. Homero quoq; atq; Empedocli, nihil planè præter metrum cõmune est: quam ob rē legitimus quidem ille poeta, hic physicus potius, quam poeta, merito vocandus est. Similiter quoq; si quis metra permiscens vniuersa, imitationem tamen fecerit, vt ipse Chæremon, qui Hippocentaurum omnifariã numerorum mistum centonem edidit non iam poeta appellandus. De his igitur per hunc modum determinatum sit. Sunt verò qui his omnibus promiscuè vtantur, numero dico, harmonia, metro, vt Dithyramborum, Mimorumve poësis, Tragedia insuper, atque Comœdia: quæ tamen hoc differunt, quòd illæ quidem simul omnibus, hæc verò particulatim vtuntur. Has igitur artium differentias dico, in quibus imitatio fit. Quoniam verò qui imitantur, agentes ipsos imitatur: hos autè vel probos, vel improbos esse oportet, vt quos duntaxat ferè semper ipsi mores concomitentur (etenim per vitium, atq; virtutem moribus omnes differunt) necesse est (quod etiam pictores faciunt) vel meliores, vel similes, vel deteriores imitari. Polygnorus quidem meliores, Pauson deteriores, Dionysius verò similes effingebat. Ex quo liquidò apparet, imitationum supra dictarum vnamquamque tales differentias sortiri, planèq; diuersam euadere, quòd res diuersas ad hunc modum imitetur. Etenim

nim tum in saltatione, tum in tiliarum, cithararumve modulatione, huiusmodi dissimilitudines fieri contingit. Similiter quoque & quæ circa sermones, & nuda carmina versantur. Exempli gratia: Homerus præstâtes effingit, Cleophon similes: Hegemon verò ille Thasius, (qui primus parodias scripsit) necnon Nicocharis, qui deliadem, viles. Pari ratione & qui per Dithyrambos, & Mimos, vt fatuos, & Cyclopos, Timotheus, & Philoxenus utiq; imitantur. Qua etiã dissimilitudine Tragediã à Comœdia differre dicimus: hæc enim humiliores, illa verò præstantiores, quàm qui modò sunt. Tertia præterea in his differentia est, quo quisque modo singula imitetur. Fieri enim potest, vt eisdem, eadem, diuersa tamen ratione imitemur: aliquando quidè narrantes nos, idq; modò alienam personam induti, (quod Homerus facit) modò vt iidem ipsi non mutati, aliquando verò quasi negotiantes omnes, & agentes introducentes. Atq; in his planè tribus differentiis (vt à principio diximus) imitatio est, quibus videlicet, quæ, & quo modo. Quo sanè fit, vt ab Homero Sophocles aliquo pacto in imitatione non discrepet, quod vterque præstantes imitetur: nec item ab Aristophane, quod vterque negotiantes, & agentes, vnde *ἀγχινα*, id est actus ipsos, nonnulli ab agentium imitatione appellari dicunt. Quamobrem Tragediam, atque Comœdiam Dorientes sibi vendicant. Comœdiam quidem Megareses, tam hi, qui hæc sunt, vt eo tempore inuentam, quo populari administratione eorum Republica regebatur, quàm qui ex Sicilia: siquidem ab his poeta Epicharmus prodiit, multò sanè prior Chonnida, atque Magnete. Tragediam verò quidam in Peloponneso. Eiusq; rei indicium illi vocabula esse voluit, eum ipsi quidem *κῶμας* vicos appellari dicant, Athenienses verò *ἀγχινα*, quasi comædos, non à *κῶμα*, hoc est, comedendo, sed tanquam errantes per comas, id est, vicos, in vrbe despectui habitos, dictos existimant. Rursus hi quidem facere *ἀγχινα*, Athenienses verò *κῶμα* dicunt. Ac de imitationis hætenus differentiis, quot videlicet, & quales, hæc dicta sint. Cæterum à duabus causis, & quidem naturalibus, videtur Poetica habuisse originem. Nam & insitum est à Natura hominibus à pueris imitari: & differunt à cæteris animantibus, tum quòd aptissimi ad imitatione sunt, tum quòd primas disciplinas imitando acquirunt, & vnusquisq; iuxta imitationibus gaudet. Cuius rei quod in operibus accidit, argumentum sit. Etenim quæ ipsi cū molestia aspiciunt, eorum imagines affabrè factas gaudentes intuemur, vt ferarum forma truculentarum, cadauerumve. Huius verò ratio sit, quòd non solum philosophis, sed etiam cæteris mortalibus addiscere iucundissimum est: quæquam modicè in hoc hi communicent: ideoque huiusmodi imagines insipientes gaudent, quoniam ex illarum contemplatione accidit, vt & discant vnumquodq; & in eis, quòd hoc ipsum sit illud, probè ratiocinentur. Alioqui si veras formas neutiquam inspexissent, nullam omnino voluptatem præberet imitatio, præterquam vel opificio, vel colore, vel

tali aliqua ratione. Cùm verò nobis Naturã insita sit imitatio, harmonia, numerus (metra enim numeri partes esse, satis apparet) ab initio ad hæc maximè facti, ea paulatim promouentes. ex ipsis quidem extemporariis Poeticã genuerunt: in diuersa verò abiit pro vnus cuiusque natura. Vt enim actiones honestas digniores, taliũq; fortunatas imitabimur: ita prauas humiliores, sanè primùm conuicii agentes, quemadmodum superiores hymnis, laudationibusve. Ante verò Homerum nullum omnino tale poema habemus, tametsi plura exitisse credere par est. Extat autem ipsius Homeri (vt ab eo initium sumamus) Margites, & huic consimilia: quibus insuper, quod maximè congrueret, iambicum metrum accessit: iambicumq; propterea nunc appellatur, quòd his plerũq; numeris veteres *ἰαμβίαι*, id est, conuiciari inuicè soliti sint. E veteribus aliqui Heroici, aliqui Iambici poetæ extiterunt. At verò ipse Homerus, quemadmodum præcipuè heroicus fuit (solus enim hic non modò rectè, sed actionum imitationibus referta poemata condidit) sic etiam Comœdiã normã primus tradidit, non quidem probris, sed ridiculis in actuum formam collatis. Et sanè similis in Margite ratio. Hic enim ita se ad comœdiam habet, vt ad Tragediã Ilias, atq; Odyssæa. Alii verò pro vnus cuiusque ingenio impulsus, ad alteram tantum poeticæ huius partem animũ applicuerunt. Sicque nonnulli loco iamborum comici, nonnulli loco exametrorum tragici, vt qui circa sublimiorem, honoratiorẽve dicendi characterem versati sint, Tragediæ doctores extiterunt. An verò Tragedia, quatenus attinet ad ipsa genera, satis adhuc sit absoluta, necne, eum id per se iudicando, tum ad theatra referendo, alia considerandi ratio est. Cùm igitur à principio rudes essent, planèq; informes Tragedia, atq; Comœdia, illa quidem ab iis, qui Dithyrambũ, hæc autem (quantum se ipsa aperiebat) ab iis, qui Phallica prodixerunt, quæ nostra etiã tempestate in vrbibus non paucis in consuetudinem ex lege recepta sunt, paulatim auctæ fuere. Sicque Tragedia diuersis mutationibus variata, quoad proprios numeros implet, tandem quieuit. Tunc enim histrionum numerum, ex vno videlicet in duos, Aeschylus primus auxit, & ea, quæ circa choros sunt, imminuit, sermonemq; primarium partium instituit, quos Sophocles ipse eum scenæ ornatu ad tertias vsq; produxit. Adhæc ad magnitudinem ab exiguis fabulis, & ab ridicula dictione, satyris exclusis, ad grauem habitum prouecta, serò tandem quieuit, senariumq; metrum ex octonario adaptauit. Hoc enim antea metro vtuebantur, quòd satyrica, magisq; saltatoria poësis esset. Itaq; elocutioni iam constitutæ, Natura ipsa proprium adinuenit metrum. Maximè enim sermonibus aptum alternis iambicum esse, argumento sit, quòd in differendo plurimi sanè iambi, rarissima verò hexametra mutuo in sermone à nobis proficiuntur. Licet etiã colloqui ipsius harmoniam excedentibus. Adhæc Epifodia quoq; plura, cæteraq; vt singula exornata fuisse dicuntur. De his igitur satis: nimis e-

nim fortasse operosum sit, in singulis immorari. Comœdia autem est (vt diximus) peiorum quidem imitatio, non tamen secundum omne vitii genus: quanquam ridiculum à turpi, proficiscitur. Ridiculum enim aliquo pacto peccatum est, & turpitudine sine dolore, minimèq; noxia: perinde ac ridicula statim appareat deformis facies, distorta, sine dolore. Igitur de promotione Tragœdiæ, & per quos, satis constat: secus verò de Comœdia. Siquidem initio, quod parum sui studiosos habuerit, latuit: serò enim ab Archonte comedorum chorus, vt quisq; sese obtulisset, inductus est. Eius verò professores, vbi iam aliquam speciem præ se tulit, memorantur. Quis autem personas, prologos, histrionum multitudinè, cæteraque huiusmodi protulerit, profus obscurum. Cæterum confingere fabulas, quod quidè à Sicilia primum manauit, Epicharmus, & Phormis cœperunt: sicuti quoq; ex Atheniensibus Crates, iambica profus ratione omissa in vniuersum, sermones, vel fabulas confinxit. Itaq; Tragœdiæ Epopœia duntaxat similes esse apparet, quod metrico sermone præstatiū imitatio est. Hoc differt, quod simplici vitur, metro, quòdq; enarratio est. Longitudine præterea, quoniã Tragœdiæ quidè intra vnius potissimum solis, vel paulò plus, minùsve periodū actio est: quandoquidè Epopœia temporis spatio non vrgetur: qua sanè libertate in Tragœdiis, perinde ac in hexametris, à principio vsi sunt. Circa verò partes, vt hæc ambæ in aliquibus inter se non discrepant: ita propriæ nonnullæ, atq; peculiare huius sunt. Quo fit, vt qui de tragœdiæ virtute, atq; vitio diiudicare nouerit, idè quoq; & de hexametris nouerit: siquidè quæ hexametrorum sunt, in Tragœdia profus inesse apparet: quæ verò Tragœdiæ, in his non omnino. De hexametris igitur imitatione, atq; Comœdiæ, post dicemus. Nunc autè de Tragœdia: cuius essentia definitionè, veluti iam enatã, ex his, quæ dicta sunt, iterum sumentes, hanc esse dicimus. Tragœdia, est imitatio actionis illustris, absolute, magnitudinè habentis, sermone suauis, separatiim singulis generibus in partibus agentibus, non per enarrationè, per misericordiã verò, atq; terrorem, perturbationes huiusmodi purgans. Sermonè suauem appello, in quo numerus, harmonia, & melos inest: id verò separatim genere distinctum: cum metro tantum quædam absoluantur, quædam rursus melodia. Quoniã verò tota imitatio in actione versatur, primum quidè apparatus ipsum, partè Tragœdiæ ponere necesse est: mox melodiã, & dictionè: vt pote ex quibus imitationè cõficiat. Dictionè appello, illã quidè metrorum cõpositionem melodiã, cuius omnino vis per se ipsa satis apparet. Sed quoniã actionis imitatio est, agiturq; ab agentibus quibusdã, quos tum moribus, tum sententia tales esse omnino oportet, sicuti quoq; & actiones aliquas esse tales dicimus: manifestum est, harum actionum duas esse causas, sententiã, & mores, per quas planè vel voti cõpotes, vel minimè cõpotes omnes fiunt. Adhæc actionis imitatio fabula est. Fabulã verò rerum ipsarum cõpositionem appello: mores, secundum quod agentes tales esse dicimus: sententiã, ex quocumq;

dicentes vel aliquid declarant, vel mentem propriam aperit. Necesse est igitur cuiuslibet Tragœdiæ sex esse partes, secundum quas talis esse nuncupetur. Hæc verò sunt, fabula, mores, dictione, sententia, apparatus, melodia. Quarum duæ ad ea pertinent, quibus imitantur: vna tantum ad id, quo pacto imitamur: cæteræ verò tres ad ea, quæ imitamur: præter has, nulla. His itaq; illorum non pauci partibus (vt sic dixerim) vtuntur. Etenim & apparatus totum ipsum continet, mores videlicet, fabulam, dictionem, melodiã, sententiãq; similiter. Horum verò maximus est, rerum cõstitutio: cum non hominum imitatio sit Tragœdia, sed actionis, atq; vitæ, tum felicitatis, infelicitatisve. Quippe felicitas ab actione pedit, finisq; ipse, actio quædam est, non qualitas. Aliqui verò per mores fiunt tales: at per ipsas actiones, sanè felices, vel infelices. Non ergo vt imitentur mores, in actione versantur: sed per actiones mores complectuntur. Quapropter actiones, & fabula, Tragœdiæ finis esse dicuntur: omnium autem maximus, finis est. Etenim sine actione Tragœdia quidè fieri non potest, sine moribus potest: siquidem iuniorum non pauca, morum expertes inueniuntur. Tum poetarum pleriq; tales omnino sunt, vt etiã ex pictoribus Zeuxim à Polygnoto differre dicimus. Polygnotus enim morum optimus expressor fuit: contra Zeuxidis pictura mores minimè referre videbatur. Si quis præterea ordine moratos sermones, dictiones, sententiãq; bene formatas afferat, non quidem penitus negotium, quod est ipsius Tragœdiæ proprium, assequetur. Id, quod illa Tragœdia multo melius præstiterit, quæ talibus vtetur, perinde ac secundo loco necessariis: cum iam fabulam, rerumq; contextum habuerit. Adhæc, quibus maximè mortaliū animos Tragœdia delectat. Fabulæ quidè partes peripœtiæ, id est, euentus in cõtrariū, & agnitiones sunt. Eius præterea rei signum est, quod qui conficere aggrediuntur, exactum illud non antè queunt dictione, atq; moribus attingere, quam actiones constituerint. Id quod veteres poetarum ferè omnes facere consueverunt. Est igitur principium, ac velut anima Tragœdiæ, fabula: secundo verò loco, mores: in quo etiã picturæ similis esse apparet. Si quis enim fucis pulcherrimis tabulam fuscis illinat, non æquè sanè delectabit, ac si imaginè albo tantum distinxerit. Itaq; actionis imitatio est, tunc per hanc potissimum agentium. Tertio sequitur sententia. Hæc autè est, posse explicare, quæ instant, atq; quadrant: id, quod in soluta oratione facultatis ciuilibus, atq; Rhetoricæ proprium munus est. Sanè veteres ciuilibiter dicentes cõfingebant, nostri verò rhetoricè. Mos verò talis est, quo videlicet qualis voluntas sit in his rebus, in quibus non satis liquet, sceteturne quid, an fugiat ipse dicēs, declaratur: quo fit vt sermones interdum moribus careant. Sententiã in his versatur, quæ quomodo aliquid est, vel non est, ostendunt, vel vniuersè enuntiant. Quarto sermonum dictione. Appello autem, quemadmodum diximus à principio, dictionem, per verba sensus explicationem: id, quod in metris æquè, ac in soluta oratione, eandem vim habet. Reliquarum verò quinq; partium sic

sic Melodia suauissima est, vt spectaculum gratissimum. Quod tamen nec artificiosum est, nec ipsius Poeticæ proprium: siquidem Tragœdiæ virtus extra quoque scenã, ac sine histrionibus consistit. Adhæc ars struendorum apparatus propria magis chorago, quam poesis est. His absolutis, deinceps dicendum, qualem omnino esse deceat rerum contextum. Hoc enim primum, maximum in Tragœdia est. Propositumq; semel nobis, Tragœdiam imitationem esse, actionis perfectæ, totiusq; magnitudinè quidè aliquam habentis: siquidem & totum datur magnitudine carēs. Totum verò est, quod principium, medium, atq; finem habet. Principium illud esse dicimus, quod non necessario post aliud est: contra quod posterius aliquod esse, vel fieri natum est. Finem, huic contrarium, illud ipsum, quod post aliud natum est, esse necessario vel plerunque: Medium, quod aliquo posterius, aliquo prius est. Decet autem ritè contextas fabulas minimè temerè vndelibet initium sumere: nec item temerè vbilibet terminari: vti verò semper supra dictis partibus. Adhæc pulchrum siue animal, siue quodcumque ex aliquibus compositum, non ordine tantum, verum etiam congruenti magnitudine constare debet: siquidem ex magnitudine, ordinèque, pulchrum oritur. Nam sicuti fieri non potest, vt per exiguum omnino animal, pulchrum appareat: quandoquidem quæ in insensibili tempore speculatio fit, confunditur: pari ratione nec illud, quod omnino sit permagnum. Ipsa enim speculatio simul fieri non potest: illudque totum, & vnum è contemplantium consideratione potius elabitur. Quapropter sicuti tum in corporibus, tum in animantibus magnitudinè inesse decet, eam dico, quam probè oculis vsurpemus: ita & in fabulis longitudo inerit, quam quidè memoriam facile cõplectamur. Longitudinis autem præfinitio, quantum ad ipsos ludos, planèque ad sensum spectat, minimè artis est. Etenim si in ludis haberi centum Tragœdias opus fuerit, utiq; ad clepsydram, vt olim non semel factitatum dicunt, haberi poterunt. Quæ verò secundum actionis naturam fuerit, illa quidem semper, quæ longius protrahetur, donec tota simul in aperto sit, in magnitudine quidem decentior erit. Vt autem simpliciter præfiniamus, quantam esse fabulam vel deceat, vel necesse sit: cum sanè dicimus legitimum huic fore magnitudinis terminum, cum siue ad cõmodam fortunam ex incommoda, siue ex commoda ad incommodam perpetua serie mutata fuerit. Vna nanque est fabula: non autem, vt nonnulli putant, si circa vnum aliquem sit. Multa enim, minimèq; determinata genere accidunt: ex quibus sanè quædam nullum constituunt vnum. Simili ratione vnius multæ actiones sunt: ex quibus vna nunquã actio fiet. Quapropter omnes hi peccasse videntur poetæ, quicumque vel Heracleida, vel Theseida, cæteraq; id genus poemata confinxerunt: vt qui, vnus cum sit Hercules, vnam quoq; ipsius debere fabulam existimauerint. Homerum verò, qui vt in aliis etiam excellit, ita in hoc quoque, siue id artis, siue Naturæ fuerit, oculatissimum fuisse apparet:

quandoquidem Odyssæam confingens, non sanè cuncta, quæ Vlysi acciderunt, in eam compedit. Verbi gratia, sauciū fuisse in Parnaso, in ducum collectione simulasse infaniam. Quorum cum alterum euenerit, minimè necessariū fuit, vel verisimile, euenisse alterum: quippe qui vnã duntaxat actionem, qualem dicimus, Odyssæam videlicet, itemque Iliadem constituit. Decet igitur, quemadmodum vna vnius imitatio est, in aliis imitatricibus artibus, ita & fabulam: videlicet quæ actionis imitatio sit, vnius eiusdemque integræ esse: sicq; rerum inter se partes cohære, vt ne vlla quidem vel transferri, vel subtrahi queat, quin totum illud varietur, planèq; immutetur. Quod enim vel additum, vel subtractum, totum non immutare videtur, nulla quoq; potestas eius erit pars. Sanè constat ex supra dictis, non poetæ esse, facta ipsa propria narrare: sed quemadmodum vel geri quiverint, vel verisimile, vel omnino necessarium fuerit. Haud enim historicum, atque poetam, carmen, & soluta oratio designant: quippe (quod alioqui facile factum sit) si Herodoti historia carminibus pangatur, æquè nihilò minùs, ac prius sine carmine, erit historia. Sed hoc differunt, quod hic quidem res gestas, ille vt geri potuerunt, exponit. Quo fit, vt sapientius, atque præstantius poesis historia sit: siquidem illa circa ipsum vniuersale plurimum versatur: hæc verò singulare sectatur. Est autem vniuersale, quæ cui conueniat, dicere, vel facere, verisimiliter quidè, seu necessario: id, quod spectat poesis, cum nomina imponat. Contra singulare, quid ipse Alcibiades fecerit, tuleritve. Iam verò & apud Comicos id manifestum: vt qui fabulas ex verisimilibus constituentes, nomina interim pro arbitrio cõminiscantur: non quidem ipsa singularia, quemadmodum iamborum compositiones facere solent. In Tragœdia autem vera nomina retinentur: cuius ratio est, quoniam credibile quidem illud est, quod fieri potest: quæ verò nondum facta fuisse scimus, fieri quidè posse parum credimus: quæ verò facta, fieri certò potuisse ambigit nemo. Nam si fieri nequiuissent, nunquam profectò extitissent. Cum tamen Tragœdiarum aliquæ, sanè ex notis nominibus, vno, vel duobus ad summum assumptis, reliqua deinceps confingant: aliquæ rursus, quemadmodum Agathonis flos, planè omnia, in quo, tametsi cum nominibus res ipsæ pariter confingantur, nihilò minùs delectant. Quare non omnino querendum est, vt vulgatæ fabulæ, in quibus Tragœdiæ sunt, ad vnguem retineantur. Idem querere ridiculum esset: quandoquidem illæ etiam sic notæ, paucis quidem cum notæ sint, iuxta tamen cunctos delectant. Ex his igitur patet, poetam fabularum magis, quam carminum esse poetam, vt qui semper circa imitationem versetur: actiones verò imitatur. Si igitur & in ea quoq; quæ verè prius fuere, fingendo incidat, non propterea à poeta discedet: quandoquidem ex his, quæ gesta sunt, aliqua quidem eiusmodi esse nihil prohibet, cuiusmodi vel extitisse verisimile sit, vel certè fieri potuerint: secundum quæ sanè horum poeta fuerit. Cæterum simplicium fabu-

larum, actionumve, Episodicæ quidem tenerri-
mæ. Episodicam appello, in qua non verifimili-
ter, neque necessariò mutua episodica nectantur.
Fiunt autem hæc tum ab ineptis vatibus suo vi-
tio, tum à probatis quoque histrionum gratia.
Etenim in huiusmodi certaminibus, dum fa-
bulas plus æquo sæpenumero producant, legiti-
mum ordinem peruertere coguntur. Quoniam
autem imitatio non tantum perfectæ actionis,
verum etiam miserabiliù, terribiliùve est: hæc
autem maximè talia erunt, potissimùmque; polle-
bunt, quotiescunq; per se ipsa inuicem admi-
randa illa accident: nimirum hoc pacto admi-
rabile magis sese offert, quam si à casu, vel à fortu-
na proficisci appareat. Siquidem in his etiam,
quæ à Fortuna proueniunt, illa quidem maximè
admirationem præ se ferunt, quæ veluti suo-
pente impulsu prouenire videantur, vt in Argo Mityi
statua, quæ super inspectantem collapsa, authorè
Mityi necis interfecit. Eiusmodi enim hæc
sunt, vt non temerè facta esse opinemur: ideòque;
pulcherrimas tales fabulas euadere necesse est.
Fabularum alia simplices, alia implexæ: quem ad
modum & actiones, quarum imitationes sunt ip-
sæ fabulæ, talem illicò speciem præ se ferunt.
Simplicem actionem voco, in qua quidem (vt
definitum est) continua vna, absq; peripœtia, a-
gnitioneue, agendo fit mutatio: implexam, quæ
vel agnitione, vel peripœtia, vel etiam vtraque.
Hæc verò in ipso rerum contextu ita astruenda
sunt, vt ex his, quæ priùs acta fuerint, necessariò
sequi, aut certè verifimiliter agi videantur. Mul-
tùm enim differt, fiant hæc per hæc, an ex his.
Peripœtia est eorum, quæ aguntur, quemadmo-
dum dictum est, in contrarium mutatio. Id au-
tem (sicuti docuimus) aut verifimiliter, aut ne-
cessariò fit: vt in Oedipode. Accessit enim ille
delectaturus Oedipodem, eundemque parentis
incestandæ timore liberaturus: quis autem esset,
vbi ostendit, contrariù effecit. In Lynceo quo-
que ductus ille quidem est, veluti mox immolan-
dus: Danaus cõtrà subsecutus, vt immolaret: sed
accidit ex his, quæ patrata sunt, vt hic necem, il-
le salutem sit assecutus. Agnitio est (vt etiam ex
nomine liquet) ex ignoratione in notitiã, ad a-
micitiam, vel inimicitiam illorum mutatio, qui
seu felices, seu infelices determinantur. Pulcher-
rima autem fit, si cum peripœtia fuerit: vt in Oe-
dipode. Sunt profectò & alia agnitiones. Nam
tum inanimatorum, tum quorumcunq; vt acci-
dit, fiunt: si quando (vt dictum est) euenit, vt si quid
patrarit quis, vel non patrarit, agnoscamus: illa
tamen, quæ potissimùm à fabula, quæue ab actio-
ne pendet, est, quam diximus. Etenim huiusmo-
di agnitio, atque peripœtia, vel misericordiam,
vel metum parabit. Receptum autem est, actio-
num imitationem esse Tragœdiam: fortunatum
que insuper, seu miserum fieri ex his contigerit.
quoniam verò agnitio, quorundam agnitio est,
alia quidem alterius ad alium tantum fit, cum
quis hic sit, illi notus est: alia rursus mutua indi-
get notitia, vt Iphigenia ex epistolæ illius mis-
sione ab Oreste quidè agnita, vt tamen ipsum a-
gnosceret, alia quoque agnitione opus fuit. Par-

tes igitur hæc fabulæ duæ habentur, agnitio, &
peripœtia: tertia superest, perturbatio. Nam de
peripœtia, & agnitione satis diximus. Perturba-
tio verò, actio est lætifera, seu dolore plena: ve-
luti cum neces, cruciatus, vulnera, cæteraque ge-
neris huius palam fiunt. Cæterum Tragœdiæ
partes, quibus tanquam formis vti nos oportet,
superiùs exposuimus: secundum verò quantita-
tem discretam, atque in quas seceatur, singillatim
hæc sunt: Prologus, Episodium, Exodus, Chori-
cum. Chorici verò alterum mobile, alterum sta-
bile. Sanè cunctis hæc omnibus cõmunia, pro-
pria verò ea, quæ ad scenam pertinent, & com-
mi. Prologus, est pars Tragœdiæ iusta, ante cho-
ri ingressum. Episodium, pars item iusta Tragœ-
diæ, inter choricos perpetuos cantus. Exodus,
iusta pars Tragœdiæ, post quam nullus deinceps
est chori cantus. Chorici verò ingressus, chori
integri prima locutio. Stabile, sine Trochæo,
& Anapæsto cantus. Commus, siue planctus, est
luctus chori communis cum iis, qui in scena
sunt. Partes igitur Tragœdiæ, quæ quasi formæ
habendæ sunt, superiùs explicauimus: rursus se-
cundum quantitatem discretam, & in quas sece-
tur, singillatim quoque diximus: deinceps verò,
quæ fabulas texentes sectari, contrà quæ vitare
oporteat, tum verò à quibus locis Tragœdiæ ip-
sius opus ducatur, supra dictis addendum. Quo-
niam igitur Tragœdiæ pulcherrimæ composi-
tio, non quidem simplex esse debet, sed implexa,
eademque terribilium, miserabiliùve imita-
trix, (id quod profectò imitationis huiusce pro-
prium est) primùm quidem satis apparet mini-
mè decere, bonos, & æquos viros ex felicibus in-
felices factos in scenam afferre: vt quod terrifi-
ci, miserandive nihil habeat, sed scelesti. Parique
ratione ab aduersa fortuna ad secundam proue-
ctos, prauos effingere: hoc enim omnium à Tra-
gœdia maximè ali- num, vt quod rerum, quæ re-
quiruntur, expers omnino sit, humanitatis dico,
nedum terrifici, atq; miserabilis. Sed nec omni-
no improbos ex secunda fortuna in aduersam
lapsos: quandoquidem talis compositio, quæ a-
lioqui humanitatem præ se ferre potest, miseran-
di, aut terrifici planè nihil habet. Vt enim im-
merentis calamitas misericordiam excitat, ita
terror à simili incutitur. Quocirca eum nec mi-
serandi, nec terrifici quicquã ab his proueniat:
reliquum est, vt ad hæc maximè idoneus is ha-
beatur, qui medius inter tales sit. Is autem erit,
qui nec virtute, nec iustitia antecellat, minimè-
que per vitium, prauitatemve, in ipsam felicitatem
lapsus fuerit, verum humano quodam erro-
re, ex magna quidem existimatione, atque felici-
tate: quemadmodum Oedipus, Thyestes, cæteri-
que ex huiusmodi generibus illustres viri. Ne-
cesse est igitur pulchram fabulam constare ma-
gis ex vno hoc genere, quam ex duplici, vt non-
nulli putant: cuius quidem ex miseria ad felici-
tatem mutatio non fit, sed contrà ex felicitate
ad miseriam, errore sanè non leui: minimè verò
per dedecus, ex illo quidem virorum, de quo di-
ctum est genere: quòdve potius ad meliores
quam ad deteriores spectet. Huius autem rei in-
dic

dicium sit, vsus. Etenim iam inde ab initio poe-
ræ, quascunque nacti essent fabulas, admittebãt:
nunc autem pulcherrimæ circa paucas omnino
familias componuntur, vt sunt Alcæonidis, Oe-
dipodis, Orestis, Meleagri, Thyestis, Telephi, cæ-
terorumque; generis huiusmodi: quibus vel facino-
ra quidè grauia perpetrasse, vel ipsos tulisse con-
tigit. Erit igitur pulcherrima illa Tragœdia, quæ
ex huiusmodi compositione constiterit. Quam
ob rem illi quidem decipiuntur ob id ipsum, quo
Euripidem damnant, vt qui in Tragœdiis
suis illud obseruet, earumque plures in infelici-
tate terminentur. Id quod omnino, vt diximus,
ex arte est. Argumento verò illud sit maximo,
quòd in scenis, atque adeò in certaminibus, hæc
si rectè recitentur, maximè quidem tragicæ ap-
parent: Euripidèsque ipse, tametsi aliqua parum
rectè dispenset, omnium tamen poetarum maxi-
mè tragicus videri potest. Secundo loco sequi-
tur, quæ à nonnullis in primo collocatur, illa ex
duplici genere compositio: quo ex ordine Odyf-
sea est, vt quæ diuersa ratione, partim ex præstan-
tioribus personis, partim ex humilioribus con-
stet. Huic sanè primas tribuit Theatralis impe-
ritia: quippe vates hanc auram sequuntur, com-
ponentes quidem ad vota spectatorum. Cæterum
voluptas illa non Tragœdiæ, sed Comœdiæ pro-
pria est: in hac enim, si qui velut Orestes, & Ae-
gisthus, secundum fabulam, inimici fuerint, re-
conciliata tandem inter se amicitia, neuterque
ab altero obruncatus discedet. Terrificum ve-
rò illud, atque miserandum, cum ab apparatu sce-
næ proficiscitur, tum à rerum compositione: id,
quod multò præstantius, meliorisque vatis est.
Sic enim fabulam contexuisse oportet, vt etiam
sublato spectaculo, quis quæ geri contigerunt,
percipiens planè exhorreat, misereaturve: qui-
bus apprimè duobus, qui fabulam Oedipodis co-
gnouerit, afficietur. Illud autem, quod ad specta-
culum pertinet, minùs sanè operosum est, & im-
pendio indiget. Pròinde, qui non terrificum il-
lud, sed portentosum duntaxat spectaculo exhibent,
alieni prorsus à Tragœdia habendi sunt: quippe
delectatio non omnifariam à Tragœdia, sed quæ
tantum propria ei fuerit, quærenda est. Quoniam
autem à timore, misericordiãve talè delectationem
per imitationem poeta parare debet, satis quidem
apparet in ipsis rebus id esse inferendum. De
rebus itaque contingentibus, quæ terrifici, quæue
miserabilis speciem allaturæ sint, deinceps dicere
aggrediamur. Necesse autem est huiusmodi actiones,
vel amicorum inuicem, hostium, siue etiam neutro-
rum esse. Itaque; si hostis hostem obruncet, obruncaturusve sit,
nequaquam miserabile illud, præterquam necis
ipso affectu, assequetur: idque sequetur, si inter
neutros id accidat. Perturbationes verò ipsæ,
quando eueniunt inter necessarios, veluti si fra-
ter fratrem, filius patrem, mater filium, filius ma-
trem vel necet, vel necaturus sit, aut etiam tale
quid facinus patret, patraturusve sit, captandæ
sunt. Pròinde receptas fabulas mutare non li-
cet. Verbi gratia, Clytæmnestram ab Oreste ex-
tinctam, Eriphilem ab Alcæone: quas sanè in-

uenire, atque susceptis iam rectè vti oportet. Id
autem, quod diximus rectè, exactiùs declaran-
dum. Fit enim interdum sic ipsa actio, quod an-
tiqui obseruabant, pèrinde ac ab scientibus, &
agnoscentibus: vt Euripides fecit, qui filios ne-
cantem Medeam induxit. Fit etiã ab ignorantibus
quidem vim facinoris, agnitis verò mox
necessitudinè, qualis Sophocleus est Oedipus.
Id, quod omnino est extra Tragœdiam: in Tra-
gœdia verò ipsa, vt Alcæonem Astydamas, Te-
legonùsve in Vlysse vulnerato. Tertius præter-
eã modus est, per ignorantiam, videlicet debere
aliquem hæc facinora patrare, inter patrandum
verò agnoscere. Præter hos nullus est alius. Si-
quidem quid agi, vel non agi, idque à scienti-
bus, vel nescientibus necesse est, è quibus faci-
nus prudentem aggredi, minimè verò perficere
est absurdum, cum non tragicum quidem, velut
perturbationis expers, sed omnino scelerosum
præ se ferat. Quo fit, vt huiusmodi actionem
sequatur nemo, vel certè rarissima sit inuentu,
vt in Antigone Creontem Aemo fecit. Proxi-
mum huic erit scelus patrare: quo sanè potius
est imprudentem quidem patrare, patrantem ve-
rò agnoscere. Etenim & à facinore scelus abest,
& ipsa planè agnitio stuporis est plena. Nouissi-
mum verò præstantissimum est. Exempli gratia,
in Cresphonte Merope filium interficere debet,
non autem interficit, ita etiam & in Iphigenia
soror fratrem, in Helle filius matrem abaliena-
turus agnoscit. Quapropter (sicuti iam pridem di-
ximus) multarum familiarum Tragœdiæ non
sunt. Siquidem quærentes non ab arte quidem,
sed à Fortuna mutati sunt: ita fabulas contexe-
re. Iaque fit vt inuiti cogamur ad easdem sæpius
familias recidere, quibus videlicet huiusmodi
perturbationes contingere. Igitur tum quales es-
se fabulas oporteat, satis iam dictum. Quantum
ad mores, quatuor sanè sunt, quæ indigent con-
sideratione. Eorum vnum, idque primum est, vt
probitatem præ se ferant. Vtunque enim mos
inerit, si quemadmodum dictum est, tum sermo,
tum actio animi propositum qualecunq; fuerit,
indicauerit: improbus quidem si improbù, pro-
bus si probum: id verò inest in vnoquoque gene-
re. Nam & mulier proba est, & seruus, tametsi
fortasse hoc deterius, illud omnino improbù sit.
Secundo loco sequitur, vt conuenientes sint.
Fortitudo enim mos est, sed esse vel fortem, vel
prudentem, vtique mulieri non conuenit. Ter-
tiò, vt content sibi: est enim separatim hoc ab
eo, quod est præ se ferre per mores probitatem,
conueniensque seruare. Quartò, vt æquali te-
nore procedant. Quanquam enim histrio, vt qui
talem personam induerit, inæqualis appareat,
omnino tamen illa inæqualitas æquabiliter per-
petuò regenda. Exemplum improbi moris sit a-
lioqui minimè necessarium. Verbi gratia, in O-
reste Menelaus indecori, atque inconueniens
Vlyssis eiulatio in Seylla: Menalippèsque; sermo
inæqualis, Iphigenia in Aulide, vt cui poste-
rior supplicatio priori non consonet. Et sanè
in moribus, sicut in ipsa rerum compositione,
tum necessarium, tum verifimile exquirendum

est, atque etiã vti necessario, verisimilive ordi-
ne cuncta procedant. Quare manifestum est, fa-
bularum solutiones ex ipsismet potissimum fa-
bulis proficisci debere, non autem ab aliquo ar-
tificio, vt in Medea, & in Iliade illa per nau-
igationem. Quo sanè artificio vtendum in iis,
quæ extra Tragœdiam sunt, quæcunque videli-
cet vel prius fuerit, quæ neuiquam fieri potest
vt alio pacto ad humanam peruenerint notitiã,
vel quæ futura denuntiatione, diuinatione ve
10 indigeant: quandoquidem deos cuncta inspicere,
satis quidem apud nos constat. Quodcunque ve-
rò rationi consentaneum minus sit, explodendũ
quidem ab ipsis actionibus: si non prorsus, at à
Tragœdia, vt est in Sophoclis Oedipode. Cũ
verò Tragœdia præstantiorum imitatio fuerit,
par fuerit quoque, nos ab excellentium pictorũ
more non discedere, qui dum proprias, verisimil-
simillimas imagines referre student, pulchrior-
res sanè depingunt. Ita etiam poeta, iracundos
videlicet, desidesque dum imitatur, huiusmodi-
que alia circa mores habentes, probitatis quidẽ,
atque iracundiæ sibi exemplum proponere de-
bet, velut fortem Achillem, vt ipse Homerus.
Hæc profectò seruire oportet, insuperque sen-
sus ipsos, qui poeticam consequuntur, præter il-
la, quæ necessaria sunt. Etenim in his fallimur
sæpenuero, sed in sermonibus iam editis satis
dictum de his. Sanè quid sit agnitio, superius
declarauius: nunc verò de ipsius generibus.
Primum quidem, vt est minimè artificiosum, ita
20 à plurimis vsurpatum, aut per dubitationem fit,
aut per signa. Horum rursus ingenita aliqua: ver-
bi gratia, lancea, quam Terrigenæ gestare solent:
vel astra, qualia in Thyeste Carcinus, aduentitia
aliqua, sed hæc vel in corpore, vt per cicatrices:
vel extrinsecus, vt per monilia, per torques, & vt
in Tyro per scapham. Possumus autem meliori-
bus his vti, itẽmque deterioribus: verbi gratia,
ex cicatrice quidem Vlysses agnoscitur, non ta-
men eodem modo à nutrice, & à subulcis: quan-
doquidem hæc fidei faciendæ gratia, artificii sunt
expertia, cæteraque huiusmodi. Quæ verò ex pe-
ripœtia, qualia in Niptris, meliora, ordine huic
proxima sunt. Quæ, quoniam à poetis, confin-
guntur, artificio non carent: qualis in Iphigenia
Orestes, qui & sororem agnouit, & agnitus est ab
ea. Agnouit quidem ex epistola: agnitus autem
ex indicibus. Hæc itaque pro arbitrio poeta pro-
fert, non ipsa fabula: ideòque in peccatum su-
prà dictum facilè lapsus habent: quippe non
nulla afferre permillum est: vt in Sophoclis The-
reo Radium vox. Tertium per reminiscenciam
fit, dum spectando aliquid, in animum quid re-
uocamus: quemadmodum in Dicæogenis Cy-
priis, picturam quidem ille inspiciens ingemu-
it: & in sermone apud Alcinoũ audiens citha-
rœdum Vlysses, ex recordatione fleuit, vel agni-
tus est. Quartum per syllogismum, vt in Cloe-
phoris: quod similis quidam accessit: similis
autem præter Orestem nemo: Orestes ergo ac-
cessit. Tum quod Polydis de Iphigenia est. Ver-
isimile est enim, ratiocinatum fuisse Orestem:
quod, cum inmolata soror fuerit, sibi quoque vt

immoletur contingere. Tale est illud in Theo-
dectæ Tydæo veniens ille, quasi natum inuen-
turus extinguitur: & in Phœnisis, quæ locum
conspicatur, instare sibi fatum propterea com-
pensatur: quoniam in fatis haberent, ibi de-
bere mori: etenim in eo fuerunt exposita. Huic
& adiungitur illud, quod in theatro per paral-
ogismum fit. Exempli gratia: in Vlysses falso nun-
tio, hic quidem arcum cogniturum se dixit: ille
verò tanquam arcu cognoscendo ab eo, propter-
eà paralogismum facit. Omnium verò optima
ex parte rerum agnitio est: à qua videlicet ex ve-
risimilibus admiratio ipsa paritur: qualis illa in
Sophoclis Oedipode, & in Iphigenia. Siqui-
dem verisimile est, literas hanc mittere cupiuis-
se. Huiusmodi enim solæ, absq; vlllo vel impres-
so signo, aut etiam extrinsecus: vt monile, fiunt:
ab his verò probantur, quæ ex syllogismo. Cæte-
rùm constituere fabulas oportet, & ita eas elocu-
tionẽ construere, vt quàm maximè rem ante o-
culos ponant. Sic enim quæ manifestissima fiẽt
poeta inspiciens, pẽrinde ac rebus, dum aguntur,
interfit, cum decorum ipsum inuenit, tum pu-
gnantia minimè illum latere poterunt. Argu-
mento fit illud, quod Carcino vitio datur. Ete-
nim Amphiarus è templo exhibit: id verò cum
non videret spectator, obscurum fuit. Cecidit au-
tem hic à scena, cunctis ob id spectatoribus in-
dignantibus. Pròinde quantum fieri potest, fin-
gendum illud, quod ex habitibus naturalibus pa-
ratur: quandoquidem hi maximè suapte natu-
ra persuadent, qui perturbationibus affecti sunt.
Quo fit, vt exagitatus exagitet, perturbetque ve-
risimè perturbatus. Quapropter vel versatili-
lis ingenii viri, vel furore perciti poetica est. E-
tenim poetarum aliqui ab ipsa Natura ad poe-
ticam bene formati sunt, aliqui autem à mente
abstrahuntur. Cæterùm confictos sermones o-
portet etiam confingentem ipsum vniuersè ex-
plicare, moxque Episodiis ad hunc modum vti,
ac rem diducere. Ad hunc verò modum vniuer-
sale illud speculari oportere dico. Verbi gratia:
Iphigenia constituta ad aras quædam virgo, at-
que ex oculis sacrificantium clam surrepta,
delata verò in aliam regionem, in qua dea ho-
spitum sacrificia ex lege debebantur, eius sacri-
ministerio ipsa præposita est. Procedente tempo-
re sacerdotis fratri illiue accedere contigit:
cur autem contigerit, vt ipsum Deus ob quan-
dam culpam venire illiue impulerit, extra vni-
uersale est: quorsum verò, extra fabulam. Ita-
que cum accessisset, captus, immolandusque
mox, sororem agnouit, siue vt Euripides finxit,
siue vt Polydes, ex verisimilibus locutus: quod
non modò sororem, verum & ipsum sacrificari
oportebat: vnde quidem salus parta est. Quo
facto, nominibus statim substitutis, Episodia
aggredienda: sed hæc quo pacto legitima sint,
sanè considerandum: veluti furor in Oreste,
propter quem captus est, salusque per expurga-
tionem. In dramatibus itaque, siue actibus Epi-
sodia ipsa breuia esse debet: cõtrà in his longior
Epopœia fit, Nimitum, Odysseæ longus est ser-
mo. Per multos annos peregrè quidam cum irer,
& à

& à Neptuno obseruatus, & à cunctis relictus,
ita rebus ipsius domesticis constitutis, vt for-
tunæ omnes à procis absumerentur: filioque in-
sidia iam instarent, iactatus pelago domũ per-
uenit: cumque aliquos agnouisset, illos agres-
sus, ipse quidem sospes euasit, inimicos autem
perdidit. Hoc itaq; propriũ eius poematis est.
Nam cætera ad Episodia pertinent. Vniuersa
verò Tragœdia partim connexionem, partim so-
lutionem continetur, quæ extra sunt, & aliqua
præterea: quæ intra habentur, plerunque con-
nexio continet: reliqua verò solutio. Con-
nexionem appello totum id, quod à principio ad
vltimam vsque pertinet partem, ex qua muta-
tio fortunæ fit. Solutionem à mutationis prin-
cipio, ad finem vsque: vt in Linceo Theode-
ctæ, in quo connexio quidem, acta prius, natiq;
captiuitatem continet: solutio à mortis accu-
satione ad extremum vsque. Quatuor autem
Tragœdiæ sunt genera, totidem quoq; & par-
tes dictæ: quorum sanè Complicitum illud di-
cimus, quod omnino ex peripœtia, atq; agnitio-
ne constat. Patheticum, vt Aiaces, atq; Ixio-
nes, Moratum, Phthoridas, & Peleum. Quar-
tum, veluti Phorcidas, & Prometheus: quæ-
cunq; insuper, quæ apud inferos sunt. Quare
magnoperè poetis conandum, vt horum omniũ
quàm locupletes sint. Quod si omnium minus
queant, saltẽ principalium, atq; quàm pluri-
morum: æoq; etiam enixius, quò in taxandis
poetis hæc ætas in tantum prona est, vt quos in
omnibus his partibus probandos nouerit, in sin-
gulis etiam mirum in modum excellere æquum
censeat. Minimè verò fortasse conuenit, eandẽ
Tragœdiam, siue diuersam appellare à fabula.
Id, quod earum ipsa quidem connexio, atq; so-
lutio indicauerit, cæterum non pauci egregiè
nectentes ineptè soluunt. Oportet autem ab
vtraq; parte plausum iugiter excitare: illudque
cum primis cauere, ne contextum Epopœiæ pro-
prium, in Tragœdia confingamus. Talem verò
esse dicimus, qui complures contineat fabulas.
Exempli gratia, si quis totum illud Iliadis vni-
ca velit complecti fabula. Ibi etenim propter
poematis longitudinem partes ipsæ congruen-
tem suscipiunt magnitudinem: in actibus verò
multò præter id quod susceptum negotium ex-
poscit, longiores euaderent. Cuius rei signum
id esse potest, quod hi, qui totum Illi excidium
simul composuere, ac non potius singulis sepa-
ratim partes, sicuti Euripides Medeam, vel
Niobem, (quod Aeschylus minimè obseruauit)
vel prorsus cadunt, vel certè infeliciter certant.
Siquidem propter id vnum cecidit Agathon: ta-
meti tum in peripœtiis, tum in simplicibus actio-
nibus, hi quidem suum mirabiliter propositum
assequantur. Etenim tragieum, atq; humanum
est, cum sapiens, idẽmque prauus, veluti Sisyphus
deceptus fuerit, siue fortis, idẽmque iniustus su-
peratus, Verisimile enim est, vt Agathon afferit:
quandoquidem multa præter ipsum verisimile
accidere, à verisimili non discrepat. Chori sum-

mam penes vnum duntaxat ex histrionibus esse
oportet, totiusque partem esse, vt autem cõcer-
tationibus, non sicut apud Euripidem, sed sicut
apud Sophocle. Reliquis verò concessa potius
ea sint, quæ ad susceptam pertinent fabulam,
quàm quæ ad aliam Tragœdiam, quapropter in-
tercalare concinunt. Huiusmodi sanè rei initiũ
primum ab Agathone sumptũ. Atqui quidnam
differt inter canere, intercalare, locutionẽve
illam, quæ aliud ex alio nectit, integrumq; Epi-
sodium? Iam verò cum de his omnibus dix-
rimus, reliquum est, vt de Dictione, atque sen-
tentia agamus, tamen de sententia in iis, quos
de Rhetorica scripsimus libris, vt quod eius vic,
& rationis magis proprium sit, differuimus.
Ad sententiam ea omnia pertinent, quæcunque
oratione adstruere oportet: cuius partes erunt,
ostendere, soluere, perturbationes præparare, fi-
cuti misericordiã, timorem, iram, cæteraq; hu-
ius generis: adhæc, exaggerare, ac diminuere.
20 Constat autem, supradictarũ partium rebus ac-
commodata afferre oportere, cum videlicet vel
miserabilia, vel grauiã, vel mira, vel verisimilia
astruenda sunt. In quibus tamen hæc habẽda di-
stinctio est, quod aliqua quidem nullo doctrinæ
adminiculo apparere necesse est, aliqua verò ser-
mone ipso dicentem præparari, ac vi etiam ser-
monis euenire. Quod enim dicentis munus
esset, si non quidem sermonis vi, grata esse vide-
rentur? Circa Dictionem vnum quidem specu-
lationis est genus, de figuris videlicet ipsius:
quod quidem ad histrionicam, atq; ad eum, qui
huiusmodi arti præsit, pertinet. Exempli gra-
tia: quid sit mandatum, quid preces, quid narra-
tio, quid minimè, quid interrogatio, quid respon-
sio, cæteraque id genus. Quandoquidem præter
horum peritiã, ignoracionẽve, nulla quidem
accusatio, quæ digna sit studio, ad poeticam re-
fertur. Nam quis, obsecro, in his peccatum
esse suspicetur, quæ Protagoras accusat? si quis
videlicet, dum precari se existimet, interim præ-
cipiat? hoc pacto: Iram pande Dea. Quandoqui-
dem (inquit ille) iubere aliquid fieri, vel non fie-
ri, præceptũ est. Quapropter facessat hæc con-
sideratio pẽrinde, ac alterius facultatis, non au-
tem Poeticæ propria. Dictionis vniuersæ par-
tes hæc sunt: Elementum, syllaba, coniunctio, no-
men, verbum, articulus, casus, oratio. Elemen-
tum indiuidua dicitur vox, non quidem om-
nis, sed illa tantum, ex qua suapte natura intel-
ligibilis vox constitui potest: quandoquidem
& indiuisibiles sunt ferarum voces, quarum
sanè nullam elementum dicimus. Hæc voca-
lis, siue semiuocalis, aut etiam muta appellatur.
Vocalis, quæ sine vlla prorsus adiectione so-
num, qui exaudiri possit, reddit. Semiuoca-
lis, quæ non sine adiectione, vt *σ*, *ϕ*. Muta,
quæ eum adiectione per se nullum omnino so-
num reddit: adiuncta verò his, quæ aliquam
vocem reddunt, exaudiri potest, vt *γ* & *δ*. Hæc
differunt inter se figura oris, locis, aspiratio-
ne, tenuitate, longitudine, brouitate, acumine,
R r s

præterea grauitate, inflexione: de quibus sanè in his, quæ ad metra pertinent, consideratio propria est Syllaba, vox est nihil penitus significans, composita ex muta, & vocem aliquo pacto habente. Nam γρ etiam absque α syllaba est: & cum α, veluti γρα. Sed harum differentias examinare, metricæ artis est. Coniunctio, vox est minimè significans: quæ nec impedit, nec efficit aliquam vocem significare, apta quidem ex pluribus vocibus componi, extremo, atque medio orationis congruens: quam quidem in initio orationis suapte natura poni minimè conueniunt: vt *μὴ, ἢτοι δὴ*: siue vox per se quidem minimè significans ex pluribus vocibus vnam, apta verò vocem vnam significantem reddere. **Articulus**, vox est minimè significans, quæ vel principium orationis, vel finem, vel separationem ostendit, quemadmodum τὸ φημί, τὸ περὶ, & alia: siue vox minimè quidem significans, quæ nec impedit, nec efficit aliquam vocem significare, aptam ex pluribus vocibus componi, tam extremis, quàm mediis cohærens. Nomen, composita vox est significans sine tempore: cuius aliqua per se pars nihil significat. Nam & in compositis sic obseruamus: vt nullum per se separatam significet: vt in *θεωδώρα*, in quo *δώρα* minimè significat. Verbum, composita vox est, significans cum tempore: cuius (quemadmodum de nomine diximus) nulla per se pars separata significat. Etenim homo, siue album, nequaquam cum tempore significat: ambulat verò, vel ambulauit, cum tempore significat: illud quidem præsens, hoc præteritum. Casuum, qui tum ad nomen, tum ad verbum pertinent, hic quidem significans est secundum huius, vel huic, & quæcunque talia: ille verò secundum vnum, vel plura, vt homines, vel homo: itémque alius secundum personarum modos, quatenus interrogant, siue iubent. Verbi gratia, ambulauit, & ambula: quæ quidem eiusdè generis sunt casus verbi. **Oratio**, vox est significans, composita: cuius partes quædam separatæ aliquid omnino significant. Quanquam enim non omnis oratio ex omnibus & verbis constat, vt hominis ipse definitio: siquidem sine verbis etiam constare potest, omnino tamen aliquas significantes partes habebit: vt in hac oratione, ambulat Cleon: illud Cleon, significans est. Duobus verò modis vna dicit oratio. Aut enim significans vnum per se est, aut additis coniunctionibus. Verbi gratia, Ilias quidem vna erit coniunctionibus oratio: nominis verò definitio vnū significat. Nominis generū aliquid est simplex. Simplex autem voco, quod ex minimè significantibus constituitur. Aliquod duplex, cuius aliud quidem ex significantibus, ac minimè significantibus componitur: aliud ex significantibus omnino. Triplex insuper, ac quadruplex nomen esse potest, quemadmodum multa: Megaliorum *εγμονακὸς ἐάντι*. Omne autè nomen aut est proprium, aut ab alia lingua, aut translatio, aut ornatus, aut fictum, aut productum, aut subtractum, aut commutatum. Proprium voco, quod

omnibus in vsu est. Ab alia lingua, quod aliquibus duntaxat. Ex quo patet, huiusmodi atque proprium fieri posse, vt in idem quandoque recidant, minimè tamen eisdem: vt *σίμωνος*, id est, lanceola, quod Cypriis quidem proprium, nobis verò ab illorum lingua. Translatio, est nominis alieni illatio, vel à genere ad speciem, vel à specie ad genus, vel à specie ad speciem, aut etiam secundum aliquod, quod proportionem respondeat. A genere ad speciem voco: vt. Stetit hæc mihi naus: etenim in portu esse, stare aliquod est. A specie ad genus: vt, Ipse decem peperit iam millia commoda Vlysses: decem millia enim multa sunt, quo sanè vocabulo pro multo vtuntur. A specie ad speciem: Abstulit ære animam immittit: ære abscidit. Hoc enim loco auferre pro abscindere, & abscindere pro auferre vsurpauit: quod vtrunque subtrahere aliquod sit. Proportionem verò respondens dixerim, quando aliquod secundum ad primum simili ratione se habeat, qua quartum ad tertium. Sumit enim vel loco secundi quartum, vel quarti secundum: interdumque addunt, pro quo dicitur, ad quod est. Exempli causa: simili ratione se habet phiala ad Bacchum, qua scutum ad Martem. Dicitur igitur, & phialam scutum Bacchi, & scutum phialam Martis. Rursus ad diem vespera ea ratione se habet, qua ad vitam senium. Itaque dicit, vesperam diei senium, & senium vesperam vitæ: vel, sicut Empedocles, occasum vitæ. Licet autem quibusdam nomen proportionem respondens inditum non sit, nihilò tamen fecius simili ratione dicitur: quemadmodum frugem quidè proiicere, serere dicimus: proiici verò à Sole flammam, nominis est expers: cum tamen ita ad Solis flammam hoc se habeat, quæ admodum serere ad frugem: ideòque Sol dicitur, sator diuinitus ignis. Licet autem huiusmodi translationis modo vti, & alio quoque, cum videlicet nominauerimus alienum quippiam, aliquid eius proprium ab eodem remouentes: vt si quis appellare volens phialam, dixerit scutum, non Martis, sed Bacchi. Fictum est, quod à nemine vsurpatum, à poeta ponitur: cuiusmodi hæc esse apparent, vt Cornua ramos, & sacerdotem custodem, Productum atque subtractum: Productum videlicet, quod longiore vocali vtatur, quàm sit eius propria, siue etiam adiectam syllabam adsciuerit. Subtractum, quod aliquo siue peculiari, siue adiecto mutilum sit. Exempli gratia, Productum *πόλις* & *πόλιος*, *πολιεύς* & *πολιεύειν* dicimus. Subtractum, vt *ἡγῆ* & *ἡγῆς*: atque etiam cum vna ex geminis sit, vt per *ἡγῆς* ἡγῆς, id est, suæ. Commutatum, cuius in denominatione aliqua quidem remanet pars, aliqua verò additur: velut, Dexterem secundum mammam, pro dextram. Nominum præterea sunt aliqua masculina, aliqua foeminea, aliqua media. Masculina, quæcunque in *ν* & *ρ* desinunt, & in cunctas, quæ à *π* *χ* mutis componuntur: sunt enim, omnino duæ, *ν* & *ξ*. Foeminea, quæcunque in vocales suapte natura longas, quales sunt *η* & *ω*, desinunt: productas insuper

in *α*. Quo fit, vt hæ numero sint æquales illis, in quas masculina, & foeminea desinunt. *ν* enim, & *ξ* non diuerse sunt. Sanè nullum nomen in mutam desinit, sed nec in vocalem breuem: in *ι* uerò tria tantum *μέλι*, *κίμμι*, *πίπερι*. in *υ* quinque, *πῶδι*, *νάπτω*, *ρόνον*, *δόνου*, *ἄστου*. Media in hæc, insuperque in *ν* & *σ*. Dictionis autem virtus, vt perspicua sit, non tamen humilis. Quæ igitur ex propriis nominibus constabit, maximè perspicua erit, humilis tamen. Exemplum sit, Cleopontis. Sthenique poesis: illa veneranda, & omne profus plebeium excludens, quæ peregrinis vtetur vocabulis. Peregrinum voco varietatem linguarum, translationem, extensionem, tum quodcumque à proprio alienum est. Verum, si quis hæc omnia simul congerat, vel ænigma efficiet, vel barbarismum. Ænigma quidem, si translationes: barbarismum verò, si linguas. Ænigmatis forma ea erit, oratio scilicet, quæ ex minimè congruentibus inter se constet. Hoc itaque per nominum compositionem effici minimè potest, per translationem verò potest: vt, Vidi igne, atque ære virum viro inhærentem vnum cæteraque id genus: quemadmodum quoque ex linguarum varietate barbarismum: quapropter aliquo pacto hæc admiscetur. Pròinde sicut illud non triuiale, ac minimè humile, lingua, translatio, ornatus, cæteraque: dictæ species pariunt: ita proprium perspicuitatem. Cæterum non minimam conferre videntur partem ad dictionis perspicuitatem, & ad vulgare excludendum, productiones, cõcisiones, nominumque immutationes: quandoquidem id, quod præter vsum communem sit, quatenus à proprio diuersum est, illud minimè plebeium efficit: quatenus verò cum vsu communi conuenit, claritatem. Quapropter errant non parum, qui huiusmodi dictionis genus accusant, quique Poetam ipsum incessere audent: id quod priscus Euclides fecit. Quasi facile quis coningat, si ei, dum iambos conscribat, in ipsa dictione nomina quantumlibet extendere liceat: quemadmodum *ἡ τὶ χαρὴν ἔδωκε μαρμαρῶνα βαδίσοντα, δὲ ἀνὰ γῆν ἄμενον τὸν ἐκείνους ἰδὲ λείβορον*. Itaque ridiculus esse apparet, qui hoc dicendi modo vsus est. Atqui mensura æquè omnibus partibus regula est. Nam si quis translationibus, linguis, cæterisque huius generis vel indecenter, vel affectatè vsus fuerit, pari ratione ridicula struxerit. Quantum verò concinnitas in carmine polleat vel ex eo cõsideretur, quod loco nominum ad mensuram in oratione comparatorum à varietate linguarum, translationum, cæterorumque generis huiusmodi, si quis proprias appellationes posuerit, veram nos attulisse rationem inficiàs non iuerit. Id, quod Aeschylus, atque Euripidis in eodem faciendo iambo pariter versantium exemplo apparet. Nam cum hic vnum duntaxat nomen lingua non trita loco proprii immutauerit, tam pulcher apparuit, quàm ille abiectis est visus. Etenim in Philoetere Aeschylus sic locutus est: Mei pedis carnem exedit phagedæna: ipse verò Euripides loco exedit, epulatur apposuit. Ad hæc. Nunc autem paruus me existens turpis ineptus. Verbi

gratia: si quis afferens magis propria, id ineptus immutauerit, hoc pacto: Debilis informis me existens, exiguusque: itémque indignum currum, & exiguas dapes: dicatque currum prauum, & prauas dapes. Rursusque pro Iones vociferantur, Iones clamant. Aripades præterea carpebat tragædos perinde, ac in Tragædiis suis his vterentur, quæ in communi sermone diceret nemo: ut *δύμων ἀπο* pro *ἀπὸ δύμων*, id est, domibus ab, pro ab domibus: & *σέθεν* pro *σθ*, id est, sui: & *νῆρ* pro *ἀντὸν*, id est, ipsum: & *ἀχιλλεύς* pro *πέρι ἀχιλλεύς*. id est, Achille de, pro de Achille, cæteraque huiusmodi: profus ignoras, quod hæc omnia dum proprium vitant, plebeiam interim dictionem effugiunt. Cæterum magni negotii est, in supra dictis singulis à decenti non discedere, minimèque abuti compositis nominibus, linguisque: cum primis verò decenter vti translationibus, maximè est arduum. Id, quod non aliunde quæsitum sit oportet, versatilisque ingenii indolem præ se ferat. Etenim rectè quid transferre, simile aliquod illius cõtemplari est. Duplicia verò nomina, vt maximum in modum Dithyrambis quadrant, sic Heroicis linguarum varietas, iambicisque translationes. Quanquam Heroicis quidem supra dicta omnia valde vsui sunt: Iambicis verò quod maximè colloquia æmulentur, cuncta illa conueniunt nomina, quibus ritè quis in ipso sermone vtatur. Sunt autè hæc propria: metaphorica, ornata. De Tragædia igitur, deque ad actionem accommodata actione, satis hæc tenentur à nobis hæc dicta sint. De narratiua verò, & per numeros imitatione, quod ipse quoque fabulæ, non secus, ac in Tragædiis actus, consistere debeant, pariterque circa vnâ, eamque integram, atque perfectam actionem versari, principio scilicet, medio, finèque constantem, à qua sanè velut ab integro quopiã animali, voluptas quædam peculiaris proficiscatur, omnino manifestum est, itémque: quod historiis vsitatis dissimiles esse debeant, quæ quidem non vnus tantum actionis præbeant notitiam necesse est, sed temporis vnus omnium sanè, quæcunque in eo tam circa vnum, quàm plures contingere, eodem scilicet modo, quo singula quæque inter se (vt casu euenit) se habent. Verbi causa: circa idem tempus nauale bellum in Salamina, præliumque Carthaginensium in Sicilia, quæ minimè quidem in eundem exitum spectant. Ita quoque in sequentibus temporibus, dum alterum interdum post alterum fit, quibus vnus non est exitus. Id, quod ferè poetarum non pauci efficere solent. Quam ob rem, quemadmodum superius diximus, ob id etiam præ cæteris diuinus Homerus videri iure debet, quod bellum quidem alioqui principio, medio, finèque constans totum scribere minimè est aggressus: siquidem vel nimis magnum euasurum, atque adeo perceptu difficile existimauit: vel si ad iustam magnitudinem perstrinxisset, inculcatum nimia varietate futurum: nunc verò eius rectè vna duntaxat parte suscepta, pluribus in ea Episodiis vsus est: sicuti nauium catalogo, aliusque: Episodiis, quibus poësim ipsam locupletissimam

tissimam reddit. Alii verò circa virum vnum, tempusq; duntaxat vnum versantur: sed actionem ipsam multimembrem constituunt, quemadmodum qui Cypriaca, & Iliadem paruum conscripsit. Verumenimvero Ilias simul, atq; Odysea vna tantum Tragœdia, duabus ad summum claudi possunt: contra Cypriaca non nisi pluribus, tum parua Ilias ex octo amplius constat: vt sunt Armorû iudicium, Philoctetes, Neoptolemus, Eurypilus, Emendicatio, Lacæna, Ilii excidium, Reditus, Sinon, Troiades. Iisdem præterea generibus Epopœia, quibus Tragœdia constat, est necesse, Etenim vel simplicem; vel complicatam, vel moralè, vel patheticam hanc esse oportet. Cui totidem, eademq; partes, præter harmoniam, & apparatus respondent: vt quæ peripetia, agnitionibus, affectibus, adhuc etiam sententiis, & dictione, egregiis quidem omnibus indigere videatur. Quibus sanè cunctis & ante alios, & plenissimè Homerus vates vtitur. Siquidem vtroq; poemate hæc omnia cõplexus est. Vt enim Ilias simplex, atq; patheticum continet genus, sic Odysea complicatâ, ut quæ agnitionibus constet, & per totum morata sit: adhuc quoq; dictione, atq; sententiâ, cæteris mirum in motum vatiibus antecellit. Differt autem Epopœia cõtextus à Tragico, longitudine, metroq;. Itaq; longitudinis præfinitio sit, de qua nobis satis est dictum, vt principium, simulq; finis conspici queat. Hoc autem fuerit, si contextus ipsi, veteribus quidè minores erunt: plures verò Tragœdias ad vnam auditionem dispositas complectentur. Quippe proprium Epopœia est, posse plurimum in magnitudinè excrefcere: id, quod assequi Tragœdia nõ potest: quando quidè hæc plura simul facta imitari nequit, sed id solûmodo, quod in scena tunc, atq; adeo penes histriones est: contra in Epopœia, vt quæ mera enarratio sit, plures veluti partes transactas conglutinari permillum est, quibus sanè perinde, ac sibi propriis, poematis ipsius quasi grauidus augetur vterus. Quapropter hæc prærogatiua cum polleat, tum ad auditorè subinde leuandû, neq; dissimilibus Episodiis cuncta ad peragendû. Etenim Episodiorum vniformitas, vt quæ citò satietatè afferre soleat, in causa est, cur Tragœdia ad finè festinet. Heroicum verò carmen ex ipsa quidem experientia congruens esse apparuit. Etenim si quis alio quolibet metri genere, pluribusue inter se mistis, enarratiuam facere imitationem aggressus fuerit, præter ipsum decens factum videri poterit, quando quidem numerorû omnium stabilissimum, atq; turgidissimum Heroicum est. Quo sanè sit, vt linguas, atque translationes potissimum admittat. Nam motus ipse enarratiuus præ cunctis aliis excellens est. Iambi verò, atq; octonarii, mobiles quidè sunt: verum vt hi saltationibus, sic agendis rebus illi aptissimi sunt. Adhuc illud etiam magis absurdum, si quis, vt ipse Chæremum, hos miscuerit. Quare longum contextum alio, præter quàm heroico, metro ritè panget nemo: nimirum id cõgruere (sicuti diximus) Natura docet. Proin vates Ho-

merus in hoc quoq;, quemadmodum & in cæteris, præcipua laude dignus est: quandoquidem omnium vnus, quod ipsum deceat poetam, minimè ignorat. Decet autem hunc ex persona sua pauca dicere, quod in eo imitator non sit. Itaq; vates alii, dum hoc studio semper certant. pauca interim, paucisq; in locis imitatione assequuntur: contra Homerus pauca admodum præfatus, modò virum, modò mulierem, interdum mores aliquos inducit. Nihil enim vnquã non moratum, at semper moribus præpollens, quodcunq; confingit. Sanè conuenit Tragœdiæ, ipsum præbere mirandû, magis autem Epopœia: quod videlicet proportionè respondeat. Ideoq; mirandum maximè huic conuenit: quoniam in ea ad ipsum agentem minimè respicimus. Porro, si quis illa, quæ de persecutione in Hæctorem sunt, in scenam afferat, & ridicula apparere fecerit. Nam & illos stare, & hunc abnuere videre esset, quod prorsus in ipsis carminibus lateret. Cæterum mirandum ipsum per se esse id gratum, argumento sit: quod omnes huiusmodi aliquid, dum nuntiant, veluti dicturi in gratiam, id semper exaggerant. Homerus verò præcipuè alios docuit, quo pacto mendacium ipsum dici oporteret: quod profectò paralogismus est. Existimant enim homines, cum hoc ipso existente, siue factò, hoc ipsum fiat, si posterius, sit, etiam prius esse, vel fieri: quod quidem mendacium est. Sed ob id sanè mendacium primum est, quod alio quopiam existente, hoc idem esse vel fieri necesse sit: siquidem cum hoc esse verû sciat anima nostra, paralogismo colligit, etiam primum esse verum. Cuius exemplû ex Niptris sumi potest. Itémq; fieri quæ neutiquã possunt, modò verisimilia sunt, potius quidem eligenda esse, quàm quæ minimè verisimilia, licet fieri possint. Sermones quoq; ipsos adeo nõ ex parte rationis expertium constitui debere, vt etiã nihil, quod non summa ratione præditum sit, contineant: si verò secus fiat, extra ipsam fabulationem saltem sit. Exempli gratia: ignorantia Oedipodis, quo pacto Laius occubuerit, non autem in actibus: sicut in Electra Pythiorum nuntiatio: itémq; in Mysia. Ex Tegea mutus vt loqueretur, profectus in Mysiam est, quapropter locutum fuisse dicere, fabula quidem ridicula esset. Etenim à principio eiusmodi constituendæ non sunt. At si semel constitutæ fuerint, & ita sint receptæ, eas admitti quamuis absurdas, probabilius erit, quandoquidem illa etiam in Odysea circa Vlyssis expositionem rationis expertia sunt: quæ quidem nullo pacto toleranda apparerent, si hæc eadem non bonus aliquis poeta cõfixisset: nunc verò diuersis bonis absurdum illustrans, suaue ipsum poeta reddit. Cæterum in dictione, ociosis in partibus maximè elaborandum: secus autem in his, quæ moribus, quæq; sententiâ polleant: quandoquidem ipsa valde luminosa dicitio, tum mores, tum sententiâ, quæ quidè per se satis conspicua sunt, obumbrare solet. Cæterum indubitationes, ac solutiones, ex quot videlicet, quibusve generibus constent, ita considerantibus mani

manifesta fient. Etenim cum imitator poeta sit, sicuti quoque pictor, vel alius imaginum designator, eorum semper vnum aliquod, quæ tria numero sunt, imitetur necesse est: qualia videlicet fuerint, siue sunt, vel qualia dicuntur; videtur vt, vel qualia esse oportet. Hæc autem dictione tum per linguas, tum per translationes enunciantur. Multa enim dictionis ipsius affectiones sunt, quas poetis indulgemus. Adhuc nõ eadem est rectitudo ciuilibus facultatis, quæ poetica: sed nec alterius vllius artis, præterquã poetica. Huius verò peccatum omnino duplex est, alterum per se, alterum per accidens. Itaque quod ad imitandum non imitabile sibi proposuerit, per se huius peccatum erit: proponere vero non rectè, per accidens. Quemadmodum vtrunque dextrum latus equum promouentem aut secundum vnamquamque artem peccatum. Verbi gratia: secundum medicinam, aliamve quamlibet artè: aut etiam si quæ fieri nequeunt, confinguntur. Qualiacunque igitur hæc fuerint, minimè quidem per se huius peccata dicimus. Quo fit, vt obiectiones in quæstionibus, si quis ad hæc respexerit, soluturus sit. Ac primum quidem, tametsi peccemus semper in his, quæ secundum artem sunt, si quæ fieri nequeunt, confingamus: rectè tum id factum se habebit, si propterea eiusdem finem assecuti fuerimus. Dicitur enim eius finis: verbi causa, si hoc pacto, vel id magis stupendum fuerit, vel aliqua ipsius pars huiusmodi reddatur. Exemplum sit, illa in Hæctorem persecutio. Si ergo finem magis, minùve assequi contigerit, peccatum verò in his, quæ circa artè sunt, fuerit, nequaquã satis rectè id fiet: quippe si fieri potest, nullo pacto peccandum est. Præterea, vel est in his peccatum, quæ secundum artem sunt, vel quæ secundum aliquod accidens. Leuius enim fuerit, si ceruam cornua non habere ignorauerit, quàm si nõ bona imitatione descripserit. Adhuc, si quis ex parum veris arguatur, at certè qualia esse decet, solutio sit: id quod Sophocles dixit, se quidè homines, quales esse oporteret, effingere: Euripides autem, quales essent. Quod si neutro soluendum sit modo, at certè ita esse dicuntur: respondendum erit, velut in iis, quæ ad ipsos pertinent deos. Fortasse enim sic dicere, neq; meliorem in modum, neque secundum veritatem fuerit. Sed tamen ita contigit, vt Xenophanes ait, ferunt hæc, quanquam non meliorem fortasse in modum, nihilo minùs ita se habere: velut illud, quod de armis perhibetur, Rectè quàm solo præfixæ hastæ. Sic enim eo tempore moris erat, vt nunc etiam apud Illyrios. An verò rectè, vel non rectè à quoquã siue dicatur, siue fiat, si quis inquirere velit, non modò id ipsum factum, dictumve considerare debet, vtrum laudabile, an prauum sit: verum etiam ad agentem, dicentemve respicere, ad què videlicet, vel quando, vel cui, vel gratia cuius. Verbi causa: boni maioris gratia vt fiat: mali maioris, ne fiat. Sunt etiam aliqua, quæ si ad dictionem ipsam respexeris, licet soluere. Verbi gratia: lingua, vt Principio sanè ἔργας: nam ea vox ἔργας fortè nõ

multos, sed custodes significat. Ac de Dolone: Turpis erat species: non quod esset corpore male compacto, verum turpi facie. Nam vocabulû εὐειδὲς pulchra facie aliquid Cretenses vocat: & illud ἰσοπέτερον propinabat. haud enim ἰσοπέτερον eo in loco pro mero, quo ebriosi gaudent, sed pro frequenter accipitur. Per translationem insuper: vt,

Iamq; Deos alios perniox, hominesq; tenebat
Insignes galea somnus. tum illud quoque
Si quãdo Troiæ ad cãpos sua lumina vertat?
Vt etiam tibiaram, fistularumque vocem, sanè pro multis, omnes per translationem dicimus. Omne enim aliquid multum est. & οἷν δ' ἀμιμῶρος, id est, sola expers, similiter per translationem. Illud enim quod notissimum est, vnicum, & solum dicimus. Soluimus præterea ratione accētus, vt Hippias Thasius illud, διδομεν δὲ οἷ, id est, Nos verò damus. οἷ enim articulus est: cui si circumflexum addideris accentum, pronomen sibi, significat. Quin & illud quoque, & καταπίθεται ἑμῶν, id est imbrè minus marcet. & enim, quæ negatiua particula est, si circumflexum cum aspiratione sumpserit, aliud sonat. Per diuisionem quoque, quemadmodum apud Empedoclem.

Nata sed hæc subito mortali corpore vidi.
Ante immortalis quàm animatia seligeretur.
Itè per amphibologiam: Plurima præterit nox.
Illud enim πλεον amphibologicum est. Per consuetudinem quoq; dictionis, vt illud κερραμβλον, id est, mixtum: quod ad vinum pertinere receptum est. Vnde & illud, Ocrea, quæ fuerat stamno confecta recenti. & χαλκείας, quæ vox alioqui fabros ararios significans, pro ferrariis sumitur. Iuxta quod etiam Ganymedes à vino minister Iouis appellatur, cum tamen dii ipsi vinum nõ bibant: id, quod per translationem dici neutiquàm potest. Quando autem in nomine contrarietas inesse significationis videtur, considerandum sanè, quotuplex est eius circa id, de quo agitur, significatio. quemadmodum: Huic spicula ferrea cum prohibebat. Etenim eo in loco ἔχετο, quod alioqui inhærebat, significat: pro prohibebat accipitur. Quotuplex verò illud, expenditur hoc fermè pacto: maximè verò, si quis contraria, è regione disposita suscipiat: siue, vt inquit Glauco, Quoniam sine ratione aliqua præsumunt, ipsi quidem veluti iamiam pronuntiatu ratiocinantur: quasiq; pro arbitrio locuti, tametsi eorum opinioni contrarium insit: redarguunt. Quo in genere sunt illa, quæ de Icaro perhibentur. Siquidem Laconem huc extitisse existimant: ideoq; sequi absurdum, eundem quidem Lacedæmona Telemachû in eum minimè incidisse: cum tamen id fortasse se habeat. Quemadmodum Cephalenses dicunt, qui quidem duxisse apud se vxorem Vlysssem dicitant: Icadiumque esse, non Icarium. Hoc autem in genere peccatum, est verisimilis dubitatio. In summa, quod fieri nequit, vel ad ipsam Poesim, vel ad meliorem eius modum, siue etiam ad famam referendum est. Quantum verò ad Poesim attinet, credibile potius, licet fieri

fieri non queat, eligendum est, quàm incredibile, licet queat. Huiusmodi autem sint, cuiusmodi pinxit Zeuxis: potiusque in melius declinent. Exemplar enim ipsum superare oportet: & ad illa, quæ præter rationem dicunt esse, sic respondendum: tum quòd aliquando sine ratione non sunt. Verisimile enim, fieri aliqua præter id, quod verisimile est. Cætera ita dicta contraria sic exploranda, quemadmodum in sermonibus elenchi, si idem, & ad idem, & eodem modo: sicuti dicentem ipsum, aut ad ea, quæ ipse dicit, aut quæ prudens aliquis supponeret. Rectè enim id increpatur, quod siue rationis est expertis, siue probitatis: cum videlicet nulla necessitate cogente, præter rationem aliquo quis vtatur: sicut Euripedes Aegisthi nequitia, & in Oreste Menelai. Tales itaque obiectiones ex quinque generibus proueniunt. Etenim vel sicut illa, quæ fieri nequeunt, vel quæ rationis expertia, vel quæ lædentia, vel quia contraria, vel præter artis rectam normam existunt. Solutiones autem ex dictis iam enumeratis considerandæ sunt omnino duodecim. Vtrum verò melior epopœica imitatio sit, an tragica, dubitare aliquis poterit. Etenim si illa melior, quæ minùs inuidiosa, huiusmodi sanè est, quæ ad meliores sit spectatores: manifestum quidem, quòd illa, quæ cuncta imitari vult, magis inuidiosa est: vt quæ parum sentientes, nisi multo motu moueantur, excitare debeat. Id, quod inepti tibicines efficere solent: qui, cum discù imitari oporteat, se ipsos in gyrum agunt: Scyllamque dum modulant, chori principem trahunt. Itaque tragœdia talis est: vnde priores illi iuniores se pro histrionibus habebant. Siquidem Myniscus velut in eo nimis Callipidem, simiam appellabat: talisque propemodum de Pindaro opinio erat. Vt autè hi ad illos se habent, itaque quoque integra ars ad Epopœiam. Hanc igitur sicuti præstantiorum spectatorum esse dicunt, histrionica arte minime indigentium: ita ignarorù Tragœdiam, quæ quoniam inuidiosa, ideo deterior esse apparet.

Primum igitur huiusmodi accusatio non poetica, sed histrionica est. Nam & iudiciorum opificio, tum qui hexametros recitat, quod Sosistratus faciebat, vtitur: tum qui hos concinit, quod Mnastheus Opuntius. Deinde non omnes motus sunt improbandi, sicuti nec saltationes: sed

imperatorum tantum, quibus & ipse tunc arguebatur Callipides, & nunc etiam aliqui: perinde ac minime liberales fœminas imitentur. Adhæc Tragœdia sine motu, quemadmodum & Epopœia conicitur, vt quæ ex lectione quoque, qualis omnino sit, manifestò apparet. Itaque si in cæteris est præstantior, illud sibi quasi minùs necessariù esse planè dicimus. Omnibus insuper quæcunq; Epopœia continet, abundè pollet. Nam & numeris vtitur, & quæ non modica pars habenda est, musica quoque, & apparatus. Ex quibus sanè voluptates ipsæ manifestissimè percipiuntur: nec non in agnitione, cæterisque actionibus euidentissima est, & ambitu minori poeticæ imitationis finem assequitur. Id enim vberiore voluptatem præbet, quòd quæ per longam temporis periodum sparsa habentur, breuiori collecta gyro perstringit. Exempli gratia: Si quis Sophocleum Oedipodem tot in carmina, quot Ilias continet, distribuerit. Adhæc Epopœicam imitationem, qualiscunq; fuerit non vnam omnino esse, argumento sit, quòd ex hac, qualiscunq; fuerit, Tragœdiæ semper plures exeunt. Quare si vnam isti fabulam composuerint, necesse est, eam vel breuem nimis, instarque muris caudæ apparere, vel si ad iustæ mensuræ longitudinem producerint, quasi vinum dilutissimum. Quòd si plures, verbi gratia, si ex pluribus actionibus commistam, profectò non vnam: qualem Iliadem & Odyseam, plures quidem huiusmodi continentes partes, quæ alioqui per se ipsas enim etià magnitudinem habent: tametsi huiusmodi poemata tum optimè quantum fieri potest constituta sint, tum etiam quàm maxime vnius actionis imitatio. Si igitur tragœdia non modò in his omnibus præcellit, sed artis quoque opificio (quippe non quamlibet voluptatem, verum quam diximus, præstare debet) sanè liquet meliorem hanc esse, multò quidem perfectius Epopœia finem assequentem. De Tragœdia igitur, & Epopœia, deque earum generibus, atque partibus, quot etiam, quibusque differunt, de causis insuper, cur hæc merito probentur, reprobenturve, tum de obiectionibus, ac solutionibus, satis hæcenus à nobis hæc dicta sint.

FINIS POETICAE.

IN METAPHYSICA ARISTOTELIS ISAGOGE,

PER RAPHAELEM

Volaterranum.



Lemata XII
Metaphys. li
brorum.

Rpheus, Musæusque, ac longo post hos interuallo Pythagoras, Plato, eiusque temporis homines, qui theologiam attigerunt, vt tradit Herodotus, ab Aegyptiis haufere sacerdotibus, quibus multa ob sapientiam, ac vitæ abstinentiam de diuinitate manifesta fuere. Aristoteles deinde longè in hoc genere Platone inferior, vt qui potius logica, aut philosophia partes, quàm theologia sit executus, plurima à Platonicis refellunt, nonnulla etià ab eius adfertore Auicenna, qui & ipse in hoc genere scripsit. Theophrastus de hoc quoque paruù edidit libellù, Cuius meminit Nicolaus Damascenus: dicitque magnù ad ipsius disciplinae isagogen esse, licet latuisse videatur Andronicù, & Hermippum, qui in eius libris hunc non connumerant. Visus etià & ipse Cicero post Timæu cõuersum aliquid & supra naturam conscribere in libris de Fato, de Diuinatione, & natura deorù. At nostri diligentius omnia, veriusque interpellantes eò rem deduxerunt, ac dialecticis epicherematis, physicisque argumentationibus muniunt, vt per Naturam id, quod est supra Naturam penè monstrauerint nec tam fidei, quàm experimentis quodammodo, rationibusque ad ardua nostri dogmatis repræhendenda sit locus. Hanc itaque summis digitis locos distinguendo principales artinguam, si prius libros Aristotelicos in vniuersum, ac summam repetam. Primò nanque honestæ scientiæ dignitatem exequitur, ac quemadmodum ipsius habitum sensuum experimentis consequamur. Secundò quando scientia de ente, ac veritate simpliciter est, infert, quòd veritas vno modo facilis, altero verò difficilis, difficultasque interdum ex parte materiæ: quod quomodo sit verum, in quarto libro declarat. Tertio dicit, hanc sententiam esse theoreticam, quod profectò nequaquam liquet, nisi nouerimus quid à praxi theoretica differat. De qua quidem lib. 6. differitur. Quapropter hic tractatus eò differtur. Præterea XXVIII. quæ stiones enumerat, quas paulatim in libris sequentibus soluit. Quintò differit, quòd veritas nequaquam, nisi per causam, liquet. Et quoniam non omnes facile cognosci possunt, nisi in infinitum progrediamur, probat quòd in nullo genere causæ in infinitum proceditur: de quibus omnibus agitur lib. XII. vbi tractatur de causa prima, efficiente, & forma, & sine. Hic præterea de ente dicere incipit, ac proprietatibus eius: quæ cum eo conuertuntur (quæ transcendentia nostri vocant) præsertim de vno. De reliquis verò, & maxime de vero, & bono, agitur in VI. Quintò, proprietates enti subiectas ponit, quæ sunt decem genera, vbi differitur non tam de potestate illarum, quàm aliorum verborum ad illas, siue primo, siue secundo loco pertinentium. Quod profectò sit ad deprehendenda significata, quæ

ad Metaphysicam pertinent. Ex his autem quædam excludit à Metaphysicæ scientiæ, videlicet ens rationis, quod nihilominus verum significet per propositiones constitutas ex verbis priuatiuis, vt cum dicitur cæcitas. Et hoc agit lib. VI. In quo quoniã sit de huiusmodi ente metio, ex cõsequente differit de vero, quod cum ente conuertitur, & item de bono. De naturis entium disputat, quorù aliqua sunt substantiæ, aliqua accidentia. Sed quãdo accidēs à substantia dependet, tam quo ad esse, quàm quo ad cognitionē, ideo si quis substantiã indagauerit, illico accidentis naturã nosse poterit. Ea propter de substantia tantum vestigat in hoc opere. Cõmunis autè est omni substantiæ definitio, quam Aristoteles quod quid est esse, nostri verò theologi quidditatem appellant, per quam talis est substantia, vt Deus deitate sit Deus, quemadmodum dicitur, & homo humanitate homo: ac de his differit libro VII. de clarando quæ sint ea, quæ requiruntur ad quod quid est, & quomodo se id habeat. Et id, cuius est quod quid est, tam in substantiis compositis, quàm simplicibus, non tamen separatim de aliquo, sed generatim & in vniuersum de ipso loquendo. Substantiarum verò aliqua sunt cum materia & corruptibiles, vt physica corpora, aliqua in corruptibiles, vt cælum: nonnullæ citra materiam & incorruptibiles, vt intelligentiæ seu mentes. De primis agitur libro VIII. sanè declarando quòd ex materia & forma componuntur, & quoniam modo hæc inter se, & ad compositum habeat, libro IX. de proprietatibus, siue vt nostri vocat, theologi, passionibus, quæ in omni ente reperiuntur, sed in aliqua tantum parte, videlicet de energia, & potentia. Nam in substantiis citra materiam, ita est energia, quod non est potentia. In substantiis verò cum materia vtrunque existit. In X. differit de quadam alia proprietate disincta, videlicet de eodem, & diuerso, & de his, quæ ea consequuntur, id est, de oppositionibus. In XI. priuatiim non edit tractatum, sed tantum superius enarrata in epilogù colligit. In XII. de substantiis æternis differit, siue sint corporeæ, siue incorporeæ. Et hoc fermè modo substantias omnes abfoluit, ac per illas etià accidentia, quæ substantiã consequuntur: ex quo ens omne tractatur, quod Metaphysicæ subiectum est. Ens enim, quod nomen è Quintiliano Latinitate donatur, qua ens, vt ait Nicephorus Gregoras, huius disciplinæ dicitur subiectum, quod rerum, ac artium omnium definitiones, naturas ac proprietates per se considerat, nec septam regionem aliquam, seu limitem habeat: quemadmodum nec dialectica, nec rhetorica, sed hæc vt aptè tantum, atque adpositè de omnibus loquatur: dialecticã verò vt metaphysicã ad veritatem deprehendendam instrumentum. Reliquæ item artes ens non in vniuersum sed ex parte coprahendunt: vt Physica ens corporeum Arithmetica numeros, Musica sonos, Geometria

tria magnitudines, Astrologia sphaeras, & quae sunt in caelo, Ens insuper, ut quandoque definiam, & in partes diducam, est quod cuncta appellantur, & in quod omnium simplicia compositorum resoluuntur. Eius diuisio quadruplex, mobile & immobile, ratione & re, energia & potestate, idem & diuersum. Mobile rursum corpus, seu corruptibile, ut physicum: seu incorruptibile, ut caelum: Physica tractat: Immobile verò perpetuum Metaphysica. Ens ratione ab eadem, tanquam minimè verum, reicitur, quod tantum mente, ac ratione percipiatur, re autem nequaquam subsistat: de quo supra dixi. Re autem ens duplici exprimitur modo: generali per ea, quae vocant transcendentia, quae proprietates sunt entis aequales, etymis tantum diuersis. Ens in primis, quod primus sit omnium conceptus, & in eos caetera resoluatur. Res ab effectu, & essentia. Vnum à sui diuisione, ac integritate. Aliquid ab aliorum diuisione. Verum quod mentis cogitationi, ac cognitioni respondeat. Veritas enim quadruplex, aut orationis est, quam mentis veritas metitur, quae & ipsa rerum naturalium veritate illustratur, hac postremò ab ipsa summa, & cuncta metiente veritate, qua Deus appellatur. Verum autem, quod enti est aequale, his omnibus supradictis commune est, velut hominibus, & beluis animal. Verum & falsum Aristoteles in mente ponit, bonum autem & malum in rebus. Bonum item seu bonitas quadruplex: aut ex essentia ipsa, & natura, qua omnia, quae sunt impertiuntur, & hoc cum ente conuertitur: aut quod ex accidente & naturae, & animi, & gratiae prouenit. Decem quoque genera his supra dictis non quidem aequiparantur, sed subiiciuntur: quorum prima substantia tantum, reliqua accidentia, de quibus separatim nulla est scientia: substantia non item, quam in hoc libro contendit ante omnia declarare, ut, hac percepta, facile illa dignosci queant: quapropter hanc ens proprie vocat, nouem verò vniuersalia entia aequiuocè appellat, quod in ea retineant esse, nec ab ea prorsus diuidi valeant, neque solum nominis, sed & rei sint participia. Medicus enim liber, & medica experientia, & medicum pharmacum ab arte medica omnia dicta, non solum nomen cum ea communiant, sed eundem finem, hoc est sanitatem. Sic & nouem categoriae à substantia entia dictae non simpliciter, non solum nomen cum ipsa substantia communiant, sed etiam rem. Nulla enim substantia absque his omnino simpliciter est: haec namque omnia substantiae sunt aliquid. Tanta igitur entis, siue essendi vis est, ut etiam non ens esse non ens dicatur, & sub ente veniat. Si igitur ens & vnum est, & idem, & non aliud, haud aliter, quam causa, & principium se consequendo: vnus autem homo & ens homo secundum dictionem duplicatam, & non aliud quid demonstrat: vnus item est homo, & est homo, videlicet ex eodem & simili, & altero & dissimili, quod eiusdem sit scientiae opposita considerare. Musicae namque est concinnum & inconcinnum, & eiusdem sensus opposita sentire, quapropter non solum simile, aut vnum, sed etiam dissimile aut plura, eiusdem fuerint disciplinae. Substantia igitur, id est *ἄσφατος*, & *ἄσφατος*, id est, subsistentia idem ferè, diuersum modo, ac ratione quadam. Eius diuisio duplex: simplex & compositum, prima & secunda. Per secundam species notantur, qua vniuersalia dicuntur. In prima singulare continetur & indiuiduum: quo nomine tantum ex Latinis Capella vritur, vocaturque suppositum, subiectum hypostasis, persona, hoc aliquid. At hypostasis quamquam omne singulare in genere essentiae Graeci vocant vsurpatum tamen in eo tantum supposito, quod rationis est particeps: sicuti & persona, quae propter hyperochen tam Deo, quam angelis, & omnibus conue-

nit. Sed & primam substantiam praeter hunc modum Albertus & Deum ipsum intelligit, & genus supremum inter praedicamenta. Altera substantiae diuisio, simplex & compositum: simplex nulla est praeter Deum, reliqua composita: omnia diuersa tamen compositione aut ex materia & forma, ut corpora physica: aut energia & potestate, ut ex esse, & essentia. Et ex quo est, & quod est, qualis in angelis compositio dicitur. Compositum verò ex subiecto, & accidente, tam in substantiis incorporeis, quam corporeis dicitur. Hoc igitur modo Aristoteles substantiam in praedicamentis appellat non extremam, sed mediam, quae nec contrarium habet, neque magis, & minus. Igitur de extremis & partibus substantiae hoc modo diuisio loquemur, ac primum de materia. Hanc ex qua, in qua, & circa quam appellat. Ex qua naturalis & artificialis ut elementa materia mistorum in naturalibus. Elementorum verò materia prima, quae dicitur hyle, de qua in physica satis dixi. Et haec proprie non tam substantia, quam pars substantiae. In arte perfecta est substantia: ut ensis, siue domus: materia, ferrum, & lapides. In qua, est ipsum corpus, in quo sit anima. Circa quam, dicitur potestatis obiectum, ut visus color, & scientiae subiectum, ut physica corpus mobile. Forma verò essentialis anima est, quae quod pars existat substantiae, partis forma dicitur, tribuitque aut esse, aut viuere, aut sentire, aut intelligere, aut haec omnia, ut homini. Praeter hanc & aliis forma dicitur modis, ut entelechiam non tribuens, sed habens existentiam, & perfectionem, quod non sit è duobus saltem principiis substantiae composita, ut angelus, & Deus: ac qua refert angelum, in genere substantiae ponitur. Deus enim extra genus omne. Tertio modo dicitur ipsa rei natura citra materiam considerata, ut humanitas ex homine, nigrities ex nigro: poniturque in eo genere, in quo est illud, cuius est forma. Quarto modo dicitur quoduis accidens, quod causa quidem existendi per se non est, sed ex parte: ut scientia in homine, siue albedo. Quin & ea, quae re non sunt, sed tantum mente concepta, forma appellari consueuerunt. Postremò forma quantitas est, modo quodam subiectum circumscribens: quae ad quartam pertinet speciem qualitatis. Energia, siue actus, & potestas, siue potentia, tertia entis diuisio, quanquam non in omni ente. Nam quanuis nil sit praeter Deum quod non ex utraque constet, sunt tamen quaedam, quae entelechiae dicuntur, perfectionem in se habentes: ut Deus, angelus, anima. Quaedam citra perfectionem, quas energias appellant, quae sunt motus omnes: perfectiones tamen in mouentibus, imperfectae in motis. Est insuper prima & secunda triplici quidem modo: primum ratione ipsius Dei, quem actum primum, & purum appellant. Caeteri omnes secundum eum. Deinde ex energiis successione in eodem genere, seu specie, ut in triplici intellectu actione secundum Aristotelem. Postremò energia prima est ipsa forma, ut in homine scientia: energia secundum ipsum officium videlicet scire intelligere, sicuti monstrat liber de anima. Potestas ite plurifaria agens & patiens, posse videlicet mouere & moueri, amare & amari. Patiens rursus aut ratione accidentis in subiecto, aut formae in materia prima. Energia quidem coniuncta est potentia, ratione tantum distincta, cum idem numero ens respiciat: ut homo absolutus energia est homo & potentia, qua potens fuit esse homo, sui principii producentis, aut conseruantis ratione. Remota est ab energia, cum diuersum numero ens continet, ut semen potestare homo. Et sic diuisa re sunt. Aut etiam sicuti energiam primam & secundam dicimus, eodem modo potestatem primam, quae remota & imperfecta est, ut semen

semen potestate homo: & secundam, ut in eodem subiecto, ac propinquam, & facultate pararam ad agendum, ut ignis potestate vrens, qui nondum vrit. De quibus in physicis loquuti sumus. Sunt item potestates naturales tam sensus, quam rationis, quae in tertia locantur specie qualitatis. Inter entia quoque idem & diuersum Aristoteles. Et quod hoc consequitur oppositum. De quibus differit libro x. vnum, idem, simul, indiscretum communi dicuntur vocabulo. Est enim eadem differentium essentia, sicuti simile eadem differentium qualitas, & aequale eadem differentium quantitas. Quemadmodum contra diuersum, aliud, differens, oppositum, discretum, alterum, duo, diuersitatem omnia significat. Entia & essentia omnis è contrariis ad vnum & plura deducuntur: vnum in statu & quiete, plura in motu: ut ex forma & priuatione, id est, ente & non ente: siue id esse sit ex materia & forma, siue energia & potestate. Ea demum ratio mouit Pythagoram, ut vnum & duo, id est, numeros inter essentiam & rerum principia referrer, quae monada & diada appellauit. Quapropter quodlibet est, quod vnum est. Dissoluta enim vnitatem, non est. Et hoc demum modo vnum enti comparatur, absolutam rei indiscretionem continens. Cum verò tantum quantitatis indiscretionem praese fert, principium est numeri. Tertio verò, ut ait Dionysius, nulla est multitudo citra vnitatem. Nam multa partibus sunt, vnum toto. Multa accidentibus, vnum subiecto. Multa numero, vnum specie. Multa specie, vnum genere. Multa denique potestate, vnum energia, ut omne continuum, quod in infinitum diduci potest. Reperitur tamen indiuisibile & natura indiscretum, ut ipsa est vnitatem, & nota, quae est principium lineae, & nunc in tempore. Praeterea, ipse Deus, quoniam, ut ait in x. lib. quod simplicissimum est, mensura est in quolibet genere. Totidem modis diuersum, seu differens dicitur. Est quoque differentia rei, & rationis. Dicitur enim re aliquid tripliciter differre, numero, specie, genere. Quaedam enim vera sunt, & re differunt, ut species inter se, asinus videlicet, & homo. Quaedam minimè vera, nec re differunt, ut genus, & species. Nonnulla vera, & item cogitatione differunt, ut homo, & animal. Vsurpatur autem cogitatio, siue ratio in hac parte pro animi conceptu extra rem, vel in re, quae tamen res ipsa non sit. Extra rem, ut si quis chimæram, quae nusquam est, mente fuerit contempletur. In re, ut si quis in hominis meditatione speciem conceperit, aut casum genitium. Sequitur ex his oppositum videre numero quadruplex, aut ratione comparationis, ut relatio, seu remotionis oppositi triplici de causa. Aut enim remoto nihil omnino relinquit, ut negatio: aut subiectum relinquit, ut priuatio: aut certe subiectum & genus, ut contrarium. Quocirca quaedam dicuntur opposita cum medio, quaedam citra medium. Contra dictio in primis maxima oppositio, ac remotissima est, senalque retinet conditiones, quod extrema omni medio careant, tam generis, quam subiecti: quod sint extra genus, ut de ente & non ente: quod alterum extremorum sit aliquid positium, quod negatio sit absoluta, non alicuius determinatae rei, aut subiecti: quod extrema nequeant esse idem, vel simul: quod sit vnus & eiusdem, secundum idem, respectu eiusdem subiecti, & in eodem tempore. Priuationis oppositum totidem habet cautiones, quod medio careat sui generis, quod alterum extremorum aliquid ponat, quod extrema non sint idem, neque simul, in quibus tribus cum contradictione conuenit. Caeterum quod habeat medium subiecti, quod extrema sint in genere, quod denique sit aptum illud ha-

bere quod ponit, pro suis specie, loco, & tempore. Contrariorum quinque cautiones: quod opposita contraria non sint idem, neque simul, in quo cum utroque conuenit praedictorum: quod extrema possint vicissim in eodem subiecto inesse, nisi alterum insit à natura: quod extrema sint in eodem genere: quod alterum extremorum habeat rationem habitus, in quibus cum priuatione conuenit: quod utrunque extremum positionem faciat. Latiore autem modo contraria secundum Aristotelem sunt in diuerso subiecto: ut ignis, & aqua. Aut quando potestate contraria sunt, ut sanans, & debilitans. Aut in potestate ipsorum contrariorum agentia, vel patientia: ut caloricum, & frigorificum, aut calefactile, vel refrigerabile. Relatiua quatuor cautiones: quod careant medio sui generis, & subiecti: quod alterum oppositorum ponat, reliquum destruat: quoniam posita se ponunt, & perempta se perimunt: quod in relatione re constat, non idem sit, in quo conuenit cum aliis tribus. At in relatione rationis possunt idem esse, sicut in relatione identitatis. Sed quando ad relationem venimus, pluresculum in eo immorandum, praesertim cum Aristoteles in XI. Metaphysicae eam minimè praetereat. Definitio ipsius in praecipis generum est huiusmodi: Ad aliquid sunt, quaecumque ipsum, quod sunt, aliorum dicuntur esse, vel quomodolibet aliter ad aliud. Hoc Latini, Graecique enarratores sic declarant, ut in casu genitiuo, & aliis etiam casibus relatio fieri possit, ut pater filii pater: vel ablatiuo, ut maius minore maius. Sunt & relatiua re quidem appellata, & per se: ut quod simpliciter in propria fuerint & natura, & categoria, ut pater, duplum. Ex accidente sunt rationis, non in propria, sed categoria: ut scientia est in prima specie qualitatis: tamen quoniam refertur ad scibile, quo ad relationem est in genere relationis, quanuis secundum quosdam non idem poni debeat. Sunt item relatiuae excellentiae, ut dominus: subiectionis, ut seruus: aequalitatis, ut amicus. Aristoteles in Metaphysica VI. relationem in quantitate ponit: ut duplum, triplum. Praeterea in actione, & passione: siue secundum potestatem, siue secundum actum agentem & patientem: ut caloricum ad frigorificum refertur. Potestate, & energia, ut calefaciens ad calefactum. Posuit item in qualitate, non tamen explicite: quoniam qualitas non est aliud, nisi secundum quod accipitur ratione potestatis agentis vel patientis: vel ratione quantitatis, sicut dicitur aliquid albius alio. Et sicuti dicitur, Socrates albus est similis Platoni albo, refertur videtur potius quandam albedinis quantitatem. Reliqua verò accidentium genera potius consequuntur, quam creare possint relationem: ut ubi aliqualem relationem ad locum, positionem partium refert, Habitus relationem habentis ad habitum. Sed & Theologi nostri relationem in essentia ponunt, & hoc tantum in diuinis, quatuor modis. Primum cum proprium nomen ad aliquid refertur, ut pater. Deinde relatio, quae consequitur, vel causatur relationem, ut generatio & generans. Tertio, quae implicite claudit in se relationem, ut trinitas. haec personas includit disiunctas. Postremò quando pro relatiuo ponitur, ut Deus. Sunt item alia quaedam inter se diuersa & opposita sub ente, quae oportet exprimere: ut prius & posterius, necessarium & contingens, totum & pars, magis & minus, quae deinceps paulatim explicabo. Prius & posterius dicitur ratione ordinis alicuius, & principii in quantitate, in cognitione, in eo quod existit. In quanto continuo tripliciter: ratione loci, ut ignis prior aere, ratione temporis, ut praeteritum prius futuro: ratione moris in rebus naturalibus, ut puer prior viro. In quanto

discreto, index est prior medio respectu pollicis. In cognitione secundum rationē vniuersalia sunt priora particularibus, & simplicia compositis. In cognitione secundum sensum secus, nisi ex accidente. Nam ex accidente notius est sensibus vniuersale, non tamen per abstractionem vt magis cōmune. Sicut pueri, qui omnes homines ab initio patres vocant, postea distinguunt. At intellectui contrā ex accidente, & indirecte notius particulare. In eo quod existit prius tripliciter. Ratione communitatis, vt priora sunt, quæ possunt esse sine aliis: vt animal prius homine. Ratione analogiæ. Tertiō ratione diuisionis entis in energiam & potestatem: si secundum energiam, contrā. Nam partes non incipiunt esse in energia, nisi toto absoluto. Aristoteles verò ponit quartū modum, cū sunt duo conuertibilia, & vnum sit alterius causa, vt pater. Postremō species omnes, quæ sub genere comprehenduntur, & diuiduntur, sunt oppositæ differentiæ. Quæ magis & minus recipiant, videndum. In primis quantitati id conuenit. Quantitas enim duplex: prima dimensionis, cui maius conuenit, & non magis: vt maius robur, maior latitudo, longitudo. Et quantitas, virtus, quæ est de qualitatis genere, ac per alterationem augetur, aut conuenit magis, vt magis albus: nam magis in alteratione dicitur, maius in augmento. Demum extensio ad dimensionis, intentio verò & remissio ad virtutis pertinet quātitatem. Formis quoque rerum abstractis in genere accidentium maius conuenit, vt maior albedo. Concretis verò magis, vt magis albus. Est insuper Metaphysici, quomodo totū & partes dicantur vestigare. Sex enim traduntur modi. Totum in primis quoddam, quod perfectionis dicitur, carens partibus: vt Deus, angelus, nota in linea. Totum essentiæ, quod plura contineat vnā constituentia rem, vt homo, cuius partes essentielles dicuntur. Totum integritatis, quod plura continet integrum constituentia, modò continuationis in toto continuo, vt contignatio, vel colligatio, vel acruus. Totum potestatis, quod habet diuersas potestates re discretas à sua essentia: vt animal habet visum, & auditū, & reliqua. Totum vniuersale, quod plures continet partes subiectas, non re, sed ratione diuisas: vt est genus, vt animal: vel species, vt homo, eius per subiectionem dicuntur partes, totum numeri, quum numerus plura numerata comprehendit, vt duodenarius. De necessario autem, & contingente inter se oppositis, recte perspicimus, si causas considerabimus, quæ attinguntur in Physica. Necessitas duplex: simplex, & hypothetica. Simplex est illud, quod à priori causa necessariō dependet, vt hominem mortalem esse, quod elemētis compositus: quod quandoq; à forma dependet, sicuti exemplum supra-

dictum: quandoq; à materia, vt animal mortale. Necessarium è positione, siue hypothesi est: si hoc fieri debet, illud habere oportet: vt si ens fieri debet, ferum est necessarium. Et hoc totum causam finalem significat, quod in naturalibus videri licet. Qui enim finem Naturæ ademere, ac omnia temerè posuere, necessarium simpliciter existimauerunt: vt in constructione domus lapides deorsum cadentes natura ferri, ligna verò sursum tanquam leuia dixere: sic homines membra fortuito, nullamque ob causam facta ad suam utilitatem accommodauisse. Aristoteles verò simplicem necessitatem in hypothesi esse negat, naturamque dicit ob formam nō contra factam, necessitatem verò in materia esse, non in forma. In Mathematicis idem esse, sed diuerso modo. Si sunt priora, sunt & posteriora: vt si est triangulus rectus, tres ergo angulos duobus rectis æquales habet. In naturalibus autem, si posteriora sunt, & priora: vt homo est, ergo Mundum ob eum creari necessarium fuit. In se autem, & in ordine ad effecta, necessaria sunt causæ, sicuti motus cæli respectu eclipsum, & aliorum effectorum: quæ præexistencia in causis sunt quoddam futurum, non cōtingens quidem, sed necessarium. Quædam autem sunt causæ non necessaria, saltem comparatione ad sua effecta, & huiusmodi dicuntur futura contingencia, dum sic in causis suis præexistunt. Et hæc aut frequēter, vt hominem pentedactylum esse: aut rarò: vt hominē fodientem inuenire thesaurum: aut in horum medio, vt legere, & non legere. Rursus in his, quæ frequēter eueniunt, Natura, & ens dominatur, quoniam Natura in propriis effectis plerumque superat: rara enim portenta, & ars proprium finem plerumque adsequitur. In iis autem, quæ inter sæpe, & rarò, electio dominatur: in nobis enim est legere, & non legere. Rarò autem contingens, fortuna, & casus est. Fortuna, cū secundum electionem nostram sunt: vt, fodientem thesaurum inuenire, causa est fortuna ex accidente inueniendi. Casus autem in iis, quæ secundum naturam, non autem secundum electionem eueniūt: vt casu tecti supprimi, terræmotu terrā scindi, fulmine ici. Quapropter contingens infinitum est, potest enim fieri, & potest non fieri. Necessarium, dicit Auicenna, nullum habet extrinsecus impedimentum, contingens verò, rarumque plurima impedimenta extrinsecus. Potest idem cōtingens & necessarium esse, vt Socrate mori diuina prouidentia: iussioneq; necessarium, contingens verò Atheniensium iussu.

*In Metaphysica Aristotelis Isagoges
per Raphaelem Volater.*

Finis.

BES

BESSARIONIS EPI- SCOPI THVSCVLANI

S. R. ECCLESIAE CARDINA-

lis Dignissimi in Metaphysicorum Aristote-

lis translationem, ad Alphonsum sere-

nissimum Aragonum Regem,

& vtriusque Siciliae Prin-

cipem inuictissimum,

Præfatio.



MAGNUM illum Alexandrum Macedonem, inclyte, atque inuictissime princeps, editionem Metaphysicorum Aristotelis, quibus apprimè eruditus fuerat, iniquo animo tulisse memoria prodiderunt. Cuius rei rationem in literis, quas ad præceptorem suum Aristotelem dedit, facile expressit, quod scilicet doctrina, ac sapientia potius, quàm armis, viribusque anteire cæteros cupiebat. Et quidem meritò, cū illud hominis, hoc animalis: illud ingenii, hoc corporis sit virtus. Hunc tu rex sapientissime imitatus, neque armis solum, ac tot, tantisque victoriis, quibus immortalē tibi gloriam comparasti, contentus, literis quoque modò diuinis, modò gentilibus, & his cū ad sapientiam, tum ad eloquentiam conducentibus, non in pace solum, verum etiam in medio bellorum feruore incumbis: & ita incumbis, vt cum summis in armis sis, summumque in re militari locum teneas, dubium sit huiusmodi rebus studentibus, quoniam magis excellas, armisne, an scientiā, potentia, an sapientia. Cuius rei argumentum est, quod me vt librum Metaphysicorum Aristotelis tibi Latinum facerem, efflagitasti, & ita efflagitasti, vt ego tanti principis tam honesto desyderio victus, oblitus fuerim mei ipsius, & tantam rem aggressus sim, quam veteres aggressi Latini, quid fecerint, quove modo in Latinum verterint, aliorum sit iudicium. Ita certè verterunt, vt opus fuerit & sanctissimum, ac clementissimum dominum Nicolaum, Quintum P. M. qui omnis scientiæ, omnis diuinæ, humanæque sapientiæ doctissimus in apostolicam sedem conscendit, quique vt loco, & dignitate, ita philosophia, theologia, & omni optimarum scientiarum genere principatum obtinet, viros eligere vtriusque linguæ peritos, qui omnes ferè Aristotelis libros denuò in Latinum verterent, orationem, & maiestatem tuam ante illius in apostolicum tribunal assumptionem à nobis petere, vt hunc, de quo loquimur, librum Latinum faceremus: quem iam diu à me perfectum, tuæ sacrae maiestati, rex inclyte, dedicaui. Hunc, qualiscunque erit, cū tua serenitas hilari vultu acceperit, non dubito cæteris quoque ob auctoritatem, & dignitatem tuam, acceptum, gratumque futurum. Vale feliciter rex inuictissime.

ARISTOTELIS

STAGIRITAE

Metaphysicorum

Liber Primus,

Bessarione Cardinale Niceno, & Patriarcha Constantinopolitano Interprete.

CAPVT I.

I.



OMNES homines naturā scire desiderant. Signum autem est sensū dilectio, nam & absq; vsu propter se ipsos amatur. Præ cæteris autem, qui per oculos fit, nō enim vt agamus solum, verum

etiam nil acturi, ipsum videre præ omnibus aliis (vt ita dicam) eligimus. Causa autem est, quod sensum hic vel maximè nos cognoscere quicquam facit, multasque differentias manifestat. Natura itaq; animalia sensum habentia fiunt: à sensu verò quibusdam eorum non innascitur memoria, quibusdam verò innascitur. Et ob hoc alia prudentia, alia disciplinarum capaciora sunt, quàm illa, quæ memorare non possunt. Prudentia quidem absque eo, quod discant, quæcunque scilicet audire sonos non possunt, vt apes, & si quod animalium genus simile est. Discunt autem quæcunque vnà cum memoria, hunc quoque sensum habent. Cætera igitur phantasiis, ac memoriis viuunt, experientia verò parum participant. Humanum autem genus, arte etiā, ac ratiocinationibus. Fit autem ex memoria, experientia hominibus. Multæ etenim eiusdem rei memoriæ vnus experientia vim efficiunt. Quare experientia penè simile quid scientiæ, ac arti esse videtur. Per experientia autem ars, & sciētia hominibus efficitur. Experientia enim (vt rectè ait Po-lus) artem efficit, imperitia verò calum. Fit autem ars, cum è multis experimētibus cōceptibus, vna de similibus vniuersalis opinio fiat. Opinari etenim, quod Calliæ hoc morbo laboranti hoc cōduxit, similiter Socrati, ac singillatim aliis multis, experientia, quod autè omnibus huiusmodi secundum vnā speciē determinatis hoc morbo laborantibus conduxit, vt pote flegmaticis, aut cholericis, aut æstu febricitantibus, hoc artis proprium est. Ad agendū itaq;, nil videtur experientia differre ab arte quinimò videmus expertos magis id, quod intendunt, cōsequi, quàm illos, qui rationem absq; experientia tenēt. Causa verò est, quod experientia singularium, ars autè vniuersaliu cognitio est. Actiones autè, ac generationes omnes, circa singulare sunt:

non enim hominē, nisi per accidēs, sanat qui medetur, sed Calliā, aut Socratē, aut aliū quēpiam eorū, qui sic dicūtur, cui accidit homini esse. Si quis itaque rationem absq; experientia teneat, & vniuersale quidem cognoscat, quod autè sub eo particulare est ignoret, sapenūmero errabit à sanādo: id enim magis sanabile est, quod singulare est. Nihilò minùs scire, & cognoscere magis arti, quàm experientie arbitramur inesse: ac eos, qui artem tenēt, quàm eos, qui experientia habēt, sapiētiores esse putamus, eò quod sapiētia propter scientiam, magis omnes sequitur. Hoc autè, quoniā illi quidē sciunt causam, hi verò minimè, experti etenim sciūt quidē quod est, propter quid autem nesciunt: illi verò, propter quid, & causam cognoscunt. Quare & eos, qui in quaq; re architecti sunt, honorabiliōres, & doctiores, ac eis, qui manibus operātur, sapiētiores putamus, quoniā causas eorū, quæ fiūt, sciūt: illi verò, sicut & quædā inanimata, faciūt quidē, sed nesciētia faciūt ea, quæ faciūt, vt ignis cōburit: sed inanimata natura quadā, horū singula faciūt, manibus laborantes, propter consuetudinē. Tanquā sapiētiores sint, nō prout actiui sunt, sed prout rationē habēt, causasq; cognoscūt. Et prorsus signum scientis est, posse docere. Quā ob rē, magis artem, quàm experientiam, scientia esse putamus. Illi enim possunt, hi verò minimè possunt docere. Præterea, sensum nullū putamus, scientiā esse: tamen si singulariū hæ maximè propriæ cognitiones sunt, de nullo tamen dicūt propter quid, vt propter quid calidus ignis, sed solū quod calidus. Primū itaq; cuiuscūq; artis supra cōmunis sensus inuentorē, nō solum quoniā vtile esset, quod inuētū erat, verum etiā vt sapiētē, & cæteris præstātē (vt verisimile est) homines admirabātur. Cū autè plures artes inuenirētur, quarū alię ad necessaria, alię ad degēdū esēt, semper tales sapiētiores illis putamus, quod eorū sciētia non ad vtilitatē essent. Quo fit, vt huiusmodi iam omnibus institutis, illę sapiētiarū, quę neq; ad degēdū v̄oluptariē, neq; ad necessaria conducunt, inuentæ sint: & in illis locis primò, vbi vacabant: quare circa Aegyptū, mathematicæ artes cōstitutæ sunt: illhic enim gens sacerdotū vacare permilla est. Dictū autem in moralibus est, quānā sit artis & sciētie differentia, ac cæterorū, quæ eiusdē generis sunt. Cuius autè gratia nunc sermonem facimus, illud est, quod appellatā sapiētia circa primas causas, & principia, omnes arbitrātur versari. Quare (vt dictū est prius) expertus quidem sensum quemcunque habentibus sap

sapientior esse videtur: artifex verò expertis: architectus etiam manibus laborante: speculatiui autem factiuis. Quod igitur sapientia circa aliquas causas, & principia, scientia sit, patet.

CAPVT II.



QVONIAM autè hanc scientiā quærimus, hoc vtique fuerit considerandum circa quales causas, & qualia principia scientia, sapiētia est. Si itaq; repetat quisquā quas de sapiente opiniones habemus, fortassis ex hoc magis appareat. Primò igitur opinamur, sapiētē maximè omnia vt possibile est scire, nō habētē singulariter eorū scientiā. Deinde illū, qui difficiliora, neq; scitu facilia homini, cognoscere possit, sapientem existimamus. Sentire enim, omnibus cōmune est. Quā ob rem facile, & neutiquā sapiēs est. Item illū, qui certior, ac magis docere valēs, causas reddat, sapientē in omni sciētia esse. Scientiarū quoq; illam, quæ gratia sui ipsius, & propter ipsum scire, quàm illā, quæ aliorū gratia, eligēda sit, magis scientiā esse. Et principaliorē, quàm ei ministrantem, potiùs sapiētia esse. Non enim vt sapiētē præcipiatur, sed vt ille præcipiat, nec vt ille ab altero, sed vt ab eo minùs sapienti suadeatur, decet. Opiniones itaq; tales, ac tot, de sapiētia, & sapientibus habemus. Horū autem hoc quidē, omnia (inquam) scire, illi, qui maximè vniuersalē scientiā habeat, necesse est inesse: hic enim quodam modo omnia subiecta scit. Ferè autè & difficillima hominibus cognitu sunt eā, quæ maximè vniuersalia sunt, siquidē remotissima sunt à sensibus. Scientiarum autè illæ certiores sunt, quæ maximè primorū sunt. Nam quæ sunt ex paucioribus, certiores iis sunt, quæ ex additione dicuntur: vt Arithmetica, quàm Geometria. At verò illa magis docet, quæ causas speculatur. Ii enim docēt, qui causas singularum dicūt. Intelligere autè, & scire eorū ipsorū gratia, illi præcipuē sciētia inest, quæ eius est, quod maximè scibile est. Qui enim scire eius ipsius gratia eligit, eā, quæ maximè sciētia est, præcipuē eligit. Talis autè est eius, quod maximè scibile. Maximè autè scibilia sunt ipsa prima, & causæ. Propter hæc enim & ex iis cætera cognoscūtur, sed non hæc per subiecta. Principalissima autè scientiarū, & principalior ministratē est, quæ cognoscat id, ob quod quodq; agendū sit. Hoc autè est bonum cuiuscq;, & vniuersaliter quod in omni natura optimū est. Ex omnibus itaq; dictis, in eandē scientiā cadit, quod quæritur nomen. Oportet etenim primorū principiorum, & causarum eam speculatiuā esse. Nam & bonum, & cuius gratia, vna de causis est. Quod autè non factiuæ, etiam ex primis philosophantibus patet. Propter admirationem enim, & nunc, & primò inceperunt homines philosophari: à principio quidem admirādo ea, quæ de dubitādis faciliora erāt: deinde paulatim vlteriùs procedentes, etiā de maioribus dubitādo, vt de passionibus Lunæ, & eorū, quæ circa Solem, & stellas fiunt, ac de generatione vniuersi. Qui verò dubitat, & admiratur, putat se ignorare: quare philosophus, amator fabularū quodam modo est, eò quod fabula, ex mirādis constat. Quare si propter fugam ignorantia philosophati sunt, patet quod causa cognoscendi, & nullius vsus gratia ipsum scire prosequēbantur. Testatur autè id

ipsum, quod contigit. Ferè enim omnibus inuētis, quæ ad necessaria, & facilitatē, ac ad degēdū conducant, huiusmodi prudētia quæri cœpta est. Patet itaq; quod ob aliā nullā vtilitatem quærimus, sed quemadmodū dicimus, liber homo de eo, qui sui ipsius, & nō alterius gratia est, ita & hæc sola scientiarū libera est: siquidē sola hæc, sui ipsius gratia est. Quare meritò non humana eius possessio putabitur: natura etenim hominum in plerisque serua est.

QUAPROPTER secundū Simonidē, Deus vtique solus hanc habet dignitatē: hominē verò indignum non quærere illam, quæ sibi cōuenit, scientiā. Quod si quid poetæ dicūt, & Natura cōparatum est, vt diuinitas inuideat, in hoc maximè id verisimile est contingere, & infelices omnes esse, qui altiora se quærunt. Sed nec diuinā naturā inuidā esse conuenit: poetæq; (secundum prouerbiū) multa mentuntur. Nec aliā, quàm huiusmodi, decet honorabiliorē putare. Quæ enim diuinissima, eadē etiā honorabilissima est. Talis verò bifariam dūtaxat vtique, fuerit. Nam & illa, quam maximè Deus habet, diuina scientiarū est, & si qua est, quæ diuinorū sit. Hæc autem sola, vtrunq; consecuta est. Deus etenim tū causa omnibus esse videtur, tū quoddā principium, & talē aut solus, aut præcipuē Deus habet. Cæteræ itaque omnes magis ea necessaria sunt, nulla verò melior. Oportet autè quodā modo eius ordinē, in contrariū nobis inquisitionū, quæ à principio fiebant, cōstitui. Incipiunt etenim omnes (vt diximus) ab admiratione, an sic se habeat: sicut de præstigiōsis, quæ per se ipsa mouentur, illi, qui nondū speculati sunt causam: aut de solstitiis, aut de diametri incommensurabilitate. Admirabile enim omnibus videtur, si quid, cū non sit minimum, nō mēsuretur. Decet autè in contrariū, & in melius (secundum prouerbiū) consummare: quemadmodū in his fit, cū discant. Nil enim magis vir geometricus admiretur, quàm si diameter commensurabilis fieret. Quænam igitur natura eius scientiæ, quæ quæritur, & quæ intentio, quam debet quæstio, & totus tractatus consequi, dictum est.

CAPVT III.



VNI autè manifestū sit, quod primarū causarū oportet scientiā accipere, (tum enim scire vnūquodque dicimus, cū primam causam nos nosse arbitramur) causa verò quadrifariam dicatur, quarū vnā quidē causam dicimus esse substantiā, & quod quid erat esse: nam ipsum quare primum, refertur ad rationē vltimā, causa autè, & principiu, ipsum quare primum: vnā verò materiā, & subiectū: tertiā autem, vnde principiu motus: quartā verò oppositā ei causam, & cuius gratia, & bonū. Hoc enim finis totius motus, & generationis est. De his autè omnibus et si satis in de naturalibus speculatu sit, nihilò minùs tamen illos quod, qui ante nos ad entiu perferutatio nem venerunt, & de veritate philosophati sunt, ad seiscamus. Patet etenim, quod illi etiā principia aliqua, & causas dicunt. Proderit itaq; profectò huic tractatui, nunc si illa breuiter repetemus. Aut enim aliud causæ genus inueniemus, aut certè magis illis credemus, quæ nūc dicta sunt. Plurimi igitur eorū, qui primò philosophati sunt, solas illas existimant omniū esse principia, quæ in materiæ specie sunt.

Ex quo enim omnia entia sunt, & ex quo primo fiunt, & ad quod vltimū corrumpuntur, substantia quidem permanēte, mutata verō passionibus, hoc elementū, & hoc omniū entium esse principium aiunt: & ob hoc nihil fieri, neq; corrumpti opinatur, tanquam huiuscemodi natura semper cōseruata: quē admodū neq; Socrate, quando formosus, aut musicus efficitur, simpliciter fieri dicimus: neq; cum istos habitus amittat, corrumpti: eō quod subiectū ipsum Socrates permanet. Ita & ceterorū, nihil. Oportet enim aliquam naturā aut vnam, aut plures esse, e quibus cetera fiunt, illa cōseruata: pluralitatē tamen, & speciem huius principii, nō eandem omnes dicunt. Sed Thales quidem, huiusmodi philosophiæ princeps, aquam ait esse. Quare terrā quoq; super aquā asserbat esse. Fortassis hāc habuit opinionē, quia nutrimentū omniū humidū esse videbat, ipsum quoque calidū ex eo factū, eōq; animal viuere. Ex quo autē fit, id esse principium omniū. Propter hoc igitur hāc habuit opinionē, & quoniā cunctorū femina, naturā humidam sortita sunt. Aqua verō, naturā principium humidis est. Sunt autem quidam, qui etiā antiquissimos illos, & nimis à præsentī generatione remotos, & primos theologizantes sic arbitrantur de Natura sensisse. Oceanū nanque, & Tethyn generationis parētes esse cecinerūt. Iusurandum quoq; Deorū, aquā esse, stygem ab ipsis poetis appellatā. Honorabilissimū enim, quod antiquissimum est. Iusurandum autē, honorabilissimū est. Si igitur antiqua ista, & vetusta de Natura opinio est, fortasse nō est manifestum. Thales tamen hunc in modum de prima causā dicitur asseruisse. Hipponē etenim nemo dignabitur cum istis connumerare, propter intellectus eius simplicitatē. Anaximenes autem, & Diogenes, aerem priorē aqua, & maximē implicitū corporū principium statuunt. Hippasus autem Metapontinus, & Heraclitus Ephesius, ignem. Empedocles autē, quatuor vnā cum prædictis superaddens etiam terram quartū. Hæc enim semper permanere, nec fieri nisi pluralitate, & paucitate cōiuncta, & disiuncta in vnum, & ex vno. Anaxagoras autem Clazomenius, ætate quidē illo superior, operibus verō inferior, infinita dicit esse principia. Ferē enim omnia, quæ consimiliū partium sunt, vt aquā, vel ignē, ita fieri, & corrumpi, ait cōiunctione, & disiunctione solum. Aliter verō nec fieri, neque corrumpti, sed perpetua permanere. Ex his itaq; solam quis causam illā, quæ in materiæ specie dicitur, putabit. Hoc autem modo procedentibus, ipsa res eos duxit, & coegit vltērius quærere. Nam etiam quā maximē omnis corruptio, & generatio ex aliquo vt ex vno, aut ex pluribus fit, cur hoc accidit, & quæ causa est? Non enim ipsum subiectū sese mutari facit, vt puta, dico quod neq; lignū, neq; æs causa est, vt vtrunq; eorū mutetur. Neq; lignū quidem lectū, æs verō statūā facit, sed aliud quippiam mutationis causa est. Hoc autē quærere, aliud principium quærere est, pērinde atq; id, quod nos vnde principium motus dicimus. Qui igitur omnino à principio istā viam attigerūt, vnumq; esse subiectū 60 vnum quidā eorū, qui vnum cōstituerunt, quasi deui- si ab hac quæstione, ipsum vnum immobile dicunt esse, Naturamq; totā nō solum secundū generatio-

nem, & corruptionē, (hoc enim vetus est, & cui omnes cōsenserunt) sed etiā secundū reliquā omnē transmutationē. Et hoc eorū est propriū. Illorū igitur, qui vnum solum esse dixerūt ipsum vniuersum, nulli contigit talē inspicere causam, nisi fortassis Parmenidi: & huic eatenus, quatenus nō solum vnam, verum etiā duas quodā modo ponit causas esse. Illis verō, qui plura faciunt, magis accidit dicere: vt puta illis, qui calidū, aut frigidū, aut ignē, & terram, vtitur igne, tanquā motiuā habēte naturā: aqua verō, & terra, & huiuscemodi, ecōtrario. Post hos autem, & huiusmodi principia, tanquā nō sufficiētia, vt entium naturā generarēt, rursus ab ipsa veritate (vt diximus) coacti, illud, quod sequitur, quæsiuerunt principium. Vt enim entia bene se partim habeāt, partim fiāt, nec ignē fortassis, nec terrā, nec aliud huiuscemodi quicquā verisimile est causam esse, nec illos verisimile est arbitrari: nec rursus casui, & fortunæ tantā attribuere rē, probē se habet. Quare qui vt animalibus, ita in Natura intellectū inesse causam Mundi, totiusq; ordinis dixerat, quasi sobrius comparatus ad antiquiores vana dicētes, apparuit. Ista autē rationes qui palām attigit, Anaxagoram fuisse scimus. Attamē Hermetimus Clazomenius dicitur causam prius dixisse. Qui igitur ita arbitrati sunt, principium existentium posuerunt simul tam causam ipsius bene, quā illā, vnde motus existentibus inest.

CAPVT IIII.

Suspicaretur autē aliquis Hesiodū primū hoc quæsiuisse, & si quis alius amorem, aut desiderium in existentibus, vt principium posuit, sicuti Parmenides. Etenim is vniuersi generationē monstrādo, primū quidem inter omnes Deos, amorē (ait) produxit. Hesiodus verō, ante omnia fuisse chaos, deinde terrā spatiosam, atq; amorē, qui inter omnes immortales elucet: tanquam opportunū sit, vt in existentibus aliqua causa inest, quæ res ipsas moueat, atq; cōiugat. Hos autē quomodo ordinare oportet, quis scilicet eorū primus sit, liceat posterius iudicare. Cum autē cōtraria quoq; bonis inesse Naturæ apparerēt, nec solum ordo, & pulchrum, verum etiā inordinatio, & turpe, plurāq; mala, quā bona, & turpia, quā pulchra, ideo alius quidā amicitiam introduxit, & cōtentionē, vtrūq; vtriusq; horū causam. Si quis enim sequatur, & secundū sententiā accipiat, nō secundū ea, quæ balbutiēs Empedocles dicit, inueniet amicitiam quidē bonorū causam esse, cōtentionē verō malorū. Quare si quis dicat quodā modo dicere, & primum Empedocle dicere malū, & bonū esse principia, fortasse bene inquiet: siquidem bonorū omniū causa, ipsum bonū: ac malorū, ipsum malum est. Hi quidē (vt diximus) & hucusq; duas causas, quas nos in de naturalibus determinauimus, attigerūt, materiam, & vnde motus: obscurē tamen, & nō clarē, sed quē admodū in exercitiis in prælio faciunt. Etenim illhic circumeūtes, egregias plerūq; plagas infligūt. Sed nec illi ex sciētia, nec isti vidētur scire quid dicant. Ferē etenim nullo modo vidētur his vti, nisi paulū quiddā: nam & Anaxagoras, tanquā machinam vtitur intellectu ad Mūdi generationē. Et cum dubitat propter quā causam necessariō est, tunc eū atrahit. In ceteris verō, magis cetera omnia, quā intellectu

intellectū, causam eorū, quæ fiunt, ponit. Et Empedocles plus quidē isto causis vtitur, neq; sufficiēter tamē, neq; in his reperit, quod sequitur. Multis enim in locis apud eū amicitia quidē dissiūgit, cōtentionē verō cōiugat. Cum enim in elemēta per cōtentionē vniuersum dissoluitur, tūc ignis in vnum coalescit, & ceterorū elemētorū vnumquodq;. Cum autem rursus per amicitiam in vnum cōueniāt, necesse est iterū particulas vniuscuiusq; separari. Empedocles itaq; præter alios antiquiores, primus hāc causam diuidēs, introduxit: nec vnum motus principium, sed diuersa fecit, & cōtraria: & adhæc elemēta, quæ in materiæ specie dicuntur, quatuor esse primus asseruit: nō tamē eis vt quatuor vtitur, sed tāquā duo essent sola, igne quidē per se ipsum, oppositis verō, terra, aere, & aqua tanquā vna natura. Cōprehēdat autē quispiā id ipsum, ex eius carminibus cōtemplans. Is igitur (vt diximus) ita, & tot principia asseruit. Leucippus verō, ac eius familiaris Democritus, elemēta quidē plenū, & vacuū esse aiūt, dicētes hoc quidē ens, hoc verō nō ens: & rursus, ens quidē plenū, & solidū, nō ens autem vacuū, & rarū. Quare nihilō magis ipsum ens, quā ipsum non ens esse aiūt, quia neq; vacuū quā corpus. Hæc autē causas existētū, vt materiā, esse. Et quemadmodū qui vnum, faciūt subiectā substantiā, cetera passionibus eius generāt rarum, & densum, passionū statuentes principia, simili modo hi quoq; differētiās, causas ceterorū aiunt esse. Has autē, tres esse dicunt, figuram, ordinē, & sitū. Differre etenim ens aiunt duntaxat rismo, diathige, & trope: quorū rismus quidē, figura: diathige verō, ordo, trope autē, situs est. Differt autē a ab n, figura: a n verō ab n a, ordine: z autē ab n, situ. De motu verō vnde, vel quomodo existentibus inest, & hi pērinde, atq; alii per negligētiā omiserūt. Hactenus itaq; de duabus causis, vt dicebamus, videtur quæsitum à prioribus fuisse.

CAPVT V.

Inter hos verō, & ante istos, qui appellati Pythagorici, primi mathematicis operā dederūt, illa præponebāt, & in eis nutriti, eorū principia, entium quoq; cunctorum esse putarūt principia. Cum autem numeri priores his natura sint, in numeris verō plures similitudines tum ad existentia, tum ad ea, quæ fiunt, quā in igne, in terra, & in aqua inesse viderēt, (talibus etenim, vtputa numerorū passio iustitia, talis verō anima, & intellectus, alia verō tempus, ceterarū quoq; vt ita dicā, vnaquæq; similiter) itē cum harmoniarū in numeris inspicerēt passiones, ac rationes, cum itaq; cetera quidē viderēt in omnibus numeris assimilari, numeri verō totius naturæ primi, numerorū elementa, entium quoq; cunctorū elementa esse putarūt, totūmq; cælū harmoniā, & numerū esse, & illa quidē, quæ de numeris, & harmoniis cōsentanea passionibus, & partibus cæli, ac vniuersi dispositioni monstrare poterāt, colligētes applicabāt. Quod si quid alicubi deerat, supplebāt, vt totus eius tractatus cōsentaneus esset. Dico autē veluti quoniam denarius perfectus esse videatur, totūmq; numerorū naturā cōprehēdere, ideo & ea, quæ in cælo ferūtur, decē esse aiūt. Cum verō nouē solummodo sint, quæ manifestē apparēt, decimā oppositam terrā faciūt. Determinatū autē est à nobis

alibi de his magis exquisitē. Sed cuius gratia hæc re petimus, hæc est: vt & ab his etiā accipiamus, quæ ponunt esse principia, & quomodo in dictas causas incidūt. Apparēt etenim etiā isti numerū existimare, principium esse, vt materiā existentibus, & vt passiones, ac habitus: numeri autē elemēta, par, & impar: quorū alterū finitū, alterū infinitū: vnum verō, ex ambobus his esse. Par etenim & impar esse: numerū autē, ex vno: numeros verō, vt dictū est, totū cælū. Horū autē alii decē aiūt, inter se coordinata esse principia: finitū, infinitū: impar, par: vnum, plura: dextrū, sinistrū: masculinū, fœmininū: quiescēs, motū: rectū, curuū: lumē, tenebras: bonū, malū: quadratū, lōgius altero latere. Quē admodū etiā Alcmaeo Crotoniates putasse videtur: & aut iste ab illis, aut illi ab isto hāc mutuati sunt opinionē. Fuit etenim ætate Alcmaeo Pythagoræ iā senioris. Asseruit autem istis similiter. In duo nāq; plerūq; humanas res ait distingui, cōtrarietas dicēs: nō tamē (vt illi) distinctas, sed quascūque, vtputa albū, & nigrū: dulce, amarū: bonū, malū, paruū, magnū. Is itaq; indistinctū de reliquis effudit sermonē. Pythagorici verō quot etiā, & quæ sunt cōtrarietates, asseruerunt. Ex ambobus igitur his tātū accipere est, quod cōtraria principia entium sunt. Quot autē, & quæ illa sint, ex ceteris solum. Verum quomodo illa ad dictas causas applicētur, clarē quidē ab eis nō est determinatū. Vidētur tamē, vt in materiæ specie ponere elementa. Ex his enim, tanquā intrinsicis, cōstare, ac fingi substantiā aiunt. Veterū itaq; ac plura elemēta Naturæ dicentiū, mentē ex his satis speculārī licet. Sunt autē qui de vniuerso, tāquā si vna natura esset, ita asseruerūt: nō tamen modo eodem omnes, neq; eius, quod bene: neq; eius, quod secundū naturā est. In præsentī itaq; causarū cōsideratione, nullo modo cōuenit sermo de eis. Non enim, vt quidā physicorū, vnum supponētēs ipsum ens, nihilō minūs ex vno, tāquā ex materia, generēt, sed alio modo hi dicūt. Illi enim, cum generēt vniuersum, addūt tamē motū. Hi verō immobile esse aiūt. Attamē aliquatenus præsentī perscrutationi propriū est. Parmenides etenim vnum secundū rationē, attigisse videtur. Melissus verō, secundū materiā. Quare & id ille qui dem finitū, hic verō infinitū ait esse. Xenophanes autē, quāquā prior istis, vnum posuerat, (nam Parmenides, eius auditor fuisse dicitur) nihil tamē clarum dixit, & neutrius horū naturā attigisse videtur: sed ad totū cælū respiciēs, ipsum vnum ait esse Deū. Hi igitur, vt diximus, de præsentī quæstione omitendi. Duo quidē, & penitus tāquā paululū agrestiores, Xenophanes, atq; Melissus. Parmenides verō, magis vidisse quæ dixit, videtur. Quod enim est præter ipsum ens, ipsum nō ens nihil iudicās esse, necessariō vnum putat ipsum ens esse, & nihil aliud. De quo clariūs in de naturalibus diximus. Coactus verō illa, quæ apparent, sequi, & vnum ratione, plura verō secundū sensum putās esse, duas causas rursus, ac duo principia ponit, calidū, & frigidū, velut ignē & terrā dicēs. Horū autē alterū, calidū scilicet, cum ente, alterū verō cū nō ente collocat. Ex dictis itaque, ac ab illis, qui rationi incubuerūt, sapientibus, ista accepimus. A primis quidē & corporale principium. Aqua nāq;, & ignis, & similia, corpora sunt, Et horū, à quibusdā vnum, à quibusdā plura corporalia

principia: vtriusq; tamē, ista vt in materia speciē po-
nentibus: cæteris verò & hęc causam, & cū ista, etiā
vnde motus statuētibus: & hęc, à quibusdam vnā, à
quibusdā duas. Vsq; ad Italicos igitur, & absq; illis,
mediocrius cæteri de eis dixerūt: nisi quòd, vt di-
ximus, duabus causis vsi sunt: & harum alterā vnde
motus, quidā vnā, quidā duas faciunt. Pythagorici
verò, duo quidē eodē modo dixerūt principia. Tan-
tū autem addiderūt, quod propriū eorū est, quòd
finitū, & infinitū, & vnū nō putarunt vllas alias esse
naturas, vtputa ignē, aut terrā, aut aliud simile: sed
ipsum infinitū, & ipsum vnū, substātiā horū esse, de
quibus prædicatur. Quare & numerū, substātiā o-
mniū esse. In hūc itaq; modū & de his asseruerūt, &
de ipso quid est, inceperūt quidē dicere, & defini-
re, sed valde simpliciter tractarūt. Definiebāt nanq;
perfunctoriē: & cui primo dicta definitio inesset,
hoc esse substātiā rei putarūt: p̄inde ac si quis pu-
taret idē esse duplū, & dualitatē, quoniā primū dua-
litati duplū inest: sed nō est idē fortassis, duplo, &
dualitati, esse: quod si non, ipsum vnum erit multa,
quod illis quoque accidebat. A prioribus quidem,
& cæteris hęc demum licet accipere.

CAPVT VI.

Dicitur verò philosophias disciplina
Platonis superuenit, in plerisq; quidem
istos secuta, quædā autē etiā propria, vl-
tra Italicorū habens philosophiā. Cum
Cratillo nāq; ex recētī cōuersatus, & Heracliti opi-
nionibus affluētus, tāquā omnibus sensibilibus sēm-
per defluētibus, & de eis nō existēte sciētia, hęc qui-
dem etiā postea ita arbitratu est. Cū verò Socra-
tes de moralibus quidē tractaret, de tota verò Natu-
ra nihil, in his tamē vniuersale quæreret, & primus
mentē ad definitiones applicaret, illū ob hoc lau-
dans, putauit de aliis, & nō de aliquo sensibiliū hoc
fieri. Impossibile enim definitionē cōmunē cuius-
piam sensibiliū esse, quæ semper mutatur: & sic talia
entiū ideas appellauit: sensibilia verò præter hęc, &
secūdū hęc, omnia dici. Secūdū participationē nā-
que, hęc multa vniuocorū esse speciebus æquiuoca:
participationē verò, secūdū nomē solū, mutauit.
Pythagorici etenim imitatione numerorū aiūt en-
tia esse. Plato verò nomē mutādo, participatione:
participationē verò, aut imitationē specierū, quæ-
nā sit, cōmuniter quærerere omiserūt. Itē præter sen-
sibilia, & species mathematicas res ait medias esse à
sensibilibus quidē differētes, eò quòd perpetuæ, &
immobiles sunt: à speciebus verò, eò quòd illę qui-
dē multę quædā similes sunt, species verò ipsa, vna-
quæq; sola. Et quoniā species causæ cæteris, illarū
elemēta omniū putauit entiū elemēta esse: & vt ma-
teriā quidē magnū, & parū esse principia, tanquā
verò substātiā ipsum vnū: ex illis enim participa-
tione ipsius vnus, species numeros esse: ipsum tamen
vnā substātiā esse, & nō aliquid aliud, dici vnū
esse, quemadmodū Pythagorici: dicebat numeros
quoq; causas cæteris substātiæ esse, similiter atq;
illi. Sed pro infinito tāquam vno, dualitatē facere,
infinitū verò ex magno, & paruo, hoc eius propriū
est. Itē is quidē numeros præter sensibilia, illi verò
numeros ipsas res esse aiūt, & mathematica in me-
dio horū nō ponebat. Ipsum igitur vnū, & numeros
præter res facere, & nō vt Pythagorici, & introdu-
ctio specierū, propter eam, quæ in orationibus sit,

persecutionē, euenit. Priores enim, dialecticę ex-
pertes fuerūt. Dualitatē verò facere alterā naturā,
propterea quòd numeri præter primos, ex ea aptissi-
mē, velut ex quadā effigie, generātur. Atqui accidit
ecōtra. Non enim verisimile est, ita fieri. Nunc et-
enim ex materia multa faciūt. Species verò, semen
generat solū. Apparet autē ex vna materia, vna mē-
sa. Qui verò speciē inducit, quæ vna est, multas facit.
Similiter autē & masculus ad foeminā se habet.
Hęc etenim ex vno cōgressu adimpletur: masculus
verò multas implet. At ista, imitationes illorū prin-
cipiorū sunt. Plato igitur de propositis quæstioni-
bus ita determinauit. Patet autē ex dictis, quòd dua-
bus causis vtitur solū, ea, quæ ipsius quid est, &
ea, quæ secūdū materiā. Species enim cæteris ipsius
quid sint, causæ sunt: speciebus verò ipsum vnū, &
quæ subiecta materia, de qua species: ille quidem de
sensibilibus, illud verò in speciebus vnum dicitur,
quia dualitas hęc est, magnū, & parū. Itē ipsius be-
ne, ipsiusq; malē, causam elemētis attribuit, vtriusq;
vtranq;. Quod etiā primorū quosdā philosophorū
Empedocle, & Anaxagorā magis dicimus quæsiuif-
se. Breuiter igitur, & summatim percurramus, quā-
nā, & quomodo locuti sunt de principiis, & ipsa ve-
ritate. Tantū enim ex eis habemus, quòd eorū, qui
de principio, & causā dixerūt, nemo quicquā præter
ea, quæ in de naturalibus determinata sunt, dixerit:
sed omnes, obscurē quidē, illa tamē aliquatenus vsi
sunt attingere. Quidam enim vt materiā principii
ponūt, siue vnā, siue plures supponāt: & siue corpus,
siue incorporeā ponāt, vt Plato magnū, & parū di-
cens, Italici infinitū: Empedocles ignē, terrā, aquā,
& aerē: Anaxagoras verò, infinitatē similitū partiū.
Hi igitur omnes, talē causam perstrinxerūt. Et ad-
hęc quicūq; aerē, aut ignē, aut aquā, aut igne quidē
dē densius, aere verò tenuius. Etenim tale quidā di-
xerūt, primū elemētū esse. Hi igitur hęc attigerūt
causam solam. Alii verò quidā vnde principii motus,
quicūq; scilicet amicitia & cōtentionē, intelle-
ctū, aut amorē principii faciunt. Ipsum verò quod
quid erat esse & substātiā, clarē quidē nullus assigna-
uit. Maximē verò dicunt, qui species ponunt: nec
enim vt materiā sensibilibus species, & ea, quæ in
speciebus sunt, neq; tāquā illhinc principii motus
fieret, putant. Immobilitatis enim causā, & quietis,
magis eis esse aiūt: sed quod quid erat esse vniciq;
cæterorū species attribuunt: speciebus autē, ipsum
vnū. Ipsum verò, cuius gratia actiones, mutationes,
& motus quodā modo quidē dicūt causam, nō autē
ita dicūt, vt aptū esse natū est. Qui enim intellectū,
aut amicitia dicūt, tāquā bonū quoddā hęc ponūt,
nō tamē tanquā horū causā, quicquā existentiū aut
sit, aut fiat, sed tāquā ex his motus eorū essent, ita di-
cunt. Similiter & qui vnū, vel ens esse hanc naturā
aiūt, substātię quidē causam esse dicūt, nō tamē hu-
ius causā, aut esse, aut fieri. Quare cōtingit eius quā-
dā modo dicere & negare, bonū esse tale. Nō enim
simpliciter, sed secūdū accidēs dicūt. Quòd igitur
de causis, & quot, & quales sint, rectē determinatū
sit, testari nobis etiā isti omnes vidētur, cū nō pos-
sint, aliā attingere causam: & adhęc quòd principia,
aut ita omnia, aut horū aliquo modo quæreda sint,
pater. Quo verò pacto horū quisq; dixerit, quo mo-
do de principiis se res habet, dubitationes, quæ cō-
tingere possunt de his ipsis, deinceps percurramus.

CAPVT VII.



Vicūq; igitur vniuersum vnū, & vnā
quandā esse naturā, vt materiā ponunt,
& hęc corporalē, & magnitudinē habē-
tē, patet quòd multipliciter errant. Cor-
porū enim, elemēta solū ponūt, incorporeorū verò
minimē, cū etiā incorporea sint. Cūq; de gene-
ratione, & corruptione causas dicere conarētur, &
de natura omniū rationes reddere, motus causam
perimūt. Item substātiā nullius causam ponendo,
nec ipsum quid est, & adhęc facilē simpliciū corpo-
rū quodcūq; principii esse (terra excepta) nō cōsi-
derātes mutuā inter ea generationem, quoquo mo-
do ponūt. Dico autē ignē, terrā, aquā, & aerē. Quæ
dam enim cōiunctione, quædā verò disunctione
inuiçē fiūt. Hoc verò ad hoc vt prius & posterius
sit, multū differt. Id etenim apparere possit maxi-
mē omniū elementale, ex quo primo cōiunctione
fiūt. Tale verò illud fuerit profectò, quod partium
minutissimarū, subtilissimamq; corporū sit. Qui-
cunq; ignē principii statuūt, maximē cōuenienter
huic rationi dicēt. Tale autē cæterorū quoq; quif
que fatetur elemētū corporum esse. Quare nemo
posteriorū, qui vnū ponebat, terrā elemētū existi-
mauerat, scilicet propter partii magnitudinē. Triū
verò quodcunq; elemētorū habuit authorem ali-
quem: quidam enim ignē, quidā aquā, quidā aerē,
hoc aiunt esse. At cur non dicūt & terram, vt multi
hominum? omnia etenim terram esse dicūt. Hesio-
dus quoq; primam corporum terram ait esse, tam
vulgarem, & publicam accidit hanc opinionē esse.
Secundum hanc itaque rationem, si quis aut quic-
quam horum excepto igne, dicat aut aere quidem
densius, aqua verò tenuius hoc ponat, nō rectē pro-
fectò inquiet. Quòd si id generatione posterius,
natura prius sit, quod verò digestum, & cōiunctum
generatione posterius sit, cōtrarium his esset vtiq;.
Aqua quidem aere prior, terra verò, hac ipsa aqua.
De his igitur, qui vnam (qualem diximus) causam
ponūt, hęc dicta sint. Id ipsum autem, & si quis hęc
plura ponit, vt Empedocles quatuor corpora ait ef-
se materiam: & huic enim partim eadē, partim pro-
pria necesse est accidere. Nam & quòd inuiçē fiūt,
videmus, tanquam non semper igne, & terra manē
te eodem corpore. Dictum autem de eis in de na-
turalibus est, deq; causa mouentium: vnum, an duo
ponenda sint, neque rectē, neque irrationabiliter o-
mnino arbitrandum est dictum fuisse. Et simplici-
ter alterationem auferant necesse est, qui ita dicūt.
Non enim ex calido frigidum, nec ex frigido cali-
dum erit quidnā ipsa contraria patiantur, & quæ nā
vna natura sit, quæ ignis & aqua fiat? quod ille mi-
nimē inquit. Anaxagoram verò si quis putat duo
dicere elemēta, maximē secūdū rationē arbitra-
bitur, quam ille quidem ipse non digessit. Necessariò
tamen sequeretur eos, qui eam inferrent: quando-
quidē aliter absurdū sit dicere à principio omnia
mista esse, tum quoniam accidit immista oportere
antē esse, tum quoniam non est natura aptū quod-
cunq; cuiusq; misceri. Et adhęc, quoniā passio-
nes, & accidentia separarentur à substātiis: eorun-
dem enim est mistio, & separatio. Si quis tamē se-
quatur digerēs vnā cū eo, quod dicere vult, fortas-
sis videatur quædā noua dicere. Quando enim nil

erat separatum, patet quòd nil erat verē de illa sub-
stantia dicēdum. Dico autem quòd neq; albū, neq;
nigrum, aut fuscū, aut aliū colorem, sed quod colo-
re vacās necessariò esset. Alioqui nanq; aliquē ho-
rum calorū haberet. Similiter etiā sine sapore. Ea-
dem ratione nec aliud quicquā similitū. Nec enim
quale quid possibile est illud esse, neq; quantū, ne-
que quid. Specierū enim, quæ in parte dicūtur, ali-
quæ ei sanē inessent. Hoc verò impossibile, si mi-
sta sint omnia. Essent enim iam separata. Ait autē
omnia esse mista, intellectu accepto: hūc verò solū,
impermissū, & purū. Ex his verò accidit prin-
cipia dicere, & ipsum vnū (hoc enim simplex, & im-
permissū) & alterū tāquam ens quale determina-
tū ponimus antē quàm determinetur, & aliqua par-
ticipet specie. Quare dicitur quidē, neq; rectē, ne-
que clarē, vult autē simile quidam & iis, quæ poste-
rius dicunt, & iis, quæ nūc magis apparent. Verūm
hæ quidē illarū, quæ circa generationem, & corru-
ptionē, & motū sunt rationū, propriæ sunt solū.
Ferē enim de tali substantia, & principia, & causas
inuestigāt solū. Quicūq; verò de cūctis quidē en-
tibus speculantur, entiū autē quædā sensibilia, quæ
dā nō sensibilia ponūt, manifestū est, quòd de vtrif-
que generibus perscrutātur. Quare magis immore-
tur quispiā, de iis quid bene, quid ve nō bene dicāt,
ad eorum, quæ nobis proposita sunt, inquisitionē.
Qui itaq; Pythagorici appellantur, principiis qui-
dē, & elemētis alieniori modo, quàm physiologi,
vtūtur. Causa verò est, quoniā ea nō ex sensibilibus
acceperūt. Entiū enim, quæ mathematica sunt, sine
motu sunt, præter illa, quæ circa astrologiā sunt. Di-
sputat tamē, & tractāt omnia de Natura. Etenim ge-
nerāt cælū: & circa eius passiones, partes, & opera,
obseruant quod sequitur, & principia, & causas in
eis cōsumūt, tanquā cæteris physicis cōuenientes,
quòd illud est ens, quòdq; est quodcunq; sensibile
est, & quod cōtinet id, quod vocatur cælū. Causas
verò, & principia, sicut diximus, sufficiētia (vt di-
cunt) etiā vsq; ad superiora entiū trāscēdere, & ma-
gis quā de Natura, rationibus cōuenientia. Ex quo
verò modo motus erit, finito & infinito, & pari &
impari solū suppositis, nihil aiūt. Aut quomodo
possibile est, sine motu, & mutatione generationē,
& corruptionē esse, aut actiones eorū, quæ in cælo
ferūtur. Item siue quis eis cōcedat ex his magnitu-
dinē esse, siue mōstretur hoc, quomodo tamē quæ-
dā corporū leuia, quædā grauitatē habētia erunt?
quibus supponūt, & aiūt, nil magis, quā de mathe-
maticis corporibus, de sensibilibus dicunt. Quare
de igne, aqua, aut de huiusmodi cæteris corporibus
nihil dixerūt, tanquam nil de sensibilibus propriū
dicentes. Item, quomodo passiones quidem nume-
ri, & ipsum numerum, putandum causas eorū esse,
quæ sunt à principio, ac de nouo in cælo fiunt, nu-
merū verò aliū præter hūc numerū, ex quo Mūdus
cōstat, nullū esse? Cū enim in hac quidē parte opi-
nio eis, & tēpus sit, paululū verò desursum & deorsum
iniuria, & disiectio, aut mistio, probationē autē
afferāt, quòd horū quidem vnūquodq; numerus
est, cōtingit autē in hunc locum multitudinem iam
constitutarū magnitudinū esse, eò quòd passiones
sequuntur singula loca: verūm iste est idē numerus,
qui in cælo, quem oportet accipere, quod horum

lx 24
lx 29
lx 26
lx 27
lx 28
lx 30
lx 31

vnumquodque est? an præter istum, alter? Plato etenim alium esse ait. At ille quoque; numeros putat, & illa esse, & horum causas: sed intelligibiles quidem causas, hos vero sensibiles. De Pythagoricis itaque, prætermittamus modò. Sufficit enim in tantum eos attigisse. Qui verò ponunt ideas, primum quidè, cum quærerent horum existentium causas habere, cætera æqualia his numero attulerunt. Velut si quis numerum re volens, cum quidem pauciora existat, arbitretur non posse, plura verò ea faciat, & ita numeret. Ferè etenim species æquales, aut non pauciores iis sunt, ex quibus, dum de eis causas quærerent, ad illas processerunt. Nam secundum vnumquodque; equiuocum quid est, & præter substantias: cæterorum quoque; in multis est vnum, & in his, & in sempiternis. Item, quibus modis ostenditur quòd species sunt, secundum nullum eorum apparet. E quibusdã namque; non est necesse fieri syllogismum: è quibusdã verò, etiã quorùm non putamus, horum species fiunt. Secundum namque; rationes, quæ ex scientiis, species erunt omnium, quorum scientiæ sunt: secundum verò vnum in multis, & negationum. At secundum quòd intelligitur quippiam eo corrupto, etiã corruptibilium: siquidè quicquam est horum phantasma. Insuper rationum, quæ magis certæ sunt, quædã quidè eorum, quæ ad aliquid sunt, ideas faciunt, quorùm non dicimus esse per se genus: quædam verò, tertium hominem dicunt. Et simpliciter hæc de speciebus rationes illa perimunt, quæ magis esse, quàm ipsas ideas esse voluit, qui dicit species. Accidit enim non dualitate esse primam, sed numerum, & quòd ad aliquid, eo, quòd per se est: & cuncta, quæcumque cum quidam sequeretur, de ideis opiniones, aduersari principii sunt. Item secundum existimationem, secundum quam esse dicimus ideas, non solum substantiarum, sed multorum etiã aliorum species erunt. E tenim vnus conceptus non solum de substantiis, sed de cæteris etiã est: & scientiæ non solum substantiæ, sed etiã aliorum sunt: & cætera huiuscemodi accidunt infinita. Secundum verò necessitatem, & opiniones de eis, si species participabiles sunt, necesse est substantiarum solum esse ideas. Non enim secundum accidens participatio earum est, sed eatenus oportet vniuscuiusque; participare esse, quatenus dicitur non de subiecto. Dico autem, vt si quid ipso duplo participat, hoc etiam æterno participat, sed secundum accidens: accidit enim duplo, æterno esse. Quare species, substantia erunt. Hæc autem hæc, & ibi substantiã significat. An quicquam erit dicere esse aliquid præter has, vnum in multis? Et si eadem species est idearum, & participantium erit aliquid commune. Cur enim magis in corruptibilibus dualitatibus, & pluribus quidè, sed æternis, dualitatem esse vnum, & idè sit, quàm in hac & quadã? Et si non est eadem species, æquiuocatio erit profectò, & simile, ac si quis & Calliam, & lignum hominem appellat, quorum nullã inspicit communicationem. Potissimum verò dubitabit aliquis, quidnam species conferant sempiternis sensibilibus, aut illis, quæ sunt, & corrumpuntur. Nec enim motus, nec alicuius transmutationis eis causæ sunt. At nec ad scientiã aliorum profunt. Nec enim horum illæ substantia sunt: in his etenim essent. Nec ad esse, cum non infint participatibus. Ita etenim fortassis causæ putabuntur esse, vt albu mistum albo. Sed ista ratio facillè redargui potest,

quam Anaxagoras prius, Eudoxus verò posteriori, & quidam alii dixerunt. Facile enim est, multa, & impossibilia ad hanc opinionem cogerere. At nec ex speciebus cætera sunt, secundum vllum illorum modorum, qui dici solent. Dicere verò exemplaria eas esse, & cætera eis participare, vaniloquia, & metaphoras poeticas dicere est. Quòd enim est, quòd agit, ad ideas inspicies? Possibile enim est & esse, & fieri quodcumque; simile, etiã non ad illius imaginem. Quare & existete Socrate, & non existete, fiet utique; qualis Socrates est, similiter autem etiam si Socrates sempiternus esset. At eiusdem erunt plura exemplaria: ergo etiã species: veluti hominis, animal, & bipes, si mul autem & idealis homo. Itè non solum sensibilem exemplaria species erunt, verum etiam ipsarum (vt puta genus, tanquam genus) specierum. Quare idem erit exemplar, & imago. Item, videri possit impossibile esse separatã substantiã, & cuius est substantia. Quare quomodo ideæ, cum rerum substantiæ sint, separatæ fuerint? In Phædone ita dicitur, quòd tum ipsius esse, tum ipsius fieri species causæ sunt: quancquam speciebus existentibus, non tamè participantia sunt, si non sit, quòd moueat. At multa alia sunt, velut domus, aut annulus, quorùm non dicimus esse species. Quare patet posse contingere cætera quoque; & esse, & fieri, etiã propter tales causas, quales eorum, quæ nunc dicta sunt. Item, si species numeri sunt, quomodo erunt causæ: vtrum quoniã ipsa entia, sunt diuersi numeri? vtputa hic quidè numerus homo, hic verò Socrates, hic autem Callias? Cur igitur illi his causæ sunt? Etenim si hi quidè æterni, hi verò non, nihil differt. Quòd si quoniã proportioniones numerorum hæc, aut consonantia, patet, quòd vnum quidã erit, quorùm proportioniones sunt. Si igitur hoc materia est, manifestum est, quòd ipsi etiã numeri proportioniones cuiusquam alterius ad alterum erunt. Dico autem, vt si Callias proportio est, in numeris ignis, terra, aqua, & aeris, & ipse homo aliquorum aliorum subiectorum erit: & idea numerus, ac etiã ipse idealis homo, siue aliquis numerus sit, siue non, erit tamè proportio in numeris aliquorum, & non numerus: & propterea nullus erit numerus. Item, è multis numeris, vnus numerus fit: ex speciebus verò, quomodo species vna? Quòd si nec ex his, sed ex numerabilibus, vt ex decem millibus, quomodo se habet vnitates? Siue enim eiusdem speciei sunt, multa incouenientia sequuntur: siue non eiusdem speciei, nec eadem inuicem, nec cæteræ omnes omnibus, in quo differet, cum impassibiles sint? Hæc enim nec rationabilia sunt, nec intellectioni consentanea. Item, necesse est aliud quiddam numeri genus ponere, circa quòd arithmetica, & omnia, quæ media dicuntur à quibusdã: quæ quomodo, aut ex quibus principiis sunt, aut cur ista sunt, quæ media illorum, & horum erunt? Item, vnitates, quæ in dualitate sunt, vtraque; ex aliqua priore dualitate. At hoc impossibile est. Item, cur vnum est, numerus collectus? Itè, ad hæc, quæ dicta sunt, si vnitates differetes sunt, oportet ita dicere, sicut quicumque; quatuor, aut duo dicuntur elementa. Etenim horum singuli non dicuntur elementum, quòd commune est, vtputa corpus, sed ignem, & terram, siue commune quid sit corpus, siue non, nunc autem dicitur, ac si vnum, ita esset (vt ignis, aut aqua) similitum partium. Quòd si ita sit, numeri non erunt substantiæ. Sed ipsum vnum ali-

lx 30
lx 31
lx 32
lx 33
lx 34
lx 35
lx 36
lx 37
lx 38
lx 39
lx 40
lx 41

quid est, & hoc principium est, patet quòd vnum multipliciter dicitur. Aliter namque; impossibile est. Volentes autem substantiam referre ad principia, longitudines quidem ex longo, & breui, ponunt ex quodam paruo, & magno: planum verò, ex lato, & stricto: corpus autem, ex alto, & humili. At quomodo aut planum habebit lineam, aut solidum lineam, aut planum? Aliud namque; genus, latum & strictum, altum & humile. Quemadmodum igitur neque; numerus est in eis, eò quòd multum, & paucum ab his aliud est, ita manifestum est, quòd nec aliud quicquam superiorum inferioribus inerit. At verò nec latum, genus alti est. Etenim corpus, esset planum quid. Item puncta, ex quo insunt (at horum generi aduersabatur Plato) tanquam existenti dogmati geometrico: sed nominabat principium lineæ, hoc verò sapius ponebat lineas indiuisibiles. Atqui necesse est, harum aliquem esse terminum. Quare ex qua ratione linea est, punctum quoque est. Et simpliciter cum sapientia sit, de manifestis causam quærere, hanc quidem prætermisimus: nihil enim de causa dicimus, vnde principium transmutationis: substantiam verò eorum dicere putantes, alias substantias esse dicimus. Quomodo verò illæ horum substantiæ, in cassum dicimus, participare nanque (vt prius diximus) nihil est. Nec illam etiã, quam scientiis esse causam videmus, propter quas omnis intellectus, & omnis natura facit, nec vllam causam, quã vnam de principiis esse dicimus, ipsæ species attingunt. Sed qui hac ætate sunt, iis mathematica facta sunt philosophia, quanuis dicant aliorum gratia ea oportere tractare. Item, subiectam substantiam, vt materiam magis mathematicam, quis profectò putauerit, ac magis prædicari, & differentiam substantiæ, ac materiæ esse, veluti magnum, & paruum, sicuti aiunt Physiologi rarum, & densum, primas subiecti dicentes has differentias esse. Hæc etenim excessus quidam, & defectus sunt. De motu autem, si hæc quidem motus erunt, patet quòd species mouebuntur. Quòd si non, vnde euenit? Tota etenim de Natura consideratio perit. Et quòd facillè probare videtur, quòd omnia, vnum, non fit: expositione etenim, non fiunt omnia vnum. Sed ipsum vnum si quis concedat omnia, nec hoc quidem, nisi quis vniuersale concedat esse genus. Hoc autem in quibusdam impossibile. Nullam autem rationem habet, nec illæ, quæ post numeros, longitudines, plana, & solida sunt, nec quomodo sunt, aut futura sunt, nec si quam vim habent: hæc enim nec species possibile est esse. Non enim sunt numeri, nec media. Mathematica enim illa sunt. Nec corruptibilia: sed rursus

lx 42
lx 43
lx 44
lx 45
lx 46

quartum aliud quoddam hoc genus apparet. Et simpliciter elementa quærere entium non diuidendo, cum multipliciter dicantur, impossibile est inuenire: præsertim cum hoc modo quæratur, ex quibus elementis est. Ex quibus enim ipsum agere, aut ipsum rectum, non est accipere. Quòd si est, substantiarum solum esse potest. Quare aut quærere, aut putare habere omnium existentium elementa, non est verum. Quomodo verò aliquis eunctorum elementa disceret? Manifestum est enim, quòd non est possibile quicquam eum cognoscere prius. Quemadmodum enim ille, qui geometriã discit, aliqua quidem præscire contingit, quorum verò illa scientia est, & quæ docendus est, nihil præscit, ita & in cæteris. Quare si qua eunctorum est scientia, (vt quidã aiunt) nihil profectò is præcognoscere possit. Atqui omnis disciplina per præcognita aut omnia, aut aliqua est: & aut per demonstrationem, aut per definitiones. Ex quibus enim definitio est, illa præcognoscere oportet, ac nota esse. Similiter & quæ per inductionem. At si innata nobis est, mirum est quomodo nos fugit, optimam scientiarum habentes. Item, quo pacto quis cognoscet, ex quibus est, & quomodo manifestum erit? etenim hoc habet ambiguitatem. Dubitabit enim quispiam, sicuti & de quibusdã syllabis: quidam enim syllabam s m a, ex s & m, & a aiunt esse: quidam verò alium sonum esse dicunt, & nullum ex notis. Item, quorum sensus est, ea quomodo quis noscet sensum non habes? atqui oportet. Siquidem eadem eunctorum elementa sunt, ex quibus (sicuti compositæ voces) ex propriis sunt elementis. Quòd igitur illas, quæ in de naturalibus dictæ sunt, causas cuncti quærere videatur, & præter illas nullam aliam dicere habeamus, ex illis, quæ dicta sunt, prius patet. Sed eas obscure dixerunt. Quodam modo enim omnes dictæ sunt prius, quodam modo minimè. Balbutienti enim assimilata fuit prima philosophia de omnibus, tanquam in principiis noua existens. Nam & Empedocles, os ait esse ratione. Hoc autem est, quòd quid erat esse, & rei substantia. At verò similiter necesse est etiam carnis, cæterorumque singulorum esse rationem, aut nihil esse. Propter hoc enim & caro, & os, cæterorumque; vnumquodque est: & non propter materiam, quam ille ignem, terram, aquam, & aerem ait. Sed hæc altero dicente necessariò consensisse profectò, clarè tamen non dixit. De his, igitur & antea manifestum est. Quòd cumque autem de his quibuspiã dubitauerit, rursus repetamus. Fortassis etenim ex eis aliquid facultatis habebimus ad futuras dubitationes.

lx 47
lx 48
lx 49
lx 50
lx 51

ARISTOTELIS STAGIRITAE METAPHYSICORUM Liber Secundus.

CAPVT I.



SPECVLATIO de veritate, partim difficilis, partim facilis est. Signum autem, quod neq; satis eam aliquis consequitur, neq; aberrant omnes ab ea: sed quisq; aliquid de Natura dicit & singuli quidem nil, aut parū ei addūt, ex omnibus verō collectis aliqua magnitudo fit. Quare si ita se videtur habere, vt in proverbio dicimus, quis aberrabit à ianua? Hoc modo profectò facilis esset. Totum autem, & partem habere non posse, hoc eius difficultatē ostendit. Cū verò difficultas duobus sit modis, fortassis causa eius non rebus, sed nobis ipsis inest. Quemadmodum enim vespertilionum oculi ad lumen diei se habent, ita & intellectus animæ nostræ ad ea, quæ manifestissima omnium sunt. Verū nō solū illis agendæ sunt gratiæ, quorum opinionibus quis acquiescet, sed illis, qui superficie tenus dixerūt. Conferunt enim aliquid etiam isti: habitum nanque nostrum exercuerunt. Si enim Timotheus nō fuisset, multum melodiæ nequaquam habuissēmus. Si tamen Phrynis non extitisset, ne Timotheus quidē. Simili modo & de illis est, qui de veritate asserunt. A quibusdā enim aliquas accepimus opiniones: quidā verò, vt hi fierēt, causa fuerūt. Rectè autem se habet, philosophiam, scientiam veritatis appellare. Speculatiuæ etenim finis, veritas: practiciæ autem, opus. Etenim si quo modo se habēt, considerant, non causam per se, sed ad aliquid, & eo in tempore practici speculantur. Nescimus autem verum absq; causa: vnumquodque verò id ipsum maxime, aliorum est, secundum quod aliis vniocatio inest: vtputa ignis, calidissimum. Etenim cæteris hic est caliditatis causa. Quare verissimum etiam est id, quod posterioribus vt vera sint, causa est. Propter quod principia semper existētium, necesse est verissima esse. Nec enim aliquando vera, nec illis vt sint, aliquid aliud causa est, sed illa cæteris. Quare vt secundum esse vnumquodq; se habet, ita etiā secundum veritatem.

CAPVT II.



AT verò quod est principium aliquod, neque sunt infinitæ entium causæ, neque in rectum, neq; secundum speciē, patet. Nec enim vt ex materia, hoc ex hoc potest esse infinitum, vt carnem ex terra, terrā ex aere, aërem ex igne, & hoc non stare. Nec vnde principium motus: veluti hominem quidē ab aere moueri, hunc verò à Sole, Solem autem à contentione, & huius nullum esse finem. Similiter nec cuius causa, in infinitum progredi potest: vt deambulationem quidem sanitatis causa, illam verò felicitatis, felicitatem verò alterius: & ita semper aliud

alterius gratia esse. Similiter autem & de eo, quod quid erat esse. Mediorum sanè, quorum extra aliquid vltimū & primum est, necesse est quod prius est, causam esse eorum, quæ post illud sunt. Si enim dicere nos oportuerit quid triū causa est, primum dicemus. Non enim vltimum, (nullius enim, quod vltimum est) neq; medium: vnus enim. Nil enim differt vnū, an plura sint, nec infinita. Infinitorum quidem hoc modo, & simpliciter infiniti omnes partes mediæ sunt similiter hucusq;. Quare si primum nihil est, omnino nulla causa est. Et neq; deorsum possibile est in infinitum descendere, cū id, quod sursum versus principium habet: vt ex igne quidem aquam, ex hac verò terram, & ita semper aliud quoddā genus fieri. Dupliciter enim hoc ex hoc fit, non vt hoc post hoc dicitur: vt ex Isthmiis ludis, Olympiaci, sed vt aut ex puero mutato vir, aut vt ex aqua aer. Verū enim uero vt ex puero quidem virū fieri dicimus, tanquā ex eo, quod fiebat, id, quod factū est, aut quod perfectū est, ex eo, quod perficiebatur: semper etenim est aliquid mediū, vt inter esse, & non esse, generatio, ita quod fit, inter existēs, & nō existens. Qui autē discit, fit sciēs. Et hoc est, quod dicitur, quod fit ex discēte sciēs, vt autē tanquā ex aere aqua, corrupto altero. Quare illa quidē non reflectuntur mutuo, nec fit puer ex viro. Non enim fit ex generatione quod fit, sed post generationem est. Sic enim dies ex diluculo, quoniam post hoc est: quare nec diluculum ex die: cetera verò reflectuntur. Vtroq; tamen modo impossibile est in infinitū progredi. Illorum enim cū media sint, necesse est finem esse. Hæc autem inuicem reflectuntur. Alterius enim corruptio, alterius generatio est. Simul autem impossibile est primum corrumpi, cū sempiternum sit. Cū enim generatio non sit infinita sursum versus, necesse est non esse sempiternum illud, quod primo corrupto quicquam factū est. Item, ipsum, cuius causa finis. Tale autem est, quod non est alterius gratia, sed eius causa cætera. Quare si tale erit vltimum, non erit infinitum. Quod si nihil tale, nō erit ipsum, cuius causa. Sed qui faciunt infinitum, latet eos, quod boni naturam auferunt. At nullus inciperet agere quicquam, si nō esset peruētus ad finē, nec esset intellectus in huiusmodi. Alicuius enim causa agit, qui cunq; intellectū habet. Hoc nāq; terminus est: finis verò ipse terminus. At verò nec quod quid erat esse reduci ad aliā definitionē ratione abundantē cōtingit. Semper etenim prior, magis est, posterior verò, non est. Cuius autē primum nō est, nec quod se quitur est. Item, ipsum scire perimūt, qui ita dicūt. Non enim possibile est scire antē, quā ad indiuidua deueniatur, & ipsum cognoscere non est. Quæ enim ita infinita sunt, quomodo intelligere cōtingit? Nec enim simile de linea est, quæ secundū diuisiones quidē nō stat. Intelligere verò nō potest, nisi sistat.

Metaphysicorum Liber III.

sistat. Quare non numerabit diuisiones, qui infinitam pertransit. Sed etiam materiam necesse est in eo, quod mouetur, intelligere. At nulli est esse infinito: quod si non, non infinitum est infinito esse. Quod etiam si species causarum infinitæ multitudinē essent, nec hoc modo esset ipsum cognoscere. Tunc enim scire putamus, cū causas cognoscimus. Infinitum verò secundum additionem, nō est in tempore finito pertransire.

CAPVT III.



AVSULTATIONES autem, secundum cōsuetudines accidunt. Quemadmodū enim consueuimus, ita iudicamus dici debere, & quæ præter hæc, nō apparent similia, sed quia non consueuimus, ignotiora, & magis peregrina: consuetū etenim notius est. Quantā verò vim cōsuetudo habeat, leges declarāt, in quibus fabulosa, ac puerilia plus possunt propter cōsuetudinem, quā si cognosceremus ea. Aliqui igitur,

ARISTOTELIS STAGIRITAE METAPHYSICORUM Liber Tertius.

CAPVT I.



AILLAM, quæ quæritur, scientiam, necesse est in primis nos percurrere, de quibus primò dubitandū est. Hæc autem sunt, & quæcunq; de eis aliter quidā existimārūt, & si quid vltra hæc prætermisum sit. Est autē operæpretiū, aliquid facultatis habere volētibus, bene dubitare. Nam posterior facultas, solutio eorū est, quæ antē dubitata fuerūt. Soluere autē nō est, cū nodus ignoretur: sed intellectus hæsitatio, manifestum hoc de re facit. Quatenus enim dubitat, cætenus simile quiddam ligatis patitur: vtroque nanque modo impossibile est ad vltiora procedere. Quare omnes primò difficultates speculari par est, & horum gratia, & propterea quod illi, qui quærunt, nisi primò dubitēt, similes illis sunt, qui quonā ire oporteat, ignorāt, & adhæc neq; vtrum inuenerint quod quæritur, an non, cognoscere possunt. Finis etenim huius quidem non est manifestus: illi autem, qui antea dubitauerit, patescit. Item, melius se habere necesse est, illum ad iudicandum, qui tanquam aduersarios, omnes vtrinque rationes oppositas audiatur. Est autem prima dubitatio de iis, quæ in procæmio quoq; dubitauimus, vtrum vnus, aut multarū scientiarū sit causas speculari. Et vtrum prima substantiæ principia, solū huius sit scientiæ cōsiderare: an etiam de principiis, ex quibus omnes demonstrant: vtputa vtrum contingit vnum, & idē simul affirmare, & negare, an non, & de cæteris huiusmodi. Quod si circa substantiam est, vtrū vna, an plures circa omnes sint: & si plures, vtrum omnes inter se affines, an aliquas earum sapientias, nonnullas aliquid aliud appellādum sit. Et hoc etiā ipsum necessarium est, vt quæratur, vtrum sensibiles substantias esse duntaxat dicendum sit, an præter has

nisi mathematicè loquētes, non admittūt. Quidā verò non nisi exemplis vtentem. Quidam autē dignum ducūt, vt testis producat aliquis poeta. Er quidā cætera omnia volunt. Quosdam verò tædet certitudinis, aut propterea, quod nō possunt sequi, aut propter curiositatē. Habet enim certitudo tale aliquid: quare vt in contractibus, ita & in orationibus illiberale esse quibusdam apparet. Quapropter oportet institutum esse, quomodo singula admittēda sunt, quoniam absurdum est simul scientiam, & modum sciētiae quærere. Neutrum autem facile accipere est. Certitudinem verò mathematicam non oportet in cunctis quærere, sed in iis, quæ non habent materiam. Quare nō est naturalis modus. Totā enim Natura, fortè habet materiam. Quam ob rem considerandum est primum, quidnam Natura sit. Sic enim & de quo naturalis scientia est, manifestum erit, & vtrum vnus sciētiae, an plurium est, causas, & principia speculari.

etiam alias. Et vtrum vnum, an plura substantiarum genera sint: veluti qui species, quicq; mathematica harū, & sensibiliū media faciūt. Et de his igitur (vt dicimus) considerandū est. Et vtrū circa substantias solū speculatio sit, an etiā circa ea, quæ per se substantiis accidunt. Et adhæc de eodē & diuerso, simili & dissimili, & contrarietate, & de priori, & posteriori, & cæteris cunctis huiusmodi, de quibus dialectici cōsiderare conātur, ex probabilibus solū perscrutātes, cuius est de his omnibus speculari. Item, quæcunq; per se, eisdē ipsis accidunt, & non solū quid horū vnūquodq; est, sed etiā vtrum vni contrariū. Et vtrū ipsa genera sint principia, & elementa, an illa, in quæ diuidūtur, quæ insunt singularia. Et si ipsa genera, vtrū quæ vltima de indiuiduis prædicātur, an priora: vtputa, vtrum animal, vel homo principiu, & magis quā singularia sit. Potissimū verò quærēdū, & tractandū est, vtrū est aliqua præter materiā, causa per se, an nō: & hæc separata, an nō: & vtrū vna, an plures numero: & vtrū est aliquid præter cūctū, (dico autē cūctū, cū quicquam de materia prædicatur) an nihil: an quorundam quidem sit, quorundā verò non: & quānā entium talia sint. Item, principia, vtrū numero, an specie definita sint. Et quæ in rationibus, & quæ in subiecto, & vtrum corruptibile, & incorruptibile, eadem, an diuersa. Et vtrum incorruptibilia omnia an corruptibile corruptibilia. Item, quod omnium difficillimum est, & maximam ambiguitatem habet, vtrum vnum & ens, (vt Pythagorici, & Plato dicebāt) nō est aliud quicquam, sed entiu substantia, an non, sed aliud quid subiectum, vt Empedocles amicitia ait, alius verò quidam ignem, etiam alius aquam, aut aërem. Et vtrum principia vniuersalia sint, an tanquam singularia rerū, & potētia, an actu. Item vtrū aliter, an secundum motum: & hæc enim multam dubitationem præbere queant. Et adhæc, vtrum

hex. primus

lx. 2.

lx. 3.

lx. 4.

lx. 5.

lx. 5.

lx. 7.

lx. 12.

lx. 13.

lx. 14.

lx. 15.

lx. 1.

lx. 3.

lx. 9.

lx. 10.

lx. 11.

lx. 16.

utrum numeri, longitudines, figuræ, & puncta, substantiæ quædam sint, an non: & si substantiæ, utrum separata à sensibilibus, an in eis. De his enim omnibus non modò inuenire veritatem difficile, verum neque bene ratione dubitare facile est.

CAPVT II.

Rimùm itaque de quibus primò diximus, utrum vnus, an pluriū scientiarū sit, omnia causarū genera speculari: vnus enim sciētia, quomodo esset principia (cū non sint contraria) cognoscere? Itē, multis entium, non omnibus, omnia insunt. Quo namque modo possibile est motus principium in immobilibus esse, aut boni naturam? Si quidē omnino quodcūq; per se, & propter suam ipsius naturā bonum sit, finis est, & ita causa, quoniā illius gratia cætera & fiunt, & sunt, finis autē, & cuius causa actionis cuiusdam finis sit, omnes sanē actiones cū motu. Quare in immobilibus non contingere queat hoc principium esse: nō autem esse cōtingat quicquam per se bonum. Vnde in mathematicis, nihil per hanc causam probatur, nec est aliqua demonstratio. Quare eius, quod melius, aut peius, & omnino alicuius taliū, nemo mentionē facit. Quapropter quidam sophistarū (vt Aristippus) spernebat eas. In aliis enim artibus, ac ipsis etiā illiberalibus, vt in fabrilibus, & coriariis, inquebat, cur melius, aut peius, de omnibus dici. Mathematicas autem, nullam de bonis, & malis rationem facere. Ac si plures sunt causarū sciētia, & alia alius principii, quàm earum dicendum, eam esse, quæ quæritur? aut quis illorū, quæ habent, rem, quæ quæritur, maximè sciet? Contingit enim eidem, omnes modos causarū inesse: vt puta domus, vnde quidem motus, ars & faber: cuius verò causa, opus: materia autē, terra, & lapides: species verò, definitio. Ex iis itaq;, quæ ab antiquis determinata sunt, quæ scientiarū appellanda sit sapientia, rationale videatur vnamquaq; ita appellandā esse. Verum quatenus principalissima, & honorabilissima, & cui cæteras sciētias tanquā ancillas non cōtradecere decet, illa est ipsius finis, & boni: huius enim causa, cætera. Quatenus verò primum causarū, & eius, quod maximè scibile definita est esse, ipsa vtiq; substantiæ fuerit. Cū enim multipliciter sit idem scire, magis quidē illum scire dicimus, qui rem quidnam sit ipso esse cognoscat, quàm illum, qui ipso nō esse. Istorum autē ipsorū, alterū altero magis, & maximè illum, qui quid est, nō verò illum, qui quātum, aut quale, aut quid, agere, siue quid pati natura aptum est. Item & in cæteris tunc scire vnūquodq; eorū etiā, quorū demonstrationes sunt, arbitramur, cū quid est sciamus: vt puta quid est tetragonismus, quod inuētio mediæ, similiter & de cæteris. Circa generationē autē, & actiones, totāmq; trāsmutationē, cū sciamus motus principii: hoc autē aliud, & fini oppositum est. Quare alterius esse sciētia videatur, harū causarū vnamquaq; speculari. At verò de principiis demonstratiuis, vtrū vnus sciētia, an pluriū sunt, ambigū est. Dico autē demonstratiua, opiniones communes, ex quibus omnes demonstrant: vt puta quod necesse est omne aut affirmare, aut negare, & quod impossibile est, simul esse, & non esse: & quæcūq; alia similes propositiones sunt, vtrū vna istarū, ac

substantiæ scientia est, an diuersa? quod si non vna, vtra dicēda est illa esse, quæ nunc quæritur? Vnius itaq; nō est rationale esse, cur geometriæ magis, quàm cuiuscūq;, propriū sit de his speculari. Si itaque quæ æqualiter quidē cuiuscūq; est, de omnibus verò nō cōtingit, sicut nec cæterarum, ita nec illius, quæ cognoscit substantias, propriū est, de eis cognoscere. Et adhæc, quomodo eorū sciētia erit? Quid enim horum quodq; est, nūc quoq; cognoscimus. Vtūtur nanq; eis cætera etiam artes, tanquā cognitiuis. Quod si demonstratiua de eis est, oportebit aliud quod genus subiectū esse, & aliquas passiones, & aliquas eorū dignitates esse. De omnibus enim demonstrationē esse, impossibile est. Siquidē necesse est ex quibusdam, & circa quippiā, & quorundā demonstrationē esse. Quare accidit cunctorū, quæ demonstrantur, vnū quoddā genus esse. Omnes enim demonstrationes vtuntur dignitatibus. At verò si altera, quæ de substantia, & illa, quæ de his, vtra earū principalior, & prior est? Vniuersaliter enim, & maximè principia omnium, dignitates sunt. Et si nō est philosophi, cuius alterius erit de eis verum, & falsum speculari? Et omnino vtrū vna omnium substantiarū, an plures sciētia sunt? Si igitur nō vna, cuius substantiæ hæc sciētia erit ponēda? Vnā autē omnium esse, nō est rationale. Etenim demonstratiua vna, de omnibus accidentibus esset. Siquidē omnis demonstratiua, ea, quæ per se circa aliquod subiectū accidunt, speculari ex cōmunibus opinionibus. Circa itaq; idē genus, per se accidentia eiusdem est speculari ex eisdē opinionibus. Circa enim quod est vnus, & ex quibus vnus, siue eiusdē, siue alterius: vnde & accidentia, aut hæc speculari, aut ex his vna. Item, vtrū circa substantias solum speculari est, an etiam circa accidentia eis? Dico autē, vt puta si solidū quædam substantia est, ac lineæ, & plana, vtrū eiusdē sciētia est, ista cognoscere, & quæ circa vnūquodque genus accidunt, de quibus mathematicæ demonstrant, an alterius? Si enim eiusdē, demonstratiua quædam erit etiā quæ substantiæ: nō videtur autē ipsius quid est, demonstratio esse. Quod si alterius, quæ erit, quæ speculari circa substantiam accidentia? hoc enim difficillimū reddere est. Item, vtrū sensibiles solum substantias esse dicendū est, an præter istas etiā alias? & vtrū vnū, an plura substantiarū genera sunt, vt ii, qui dicunt species, & media, circa quæ mathematicas aiunt scientias esse? Quomodo igitur dicimus species causas, & substantias per se ipsas esse, in superioribus sermonibus dictū est. Cū verò multiplicē difficultatem habeāt, nō minus est inconueniēs dicere quidē esse quædam naturas præter eas, quæ in cælo sunt, illas verò easdē, quas & sensibiles ponere, nisi quod illa quidē sempiterna, hæc verò corruptibilia. Ideale nāq; hominē, & ideale equū, & sanitatē aiunt, & nihil aliud simile, quid illis faciētēs, qui dicūt quidē esse deos, sed formæ similis hominibus. Nec enim isti aliud faciebāt, nisi homines sempiternos, nec illi species, nisi sensibilia sempiterna. Item, si quis præter species, & sensibilia ponat media, multas dubitationes habebit. Patet etenim quod similiter, & lineæ præter etiā ipsas sensibiles erūt, & aliorū generū singula. Quare cū astrologia vna earū sit, erit & cælum aliquod præter sensibile cælum, & sol, & luna, & cætera similiter, quæ

in cæ

in cælo sunt. At quomodo credendum est talibus? Nam immobile, non est rationale esse: mobile autem, & omnino est impossibile. Similiter & de quibus perspectiua tractat, & quæ in mathematicis harmonica. Et hæc enim impossibile est præter sensibilia esse, propter similes causas. Si enim sensibilia sunt, media, & sensus, patet quod animalia etiam erunt eorum mediorum, & quidē corruptibilium. Dubitauerit autem aliquis, circa quæ entia oportet has scientias quærere. Si enim in hoc differret solum à geometria, Geodesia, quod hæc quidem eorum est, quæ sentimus, illa verò nō sensibiliū est, patet quod præter medicinā erit aliqua scientia, & præter quancūq; aliarū, inter ipsam medicinā, & hanc medicinā. At quomodo possibile est? Etenim etiā salubria quædam essent, præter sensibilia, & ipsam salubre. Simul autē nec hoc verum est, quod Geodesia sensibiliū, & incorruptibiliū magnitudinum sit: corrumperetur enim, illis corruptis. At neque sensibiliū magnitudinum, neque circa hoc cælum astrologia esset. Nec enim sensibiles lineæ tales sunt, quales geometria dicit. Nil enim sensibiliū, ita rectum, atque rotundum. Tangit enim circulus regulam, non secundum punctum, sed sicut Protagoras dicebat redarguēs geometras. Nec motus, nec reuolutiones cæli similes, de quibus astrologia rationes facit. Neque puncta eandem naturā, quam stellæ habent. Sunt autem quidam dicentes, esse quidem hæc, quæ specierum, & sensibiliū media dicuntur, non tamen à sensibilibus separata, sed in eis, quos quæ impossibilia sequuntur, omnia quidem enumerare longi sermonis esset. Sufficit autem talia speculari. Non enim de his solum, vt ita se habeant, rationale est, sed patet, quod etiā species cōtingeret in sensibilibus esse. Eiusdem enim rationis vtraq; hæc sunt. Item, duo solida in eodem loco necesse esset esse, & nō esse immobilia, in sensibilibus existentia motis. Et omnino cuius causa quis ponet quidem esse ea, esse, inquam, in sensibilibus? Eadē enim, quæ prædicta sunt, absurda sequuntur. Erit nanque aliud quoddam cælum præter cælum, nisi quod non separatum, sed in eodem loco, quod impossibile est.

CAPVT III.

Magna itaque tam de his dubitatio est, quonam modo ponēdo, veritatem consequemur, quàm de principiis, vnde oporteat genera existimare elementa, & principia: an illa magis, ex quibus insitis quicquam primum est: vt vocis elementa, & principia videntur ea esse, ex quibus primò omnes voces compositæ sunt, sed non vox in communi. Et figurarum ea dicimus elementa, quorum demonstrationes, in aliarum, aut omnium, aut plurium demonstrationibus insunt. Item, etiam corporum: & qui plura dicunt elementa esse, & qui vnum, ex quibus componuntur, & ex quibus constant, principia esse aiunt: vt Empedocles ignem, & aquam, & quæ cum eis sunt, elementa ait esse, ex quibus insitis existentia fiunt: sed non ea, vt genera entium ponit. Et adhæc, si quis cæterorum quoque naturam velit considerare, veluti lectum ex quibus partibus, & quomodo compositus est, tūc eius naturam cognoscit. Ex his itaque rationibus non essent principia, genera en-

tium. Cū autem singula cognoscamus per definitiones, principia verò definitionum genera sint, necesse est, definitorum etiam principia genera esse. Et si entium habere sciētiam, est ipsum habere specierum scientiam, secundum quas etiam dicuntur, specierum principia, ipsa genera sunt. Videntur autem quidam etiam eorum, qui elementa entium ipsum vnum, aut ens, aut magnum, aut paruum dicunt, tanquam generibus eis vti. Aut verò non possibile est vtroq; modo principia dicere. Ratio namque substantiæ, vna: diuersa verò erit: quæ fit per genera, definitio, & quæ dicit, ex quibus insitis. Et adhæc, & si quàm maximè ipsa genera, principia sunt, utrum prima generum arbitrandū sit esse principia, an vltima, quæ de indiuiduis prædicantur? etenim hoc dubitatur. Si enim quoniam vniuersalia, magis principia sunt, patet quod summa generum (hæc enim de omnibus dicuntur) tot sanē principia entium erūt, quot prima generum sunt. Quare & ipsum ens, & ipsum vnum, principia, & substantiæ erunt: hæc enim de omnibus maximè entibus dicuntur. Non est autem possibile, neque ipsum vnum entium esse genus, neq; ipsum ens. Necesse etenim est vniuscuiusq; generis differentias, & esse, & vnanquamque vnam esse. Impossibile verò est, aut species generis de propriis differentibus prædicari, aut genus esse absque suis speciebus. Quare si vnum, vel ens, genus est, nulla differentia, nec vnū, nec ens erit. At si non genera, nec principia erant. Siquidem genera, principia sunt. Item etiam media cum differentiis collecta, erunt genera vsq; ad indiuidua. Nunc autem quædam videntur, quædam verò non videntur. Et ad hæc, differentia magis principia, quàm genera. Si igitur ista etiam principia, infinita (vt ita dicam) principia fiunt, & maximè si quis primum genus principium ponat. At verò & si principalis species, magis ipsum vnū est, (vnum autē est, quod indiuisibile est: omne verò diuisibile, aut secundum quantum, aut secundum speciem: prius autem, quod secundum speciem est: genera autem, magis diuisibilia in species) vnū erit profectò, quod vltimò prædicatur. Non enim est homo, genus singularium hominum. Item, in quibus prius & posterius est, non est possibile, quod de his dicitur, aliquid præter hæc esse. Vt puta, si dualitas numerorum est prima, non erit aliquis numerus, præter species numerorum. Similiter neque figuræ præter species figurarum. Quod si non horum, multò minus aliorum erunt genera præter species. Horum enim, maximè videtur genera esse. In indiuiduis verò, non est hoc quidem prius, hoc verò posterius. Item, vbicūq; hoc quidē melius, hoc verò deterius est, semper prius est, quod melius est: quare nihil horum genus esset. Ex his itaque magis apparent, quæ de indiuiduis prædicantur, quàm genera esse principia. Rursus tamen quomodo oporteat ista existimare principia, nō est facile dictū. Principiū enim, & causam esse oportet præter res, quarū principium est, & posse esse separatū ab eis. Tale quid autem esse præter singulare, cur quisquam opinaretur, nisi quoniam vniuersaliter, & de omnibus prædicatur? At si propter hoc, quæ magis vniuersalia sunt, magis ponenda principia sint: quare prima genera, vti que principia sint.

Cap

CAPVT IIII.



St autem consequens his, & ad speculandum omnium difficillima, maximèque necessaria dubitatio, de qua præsens fit sermo. Si etenim nõ est quicquam præter linguaria, singularia verò infinita sunt, quomodo possibile est infinitorum habere scientiã? Quatenus enim vnũ quid, & idẽ, & quatenus vniuersale quid est, eatenus omnia cognoscimus. At si hoc necesse est, & oportet aliquid præter singularia esse necesse erit, vt genera aut vltima, aut prima, sint præter singularia. Hoc autem, quod impossibile sit, paulo antè dubitauimus. Itẽ, si quàm maximè aliquid est præter cunctum, cum quicquam de materia prædicetur, vtrum si species est, præter omnia esse aliquid oporteat, an præter aliqua esse, & præter aliqua non esse, an præter nullũ? Si igitur nihil præter singularia est, nihil intelligibile erit, sed omnia sensibilia: & scientia, nullius erit, nisi quis sensum dicat scientiam esse. Item, nihil esset sempiternum, nec immobile. Sensibilia enim omnia corrumpuntur, & in motu sunt. At si nihil est sempiternum, neque generationẽ esse possibile est. Necesse est enim aliquid esse id, quod fit, & ex quo fit, & vltimũ horum ingenitum esse. Si quidem stat, & ex nõ ente fieri impossibile est. Item, generatione, & motu positus, necesse est, vt finis etiam sit: nec enim infinitus est aliquis motus, sed cuiusq; est finis. Et fieri non est possibile, quod factũ esse impossibile sit. Quod autem factum est, necesse est, vt sit, cum primò factum est. Item, si materia est, propterea quòd ingenita est, multò magis rationale est, ipsam substantiã esse, eum illa existat, vt hæc sit. Si enim nec hæc erit, nec illa, nihil erit omnino. Quòd si hoc impossibile est, necesse est, vt forma, & species aliquid præter cunctum sit. Si autem rursus hoc aliquis ponet, dubium est, de quibus hoc ponet, & de quibus non. Quòd enim de omnibus non est possibile, patet: non enim ponemus aliquam esse domum, præter domos singulares. Et adhæc, vtrum vna erit omnium substantia, vtputa hominum. Sed absurdum est: non enim vnum essent omnia, quorũ substantia vna, sed multa, atq; diuersa. sed hoc etiam inconueniens est. Simul autẽ quomodo materia vnũ quodque horum est, & est cunctum hæc ambo? Item, de principiis hoc etiam aliquis dubitabit: nam si species sunt vnum, nihil erit numero vnum, nec ipsum vnum, & ipsum ens. Ipsumq; scire quomodo erit, si non aliquod vnum in omnibus erit? At verò si numero vnum, quodq; principiorum vnum, & nõ, vt in sensibilibus: alia aliorũ: vtputa huius syllabæ cũ specie sit eadẽ, etiam principia specie eadem sunt. Etenim hæc, numero alia sunt. Quòd si nõ ita, sed principia entium numero sunt vnum, nõ erit præter elementa aliquid aliud. Numero vnũ dicere aut singulare, nihil differt. Ita enim singulare dicimus, quod vnũ numero est: vniuersale verò, quod in his. Quemadmodum si vocis elementa, eò quòd vnum numero est, determinata essent, necesse esset tot omnes literas esse, quot elementa, cum nõ essent duo aut plura eadẽ. Nihilò autẽ minor dubitatio & posterioribus, & prioribus prætermissa est, vtrũ earũ corruptibiliũ, & incorruptibiliũ principia sint, an diuersa. Si enim eadem sunt, quomodo hæc qui-

dem incorruptibilia, hæc verò corruptibilia sunt, & propter quã causam? Quicunq; igitur circa tẽpora Hesiodi fuerit, & cuncti theologi, solũ quoad sibi persuaderet, curã habuerit, nos autẽ contempserunt. Cum enim principia deos faceret, & ex diis fuisse diceret, quæcunq; nõ gustarunt nectã, & ambrosiam, mortalia dicunt fuisse. Manifestum autem est, quòd sibi ipsis hæc nomina cognita dicentes, talesq; afferentes causas, supra vires nostras dixerunt. Nam si voluptatis gratia ea attigerunt, nequaquam sunt ipsius esse causa nectã & ambrosia. Quòd si ipsius esse gratia, quomodo essent sempiterni, cum alimento indigeret? Sed de iis, quæ fabulosè, & sophisticè dicuntur, nõ est dignũ accuratè cõsiderare. Ab illis verò, qui per demonstratiõem dicunt, petere oportet, ac interrogare, cur cum ex eisdem sint, hæc quidem entium sempiterna natura sunt, hæc verò corrumpuntur? Cum autẽ neq; dicant causam, neq; rationabile sit, ita se habere, patet quòd non sunt eorum eadẽ principia, neq; causæ. Empedocles namq;, quẽ quis maximè sibi ipsi putauerit cõsona dicere, is quoq; idẽ passus est. Põnit enim quoddã principium, corruptionis causam, contentiõem. Nihilò minus tamẽ & hæc videatur generare, præter ipsum vnũ. Cuncta enim alia ex hac sunt, præter Deũ. Dicit enim, ex quibus omnia, quæ erant, quæ sunt, quæque in posterũ erunt, orta sunt, ac arbores, & viri, ac mulieres, feræ, alitèq;, & pisces in aqua nutriti, ac dii lógæui, At etiã absq; his, patet. Nã si nõ inesset in rebus cõtentiõ, vnũ omnia (vt ait) esset. Cũ enim cõueniant, tũc extima statuitur contentiõ. Vnde & accidit ei, felicissimũ Deum, minus sapientẽ cæteris esse, nõ enim cognoscit omnia elementa. Contentiõem namq; nõ habet. Cognitiõ autẽ similis simili. Terra enim (ait) terrã inspicimus, aquã verò aqua, ac amicitia amicitia, & contentiõem contentiõem pernitiõsa. Sed vnde sermo digressus est, hoc est manifestũ, quòd accidit ei, cõtentiõem nõ magis corruptionis, quã ipsius esse causam esse: similiter nec amicitia, ipsius esse. Cũ enim cõgreget in vnũ, corrumpit cætera. Et simul ipsius trãsmutatiõis nullã causam dicit, nisi quòd ita natura aptũ est. Cum enim ait, Magna contentiõ in mēbris nutrita fuit, ac ad honores ascendit tẽpore perfectõ. Quod eis cum alternũ sit, amplũ præcessit iusurandũ, tanquã necesse sit quidẽ trãsmutari, causam tamẽ necessariò nullã manifestat. Tantum tamẽ sibi ipsi cõsenta nee dicit, quòd nõ facit hæc quidem entium corruptibilia, hæc verò incorruptibilia, sed omnia corruptibilia præter elementa. Quæ autem dicitur nũc dubitatio est, cur si omnia ex eisdem sunt, hæc quidem sunt, hæc verò non? Quòd igitur non sint eadem principia, hæc demum dicta sint. Quòd si diuersa principia sunt, vna quidẽ dubitatio est, vtrum incorruptibilia etiam ista erunt, an corruptibilia. Si enim corruptibilia, patet quòd necesse est, ea quoque ex aliquibus esse. Omnia enim in illa, ex quibus sunt, corrumpuntur. Quare accidit, principiorũ alia esse principia priora. Hoc autẽ impossibile, siue statur, siue in infinitũ progreditur. Itẽ, si principia adimentur, corruptibilia quomodo erunt? Quòd si incorruptibilia sunt, cur ex his quidẽ, cũ incorruptibilia sint, corruptibilia erunt, ex alteris verò incorruptibilia? Hoc enim nõ est rationabile, sed aut impo-

impossibile est, aut multis indiget rationibus. Itẽ, nemo conatus est alia ostendere, sed eadem omnium principia dicunt: & quod primò dubitatum est, tanquam paruum quiddã putantes, prætereunt. Omnibus autem, & ad speculandum difficillimum, & ad cognoscendam veritatem, maximè necessarium est, vtrum ipsum ens, & ipsum substantiã entium sint, & non aliquid aliud vtrunque eorum sit, sed hoc vnum, illud verò ens sit. An oportet quidam sit ipsum ens, & ipsum vnum quærere, tanquam altera natura subiecta? Quidam enim illo, quidam verò hoc modo putant Naturam habere. Plato nanque, ac Pythagorici, non esse aliud quid ipsum ens, nec ipsum vnum aiebant, sed hoc eorum naturam esse tanquam substantia idem vnum, & ens esset. Qui autem de Natura tractarunt, vt Empedocles, tanquam in magis cognitum reducens, dicit quòd vnum est ens: videri nanque possit dicere hoc amicitiam esse. Causa enim hæc omnibus est, vt vnum sint. Alii verò ignẽ, & alii aerem aiunt ipsum vnũ, & ipsum ens esse, ex quo entia & esse, & facta esse. Similiter & qui plura elementa ponunt: necesse enim & his est, tot esse dicere ipsum ens, & ipsum vnum, quot aiunt principia esse. Accidit autẽ, quòd si quis non ponat esse aliquã substantiam ipsum vnum, & ipsum ens, nec aliorum vniuersalium quicquam esse: hæc enim vniuersalia maximè omnium sunt. Quòd si non est aliquid ipsum ens, & ipsum vnum, multò minus quicquam aliorum sit præter ea, quæ singularia dicuntur. Item, si ipsum vnum non sit substantia, patet quòd nec numerus erit, tanquam natura alia separata ab entibus: numerus enim, vnitates: vnitas verò vnum quid est. Quòd si quid est ipsum vnum, & ipsum ens, necesse est, eorum substantiam esse vnum, & ens: non enim aliquid aliud vniuersaliter prædicatur, sed eadem ipsa. At verò si quid erit ipsum ens, & ipsum vnum, magna dubitatio est, quonam modo aliquid aliud præter hæc erit. Dico autem quomodo entia erunt plura vno. Quod enim aliud ab ente est, non est. Quare secundum Parmenidis rationem, necesse est accidere omnia entia, esse vnum, & hoc esse ens. Vtroque autem modo difficile est, siue ens vnum non sit substantia, siue ipsum vnum sit, impossibile est numerum esse substantiam. Et quare quidem si non, dictum est prius. Si autem sit, eadem ac de ente dubitatio est. Ex quo enim & præter ipsum vnum, erit aliud vnum, necesse profectò est nihil esse. Omnia verò entia, aut vnum, aut plura, quorum vnumquodque vnum est. Item, si ipsum vnum indiuisibile, secundum quidẽ Zenonis positionem, nihil vtique fuerit. Quod enim neque additum, neque demptum, facit aliquid maius, id non esse entium aiunt, tanquam ens magnitudo sit. Et si magnitudo, corporalis. Hæc nanque omniuaque ens: cætera verò quodam modo quidem addita facient maius, quodam modo verò, vt nihil superficies, & linea faciens, punctum verò, & vnitas minimè. Sed cum ipse molestè speculetur, ac contingat aliquid indiuisibile esse, sic ad illũ habetur aliqua responsio. Huiuscemodi nanq; aditum non maius, sed plus efficit. Sed quomodo ex vno tali, aut pluribus, magnitudo erit? Simile nanque est, ac si dicatur, ex punctis lineam esse. Quòd si quis ita putat, vt quemadmodum quidam dicunt,

ex ipso vno, & alio quodam non vno numerus fiat, nihilò minus tamen quærendum est, cur, & quomodo quandoque numerus, quandoque magnitudo erit, quod sit, si ipsum non vnum, inæqualitas, ac eadem natura erat? Nec enim apparet, quo pacto ex vno, & ista, neque quo pacto ex aliquo numero, & ista, magnitudines fieri queant.

CAPVT V.



Is autem consequens dubitatio est, vtrũ numeri, & corpora superficies, & puncta aliqua substantiã sint, an non. Si enim nõ sunt, fugit nos quidam ipsum ens, & quæ entium substantiã sint. Passiones enim, & motus, & quæ ad aliquid sunt, ipsæque dispositiones, ac proportiones, nullius substantiam significare videntur. Cuncta etenim de aliquo subiecto dicuntur, nihilque horum ipsum quid est. Quæ verò maximè substantiã videatur, significare, sunt aqua, terra, & ignis, ex quibus composita corpora consistunt, horum caliditates quidem, & frigiditates, & huiuscemodi, passiones, non substantiã sunt: corpus verò solum, quod hæc patitur, permanet, tanquam aliquod ens, & aliqua existens substantia. At verò corpus, minus est substantia, quàm superficies: & superficies, quàm lineã: & lineã, quàm vnitas, & punctum. His enim corpus definitur. Et hæc quidẽ videntur posse sine corpore esse, corpus verò absq; his impossibile esse. Quare plures quidem, & antiquiores, substantiam quidem, & ens, putabant esse corpus, cætera verò huius passiones: vt & principia corporum, entium essent principia: posteriores verò, & illis sapientiores habiti, numeros. Quemadmodum itaq; diximus, si hæc non sunt substantiã, nulla substantia, nec aliquod ens omnino est. Quæ enim eis accidunt, non conuenit entia nominare. At si hoc idem conceditur, quòd longitudines, & puncta magis, quàm corpora, substantiã sint, at qualia corpora hæc sint, non videmus, (in sensibilibus nanque impossibile est esse) non erit profectò vlla substantia. Item, videntur hæc omnia, dimensiones corporis esse hoc quidem ad latitudinem, hoc verò ad profunditatem, illud verò ad longitudinem. Et adhæc, similiter inest in solido quæcunque figura. Quare si nec in lapide Mercurius, nec in cubo dimidium cubi, sic vt determinatum, ergo nec superficies. Nam si quæcunque, & ea profectò sit, quæ dimidium determinat. Eadem autem ratio & de lineã, puncto, & vnitate est. Quare si corpus maximè substantia est, hæc autem corpore magis, hæc verò non sint, neq; substantiã quædã sint, fugiet nos profectò quidã sit ens, quæve entium substantia est. Ad hæc enim, quæ dicta sunt, etiã quæ circa generationẽ, & corruptionẽ accidit inconuenientia. Videtur enim substantia, cum antè non sit, nunc sit, aut cum antea sit, postea non, hæc pati, fieri scilicet, atq; corrumpi. At puncta, lineas, & superficies, neq; fieri, neq; corrumpi contingit, cum quandoque sint, quandoque verò non sint. Cum enim tangant, aut diuidantur corpora, quandoque vna, cum simul tangunt, quandoque duæ, cum diuiduntur, fiunt. Quare neque iam compositis sunt, sed corruptæ sunt, & diuisis sunt, cum antea non essent. Punctum nanque indiuisibile, non est diuisum in duo. Cæterum si ge-

nerantur, & corrumpuntur, ex aliquo fiunt. Similiter autem se habet & circa nūc, quod est in tempore: nec hoc enim contingit generari, & corrumpi, sed tamen aliud esse semper videtur, cum non substantia aliqua sit. Patet autem quod etiam circa puncta, lineas, & superficies, similiter se habet: eadem enim ratio est. Cuncta nanque similiter aut fines, aut diuisiones sunt.

CAPVT VI.



Mnino autem aliquis dubitabit, quare oportet alia quædam præter sensibilia, & media quærere, utputa eas, quas ponimus, species. Si enim propterea quod mathematica quidem ab iis, quæ hîc sunt, alio quodam differunt, in eo sanè, quod plura eiusdem speciei sunt, nihil differunt: & ideo non erunt eorum principia, numero determinata, sicuti etiam hîc litterarum numero quidem non sunt, omnium principia determinata, sed specie: nisi quis, huius syllabæ, & huius vocis accipiat. Harum enim, numero etiam determinata erunt. Similiter etiã de mediis. Infinita etenim etiam illhic sunt, quæ eiusdem speciei sunt. Quare si præter sensibilia, & mathematica, non sint alia quædam, qualia dicunt quidam species esse, non erit vna numero, & specie substantia: nec entium principia aliqua numero aliquot, sed specie erunt. Si itaque hoc necessarium est, & species propterea necesse est esse. Etenim quanquam non

bene declarent, quæ hæc dicunt, hoc tamè est, quod volunt: & necesse est eis hoc dicere, quod specierum vnaquæque substantia quædam sit, & nulla secundum accidens. At verò si ponemus species esse, & principia vnum numero, non specie esse diximus, quæ impossibilia necesse est accidere. His autem propè est dubitare, utrum potentia, an alio quodam modo elementa sint. Si enim alio quodam modo, erit aliquid aliud principii prius: potentia nanque, prior illa causa est. Non est autè necesse, ut omne, quod potètia est, illo modo se habeat. Quod si elementa potentia sunt, contingit nihil entium esse. Possibile enim est esse, etiam quod nondum est. Fit enim quod non est: sed nihil eorum fit, quæ esse impossibilia sunt. Et his itaque de principii dubitationibus, necesse est dubitare. Et utrum vniuersalia sint, an (ut dicimus) singularia. Si enim vniuersalia, non erunt substantiæ. Nihil enim communium, quod quid, sed quale quid significant. Sed substantia, quod quid. Quod si quod communiter prædicatur, quod quid sit, & exponi possit, multa animalia erunt ipse Socrates, & homo, & animal. Si singula quidem, quod quid & vnum significant. Si igitur principia vniuersalia sunt, hæc accidunt. Quod si non vniuersalia sint, sed ut ipsa singularia, non erunt scibilia. Ipsi enim vniuersalis, omnium scientiæ sunt. Quare erunt alia principia priora de principii vniuersaliter prædicata, si sint quidem eorum futura scientia.

ARISTOTELIS

STAGIRITAE

METAPHYSICORVM

LIBER QVARTVS.

CAPVT I.



Hæc quædam scientia, quæ specularatur ens, prout ens est, & quæ ei per se insunt. Hæc autè, nulli earum, quæ in parte dicuntur, eadem est: nullæ nanque, cæterarum, vniuersaliter de ente, prout ens est, considerant: sed etiam aliquam partem abscondentes, quod ei accidit specularatur, ut mathematicæ scientiæ. Cum autem principia, & supremas causas quæramus, patet quod alicuius naturæ per se necesse est eas esse. Si igitur illi etiam, qui entium elementa quærent, ista principia quærebant, necesse est etiam elementa entis non secundum accidens esse, sed prout entia sunt. Quare nobis quoque entis, prout entis, primas causas accipiendum est.

CAPVT II.



Ns autem multipliciter quidè dicitur, verum ad vnum, vnamque quandã naturam: & non æquiuocè, sed quemadmodum omne sanum ad sanitatè: quoddã eo quod cõseruat: quoddam, eo quod facit: quoddã

eo quod signum sanitatis: quoddã verò, capax eius est: & medicinale, ad medicinam. Quoddam enim eo, quod habet medicinam, medicinale dicitur: quoddam propterea, quod naturã aptam ad eã sit: quoddam propterea, quod opus medicinæ sit. Eodem modo cætera quoque accipiemus, ita & ens multipliciter quidem dicitur, sed totum ad vnum principium. Quædam enim, quoniam substantiæ, entia dicuntur: quædam, quoniam passiones substantiæ: quædam, quoniam via ad substantiam, aut corruptiones, aut priuationes, aut qualitates, aut effectiua, aut generatiua substantiæ, siue eorum, quæ ad substantiam dicuntur, aut ad aliquorum ex his negationes, aut substantias. Quare & ipsum non ens, esse non ens dicimus. Quemadmodum igitur sanorum omnium vna scientia est, ita & de cæteris est. Non enim solum eorum, quæ secundum vnum dicuntur, verum etiam eorum, quæ ad vnam naturam dicuntur, vnius scientiæ est speculari. Etenim hæc etiam quodam modo secundum vnum dicuntur. Patet itaque, vnius esse, & entia prout entia speculari. Vbi que autem propriè primi, & ex quo cætera pèdent, & propter quod dicuntur, scientia: quod si hoc substantia est, oportet profectò, ut substantiarum principia, & causas

causas philosophus habeat. Omnis autè generis, & sensus vnus vnus, & scientia: veluti gramatica vna existēs, omnes voces specularatur. Quare entis quot species sunt, & species specierum speculari, vnus scientiæ genere est. Si itaque, ens, & vnus idè, ac vna natura sunt, propterea quod se inuicè sequitur quæadmodum principium, & causa, non quod vna ratione significantur, nihil quidè refert, si etiã similiter putabimus, quinimo magis proderit. Idem enim vnus homo, & ens homo, ac homo: & non significat diuersum aliquid secundum dictionem repetitã, id est homo, & homo, & vnus homo. Patet autè quod non separatur ens nec in generatione, nec in corruptione. Similiter & de vno. Quare manifestum est, quod additio in his idè significat: & quod vnus nihil aliud est, præter ens. Itè, cuiusque substantia, vnus est, non secundum accidens: similiter & ipsum ens, quod vni. Quare quot vnus species, totidè & entis sunt. De quibus ipsum quid est speculari, eiusdem genere scientiæ est. Dico autè, utputa, de eodè, & simili, cæterisque huiusmodi. Ferè autè omnia cõtraria, ad hoc principium reducuntur. Considerata sunt autè hæc bis in electione contrariorum, totque philosophiæ partes sunt, quot substantiæ. Quare necesse est, ut aliqua earum prima, & alia sequens sit. Sunt autè subinde habètia genera, ipsum vnus, & ens. Quare etiã scientiæ sequetur ista. Philosophus namque est, ut ille, qui mathematicus dicitur. Et hæc enim habet partes. Ac prima quædam, & secunda scientia est. Cæteræ quoque cõsequenter, in mathematicis. Cæterum vnus est opposita speculari, vni verò opponitur pluralitas, negatione verò, & priuatione vnus est speculari, propterea quod utroque modo vnus specularatur id, cuius est negatio, aut priuatio, siue quæ simpliciter dicitur, quod non inest illi, siue alicui generi. Ibi siquidè vni differètia est, præter illud, quod in negatione. Negatio namque absentia illius est. In priuatione verò, & subiecta quædam natura fit, de qua priuatio dicitur. Vni autè pluralitas opponitur. Quare etiam prædictis opposita, diuersum, dissimile, & inæquale, & quæcumque, alia, quæ aut secundum eadè dicuntur, aut secundum pluralitatè, & vnitatè cognoscere, dictæ scientiæ est. Ex quibus vnus quiddã est, scilicet contrarietas. Cõtrarietas enim differètia quædam: differentia verò, diuersitas: Quare cum vnus multipliciter dicatur, hæc quoque multipliciter quidè dicetur vnus tamè est cuncta cognoscere. Non enim si multipliciter, ideo alterius. Sed si neque secundum vnus, neque ad vnus rationes reducuntur, tunc alterius. Cum autè ad primus cuncta reducuntur, utputa quotcunque vnus dicuntur ad primus vnum, similiter de eodè, & diuerso, & cõtrariis dicèdum se habere. Quapropter diuidèdo quoties singula dicuntur, sic attribuendum est ad primus in vno quoque prædicamèto, quomodo ad illud dicitur: quædam, eò quod habet illud: quædam, eò quod faciunt: quædam secundum alios huiusmodi modos dicuntur. Manifestum itaque, quod in dubitationibus dictum est, vnus esse, tã de his, quàm de substantia ratione habere. Hoc autè vnus erat eorum, quæ in dubitationibus diximus. Et philosophi est, de omnibus posse speculari. Si enim non philosophi, quis erit, qui considerabit, si idem Socrates, & Socrates sedens: aut si vnus, vni cõtrarium: aut quid est cõtrarium, aut quoties dicitur. Similiter de cæ-

teris quoque; huiusmodi. Cum itaque vnus prout vnus, & entis prout entis, hæc per se passiones sint, & non prout numeri, aut lineæ, aut ignis, patet quod illius scientiæ est, & quid est cognoscere, & accidètia eis. Et non in hoc errat, qui de his cõsiderant, tanquam non philosophantes, sed quoniã substantia, de qua nihil sciunt, prior est. Nam quemadmodum & numeri, prout numerus est, propriæ passiones sunt, ut imparitas, paritas, cõmensuratio, æqualitas, excessus, defectus, & hæc tunc absolutis, tum mutuo relatis insunt numeris, similiter solido, & immobili, & mobili, & leui, & graui aliqua propria sunt, ita & entis, prout ens est, quædam propria sunt. Et hæc sunt, de quibus veritatè cõsiderare, philosophi est. Signum autè est, quod dialectici, & sophistæ eandè quidem, quam philosophus subeunt figurã: sophistica enim, apprensus solum sapientia est. Dialectici quoque de omnibus disputant: ens verò cõmune omnibus est. Disputat autè de his scilicet, eò quod hæc propria philosophiæ sunt. Circa idè enim genus, sophistica, & dialectica versatur cum philosophia. Verum philosophia, ab hac quidè modo potestatis, ab illa verò electione vitæ differt. Dialectica autè est tentatiua, de quibus philosophia est cognitua: sophistica verò apparatus, existēs verò minimè. Itè, cõtrariorum altera coordinatio priuatio est, & cuncta ad ens, & non ens, & vnus, & pluralitatè reducuntur: utputa status quidè vnus est, motus verò, pluralitatis. Entia verò, & substantia ferè cuncta concedunt ex cõtrariis composita esse. Omnes etenim principia aiunt esse cõtraria: quidã, par & impar: quidã calidum & frigidum: quidã finè & infinitum: quidã amicitia & contentionem. Cætera quoque, omnia, videntur reducta ad vnum, & pluralitatè. Accipiat autè reductio à nobis, in primis principia, & omnino, & quæ ab aliis, in hæc tãquam in genera cadunt. Manifestum itaque, ex his etiã est, quod vnus scientiæ est ens, prout ens est, speculari. Cuncta etenim, aut contraria, aut ex cõtrariis, principia verò cõtrariorum, vnum & pluralitas. Hæc autè, vnus scientiæ, siue secundum vnum dicatur, siue non, sicuti fortassis, & veritas se habet. Et quæ vnus multipliciter dicatur, ad primum tamen cætera reducuntur: & contraria, similiter. Ac propterea & si ens, aut vnum non est vniuersale, & idem in omnibus, aut separatim, sicuti fortassis non est, hæc nihilò minus ad vnus, illa verò cõsequenter. Et propterea, non est geometriæ, quid cõtrarium, aut perfectum, aut vnus, aut ens, aut idè, aut diuersum sit, speculari, nisi ex supposito. Quod igitur vnus scientiæ, est ens, prout ens est, & quæ ei prout entis insunt, speculari manifestum est: & quod non solum substantiarum, verum etiam eorum, quæ substantiis insunt, eadem speculariua est, ac illorum, quæ dicta sunt, & de priori & posteriori, & genere & specie, & toto & parte, cæterisque huiusmodi.

CAPVT III.



Dicendum autè est, utrum vnus, an alterius scientiæ est, de iis, quæ in thematibus dignitates nominantur, & de substantia speculari, patet utique, quod vnus est, & eius, quæ philosophi est, consideratio. Omnibus enim entibus insunt, sed non alicui generi separatim ab aliis. Et omnes quidè vtuntur, quia entis, prout

entis sunt. Vnumquodq; autē genus, ens. At eatenus vtuntur, quatenus eis satis est. Hoc autem est, quantum illud continet genus, de quo demonstrationes afferunt. Quare cum pateat, quod prout entia sunt, eis insunt, (hoc nanq; eis commune est) illius de his speculatio est, cuius est, de ente, prout ens est, cognoscere. Propter quod nemo eorū, qui particulariter considerant, conatur aliquid de eis, siue quatenus vera, siue non, dicere. Nec enim geometra, nec arithmeticus, sed naturalium quidā meritō hoc facientes. Soli nanq; putabant, & de tota Natura, & de ente considerare. Cū autem aliquis adhuc superior naturali sit (Natura nanque vnum quoddam entis genus est) illius vniuersalis, & circa primam substantiam speculatiui, profectō fuerit de his etiam consideratio. Est autem physica, sapiētia quādam, sed non prima. Quæcunq; verō, quidā eorum, qui de veritate dicunt, quonā modo oporteat admitti, dicere conantur, propter ignorantiam Analyticorū hoc faciunt. Oportet enim accedere, hæc edoctum, sed nequaquam, dum audiunt, quærere. Quod itaq; philosophi, & eius, qui de tota substantia, quoad Natura fert, speculatur, etiā de principiis syllogisticis est considerare, manifestum est. Decet autē illū, qui maximē circa quodque genus cognoscit, vt dicere habeat certissima rei principia. Quare & illum, qui de entibus, prout entibus, omnium certissima, hic autē est philosophus. Omnium autē certissimum principium est, circa quod impossibile est mentiri. Notissimum etenim vt huiusmodi sit, necesse est: circa nanq; illa, quæ non cognoscūt, decipiuntur omnes. Et non ex suppositione: quod enim necesse est illum habere, qui quoduis entium intelligat, hoc non est suppositio. Quod autem cognoscere illum necesse est, qui aliquid cognoscit, necesse est, vt veniat habens illud. Quod igitur tale principium, omnium certissimum est, patet. Quid autē illud sit, deinceps dicamus. Idem enim simul inesse, & non inesse eidē, & secundum idem, impossibile est. Et quæcunq; alia annotaremus, sint ad logicas difficultates annotata. Hoc autē omnium est principiorum certissimum: habet etenim dictā annotationem. Impossibile nanq; est, quempiā idem putare esse & non esse, quemadmodum quidā Heraclitum dicere arbitrabantur. Non enim necesse est, quæcunq; quis dicat, ea etiam putare. Quod si nō contingit inesse eidē contraria, annotentur autem à nobis, etiam huic propositioni cōsuetā, contraria verō opinio opinioni est, quæ contradictionis est. Patet itaque, quod impossibile est, simul eundē idem arbitrari esse, & non esse: simul etenim haberet opiniones contrarias, qui de ea re haberetur mendax. Quare omnes demonstrationes ad hanc vltimam opinionem reducunt. Natura etenim hæc cæterarum quoq; dignitatum omniū principium est.

CAPVT IIII.



Vnt autem quidā, qui (vt diximus) ipsi quoq; dicunt cōtingere idē esse, & non esse, & ita arbitrari. Vtuntur autem hac oratione multi quoq; eorū, qui de Natura tractant. Nos autem nunc accepimus, tāquam impossibile sit, de eodem simul esse, & non esse. Et per hoc mōstrauimus, quod certissimum hoc cun-

torum principiorum est. Conatur autē quidā hoc quoque probare, propter ignorantiam. Est etenim ignorantia, nescire quorū oportet quærere demonstrationem, & quorum non: etenim omnino impossibile est, omnium esse demonstrationem. In infinitum nanque progrediretur: quare nec hoc modo esset demonstratio. Si autē aliquorum non oportet quærere demonstrationē, quod magis principium esse tale iudicaret, dicere non haberent. Est autem etiā de hoc demonstrare, redarguēdo quod impossibile est, dūmodo aliquid dicat, qui dubitat. Quod si nihil, ridiculum est quærere rationē ad eum, qui nullius habet rationē, quatenus nullā habet rationem: similis nanque plantæ talis est, prout talis est. Demonstrare verō redarguēdo, dico differre à demonstratione: quia qui demonstraret, videretur quærere quod à principio, cū aliter huiusce causæ sit redargutio, & non demonstratio. Principium verō ad hæc omnia, non petere vt aut esse aliquid, aut non esse dicat: hoc enim fortassis aliquis esse putaret, quod à principio petere, sed aliquid, significare & sibi ipsi, & alteri. Hoc enim necesse est, siquidem aliquid dicat. Quod si non, tali nō esset sermo, nec sibi ad se ipsum, nec ad alium. Si autem aliquis hoc concedat, erit demonstratio. Iam enim erit aliquid determinatū. Atamen nō qui demonstrat, sed qui sustinet, causa est. Tollens enim orationē, sustinet orationē. Primō igitur manifestū est, hoc ipsum verum esse, quod nomen esse hoc, aut nō esse significat. Quare non utiq; omne ita, & non ita, se habet? Item, si homo vnū significat, sit autē hoc animal bipes: dico autē vnū significare hoc, si hoc est homo: si quid homo sit, homo est homini esse. Nihil autē differt, etiam si plura quis significare dicat, solum sint determinata: imponeretur etenim cuilibet orationi aliud nomē. Dico autē vtputa, si nō dicat hominē vnū significare, sed multa, quorū vnus quidē vna oratio, animal bipes, sint autem cætera quoq; plures, determinatæ verō numero: imponeretur etenim propriū nomē secundum quanq; orationē. Quod si non poneretur, sed infinita significare dicat, manifestū est, quod nō esset oratio. Non vnum enim significare, nihil est significare. Nominibus verō nō significatibus perit ipsa re vera disputatio, & ad inuicē, & ad se ipsum. Nihil enim intelligere cōtingit, nihil vnū intelligentes. Quod si cōtingit, imponetur nomē huic rei, vnū. Nomen, itaq;, vt à principio dictū est, sit aliquid significans, & vnū significans. Non potest igitur homini esse significare id, quod nō esse homini, si homo quidē nō solum de vno, sed etiā vnū significat. Non enim hoc dicimus vnū significare, quod de vno. Hoc enim modo, musicū etiā & albū, & homo, vnū significarent: quare vnū, omnia erunt: vniuoca nanq;, & non erit esse, & non esse idē, nisi secundū æquiocationē: sicuti si quē nos hominē nominamus, alii nō hominem vocarent. Quod autē dubitatur, non est hoc si cōtingit simul idē esse, & nō esse hominē nomine, sed re. Si autē non alterū significat homo, & nō homo, patet quod nec nō esse homini ab eo, quod est esse homini. Quare homini esse, erit non homini esse: vnū nanque erit. Hoc enim significat vnū esse, sicuti tunica & vestis, si ratio vna. Si autē erit vnū, vnum significat homini esse, & nō homini. Verūm monstr

monstratum est, quod aliud significat, si quid est verum dicere, quod homo sit animal esse bipes. Hoc enim erat, quod significabat homo. Si autē necesse est, non potest idē non esse animal bipes. Hoc nanque significat ipsum necesse esse, quod impossibile est, non esse hominem. Non contingit ergo simul verum esse, idem dicere hominem esse, & non esse hominem. Eadem ratio est & de non esse hominē. Homini nanq; esse, & nō esse homini, diuersum significat. Si quidem & album esse, & hominem esse, diuersum. Multo enim magis, illud opponitur. Quare diuersum significat. Si autem album aliquis dicat vnum & idem significare: rursus idē dicemus, quod & antea dictum est, quod omnia vnum sunt, & non solum opposita. Quod si hoc non cōtingit, accidit quod dictum est, si ad interrogatum respondeat. Si verō simpliciter interrogante, addat etiam negationes, non responderet ad interrogatum. Nihil enim prohibet idem & hominem, & album, & alia infinita multitudine esse. Atamen interroganti si verē est dicere hoc hominē esse, an non, id respondendum est, quod vnum significat, & non addendū quod & album, & magnum. Impossibile nanq; est, accidentia, cū infinita sint, percurrere. Aut igitur omnia percurrat, aut nullum. Similiter & si infinities idem esset homo, & non homo, interrogatus si homo est, non debet vnā cum eo, quod simul etiā non homo est respondere, nisi certa quoq; quæcunq; accidunt, quæcunque homo est, aut non est respondeat. Quod autē si non fecerit, nō disputat. Et qui hoc dicunt, omnino perimunt substantiam, & quod quid erat esse: necesse est nāq; eis dicere omnia accidere, & ipsum homini esse, aut animal esse non esse. Si enim quicquam erit ipsum homini esse, hoc non erit non homini esse, aut nō esse homini, tamen si hæc sunt eius negationes: vnum nanq; erat, quod significabat, & hoc erat alicuius substantia. Substantiam verō significare, est quod non est ei esse aliud quippiam. Si autem ipsum homini esse, est ei ipsum non homini esse, aut non esse homini, aliud erit. Quare necesse est eis dicere, quod nullius, talis ratio erit, sed omnia secundum accidēs: hoc enim substantia, & accidēs differūt. Albedo etenim homini accidit, quoniam est quidem albus, sed non est ipsa albedo. Si autem omnia secundum accidēs dicuntur, nihil erit primum vniuersale. Si autem accidēs semper de aliquo subiecto significat prædicationē, necesse est in infinitum progredi. Sed impossibile est: plura enim quàm duo, non conueniunt. Accidens enim nō est accidētī accidēs, nisi quia vtrunq; eidem accidit. Dico autem veluti album est musicum, & hoc album, quoniam vtrunq; homini accidit: sed non ita Socrates musicus, quoniam vtrunq; alicui alteri accidit. Cū itaq; quædam ita, quædam aliter accidentia dicantur, quæcunq; ita dicuntur vt album Socrati, non possunt infinita sursum versus esse, vt Socrati albo alterum aliquod quoque accidens. Non enim fit vnū, quod ex omnibus nec albo aliquid aliud accidens erit, vtputa musicum. Non enim magis hoc illi, quàm illud huic accidit. Et adhæc distinctum est, quod quædam ita accidunt, quædam vt musicum Socrati. Quotcunq; verō hoc modo, non accidētī accidit accidēs: sed quotcunq;, illo modo. Quare non omnia secundum accidens

dicentur. Erit ergo aliquid tanquā substantiā significans. Quod si est, mōstratum est quod impossibile est simul cōtradictiones prædicari. Item, contradictiones simul veræ de eodem omnes, patet quod omnia erunt vnum: erit etenim idem & triremis, & paries, & homo, si de omni contingit quicquā affirmare, aut negare. Sicuti illis necesse, qui Protagoræ opinionem sequuntur. Si enim cuiquā videatur homo non esse triremis, patet quod non erit triremis: sed etiam est, si cōtradictio quidē vera est. Et certē fit quod Anaxagoras aiebat, simul omnes res esse, ita vt nihil verē vnum sit. Indefinitum itaq; videntur dicere. Et putantes de ente tractare, de non ente dicunt. Quod enim potētia, & non actu est, illud est indefinitum. At verō dicenda est eis de omni, aut affirmatio, aut negatio. Inconueniens nanq; est, si cui sua quidem negatio inerit, alterius verō, quod non inest ei, non inerit. Dico autem, vtputa si verū est dicere de homine, quod non est homo, manifestum est, quod etiam non triremis est. Si affirmatio igitur, necesse est etiam negationem inesse. Quod si affirmatio non inest, negatio tamen inerit, magis quàm quæ ipseus est. Si igitur & illa inest, inerit triremis negatio: & si hæc, etiam affirmatio. Hæc igitur eis accidunt, qui hanc orationē dicunt, & quod nō est necesse, aut affirmare, aut negare. Nam si verum est quod homo, & non homo, patet quod nec homo, nec non homo erit. Duorum enim, duæ negationes. Quod si illa ex vtrisque vna, & hæc vna profectō proposita esset. Item, aut in omnibus ita se habet, & est album, & non albū, & ens & non ens: & circa cæteras affirmationes & negationes simili modo, aut non, sed circa aliquas, circa verō aliquas non. Et si non circa omnes, istæ vtiq; certæ essent. Quod si circa omnes, rursus ac de quibuscunq; est affirmare, etiam negare est: & de quibuscunq; negare, etiam affirmare: aut de quibus quidem est affirmare, etiam negare est: de quibuscunq; verō negare, non de omnibus est affirmare. Et si ita esset, aliquid vtiq; pro certo non ens, & hæc firma opinio. Quod si ipsum nō esse, certum quid, & notum est, notior erit opposita affirmatio. Quod si quodcunque est negare, similiter etiam affirmare necesse sit, aut verum est diuidendo dicere, vtputa album, & rursus quod non album, aut non. Et si non est verū diuidendo dicere, neq; dicit hæc, nihilque prorsus sunt illa sanē, quæ non sunt, quo loquentur, aut ambulabunt? Et, vt etiam antea dictum est, omnia vnū erunt: & homo, Deus, triremis, ac eorum contradictionia, idem erunt. Quod si de quocunq; similiter, nihil aliud ab alio differret. Nam si differret, hoc verum, & proprium erit. Similiter autē & si diuidentem vera dicere contingit, quod dictum est accidit: & adhæc, quod omnes vera dicerēt, omnēsque mentirentur, ipseque se ipsum mentiri concederet: simul autē manifestum est, quod de nullo est ad eum consideratio: nihil enim dicit. Neq; enim ita, neq; non ita ait, sed ita, & non ita. Et rursus his ambobus negationem, quod nec ita, neq; non ita. Nam si non, esset aliquid vtiq; determinatum. Item, si cū affirmatio vera sit, negatio falsa, & cū hæc vera sit, affirmatio falsa est, non sit simul idē affirmare, & negare verē. Sed dicent fortassis, hoc esse, quod à principio positum est. Item, vtrum ille quidē, qui quāq;

rem aut aliquo modo se habere existimat, aut non se habere mentitur, qui verò ambo, verum dicit? Nam si verum dicit, quid aliud, quod dicitur, est, nisi quòd talis natura entium est? Quòd si non iste, sed ille magis dicit verum, qui illo modo existimat iam aliquo modo se haberent existentia: & hoc verum esset, & non simul etiam, non verum. Quòd si cuncti similiter & mētuntur, & verum dicunt, nec loqui, nec dicere quicquā tali homini possibile est: simul enim eadem, & non eadem dicit. Quòd si nihil existimat, sed similiter arbitratur, & nō arbitratur, quidnā differat à plantis? Vnde & maximè manifestum est, quòd nemo, nec ceterorum, nec eorū, qui hanc orationē dicunt, ita affectus est. Cur enim Megara vadit, & non quiescit ire putans? nec mox à diluculo ad puteum, aut ad præcipitium aliquid pergit? Sed videtur veritus, tanquam non similiter non bonum, & bonum esse putans cadere in illa. Patet itaq; quòd hoc quidē melius esse putat, illud verò minimè. Si autem hoc, necesse est, vt & hoc quidem hominem, illud verò nō hominem, & hoc quidē dulce, illud verò non dulce putet. Non enim æqualiter omnia quærit, & putat, cū melius esse bibere aquam, aut hominē visitare arbitratus, deinde quærat ea, attamen oportebat, si similiter eadem essent homo, & non homo. Sed (vt dictū est) nemo est, qui nō videatur aliqua veritus, aliqua non. Quare videtur, quòd omnes arbitrantur simpliciter se habere, etsi non circa omnia talem circa melius, & deterius. Quòd si non sciētes, sed opinātes, multò magis curandum esset de veritate, sicuti & infirmo existenti, quā sano, de sanitate. Opinans nanque ad scientem, non sanè ad veritatem dispositus est. Item, etsi quā maximè omnia ita, & non ita se habeant, attamen ipsum magis & minus inest entium naturæ. Non enim similiter paria esse, duo, ac tria dicemus. Nec eodem modo mentitus est, qui quatuor esse putet quinque, aut qui mille. Si itaq; non similiter, patet quòd alter minus. Quare magis verum dicit. Si igitur quòd magis est, propinquius est profectò erit aliquid verum, cui propinquius est, quod magis verum est. Quod si non est, at iam saltem aliquid est certius, & verius. Et ita ab illa intemperata oratione remoti erimus, quæ prohibet quicquam mente determinare.

CAPVT V.



X eadem verò opinione, Protagoræ quoque oratio est. Et similiter est necesse, ipsas ambas, aut esse, aut non esse. Si enim omnia, de quibus opinatur, quæque apparent, vera sint, necesse est omnia simul vera & falsa esse. Siquidem multi contraria inuicem opinantur, ac eos, qui non opinantur eadem, quæ ipsi mentiri putant. Quare necesse est idem esse, & non esse. Quod si est, necesse est omnia, de quibus opinantur, vera esse. Opposita nanque opinantur qui mentiuntur, & qui verum dicunt. Si igitur ea, quæ sunt, ita se habent, verū omnes dicunt. Quòd itaq; ambæ orationes ex eadem mente sint, patet. Non est autem idem omnes conueniendi modus. Quidam enim persuasionem, quidam verò vi indigent. Quicunque nanque propterea quod dubitent, ita existimant, horum ignorantia sanabilis est. Non enim

ad sermonem, sed ad mentem eorum obuiatio est. Quicunque verò sermonis gratia dicunt, horum sanatio, redargutio est: & eius sermonis, qui in voce, & eius, qui in nominibus. Aduenit autem illis, qui dubitant, hæc opinio, à sensibilibus. Illa quidē, quæ dicitur, simul contradictoria, & contraria esse, videntibus ex eodem contraria fieri. Si igitur non est possibile quod non est fieri, præextitit similiter vtrunq; ens. Sicut Anaxagoras omne in omni misceri ait, atque Democritus. Etenim hic quoque vacuum & plenum similiter in quacūque parte esse: atque horum hoc quidem ens, hoc verò non ens esse. Ad illos itaq; qui ex his ita arbitrantur, dicemus quòd quodam modo quidem verè dicunt, quodam modo verò ignorant. Ens nanque dupliciter dicitur. Quare aliquo modo quidē possibile est aliquid ex non ente fieri, aliquo verò modo, non est. Simulque idem ens, & non ens esse, sed non secundum idem ens. Potentia nanque contingit, simul idem contraria esse, actu verò minimè. Itē eos effragitabimus aliā quoque substantiam entium existimare, cui neque motus, neque corruptio, neque omnino generatio inest. Similiter autem veritas in iis quoque, quæ apparent, quibusdam ex sensibilibus aduenit. At enim verum non pluralitate, neque paucitate, iudicari censere debent. Idem autem quibusdā gustantibus, dulce, quibusdam amarū esse videtur. Quare si omnes ægrotarent, aut omnes insanirēt, duo verò, vel tres sani, aut mentis compotes essent, hi vtiq; videri possent ægrotare, ac insanire, ceteri verò minimè. Item multis aliorū animalium contraria apparerent quā nobis, ac nostrū cuique; nō eadem ad se ipsum semper secundum sensum apparent. Qualia igitur horum vera vel falsa, non est manifestum. Nihilò minus enim magis hæc, quā illa vera sunt, sed æqualiter: propter quod Democritus, aut nihil esse verū, aut nobis ignotū esse ait. Et simpliciter propterea quòd sensum quidem prudentiam putant, hanc verò alterationem esse, quod secundum sensum apparet, necessariò verum aiunt. Ex his enim & Empedocles, & Democritus, ceterorum quoque singuli, talibus opinionibus irretiti sunt. Empedocles etenim habitu mutato, prudentiam quoque mutari ait. Ad præsens nanque prudentia hominibus augetur. In aliis quoque dicit, quòd quatenus alterantur, eatenus semper etiam altera sapere eis affuit. Parmenides quoque eodem asserit modo. Vt enim cuique complexio membrorū flexibilium se habet, ita intellectus hominibus adest. Idem nanque est, quod sapit membrorum natura hominibus, & omnibus, & omni. Quod enim plus est, intelligentia est. Anaxagoræ autem sententia, ipsa quoque, à quodam suorum necessariorum memoriæ tradita est. Quòd talia eis entia erunt, qualia ea esse putarint. Homerum etiā talem aiunt opinionem habere viderit: quippe qui faciat Heclorem, cū à vulnere insaniret, iacere, aliud sapientem, tanquam & insanientes saperent quidem, sed non eadem. Patet itaq; quòd si vtraque prudentia est, entia quoque simul ita & non ita se habent. Quæ ex re difficillimum, quod sequitur est. Si enim qui maximè possibile verum vident, ii autem sunt, qui maximè illud quærent, & amant, ii tales opiniones habent, & talem de veritate sententiam ferunt, quomodo non secordia illis sit, qui philosophari

phari conantur? nam quærere veritatem, non esset nisi volucres persequi. Causa verò huius opinionis his fuit, quia veritatem quidem de entibus considerabant: entia verò, sola arbitrati sunt, sensibilia esse. In his autē, magna indeterminati natura inest, & eius, quod ita ens est, vt prædiximus. Quare, verisimiliter quidē, sed non vt dicunt. Ita enim magis conuenit dicere, quā vt Epicarmus in Xenophanem. Ita cū hanc omnem Naturā moueri viderent, de eo autem, quod mutatur, nihil verificari, circa illud, quod omnino mutatur, nihil verificari posse putabant. Ex hac enim existimatione, summa illa eorum opinio pullulauit, qui se Heraclitum sequi affirmabant, qualem & Cratylus habebat, qui tandem nihil putabat dicere oportere, sed solum digitum mouebat, & Heraclitum, quòd bis dixisset in eundem fluuium non esse intrare, reprehendebat: ipse enim existimabat, ne semel quidem. Nos autē ad hanc etiam rationem dicemus, quòd id, quod mutatur, cū mutatur, habet aliquam veritatē, non esse putare. At hoc etiam ambiguum est. Abiciens enim habet aliquid eius, quod abiicit, ac necesse est, aliquid etiam eius, quod fit, esse. Et simpliciter si corrumpitur, erit aliquid ens. Et si fit, necesse est esse, ex quo fit, & à quo generatur, & hoc non esse in infinitū. Sed his omisissis, illa dicamus, quòd non est idem secundum quantitatem, & secundum qualitatem transmutari. Detur itaq; non permanere secundum quantitatem, attamen secundum speciem, omnia cognoscimus. Itē, dignum est reprehendere eos, qui ita arbitrantur, quoniā cū & ipsorum sensibilibus pauciora numero ita se habere viderēt, de toto tamen cælo similiter senserunt. Hic enim, qui circa nos est, solum sensibiliū locus, in corruptione & generatione est, qui nulla (vt ita dicam) vniuersi pars est. Vnde iustus fuisset propter illa, ita etiam absoluisse, quā propter ista, illa condemnasse. Itē, manifestum est, quòd & ad istos eadē dicemus, quæ olim dicta sunt. Quòd enim est immobilis quædā natura, ostendendum, & persuadendum est eis. At accidit eis, qui simul dicunt esse, & non esse, magis dicere quiescere cuncta, quā moueri. Non enim est, in quo quicquā moueretur: nam omnia omnibus insunt. De veritate verò, quòd nō omne, quod apparet, verum sit, primò quidem neque sensus proprii fallax est. Sed phantasia non est idem, quod sensus. Deinde admiratione dignū est, si hoc dubitant, vtrum tāta sint magnitudines, talisque colores, quales eminus, an quales cominus apparent: & vtrum qualia sanis, an qualia ægrotantibus & grauiora vtrū qualia debilibus, an qualia robustis: & vera, vtrum qualia dormientibus, an qualia vigilantibus. Quod enim non arbitrantur, patet: nemo etenim si noctu existimet se Athenis esse, cū in Libya sit, ad Ariopagum vadit. Item de futuro (vt Plato quoque ait) nō est profectò similiter certa medici, & ignari opinio: vtputa, de futuro sano, aut non futuro. Itē ipsimet sensibus, non est similiter certus qui alieni est, & qui proprii: nec illius, qui propè est, & ipsiusmet, sed de colore quidē visus, non gustus de sapore gustus, & nō visus, quorum nullus vnquam ait eodem tempore circa idē simul ita, & non ita se habere. At nec in alio tempore circa passionē dubitarint, sed circa illud, cui passio accidit. Dico autē veluti idē

quidem vinum, aut ipsum mutatum, aut corpore mutato, videri possit quandoque dulce, quandoque non dulce, sed non ipsum dulce cū quale est, fit, vnquā mutatum est, sed semper verificatur de eo: & quod futurum est dulce, necessariò tale est: attamē omnes illæ orationes, hoc perimunt: & quemadmodū substantiam non esse vilius, ita nec quicquam necessariò esse: necessarium enim non contingit aliter & aliter se habere. Quare si quid necessariò est, nō ita, & non ita habebit, & simpliciter si sensibile solum esset, nihil esset profectò, cū animata non essent. Sensus nanque non esset, neque sensibilia: itaque neque sensationes esse, fortassis verum esset. Sentientis enim hæc passio est, ipsa subiecta, quæ sensum faciunt, non esse etiam absque sensu. Hoc impossibile est: sensus nanque non ipse est sui ipsius, sed est aliquid aliud etiam præter sensum, quod necesse est prius sensu esse. Mouens enim, naturā prius est moto. Etsi ad se inuicē dicuntur ipsa eadē nihil minus.

CAPVT VI.



Vnt autem quidā eorum, quibus de his persuasum est, quique has orationes solum dicunt, qui dubitant. Quærent enim, quis eum, qui sanus est, & omnino qui circa singula rectè iudicari, examinet. Tales autem dubitationes similes sunt, ac si quis dubitaret, vtrum dormimus nunc, an vigiliamus. Tales nanque cunctæ dubitationes, idem possunt. De omnibus etenim hi dignum ducunt rationem esse. Principium nanque (& hoc per demonstrationem) accipere quærent. Quòd autem non est eis persuasum, ex eorum actionibus manifestè apparet: sed (vt diximus) iste eorum affectus est. Rationem nanque eorum quærent, quorum non est ratio. Demonstrationis enim principium, non est demonstratio. His quidē facile hoc persuadebitur. Non enim est difficile perceptu. Qui verò in oratione solum vim quærent, impossibile quærent. Contraria nanque dicere dignum censent, mox contraria dicētes. Si autem non sunt omnia ad aliquid, sed quædā ipsa per se ipsa sunt, non erit vti que verum omne, quod apparet. Apparens enim, alicui est apparatus. Quare qui dicit omnia vera, quæ apparent esse, omnia entia facit ad aliquid. Quare obseruandum est iis, qui vim in oratione quærent, simulque reddere orationem dignū ducunt, quod non quod apparet est, sed quod apparet, cui apparet, & quando apparet, & quatenus, & quomodo. Quòd si reddant quidem orationem, non tamen ita reddant, accidet eis quā primū contraria dicere. Potest etenim eidem secundū visum quidem mel apparere, gustu autem nō. Et cū oculi duo sint, si sint dissimiles, non eadem vtrique visui. Cæterum ad eos, qui propter olim dictas causas, quod apparet verū esse dicunt, & ob hoc omnia similiter esse falsa & vera, nec sanè omnibus eadem apparere, nec eidem semper eadem, sed plerumque contraria, etiam eodem tempore: tactus etenim duo dicit in digitorum variatione, visus autem vnum. Sed neque eodem sensu, & secundum idem, & eodem modo, & in eodem tempore: quare hoc esset verum profectò. Sed ob hoc fortassis iis, qui non propter dubitationem, sed orationis gratia dicunt, necesse est dicere, quòd hoc nō sit verum, sed huic verum:

& (vt antea dictum est) necesse est, ad aliquid, & ad opinionem, & ad sensum omnia facere: quare nec factum est, nec erit quicquam, si nemo prius ordinatus sit. Quod si factum fuit, aut erit, patet quod non ad opinionem omnia sunt. Item, si vnum ad vnum, aut ad determinatum, & si idem est, & dimidium, & equale, non tamen ad duplum, quod æquale est: ad opinionem itaq; si idem est homo, & quod opinatum est, nō est homo, quod opinatur, sed quod opinatum est. Quod si vnumquodque ad illud erit, quod opinatur, infinita specie, quod opinatur erit. Quod igitur omnium certissima opinio est, non esse simul veras oppositas dictiones, & quid illis, qui sic dicunt, accidat, & cur ita dicunt, hæc demum dicta sint. Cum verò impossibile sit contradictionem simul de eodem verificari, patet quod necque contraria simul eidem inesse contingit. Contrarium enim alterum non minus priuatio est: substantiæ verò priuatio, negatio à quodam determinato genere est. Si impossibile itaque est simul affirmare, & negare verè, impossibile est etiam contraria simul inesse: sed aut ambo secundum aliquid, aut alterum secundum aliquid, alterum simpliciter.

CAPVT VII.



Verò nec inter contradictionem possibile est, quicquā medium esse, sed necesse est dicere, aut negare vnumquodque de vno: manifestum autem est primo quidem definitibus, quid verum, quidve falsum est. Dicere nanque ens non esse, aut hoc esse, falsum: ens autem esse, & non ens nō esse, verū est. Quare & qui dicit esse, aut non esse, verū dicit, aut mentietur. Sed nec ens, dicitur nō esse, aut esse, nec non ens. Item, medium inter contradictionem, aut erit quemadmodum fuscum inter album & nigrū, aut quemadmodum neutrum inter hominem & equum. Si itaq; ita est, non mutabitur profectō. Ex non bono nanque in bonum mutatur, aut ex hoc in non bonum. Nunc verò semper apparet: non enim est mutatio, nisi ad opposita, & media. Quod si est medium, etiam sic aliqua erit in album non ex non albo generatio: nunc autem nō videtur. Item, omne intellectuale, aut intelligibile, mēs aut affirmat, aut negat. Hoc verò ex definitione patet, cum verum dicat, aut mentietur. Cum enim sic componens dicat, aut neget, verum dicit: cum verò sic, mentietur. Item, in omnibus contradictionibus esse oportet, nisi orationis gratia dicatur. Quare neque verum dicit aliquis, neque non verum, & præter ens, & nō ens. Quare etiam præter generationem & corruptionem, transmutatio aliqua erit. Item, in quibuscunque generibus negatio contrarium inducit, in his etiam erit, vtputa in numeris nec impar, nec nō impar, numerus: sed impossibile est, ex definitione autem est manifestum. Itē, in infinitum procedet, & entia non solum sesquialtera, sed etiam plura erunt. Rursus nanque, hoc negare erit ad affirmationem & negationem: & hoc quicquam erit. Substantia nanque eius est alia quædam. Item, cum aliquo interrogante an album est, dicat quod non, nihil aliud negauit, nisi ipsum esse: ipsum verò non esse, negatio est. Aduenit autem quibusdam opinio ista, sicuti cæteræ quoque præter communem opinionem sunt. Cum enim non possint argumenta

contentiosa soluere, cadunt orationi, assentiuntque verum esse quod syllogisatum est. Quidam itaque ob talem causam dicunt: quidam verò, propterea quod omnium causam quærunt, principium verò ad hos omnes, ex definitione. Fit autem definitio ex eo, quod necessarium est aliquid eos significare. Ratio enim, cuius signum est nomen, definitio fit. Videtur autē Heracliti quidē opinio, omnia esse, & non esse, dicens vera omnia facere. Anaxagoræ verò, esse aliquod contradictionis medium, quare omnia falsa. Cum enim miscentur, neque bonum, neque non bonum est illud mistum. Quare nihil est dicere verum.

CAPVT VIII.



Is autem determinatis, manifestum est, quod illa quoque, quæ vno modo, & de omnibus dicuntur, impossibile est esse, vt quidam aiunt, quidam quidem nullum dicentes verum esse. Nihil enim prohibere ita cuncta esse aiunt, vt diametrum commensurabilem esse: quidam verò omnia vera. Ferè enim rationes eorum, eadēmq; , quæ & Heracliti sunt. Qui enim dicit quod omnia vera, & omnia falsa, etiam separatim, vtranque harum orationum dicit: quare si hæc impossibilia sunt, illa quoque impossibilia esse necesse est. Item patet quod contradictiones sunt, quas non possibile est simul veras esse, neque falsas. Et si id videri possit magis contingere ex iam dictis, ad has tamen omnes rationes petere oportet, vt in superioribus sermonibus dictum est, nō si sit aliquid, aut non sit, sed si aliquid significat. Quare ex definitione disputandum est, accipiētibus quid verum, quidve falsum significat. Si autem nihil aliud est, quàm quod verum est affirmare, aut quod negare falsum est, impossibile est omnia falsa esse. Necesse est enim alteram contradictionis partem, veram esse. Item, si omne, aut affirmare, aut negare necesse est, impossibile est vtraque; falsa esse: altera enim contradictionis pars, falsa est. Accidit autem (quod etiā publicè fertur) his omnibus orationibus eas se ipsas perimere. Quæ enim omnia vera dicit, contrariam quoque sibi orationem veram facit: quare suam ipsius non veram: contraria nanque dicit eam non esse veram: qua verò omnia falsa, & hæc se ipsam. Quod si excipiant illa quidem contrariam, quod sola non vera est, hæc verò se ipsam, quod sola non falsa, nihilō minus infinitas accidit eis petere orationes veras & falsas. Qui enim dicit veram orationem esse veram, cōsentit huic quod vera est: hoc verò in infinitum procedet. Clarum autem est, quod nec illi, qui omnia quiescere dicunt, verum dicunt, nec qui omnia moueri. Etenim si omnia quidem quiescunt, semper eadem vera, & falsa erunt: apparet autem hoc transmutari. Qui enim hoc dicit, aliquando ipse non erat, & rursus non erit. Si verò omnia mouentur, nihil erit verum: cuncta ergo falsa. Sed demonstratum est, hoc impossibile esse. Item, necesse est, ens transmutari: ex aliquo nanque ad aliquid transmutatio. At verò, nec omnia quiescunt, aut mouentur aliquando, semper verò nihil. Est enim quiddam, quod semper mouet ea, quæ mouentur: & primum mouens, ipsum immobile est.

ARIST

ARISTOTELIS STAGIRITAE METAPHYSICORVM LIBER QVINTVS.

CAPVT I.



Rincipium, hoc quidē dicitur illud rei, à quo quis primum mouetur: vtputa, magnitudinis, & viæ: hinc quidem, hoc principium est. Ex opposito verò aliud principium est illud, vnde quodque optimè fiat: vt doctrinæ, non à primo, ac rei principio, aliquando inchoadum est, sed vnde quis facilius discat. Aliud autem, à quo primo insito fit: vt naui, carina: & domus, fundamentum: animalium quoq; quidam cor, quidam cerebrum, quidam quodcunq; tale contingit, putant. Aliud verò, à quo primo non insito fit, & à quo primo natura aptus est motus, & transmutatio inchoari: vt proles, ex patre & matre, & bellū ex cōtumelia. Aliud porro id, ad cuius electionem mouentur, quæ mouentur, & mutantur, quæ mutantur: quemadmodum ciuitatum principatus, potentia, regna, & tyrannides principia dicuntur: etiam artes, & ex his maximè architectonica. Item, vnde primum res cognita est, illud quoq; principium rei dicitur: vtputa, demonstrationum suppositiones. Toties autem, causæ quoque dicuntur: omnes nanque causæ, principia. Omnibus igitur principiis cōmune est, esse primum, vnde aut est, aut fit, aut cognoscitur. Horū verò quædam intrinsecus, quædam extrinsecus sunt. Quare natura quoq; principium est, & elementum, mens etiam, & electio, & substantia, & quod cuius causa. Multis etenim & cognitiones, & motus principium ipsum bonum, & malum.

CAPVT II.



Ausa verò vno modo dicitur, ex qua insita aliquid fit, vt æs, statua, & argentum, pateræ, & horū genera. Alio vero, species, & exemplar. Hæc autē est ratio eius, quod quid erat esse, & horum genera: vt ipsius diapason, duo ad vnum: & simpliciter, numerus, & partes, quæ in ratione sunt. Itē, vnde principium mutationis primum, aut quietis, vt qui cōsuluit, causa: & pater, prolis: & simpliciter, faciens, eius, quod factū est: & transmutatiū, trāsmutati. Itē, vt finis: hæc autem est cuius causa, vt ambulandi sanitas. Propter quid enim ambulat, dicimus vt fanetur. Et cum ita dicamus, putamus causam reddidisse. Et quæcūq; , inter illud mouens, & finē, media fiunt: vt sanitas, attenuatio, purgatio, medicamenta, aut instrumenta: omnia etenim hæc finis gratia sunt: differunt verò ab inuicē, eò quod hæc quidē instrumenta, illa verò vt opera sunt. Causæ itaq; ferè toties dicuntur. At cum multifariam causæ dicantur, accidit multas quoq; eiusdē nō secundū accidēs causas esse: vt statua, & ars statuaria, & ipsum æs non secundū aliud quippiā, sed prout statua est: nō tamē eodē modo,

sed hoc quidē vt materia, illa verò vt vnde motus. Et inuicē causas esse: vt laborare, bonæ habitudinis: hæc verò, laboradi: non tamē eodē modo, sed hæc quidē vt finis, illud verò principium motus. Itē, idē aliquādo cōtrariorū causa est. Quod enim cum adfit, alicuius causa est: idē: cum abfit, causam cōtrarii nō nūquā dicimus: vt absentia gubernatoris, naufragii: cuius presentia, salutis causa erat. Ambæ autē & presentia, & priuatio, tāquam mouētes causæ sunt. Omnes autē nūc dictæ causæ, in quatuor incidūt manifestissimos modos: elementa etenim syllabarū, & materia factorū, & ignis, & terra, & omnia huiusmodi corporū, partes quoq; totius, & suppositiones cōclusionis, causæ sunt, vt ex quo. Harū verò hæc quidē tanquā subiectū, vt partes: hæc verò tāquam quod quid erat esse, vt totū, & cōpositio, & species. Semē verò, & medicus, & cōsiliator, & simpliciter efficiēs, omnia vnde trāsmutationis, aut status principium. Cætera verò, tanquā finis, & bonū aliorū: quod enim cuius causa, optimū, & finis aliorū vult esse: nil autē differat, bonū id, an apparatus bonū dicatur. Hæc itaq; causæ, ac tot specie sunt. Modī autē causarum, numero quidē multi sunt, in pauciores autē reducuntur. Dicuntur etenim causæ etiā earū, quæ eiusdē speciei sunt, multipliciter, prius videlicet, & posterior alia, quàm alia: vt sanitatis, medicus, & artifex: & ipsius diapason, duplū, & numerus, & illa semper, quæ cōtinēt quodcūq; particulariū. Item, vt ipsum accidēs, & eorū genera, vt statuæ, aliter Polycleto esse: & ea, quæ continēt accidēs, vt homo causa statuæ, aut simpliciter animal, quoniā Polycleto homo, homo autē animal est. Est autē accidētū quoq; aliud alio remotius, & propinquius: vtputa, si albus, & musicus dicatur statuæ causa, & nō solum Polycleto, aut homo. Præter omnes autē, quæ propriæ dicuntur, quæve secundū accidēs, aliæ vt potētia dicuntur, aliæ vt agētes: vt ædificii extruendi, ædificator, aut ædificās ædificator. Similiter autē illæ quoq; dicuntur de iis quorū causæ sunt: vt huius statuæ, aut statuæ, aut simpliciter imaginis: aut huius eris, aut eris, aut simpliciter materiæ: & de accidētibus similiter. Itē, hæc & illæ, cōiunctæ dicuntur: vtputa nō Polycleto, nec statuarius, sed Polycleto, statuarius. Attamen hæc omnes, multitudinem quidē sex sunt. Dicuntur autem dupliciter: aut enim vt singulare, aut vt genus eius: aut vt accidēs, aut vt genus accidētis: aut vt cōiunctæ aut simpliciter dictæ, itē tanquā agētes, aut secundū potētiā. Differūt autē, eò quod agētes quidē & singulares simul sunt, & nō sunt tam ipsæ, quàm illa, quorum causæ sunt: veluti hic medicans, huic conualescētī: & hic ædificator, huic, quod ædificatur. Quod verò secundū potētiā, nō semper corrumpitur enim non simul domus, & ædificator.

T 5

CAPVT III.



Leuientum dicitur, ex quo componitur primo in existenti indiuisibili specie in aliam speciem: vt vocis elementa, ex quibus componitur vox. Et in quæ vltima, diuiditur: illa verò, nõ amplius in alias voces ab ipsis specie diuersas. Sed & si diuidantur, particulae tamen eorum eiusdẽ speciei sunt: vt aquæ particula, aqua: sed non syllabę. Similiter etiam corporum elementa dicunt, ea dicentes vltima, in quæ corpora diuiduntur. Illa verò, non amplius in alia specie differentia corpora: & siue vnum, siue plura huiusmodi sint, hæc elementa aiunt. Similiter autem figurarum quoque; elementa dicuntur, ac simpliciter demonstrationum. Primæ enim demonstrationes, quæ in pluribus demonstrationibus insunt, hæc elementa demonstrationum dicuntur. Sunt autem tales, primi, ex tribus per vnum medium syllogismi. Hinc autem metaphoricè appellant etiã elementum, quod vnum, & paruum existens, ad plura vtile sit. Quare & paruum, & simplex, & indiuisibile, elementum dicitur. Vnde & euenit, quæ & maximè vniuersalia sunt, elementa esse: quoniam cum vnum quodque eorum vnum, & simplex sit, in multis, aut omnibus, aut quàm plurimis inest. Et vnum, & punctum, principia esse videtur. Cum itaque illa, quæ genera vocantur, vniuersalia, & indiuisibilia sint, (vna enim est ipsorum ratio) genera quidam dicunt elementa: & magis quàm differentiam, quoniam genus magis vniuersale est. Cuicumque enim differentia inest, genus quoque sequitur illud. Cui verò genus, non vtique differentia. Omnibus verò commune est, illud cuiusque esse elementum, quod primum cuique inest.

CAPVT IIII.



Natura verò dicitur vno quidem modo nascentium generatio: vt si quis produca voce dicat Y. Alio verò, ex quo primo in existente generatur, quod gignitur. Item, vnde primus motus in vnoquoque eorũ, quæ natura sunt, in eo secundum quod ipsum est. Nasci autem dicuntur, quæcunque incrementum per aliud habent, tangendo, & connascendo, aut adnascendo, sicuti embryones. Differt autem connascentia à tactu: hic enim nihil aliud præter tactum necesse est esse. In connascentibus verò, est quiddam vnum in ambobus idem, quod propter id, quod se contingant, facit vt connascentur, & vnum secundum continuationem, & quantitatem non secundum qualitatem sint. Item, natura dicitur, ex quo primo inordinato existente, & immobili ex sua potentia, aut est, aut fit aliquid eorum, quæ natura sunt, vt statua, vasorumque æneorum, æs, natura dicitur, ligneorum verò lignum: similiter autem & de cæteris. Ex his enim vnum quodque est, prima materia salua. Hoc enim modo, & eorum, quæ natura sunt elementa dicunt esse naturam: quidam ignem, quidam terram, quidam aerem, quidam aquam, quidam aliquid aliud tale dicentes, & quidam aliqua horum, quidam verò hæc omnia. Alio item modo, natura dicitur substantia eorum, quæ natura sunt: sicuti qui dicunt, naturam esse primam compositionem: aut, sicut Empedocles dicit, quod nullius entium na-

tura est, sed mistio solùm, & mistorum permutatio est: natura verò ab hominibus nominatur. Quare & quæcunque natura sunt, aut fiunt, iam existente, ex quo aptum est fieri, aut esse, nondum dicimus naturam habere si speciem, & formam non habeat. Natura igitur, quod ex ambobus his est: vt animalia, & partes eorum. Natura verò hæc, prima materia, & hæc dupliciter: aut quæ ad ipsum prima, aut simpliciter prima: vtputa operum æneorum, ad ipsa quidem æs primum: simpliciter autem, aqua fortassis, si omnia quidem liquabilia aqua. Hæc species, & substantia: hæc autem est generationis finis. Metaphoricè verò, omnino omnis substantia, natura propter hanc dicitur: quoniam & natura, est aliqua substantia. Ex dictis itaque prima, & quæ propriè dicitur natura, est substantia eorũ, quæ in se ipsis, vt ipsa sunt, motus principium habent. Materia enim eò quod huius est susceptiua, dicitur natura: generationes autè, ac ipsum nasci, eò quod ab hac motus sunt: principium quoque; motus eorũ, quæ natura sunt, hæc est, insita quodam modo aut potentia, aut actu.

CAPVT V.



Necessarium dicitur, sine quo non contingit viuere, tanquã concausa: vt respirare, & alimētum animali necessarium est: impossibile enim est, absque his animal esse. Et sine quibus, bonum non contingit aut esse, aut fieri, siue aliquid mali repellere, aut eo priuari, vt bibere potionem medicatam, necessarium est, vt non ægroter: & in Aeginam nauigare, vt pecuniam recipiat. Item, violētum, & vis: hoc autem est, quod præter propositum & electionem obstat, & prohibet. Violentum enim, necessarium dicitur: quare etiam triste, vt Euenus quoque ait. Omnis nanque necessaria res, tristis est. Et vis, necessitas quædam est, quemadmodum Sophocles dicit. Etiã vis me cogit hæc facere: & rectè, necessitas videtur inuitabile quiddam esse: contrarium enim voluntario, & secundum cogitationem motui est. Item, quod non contingit aliter se habere, necesse dicimus, ita se habere: & secundum hoc necessarium, cætera quoque omnia dicuntur quodam modo necessaria. Nam & ipsum necessarium aut agere, aut pati, tunc dicitur, cum non contingat propter illud, quod vim infert, secundum propositum fieri, tanquam illa existente necessitate, propter quam non contingit aliter: & in eis, quæ concausa viuendi, & boni sunt, similiter. Cum enim non contingat, hic quidem ipsum bonum, hic verò ipsum viuere, & esse sine quibusdam, hæc necessaria: & hæc causa, necessitas quædam est. Item, demonstratio, necessariorum est: quoniam non contingit aliter se habere, si similiter demonstratum est. Huius verò causæ ipsa prima, si impossibile est aliter se habere, ex quibus fit syllogismus. Quorundam itaque alia est causa, vt necessaria sint: quorundam verò nihil, sed propter hæc, alia necessaria sunt. Quare & propriè necessarium est, quod simplex est: hoc enim non potest multipliciter se habere: quapropter, nec aliter, & aliter: etenim multipliciter se haberet. Si igitur aliqua perpetua, & immobilia sunt, nihil in eis violentum, aut præter naturam est.

CAPVT

CAPVT VI.



Num, dicitur vno modo secundum accidens: altero, per se. Secundum accidens quidè, Coriscus, & musicus, & Coriscus musicus. Idè enim est dicere Coriscus, & musicus, & Coriscus musicus: & musicum & iustum, & musicus iustus Coriscus. Cuncta etenim hæc, vnum dicuntur secundum accidens: iustum quidem & musicum, quoniam vni substantiæ accidunt: musicum verò, & Coriscus, quoniam alterum alteri accidit. Similiter etiam quodam modo musicus Coriscus, cum Corisco, vnum est: quoniam altera partium earum, quæ in oratione sunt, alteri accidit: vtputa musicum Corisco, & musicus Coriscus, iusto Corisco, quoniam vtriusque pars vna eidem vni accidit. Nihil enim differt, aut Corisco musicum accidere, aut isti hoc. Similiter autem, tam si de genere, quàm si de aliquo vniuersalium nominum accidens dicatur: vtputa, quod idem homo, & musicus homo. Aut enim homini, qui vna est substantia, musicum accidit, aut quoniam ambo alicui singularium accidunt, veluti Corisco: non tamen eodem modo ambo insunt: sed hoc quidem vt genus fortassis, & vt in substantia, illud verò vt habitus, aut passio substantiæ. Quæcunque itaque, secundum accidens vnum dicuntur, hoc modo dicuntur. Illorum verò, quæ per se vnum dicuntur, hæc quidem dicuntur eò, quod cõtina sunt: vt fascis, vinculo: & ligna, visco. Linea quoque etiam si curua sit, sed cõtina, vna dicitur: sicuti partium etiã vnaquæque, crus, & brachium. Ex his autè ipsis, illa magis vnũ sunt, quæ naturã, quàm arte continua sunt. Continuum verò dicitur, cuius vnus per se motus, & non potest aliter esse: vnus verò, qui indiuisibilis: indiuisibilis autem, secundum tempus. Secundum se autem continua, quæcunque non tactu vnum sunt. Si enim pones inuicem tangencia ligna, non dices ea vnum, neque lignum, neque corpus, nec aliquid continuum esse. Igitur & illa quæcunque omnino continua sunt, vnum dicuntur, etiam si habeant flexionem. Et adhuc magis, quæ non habent: vt tibia, aut femur, quàm crus: quoniam contingit, vnum non esse motum cruris. Et recta magis, quàm curua, vnũ est. Curua verò, & angulum habentem, & vnam, & non vnam dicimus: quoniam contingit, & non simul eius, motum, & simul esse. Rectè verò, semper simul, nullaque particula magnitudinẽ habens, hæc quidem quiescit, hæc verò mouetur, quemadmodum curua. Alio itè modo vnum dicitur, cum subiectum sit specie indifferens. Indifferens autem, quorum species indiuisibilis secundum sensum est. Subiectum verò, aut primum, aut vltimum ad finẽ. Etenim vinum vnum, & aqua vna dicitur, quatenus indiuisibilis secundum speciem est. Liqueoresque omnes, vt oleum, vinum, & liquabilia vnum dicuntur, quoniam omnium vltimum subiectum idè est. Aqua nanque, & aer, hæc omnia sunt. Dicuntur autem vnum, & quorum vnum genus differens oppositis differentiis. Ac cuncta hæc, vnum dicuntur, quoniam vnum est genus subiectum differentiis: vt homo, equus, canis, vnum quid, quoniã omnia animalia. Et quodam simili modo, sicuti materia vna. Hæc autem quandoque quidem ita vnum dicuntur

quandoque verò superiore genere. Quod idem dicitur, si vltimæ generis species sunt, illa autem superiora ipsis: vtputa, triangulus duorum æqualium laterum, vna & eadẽ figura cum triangulo triũ æqualium laterum est: ambo etenim trianguli, sed non iidem trianguli. Item, vnum ea dicuntur, quorum ratio, quod quid erat esse dicēs, indiuisibilis ad aliã est, quid erat esse rei significantem. Ipsa enim per se ipsam omnis ratio, diuisibilis. Sic enim & auctum, & diminutum vnum est, quoniam ratio vna: quemadmodum in superficiebus est ipsius speciei vna. Et omnino quorumcunq; intellectio, quæ quod quid erat esse intelligit, indiuisibilis est, neque separare potest nec tempore, nec loco, nec ratione, hæc maximè vnum sunt, & horum quæcunque substantiæ sunt. Vniuersaliter nanque quocunque non habet diuisionem, quatenus non habet, eatenus vnum dicuntur: vtputa, si prout homo non habet diuisionẽ, vnus est homo: quod si prout animal, vnũ animal: quod si prout magnitudo, vna magnitudo. Plurima itaque vnum dicuntur, eò quod aliquid vnum aut agunt, aut patiuntur, aut habet, aut ad aliquid vnum sunt. Quæ verò primò vnũ dicuntur, illa sunt, quorum substantia vna, vna verò, aut cõtinatione, aut specie, aut ratione. Numeramus etenim tanquam plura, aut quæ non continua sunt, aut quorũ species non est vna, aut quorum ratio non est vna. Item, est quidem, vt quocunque dicamus continuitate vnũ esse, modò quantum, & cõtinum sit. Est autem vt non aliquid totum sit: hoc autè, si non habeant speciem vnam. Non enim dicemus similiter vnum (cum viderimus partes calceamenti quomodocunque compositas) propter continuitatem, sed si ita, vt calceamentum sit, ac quandam speciem habeat, tunc vnum. Quare maximè linearum, circuli linea vna est, quoniam tota, & perfecta est vni autem esse, principium est alicui numero esse. Prima enim mensura principium est. Quo nanque primò cognoscimus, hæc prima cuiusque generis mensura. Principium itaque scibilis circa vnum quodque, ipsum vnum. Non est autem idem in cunctis generibus vnum, sed hic quidem dies, hic verò vocalis, aut muta. Grauitatis autè, aliud: & motus, aliud: vbique autem, ipsum vnum aut quantitate, aut specie indiuisibile. Illud igitur, quod secundum quantum, & prout quantum indiuisibile est, quod quidem omnino, & sine positione est, dicitur vnitas: quod verò omnino, & positionem habens, punctum: quod autem secundum vnum, linea: quod verò secundum duo, superficies: quod autem omnino, & in tria secundum quantum diuisibile, corpus. Et econuerso, in duo quidem diuisibile, superficies est: quod verò in vnum, linea: quod autem nequaquam secundum quantitatem diuisibile est, punctum, & vnitas est: quæ quidem sine positione, vnitas: quod verò habet positionem, punctum. Item alia numero, alia genere, alia specie, alia analogicè vnũ sunt. Numero quidem, quorum materia vna: specie verò, quorũ ratio vna: genere autè, quorũ eadẽ prædicationis figura: secundum analogiã verò, quæcunq; se habet, vt ad aliud. Sæper autè posteriora sequuntur præcedentia: vtputa quæcunq; numero, specie quoque vnum sunt: quæcunque verò specie, non etiam numero, sed genere cuncta vnũ sunt, quæcunq; etiã specie

specie: quæcunq; autem genere, non omnia specie, sed secundum analogiam: quæcunq; verò analogia vnum, non omnia genere. Manifestum autè etiã est, quòd multa quoq; vni oppositè dicuntur. Quædam enim, eò quòd non sint continua. Quædã verò, eò quòd diuisibile secundum speciẽ materiã habeant, aut primam, aut vltimam: quædam autem, eò quòd rationes, quod quid erat esse dicentes, plures sint.

CAPVT VII.



Ns dicitur aliud secundum accidens, aliud per se. Secundum accidens quidẽ, vt iustum musicum esse dicimus, & hominem musicum, ac musicum hominẽ similiter dicentes. At cum dicimus musicum ædificare, quia accidit ædificatori musico esse, aut musico ædificatori. Hoc etenim hoc esse dicere, significat hoc huic accidere. Ita igitur de iis, quæ dicta sunt, cum hominem dicimus musicum esse, & musicum hominẽ, aut album musicum, siue hunc albũ: hoc quidem, quoniam ambo eidem accidunt: illud verò, quoniam enti accidit. Hoc autè musicum hominem, quoniam huic musicum accidit: ita etiam dicitur albũ esse, quoniã cui accidit illud est. Quæ igitur secundum accidens esse dicuntur, ita dicuntur, aut quoniã eidem enti ambo insunt, aut illi enti inest: aut quoniam ipsum inest, cui inest, de quo ipsum prædicatur. Per se verò esse dicuntur, quæcunq; significant prædicationis figuras. Quoties enim dicuntur, toties ipsum esse significant. Cum ergo eorum, quæ prædicantur, quædam ipsum quid est significant, quædã quale, quædam quatum, quædam ad aliquid, quædam facere, aut pati, quædã vbi, quædam quando, horum cuiq; idem ipsum esse significat. Nihil enim differt, homo cõualescens est, aut homo conualescit: & homo ambulans, vel incedens est, aut homo ambulat, vel incedit. Similiter in aliis quoque. Item ipsum esse, & ipsum est, significat quod verum est: ipsum verò non esse, quod nõ verum, sed falsum. Similiter, tam in affirmatione, quàm in negatione: vtputa, quòd Socrates musicus est, quoniam verum hoc est: aut quoniam Socrates non albus, quoniam verum. Quòd autem diameter non sit incommensurabilis, quoniam falsum est. Itẽ ipsum esse, & ipsum ens, quoddam eorum, quæ dicta sunt, potentia dici posse significat, quoddã actu. Videns etenim dicimus esse, & quod potentia, vt dicitur, videt, & quod actu. Ipsum quoque sciens similiter, & quod potest vti scientia, & quod iam vtitur. Ac etiam quiescens, tum illud, cui iam inest quies, tum quod quiescere potest. Similiter autem in substantiis. Etenim Mercurium in lapide dicimus esse, & lineã medietatem, ac triticum, quod nondum maturum est. Quando verò possibile, & quando non, in aliis determinandum est.

CAPVT VIII.



Substantia dicuntur & simplicia corpora, vt terra, ignis, aqua, & quæ talia sunt, & vniuersaliter corpora, & quæ ex his consistunt animalia, & dæmonia, ac eorum particula. Hæc verò omnia dicuntur substantia, quoniam non dicuntur de subiecto, sed de eis cætera. Alio verò modo quodcunq; fuerit causa existentia, talibusque inexistentibus, quæ non dicuntur de subiecto, vt anima animali. Item, quæcunq; par-

ticulæ insitæ sint in talibus, definiẽtes, & quod quid significantes, quibus peremptis, totum perimitur: vt superficie, corpus, vt quidam aiunt: & linea, superficies: & vniuersaliter, numerus videtur quibusdam talis esse, (eo etenim perempto, nihil esse) & omnia terminare. Item, quod quid erat esse, cuius ratio, definitio est, & hoc vniuscuiusque substantia dicitur. Accidit igitur duobus modis substantiam dici, & ipsum vltimum subiectum, quod non dicitur de alio, & id, quod cum quod quid sit, etiam separabile fuerit: tale verò cuiusque forma & species.

CAPVT IX.



Adem verò, quædam secundum accidens dicuntur: vt album, & musicum idem, quoniam eidem accidunt: ac homo & musicum, quoniã alterum alteri accidit: musicus verò homo, quoniã musicum homini accidit: vtrique verò hoc, & huic vtrunq; illorum: etenim homini musico, & homo, & musicũ idẽ dicitur, & his illud. Quare omnia hæc vniuersaliter non dicuntur. Non enim est verum dicere, quòd omnis homo idem & musicum. Vniuersalia nanque per se existunt: accidentia verò non per se, sed de singularibus simpliciter dicuntur. Idẽ enim videtur Socrates, & Socrates musicus esse. Socrates enim, non de multis. Quare non dicitur omnis Socrates, sicuti omnis homo. Quædã igitur ita dicuntur eadẽ. Quædã verò per se, sicuti & vnũ. Etenim quorũ materia, aut specie, aut numero vna, eadem dicuntur: & quorum substantia, vna. Quare patet, quòd identitas vnitatis quædam essentia est, aut plurium, aut cum vt pluribus vtatur: vtputa, cum dicat ipsum sibi ipsi idẽ, vt duobus enim ipso vtitur. Diuersa verò dicuntur, quorum aut species plures, aut materia, aut ratio substantia: & omnino, diuersum dicitur oppositè ad id, quod idẽ dicitur. Differentia verò dicuntur, quæcunq; diuersa sunt, cum idem quid sint, modò non sint idẽ numero, sed aut specie, aut genere, aut proportione. Item, quorum diuersum genus, & contraria, & quæcunq; diuersitatem in substantia habet. Similia dicuntur & quæ idem passa sunt, & quæ plura eadem quàm diuersa, passa sunt, & quorum qualitas vna. Ac secundum quæcunq; contrariorum alterari contingit, id quod plura his aut magis propria habet, simile illi est. Oppositè verò similibus, dissimilia dicuntur.

CAPVT X.



Pposita dicuntur, contradiçtio, contraria, ad aliquid, priuatio, & habitus, & ea, ex quibus, & in quæ vltima: vt generationes, & corruptiones & quæcunq; susceptiuo amborum non contingit simul adesse, hæc opponi dicuntur aut ipsa, aut ex quibus sunt. Fuscũ nanq; & album, simul eidem non insunt: quare ea, ex quibus sunt, opponuntur ipsis. Contraria dicuntur, quæ non possunt simul eidem adesse, cum eorũ sint, quæ secundũ genus differunt: & quæ plurimum differunt, cum in eodem genere sint: quæve plurimum differunt, cum in eodẽ susceptiuo sint: ac etiã quæ plurimum differunt, cum eorum sint, quæ sub eadem potentia sunt: & quorum differẽtia maxima, aut simpliciter, aut secundum genus, aut secundum speciem. Cætera verò contraria dicuntur, quædam eò quòd talia habent: quædam eò quòd susceptiuo talium

talium sunt: quædam eò quòd actiua aut passiuo talium sunt, aut agẽtia, aut patientia, aut abiectiones, aut sumptiones, aut habitus, aut priuationes sunt horum, ac talium. Cum autem vnum, & ens multipliciter dicatur, necesse est, vt cætera quoque, quæcunq; secundum hæc dicuntur, sequantur. Quare & idem, & diuersum, & contrarium, vt secundum vnumquodque prædicamentum diuersum sit. Diuersa verò specie dicuntur, quæcunq; cum eiusedem sint generis, non subalterna: & quæcunq; cum in eodem genere sint, differentiam habent: & quæcunq; in substantia contrarietate habent. Contraria quoq; diuersa specie inuicẽ sunt, aut omnia, aut quæ primò dicuntur, & quorum in vltima generis specie, rationes diuersæ: vt homo, & equus, indiuidua generi, rationes verò eorum diuersæ: & quæcunq; cum in eadem substantia sint, differentiam habent. Eadem verò specie sunt, quæcunq; his oppositè dicuntur.

CAPVT XI.



Priora, & posteriora dicuntur, vno quidẽ modo tanquam aliquo primo & principio in quoq; genere existente, quod propinquius est principio cuidã determinato, aut simpliciter, & natura, aut ad aliquid, aut vbi, aut ab aliquibus: vtputa quædam secundum locum, eò quòd propinquiora sunt alicui loco natura determinato, medio videlicet, aut vltimo, aut ad quodcunq; quod verò remotius, est posterius. Quædam, secundum tẽpus: aliqua enim, eò quòd remotiora à nunc sunt: vt de eis, quæ facta sunt. Quæ enim in Troia fuerunt, priora sunt iis, quæ apud mediam facta sunt, quoniã remotius à nunc distant. Aliqua verò eò, quòd propinquiora ipsi nunc sunt: vt de futuris. Prius enim festum, quod apud Nemeã futurum est, quàm quod apud Delphos, quoniam propinquius ipsi nunc est, vt principio, & primo ipso nunc, posito. Quædam, secundum motum: quod enim propinquius primo mouẽte est, prius est: vt puer, viro. Etenim quoddã & hoc simpliciter principium est. Quædam, secundum potentiam: quod enim excellit potẽtia, & fortius est, prius est. Tale verò est, cuius electionem, vt alterum, & quod posterius est, sequatur necesse est: ita vt non mouente illo, non moueatur: & mouente moueatur: electio enim principium est. Quædam, secundum ordinẽ: hæc verò sunt, quæcunq; ab aliquo vno determinato proportionaliter distant: vt in tripudiis, qui secundum locum obtinet, prior est eo, qui tertium tenet: & paranete, quàm nete: illhic enim tripudii ductor, hic verò media, principium est. Hæc itaq; hoc modo priora dicuntur. Alio verò modo, quod cognitione prius, tanquam & simpliciter prius. Horum autè aliter ea, quæ secundum rationẽ, atq; ea, quæ secundum sensum. Secundum enim rationẽ, vniuersalia priora: secundũ verò sensum, singularia: & secundum rationẽ, accidẽs, toto prius: vt musicum, homine musico. Non enim erit ratio tota absq; parte: tametsi nõ cõtingit musicum esse, si nõ sit aliquis musicus. Item, priora dicuntur, passiones priorũ: vt rectitudo, leuitate. Istud enim lineã per se passio, hoc verò superficiẽ. Quædam igitur ita priora, & posteriora dicuntur. Quædam verò secundũ naturã, & substantiã, quæcunq; cõtin-

gunt absq; aliis esse, ista verò sine illis minimè, qua diuisione vsus est Plato. Cum autè ipsum esse multipliciter dicatur, primò quidẽ subiectum est prius, propter quod substantia prior. Deinde aliter quæ secundum potẽtiã, & quæ secundum actum. Quædã enim secundum potẽtiã priora sunt, quædã verò secundum actum: veluti secundum potẽtiã quidẽ, dimidia, quàm tota: & particula, quàm totũ: & materia, quàm substantia. Secundum actum verò, posterior: dissoluto etenim, secundum actũ erit. Quodam modo igitur omnia quæcunq; prius, & posterius dicuntur, secundũ hæc dicuntur. Quædã enim secundum generationem, contingit absq; aliis esse vt totum, partibus. Quædã verò secundum corruptionem: vt pars, toto. Similiter etiam cætera.

CAPVT XII.



Potentia dicitur, quædã quidẽ principium motus, aut transmutationis in altero, aut prout alterũ est: vt ædificatiua potentia est, quæ non inest in ædificato: sed ars mededi, cum sit potentia, inest tamẽ in eo, qui sanatur, sed non prout sanatur. Quædã igitur, omnino principium transmutationis, aut motus dicitur potentia in altero, aut prout alterum est. Quædã verò, ab altero, aut prout alterum est: secundum quam profectò, quod patitur, aliquid patitur. Quandoq; igitur, si quid quodcũq; pati possibile est, dicimus illud posse pati: quãdoq; verò non secundũ omnẽ passionẽ, sed si ad melius. Itẽ, qua eius, quod bene, quippiã efficiatur, aut secundum electionẽ. Aliquando enim eos, qui solũ ambularunt, aut dixerunt, nõ autẽ bene, nec vt proposuerunt, nõ dicimus posse dicere, aut ambulare. Similiter quoq; de pati. Itẽ, quicũq; habitus, secundum quos impossibilia omnino, aut immutabilia sunt, aut nõ faciliẽ ad deterius moueãtur, potẽtia dicuntur. Frãguntur nãq; & cõteruntur, & flectũtur, & omnino corrumpuntur, nõ propter posse, sed propter nõ posse, & in aliquo deficere. Impassibilia verò à talibus sunt, quæ propter potẽtiã, & posse, & aliquatenus se habere, vix & parum patiuntur. Cum autẽ potẽtia tot modis dicatur, potens quoq; vno quidẽ modo dicitur. quod motus, aut transmutationis principium habet. Etenim sedatiũ potẽs quid est in altero, aut prout alterũ est. Alio verò, si quid eius aliud talẽ potẽtiã habet. Alio verò, si quid ad quodcũq; transmutetur, siue in peius, siue in melius, potẽtiã habeat. Etenim quod corrumpitur, videtur possibile esse corrumpi: aliter nõ corruperetur, si impossibile esset. Nunc autẽ habet quandã dispositionẽ, causã, & principium huiuscemodi passionis. Quandoq; enim propterea quòd habet, quandoque propterea quòd priuatur, tale videtur esse. Quòd si priuatio, habitus quodã modo est, omnia propterea quòd habent, profectò aliquid erunt. Aequiuocè autem dicimus, ipsum ens: quare propterea quòd habet habitũ quendam, & principium possibile est: & propterea quòd habet huius priuationẽ, si possibile est priuationẽ habere. Alio autẽ modo, propterea quòd nõ habet eius potẽtiã, aut principium in altero, aut prout alterũ, corruptiuã. Itẽ hæc omnia, aut eò quòd solũ cõtingãt hæc fieri, aut nõ fieri, aut eò quòd bene. Etenim inanimatis etiã talis potẽtia inest, vt instrumentis. Aliquã enim posse

posse sonare lyram aiunt, aliquam minimè, si non bene sonans est. Impotentia verò, potentia priuatio est, & quædam talis principii ablatio, quale diximus: aut omnino, aut ab eo, qui natura aptus est habere, aut & cum natura aptus sit iam habere. Nō enim similiter dicunt impossibile esse, puerum generare, & virum eunuchum. Item, vtri que potentie est impotentia opposita, & ei, quæ solūm motiua, & ei, quæ bene motiua est. Impossibilia quoq; quædā secundū hanc impotentia dicuntur, quædā alio modo, vti possibile & impossibile. Impossibile quidē, cuius cōtrarium necessariò verū est: veluti diametrum commensurabilem esse, impossibile est: quoniam falsum huiuscemodi est, & cuius contrarium non solūm verum, sed necessarium quoque est, vt incommensurabile sit. Commensurabile igitur non solūm falsum, sed necessariò etiā falsum est. Ipsum verò possibile huic contrarium, cum non sit necessarium, contrarium falsum esse: vt sedere hominem, possibile est: non enim necessariò non sedere, falsum est. Possibile itaque vno quidē modo significat, vt dictum est, quod nō necessariò falsum est: alio verò, ipsum verum esse: alio autem, cōtingens verum esse: metaphoricè autem, quæ in geometria potentia dicitur. Hæc igitur possibilia, non secundum potentiam. Quæ autem dicuntur, omnia ad primam vnam dicuntur: hæc autem, est principium transmutationis in altero, prout alterum est. Cætera nanque possibilia dicuntur, quædam, eo quod eorum aliquid, talem potentiam habet: quædam, eo quod non habent: quædam eò quod sic habent. Similiter etiam impossibilia. Quare propria primæ potentia definitio profectò erit, principium transmutatiuum in altero, prout alterum est.

CAPVT XIII.

Quantum dicitur, quod insita diuisibile, quorum vtrunq; aut singula vnū quid, & quod quid apta sunt esse. Multitudo igitur, quātum quid, si numerabilis est: magnitudo verò, si mensurabilis. Dicitur autem multitudo quidem, quæ potentia diuisibilis est in non continua: magnitudo verò, quæ in continua. Magnitudinis autem, quæ quidem ad vnum continua est, lōgītudo, Quæ verò ad duo, latitudo. Quæ autem ad tria, profunditas est. Horum autem multitudo quidem finita, numerus. Longitudo verò, linea. Latitudo autē, superficies. Profunditas verò, corpus est. Item, alia per se quanta quædam dicuntur, alia secundum accidens: vtputa, linea quidem, quantum quiddam per se est: musicum verò, secundum accidens. Eorum verò, quæ per se sunt, quædā secundum substantia sunt, vt linea quātum quiddā, (in definitione nanq; quod quid est dicenti, quantum quiddam inest) quædam passiones, & habitus huiuscemodi substantie sunt, vt multum & paucum, longum & breue, latum & strictum, profundum & humile, graue & leue, & cetera quoq; huiuscemodi. Sunt autem magnum etiam & paruum, maius & minus, tam secundum se, quā ad se inuicem dicta, quanti per se passiones. Transferuntur autem & ad alia ista nomina. Eorum autem, quæ secundum accidens dicuntur quanta, quoddam ita dicitur, vt prædictum est, quod musicum, & album quantū est;

eò quod illud, cui insunt, quantum quid est. Quædam, vt motus, & tēpus: & hæc enim quanta quædā, & continua dicuntur, eò quod illa diuisibilia sunt, quorū hæc sunt passiones. Dico autē non quod mouetur, sed quo motū est. Etenim quonia illud quantum est, & motio est quāta: tēpus autē, propter illā.

CAPVT XIII.

Vale, dicitur vno modo differentia substantia: vtputa, quale animal homo, quoniam bipes: equus verò, quadrupes: & circulus qualis quædam figura, quonia absque angulis est, tanquam differentia, quæ secundum substantiam qualitas sit. Vno itaq; modo, qualitas dicitur substantia differentia. Alio, vt immobilia, & mathematica, veluti numeri, quales quidam sunt, vt qui compositi: & non solūm qui ad vnum sunt, sed ii, quorum imitatio superficies, & solidū. Hi autē sunt, qui quoties quanti, aut quoties quanti quoties, & omnino quod in substantia, præter quantum existit. Substantia nanq; cuiusque est, quod semel, vtputa ipsorum sex, non qui bis, vel ter, sed qui semel. Sex enim semel, sex sunt. Itē, quæcunq; substantiarum, quæ mouentur, passiones: vt caliditas & frigiditas, albedo & nigredo, grauitas & leuitas, & quæcunq; similia, secundum quæ dicuntur alterari corpora, ipsis mutatis. Item, secundum virtutem, & malitiam, & omnino bonum & malum. Ferè itaque secundum duos modos dici possit ipsum quale, & horū vnum maximè proprium. Prima etenim qualitas, substantia differentia est: huius autem pars, & quæ in numeris qualitas est. Etenim differentia quædam substantiarū est, sed non aut eorū, quæ mouentur, aut non prout mouentur: hæc autem, passiones eorū, quæ mouentur, prout mouentur sunt, & motuū differentie. Virtus autē, & malitia, passionū quædam partes sunt. Differentias enim motus, & actionis quasdam manifestat, secundū quas bene vel malè agūt, aut patiūtur ea, quæ in motu sunt. Quod enim hoc modo potest moueri, aut agere, bonū: quod verò illo modo, & cōtrariò, malū. Maximè autē bonū & malum significant qualitatem in illis, quæ animata sunt, & illis maximè, quæ habent electionem.

CAPVT XV.

D aliquid dicitur quædam, vt duplū ad dimidiā, & triplū ad tertiā partē: simpliciter multiplex, ad multiplicati partem: & excedēs, ad excessum. Quædā, vt calefactiuū ad calefactibile, & sectiuū ad secabile: & simpliciter, actiuū ad passiuū. Quædā, vt mensurabile ad mensurā, & scibile ad scientiā, & sensibile ad sensum. Dicuntur autē prima quidē secundū numerum, aut simpliciter, aut determinatē ad eos, aut ad vnū: vtputa, duplū quidē ad vnū, numerus determinatus: multiplex verò secundum numerū, ad vnū, non tamē determinatū, vt hūc, vel hūc: sesquialterum verò ad subsesquialterū secundū numerū, ad numerū determinatū: superparties autē ad suppartietē secundū indeterminatū, sicuti multiplex ad vnū: excedens autē ad excessū, omnino indeterminatū secundū numerū. Numerus enim cōmēsurable, secundū verò incōmēsurable numerū dicitur. Excedēs enim ad excessum tantū est, & vltra: hoc verò, indeterminatū est. Quodcunq; enim contingit, est aut

aut æquale, aut non æquale. Hæc itaque ad aliquid omnia, secundum numerum dicuntur, & numeri passiones sunt. Et adhuc æquale, simile, & idem, secundum alium modum. Secundum vnum etenim omnia dicuntur. Eadem enim sunt, quorum substantia vna. Similia verò, quorum qualitas vna. Aequalia autem, quorum quantitas vna. Ipsum verò vnum, numeri principium, & mensura. Vnde hæc omnia ad aliquid dicuntur: secundum numerū quidem, non tamen eodem modo. Actiua verò & passiuua, secundum actiuam & passiuam potentiam, & potentiarum actiones: vtputa calefactiuum ad calefactibile, quoniam possunt: & rursus calefaciens ad id, quod calefit, & secans ad id, quod secatur, vt agentia. Eorum autem, quæ secundum numerum sunt, non sunt actiones, nisi quemadmodum in aliis dictum est. Sed secundum motum actiones non existunt. Eorum verò, quæ secundum potentiam, etiam secundum tempora iam dicuntur ad aliquid: veluti quod fecit, ad id, quod factum est: & id, quod facturum est, ad id, quod faciendum est. Sic enim pater quoque, filii pater dicitur: hoc enim fecit, at illud passum quid est. Item, quædam secundū priuationem potentia, vt impossibile: & quæcunque ita dicuntur, vt inuisibile. Quæcunque igitur secundum numerum & potentiam ad aliquid dicuntur, cūcta sunt ad aliquid, eò quod ipsum, quod est alterius, dicitur ipsum, quod est, sed nō eò, quod aliud ad illud. Mensurabile, & scibile, & intelligibile, eò quod aliud ad illud dicitur. Nam intelligibile significat, quod eius est intellectus. Non est autē intellectus ad illud, cuius intellectus est. Idem enim profectò bis dictum esset. Similiter & visus, cuiusdam est visus, non cuius est visus, (etū verum est hoc dicere) sed ad colorem, aut aliquid aliud tale. Illo verò modo bis idem diceretur, quod visus est, cuius est visus. Eorum igitur, quæ per se ad aliquid dicuntur, quædam ita dicuntur, quædam si genera eorum talia sunt: vtputa medendi ars eorum est, quæ ad aliquid sunt, quoniam genus eius scientia videtur eorum esse, quæ ad aliquid sunt. Item, secundum quæ ad aliquid dicuntur ea, quæ illa habent: vt æqualitas, quoniam ipsum æquale: & similitudo, quoniam & ipsum simile. Aliqua verò secundum accidens dicuntur: vt homo aliquid, quoniam accidit ei duplo esse. Hoc autem eorum est, quæ ad aliquid sunt: aut album, si eidem accidit duplo, & albo esse.

CAPVT XVI.

Efectum dicitur vno quidem modo, extra quod non est vllam accipere particulam: vtputa, tempus ipsum vniuscuiusque perfectum est, extra quod non est vllum accipere tēpus, quod pars huius temporis sit. Et quod secundum virtutem, & quod est eius, quod bene, non habens excessum ad genus: vt perfectus musicus, & perfectus tibicen, eum secundum proprie virtutis specie in nullo deficient. Ita etiam in malis, metaphoricè dicimus calumniatorem perfectum, & furem perfectum, quoniam etiam bonos eos appellamus: vtputa furem bonū, & calumniatorem bonū. Virtus quoque, quædam perfectio est: vnumquodque nan-

que tunc perfectum est, cunctaque substantia tunc perfecta, cum secundum speciem proprie virtutis nulla desit particula magnitudinis naturalis. Item, quibus finis studiosus est, ea perfecta dicuntur: etenim secundum quod habent finem, perfecta dicuntur. Quare cum finis vltimorum quippiam est, ad praua quoque transferentes, dicimus perfectè interemptum esse, & perfectè corruptum esse, cum nil corruptionis, aut mali desit, sed in vltimo sit. Propter quod & mors metaphoricè dicitur finis, quoniam vltima. Finis autem, & quod cuius gratia, vltimum. Quæcunque igitur per se perfecta dicuntur, toties dicuntur, quædam eò quod secundum bene in nullo deficient, nec habent in aliquo genere excessum, nec est quicquam extrā: cætera verò iam secundū ipsa, eò quod aut aliquid tale faciunt, aut habēt, aut cōueniunt, aut tali, aut aliquo alio modo ad ea, quæ primò dicta sunt, perfecta dicuntur.

CAPVT XVII.

Erminus dicitur, quod vltimum cuiusque est, extra quod nihil est accipere primum, & intra quod omnia primum, & quod magnitudinis species, aut magnitudinem habentis, & cuiusque finis. Tale verò est, ad quod motus & actus, & non à quo. Quandoque autem ambo, & à quo, & ad quod, & cuius causa, & substantia vniuscuiusq; ac quod quid erat esse vni-cuique. Cognitionis enim hoc, terminus est: quod si cognitionis, rei quoque est. Quare patet, quod quoties dicitur principium, toties etiam terminus, & amplius. Principium nanque, terminus quidem, sed non omnis terminus, principium.

CAPVT XVIII.

Secundum quod, multipliciter dicitur. Vno modo, species, & substantia cuiusque rei, vt secundum quod bonus, ipsum bonum. Alio, in quo primo fieri aptum est, vt color in superficie. Quod igitur primò dictū est secundum quod, ipsa species est: secundò verò tanquam cuiusque materia, & primum cuiusq; subiectum. Et omnino ipsum secundum quod, toties dictum erit, quoties dicitur causa. Secundum quod enim venit, aut qua causa venit, dicitur & secundum quod paralogizatum, siue syllogizatum est, & quæ syllogismi, siue paralogismi causa est. Item, secundum quod dicitur, quod secundum positionem est, secundum quod stetit, aut secundum quod vadit: etenim hæc omnia positionem, & locū significant. Quare & secundum se, multipliciter vt dicatur necesse est. Vno nanque modo secundum se, est quod erat esse cuiuslibet: vt Callias, & quod quid erat esse Calliam. Alio verò, quæcunque in eo quod quid est insunt: vtputa Callias, secundum se animal est: in ratione enim, animal inest. Callias enim, quoddam animal est. Item, si in se ipso susceptum, aut in aliquo sui: vtputa, superficies alba secundum se: & homo, secundum se viuens. Anima nanque, pars quædam hominis est, in qua prima ipsum viuere est. Item, cuius non est aliqua alia causa. Hominis nanque multæ causæ sunt, animal, bipes: attamen secundum se, homo est homo. Item, quæcunque soli, prout soli, insunt. Quare quod separatum est, secundum se est.

CAPVT XIX.

Dispositio, dicitur ordo partes habentis, aut secundum locum, aut secundum potentiam, aut secundum speciem. Positionem enim quandam esse oportet, sicut ipsum etiam dispositionis nomen significat.

CAPVT XX.

Habitus autem dicitur vno modo, tanquam quidam habentis, & habitus actus: sicuti actio quædam, aut motus. Nam cum hoc quidem efficit, illud verò fit, est media effectio. Ita & habentis vestem, & vestis habitus, est medius habitus. Hunc itaque habitum, quod non contingit habere, manifestum est. In infinitum enim progredieretur, si habitus, esset habitum habere. Alio modo habitus, dicitur dispositio, secundum quam bene vel malè disponitur dispositum, & aut secundum se, aut ad aliud: ut sanitas, quidam habitus est: dispositio etenim, talis est. Item, habitus dicitur, si particula talis dispositionis sit. Quare partium quoque virtus, quidam habitus est.

CAPVT XXI.

Passio dicitur, vno quidè modo qualitas, secundum quam alterari contingit: ut album & nigrum, dulce & amarum, grauitas & leuitas, & quæcunque alia similia. Alio modo, horum actiones, & iam alterationes. Item, harum magis, quæ noxiæ alterationes, & motus, & maximè quæ tristes, & noxiæ sunt. Item, calamitatum, & tristitium magnitudines, passiones dicuntur.

CAPVT XXII.

Priuatio dicitur vno modo, si non habeat aliquid eorum, quæ apta sunt haberi, etiã si ipsum non sit naturã aptum habere: ut planta dicitur oculis priuari. Alio modo, si cum aut ipsum, aut genus eius, aptum habere sit, non habeat: ut puta, aliter cæcus homo visu priuatur, & aliter talpa. Hæc quidem secundum genus, ille verò secundum se. Item, si cum aptum sit, & quando sit aptum habere, non habeat. Cæcitas nanque, priuatio quædam est. Cæcus autem non secundum omnem ætatem, sed si, in qua aptus est habere, non habet. Similiter si in quo, & secundum quod, & ad quod, & quemadmodum natura aptus sit, non habeat. Item, violenta cuiusque ablatio, priuatio dicitur: & quoties negationes ab IN, vel simili negatione incipientes dicuntur, toties etiã priuationes dicuntur. Inæquale nanque dicitur, eò quòd non habeat æqualitatem, aptum existens habere. Inuisibile verò, eò quòd non habeat omnino colorem, & quod exiguum: & impes, eò quòd & non habeat omnino pedes, & quòd debiles. Item, cum parum quid habeat: ut cum dicimus oliuam exossem, hoc autè est, eò quòd exile quidam habet. Item, cum non facilè, aut non bene: ut infecabile, non solum eò quòd non secetur, sed etiam eò quòd non facilè, nec bene. Item, cum qui vno oculus est, sed qui vtriusque oculi visu caret. Quare non omnis, bonus vel malus, aut iustus vel iniustus, sed etiam intermedium est.

CAPVT XXIII.

Abere, multipliciter dicitur. Vno modo, cum quid secundum suam naturam, aut suum impetum agat. Quare dicitur, quòd febris hominem habet, & tyranni ciuitates & induci vestem. Alio modo, in quo quid tanquam susceptiuo existit: ut æs habet statuæ speciem & corpus ægritudinem. Alio modo, ut continens ea, quæ contenta sunt. In quo nanque contentum quiddam est, haberi ab eo dicitur: ut vas, habere humidum, dicimus: & urbem, homines: & nauem, nautas: sic & totum, partes habet. Itè, quod prohibet aliquid secundum suum impetum moueri, aut agere, habere dicitur hoc ipsum: ut & columnæ, imposita onera: & ut poetæ. Atlantem faciunt cælum habere tanquam nisi ipse teneret, casurum super terram, ut quidam Physiologorum tradunt. Hoc autem modo & continens dicitur, quæ continet, habere, tanquam separaretur secundum suum impetum vnumquodque. In aliquo etiam esse, similiter & consequenter sicuti habere dicitur.

CAPVT XXIII.

Ex aliquo esse, vno modo dicitur ex quo, ut ex materia est. Et hoc dupliciter, aut secundum primum genus, aut secundum vltimam speciem: ut puta, omnia liquabilia quodam modo quidem ex aqua sunt, quodam modo verò, ex ære statua est. Vno modo dicitur, ex primo mouente principio: ut ex quo pugna: ex conuicio: quia hoc, pugnae principium. Vno modo ex composito ex materia, & forma: sicuti ex toto, partes: & versus, ex Illiade: & lapides, ex domo. Finis nanque, est forma: perfectum verò, quod habet finem. Quædam verò, tanquam ex parte species: ut homo, ex bipede: & syllaba, ex elemento. Aliter nanque hoc atque statua ex ære. Ex sensibili nanque materia, composita substantia est: species quoque ex speciei materia. Quædam itaque ita dicuntur. Quædam, si quis horum modorum secundum aliquam partem sit: ut ex patre, & matre, proles: & ex terra, plantæ, quia ex aliqua eorum parte. Vno modo, post quod tempore: ut ex die, nox: & ex sereno, tempestas: quoniam hoc, post illud. Horum autem quædam eò quòd habent mutuam transmutationem, ita dicuntur, sicuti & quæ nunc dicta sunt: quædam, eò quòd solum secundum tempus consequuntur: ut ex æquinoctio facta est nauigatio, quoniam post æquinoctium facta est: & ex Dionysiis Thargelia, quia post dionysia.

CAPVT XXV.

Ars dicitur vno quidè modo, in quod quoquo modo quantum diuidi potest. Semper enim quod à quanto, prout quantum, auferitur, pars illius dicitur: ut duo, pars trium quodam modo dicitur. Alio modo, ex iis ea duntaxat, quæ metiuntur: quare, duo quodam modo quidem sunt pars trium, quodam modo verò non. Item, in quæ species absq; quanto diuidi potest, hæc quoq; partes eius dicuntur: quare species, generis aiunt partes esse. Item, in quæ aliquid diuiditur, aut ex quibus totum componitur, aut ipsa species, aut quod speciem habet, ut sphaeræ æneæ, & ænei cubi, & ipsum æs pars. Hoc autem est

est materia, in qua species, & angulus, pars. Item quæ in ratione vnumquodque significantes sunt, hæc quoque pars totius sunt: quare genus, pars etiam speciei dicitur. Aliter verò species, generis pars est.

CAPVT XXVI.

Totum dicitur, cuius nulla pars eorum abest, ex quibus totum natura dicitur. Et quod continet contenta, ut vnum quid illa sint. Hoc autem, dupliciter. Aut enim ut vnumquodque vnum: aut ut ex his, illud vnum. Ipsum enim vniuersale, & quod omnino, ut totum quippiam ens dicitur, sic est: vniuersale ut multa continens, hoc eò quòd de singulis prædicatur: & vnum, omnia sunt singula: ut homo, equus, Deus, quoniã omnia animalia. Cæterum continuum & finitum, cum è pluribus insitis vnum quid sit, maximè quidem potentia, non actu: horum autem ipsorum, magis quæ natura, quam arte talia sunt: sicut & de vno dicimus, tanquam totalitas vnitatis quædam sit. Item, cum quantum habeat principium, mediū, & vltimum, quorumcunq; positio non facit differentiã, omne dicitur: quorumcunq; verò facit, totum: quæ autem ambo facere contingit, & omne, & totum. Sunt autem hæc, quorum natura quidem eadem manet in transpositione, forma verò minimè, ut cera, & vestis. Et enim totum, & omne, dicuntur: ambo nanque habent. Aqua verò, & quæcunque humida, ac numerus, omne quidem dicuntur: totus verò metaphoricè. Omnia verò dicuntur, de quibus omne, tanquam de vno, de his omnia, ut de diuisis. omnis hic numerus, omnes hæc vnitates.

CAPVT XXVII.

Mutilum dicitur quantorum non quodcunque, sed ut diuisibile. Et totum illud sit, oportet. Duo etenim non sunt mutila, altero ablato vno. Non enim æquale mutilamen, & reliquum vnquam est. Nec omnino numerus vllus: substantiam nanque manere oportet. Si calix mutilus, adhuc oportet esse calicem. Numerus verò, non amplius idem. Et adhuc etiam si partium dissimilium sint, nec hæc omnia: numerus etenim est, ut etiam dissimilares habeat partes, ut puta binarium, & ternarium. Cæterum nihil omnino eorum, quorum positio differentiam non facit, mutilum est, ut aqua, vel ignis: sed oportet talia esse, quæ secundum substantiam positionem habent. Item, continua: harmonia nanque & ex partibus dissimilariibus est, & positionem habet, mutila autem non fit. Et adhuc nec illa, quæ tota sunt, cuiuscunque particulæ priuatione, mutila sunt: nõ enim oportet, nec quæ principales ipsius substantiæ, nec vbiunque existentes: ut si perforetur calix, non mutilus, sed si anfa, aut extremum aliquod: homo quoque non carnem, aut splenem, sed si extremitatè, & hanc non omnem, sed quæ tota ablata, non habeat generationem: quare calui, non mutili.

CAPVT XXVIII.

Enus dicitur hoc quidem, si generatio eorum, quæ speciem eandem habet, cõtina sit: ut puta dicitur, quousque genus hominum sit, quia donec eorum generatio continua sit. Hoc verò, à quo sint primo ad esse mouente. Ita enim Græci, genere: alii verò Iones dicuntur, eò quòd illi quidem à Græco, hi verò à Ione primo generante sunt. Et magis qui à generante, quam qui à materia. Dicuntur etenim à fœmina genere, ut à Pyrrha. Iram ut superficies, figurarum superficialium genus: & solidum, solidarum. Quæque enim figurarum, hæc quidem superficies talis: illa verò solidum tale: hoc autem, quod subiectum differentiis est. Item, ut in rationibus quod primum inest, quod dicitur in eo quod quid, hoc genus, cuius differentiæ dicuntur qualitates. Genus itaque toties dicitur, hoc quidem secundum generationem continua eiusdem speciei, hoc verò, secundum primum mouens eiusdem speciei, hoc autem ut materia: cuius enim differentia, & qualitas est, hoc est subiectum, quod dicimus materiam. Diuersa autem genere, quorum primum subiectum diuersum est, & non resoluitur alterum in alterum, nec ambo in idem, ut puta species, & materia, diuersa genere. Et quæcunque secundum diuersam figuram prædicationis entis dicuntur: quædam enim entium, quid est significant, quædam autem quale quid, quædam ut prius diuisum: nec enim hæc resoluuntur in inuicem, nec in vnum quiddam.

CAPVT XXIX.

Falsum dicitur vno modo, ut res falsa, & huius hoc quidem eò quòd non componitur, aut quòd impossibile sit componi, quemadmodum dicitur, diametrum esse commensurabilem, aut ire federe. Horum enim illud quidem semper, hoc verò aliquando falsum est: sic enim nõ entia hæc. Alia verò, quæcunque sunt quidem entia, apta tamen naturã sunt apparere, aut nõ qualia sunt, aut quæ non sunt, ut umbra, picturæ, & insomnia. Hæc enim sunt quidem aliquid, sed non sunt ea, quorum faciunt phantasiã. Res itaque falsæ sic dicuntur, aut eò quòd non sunt, aut eò quòd phantasia ab eis facta non entis est. Ratio verò falsa, prout falsa est, quæ non entium est. Vnde omnis ratio falsa, alterius est, quam eius, cuius est vera: ut puta, quæ circuli, falsa trianguli. Cuiusque verò ratio, quodam modo quidem vna, quæ est eius, quod quid erat esse, quodam modo verò multæ: quoniam idem quodam modo est ipsum, & ipsum passum, ut Socrates, & Socrates musicus. Falsa verò ratio, nullius est simpliciter ratio. Quare Antisthenes inscitè putabat, nihil ducens dignum dici, nisi propria ratione vnum de re vna, ex quibus accidebat, non esse contradicere: ferè autem, neq; mentiri. Est autè vnumquodq; dicere, non solum sua ratione, sed etiam ea, quæ alterius est, & falsè quidem omnino, quodam autem modo etiam verè: quemadmodum octo, dupla sunt ratione dualitatis. Quædam igitur ita falsa dicuntur. Homo ve-

rò falsus, qui promptus tales eligit orationes, non propter aliquid aliud, sed propter id ipsum, & qui aliis talium orationum causa. Quemadmodum res falsas esse dicimus, quæ falsam phantasiam faciunt. Vnde oratio, quæ apud Hippiam est, sophistica est, quod idem sit mendax, & verax. Eum nanque, qui potest mentiri, accipit ut mendacem, hic verò, sapiens & prudens est. Item eum, qui sponte prauus est, meliorē ait. Hoc autem falsum, per inductionem accipit. Qui enim sponte claudicat, melior in eo, qui inuitus, claudicare dicens, pro imitari. Nam si claudus sponte, esset peior fortassis. quemadmodum in moribus, ita & in hoc esset.

CAPVT XXX.



Accidens dicitur, quod inest alicui. Et quod verum est dicere: non tamen neque necessariò, nec ut plurimū: vtputa si quis pro planta fodiens fossam, inuenit thesaurum. Hoc itaq; accidens fuit fodienti fossam, thesaurum inuenire. Nec

enim necessariò hoc ex hoc, aut post hoc: nec ut plurimum, si quis plantet, thesaurum inuenit. Musicus quoque fuerit quispiam albus, sed cum nec necessariò, nec ut plurimum hoc fiat, accidens ipsum dicimus. Cum igitur sit existens aliquid, & alicui, & horum quædam etiam alicubi, & quandoque quod utcumque existit quidem, sed non propter id, hoc aut nunc, aut hic, accidens erit: nec vlla causa determinata accidentis est, sed quæcumque contingit. Hæc autem, indeterminata: ut abire in Aeginam accidit, si non propter hoc euenit, ut illuc iret, sed à tempestate pulsus, aut à latronibus captus. Fuit igitur, & est ipsum accidens, sed secundum se, sed non secundum alterum. Tempestas enim causa, ut iret, quod non nauigabat: hoc autē erat Aegina. Dicitur etiam aliter accidens, ut quæcumque existunt in vnoquoque secundum se, non existentia in substantia: ut triangulo, duos rectos habere. Et hæc quidem contingit sempiterna esse, illorum verò nihil. Ratio autem huius, in aliis.

ARISTOTELIS

STAGIRITAE

Metaphysicorum,

Liber Sextus.

CAPVT I.



PRINCIPIA, & causæ entium quærentur, & patet, quod prout entia sunt. Est enim aliqua sanitatis, bonæq; habitudinis causa. Mathematicorum quoq; principia, elementa, & causæ sunt. Et simpliciter omnis intellectualis scientia, siue aliquo modo intellectu participans, circa causas, & principia, aut certiora, aut simpliciora est. Attamen hæc omnes circa vnum quid, & quoddam genus circumscribentes, de eo tractant, sed non de ente simpliciter, nec prout ens est, neq; ipsius quid est, vllam rationem faciunt: sed ex hoc, quædam sensu illud manifestum facientes, quædam suppositione ipsum quid est accipientes, consequenter ea, quæ per se generi insunt, circa quod sunt, aut magis necessariò, aut debilius demonstrant. Quare manifestum est, non esse demonstrationem substantiæ, ipsiusve quid est ex ipsa inductione, sed alium aliquem manifestationis modum. Similiter autem nec si est, aut non est genus, circa quod tractant, quicquam dicunt, eò quod eiusdem intelligentiæ est, & ipsum quid est manifestare, & si est hoc. Cum autem physica etiam circa quoddam entis genus scientia sit, (etenim, circa talem substantiam est, in qua prin-

cipium est motus, & status, qui in ea est) patet, quod nec actiua, nec factiua est. Factiuarum etenim in faciente principium est, aut intellectus, aut ars, aut aliqua potentia: actiuarum verò, in agente electio. idem enim agibile, & eligibile. Quare si omnis intellectus, aut actiuus, aut factiuus, aut speculatiuus est, physica speculatiua quædam profectò est, sed speculatiua circa tale ens, quod possibile moueri, & circa substantiam secundum rationem ut plurimum inseparabile, solum est. Oportet autem, ut non lateat, quomodo ipsum quid erat esse, & ratio fit. nã absq; hoc quærere, nihil est facere. Sed definitorum igitur, & ipsorum quid est, quædam quidem ita sunt, ut ipsum simum: quædam, ut ipsum concuum. Differunt autem hæc, quoniã simum quidem, vnã acceptum est cum materia. Est enim simum, concuum nasus: concuitas verò absque materia sensibili. Si cuncta igitur physica ita ut simum dicuntur, ut nasus, oculus, facies, caro, os, & omnino animal, folium, radix, cortex, omnino planta, (nullius enim eorum ratio absq; motu, sed semper habet materiam) manifestum est, quomodo in Physicis oportet ipsum quid est quærere, & definire, & cur etiam de quadam anima speculatiua, physici est, quæcumque non sine materia. Quod igitur physica speculatiua est, ex his patet. Sed & mathematica speculatiua est. Verum si immobiliū, & separabiliū, adhuc non

non est manifestum: quod autem aliqua mathematica, prout immobiliā, & prout separabilia sunt, speculatur, dilucidum est. Quod si quippiã est immobile, & perpetuum, & separabile, patet quod speculatiua est cognoscere, & non physica (de mobilibus nanque quibusdam physica est) nec mathematica, sed prioris ambabus. Physica etenim circa inseparabilia quidem, sed non immobiliā: mathematica verò nonnulla sunt circa immobiliā quidem, non tamen separabilia fortasse, sed ut materia: prima verò etiã circa separabilia, & immobiliā. Necessesse autē est, omnes quidem causas perpetuas esse, maxime verò has: hæc etenim causæ manifestius diuinorum sunt. Quare tres utique erunt speculatiua philosophiæ, mathematica, physica, theologia. Manifestum est enim, quod sicubi diuinū existit, in tali natura existit. Et honorabilissima oportet circa honorabilissimum genus esse. Speculatiua itaque aliis scientiis præponendæ sunt, hæc verò speculatiuis. Dubitauerit etenim aliquis, vtrum prima philosophia vniuersalis sit, an circa aliquod genus, & vnam naturam. Non enim idem modus est, atque in mathematicis. Sed geometria quidem, & astrologia, circa quandam naturam sunt: illa verò vniuersaliter omnibus communis est. Si igitur non est aliqua alia substantia, præter eas, quæ naturam consistunt, physica profectò prima scientia est. Quod si est aliqua substantia immobilis, hæc prior, & philosophia prima, & vniuersalis sic, quod prima: & de ente, prout ens est, ac quid est, & quæ ei insunt, prout ens est, speculatiua, huius est.

CAPVT II.



Ed cum ens illud, quod simpliciter dicitur, multipliciter dicatur, quorum vnum quidem erat, quod secundum accidens, aliud verò quod ut verum, & non ens ut falsum: præter hæc autē sunt prædicationis figuræ, ut quid, quale, quantum, vbi, quãdo, & si quid aliud hoc modo significat. Item præter hæc omnia, quod potentia, & actu. Cum itaque ens multipliciter dicatur, primò de eo, quod secundum accidens est, dicendum, quod nulla circa illud speculatio est. Signum autem, quod nulli scientiæ curæ est illud, neque actiue, neque actiua, neque speculatiua: nec enim qui facit domum, facit simul quæ accidunt domui factæ: infinita nanque sunt. Quibusdam enim delectabilem, quibusdam noxiam, quibusdã vtilem, nihil prohibet factam esse, & (ut ita dicam) ob eas res omnes esse aliam, quarum nullius factiua est. Aedificatiua simili modo: nec geometria ea, quæ ita figuris accidunt, speculatur, nec si diuersus, triangulus, & triangulus duos rectos habens. Et hoc rationabiliter contingit: nam quasi nomine solum, ipsum accidens est. Quare Plato non malè quodam modo circa Sophisteam, ipsum non ens applicuit. Sophistarum etenim rationes, circa accidens, ut ita dicam, maxime omnium sunt, vtrum diuersum, an idem, musicum & grammaticum: & musicus Coriscus,

ac Coriscus: & si omne, quod est, non autē semper, factum est. Quare si musicus existens grammaticus factus est, & grammaticus, existens musicus: & quæcumque alia orationum, tales sint. Videtur etenim accidens, propinquum quiddã esse non enti. Hoc autem ex his etiam orationibus, manifestum est. Eorum etenim, quæ alio modo se habent, est generatio & corruptio, eorum autem, quæ secundum accidens, non est. Attamen dicendum est amplius de accidente, quoad possibile est, quoniam eius natura sit, & ob quam causam est: simul autē patebit, & cur eius scientia non est. Cum igitur in entibus sint quædam semper similiter se habentia, & ex necessitate, non ea, quæ secundum vim dicitur, sed quam dicimus, eò quod non contingit aliter, quædam ex necessitate quidem non sunt, nec semper, sed ut plurimum, hoc principium, & huius causa est, ut accidens sit. Quodcumque enim non semper, neque ut plurimum est, hoc dicimus accidens esse: vtputa, si sub Cane tempestas & frigus factum fuerit, hoc dicimus accidisse: non si æstus, aut calor: quoniam hoc quidem semper, aut ut plurimum: illud verò, non. Hominem quoque album esse, accidit: nec enim semper, nec ut plurimum, animal verò, non secundum accidens. Et fabrum sanitatem fecisse, accidens est, quoniam non est aptus ad sanitatē faciendam faber, sed medicus: verum accidit, fabrum esse medicum. Cocus etiam voluptati intentus facit quicquam salubre, sed non secundum pulmentariam. Vnde dicimus, quod accidit. Et quodam modo quidem facit, simpliciter verò minimè. Illorum etenim alia quandoque factiua potentia sunt, horum verò nulla ars, nullaque potētia determinata est. Eorum enim quæ secundum accidens aut sunt, aut fiunt, causa quoque secundum accidens est. Quare cum non omnia ex necessitate, & semper aut sint, aut fiant, sed multa ut plurimum, necesse est esse, quod secundum accidens est: vtputa, nec semper, nec ut plurimum albus musicus est. Cum autem aliquando fiat, secundum accidens erit: quod si non, cuncta ex necessitate erunt. Quare materia erit causa contingens eius, quod aliter accidit, quàm illud, quod ut plurimum est. Principium autem hoc sumendum est: vtrum nihil est, quod nec semper, nec ut plurimum, an hoc impossibile? Præter hæc igitur, aliquid est, quod utcumque contingit, & secundum accidens: sed vtrum, quod ut plurimum, quodve semper nulli inest, an aliqua sunt sempiterna, de his sanè posterius considerandum est. Quod autem non est accidentis scientia, patet. Omnis enim scientia eius est, quod aut semper, aut ut plurimum est. Quomodo enim discet, aut aliū docebit? Oportet enim ut determinentur, aut per semper, aut per ut plurimum: vtputa, febricitanti, proficuum melicratum est ut plurimum. Quod verò præter hoc est, non habebit dicere quando non, ut in nouilunio: nam etiam in nouilunio, aut semper, aut ut plurimum, accidens verò, præter hæc est. Quid itaque accidens est, & ob quam causam, & quod non est eius scientia, dictum est.

Quod autem sint principia, & causæ generabiles, & corruptibiles, absque eo, quod generentur, & corrumpantur, manifestum est. Etenim si non hoc, ex necessitate omnia erunt, si eius, quod generatur, & corrumpitur, non secundum accidens causam aliquam necesse sit esse. Vtrum enim erit hoc, an non. Si hoc, fiet: si vero non, minimè: hoc verò, si aliud. Et hoc modo videlicet (tempore semper dempto à tempore finito) deuenies vsque ad nunc. Quare hic morietur ægritudine, aut vi, si exiuerit. hoc autem, si aliud. Et sic deueniet ad id, quod nunc est, aut aliquid eorum, quæ facta sunt: vtputa, si sitiuerit. hoc verò, si comederit acuta. hoc verò, aut est, aut non. quare, necessariò morietur, aut non morietur. Similiter & si quis ad iam facta ascenderit, eadem ratio est. Iam enim hoc, in aliquo est. Dico autem quod factum est. Ex necessitate ergo erunt omnia futura: vt mori, viuentem. Iam enim aliquid factum est, vtputa contraria, in eodè corpore: sed si ægritudine, aut vi, nondum: sed si hoc factum fuerit. Patet igitur, quod vsque ad aliquod vadit principium: hoc verò, nõ amplius ad aliud. Erit igitur hoc eius, quod vtcunque contingit, causaq; generationis eius nulla. Sed in quale principium, & qualem causam talis reductio est, vtrum vt ad materiam, an vt ad cuius gratia, an vt admouens, maximè considerandum est. De eo itaque, quod secundum accidens est, dimittatur. Determinatum enim sufficienter est. Quod autem tanquam verum ens,

& non ens, vt falsum, quoniam circa compositionem, & diuisionem est, & omnino circa partitionem contradictionis (verum etenim affirmationem in composito habet, negationem vero in diuiso, falsum verò huius partitionis contradictionem) quo autem modo quod simul, aut quod separatim est, intelligere accidit, alia ratio est. Dico autem quod simul, & quod separatim, vt non cõsequenter, sed vt vnum quid fiat. Non enim est falsum, & verum in rebus, (vt quod bonum verum: quod verò malum, falsum) sed in in mente: quæ verò circa simplicia, & circa ea, quæ quid sunt, non quidem sunt in mente. Quæcunque igitur speculari oportet circa id, quod ita ens & non ens est, posterius perscrutandum est. Cùm autem compositio, & diuisio in mente, non in rebus sit, quod profectò ita est, diuersum à propriè dictis, ens est. Aut enim quod quid est, aut quod quale, aut quod quantum, aut si quid aliud, copulat, aut diuidit mens. Quod autem tanquam accidens, & vt verum ens omittendum est: causa enim illius quidem determinata: huius verò, mentis aliqua passio: & ambo circa reliquum entis genus, & non extrà ostendunt esse aliquam entis naturam. Propter quod, hæc quidem prætereantur. Considerandæ autem sunt ipsius entis causæ, & principia, prout ens est. Manifestum autem est in iis, quæ determinauimus de eo, quoties vnumquodque dicitur, quod ens multipliciter dicitur.

ARISTOTELIS STAGIRITAE Metaphysicorum, Liber Septimus.

CAPVT I.

ENS multipliciter dicitur, quemadmodum in iis, quæ de quoties prius diuisimus. Significat enim aliud quid quid est, & quod quid: aliud verò, quod quale, aut quantum, aut singula aliorum, quæ ita prædicantur. Cùm autem ens toties dicatur, patet primum horum ens esse ipsum quid est, quodque substantiam significat. Cùm enim si dicimus quale quippiam hoc, aut bonum dicimus, aut malum: sed non tricubitus, aut hominem. Cùm autem quid est, non album, nec calidum, nec tricubitus, sed hominem, aut Deum: cætera verò entia dicuntur, eò quod entis propriè dicti quædam sunt quantitates, quædam qualitates, quædam passiones, quædam aliquid aliud tale. Vnde dubitauerit aliquis, vtrum ipsum am-

bulare, & sanum esse, ac sedere, & vnumquodque horum, ens, an non ens est: similiter & de quocunque cæterorum similium. Nihil enim horum est per se natura aptum, neque possibile à substantia separari: sed magis, siquidem ambulans entium aliquid, & sedens, & sanum. Hæc autem magis entia apparent, quoniam subiectum eis determinatum est: hoc autem substantia, & singulare est, quod in tali prædicatione apparet. Bonum enim, aut sedens, absque hoc non dicitur. Patet igitur, quod propter hanc, illorum quoque singula sunt. Quare quod primò est ens, & non aliquod ens, sed simpliciter ens, substantia. Multis quidem modis primum dicitur, attamen substantia, & ratione, & cognitione, & tempore, & natura, omnium primum est. Aliorum enim categorematum nullum est separabile, sed hæc sola: ratione quoque hoc primum: necesse est enim in cuiusque ratione inesse rationem substantiæ. Scire etiam tunc putamus

ramus vnumquodque magis, cùm quid est homo, aut ignis sciamus, quàm quale, aut quantum, aut vbi. Nam & horum ipsorum tunc vnumquodque scimus, cùm quid est ipsum quale, aut ipsum quantum sciamus. Quod quoque tam olim, quàm tunc, & semper quæritur, semperque dubitatur, quidnam ipsum ens sit, hoc est, quænam substantia est: hoc enim quidam vnum aiunt esse, quidam plura quàm vnum: & quidam finita, quidam verò infinita. Quare nobis quoque maximè & primum, & solum (vt ita dicam) de ente hoc pacto, quidnam sit, speculandum est.

CAPVT II.

Videtur autem substantia existere, manifestissimè quidem in corporibus. Quare animalia, & plantas, & eorum partes, substantias esse dicimus, ac naturalia corpora, vt ignem, aquam, & terram, cæterorum quoque singula, & quæcunque aut horum partes, aut ex his sunt, aut partibus, aut omnibus: vt cælum, & eius partes, sydera, Luna, & Sol. Vtrum autem hæc solæ substantiæ sint, an etiam aliæ, an harum quidem nulla, sed aliquæ aliæ, considerandum est. Videtur autem quibusdam, corporis terminos, vt superficiem, lineam, punctum, & vnitatem substantias esse, & magis quàm corpus, & solidum. Item, præter sensibilia, quidam non putant aliquid esse tale: quidam plura, & quæ magis sempiterna sunt: sicuti Plato, & ipsas species, & mathematica, duas substantias: tertiam verò, sensibilibus corporum substantiam. Speusippus verò etiam plures substantias ab vno incipiens, & principia cuiusque substantiæ, aliud numerorum, aliud magnitudinum, deinde animæ: & hoc modo extendit substantias. Quidam autem, species quidem, & numeros eandem habere naturam aiunt: cætera verò sequentia, lineas, & superficies, vsque ad cæli substantiam, & sensibilia. De his igitur quid bene, quidve non bene dicatur, & quæ substantiæ sint, & verum aliquæ præter sensibiles sint, necne, & hæc quomodo sint, & vtrum est aliqua separata substantia, & cur, & quomodo, an nulla præter sensibiles, perscrutandum est, descripta primò substantia, quidnam sit.

CAPVT III.

Dicitur autem substantia, si non pluribus, saltem quatuor modis. Maximè etenim quod erat esse, & vniuersale, & genus, substantia cuiusque esse videtur: & quartum, subiectum. Subiectum autem est, de quo cætera dicuntur: illud verò non amplius de alio. Quare primò de eo determinandū est. Maximè nanque substantia, subiectum primum esse videtur. Tale verò, quodam modo quidem materia dicitur, quodam modo verò forma: tertium verò, quod ex his est. Dico autem materiam quidem, vt æs: formam autem, figuram ideæ: quod verò ex his est, totam statuat. Vnde si species prior materia est, & ma-

gis ens, illud quoque, quod ex ambobus est, prius erit, ob similem rationem. Nunc itaque quidnam substantia sit, quasi in figura dictum est, quod non de subiecto, sed de quo cætera. Oportet autem, non ita solum: non enim sufficiens est. Et hoc nanque ipsum, non est manifestum. Et item, materia, substantia est. Nam si hæc nõ est substantia, quæ alia esset, fugeret nos. Demptis etenim cæteris, nihil aliud remanere videtur: cætera nanque, passiones corporum, & effectiones, & potentia sunt: longitudo verò, latitudo, & profunditas, quantitates quædam, sed non substantiæ sunt. Quantitates etenim non est substantia, sed magis cui hæc ipsa primo insunt, illud est substantia. Enimvero ablata longitudo, latitudine, & profunditate, nihil videmus reliquum, nisi si quid est, quod ab eis determinetur, vt ita considerantibus, materiam solam necesse sit apparere substantiam. Dico autem materiam, quæ per se ipsam, neque quid, neque quantum, nec aliquid aliud quippiam dicitur, quibus ens determinatur. Est enim quid, de quo singula horum prædicatur: cui esse, ac cuique prædicationum, diuersum est. Cætera nanque de substantia prædicantur: hæc verò, de materia. Quare quod vltimum est per se, neque quid, neque quantum, nec aliquid aliud est, neque etiam negationes: etenim hæc quoque, secundum accidens erunt. Ex his itaque, speculantibus, accidit substantiam esse materiam. At impossibile est: etenim separabile, & quod quid esse, videntur maximè inesse substantiæ: propter quod species, & quod ex ambobus, videtur esse substantia magis, quàm materia. At illa substantia, quæ ex ambobus, dico autem quæ ex materia, & forma est, omittenda est. Posterior enim, & manifesta est, manifesta verò, quodam modo etiam ipsa materia. At de tertio considerandum est: hæc enim maximè dubitabilis. Conceditur autem, quædam esse substantias sensibiliū: quare in his primū quærendum est.

CAPVT IIII.

Vm autem in principio diuiserimus quot modis substantiam determinamus, ac horum vnum quiddam esse videatur, quod quid erat esse, de eo considerandum est. Prodest etenim transcendere ad notius. Ita nanque disciplina fit omnibus, per minùs nota naturā, ad magis nota. Et hoc opus est, vt in actibus ex eis, quæ cuique sunt bona facere, quæ simpliciter bona sunt, sint cuique bona. Ita ex sibi notioribus, quæ natura nota sunt, sibi facere nota. Quæ autem singulis nota, & prima, sæpenumero parum nota sunt, & parū, aut nihil entis participant. Attamen ex eis, quæ parum nota, sibi tamen nota sunt, conandum est cognoscere, quæ simpliciter nota sunt, per hæc ipsa (vt dictum est) transcendentibus. At primò quædam de eo logicè dicemus: quod illud est, quod quid erat esse vnumquodque, quod secundum se dicitur. Etenim tibi esse, non est musico esse. Non enim secundum te ipsum musico esse. quod ergo, secundum te ipsum. Nec tamen hoc

totum. Nec enim illud, quod ita secundum se est, ut superficies alba: quoniam superficiei esse, non est albo esse. At verò, nec quod ex ambobus est superficiei albæ esse. Quare? quoniam hæc inest. In qua ergo ratione ipsum dicente, non inerit ipsum, hæc ratio eius, quod quid erat esse cuique. Quare si superficiei albæ esse, est superficiei læui esse, albo & læui esse, vñ, & idem est. Cum autem secundum cætera quoque prædicamenta composita sint (est enim aliquod subiectum cuique, ut qualitati, & quantitati, & quando, & vbi, & motui) perferendum est vtrum est ratio eius quod quid erat esse cuique horum, & vtrum inest etiã ipsum quod quid erat, ut homini albo, quid erat albo homini. Sic autem nomen eius, vestis, quid est vesti esse? At verò, nec eorum est, quæ secundum se dicuntur. An hoc non secundum se dupliciter dicitur? & huius, est hoc quidem ex additione, istud verò non. Hoc enim dicitur, eò quod ipsum, quod definitur, alteri adiicitur: ut puta, si albo esse, definiens dicit albi hominis rationem: istud verò, eò, quod aliud ipsi: ut si vestis album hominem significat, ille verò definiat vestem ut album. Quod autem est albus homo, est album quid, non tamen quid erat esse albo homini, sed vesti esse. Vtrum quod quid erat esse, est quid, aut simpliciter, an nõ? Ipsum enim quod quid erat esse, est ipsum quid erat esse. Cum verò aliud de alio dicatur, non est ipsum quod quid: ut homo albus, non est quod quid: si ipsum quidem quod quid, substantiis solis inest: quare quod quid erat esse illorum est, quorumcunque ratio est definitio. Definitio autem est, non si nomen idem, quod oratio significet, (omnes etenim sermones, definitiones essent. Frit nanq; nomen idem cuiusque sermoni, quare & Ilias definitio erit) sed si primi alicuius sit. Talia verò sunt, quæcunque dicuntur, non eò quod aliud de alio dicatur. Non ergo vlli eorum, quæ non sunt species generis, inerit quod quid erat esse, sed his solùm: hæc enim videntur, non secundum participationem, & passionem, nec ut accidens dici. Sed oratio quidem cuiusque etiam aliorum erit quid significat, si nomen sit, quod hoc huic inest: aut pro simplici oratione, certior, definitio verò non erit, neque quod quid erat esse. An definitio quoque, ut & ipsum quid est, multipliciter dicitur? Etenim ipsum quid est, vno quidem modo substantiam, & quod quid significat: alia verò, singula eorum, quæ prædicantur, quantitatem, qualitatem, & quæcunque cætera talia sunt. Quemadmodum enim & ipsum est inest quidem omnibus, non tamen similiter, sed huic quidem primò, illis verò consequenter: ita & quod quid est, simpliciter substantiæ, cæteris verò quodam modo. Etenim interrogare possumus, quid est ipsum quale. Quare & ipsum quale est eorum, quorū est quid est: non tamen simpliciter, sed sicut de non ente, Logicè quidã aiunt esse ipsum non ens, non simpliciter, sed non ens, ita & ipsum quale. Oportet igitur & considerare, quomodo de quocunque dicere decet, non tamen magis, quàm quo-

modo se habet. Quare nunc quoque cum manifestum, quod dicitur, sit, ipsum etiam quod quid erat esse, similiter inerit primò quidem, & simpliciter substantiæ, deinde cæteris, sicut & ipsum quid est: non simpliciter quid erat esse, sed qualitati, aut quãtitati quid erat esse. Oportet etenim, aut æquiuocè ista esse, aut cum additione, vel ablatione: sicut & quod non scibile, scibile. Nam rectius est neque æquiuocè dicere, neque eodem modo: sed quemadmodum medicinale, eò quod ad idem quidem & vnum, non autem idem & vnum, non tamen etiam æquiuocè. Nullum etenim medicinale corpus, opus, & vas dicitur æquiuocè, neque secundum vnum, sed ad vnum: sed hæc quidem quomodocunq; dicere quis velit, nihil differt. Illud autem manifestum est, quod quæ primò & simpliciter definitio, & quod quid erat esse, substantiarum est: at cæterorum quoque similiter est, non tamen primò. Non enim est necesse, si hoc ponamus, huius definitionem esse quodcunque oratione idem significat, sed quod aliqua oratione, hoc autem si vnus sit, non continuatione, sicuti Ilias, aut quæcunq; coniunctione, sed si quoties dicitur vnum. Vnum autem dicitur, sicuti & ens. Ens autem quoddam, ipsum quod quid, quoddam, quantum, quoddam quale quid significat. Quare & albi hominis erit oratio & definitio: alio verò modo, & albi & substantiæ,

CAPVT V.

Habet autem dubitationem, si quis non dicat definitionem esse eam, quæ ex additione fit, oratione: cuius erit definitio non simplicium, sed copulatum? Ex additione enim necesse est manifestare. Dico autem, ut puta, est nasus, & concavitas, & simitas, quod ex ambobus dicitur: eò quod hoc, in hoc, & non secundum accidens: neque concavitas, neque simitas, passio nasi, sed secundum se: nec ut album Calliæ, aut homini, quoniam Callias albus, cui accidit homini esse: sed ut masculinum animali, & æquale quanto, & cuncta, quæ per se esse dicuntur, hæc sunt, in quibus inest aut ratio, aut nomen eius, cuius hæc passio est: & non contingit, separatim ostendere, sicuti album absque homine contingit: sed non fœmininum, absque animali. Quare istorum, quod quid erat esse, & definitio, aut nullius est, aut si est, aliter est, quàm quemadmodum diximus. Est autem alia quoque de eis dubitatio. Si enim idem simus nasus, & concavus nasus, idem erit simum, & concavum: quod si non, propterea quod impossibile est dicere simum absq; ipsa re, cuius per se passio est, & simum erit concavitas in naso, nasum simum aut non est dicere, aut bis idem erit dictum nasus nasus concavus. Nasus nanque simus, nasus nasus concavus erit. Propter quod, inconueniens est talibus inesse, quod quid erat esse: quod si non, in infinitum progredietur. Naso nanque, naso simo aliud inerit. Patet igitur, quod solius substantiæ definitio est. Si enim & cæterorum quoque prædicamentorum, necesse ex additione esse, ut qualitatatis,

litatis, & imparis: non enim sine numero: nec huius, quod est fœmininum, sine animali. Ex additione autem dico, in quibus accidit bis idem dicere, sicut in istis. Quod si hoc verum est, neq; copulatum erit: utpote, numeri imparis. Sed latet, quod nunc non accuratè dicuntur orationes. Si autem & istorum sunt definitiones, aut alio modo sunt, aut (sicuti dictum est) multipliciter est dicendum definitionem, & quod quid erat esse. Quare quodam modo quidem nullius erit definitio, nulliq; inerit, quod quid erat esse, nisi substantiis, quodam modo verò erit. Quod igitur definitio est ipsius quid erat esse oratio, & quod quid erat esse, aut substantiarum solùm est, aut maximè primò & simpliciter, manifestum est.

CAPVT VI.

Vtrum autem idem est, an aliud ipsum quid erat esse, & vnumquodque, per scrutandum. Proderit etenim aliquid, ad considerationem de substantia. Nam & vnumquodque non videtur aliud esse à sua substantia: & ipsum quid erat esse, dicitur esse vnus cuiusque substantia. De his igitur, quæ secundum accidens dicuntur, videri possit aliud esse: ut puta, albus homo aliud est, & albo homini esse. Si enim idem homini esse, & albo homini idem: idem nanque homo, & albus homo, ut aiunt: quare & albo homini, & homini. An non necesse est quæcunque secundum accidens, eadem esse? Non enim extrema, similiter eadem fiunt. Sed fortassis illud videatur accidere, extrema eadem secundum accidens fieri: ut puta, albo esse, & musico esse. Videtur autem minimè. De his autem, quæ per se dicuntur, semper necesse est eadem esse: ut si quæ substantiæ sunt, quibus diuersæ substantiæ non sunt, nec aliæ naturæ priores, quales aiunt aliqui esse ideas. Si enim erit aliud ipsum bonum, & bono esse: & animal, & animali esse: & enti, & ipsum ens: erunt & aliæ substantiæ, & naturæ, ac ideæ præter eas, quæ dicuntur: & illæ priores substantiæ, si ipsum quod quid erat esse, substantiæ est. Et si absolutæ ab se inuicem, harum quidem non erit scientia, illæ verò non erunt entia. Dico autem absolui, si nec ipsi bono est esse bono: nec huic, esse bonum. scientia nanque cuiusque hæc est, quod quid erat illi esse, & de bono, & de cæteris similiter se habet. Vnde si neque ipsi bono esse bonum, nec ipsi enti ens, nec ipsi vni vnum, similiter autem omnia sunt, certè nihil est quod quid erat esse: quare si nec ipsi enti ens, nec aliorum alicui. Item, cui non inest bono esse, non bonum est: necesse est igitur, vnum esse bonum, & bono esse, & honestum & honesto esse, quæcunq; non per aliud dicuntur, sed prima, & per se. Etenim hoc sufficiens est, si existit, etiam si non sint species: fortassis autem magis, si species sint. Simul autem patet etiam, quod si ideæ sint, quales eas quidã aiunt, quod etiam non erit subiectum substantia. Has enim substantias quidem, necesse est non de subiecto quidem esse: essent enim secundum participationem. Ex his itaque rationibus, vñ

& idem est non secundum accidens ipsum vnumquodque, & quod quid erat esse: & quod scire vnumquodque, hoc est, ipsum quid erat esse, scire: quare, secundum expositionem necesse est vnum quiddam, ambo esse. Quod autem secundum accidens dicitur, ut musicum, aut album, propterea quod duplex significat, non est verum dicere, quod idem sit, quod quid erat esse, & ipsum. Etenim cui accidit album, & accidens. Quare quodam modo quidem est, quodam modo verò non est idem, quod quid erat esse, & ipsum: homini nanque, & albo homini, non est idem: passione verò, idem. Absurdum autem apparet, & si quis vniciq; ipsorum quid erat esse, nomen imponat. Erit nanque etiam præter illud, aliud, quod quid erat esse equo: at verò quid prohibet nunc quoque è vestigio esse quoddam quid erat esse, si substantia quidem est, quod quid erat esse? Enimvero non solum vnum, sed ratio etiam eorū eadem, ut ex dictis patet. Non enim secundum accidens vnum vni esse, & ipsum vnum. Item, si aliud erit, in infinitum procedet. Etenim hoc quidem erit, quid erat esse vni esse: illud verò, vnum. Quare de illis quoque eadem ratio erit. Quod igitur de primis, & quæ per se dicuntur, vnicique esse, & vnumquodque idem, & vnum est, patet. Sophisticæ autem ad hanc positionem redargutiones, manifestum est, quod eadem solutione soluantur: & si idem Socrates, & Socrati esse. Nihil enim differt, nec ex quibus aliquis interrogauerit, nec ex quibus soluens obtinerit. Quo igitur modo idem cuique est, quod quid erat esse, & quomodo non idem, dictum est.

CAPVT VII.

Orum autem, quæ fiunt, quædam naturæ, quædam arte, quædam à casu fiunt: omnia verò, quæ fiunt, & ab aliquo, & ex aliquo, ac aliquid fiunt. Aliquid vero dico, secundum quodque prædicamentum. Aut enim hoc, aut quantum, aut quale, aut vbi. Generationes verò naturales quidem hæ eorum sunt, quorum generatio ex natura est. Ex quo autem fit, ea est, quam materiam dicimus: à quo verò quippiam, eorum est, quæ natura sunt: ipsum autem aliquid, homo, aut planta, aut quicquam aliud similem, quæ maximè dicimus substantias esse. Cuncta verò, quæ aut natura, aut arte fiunt, habent materiam. Possibile enim est esse, & non esse, eorum vnumquodq;. Hoc autem cuique materia. Vniuersaliter verò, & id, ex quo natura, & illud, per quod natura. Quod enim fit, habet naturam, ut plàta, aut animal. Et à quo, natura, quæ secundum speciem dicitur, quæ eiusdem speciei est: hæc autem, in alio est: homo nanque hominem generat. Sic igitur fiunt, quæ ob naturam fiunt: cæteræ verò generationes, dicuntur effectiones. Omnes autem effectiones, aut ab arte, aut à potestate, aut ab intellectu. Harum autem quædam etiam à casu fiunt, & à fortuna, perinde, atque in iis, quæ à natura fiunt. Quædam enim & illhic, eadem & ex femine, & absque femine fiunt. De his itaq; po-

stetã considerandũ est. Ab arte autem fiunt, quorum species in anima. Speciem autẽ dico, ipsum quid erat esse vniuscuiusque, & primam substantiam. Etenim contrariorum quodam modo eadem species est. Priuationis nanque substantia, opposita substantia: vt sanitas, egritudinis. Illius enim absentia, ostenditur ægritudo. Sanitas vero est ratio, quæ in anima, & in scientia est. Fit itaq; sanũ, ita intelligente. Cũ hoc sanitas sit, necesse est, si sanitas erit, hoc fieri: vtputa, equalitatem; quod si hoc, caliditatẽ. Et ita semper intelligit, donec redigat in illud, quod ipse potest vltimũ facere: deinde motus, qui iam post hæc fit, effectio ad sanitatem appellatur. Quare quodam modo ex sanitate sanitate accidit fieri, & domũ ex domo. Quæ sine materia, eam, quæ habet materiã. Ars enim medendi, & ædificandi, est species sanitatis, & domus. Dico autẽ substantiam absq; materia, quod quid erat esse. Generationum autẽ, & motuum, hæc quidem intellectio, hæc verò effectio vocatur: quæ quidem à principio & specie, intellectio: quæ verò ab vltimo, ipsius intellectio effectio. Similiter autẽ & in cæteris mediis vnumquodque fit. Dico autem, vtputa, si conualescet, oportet adæquari. Quid igitur est adæquari? hoc autem erit, si calescet. Hoc autem quid est? hoc quidem. Hoc autem potestate inest, hoc verò iam in ipso est. Faciens igitur, & vnde conualescendi motus incipit, si ab arte, species est, in anima. Quod si à casu, ab eo, quod est faciendi principium illi, qui ab arte facit: sicut fortassis & in medendo principium à calefaciendo fit. Hoc autem facit, fricatione. Calor itaque in corpore, aut pars sanitatis, aut sequitur eum aliquid tale, quod est pars sanitatis, aut plura. Hoc autem vltimum faciens, & quod ita pars est sanitatis, & domus, & aliorũ, vt lapides. Quare quemadmodum dicitur, impossibile est fieri, si nihil præexistat. Quod sanè pars ex necessitate existet, patet. materia nanq; pars: inest etiam hæc, & fit. Sed vtrum eorum etiã est, quæ in ratione? vtroque quidẽ modo dicimus multos circulos quidnam sint, & materiã dicentes, quod æs, & speciẽ quod talis figura: & hoc est genus, in quo primo ponitur: æneus autem circulus, habet in ipsa ratione materiã. Ex quo verò, tanquã materia, fiunt aliqua, dicitur, cum fit non illud, sed illiusmodi: vt statua, non lapis, sed lapidea. Homo autẽ conualescens, non dicitur illud, ex quo. Causa verò est, quia fieri contingit ex priuatione, & subiecto, quod dicimus materiã: vtputa, & homo & ægrotus fit sanus. Magis tamen dicitur ex priuatione fieri, veluti ex ægroto sanus, quã ex homine. Quare sanus, ægrotus quidem nõ dicitur, sed homo, & sanus. Quorũ verò priuatio incerta, & innominata est, vt in ære cuiuscunq; figuræ, aut in lateribus, & lignis domus, ex his nõ dicentur fieri, sicuti illhic ex ægroto. Quare sicut nec ibi ex quo, hoc non dicitur illud: nec hic, statua lignum: sed deriuatiuè dicitur lignea, non lignum: & ænea, non æs, & lapidea, & non lapis: & domus lateritia, sed non lateres: cũ neq; tanquam ex ligno fit statua, aut ex lateribus do-

mus, (si quis accuratè inspexerit) profectò simpliciter dicit: propterea q̄ oporteat fieri, mutato ex quo, sed nõ permanete. Propter hoc igitur, sic dicitur.

CAPVT VIII



Vm autẽ & ab aliquo fiat, quod fit (hoc autem dico vnde generationis principiu est) & ex aliquo: fit autem hoc non priuatio, sed materia, (iam enim determinatum est, quemadmodum hoc dicitur,) & quod fit, hoc autẽ est, aut sphaera, aut circulus, aut quodcunq; cæterorum euenit, sicuti neq; subiectum facit ipsum æs, ita neq; sphaeram, nisi secundum accidens, quia ænea sphaera, sphaera est: illã autẽ non facit. Hoc aliquid enim facere, ex omnino subiecto, hoc facere est. Dico autem quod æs facere rotundum, non est ipsum rotundum, aut sphaerã facere, sed aliquid aliud, vtputa speciem hanc in alio. Si enim facit, ex aliquo alio profectò facit. Hoc enim supponebatur, vtputa facere æneã sphaeram. Hoc autẽ ita, quia ex eo, quod æs, hoc facit quod sphaera est. Si igitur & hoc ipsum facit, patet quod similiter faciet, & generationes in infinitum procedent. Manifestum igitur est, quod neq; species fit, aut quodcunq; nominare oportet formã, quæ in sensibili, nec est eius generatio, nec est hæc, ipsum quid erat esse. Hoc enim est, quod in alio fit, aut ab arte, aut à natura, aut potetia: æneã verò sphaeram, esse facit. Facit nanque ex ære & sphaera: in hoc enim hanc speciem facit: & hoc est sphaera ænea: hoc autẽ sphaeræ esse: Eius verò, quod est sphaeræ, esse, omnino si generatio est, ex aliquo aliquid erit. Oportebit nanque, diuisibile semper esse, quod fit: & esse, hoc quidẽ hoc, illud verò, hoc. Dico autẽ, quod hoc quidẽ materiã: illud verò, speciẽ. Si itaq; sphaera est figura, quæ à medio equalis est, huius hoc quidẽ est, in quo erit, quod facit illud autẽ, in illo. totum verò, quod factũ est, vtputa ipsa ænea sphaera. Manifestũ igitur ex dictis est, q̄ illud quidẽ, quod vt species, aut substantia dicitur, nõ fit: copulatio verò, quæ secundũ hanc dicitur, fit: & quod in omni, quod fit, materia inest: & est hoc quidem hoc, illud verò hoc. Vtrum igitur est aliqua sphaera præter has, an domus præter lateres? an nec factũ fuisset vnquã, si ita esset quod quid, sed quoniã tale significat? Hoc autẽ & terminatum non est: sed facit, & generat ex hoc, tale: & cum generatũ est, est hoc tale? totum autẽ hoc, Callias, aut Socrates est, sicuti sphaera ænea hæc, homo verò, & animal sicuti sphaera ænea simpliciter. Patet ergo, quod specierum causæ (quemadmodum quidam dicere solent species) si aliquæ sunt, præter singularia, ad generationes, & substantias nihil profunt: nec sunt propter has, substantiæ secundum se. In quibusdam etenim etiam manifestum est, quod generans tale est, quale quod generatur: non tamen idem, nec vnũ numero, sed vnũ specie: vt in naturalibus, (homo nanq; hominẽ generat) nisi quid præter naturam fiat: vt equus, mulum: & hæc quoq; similiter. Quod enim est eõmune equo, & asino, nõ est nominatũ propinquissimũ genus: fuerint autem ambo fortassis

vti mulus. Quare patet, quod non oportet tanquam exemplar speciem ponere: in his etenim maximè quærentur. Hæ enim maximè substantiæ sunt. Sed generans sufficiens est, vt faciat, & causa sit speciei esse in materia: tota verò iam talis species, in his carnibus, & ossibus, Callias, & Socrates: & diuersa quidem, propter materiam, (diuersa etenim) idem autem specie: indiuisibilis nanque species est.

CAPVT IX.



Vbitauerit autẽ aliquis, cur quædam & arte, & casu fiunt, vt sanitas: quædam autem minimè, vt domus. Causa verò est, quod horum quidem materia, quæ principium generationis est, cum faciens sit, & factum aliquid eorum, quæ ab arte sunt, in qua est aliqua pars rei, quædam talis, vt à se ipsa moueatur, quædam non: & huius, quædam sic possibilis est, quædam impossibilis: multa nanque possibilia quidem à se ipsis moueri, sed non sic, vtputa saltare. Quorumcunq; itaque talis materia est, vt lapides, (impossibile est sic moueri, nisi ab alio: sic tamen certè est) & ignis. Propterea quædam non erunt absque eo, qui habet artem, quædam erunt. Ab iis enim mouebuntur, quæ non habent quidem artem, moueri verò possunt ipsamet, aut ab aliis nõ habentibus artem, aut ex parte. Manifestum autem est ex iis, quæ dicta sunt, & quod quodam modo omnia fiunt ex vniuoco, quemadmodum quæ naturã sunt, aut ex parte vniuoca, vt domus ex domo, aut ab intellectu: ars enim species est, at ex parte, aut habente aliquam partem, si non secundum accidens fiat. Causa enim faciendi prima secundum se, pars: calor enim in motu, calorem in corpore facit. Hic verò aut sanitas est, aut pars, aut sequitur eum aliqua sanitatis pars, aut ipsa sanitas. Quare & dicitur facere, quia illud, quod sequitur, & cui accidit calor, sanitatem efficit. Quare sicut in syllogismis, omnium principium substantia est, (ex ipso enim quid est syllogismi sunt) hic etiam generationes. Similiter se habent & quæ naturã constituta sunt. Semen nanque facit, sicut ea, quæ ab arte sunt. Habet etenim potestate speciẽ, & à quo semen est, quodam modo vniuocum, (non enim omnia ita oportet quærere, sicuti ex homine homo: etenim mulier ex viro: vnde mulus non ex mulo) sed si non læsura fuerit. Quæcunq; verò quorũ materia potest & à se ipsa moueri eo motu, quo semen mouet, à casu, sicut ibi fiunt: quorum autem non, hæc impossibilia sunt aliter fieri, quã ex ipsis. Non autẽ de substantia solũ ostendit ratio non fieri speciem, sed de omnibus primis similiter communis ratio est, vtputa quantitate, qualitate, & aliis prædicamentis. Fit enim, vtputa ænea sphaera, sed non sphaera, nec æs: & in ære fit. Semper nanq; oportet præexistere materiam, & speciem. Ita & de quid est, & de qualitate, & quantitate, & aliis prædicamentis similiter. Non enim fit qualitas, sed quale lignum: nec quantitas, sed quantum lignum, aut animal. Cæterum ex his, proprium substantiæ accipere est, quod necesse est præexistere semper aliã substantiã actu

existentem, quæ facit, vtputa animal si animal fit. Quale verò, aut quantum, non est necesse, nisi si potentia solũ.

CAPVT X.



Vm autẽ definitio oratio fit, omnis autem oratio partes habeat, ac sicuti oratio ad rem, similiter & pars orationis ad partem rei se habeat, dubitatur vtrum oportet partium orationem inesse in oratione totius, an non. In quibusdam enim videntur inesse: in quibusdam verò non. Circuli enim ratio non habet rationem incisionum: ratio verò syllabæ habet rationem elementorum. Atqui circulus diuiditur in incisiones, sicuti syllaba in elementa. Item autem si partes priores sint toto, recti autem acutus est pars, & digitus animalis, prior erit acutus recto, & digitus homine. Videntur tamen ista esse priora: ratione nanque, dicuntur ex istis: & eo quod sint absque inuicẽ, priora sunt. An multis modis dicitur pars? Quorum vnus modus, secundum quantum mensurans. Sed hæc quidem prætermittatur. Ex quibus verò substantia tanquam ex partibus est, hoc considerandũ est. Si igitur hoc quidẽ materia est, hoc verò species, hoc verò ex his, & substantia est materia, & species, & quod ex his, quodã modo quidem materia etiam pars alicuius dicitur, quodam modo verò non: quãdoquidem ex quibus ratio speciei, vtputa cõcauitatis, nõ est pars caro: hæc enim materia, in qua fit: similitatis autẽ pars aliqua est: & totius quidẽ statua pars, æs: eius autem, quod vt species dicitur statua, minimè: dicendũ enim specie, & quatenus speciẽ habet, vnumquodq; materiale verò nunquã secundum se dicendum. Quare circuli quidem ratio non habet eam, quæ incisionum ratio est, sed syllaba eam, quæ elementorum est, quia elementa rationis, partes sunt speciei, & non materia. Incisiones verò horum sic partes tanquam materia, in quibus adueniunt: propinquiores tamen speciei, quã æs, cum in ære rotunditas fiat. Quodam modo verò nec elementa cuncta, in ratione syllabæ inerunt: vtputa, hæc cerea, aut quæ in ære sunt. Iam enim etiam hæc, syllabæ pars sunt, tanquam materia sensibilis. Etenim linea non si diuisa in medietates, corrumpitur, aut homo in ossa, & neruos, & carnes. Propter hoc & ita ex his sunt tanquam ex iis, quæ sunt partes substantiæ, verum tanquam ex materia, & totius quidem sunt partes, speciei verò, & cuius ratio, minimè. Propter hoc, nec in rationibus: quorundam itaq; inerit talium partium ratio, quorundam verò non oportet inesse, nisi sint simul sumpti. Propter hoc enim, nonnullæ ex iis tanquam principiis sunt, in quas corrumpuntur: quædam verò non sunt. Quæcunq; igitur simul sumpta species & materia sunt, vt sumum, aut æneus circulus, illa sanè in hæc corrumpuntur, Quæcunq; non simul cum materia sumuntur, sed absq; materia, vt rationes speciei solũ, hæc profectò nõ corrumpuntur, aut penitus, aut nequaquam ita. Quare illorum quidem principia, & partes, quæ in eis sunt, species verò, neq; partes, neq; prin-

cipia huiusmodi: & propterea lutea statua in lutum corrumpitur, & sphaera in as, & Callias in carnem, & ossa item & circulus in incisiones. Est enim aliquid, quod cum materia sumitur. Aequiuocè nanq; dicitur circulus, & qui simpliciter dicitur, & singuli, propterea quod singulis non sit proprium nomen. Dicta itaq; nunc quoque veritas est, adhuc tamen dilucidius dicamus repetentes. Quaecunque enim rationis partes, & in quas diuiditur ratio, hæc priores, aut omnes, aut aliqua: ratio verò recti non diuiditur in acuti rationem, sed acuti in rectum: utitur namque recto, qui definit acutum: minor etenim recto, acutus. Similiter autem circulus, & semicirculus sese habent. Semicirculus namque circulo definitur: & digitus, toto: talis enim hominis pars, digitus. Quare quaecunque quidem partes ut materia, & in quas diuiditur ut in materia, posteriores: quaecunque verò ut rationis, & secundum rationem substantiæ, priores aut omnes, aut aliqua. Quonia verò animalium anima (hoc enim substantia animati) secundum rationem, & speciem substantia, & quod erat esse tali corpori. Cuiusque namque pars, si probè definiatur, non sine eo opere definiatur, quod sine sensu non existit: sanè partes eius priores, aut omnes, aut aliqua toto animali: & de vnoquoque similiter: corpus verò, & eius partes, posteriores hac substantia, & diuidetur in eas ut in materiam, non ipsa substantia, sed totum. Tota itaque quodam modo quidem priores sunt hæc, quodam modo verò non: quandoquidem nec esse possunt separatæ. Non enim qui quomodocunque se habet, digitus animalis est: sed æquiuocus, qui mortuus est. Quædam verò simul, quaecunque principales, & in qua prima, ratio & substantia: ut puta, si hæc cor, aut cerebrum est: nihil enim differt, vtra talis sit. Homo verò, & equus, & quæ ita se habent, in singularibus sunt. Vniuersale verò substantia non est, sed totum quiddam ex hac ratione, & hac materia tanquam vniuersali: singulare verò ex vltima materia, iam Socrates est: & de cæteris, similiter. Pars itaque etiam speciei est (speciem autè dico, quod quid erat esse) & ipsius totius, quod ex specie, & ipsa materia est: sed rationis partes, quæ speciei solùm sunt: ratio verò, est ipsius vniuersalis. Circulo namque esse & circulus, & anima & anima, idem est. Totius verò ut circuli huius, & singularium alicuius sensibilis, aut intelligibilis (dico autem intelligibiles quidem, ut mathematicos: sensibiles verò, ut æneos, & ligneos) horum, inquam, non est definitio, sed intellectio, aut sensu-cognoscuntur. Cùm verò ab actu, non est manifestum vtrum sint aliquando, an non sint, tamen semper dicuntur, & cognoscuntur vniuersali ratione: materia verò per seipsam incognita. Materia verò, quædam sensibilis, quædam intelligibilis. Sensibilis quidem, ut æs, & lignum, & quæcunq; mobilis materia: intelligibilis verò, quæ in sensibilibus existit, non prout sensibilia, ut puta ipsa mathematica. De toto igitur, & parte, ac priore, & posteriore quomodo se habeant, dictum est. Ad interrogationem verò necesse est occurrere, cùm quis in-

terrogaret, vtrum rectus, & circulus, & animal priora, an in quas diuiduntur, & ex quibus sunt, partes, quod non simpliciter. Nam etiam si animal est, aut animatum, aut vnumquodque, aut vniuscuiusque, & circulus circulo esse, & rectus recto esse, substantia quoque recti, aliquid quidem & aliquo posterius dicendum est, ut puta iis, quæ in ratione, & aliquo recto: etenim qui cum materia æneus rectus, & qui in singularibus lineis: qui verò absque materia iis quidem, quæ in ratione sunt, posterior, partibus verò, quæ in singulari sunt, prior est. Simpliciter autem non est dicendum: & si diuersa est, & non est anima animal, sic etiam quædam dicendum, quædam non dicendum, ut dictum est.

CAPVT XI.

Merito autem dubitatur etiã quænam speciei sint partes, quæ verò non, sed eius, quod simul sumitur, cùm & hoc non existente manifesto, non sit definire vnumquodque. Vniuersalis etenim & speciei definitio est. Quæ igitur partium ut materia sunt, & quæ non, si non sint manifestæ, nec ratio rei manifesta erit. Quaecunque igitur apparent aduenientia in diuersis specie, ut circulus in ære, ligno, & lapide, hæc quidem manifesta esse videntur: quoniam nihil substantiæ circuli æs, neque lapis est: propterea quod ab eis separatur. Quæ verò non videntur separari, nihil quidem prohibet similiter his se habere: quemadmodum si circuli omnes viderentur ænei. Nihil enim minus æs non sit ipsius speciei. Difficile tamen est, hoc mente auferre: ut puta, species hominis semper in carnibus, & ossibus, & talibus partibus apparet. Vtrum igitur sint hæc, partes speciei, & rationis, an non, sed materia? Verùm quoniam non adueniunt etiam in aliis, non possumus separare. Cùm autem hoc videatur quidem contingere, quando verò non est manifestum, quidam etiam de circulo, & triangulo dubitant, tanquam non deceat lineis, & continuo definir: sed hæc omnia similiter dici, sicuti carnes, aut ossa hominis, & æs, & lapis circuli, & cuncta referunt ad numeros, & lineæ rationem, eam, quæ duorum esse dicunt. Eorum etiam, qui ideas dicunt, quidam ipsam lineam dualitatem, quidam lineæ speciem: quædam etenim eadem esse, speciem, & cuius species, ut puta dualitatis, & dualitatis speciem: in lineæ verò non est. Accidit itaque & vnam multorum speciem esse, quorum species videtur diuersa: quod etiam Pythagoricis accidebat: & contingit vnam omnium facere ipsam speciem, cætera verò non species: at hoc modo vnum omnia erunt. Quod itaque habent aliquam dubitationem ea, quæ circa definitiones sunt, & quam ob causam, dictum est. Quare cuncta ita reducere, & auferre materiam, superuacaneum est. Quædam namq; fortasse, hoc in hoc sunt, aut sic hæc habentia. Et comparatio de animali, quam iunior Socrates dicere solebat, non bene se habet: abducit enim à vero, & opinari facit, tanquam contingeret hominem sine partibus esse,

CAPVT XII.

esse, quemadmodum absque ære circulum. Hoc autem, non est simile. Etenim sensibile quiddam fortassis animal est, & absque motu definire non est. Quare neque sine partibus, quodam modo se habentibus, non enim omnino pars hominis est manus, sed illa, quæ potest opus perficere: quare animata existens, non animata verò non est pars. Circa mathematica verò, cur rationes non sunt partes rationum? ut circuli, semicirculi? hæc enim non sunt sensibilia: an nihil refert? Erit namque quorundam, etiam non sensibilem, materia, & omnis quod non est, quid erat esse. Circuli itaque vniuersalis quidem non erunt, singularium verò erunt hæc partes, ut prius dictum est. Est etenim materia, quædam sensibilis, quædam intellectualis. Manifestum autem est, quod anima quidem substantia prima, corpus verò materia: homo verò vel animal, quod ex ambobus, ut vniuersale. Socrates verò, & Coriscus, si anima quidem, duplex. Hi enim ut animam dicent, illi autem ut ipsum totum. Quod si simpliciter anima hæc, & hoc corpus, quemadmodum vniuersale, etiam & singulare. Vtrum autem præter materiam, huiusmodi substantiarum sit aliqua alia, & oporteat quærere substantiam eorum aliquam aliam, ut puta numeros, aut aliquid tale, posterius considerandum est. Huius enim gratia & de sensibilibus substantiis definire tentamus: quandoquidem quodam modo physicæ, & secundæ philosophiæ opus est, ea, quæ circa sensibiles substantias speculatio est. Non enim solùm de materia physicum cognoscere oportet, sed etiã de ea, quæ secundum rationem, & magis. In definitionibus verò, quo modo partes, quæ in ratione sunt, & cur vna ratio, definitio, (patet etenim quod res vna) res autem quo modo vna partes habens, postea considerandum est. Quid igitur est, quod quid erat esse, & quomodo ipsum per se ipsum, vniuersaliter de omni dictum est: & cur quorundam ratio ipsius quid erat esse, habet definiti partes, quorundam non: & quod in ratione quidè substantiæ, quæ ita partes sunt ut materia, non inerit: non enim sunt illius substantiæ partes, sed totius. Huius verò est quodam modo ratio, & non est. Cum materia namque non est, indefinitum etenim. Secundum primam autem substantiam, est ut hominis, animæ ratio. Substantia enim est species, quæ inest, ex qua & materia tota dicitur substantia, ut concavitas: ex hac enim, & naso, simus nasus, & simitas est. Bis namque in his inerit nasus. In tota verò substantia, ut naso simo, aut Callia, inest etiam materia. Et quod quid erat esse, & vnumquodq; in quibusdã quidè idem est, ut in primis substantiis, ut puta curuitas, & curuitati esse, si prima est. Dico autem primam, quæ non dicitur eò quod aliud in alio sit, & subiecto ut materia. Quaecunque verò ut materia, vel ut simul cum materia sumpta sunt, non idem, neq; secundum accidens, ut vnum, Socrates, & musicum: hæc enim secundum accidens, eadem sunt,

Nunc autè primò dicamus, quatenus in Analyticis definitione non est dictum, dubitationem, quæ in illis dicta est, proderit rationibus de substantia. Dico autem hanc dubitationem, quare vnum est definitum, cuius rationem definitionem esse dicimus: ut hominis animal bipes (sit namque eius ratio) cur igitur hoc vnum est, non autem multa, animal & bipes? homo enim, & album, multa quidem sunt, cùm non insint alterum alteri. Vnum verò cùm insint, & subiectum, ut homo, aliquid patiat. Tunc enim albus homo vnum sit, & est: hinc verò non est alterum alterius particeps. Genus etenim non videtur particeps esse differentiarum. Simul namq; contrariorum, idè participaret. Differentiæ namque contrariæ, quibus genus differt. Quod si etiam participat, eadem ratio est, si differentiæ quidè plures sunt, ut gressuum, bipes, implume. Cur enim vnum, sed non multa sunt hæc: non enim quia insunt, sic enim ex omnibus erit vnum: sed quia oportet vnum esse, quæcunq; in definitione sunt. Definitio namque, ratio quædam vna, & substantia est: quare vnius cuiuspiam oportet ipsam esse rationem, Etenim substantia, vnum quiddam, & quod quid, ut dicimus, significat. Oportet autem primò considerare de iis, quæ secundum diuisiones sunt, definitionibus. Nihil enim aliud in definitione est, nisi (quod primum dicitur) genus, & differentiæ. Cætera verò genera sunt, & ipsum primum, & post hoc, quæ comprehenduntur differentiæ: ut puta ipsum primum, est animal: cõsequens verò, animal bipes, & rursus animal bipes implume. Similiter etiã si per plura dicatur, & omnino nihil differt, per multa, an per pauca dicatur: neque utique per pauciora, quàm duo. Duorum verò hoc quidem genus, hoc verò differentia, ut puta huius, animal bipes, animal quidem genus, differentia verò alterum. Si igitur genus simpliciter non est præter eas, quæ ut generis species sunt, aut si est quidem, sed tanquam materia est, (vox namque genus, & materia, differentiæ autem species: nam elementa quoque ex hæc faciunt) manifestum est, quod definitio est ex differentiis ratio. At verò oportet etiã diuidi differentia differentiam: ut puta animalis differentia est, ut pedes habere. Rursus animalis pedes habentis differentiam scire oportet, prout pedes habet: quare non est dicendum, pedes habentis aliud plumiferum, aliud implume, si bene dicatur (verùm quia non potest, faciet hoc) sed si aliud fissos, aliud non fissos pedes habens: hæc enim pedis differentiæ sunt. Fissio namque pedum aliqua peditas est. Et sic semper procedi vult, donec ad indifferentia deueniatur. Tum autem tot pedis species erunt, quot differentiæ: & pedes habentia animalia, æqualia differentiis. Si igitur hæc ita se habeant, manifestum est quod vltima differentia, rei substantia erit, & definitio. Nec sanè oportet, crebrò eadem in definitionibus dicere: superfluum namque est. Accidit autem hoc, Cùm enim animal ped

pedes habens, bipes dicat, nihil aliud dixit, nisi animal pedes habens, duos pedes habens. Et si hoc propria diuisione diuidat, crebro & æqualiter, ac differentias dicet. Si igitur differentia differentia fiat, vna, quæ vltima est, erit species, & substantia. Si autem secundum accidens, ut si diuidat, Habentis pedes aliud album, aliud nigrum, tot quot sunt sectiones. Quare manifestum est, quod definitio est ratio, quæ ex differentiis est, & ex harum vltima secundum rectum. Patet autem hoc, si quis transponat tales definitiones, (utputa hominis) dicens animal bipes, habens pedes: superfluum enim est, habens pedes, dicto bipede. Ordo verò non est in substantia. Quo nanque modo intelligere oportet, hoc quidem prius, illud verò posterius? De his igitur definitionibus, quæ secundum diuisiones fiunt, quales quædam sunt, hætenus dicta sint.

CAPVT XIII.



Vm autem de substantia consideratio sit, rursus redeamus. Dicitur autem sicuti subiectum substantia esse, & quod quid erat esse, & quod ex his, & vniuersale. De duobus itaque dictum est: etenim de quid erat esse, & de subiecto, quod dupliciter subiicitur, aut quod quid existens, ut animal passionibus, aut ut materia actui. Videtur autem etiam vniuersale causa quibusdam esse maximè, ac esse principium ipsum vniuersale: quare de hoc etiam tractemus. Videtur nanque impossibile, substantiam esse quodcumque eorum, quæ vniuersaliter dicuntur. Prima nanque substantia vniuersalisque, quæ propria cuiusque est, quæ alii non inest: vniuersale verò commune. Hoc enim dicitur vniuersale, quod pluribus natura aptum est inesse. Cuius igitur hoc erit substantia? Aut enim omnium, aut nullius. Omnium verò non est possibile. Vnius autem si erit, cætera quoque hoc erunt. Quorum enim substantia vna, & quod quid erat esse vnum, ipsa quoque; vnum sunt. Item substantia dicitur, quod non de subiecto: vniuersale verò de subiecto aliquo dicitur semper. Sed vtrum ita quidem non contingit, ut quod quid erat esse? in ipso autem inest, utputa animal in homine, & equo. Patet igitur, quod erit aliqua eius ratio. Differt autem nihil, si non omnium ratio est eorum, quæ in substantia sunt. Etenim nihil minùs hoc erit substantia alicuius, ut homo, hominis, in quo existit: quare iterum idem accidit. Erit enim substantia, illius substantia, ut animal speciei, in qua ut proprium existit. Item impossibile, ac inconueniens est, ipsum quid, & substantiam esse, si ex aliquibus, non ex substantiis, nec ex eo quod quid est, sed ex quali. Prius nanque non substantia, & quale erit, quàm substantia, & quod quid: quod impossibile est. Nec ratione enim, nec tempore, nec generatione, possibile est passiones priores substantia esse: essent nanque separabiles. Item, Socrati substantia, in-
erit substantia: quare, duobus erit substantia, & omnino si homo: & quæcumque ita dicuntur, substantia est, accidit nihil eorum, quæ in ratione sunt alicuius substantiam esse, nec sine ipsis

existere, nec in alio. Dico autem, utputa, non esse aliquid animal præter aliqua, nec vllum aliud eorum, quæ in ratione sunt. Ex his itaque considerantibus patet, nihil eorum, quæ vniuersaliter existunt, substantiam esse, nihilque eorum, quæ communiter prædicantur, quod quid, sed tale significare. Quod si non, & alia multa accidunt, ac tertius homo. Item sic quoque patet: impossibile enim est substantiam ex substantiis esse, quæ sic insunt, ut actu. Quæ enim duo sic actu sunt, nunquam vnum actu sunt. Sed si potentia duo sunt, erunt vnum: ut duplum, ex duobus dimidiis potentia: actus nanque separatur. Quare si substantia vnum, non erit ex substantiis inexistentibus: & secundum hunc modum, quem rectè Democritus dicit. Impossibile enim ait esse ex duobus vnum, aut ex vno duo fieri: magnitudines nanque indiuisibiles substantias facit. Patet igitur, quod similiter & de numero se habebit, si numerus quidem compositio vnitatum est, ut à quibusdam dicitur. Aut enim non est vnum dualitas, aut non inest in ea vnitatis actu. Habet autem quod accidit, dubitationem: si enim nec ex vniuersalibus possibile est vllam substantiam esse, propterea quod tale, & non quod quid significant, nec ex substantiis actu contingit vllam substantiam esse compositam quicquã incompositum erit profectò omnis substantia: quare neque ratio vllius substantia erit. At cunctis videtur, & iam dictum est, aut solius substantia, aut maximè definitionem esse: nunc verò nec huius: nullius igitur definitio erit. An quodam modo quidem erit, quodam modo verò non? manifestum autem, quod dicitur, magis erit ex posterioribus.

CAPVT XIII.



His autem ipsis id etiam patet, quod accidit illis, qui ideas pariter substantias, & separatas esse dicunt: & pariter ex genere & differentiis faciunt speciem. Si enim species, & animal in homine sunt, aut equo, aut vnum & idem numero sunt, aut alterum: ratione nanque patet quod vnum: eandem enim exhibebit rationem, qui dicit in vtroque. Si itaque aliquis homo est ipsum per se, quod quid, & separatam, necesse est ut etiam illa, ex quibus (sicuti animal, & bipes) quod quid significant, & separata, ac substantia sint: quare & ipsum animal. Si idem igitur, & vnum quidam etiam in equo, sicuti tu tibi ipsi, quomodo in separatim existentibus idem erit? & cur non etiam absque se ipso erit animal hoc? Deinde si participabit quidem bipede, & multipede, impossibile quiddam accidit: contraria nanque simul ineunt ipsi vni, & huic quidè enti. Sin minùs, quis modus est, cum aliquis dicat, animal & bipes, aut progressiuum esse? Sed fortassis componuntur, & tangunt, aut miscentur. At cuncta inconuenientia sunt. Sed diuersum in vnoquoque est. Infinita igitur (ut ita dicam) erunt, quorum substantia animal est: non enim secundum accidens ex animali homo est. Item, multa erit ipsum animal.

mal. Nam & substantia animal est, quod in vnoquoque est: non enim secundum aliud dicitur. Quod si non, ex illo erit homo, & genus eius, illud. Ac item omnia, ex quibus homo, ideè. Non igitur alterius quidem idea erit, alterius verò substantia? impossibile nanque est. Ipsum ergo animal erit vnumquodque eorum, quæ in animalibus sunt. Item, ex aliquo hoc ipso erit, & quomodo est ex ipso animali? aut quomodo est possibile esse animal, quod hoc ipsum substantia est, præter ipsum animal? Itè, in sensibilibus & hæc accidunt, & his absurdiora. Quod si impossibile est ita se habere, patet quod non est eorum idea ita, ut quidam aiunt.

CAPVT XV.



Vm autem substantia altera sit ipsum scilicet totum, & ratio, dico autem, quod illa quidem ita substantia, est cum materia simul accepta ratio: hæc verò ratio simpliciter. Quæcûque igitur illo modo dicuntur, eorum quidem est corruptio: nam & generatio. Rationis autem non est, ita ut corrumpatur. Nec enim generatio est, (non enim fit domui esse, sed huic domui) sed absque generatione & corruptione sunt, & non sunt. Ostensum est enim quod nullus hæc generat, neque facit. Propterea etiam substantiarum sensibilibus singularium: neque definitio, neque demonstratio est, eò quod habet materiam, cuius natura talis est, ut esse, & non esse contingat: quare corruptibilia sunt omnia singularia earum. Si igitur demonstratio, & definitio scientifica necessariorum est, & non contingit sicuti neque scientiam, quandoque scientiam, quandoque ignorantiam esse, sed quod tale est, opinio est: ita neque demonstrationem, neque definitionem, sed opinio est eius quod contingit & aliter se habere: patet, quod neque demonstratio, neque definitio eorum est. Corruptibilia nanque non sunt manifesta iis, qui scientiam habent, cum à sensu abscesserint: & rationibus eisdem in animo saluis, non erit amplius neque definitio, neque demonstratio. Quare cum quis eorum, quæ ad definitionem quicquam singularium definiat, oportet non ignorare, quod semper perimendum est. Non enim contingit definire. Nec vllam ideam, est definire: singularium enim (ut aiunt) idea est, & separata. Necessarium autem ex nominibus rationem esse. Nomen verò non faciet, qui definit: ignotum enim erit. Quæ verò posita sunt, omnibus communia sunt. Necesse est igitur, & aliis talia inesse. Et si quis te definiat, animal dicet gracile, aut album, aut aliquid aliud, quod & in alio sit. Quod si quis dicat, nihil prohibere separatim quidè omnia multis, simul verò huic soli inesse, primum quidem, quod etiam amobus, ut animal bipes, animali & bipedi. Et hoc in sempiternis quidem etiam necesse est esse, cum priores existant, & partes compositi. At verò etiam separabilia, si hoc quidem, quod homo, separabile. Nam aut nullum, aut ambo. Si igitur nullum, non erit genus præter species. Quod si erit, erit etiam differentia. Deinde si ex ideis i-

deæ, minùs profectò composita sunt ex quibus. Item, de multis oportebit etiam illa prædicari, ex quibus idea, ut animal, & bipes. Quod si non, quomodo scietur? Erit nanque alia idea, quàm impossibile est de pluribus prædicari, quàm de vno. Non videtur autem, sed omnis idea videtur esse participabilis. Quemadmodum igitur dictum est, latet, quod impossibile est in perpetuis definire: maximè verò quæcumque vnica sunt, ut Sol, aut Luna. Non solum enim in hoc peccant, quod talia addunt, quibus ablati, adhuc erit Sol, utputa, quod circuit terram, aut quod nocte absconditur: (si enim steterit, aut appa-
uerit, non erit amplius Sol) sed inconueniens est, si non. Sol enim substantiam quandam significat. Item, quæcumque in alio contingunt, veluti si alter fiat talis, patet, quod erit Sol. Communis ergo ratio. At Sol singularium erat, sicut Cleon, aut Socrates. Cæterum cur nemo eorum definitionem profert ideæ? fiet enim profectò manifestum tentantibus, verum esse, quod nunc dictum est.

CAPVT XVI.



Manifestum autem est, quod etiam eorum, quæ videntur esse substantia, plures potentia, & partes animalium sunt: nihil enim eorum separatim est. Cum autem separarentur, tum etiam ut materia omnia, terra, ignis, & aer. Nihil enim eorum vnum est, sed quali cumulus antè, quàm digerantur, & ex eis vnum fiat. Maximè autem aliquis, animatorum partes putauerit, & animæ propinquas, ambas fieri, ut sint & actu, & potentia, eò quod principia motus ab aliquo, in iuncturis habent. Quare quædam animalia diuisa viuunt: sed tamen potentia omnia erunt, cum vnum & continuum fuerit natura, sed non vi, aut copulatione: tale nanque læsio est. Cum autem vnum dicatur, sicuti & ens, & substantia vnus vna, & quorum vna numero vnum numero, manifestum, quod neque vnum, neque ens contingit substantiam esse rerum, sicuti neque elemento esse, aut principio. Sed quærimus, quid ergo principium, ut ad notiora referamus. Magis igitur his substantia est ens, & vnum, quàm principium, & elementum, & causa. Sed necdum ista, si nec aliud quidem commune vllum substantia est. Nulli enim inest substantia, nisi sibi ipsi, & habenti eam, cuius substantia est. Item ipsum vnum, in pluribus non erit simul: commune verò simul in pluribus est. Quare patet, quod nihil vniuersaliū separatim præter singularia est. Sed qui species dicunt, partim rectè dicunt separantes eas, si substantia quidem sunt: partim non rectè, quoniam vnã in multis speciem dicunt. Causa verò est, quod non habent reddere quænam tales incorruptæ substantia præter singulares, & sensibiles sint. Faciunt igitur eadem specie iis, quæ sunt corruptibiles, (has enim cognoscimus) ipsum hominem, & ipsum equum addentes vocabulum ipsum, sensibilibus. Attramen etiam si non videremus astra, nihil minùs

(vt puto) essent substantiæ perpetuæ præter eas, quas nos sciremus. Quare nunc quoq; si nõ habeamus quænam sint, necesse tamen fuerit fortassis aliquas esse. Quod igitur nec eorum quicquam, quæ vniuersalia dicuntur, substantia sit, nec vlla sit substantia ex substantiis, patet.

CAPVT XVII.



Vid verò, & quale quid substantiam dicere oporteat, rursus aliud quasi principium facientes, dicamus. Fortassis enim ex his erit manifestum de illa quoque substantia, quæ est separata à sensibilibus substantiis. Cùm igitur substantia, principium, & causa quædam sit, hinc est procedendū. Quæritur verò ipsum propter quid, semper sic: propter quid, aliud alii alicui inest. Quærenaque propter quid musicus homo est, certè quærenone est, quod dictum est, propter quid homo musicus est, aut aliud. Quærenone igitur propter quid ipsum est ipsum, nihil est quærenone. Oportet enim ipsum quod, & ipsum esse, existere manifesta entia. Dico autem, vtputa, quod Luna patitur eclipsim. Ipsius autem, quod id ipsum, non nisi vna ratio, vnâque causa in omnibus (propter quid homo est homo, aut musicus musicus) si quis dicat, quod vnumquodq; ad se ipsum indiuisibile est: hoc autem erat vnum esse: sed hoc, & commune de omnibus, & breue est. Quærat autem aliquis, propter quid homo, animal tale quoddam est. Hoc igitur manifestum est, quod non quærit propter quid is, qui est homo, homo est. Aliquid ergo de aliquo quærit, propter quid inest. Quod autem inest, oportet manifestū esse. Si enim non ita, nihil quærit: vtputa propter quid tonat? quia sonus in nubibus fit. Ita nanq; aliud de alio est, quod quæritur. Et propter quid hæc, vtputa lateres, & lapides, domus sunt? Manifestū itaque & est, quod causam quærit. Hæc autem est, quod quid erat esse, vt logicè dicā. Quæ in quibusdam quidem, est cuius gratia: vtputa fortassis in domo, & lecto. In quibusdam verò, quod primum mouit. Causa nanque, etiam hoc. Sed talis quidem causa quæritur, dum quippiam fit, vel

corrumpitur: altera verò, etiam dum est. Latet autem præcipuè, quod quæritur, in iis, quæ non de aliis dicuntur, (vtputa quæritur homo quid est) eò quod simpliciter dicitur, neque determinatur quod hæc, vel hoc. Oportet igitur rectè disponentes quærenone. Quod si non, commune fit eius, quod nihil est quærenone, & eius, quod aliquid quærenone. Cùm autem & habere, & existere ipsum esse oporteat, manifestum est, quod propter quid est, ipsam materiam quærit: vtputa, hæc sunt domus: propter quid? quia hæc existunt, quod erat domui esse. Et homo hoc, aut corpus hoc tale habens, quare? Causa materiæ quæritur: hæc autem est, species qua aliquid est: hæc autem, est substantia. Patet itaque, quod de simplicibus non est aliqua quæstio, neq; doctrina, sed alius talium quæstionis modus. Cùm verò quod ex aliquo compositum, ita vt vnum totum sit, non est vt cumulus, sed vt syllaba: syllaba verò non est ipsa elementa, nec idem, B & A: nec caro, ignis, & terra. Dissolutis nanque, hæc quidem amplius non sunt, vt caro, & syllaba, Elementa verò, ignis, & terra, sunt. Ergo syllaba aliquid, non solum elementa, vocalis, & muta, sed etiam aliquid aliud. Et caro, non solum ignis, & terra, aut calidū, & frigidum, sed etiam aliquid aliud. Si igitur necesse est, illud quoque aut elementū, aut ex elementis esse, si elementum quidem, rursus eadem ratio erit. Ex hoc enim & igne, & terra erit caro, & item alio: quare in infinitum progredietur. Si verò ex elemento, patet quod non ex vno, sed ex pluribus, quàm id ipsum, erit. Quare iterum de hoc, eandem rationem dicemus, quàm de carne, aut de syllaba. Videatur autem esse aliquid tale, & non elementum, ac causam: sed hoc carnem, hoc verò syllabam esse: similiter & de cæteris. Substantia verò cuiusque quidem, hoc. Hoc nanque prima ipsius esse causa est. Cùm autem quædam non substantiæ rerum sint, sed quæcunque substantiæ secundum naturam, & naturā constitutæ sint, videri possit profectò aliquibus hæc quoq; natura, substantia esse, quæ non elementum, sed principium est. Elementum autem est, in quod existens diuiditur vt materiam, vtputa syllabæ, ipsum A & B.

ARIST

ARISTOTELIS
STAGIRITAEMetaphysicorum
Liber Octauus.

CAPVT I.



Hii igitur, quæ dicta sunt, colligere oportet, ac cōgregado summatim finē imponere. Dictum autem est, quod substantiarū causæ, principia, & elementa quærentur. Substantiæ verò quædam ab omnibus concessæ sunt, de quibusdam separatim enuntiauerunt quidam. Concessæ quidē, quæ naturales sunt: vt ignis, terra, aqua, & cætera simplicia corpora, deinde plantæ, & partes earum: animalia, & partes eorum, & tandem cælū, & partes cæli. Separatim autem, substantias quidam esse dicunt species, & mathematica. Alias verò accidit ex orationibus substantias esse, quod quid erat esse, & subiectū. Item aliter genus magis, quàm species, & vniuersale, quàm singularia. Vniuersali verò & generi, idem quoq; copulantur, eadem nanque ratione substantiæ videntur esse. Cùm autem quod quid erat esse substantia, huius autem ratio, definitio, ideo de definitione, & de secundum se, determinatū est. Quoniam verò definitio oratio, oratio autem partes habet, necesse quoque de parte erat videre, quænam substantiæ partes, & quæ non: & si has definitionis quoque esse oportet. Item etiam, nec vniuersale substantia est, neq; genus. De ideis verò, & mathematicis, posterius considerandū est. Etenim præter sensibiles substantias, has quidē esse dicunt. Nunc verò de concessis substantiis tractemus. Hæ autem sunt, quæ sensibiles sunt. Sensibiles verò cunctæ substantiæ, materiam habent. Est autem substantia id ipsum, quod subicitur: aliter quidem materia, & aliter ratio. Materiam autem dico, quæ non quod quid actu sit, potentia est: quod quid aliter autem, ratio, & forma: quod cùm sit, quod quid, ratione separabile est: tertium verò, quod ex his est, cuius generatio solius, & corruptio est, & separabile simpliciter. Earum enim substantiarum, quæ secundum rationem, quædam sunt separabiles, quædam verò non. Quod autem materia quoq; substantia est, patet. In cunctis nanq; oppositis transmutationibus, est aliquod transmutationis subiectū: vtputa secundum locum, quod nunc hic, rursus alibi: & secundum augmentationem, quod nunc

tantum, rursus minus, aut maius: & secundum alterationem, quod nunc sanum, rursus ægrum: similiter autem & secundum substantiam, quod nunc in generatione, rursus in corruptione. Et nunc quidem subiectum, vt quod quid: rursus autem subiectum, vt secundum priuationem. Et sequuntur hanc etiam alia transmutationes: cæterarum verò aut vnam, aut duas, hæc non sequitur. Non enim est necesse, si quid materiam habet localem, hoc generabilem etiam, & corruptibilem habere. Verum quæ inter simpliciter fieri, & non simpliciter differentia sit, in Phisicis dictum est.

CAPVT II.



Vm autem quædam vt subiecta, & vt materia, concedatur substantia, hæc autem est, quæ potentia est, restat illa, quæ vt actus substantia sensibilibus est, quænam sit dicere. Democritus igitur tres differentias esse videtur existimare. Subiectum enim corpus, materiam, vnum & idem. Differre autem, aut rhythmo, quod est figura: aut trope, quod est situs: aut diathige, quod est ordo. Videntur autem multæ differentia esse: vtputa quædam compositione dicuntur materiæ, sicuti quæcunque mixtura, quemadmodum melicratum: quædam clauo, vt arca: quædam ligamine, vt fascis: quædam glutine, vt liber: quædam pluribus ex his: quædam positione, vt limen, & superliminare. (Hæc enim, eò quod modo quodam sita sint, differunt.) quædam tempore, vt cœna, & prandium: quædam loco, vt venti: quædam sensibilibus passionibus, vt duritie, & mollitie, & densitate, & raritate, & siccitate, & humiditate: & quædam quibusdam ex his, quædam omnibus his: & simpliciter, quædam redundantia, quædam defectu. Quare patet, quod & ipsum est, toties dicitur. Limen enim est, quoniam ita situm est. & esse, sic ipsum poni significat: & glaciem esse, sic densari. Quorundam verò esse, & his omnibus definitur, eò quod quædam miscentur, quædam temperantur, quædam ligantur, quædam densantur, quædam cæteris differentiis vtuntur, sicuti manus, aut pes. Accipienda igitur genera differentiarum: hæc enim principia existentie erunt: vt quæ in magis & minus, aut denso & raro, & cæteris talibus. Cuncta etenim hæc, redundantia & defectus sunt. Quod si quid figura, aut læuitate, aut asperitate, omnia recto, & curuo: his verò

verò esse, erit miseri: opposito autem modo, non esse. Manifestum igitur ex his est, quòd si substantia causa est, ut vnūquodq; sit, in his querendum est, quænam aut horum singula sint, causa est. Substantia itaque nihil horum est, neque combinatum, attamen proportionale in vnoquoque: & quemadmodum in substantiis quod de materia prædicatur, ipse actus est, & in aliis definitionibus maximè: vtputa, si limen oportebit definire, lignum, aut lapidem sic positum dicemus: & domum, lateres, aut ligna sic posita (an etiam & cuius causa in quibusdam est?) si verò glaciem, aquam congelatam, aut sic densatam. Consonantia verò est acuti & grauis mistio talis, eodè autè modo & in ceteris. Manifestū itaq; ex his est, quòd actus alius alterius materiæ & ratio: quorundā enim, cōpositio, quorundā mistio, quorundam aliquid aliud eorum, quæ dicta sunt. Quare eorum, qui definiunt, hi quidem, qui dicunt, quid est domus, quòd lapides, lateres, ligna, potentia domum dicunt: materia enim hæc sunt. Qui verò, vas conseruatiuum rerum, & corpus, aut aliquid aliud tale addentes, actū dicunt. Qui porro hæc ambo componunt, tertiam, & quæ ex his est, substantiam (videtur etenim ea quidem, quæ ex differentiis ratio fit, speciei, & actus esse: quæ verò ex his, quæ insunt, materiæ magis) similiter & quas Archytas approbat definitiones: etenim simul vtriusque sunt: vtputa, quid est serenitas? Quies in multitudine aeris: materia quidem aer, actus verò, & substantia, quies. Quid est tranquillitas? maris planities. Subiectum quidem, vt materia, mare: actus verò & forma, planities. Manifestum itaque ex dictis est, quænam sensibilis substantia, & quomodo sit: etenim hæc quidem vt materia, hæc autè vt forma, quoniam actus: tertia verò ex his.

CAPVT III.



Portet autè non ignorare, quòd aliquando latet, vttrum nomen compositam substantiam significet, an actū, & formam: vtputa domus, vttrum est signum communis, quod operimentum est ex lapidibus, & lateribus sic positis: an actus, & speciei, quod est operimentum. Et linea, vt ruit dualitas in longitudine, an quod dualitas. Et animal, vttrum anima in corpore, an anima. Hæc enim, substantia, & actus alicuius corporis. Erit autem vtrique in vtrisque animal, non vt vna ratione dictum, sed vt ad vnum. Sed hæc ad aliud quidem aliquid conferunt, ad quæstionem autem substantiæ sensibilis nihil. Etenim quod quid erat esse, speciei, & actui est. Anima nanq;, & animæ esse, idem est: homini verò & homo, non idem, nisi & anima homo dicatur. Sic autem alicui quidem, alicui verò non. Non videtur ita querentibus, quòd syllaba ex elementis & compositione sit: neque domus, lateres, & compositio. & hoc rectè. Compositio enim, & mistio, non ex iis, quorum est compositio, aut mistio. Similiter nec aliorum vllum: vtputa, limen, positione, non ex limine positio, sed magis istud ex illa: nec homo, est ipsum animal, & bipes (sed a-

liquid esse oportet, quod præter hæc est) si hæc materia sunt: sed nec elementum, nec ex elementis, sed substantia, quod materiam auferentes dicunt. Si itaque hoc ipsius esse causa, & hoc substantia, ipsam substantiam vtrique non dicerent. Necessè autè est, aut sempiternam hanc esse, aut corruptibilem, absque eo, quod corrumpatur, & factam esse, absque eo, quod fiat. Ostensum autè est, & declaratum in aliis, quòd speciem nullus facit, neque generatur, sed efficitur, hoc. fit autem quod ex his. Si verò corruptibilium substantiæ sunt separatæ, nondum est manifestum, nisi quod quorundam non contingit. Patet, vt ea, quæ non possunt præter particularia esse, vt domum, aut vas: fortassis nec substantiæ sunt hæc ipsa, nec aliorum quicquam, quæcunque non naturā consistunt. Naturam etenim solam profectò quis ponet eam, quæ in corruptibilibus est, substantiam. Quare dubitatio, qua Antisthennici, & hoc pacto pariter indocti dubitabant, habet aliquid temporis, vt soluat, quod non est ipsum quid est definire, (definitionem enim, longum esse sermonem) sed quale quid est. Contingit etiam docere, quemadmodum argentum quid est, non. quod autem, quale stannum. Vt tamen substantiæ, est quidem, cuius contingit definitionem, & rationem esse: vtputa, cōpositæ, siue sensibilis, siue intellectualis sit. Ex quibus autè hoc primis, non est. Siquidem aliquid de aliquo significat ratio definitiua: & oportet hoc quidem vt materiā, illud verò formā esse. Manifestū autè hoc etiā est, quòd si aliquo modo substantiæ numeri sunt, ita sunt: & non, quemadmodū quidam dicunt, vnitatum. Nam & definitio, numerus quidam est: diuisibilis etenim, & in diuisibilia. non enim infinitæ rationes. Numerus verò, tale quid est: & quemadmodum de numero, ablato, aut addito aliquo, ex quibus numerus est, non est amplius idem numerus, sed diuersus, etiā si minimū auferatur, aut addatur: ita nec de finitio, nec ipsum quid erat esse, erat amplius, ablato aliquo, aut addito. Et numerum oportet aliquid esse, quo vnus, quod nunc non habent dicere quo vnus, si vnus est. An enim non est, sed quasi congeries? Aut si est, dicendum est quidnā illud sit, quod vnum ex multis facit, & definitio vna est. Similiter autem nec hanc dicere habet: & hoc meritò accidit. Eiusdem enim rationis, & substantia est, vt vnum: non (vt quidam aiunt) vt vnita quædam existens, aut punctū, sed actus, & natura quædam vnaquæq;: & quemadmodum nec numerus habet magis & minus, ita neque substantia, quæ secundum speciem est. Sed si est quidem, ea est, quæ secundum materiam est. De generatione igitur, ac corruptione dictarū substantiarum, quomodo accidit, quòq; modo, impossibile est, deq; reductione ad numerum, hætenus determinatum sit.

CAPVT IIII.



E materiali verò substantia oportet non latere, quòd & si ex eodè omnia primo, aut eisdem tanquam primis, & eadem sit materia vt principium illis,

illis, quæ fiunt, est tamè quædam cuiusque propria: flegmatis prima materia, ipsa dulcia aut pingua: cholera verò, amara, aut aliqua alia. fortassis autè hæc, ex eodem. Fiunt autem plures materiæ, eiusdem, cum alterius altera sit: vtputa, flegma ex pingui, & dulci, si pingue ex dulci: ex cholera verò esse, ob resolutionem cholera in primam materiam. Dupliciter enim hoc ex hoc, aut quoniam ex eo quod præcedet, aut quoniā ex eo, quod resolutum fuerit in principium. Contingit autem, vna existente materia, diuersa fieri propter mouetem causam: vt ex ligno, fit arca, & lectus. Quorundam autem diuersa materia necessariò, diuersis existentibus: vtputa, ferra nunquam fiet ex ligno: nec est hoc in causa mouente. Non enim faciet ferram ex lana, aut ligno. Si autem idem contingit ex alia materia facere, patet quòd principium, & ars, quæ est vt mouens, eadem est. Etenim si materia diuersa, & mouens, & ipsum quod factum est. Cum itaq; quisquam quænam sit causa quærat, quoniam multipliciter causæ dicuntur, omnes contingentes causas dicere oportet: vtputa, hominis, quæ causa vt materia, nonne menstrua? quæ verò vt mouens, vttrum sperma? quæ verò vt species, quod quid erat esse? quæ autem vt huius causa, finis? fortassis autem hæc ambæ, eadem sunt. Oportet autem proximas causas dicere, quæ materia, nō ignem, vel terrā, sed propriam. In naturalibus igitur, & generabilibus substantiis, necesse est ita procedere, si quis rectè procedet: siquidè hæc, totque causæ sunt: & oportet causas cognoscere. De naturabilibus autè, aut perpetuis substantiis, alia ratio est. Fortassis etenim quædam non habent materiam, aut non talem, sed solū quæ secundum locum mobilis est. Nec quæcunq; natura quidem, nō autem sunt substantiæ, his materia est, sed quod subiicitur, substantia: vtputa, quæ causa eclipsis, quæ materia? non enim est, sed Luna est, quæ patitur. Quæ causa vt mouens, atque corrumpens lumen? terra. Cuius verò causa? forsitan non est. Quæ verò vt species? definitio. Sed non manifesta definitio, nisi cum ipsa causa sit: vtputa, quid eclipsis? priuatio luminis. Si verò addatur, à terra in medio interposita: hæc est cum ipsa causa definitio. De somno verò non est manifestum quid est primū, quod patitur: sed nunquid animal? ita. Attamen hoc secundum aliquid: & quid primum, cor, an aliquid aliud? deinde, à quo? deinde, quæ passio, quæ illius, & nō totius? quia talis immobilitas, ita. sed hæc, eò quòd aliquid patitur ipsum primum.

CAPVT V.



Vm autem quædam absque generatione, & corruptione sint, & non sint, vtputa puncta, si sint quidem, & omnino species, & formæ, (nō enim albedo fit, sed lignum albū, si ex aliquo & aliquid fit omne, quod fit) profectò non omnia contraria fiunt vicissim: sed aliter albus homo ex nigro homine, & albedo ex nigro line: nec omnium materia est, sed quorundam generatio, & transmutatio inuicem sunt: quæcunque verò absque eò, quòd transmutentur, sunt, aut non, horum materia non est. Habet autem dubitationem, quoniam modo ad contraria cuiusq; materia se habeat: vtputa, si corpus potentia sanum, contrarium verò sanitati infirmitas, vttrum ambo

potentia, & aqua, potentia, vinum & acetum. an huius quidem secundum habitum, & secundum speciem, materia est, illius verò secundum corruptionem & priuationem præter naturam? At quædam dubitatio est, cur vinum non sit materia acetū, neque potentia acetum, tamen si fiat ex eo acetū: & viuens potentia mortuus, an non, sed secundum accidens corruptiones. Ipsa verò animalis materia, secundum corruptionem mortui potentia & materia, aqua quoque acetū est: fiunt etenim ex illis, quæ admodum ex die nox. Et quæcunque ita inuicem transmutantur, ad materiam oportet redire: vtputa si ex mortuo animal, primum ad materiam: deinde, animal, & acetum, ad aquam: deinde, vinum.

CAPVT VI.



E dubitatione autem dicta, & circa definitiones, & circa numeros, quæ causa est vt vnum sint: Omnium nanq; quæcunque plures partes habet, & non est totum quasi coaceruatio, sed ipsum totum est aliquid aliud præter partes, est aliqua causa. Nam & in corporibus quibusdā, tactus est causa, vt vnū sint: quibusdam verò viscositas, aut aliqua alia talis passio. Definitio verò, oratio est vna, non cōiunctione, vt Ilias, sed eò quòd vnus est. Quid est igitur, quod hominē facit vnum, & cur vnum, & non multa sunt animal, & bibes, præsertim si (quemadmodū quidam dicunt) sit quid ipsum animal, & ipsum bipes? Cur enim non illa, homo est, & erunt secundum participationem homines, non hominis vnus, sed sudorū, animalis, & bipedis? & omnino profectò, homo non erit vnū, sed plura, animal, & bipes. Manifestum itaque est, quòd ita quidem tractantibus (vt solent definire, & dicere) non est possibile reddere rationē, & soluere dubitationē. Quod si, quæ admodum dicimus, hoc quidem materia, hoc verò forma est, & hoc quidem potentia, hoc verò actus, profectò non videtur ampliùs dubitatio esse, quod queritur. Etenim dubitatio est eadem, ac si definitio vestis esset æs rotundum. Effet etenim hoc nomen, rationis signū. Quare quod queritur est, quænum causa sit, vt rotundum, & æs, vnum sint. Ampliùs verò nō apparet dubitatio, quoniam hoc quidem materia, illud verò forma est. Quæ igitur huius causa est, vt quod potentia est, actus sit in quibuscunq; generatio est, præter illud, quod fecit? nulla enim alia causa est, vt actus sphaera sit, quæ potentia sphaera erat: sed hoc erat, ipsum quid erat esse vtrique. Est autem materia quædam intellectualis, quædam sensibilis: & semper, rationis hoc quidem materia, hoc verò actus est, vt circulus, figura plana. Quæcunque verò neque intellectualem, neq; sensibilem materiam habent, statim vnum quiddā esse, vnumquodque est: quemadmodum ipsum ens, hoc quidem, hoc, hoc quale, quantum: quare non inest in definitionibus nec ens, nec vnum: & ipsum quid erat esse, statim vnum quiddā est, quemadmodum, & ens quiddam. Propterea nō aliqua alia causa vlli istorum, vt vnum sint, nec vt ens quiddam sint: statim etenim vnūquodque est ens quiddam, & vnum quiddam non vt in genere in ente, & vno, nec tanquam sint separata præter particularia. Ob hanc autem dubitationem, quidam participationē aiunt, & causam quædam participationis, & quidnā sit illud

participare, dubitant. Quidam copulam animæ (sicuti Lycophron ait) scientiã esse ipsius scire & animæ. Quidam compositionem, aut coniunctionem animæ cum corpore, ipsum viuere. Attamẽ eadem de omnibus ratio erit. Etenim ipsum sanum esse, aut copula, aut compositio, aut coniunctio animæ, & sanitatis erit. Et æs esse triangulum, compositio æris, & trianguli. Et album esse, compositio superficialis, & albedinis. Causa verò est, quoniam poten-

tia, & actus rationem quærunt venientẽ, & differentiam. Est autem (vt dictum est) vltima materia, & hoc potentia, hoc quidem actu. Quare simile est quærere quidnam vnus causa sit, & vt vnum sit. Vnum enim quiddã, vnumquodq;, & quod potentia, & quod actu, vnũ quodã modo est. Quare nulla alia causa est, nisi si quid fuit, tanquã ex potẽtia in actum mouens. Quæcunq; verò non habent materiam, cuncta simpliciter entia, sunt ipsum quid.

ARISTOTELIS STAGIRITAE METAPHYSI- corum Liber Nonus.

CAPVT I.



DE primo itaq; ente, & ad quod cæteræ omnes entis prædicationes referuntur, hoc est de substantia, dictum est. Nam secundum substantiæ rationem cætera dicuntur entia, quantum, & quale, ac cætera, quæ ita dicuntur. Cuncta etenim habebunt substantiæ rationem, vt in primis sermonibus differuimus. Cùm autem ens dicatur, hoc quidem quid, aut quãtitas, aut qualitas, hoc verò secundum potẽtiã, & entelechiã, ac actum, determinemus etiam de potentia, & entelechia. Et primò de potentia, ea quidem, quæ dicitur maximè propriè, nõ sanè est utilis, ad quod nũc volumus. Potẽtia nanq;, & actus, in plus est, quàm illa, quæ secundum motũ solum dicuntur. Sed cum de ea dixerimus in determinationibus de actu, ostendemus etiam de aliis. Quod igitur multipliciter potentia, & posse dicatur, determinatum est à nobis in aliis. Harum verò quæcunq; quidem æquiuocè dicuntur potentia, prætermittantur. Quædam etenim similitudine quadam dicuntur, vt in geometria & possibilia, ac impossibilia dicimus, eò quòd quodam modo sint, aut non sint. Quæcunq; verò ad eandem speciem, omnes, aliqua principia sunt, & ad vnã primam dicuntur, quæ est principium transmutationis in alio prout aliud est. Aliqua enim est patienti potentia, quæ in ipso patiente principium est transmutationis passiuæ ab alio prout aliud est. Aliqua verò, habitus impossibilitatis, quæ in deterius est, & corruptionis, quæ est ab alio prout aliud est, principio transmutatiuo. In his enim omnibus definitionibus, inest primæ potentia ratio. Rursus autem, hæ potentia dicuntur, aut ipsius faciendi solum, aut patiendi, vt ipsius bene. Quare in harum quoq; rationibus, quodam modo insunt priorum potentiarum rationes. Manifestum igitur est, quòd quodam modo quidem vna est ipsius facere & pati

potentia, (potens enim est, & eò quòd ipsum habeat patiendi potentiam, & eò quòd aliud ab eo) quodammodo verò alia. Hæc enim in patiente est. Propterea enim quod habet aliquod principium, & quod materia aliquod principium est, patitur quod patitur, & aliud ab alio. Pingue nanque combustibile est: cedens verò, sic presibile: & similiter de cæteris. Hæc verò, in faciente, vtputa, calidum, & ædificatiua: hoc quidem in calefactiuo, hæc verò in ædificatiua. Propter quod nullum prout connaturale factũ, ipsum à se ipso patitur: vnum etenim, & non aliud est. At impotentia quoque, & impotens, atq; quæ tali potentia contraria est, priuatio est. Quare eiusdem, potẽtia, impotentiaq; omnis. Priuatio autem multifariam dicitur. Etenim quod non habet, & quod natura aptum est, si non habet, aut omnino, aut cùm natura aptum sit, aut sic vtputa omnino, aut quomodocunq;: in quibusdam autem si natura apta habere, vi non habeant, priuari ea dicimus.

CAPVT II.



Quam autem quædam in inanimatis talia principia insunt, quædam verò in animatis, & in anima, & in animæ ea parte, quæ ratione habet, patet quòd potentiarum quoque quædam irrationales, quædam cum ratione erunt. Quare omnes artes, & factiuæ scientiæ, potentia sunt. Principia enim, transmutatiua in alio, prout aliud est. Et quæ quidem cum ratione omnes, eadem contrariorum sunt: irrationales verò, vna vnus: vt calidum, ipsius calefaciendi solius: medicandi verò potentia, infirmitatis, & sanitatis. Causa verò est, quia scientia ratio. Ratio autem eadem, manifestat & re, & priuationem, nisi quod non similiter: & quodam modo quidem amborum est, quodam modo verò eius magis, quod existit. Quare necesse est tales etiam scientias esse quidem contrariorum: esse verò huius quidem per se ipsas, illius verò non per se ipsas.

ipsas. Etenim ratio huius quidẽ secundum se ipsam, huius verò quodam modo secundum accidens. Ne ratione enim, & sublatione, manifestat contrarium. Prima nanque priuatio, contrarium est: hæc autem alterius demptio est. Sed quoniam contraria nõ sunt in eodem, scientia verò potẽtia, eò quòd habet rationem, anima quoque motus principium habet (salubre quidem sanitatem solum facit, & calefactiuũ caliditatem, & frige factiuũ frigiditatem, sciens autem ambo: ratio enim amborum quidem est, nõ tamẽ similiter, & in anima, quæ motus principium habet) ambo profectò ex eodem mouebit principio ad idem coniungens. Quare quæ secundum rationem potẽtia sunt, contraria iis faciunt, quæ absq; ratione potentia sunt: vnum nanq; principium, cõtinetur ratione. Manifestũ autem est, quòd & ipsius bene potentiam, sequitur solius faciendi, aut patiendi potentia: hanc verò illa non semper. Qui enim benefaciat, necesse est vt etiam faciat: qui verò solum facit, non necessariò & bene facit.

CAPVT III.



Sunt autem quidam, vt Megarici, qui dicunt tũc solum posse cùm agat: cùm verò non agat, non posse: vtputa, eum, qui non ædificat, ædificare non posse: sed ædificantem, cùm ædificat: similiter quoque & de cæteris. Quibus quæ inconuenientia accidit, non est difficile videre. Patet nanque, quòd nec ædificator erit, si non ædificat. Aedificatori enim esse, ipsum posse ædificare est. Similiter autẽ & de aliis artibus. Si igitur impossibile est huiuscemodi artes habere, nisi quandoque discat, & accipiat: & non habere, nisi amittat aliquando (aut enim obliuione, aut quadam passione, aut tempore: nõ enim re corrupta, semper nanque est) cùm cessauerit, non habebit artem: rursus autem statim ædificabit, quomodo accipiens? Et inanimata etiã similiter: nec enim frigidum, neque calidum, neq; dulce, nec omnino vllum sensibile erit non sentientibus. Quare Protagoræ opinionem accidet eis dicere. Atqui nec sensum aliquid habebit, si nõ sentiat, aut operetur. Si igitur cæcum est, quod non habet visum, natura tamen aptum, & quando aptum, & item prout natura aptum est habere, iidem sapius in eodem die cæci, & surdi erunt. Item, si impossibile id est, quod priuatus potentia, quod non fit, impossibile est fieri: quod verò impossibile est fieri, qui dicit esse, aut futurum esse, mentietur. impossibile enim hoc significabat. Vnde illæ orationes, & motum, & generatione perimunt. Semper etenim & quod stat, stabit, & quod sedet, sedebit. Si enim sedet, nõ surget: impossibile nanque erit surgere, quod non est possibile surgere. Quod si non est possibile ista dicere, manifestum autem est, quòd potẽtia, & actus aliud, & aliud est: illæ verò orationes idem faciunt, potentiam, & actum: propter quod, non parum quiddam quærunt perimere. Quare contingit possibile quidem esse quiddam, nõ esse autem, & possibile non esse, esse verò. Similiter in cæteris quoque prædicamentis, quicquam possibile ambulare, non ambulare: & possibile non ambulare, ambulare. Hoc autem possibile est, cui si illius insit actus, cuius potentiam habere dicitur, nihil impossibile erit. Dico autem vt si possibile sedere est, vt sedere contingit,

huic si extiterit ipsum sedere, nil impossibile erit: & si moueri quicquam, aut mouere, aut stare, aut sisti, aut esse, aut fieri, aut non esse, aut non fieri, similiter. Nomen verò actus, qui ad entelechiã annectitur, aduenit etiam in aliis, maximè ex motibus: videtur etenim maximè, motus, actus esse. Quare, non entibus nõ attribuunt ipsum moueri, sed alias quasdam prædicationes, vtputa intelligibilia, & desiderabilia esse, ipsa non entia, non autem mota: hoc autem, quia cùm non sint actu, erunt actu. non entium enim, quædam potentia sunt: nõ autem sunt, quoniam entelechia non sunt.

CAPVT IIII.



Si autem possibile est, quod dictum est quatenus sequitur, manifestũ est, quòd non potest verum esse dicere, quod possibile quidem est hoc, non tamen erit: alioqui quænam impossibilia sint, hoc modo fugiunt nos. Dico autem, vt si quis dicat posse diamentrum commensurari, non tamen commensurabitur, nõ cogitã quidnam impossibile sit: quia nihil prohibet aliquid possibile existens, aut esse, aut fieri, non esse, nec futurum esse. Attamen ex iis, quæ posita sunt, illud necessariò sequitur: quia si supponamus esse, aut factum esse, quod non quidem est, possibile autem est, nihil impossibile erit. At accidet quidem: commensurari enim, impossibile est. Enimuero non est idem falsum, & impossibile. Tenanque nunc stare, falsum quidem, sed non impossibile est. Simul autem manifestũ est, quòd si a existente, necesse est b esse, ita etiam a existente possibile esse, necesse est b quoque possibile esse. Nam si non est possibile esse, nihil prohibet nõ esse possibile esse. Si itaque a, possibile cùm igitur a, nihil impossibile esse, si ponetur ipsum a, nihil impossibile esse accidit. At tum ipsum b necesse est esse: at tamẽ impossibile erat. Sit igitur impossibile: quod si impossibile, necesse est a esse: necesse est autem b esse. sed erat a, possibile: ergo etiã b. si igitur a possibile sit, b etiam possibile erit: si ita quidem se habebant, vt a existente, necesse sit etiã b esse. Si itaq; sic se habentibus a b, non ita possibile sit b, nec ipsum b se habebit vt positum est, & si a possibile existente, necesse est b possibile esse, si a est, necesse est b etiam esse. Possibile nanque esse, necessariò b esse, si a possibile, hoc significat, si a sit, & quãdo, & sicuti erat possibile esse, illud quoque tunc & ita necesse esse.

CAPVT V.



Vm autem omnium potentiarum, quædam naturã nobis insite sunt, vt sensuũ, quædam consuetudine, vt tibiis canendi, quædam doctrina, vt artium, has quidem necesse est eos qui primò operati sunt, habere, quæcunq; scilicet consuetudine, & ratione: quæcunq; verò non tales, sed patiendi potentia sunt, non est necesse. Quoniã verò quod potest, aliquid potest, & aliquando, & aliquo modo, & quæcunq; alia necesse est adesse in definitione, & quædam quidem ratione possunt mouere, & potentia eorum cum ratione, quædam verò irrationalia, & potentia irrationales: & illas quidem necesse est in animato esse, has verò in ambobus, huiuscemodi quidem

potências necesse est, vt eum (quo ad possint) actiuū & passiuū approximent, hoc quidem faciat, illud verò patiat, illas verò non est necesse: hæ enim omnes, vna vnus factiua, illæ verò contrariorum. Quare simulne faciet contraria, hoc verò impossibile est. Necesse est igitur, aliud quiddam esse, quod dominetur. Dico autem, siue appetitū, siue electio- nem. Quodcunq; enim appetat, principaliter hoc faciet, cum, quoad possit, proximet passiuo. Quare omne secundum rationem potens, necesse est, vt cum appetat id, cuius potētiā habet, & vti habet, hoc faciat. Habet autem passiuo præsentē, & sic se habente, facere: sin minus, facere non poterit. Nullo enim intrinsecus prohibente, separationem faciēdo, nihilo opus amplius est. Potentiā enim habet, vt eius, quod est potestate faciendi. At nō quomodocunq; sed aliquo modo se habētibus, à quibus separabuntur etiam extrinsecus prohibētia. Re mouentur enim hæc eorum quædam, quæ in definitione adsunt. Quare nec simul velit, aut desideret duo, aut contraria facere, faciet: non enim ita potentiam eorum simul habet, nec est potentia simul faciendi: at quorum est, ita faciet.

CAPVT VI.

Quoniam autem de potentia, quæ secundum motum dicitur, dictum sit, de actu determinemus, quidnam actus, & quale quid sit. Etenim possibile quoq; simul manifestum erit, si diuiserimus, quod non solum hoc dicimus possibile, quod natura aptum sit aliud mouere, aut moueri ab alio, aut simpliciter, aut quodam modo, sed etiam aliter. Propter quod cum inquiramus, de his etiam tractabimus. Est autem actus re existere, non ita quæadmodū dicimus potestate. Dicimus autē potestate, vt in ligno Mercuriū, & in rota dimidiā, eō quod auferri possit: & scientē etiā illū, qui non speculatur, modō speculari possit. Est autē hoc actus, (manifestum autē quod dicere volumus, per inductionē in singularibus, & nō oportet omnium definitionē querere, sed etiam quod proportionale est, conspicerē) quoniam vt ædificās ad ædificatiuum, & vigilans ad dormiens, & videns ad conuiuens habens tamen visum, & segregatum à materia ad materiam, & elaboratum ad inelaboratum, huius autem differentia alteri parti actus applicatus sit, alteri verò possibile. Dicuntur autem actus, non omnia similiter, sed proportionaliter, vt hoc in hoc, aut ad hoc: ita illud in illo, aut ad illud in illo, aut ad illud. Quædam enim, vt motus ad potentiam: quædam vt substantia ad aliquam materiā. Aliter autem infinitum, & vacuum, & quæcunq; huiusmodi, quàm pleræque entium potentia & actus dicuntur, vt quam videns, ambulans, & visum. Etenim hæc quidem contingunt, & simpliciter, & quædoque vera esse. Visum enim, hoc quidem, quoniā videtur, hoc verò quoniā videri possibile est. Infinitum verò non ita potentia est, vt actus futurum separatum, sed cognitione. Etenim potentia esse hunc actum attribuunt diuisioni, ne deficiat, non autem vt separetur. Quidnam igitur, & quale quid sit, quod actus est, & his, & huiusmodi, manifestum nobis sit.

Quando autem potentia vnumquodque est, & quādo non, determinandum est. Non enim quodcunq; vtpote, terra ne homo est potentia, an non, sed magis cum iam fuerit sperma? nec hoc adhuc fortassis: quemadmodum nec à medicina quodcunq; vti que sanetur, nec à fortuna, sed aliquid est, quod possibile est: & hoc, potentia sanum. Determinatio verò eius, quod potentia ens est, cum à mente actu fit, est, quando quod vult fiat, nullo eorum, quæ extrinsecus sunt, prohibente. Ibi enim in eo, qui sanatur, est, cum nihil eorum, quæ in eo sunt, prohibeat. Similiter autem & domus potentia, si nihil eorum, quæ in ea re, & in materia sunt, vt domus fiat, prohibeat, nec est, quod aut addatur, aut tollatur, aut mutetur, hoc est potentia domus. Similiter autem de cæteris, quorū extrinsecus generationis principū, & quorum in habente ipso, quæcunq; nullo exteriori prohibente per se ipsa erunt: quale, sperma nō dum est. Oportet nanque in alio esse, & transmutari, cum iam per suum principium tale fuerit, hoc iam potētia est, illud verò altero principio indiget. Quemadmodum terra, nondum est potentia statua: transmutata nanque, æs erit. Videtur autem esse, quod dicimus, non hoc, sed illiusmodi: vt arca, nō lignum, sed lignea: neque lignum terra, sed terreum. Rursus terra, si sic, non aliud, sed quod illiusmodi, ipsum semper potentia, simpliciter posterior est: vt arca, neque terrea, neq; terra, sed lignea: hoc enim, potentia arca, & materia arcæ hæc. Simpliciter quidē eius quod simpliciter est: huius autē, hoc lignū. Quod si est aliquid primū, quod nō secūdū aliud dicitur illiusmodi, hoc prima materia: vtpote, si terra aerea, aer verò nō ignis prima materia est, tanquā quod quid, & substantia. Hoc enim vniuersale, & subiectū differt eo, quod est, quod quid & substantia. hoc enim vniuersale, & subiectū differt eo quod est quod quid esse, aut nō esse: vtpote, quod subiicitur passionibus, homo, corpus, & anima: passio verò, musicum, & album. Dicitur autem, musica adueniente illud nō musica, sed musicum: & homo, non albedo, sed album: nec ambulatio, neque motus, sed ambulans, aut motus: sic quod illiusmodi. Quæcunq; igitur ita, vltimum substantia est: quæcunq; autem non ita, sed species aliqua, & quod quid est, quod prædicatur, vltimum materia, & substantia materialis est. Et rectē sanē accidit, illiusmodi dici secundum materiam, & passiones: ambo enim indeterminata sunt. Quando igitur dicendum est potentia, & quando non, dictum est.

CAPVT VIII.

Quoniam autem quot modis dicatur prius, determinatum est, manifestum est, quod actus prius potentia est. Dico autem non solum illa potentia determinata, quæ dicitur principium transmutatorium in alio, prout aliud est, sed prorsus omni motiuo, & statuario principio. Etenim natura, in eodem fit. In eodem enim genere, cum ipsa potentia. Principium enim motiuū, non tamen in alio, sed in ipso prout ipsum.

ipsum. Omni itaque tali prior est actus, & ratione, & substantia: tempore verò quodā modo quidem est, quodam modo verò nō. Quod autem ratione prior, patet: potens enim est, quod primò potest, propterea quod contingit operari: vtpote, ædificatiuum, quod potest ædificare: & visiuum, quod potest videre: & visibile, quod potest videri. Eadem autem de cæteris quoque ratio est: quare necesse, vt ratio præcedat, & notitia notitiā. Tempore autem prius, sic, quod idem specie agit prius, numero verò non. Dico autem hoc, quod eo quidem homine, qui actu iam est, & frumento, & vidente prior tempore, materia, & sperma, & visiuum est, quæ potentia quidem homo, & frumentū, & videns sunt, actu verò nondum. Sed his, alia tempore priora actu existentia, è quibus hæc facta fuerūt. Semper etenim, ex eo, quod potentia est, fit actu ens ab actu existente, vt homo ex homine, musicus ex musico, semper aliquo primo mouente: mouens autē, actu iam est. Dicitur autem in sermonibus de substantia habitis, quod omne, quod fit ex aliquo, aliquid, & ab aliquo fit: & hoc specie idem. Quare videtur impossibile, esse ædificatorem, qui nihil ædificauerit, aut citharædum, qui nihil citharizauerit. Qui enim discit citharizare, citharizando discit citharizare. Similiter etiam alii. Vnde argumentatio oriebatur, quod aliquis non habens scientiam faciet id, cuius scientia, qui nanq; discit, non habet. Sed quoniam eius, quod fit, aliquid factum est, & eius, quod aliquo modo mouetur, aliquid motum est, (hoc autē in die motu manifestum est) discitem quoque necesse fortasse est, aliquid sciētia habere. At ex hoc quoque patet, quod actus prior potentia, & generatione, & tempore est.

CAPVT IX.

At verò substantia etiā, primò quidem quia quæ generatione posteriora, specie, & substantia priora sunt: vt vir, puer: & homo, spermate. Illud enim, iam habet speciem, hoc verò non. Et quoniam omne, quod fit, ad principium, & finem progreditur: etenim cuius causa, principium est: generatio verò, finis gratia: finis verò, actus: & huius gratia, potentia sumitur. Non enim vt visum habeant, animalia vident: sed vt videant, visum habent. Similiter etiam, ædificatiuum, vt ædificent: & speculatiuum, vt speculentur, non vt speculatiuum habeant speculatur, nisi qui exercitantur. Hi verò non speculantur, sed aut sic, aut quia non indigent speculari. Item materia est potentia, quia progredi potest ad speciem. cum verò actu, tunc in specie est, similiter etiam de cæteris, & quorum motio finis. Quare quemadmodum docentes, cum discipulum ostendant operantem, putant imposuisse finem, similiter etiam natura. Si enim nō ita fit, erit Mercurius Passonis. Non enim erit manifestum, an intrā, vel extrā sit sciētia, quemadmodum etiam ille. Opus enim: finis: operatio verò, opus. Vnde nomē operatio, dicitur ab opere, & tendit ad perfectionem. Cum autem quorundam quidem vltimum sit vsus, vt visus visio, & nihil præter hanc aliud à visu fiat opus, à quibusdam verò fiat aliud, vt ab ædificatiua domus præter ædi-

ficationem, nihilò minus tamen illhic quidem finis, hęc verò magis finis potentia est. Adificatio nanque in ædificato simul & fit, & est cum domo. Quoruncunq; itaque aliud quiddā præter vsus est id, quod fit, horū actus in eo, quod fit, est: vt ædificatio, in eo, quod ædificatur: & contextio, in eo, quod cōtextitur: similiter & de aliis, & omnino motus in moto. Quorū verò nō est aliud quoddam opus præter actionē, in ipsismet actio est: vt visio in videte, & speculatio in specularē, & vita in anima. Quare felicitas etiam: vita nanque quædam est. Vnde patet, quod substantia, & species, actus est. Et secundum hanc igitur rationem manifestū est, quod prior substantia actus, quàm potētia. Et, quemadmodum diximus, tempore semper præcedit actus, alius ante alium, vsq; ad eum, qui est primò mouētis, veruntamē etiam magis principaliter. Aeterna enim priora corruptibilibus substantia sunt: nihil verò potentia, æternum est. Ratio autem hæc, omnis potentia simul cōtradictionis est. Quod enim nō est possibile esse, non inerit alicui. Omne verò possibile, contingit nō agere. Quod igitur est possibile esse, contingit esse, & non esse: quod verò est possibile non esse, contingit non esse: quod autem contingit non esse, corruptibile est, aut simpliciter, aut hoc ipsum, quod dicitur, contingere nō esse, siue secundum locum, siue secundum quantum, siue secundum quale: simpliciter verò, quod secundum substantiam. Nihil igitur simpliciter incorruptibilis, simpliciter potentia est: secundum aliquid autem, nihil prohibet, aut quale, aut vbi. Actūne ergo omnia? Nec eorum, quæ necessariò sunt, licet hæc prima. Si enim ipsa non essent, nihil esset profectò. Nec si quis motus æternus, aut si quid æternum motum est, est secundum potentiam motum, nisi vnde, quo huius autem materiam nihil prohibet esse. Quare semper agit Sol, & stellæ, totumque cælum: neque timendum ne quando stet, quod metuunt quidam Physici. Non enim fatigantur, cum hoc faciunt, eō quod motus eis non est circa contradictionis potentiam (quemadmodum corruptibilibus) ita vt laboriosa eis sit motus continuatio. Substantia nanque materia, & potentia existens nō actu, huius causa est. Imitantur autē incorruptibilia, illa entia quæ transmutantur, vt terra, & ignis: etenim semper hæc agunt, secundum se enim, & in se ipsis, habent motum. Cæteræ verò omnes potentia, vt determinatum est, cōtradictionis sunt, (quod enim potest se mouere, potest etiam non sic) quæcunq; scilicet secundum rationem. Irrationales verò, eo ipso quod adsunt, & absunt, contradictionis erunt eadē. Si igitur aliqua natura, siue substantia tales sunt, quales dicunt in sermonibus ideas, multò magis sciens aliquid erit, quàm ipsa scientia, & motum quàm motus: illa enim magis actus, hæc verò horum potentia. Quod igitur actus prior, & potentia, & omni transmutatio principio est, patet.

CAPVT X.

Quod autem melior, ac præstātor, quàm ipsa bona potentia, actus sit, ex his patebit: quæcunq; enim secundum posse dicuntur, idem est potens contraria, vt

quod dicitur posse sanum esse, idem est etiam ægro-
tans, & simul eadem potētia est sanum, & ærotum
esse, & quiescere, & moueri, & extruere, & destrue-
re extrui, & destrui. Possē itaque contraria, simul
est. Contraria verò simul esse, impossibile est: vt sa-
num, & ærotum esse: quare necesse est, vnum eo-
rum bonum esse, ipsum autem posse vtrunq; simul,
aut neutrum: actus igitur melior. Necesse autem est
etiam in malis, finem, & actum deteriore potētia
esse. Etenim potens est idem, ambo contraria. Pa-
tet igitur, quod malum non est præter res: malum
nanque natura posterius potentia est. Non igitur
quicquam in iis, quæ à principio, & quæ perpetua
sunt, malum est, neque corruptum. Etenim corrup-
tio de malis est.

CAPVT XI.



Igitur quoque actu inueniuntur. Diui-
dentes nanque, inueniunt. Quod si diui-
sæ essent, manifestæ essent, nunc autem
insunt potentia. Cur triangulum duo re-
cti? Quia qui circa vnum punctū anguli, duobus re-
ctis æquales sunt. Si igitur qui circa latus est, educe-
retur, videnti mox esset manifestum. Cur in semi-
circulo, vniuersaliter rectus? Quia si tres, æquales:
& qui balis est, duo: & qui ex medio supra stat re-
ctus, videnti manifestū erit ei, qui illud sciat. Qua-
re patet quod quæ potentia sunt, redacta in actum
inueniuntur. Causa autem est, quia intellectio est
actus: quare ex actu, potentia, & ob hoc agendo cog-
noscunt. Posterior nanque generatione est, qui se-
cundum numerum actus est.

CAPVT XII.



Vm autē ens, & non ens, dicatur quod-
dam quidem secundum figuras prædi-
camentorum: quoddam autem secun-
dum potentiam, aut actum horum, aut
contraria: quoddam verò maximè propriè ens ve-
rum aut falsum: hoc autem in rebus est compositio-
ne, vel diuisione. Quam ob rem verum dicit, qui
diuisum diuidi, & compositum componi putat: fal-
sum autē qui contrā, quāni res se habeant, aut quā-
do sunt, aut non sunt. Quare quod verum, aut fal-
sum dicitur, quid profectò hoc dicimus, conside-
randum est. Non enim propterea quod nos te ve-
rè putamus album esse, tu albus es: sed propterea
quod tu albus es, nos qui dicimus, verum dicimus.

Si quædam itaque semper composita & impossi-
bilia diuidi, quædam verò semper diuisa & impossi-
bilia componi sunt, quædam verò contingit con-
traria esse, (esse quidem est componi, & vnum esse:
non esse verò, non componi, sed plura esse) ergo
circa contingentia quidem, eadem fit falsa, & vera
opinio, & eadem oratio: & contingit quandoq; ve-
ram, quandoque falsam esse. Circa verò impossi-
bilia aliter se habere, non fit quandoque verū, quan-
doq; falsum, sed hæc semper vera, & falsa sunt. Cir-
ca incomposita verò, quid esse aut non esse, & ve-
rum & falsum? Non enim est cōpositum, vt fit qui-
dem si componatur, non fit autem si diuisum sit,
(sicuti album lignum, aut diametrum incommen-
surabilem esse) nec verū & falsum, similiter etiam
in illis erit. An quemadmodum neque verum est,
idem in his, ita nec ipsum esse? Certè illud quidem
verum, hoc verò falsum est. Attingere nanque, ac
dicere, verum est: non enim est idem, affirmatio &
dictio. Non attingere verò, est ignorare. Non est
profectò decipi circa quod quid est, nisi secundum
accidens. Similiter autem est circa non compositas
substantias: nō enim est decipi. Et cunctæ sunt actu,
non potentia. Generarētur etenim profectò, ac cor-
rumperentur: nunc autem ipsum ens non fit, neque
corrumpitur. Ex aliquo enim utique generaretur.
Quæcunq; itaq; sunt verè ipsum esse quid, & actu,
circa hæc nō est decipi, sed aut intelligere, aut nō.
Verūm quod quid est de eis quæritur, si talia sint,
an non: esse verò, vt verū est, & non esse, vt falsum.
vnum quidem si componitur, verum: si verò non
componitur, falsum. Vnum verò si est quidem ens,
sic est: sin verò non ita, non est. Verum autem, in-
telligere hæc: falsum verò, nō est deceptio, sed igno-
rantia: nō qualis cæcitas est. etenim cæcitas quidē,
sicuti si omnino non haberet aliquis intelligēdi po-
tentiam. Manifestum autem est, quod neq; de im-
mobilibus deceptio est secundum quando, si quis
immobilia putet: vtputa si triangulū non putet mu-
tari, non opinabitur modò duos rectos habere, mo-
dò nō: mutaretur etenim. Verūm aliquid quidem,
aliquid verò nō: vtputa, parem numerum, primum
nullum esse: aut quosdam quidem, quosdam verò
nō. Quo ad numerum autem circa vnum, nec hoc:
non amplius enim, quædam quidem, quædam ve-
rò non putabit: sed verum dicit, aut falsum, tanquā
ita semper se habeat.

A R I

ARISTOTELIS

STAGIRITAE

METAPHYSI- corum Liber

Decimus.

CAPVT I.



Quod vñ multis dicitur mo-
dis, in diuisione de quoties, di-
ctum est prius. Cū autē mul-
tipliciter dicatur, primorum, &
eorum, quæ secundum se, nō se-
cundū accidens dicuntur vñ,
quatuor in summa modi sunt.
Et ipsum nanq; continuum aut simpliciter, aut ma-
ximè, quod natura, & nō tactu, neq; ligatione: & ho-
rum illud magis vnum, & prius, cuius motus indiu-
sibilior, & magis simplex est. Item tale etiam magis
est, quod totum est, aliquamq; formam, & speciem
habens, & maximè quodcunq; naturā tale sit, & nō
vi, quemadmodū quæcunq; aut glutine, aut clauo,
aut coniunctione: at habeat in se, quod causa ei sit,
vt cōtinuū sit: tale verò est, cui vnus motus loco, &
tēpore indiuisibilis sit. Quare manifestū est, quod
si quid natura motionis primæ principū habet pri-
mum (dico autē, lationis circulationē) id prima ma-
gnitudo vna. Quædā itaq; ita vñ, aut continuum,
aut totū sunt. Quædā autē, quorū vna ratio est. Ta-
lia verò, quorū intellectio vna: talia autē, quorum
indiuisibilis. Indiuisibilis verò, eius est, quod aut
specie, aut numero indiuisibile est: numero igitur
indiuisibile, est singulare: specie verò cognoscibili
& scientia. Quare vñ utiq; erit primū, quod sub-
stantiis, vt vñ sint, causa est. Toties igitur dicitur
vñ, quod natura cōtinuū est, totū, singulare, & vni-
uersale: hæc autē omnia vnum sunt, eò quod quo-
rūdam intellectio, aut ratio, indiuisibilis est. Opor-
tet autē considerare, quod non est eodē modo acci-
piendū, cū dicatur, quæ vñ dicuntur, & quid est
vni esse, quæve ratio eius est. Vnum etenim, toties
dicitur, & vñ quodq; eorū, cui aliquis horū modo-
rum insit, vñ erit. Esse autē, quādoq; quidē alicui
horū erit, quādoq; verò alteri, quod & magis pro-
pinquū nomini est: illa verò, potētia. Quemadmo-
dum si de elemento, & causa oporteat dicere, & de
ipsis rebus, determinādo, & nominis definitionem
reddendo. Ignis etenim quodammodo quidem est
elementum, (fortassis verò, secundū se etiā ipsum
infinītum, aut aliquid aliud tale) quodā modo verò
minimè est. Non enim est idem, igni, & elemento
esse: sed tanquam res quædam & natura, ignis ele-
mentum est. Nomen autem significat, quod hoc ei
competat, quod ex eo tanquam ex primo inexisten-
te aliquid sit. Ita & de causa, & vno, & cūctis huius-
cemodi. Propter quod vñ esse, est indiuisibile ef-
se ipsum re vera ens, & inseparabile, aut loco, aut
specie, aut mente, aut toto, atque determinato.

CAPVT II.



Maximè autem mensuram esse cuiusque
generis primū, & maximè propriè qua-
titatis. Hinc etenim ad alia aduenit. Mē-
sura enim id est, quo quantū cognosci-
tur. Cognoscitur autē quantum, vt quantū aut vno,
aut numero: omnis verò numerus, vno. Quare om-
ne quātum, prout quantū, vno cognoscitur: & quo
primo hoc cognoscitur, ipsum vñ: propter quod,
vñ principū est numeri, prout numerus est. Hinc
autē & in aliis id dicitur mēsurā, quo primo vnum
quodq; cognoscitur: & cuiusq; mensura vñ est, in
longitudine, in latitudine, in profunditate, in graui-
tate, in celeritate. Grauitas enim, & celeritas, cōmu-
nis est in cōtrariis. Duplex enim & vñ quodq; ho-
rum est: vt grauitas: & quæ quantūcunq; pōderis ha-
bet, & quæ excedit pondere: & celeritas, quæ quan-
tūcunq; motū habet, & quæ excedit in motu. Ete-
nim est aliqua tardi celeritas, & leuis grauitas. In
his itaque omnibus, mensura, & principium vnum
quiddam, & indiuisibile est. Nam & in lineis, vtun-
tur pedali, tanquam indiuisibili. Vbiq; etenim mē-
suram, vnum quiddam, & indiuisibile quærit. Hoc
autem, simplex, aut quali, aut quanto. Vbi itaq; vi-
detur non esse, aut auferendum, aut addendum, illa
certa mēsurā est. Quare, numeri certissima est. Vni-
tatem etenim ponit, quæ omnino indiuisibilis est:
in cæteris verò imitantur huiuscemodi. Ex stadio
nanque & talento, ac semper à maiore, magis profe-
ctò latebit, & additum aliquid, & demptum, quā
ex minore. Quare à quo primo secundum sensum
non contingit, hoc omnes mensuram, & humido-
rum, & siccorum, & grauis, & leuis faciunt: & tunc
putant cognoscere quantum, cū per hanc mensu-
ra sciāt: ac etiam motum simplici & velocissimo
motum: minimum enim tempus, hic habet. Qua-
propter in astrologia, tale vnum, principū, & men-
sura est. Motum enim æqualem, & velocissimū cæ-
li, supponunt, ad quem cæteros iudicant. Et in mu-
sica, diesis, quia minimum. Et in voce, elemētum.
Et hæc omnia, ita vnum quiddam, non vt commu-
ne quiddam vnum, sed vt prædictum est.

CAPVT III.



Non semper autem mēsurā, numero vñ
est, verūm aliquando plura: vtputa die-
ses duæ, quæ non secundum auditum,
sed in rationibus sunt. Et voces plures,
quibus mensuramus: & diameter, duobus mensura-
tur: & latus, & omnes magnitudines. Sic igitur mē-
sura omnium, vnum est: quia cognoscimus ex qui-

bus substantia est, aut secundum quantum, aut speciem diuidentes. Et propterea vnum indiuisibile est, quia singulorum quorumcumque indiuisibile est: non tamē omnia similiter indiuisibilia sunt (vt pes, & vnitas) sed hoc quidem omnino, illud verò vult ad indiuisibilia secundū sensum, vt iam dictum est. Fortassis etenim omne cōtinuū diuisibile est. Semper autē mensura, congenera est. Magnitudinū nāq, magnitudo: & secundū vnūquodq, lōgitudinis lōgitudine, latitudinis latitudo, vocum vox, grauitatis grauitas, vnitas vnitarum. Ita enim accipere oportet, & non quod numerum numerus. At oporteret, si similiter. Non tamē similiter censeret, sed ac si vnitarū vnitates, & non vnitate censeret esse mensurā. Numerus enim, vnitarū est multitudo. At sciētiam quoq, & sensum, mensuram rerū dicimus esse, propterea quia per ea aliquid cognoscimus. Atqui mēsurantur magis, quā mēsurent. Sed accidit nobis, ac si alio nos mēsurante cognosceremus quātinam sumus, eōq, toties nobis cubitalis mēsurā admōta est. Protagoras autē, hominem ait mensuram esse cōtūtorum, pēinde ac si scientē, aut sentientē diceret. Istos autem, quia habēt, ille quidē scientiā, hic verò sensum, quā dicimus obiectōrū mēsuras esse. nihil itaq, dicentes, superfluum aliquid dicere videntur. Quod itaq, vni esse (maximē secundū nomen, quod determinat) mensura quādam est, maximē propriē quantitatis, deinde qualitatis, manifestum est. Tale autem erit, si hoc quidem secundū quantitatem, hoc verò secundum qualitatem indiuisibile sit. Quare vnum, aut simpliciter, aut prout est vnum, indiuisibile est.

CAPVT IIII.



Secundum substantiam autem, & naturam, quonam modo se habeat, quærendum est, quemadmodum in dubitationibus tractauimus quidnam vnum sit, & quomodo de eo opinari oporteat: vtrum vt ipsum vnū, substantia sit, quæadmodum Pythagorici dixerunt prius, & Plato posterius: an magis aliqua subicitur natura, & quo modo oporteat notius dici: & an magis, sicuti Physici. Illorum enim quidā, amicitiam ipsū vnum ait esse, quidā aerē, quidā infinitū. Si autē nihil vniuersaliū possibile est substantiā esse, quemadmodū in sermonibus de substantia, de ente habitis dictū est, ne hoc ipsum, vt vnū quid præter multa, substantiā esse possibile est, (cōmune nāq;) sed vt prædicatio solū, patet, quod nec ipsum vnū. Ens enim, & vnū, & vniuersaliter maximē de omnibus prædicatur. Quare neque genera, naturæ quædā: & substantiæ à cæteris separabiles sunt: nec ipsum vnū, genus cōtingit esse: neque substantiā propter easdē causas, propter quas nec ens. Adhuc autē similiter in omnibus necesse est se habere. Dicitur autē æqualiter, ens & vnum. Quare cū in qualitatibus sit aliquid ipsum vnū, & aliqua natura, similiter autē & in quantitatibus, manifestū est, quod omnino quærendū est, quidnam vnum sit, sicuti quid ens: tanquā nō sufficiens sit, quod hoc ipsum eius natura sit. At verò in coloribus, est vnus color, vtputa, album: deinde alii ex hoc & nigro fieri vidētur. Nigrum autē, priuatio albi est, sicuti tenebræ lucis: hæc autē, lucis priuatio sunt. Quare si entia colores essent, aliquis profectō numerus entia essent, sed

quorum? patet quod colorum: & ipsum vnum, esset vtique aliquid vnum, vtputa album. Similiter si entia modulationes essent, numerus essent profectō. At tamē dies eos, & non esset numerus substantia, & eorum non ipsum vnum esset aliquid, cuius substantia non ipsum vnū, sed dies is. Similiter autē & in sonis elementorum essent entia profectō numerus, & ipsum vnum elementū vocale: & si figuræ linearum rectorū, figurarū profectō numerus essent, & ipsum vnum, triangulum. Eadem verò ratio & in cæteris generibus est. Quare si cū in passionibus, qualitatibus, quantitibus, ac in motu numeri sint, & vnū quoddam in omnibus, & ipse numerus aliquorū sit, & ipsum vnum aliquid vnum, non autē hoc ipsum substantia eius sit, necesse est, vt etiam in substantiis sic se habeat. Similiter namq, in omnibus se habet. Quod igitur in omni genere ipsum vnū aliqua natura est, & quod nullius hoc ipsum natura est, patet. Quemadmodum enim in coloribus ipsum vnum vnus color quærendus est, ita & in substantia vna substantia ipsum vnum. Quod autem idē quodam modo significat vnū & ens, patet etiā ex eo, quod æqualiter sequitur prædicamēta, & in nullo est, nec in quid est, nec in quale, sed similiter se habet sicuti ens, & ex eo, quod in prædicatione vnus homo, nō addit aliquid aliud quā homo, sicut nec ipsum esse præter quid est, aut quale, aut quātum: & vni esse, est vnicuique esse.

CAPVT V.



Proponuntur autē vnum & multa multis modis: quorū vno, vnum & multitudo, vt indiuisibile, & diuisibile, quod enim aut diuisum, aut diuisibile est, multitudo quædam dicitur: quod verò indiuisibile, aut nō diuisum, vnū. Cū autē opppositiones quatuor sint modis, horū alius secundū priuationē dicatur, contraria erūt profectō, & neq, vt contradictio, nec vt ea, quæ ad aliquid dicitur. Dicitur autem ex cōtrario ipsum vnum, & significatur ex diuisibili indiuisibile, eō quod magis multitudo & indiuisibile sensibile est. Quare multitudo, ratione prior, quā in diuisibile, propter sensum est. Item, vnus quidē est (quæadmodū & in diuisione contrariorū descripsi mus) idē, simile, & æquale: multitudinis verò, diuersum, dissimile, & inæquale est. Cū autē idē multipliciter dicatur, vno quidem modo secundū numerum, quod quandoq, dicimus ipsum: hoc verò si ratione, & numero vnum sit: vtputa, tu tibi ipsi & specie, & materia vnum. Item, si primæ substantiæ ratio vna sit: vt æquales lineæ rectæ, eadem, & æqualia, & æqualiū angulorū quadrata, tamen si plura sint: æqualitas tamē in eis, est vnitas. Similia verò, si cū nō sint eadem simpliciter, nec secundū substantiā subiectam indifferentia, secundum speciem eadē sint, quemadmodum maius quadratum minori simile est, & lineæ inæquales. hæc enim similes quidē, verum non eadem simpliciter sunt. Quædam verò, si cū eandē speciem habeāt, in quibus magis & minus sit, neq, magis, neq, minus sit. Quædā autē, si eadē & vna specie passio sit: vt valde albū, & minus, si milia esse aiunt, quia vna species eorū est. Quædā verò si plura habet eadem, quā diuersa, aut simpliciter, aut quæ in prōptu sunt: vt stannū, argēto, quā auro: aurum verò igni, prout flauus, & rufus est.

Quare

Quare manifestū est, quod diuersum, & dissimile multipliciter dicuntur, aliudque & idem, oppositē. Vnde omne ad omne, aut idem, aut aliud est. Hoc verò, nisi sit & materia, & ratio vna, (quare tu & propinquus, diuersum) tertium autem sicuti illa, quæ in mathematicis sunt. Diuersum igitur, aut idem ideo omne ad omne dicitur, quod quæq, vnum & ens dicuntur: nō est enim contradictio ipsius eiusdem. Quare nō dicitur de nō entibus, (at nō idem, dicitur) sed de omnibus entibus. Aut enim vnū, aut non vnū natura aptum ens, & vnū esse. Diuersum igitur, & idem, ita opponuntur: differentia verò, & diuersitas, aliud est. Diuersum namque, & illud, à quo diuersum, non est necesse aliquo esse diuersum. Omne etenim, quodcumque sit ens, aut idē, aut diuersum est. Differentes verò ab aliquo, aliquo differēs est. Quare necesse est aliquid idē esse, quo differūt: hoc verò idem, aut genus, aut species est. Omne namq, differēs, aut genere, aut specie differt. Genere, quorum nō est communis materia, neq, mutua generatio: vtputa, quorū alia prædicationis figura est. Specie verò, quorū idem genus. Dicitur autem genus, quo ambo, quæ differunt, secundū substantiā idem dicuntur. Contraria verò, differentia, & contrarietas quædam differentia est. Quod autem rectē supponimus, ex inductione patet. Cuncta enim differre videntur, & nō solū diuersa esse, sed quædam secundum genus diuersa, quædā in eadem prædicationis coordinatione. Quare & quæ eadem specie, in eodem genere sunt. Determinatum autem in aliis est, quæ eadem, aut diuersa genere sunt.

CAPVT VI.



Vnum autē contingat inuicē differre, quæ differunt, & plus & minus, est etiā quædam maxima differentia: & hanc dico contrarietate. Quod autē maxima differentia est, manifestū est ex inductione. Quæ enim genere differunt, non habent ad se mutuō viam, sed plus distant, & nō conueniunt: illis verò, quæ specie differunt, generationes ex cōtrariis, tanquam ex vltimis sunt. Distantia verò vltimorū, maxima est, quæ etiā contrariorum. Atqui quod maximū est in quoque genere, perfectū est. Etenim maximū est, cuius nō est excessus. Perfectum verò, extra quod nō est possibile aliquid habere. Finē namq, habet, perfecta differentia. Quemadmodum cætera perfecta dicuntur, eō quod habeant finē. Extra finem autem nihil est. Vltimum enim in re omni est, & cōtinet. Quare, nihil extra finē est, nec indiget aliquo, quod perfectū est. Quod igitur cōtrarietas, est differentia perfecta, ex his patet. Cū autem multipliciter dicatur cōtraria, ita perfectū sequitur, sicuti eis inest esse cōtrariis. His autē existentibus, patet quod non contingit, vni plura contraria esse. Nec enim, vltimo vltimū aliquid erit: nec vnus distatē plura, quā duo vltima. Et omnino si cōtrarietas differentia est, differentia verò duorum est, ergo & ipsa perfecta. Necesse autē alias cōtrariorum definitiones veras esse. Etenim plurimū differt perfecta differentia. Namq, non esse aliquid sumendū extra ea, quæ & genere differūt, & specie, ostensum est: quia ad ea, quæ extra genus sunt, nō est differentia. Horum autē, hæc maxima est. Et quæ in eodē genere plurimū differunt, contraria sunt. Maxima enim

horum differentia est, quæ perfecta est. Et quæ in eodem susceptiuo plurimū differunt, contraria sunt. Materia enim, eadem contrariis. Et quæ sub eadem potentia plurimū differunt. Etenim scientia circa vnum eorum genus, vna, in quibus perfecta differentia, maxima est.

CAPVT VII.



Rima verò cōtrarietas, habitus & priuatio est: nō tamen omnis priuatio, (multipliciter enim priuatio dicitur) sed quæcumque perfecta sit. Cætera verò contraria, secundū hæc dicuntur: quædam eō quod habeant: quædā eō quod faciāt, aut factiua sint: quædam eō quod accipiāt, abiiciant hæc, aut alia contraria. Si opponuntur itaq, contradictio, priuatio, cōtrarietas, & ad aliquid, horum autem primū contradictio, cōtradictionis verò nihil mediū est, contrariorum autē contingit, patet quod non idem est contradictio, & contraria. Priuatio verò, quædam contradictio est. Aut enim, quod omnino impossibile est habere: aut quod, cū natura aptum habere sit, nō habeat, priuatum est, aut totaliter, aut modo quodam, determinatū. Multipliciter enim hoc (vt in aliis diuisum à nobis est) dicimus. Quare priuatio, quædam cōtradictio est, aut impossibilitas determinata, siue simul accepta cum susceptiuo. Ideo contradictionis quidē non est mediū, sed priuationis alicuius est. Omne enim, aut æquale, aut non æquale: æquale verò, aut inæquale, nō omne, nisi solū in susceptiuo æqualitatis. Si itaq, generationes ipsi materiæ ex cōtrariis, (sunt autē aut ex specie, & habitu speciei, aut ex aliqua priuatione speciei, & formæ) patet quod omnis quidē contrarietas, priuatio est. Priuatio verò nō omnis fortasse, cōtrarietas est. Causa verò est, quia multipliciter priuari cōtingit, quod priuatum est. A quibus enim vltimis transmutationes, hæc cōtraria sunt. Hoc autē & per inductionem manifestū est. Omnis namq, contrarietas habet alterius contrariorū priuationem, verum nō omnia similiter. Inæqualitas enim, æqualitatis: dissimilitudo verò, similitudinis: vitium autem, virtutis. Differt autē, vt dictū est. Etenim hoc quidē, si solum priuatiū sit: hoc verò, sit sit aut quādo, aut in aliquo, vtputa in aliqua ætate, aut in principali, aut omnino. Ideo, horū quidē est aliquid mediū: & est, nec bonus homo, nec malus. Illorū verò nō est, sed necesse est esse parē vel imparē. Præterea, quædam habent subiectū determinatū, quædam non. Quare manifestū est, quod semper alterū contrariorum, secundum priuationem dicitur. Sufficit verò, etiam si prima & genera cōtrariorum, vtputa vnum, & multa: cætera enim ad hæc reducuntur.

CAPVT VIII.



Vnum autem vnū vni contrariū sit, dubitauerit quispiā quonā modo vnū & multa opponuntur, & æquale magno, & paruo. Ipsum enim vtrū, semper in oppositione dicimus: vtputa, vtrum album, an nigrum: vtrum album, & non album: vtrum verò homo an album, non dicimus, nisi ex suppositione, & quærentes, vtputa vtrum Cleon venit, an Socrates. Sed hoc in nullo genere necesse est. Verum hoc quoque illhic aduenit. Sola namq, opposita non cōtingunt

simul esse, quo & hic vitur, in eo, quod est vter venit. Nam si simul cōtingeret, ridicula esset interrogatio. Quod si etiā ita, similiter etiā in oppositionē cadit, ad vnum, aut multa: vtrū ambo venerunt, an alter, si sanē ipsius vtrū, quæstio semper in oppositis fit. Dicitur autem vtrū maius an minus, an æquale, quæ nā æqualis ad hæc oppositio est: nec alteri soli contrariū, nec ambobus est, cur enim magis maiori, quā minori? Præterea, in æquali æquale contrarium. Quare in pluribus, quā vno erit. Quod si in æquale idem ambobus simul significat, erit quidem ambobus oppositū. Et dubitatio iuvat illos, qui dicunt in æquale dualitatē esse. Verū accidit vñ duobus contrariū esse, quod impossibile est. Item æquale quidem, mediū magni & parui videtur: cōtrarietas verò, neq; media videtur, neq; ex definitione possibile est. Non enim esset perfecta, si alicuius media esset. Sed magis, semper aliquid sui ipsius mediū habet. Restat itaq; aut vt negationem opponi, aut vt priuationē. Alterius igitur, nō contingit (cur enim magis magni, quā parui?) amborum ergo priuatiua negatio. Ideo ipsum vtrū ad ambo, nō ad alterū solum dicitur: vtrū maius an æquale, vel vtrum æquale an minus, sed tria, semper. Non autem priuatio, necessariō. etenim nō omne, quod nō maius aut minus, æquale est, sed in quibus apta, natura sunt illa esse. Est igitur æquale, quod cum nec magnū, nec paruum sit, natura tamē aptum est magnū, aut paruum esse, & ambobus, tanquam priuatiua negatio opponitur, ideo & mediū est, & quod nec bonū, nec malum est, ambobus opponitur, verum inominatū est. Multipliciter nanq; vtrūq; dicitur, & susceptiuū non est vñ: sed magis, quod nec album, neq; nigrum, neq; tamen hoc dicitur vnum. Sed determinati quodam modo colores sunt, de quibus priuatiuē hæc negatio dicitur. Necessē enim, aut fuscum, aut pallidum, aut huiuscemodi aliquid aliud determinatum esse. Quare non rectē repræhendunt, qui similiter putāt omnia dici: vt calcei, & manus medium sit, quod neq; calceus, neq; manus est: quandoquidē & quod nec bonum, nec malum est boni & mali, ac si omnī esset aliquid mediū. Verū non est necesse, vt hoc accidat. Etenim hæc negatio simul oppositorum est, & quorum aliquid mediū, ac aliqua distantia, natura apta est esse: illorū autem non est differentia. In alio enim genere ea sunt, quorum simul erant negationes. Quare quod subiicitur, non est vnum.

CAPVT IX.



Similiter autem de vno, & multis quispiam dubitare possit. Etenim si multa vni simpliciter opponuntur, accidunt quædam impossibilia. Vnum etenim paucum, aut pauca erit: multa etenim paucis opponuntur. Præterea, duo sunt multa (siquidē duplex, multiplex) dicitur autem duplum à duobus. Quare ipsum vnum, paucū erit. Ad quid enim ipsa duo dicerentur multa, nisi ad vñ, & paucum? nihil nanque est minus. Præterea, si vt in longitudine longū, & breue, ita in multitudine multum, & paucum, & quodcunq; sit multū & multa. Et rursus, quæ multa, etiā multum, nisi fortē in continuo facillē terminabili differat, quod paucū est, quædam multitudo

erit, quare ipsum vñ, multitudo quædam est, siquidem & paucum, hoc verò esse est, si ipsa duo multa sunt. Verū fortassis, multa dicuntur quidem, sicuti & multū, sed vt differens (veluti aqua) multū, multa verò minimē, sed quæcunq; diuisibilia sunt, in his dicuntur: vno quidem modo, si qua multitudo sit, excessum aut simpliciter, aut ad aliquid habens: paucūq; similiter, multitudo defectū habens, hoc verò vt numerus, qui solū vni opponitur. Ita enim dicimus vnum, aut multa, quemadmodum si quis dicat vnum, & ipsa vna, aut albū, & ipsa alba, & mensurata ad mensurā, & mensuratū. Sic & multiplicia dicuntur: multa nāq; vnusquisq; vno numero, quia multa vna, & quia vnusquisq; mensurabilis, & tanquam vni, nō pauco, oppositus. Hoc itaq; modo, multa sunt & ipsa duo, tanquā verò multitudo, aut ad aliquid, aut simpliciter excessum habēs, nō sunt, sed prima, simpliciter verò sunt pauca, ipsa duo: multitudo nanq; est prima, defectum habens.

Quare nō rectē fuerit dicens Anaxagoras, quod simul cunctæ res erant, multitudine & paruitate infinitæ. Decebat nanq; pro paruitate dicere, & paucitate. Non enim infinitæ, cum paucū, non propter vnum, (vt quidā aiunt) sed propter duo. Opponuntur autem vñ & multa, quæ in numeris, vt mensura mensurato: hæc verò vt ea, quæ ad aliquid. Quæcunq; eorum, quæ ad aliquid, nō secundum se dicuntur, (distinctū autem à nobis in aliis est, quod ea, quæ ad aliquid dupliciter dicuntur) quædam vt contraria, quædam vt scientia ad scibile, eò quod aliquid aliud dicatur ad ipsum. Vnum verò, aliquo minus esse, vtputa duobus, nihil prohibet. Non enim si minus est, etiā paucū est: multitudo autem quasi genus numeri est. Numerus etenim est multitudo, vno mensurabilis. Et quodā modo vñ & numerus opponuntur, nō vt contraria, sed (quemadmodum dictū est) vt quædam eorum, quæ ad aliquid. Quatenus enim hoc quidem mensura, illud verò mensurabile, eatenus opponuntur. Ideo non omne, quod vñ sit, numerus est: vtputa, si quid indiuisibile sit. Cum autē similiter dicatur scientia ad scibile, non similiter assignatur. Videri nanq; possit scientia quidē mensura esse, scibile verò quod mensuratur. Accidit autem omnem scientiam scibile esse, scibile non omne scientiam esse, eò quod modo quodam scientia scibili mensuratur. Multitudo autem neque pauco contraria est, sed huic multum tanquam excedens multitudo, excessæ multitudinis: nec vni omnino, sed hoc quidem (vt dictum est) quod diuisibile, hoc indiuisibile, tanquam ad aliquid, quemadmodum scientia scibili, si fuerit numerus: vnum verò mensura est.

CAPVT X.



Vm verò contrariorum contingat aliquid medium esse, & quorundam sit, necesse ex cōtrariis media esse. Omnia enim media, & illa, quorū media sunt, in eodem genere sunt. Media nanque illa dicimus, in quæ necesse est, primò transmutari, quod transmutatur: vtputa si ab hypate in netem paulatim pertranseat, prius ad medios sonos veniet. Et in coloribus, si ex albo, ad nigrum veniat, prius ad puniceum, & fuscum, quā ad nigrum veniet. Sim

Similiter autē & in aliis. Transmutari verò ex alio genere in aliud genus, non est nisi secundum accidens: vt ex colore in figuram. Necessē igitur, vt media, & sibi inuicem, & quorum media sunt, in eodem genere sint. At verò omnia, aliquorum oppositorum sunt, ex his nanque solis, per se transmutari est. Quare impossibile est, media esse nō oppositorum: esset nanque profectò, transmutatio etiam ex non oppositis. Oppositorum verò cōtradictionis quidem, nullum est medium. Hoc enim est cōtradictio, oppositio cuius, cum nihil habeat medium, cuiuscunq; altera pars adest: cæterorum verò, quædam ad aliquid, quædam priuatio, quædam contraria sunt. Eorum verò, quæ ad aliquid, quæcunq; non sunt contraria, non habent medium. Causa verò, quia non in eodem genere sunt. Quid nanque scientiæ & scibilis medium? verū, magni & parui est. Quod si media in eodem genere sunt (vt ostensum est) & cōtrariorum media, necesse est ea ex his contrariis componi. Aut enim erit aliquod genus eorum, aut nullum. Et si genus quidem ita erit, vt aliquid prius contrariis sit, differentiæ priores contrariæ erunt, quæ faciunt contrarias species, tanquā generis. Ex genere nanq; & differentiæ, species sunt: vtputa si album & nigrum contraria sunt. Est autem illud segregatiuus color, hoc verò congregatiuus: hæc differentiæ congregatiuum, & segregatiuum, priores: quare priora inuicē contraria sunt. At verò quæ cōtraria, differentiæ sunt, magis cōtraria sunt. Cætera quoque & media, ex genere, & differentiis erunt: vtputa quicunq; colores mediū inter album & nigrum sunt, hos oportet, vt & ex genere dicantur, (est autem genus color) & ex quibusdā differentiis: hæc verò non erunt prima contraria. Quod si secus, vnumquodque aut album aut nigrum erit, ergo alia. Mediæ igitur primorum contrariorū, hæc erunt, primæ verò differentiæ, segregatiuum & congregatiuum. Quare hoc primū quærendum est, quæcunq; contraria non in genere, ex quo media eorum? Quæ enim in eodem genere sunt, necesse est vt aut ex incompositis genere componantur, aut incomposita sint. Et quidem cōtraria inuicem incomposita, propterea quod principia sunt. Media verò, aut omnia, aut nullum. Ex cōtrariis verò, aliquid sit. Quare erit in hoc transmutatio antè, quā in illa: vtroq; enim, & magis, & minus erit: medium igitur contrariorum hoc etiam erit. Ergo cætera quoque media, composita sunt. Id enim, quod vno minus, altero magis est, compositū ex illis quodam modo est, quorum vno minus, altero magis dicitur esse. Cum verò contrariorum alia priora eiusdem generis non sint, omnia media profectò ex contrariis erunt. Quare & omnia inferiora, tum cōtraria, tum media, ex primis contrariis erunt. Et quidem quod cuncta media in eodem genere, & contrariorum media sint, ac ex contrariis componantur, patet.

CAPVT XI.



Diuersum autem specie ab aliquo, diuersum aliquid est. Et hoc, ambobus inesse oportet: vt si animali specie diuersum, ambo animalia. Necessē est igitur in eodem genere esse, quæ specie diuersa sunt. Huiuscemodi

modi enim appello genus, quo vnum & idem ambo dicuntur, non secundum accidens differentiam habens, siue vt materia existens, siue vt aliter. Etenim non solum cōmune oportet existere, vt ambo animalia, verū etiā vtriq; diuersum hoc ipsum animal: vt hoc quidem equus, hoc verò hominē. Quare hoc cōmune, diuersum specie vicissim est. Erit itaq; secundū se, hoc quidem tale quid animal, hoc verò tale quid: vt hoc quidem equus, hoc verò homo. Necessē igitur, hanc differentiā generis diuersitatem esse. Dico nanq; differentiā generis diuersitatem, quæ diuersum hoc ipsum facit. Contrarietas igitur hæc erit. Patet autem ex inductione. Cuncta nanq; oppositis diuiduntur. Et quod contraria in eodem genere sint, ostensum est. Contrarietas enim, perfecta differentia erat. Omnis verò specie differentiā ab aliquo, aliquid: quare hoc & idē & genus in ambobus. Ideo in eadē coordinatione prædicationis, sunt omnia cōtraria, quæcunq; non genere differunt, & inuicē maximē diuersa. Perfecta nanq; differentia & simul inuicē non fiunt. Differentia ergo, cōtrarietas est. Hoc enim est diuersa specie esse, quod cum in eodem genere sint, cōtrarietatem habēt indiuidua existentia. Eadem autem specie, quæcunq; contrarietate non habent, indiuidua existentia. In diuisione nanq;, & in mediis fiunt contrarietates antè, quā ad indiuidua deueniatur. Quare manifestū est, quod ad id, quod vocatur genus, nec eadem, neq; diuersa specie, vlla, quæ vt generis species cōueniunt. Materia nanq; negatione ostenditur: genus verò, materia eius est, cuius genus dicitur: nō vt quod Heraclidarū, sed vt quod est in natura. Nec ad ea, quæ non in eodē genere sunt, sed ab illis genere different, specie verò ab iis, quæ in eodem genere sunt. Etenim differentiā, necesse est esse contrarietatem eius, à quo specie differt. Hæc autem iis solis inest, quæ in eodem genere sunt.

CAPVT XII.



Vbitabit autem quispiam, cur mulier à viro nō specie differat, cum mas, & femina contraria existant, differentia verò cōtrarietas sit? neq; diuersum specie animal masculinū, & femininum, cum tamen hæc differentia per se animalis sit, & non vt albedo, & nigredo, sed quatenus animal & masculinū, & femininum insint? Hæc autem dubitatio ferè eadem est, & cur hæc quidem contrarietas diuersa specie faciat, hæc verò non: vt gressibile, & volucre, albedo verò & nigredo non: an quoniam illa quidem propriæ passionis generis sunt, hæc verò minimè? & cum illud quidem ratio, hoc verò materia sit, quæcunq; in ratione contrarietates sunt, specie differentiam faciunt, quæcunq; verò in coassumpto materiæ, minimè faciunt. Quare hominis albedo, vel nigredo non facit, nec hominis albi ad hominem nigrum secundum speciem differentia est, etiam si vnum nomen ponatur. Homo nanq;, vt materia est: materia verò non facit differentiam. Non enim hominis species, sunt homines. Quare & si carnes, & ossa, ex quibus hic, & hic est, diuersa sint, attamen totum diuersum quidem: specie verò non est diuersum, quoniam in ratione non est contrarietas, hoc autem est vltimum indiuiduum. Callias

Callias verò, ratio cum materia est: & albus homo, quoniam Callias albus. Per accidens igitur homo est albus. Nec æneus, & ligneus circulus, siue triangulus æneus, & circulus ligneus ob materiam specie differunt, sed quoniam in ratione contrarietas inest. Vtrum autem materia non faciat diuersa specie, cum quodam modo diuersa sit, an aliquo modo facit? Cur enim hic equus ab hoc homine diuersus specie, cum rationes eorum cum materia sint? an quoniam in ratione contrarietas inest? Etenim hominis albi, & equi nigri specie diuersitas est, non tamen prout hic quidem albus, hic verò niger. Siquidem & si ambo albi essent, nihil minus specie diuersi essent. Masculinum & foemininum, propriæ quidem animalis passionis sunt, sed non secundum substantiam, verum in materia, & corpore. Quare idem sperma aliquam passionem passum, aut foemina, aut mas fit. Quid igitur sit specie diuersum esse, & cur quædam specie differant, quædam non, dictum est.

CAPVT XIII.



Um verò contraria, specie diuersa sunt, corruptibile autem, & incorruptibile contraria sunt, (priuatio namque, determinata impotentia) necesse est diuersum genere esse corruptibile incorruptibile. Nunc autem igitur de his vni-

uersalibus nominibus diximus. Videatur autem non esse necesse quodcumque corruptibile, & incorruptibile, diuersa specie esse: quemadmodum nec album, & nigrum. Idem enim contingit, & simul esse, modò vniuersaliù sit: sicuti homo profectò esse potest & albus & niger, & singularium, fuerit sanè idem (non simul) & albus, & niger, tamen si album nigro contrarium sit. Verum contrariorum quædam secundum accidens quibusdam insunt, ut ea, quæ nunc dicta sunt, ac alia multa: quædam impossibile est, quorum est corruptibile, & incorruptibile. Nihil enim secundum accidens corruptibile est. Accidens namque contingit non esse. Corruptibile verò eorum est, quæ necessariò insunt iis, quibus insunt, aut vnum & idem corruptibile, & incorruptibile erit, si contingit non inesse ei corruptibile. Aut substantiam igitur, aut in substantia cuique corruptibile, necesse est corruptibile esse. Eadem autem ratio & de incorruptibili est. Eorum enim ambo sunt, quæ necessariò insunt. Prout igitur & secundum quod primum hoc quidem corruptibile, corruptibile, illud verò incorruptibile, oppositionem habent: quare necesse est, genere diuersa esse. Manifestum itaque est, quod non contingit tales species esse, quales quidam aiunt. Erit namque & hic quidem corruptibilis, ille verò incorruptibilis, quantum species eadem specie cum particularibus esse dicantur, & non æquiuocæ: quæ verò genere diuersa sunt, plus distant, quam quæ specie.

ARISTOTELIS

STAGIRITAE

METAPHYSICORUM LIBER

Vndecimus.

CAPVT PRIMVM.



Uòd itaque sapientia scientia quædam circa principia est, patet ex primis, in quibus ad ea, quæ ab aliis, de principiis dicta fuerunt, dubitatum est. Ambigat autem quispiam, vtrum ipsam sapientiam par sit vnâ esse scientiam, an plures. Si enim vnâ, vna certè semper contrariorum est. At principia contraria non sunt. Quod si non vnam, quales has ponere oportet. Item demonstratiua principia speculari, vtrum vnus est, an plurium. Nam si vnus, cur huius magis, quam cuiuscunque. Quod si plurium, quales has ponere oportet. Præterea, vtrum omnium substantiarum, an non. Nam si non omnium, difficile erit qualiumnam sit reddere. Si autem omnium vna, incertum est, quonam modo contingit pluriù eandem scientiam esse. Præterea, vtrum circa substantias solum,

an etiam circa accidentia. Si enim circa accidentia demonstratio est, circa substantias non est. Quod si altera, quænam vtraque & vtra sapientia sit, demonstratiua quidem sapientia, quæ circa accidentia est, an verò, quæ circa ipsa prima, quæ substantiarum est. At nec circa causas, quæ in naturalibus dictæ sunt, quam quærimus, scientia ponenda est: neque enim circa ipsum, cuius causa. Tale enim, est bonum. Hoc verò in agendis, & iis, quæ sunt in motu, existit. Et hoc primum mouet. Tale namque finis est. In immobilibus verò, primum mouens non est. Et omnino dubitationem habet, vtrum circa sensibiles substantias est, quæ nunc quæritur, scientia, an non, sed circa alias quasdam. Etenim si circa alias, aut circa species erit profectò, aut circa mathematica. Quod autem species non sint, manifestum est. Attamen etiam si quis eas ponat esse, dubitationem habet, cur non ita se habet de cæteris, quorum species sunt, quemadmodum de mathematicis? Dico autem, quod mathematica quidem media ponunt specierum, & sensib

sensibiliù esse, quasi tertia quædam præter species, & ea, quæ hinc sunt: at tertius homo non est, nec equus, præter ipsum, & particulares. Quod si, ut aiunt, non sunt, circa qualia ponendum est, quod mathematicus tractet? non enim circa ea, quæ hinc sunt. Nihil enim horum tale est, quale mathematicæ scientiæ quærent. At verò nec circa mathematica est, quæ nunc quæritur scientia: nihil enim horum separatum est. Verum nec sensibilibus substantiarum: corruptibiles namque sunt. Et omnino dubitare aliquis possit qualisnam scientiæ sit, de mathematicorum materia dubitare. Nec enim naturalis, eò quod circa ea, quæ in se principium motus & quietis habent, omnis naturalis intentio est. Nec illius, quæ de demonstratione, & scientia tractat: circa namque id ipsum genus, considerationem facit. Restat itaque philosophiam propositam, de hisce rebus tractare. Dubitauerit autem quispiam profectò, si hæc, quæ quæritur, scientia, ponenda sit circa principia, quæ à quibusdam elementa vocantur, hæc autem omnes inesse cõpositis ponunt. At magis videatur, vniuersaliù eam oportere esse, quæ quæritur scientia. Omnis enim ratio, omnis scientia, vniuersalium non vltimorum est: quare sic erit vtiq; primorum generum. Hæc autem sanè fuerint ens, & vnũ. Hæc enim maximè putabuntur cuncta entia cõtinere, & maximè principiis assimilari, eò quod natura, prima sint. Corruptis namque eis, simul cætera quoque pereunt, omne enim, ens & vnum. Quatenus autem necesse est, ut differentia participent his, si quis hæc genera ponat, nulla verò differentia participat genere, hoc pacto non videatur ponere, neque principia. Item, si magis principium est, quod simplicius, quam quod minus tale sit, vltima verò eorum, quæ ex genere sunt simpliciora, quam genera sint (hæc enim indiuidua sunt: genera verò, in plures species, & differentes diuiduntur) magis species, quam genera videantur principium esse: quatenus verò species simul cum generibus pereunt, genera magis assimilantur principiis. Principium namque est, quod cõinterimit. Hæc vtiq; & huiuscemodi alia sunt, quæ dubitationem habent.

CAPVT II.



Tem vtrum ponendum est quicquam præter particularia, an non, sed horum est, quæ quæritur, scientia. At hæc infinita sunt. Quæ verò præter singularia sunt, aut genera, aut species sunt: neutrius autem horum, quæ quæritur, scientia est. Cur enim hoc impossibile sit, dictum est. Etenim omnino hæsitationem habet, vtrum arbitrandum sit, aliquam separatam substantiam præter sensibiles substantias, & has, quæ hinc sunt, an non, sed illa esse entia, & circa illa sapientiam versari. Quærerere namque, videtur aliam quædam, & hoc est nobis propositum. Dico autem videre si quid per se separabile sit, & in nullo sensibilibus existens. Item, si præter sensibiles substantias est aliqua alia substantia, præter quales sensibiles ea ponenda esset. Cur enim magis præter homines, quam præter equos, aut alia animalia, aut omnino etiam inanimata, ponenda sit? At his sensibilibus, & corruptibilibus substantiis alias sempiternas equales ponere, profectò extra rationem cadere videre-

tur. Quod si id, quod nunc quæritur principium, non est à corporibus separabile, quod aliud magis, quam materiam quis ponet? At hæc, actu quidem non est, potentia verò est. Magis itaque, ac principalius ea videatur esse principium, species & forma. Verum hæc quoque corruptibilis est. Quare omnino non est perpetua substantia, & per se separabilis. Sed hoc, inconueniens est. Videtur namque esse, ac ab ipsis maximè gratia præditis quæritur, tanquam sit tale principium, ac talis substantia. Quo namque pacto ordo erit, non existente aliquo perpetuò separato, ac permanente? Item, si est aliqua substantia, & principium naturæ tale, quale nunc quærimus, & hoc omnibus vnum, & idem, perpetuis, atque corruptibilibus, dubitationem habet, cur cum idem principium sit, quædam, quæ sub illo principio sunt, æterna sunt, quædam non. Et hoc enim inconueniens est, si aliud quidem corruptibiliù principium, aliud æternorù est. Si etiam corruptibiliù, æternum est, similiter dubitabimus: cur enim principio æterno existente, non sint æterna, quæ sub æterno sunt? corruptibili verò existente, aliud quoddam huius principium sit, & illius aliud, & hoc in infinitum procedet. Quod si quis rursus (quæ maximè videntur immobilia principia esse) ens & vnũ ponat, primò quidè nisi quod quid & substantiam vtrumque eorum significet, quomodo separabilia, & per se ipsa erunt? talia namque prima & æterna principia quærimus. Quod si substantiam, & quod quid vtrumque eorum significet, omnia entia substantiæ sunt, cum de omnibus ens prædicetur: de quibusdam verò etiã vnum: cuncta verò entia substantiam esse, falsum est. Item illis, qui primum principium ipsum vnũ aiunt, & hoc substantiam esse, ex vno verò, & materia, primò numerum generat, & hunc substantiam esse dicunt, quomodo cõtingit verum esse, quod dicitur? dualitatem namque, & cæterorum compositorum numerorum vnumquoniam, quonam modo vnũ intelligere oportet? De hoc enim nec dicunt aliquid, nec ut dicant facile est. Si quis verò lineas, aut quæ has sequuntur (dico autem primas superficies) principia esse ponat, hæc non sunt substantiæ separabiles, verum definitiones, & diuisiones, illæ quidem superficiarum, hæc verò corporum: puncta verò linearum sunt, & etiam ipsarum earundem termini. Hæc autem omnia, in aliis sunt, & nihil separabile est. Item, quonam modo arbitrandum sit, vnus & puncti substantiam esse? Omnis namque substantiæ, generatio est: puncti verò, minimè. Punctum enim diuisio est: præbet autem dubitationem hoc etiã, quod omnis quidem scientia vniuersalium est, & eius, quod tale est. Substantiam verò non esse vniuersalium, sed magis ipsum quod quid, & separabile. Quare si scientia circa principia est, quonam modo arbitrandum sit, principium substantiam esse? Item, vtrum est aliquid præter cunctum: dico autem materiam, & quod cum ea est, an non? Nam si non est, quæ in materia sunt, omnia corruptibilia sunt. Quod si est aliquid, species & forma profectò fuerit. Hoc itaque, in quibus est, in quibusve non est, difficile determinare est. In quibusdam enim, manifestum est non esse speciem separabilem, ut puta domo. Item, principia, vtrum specie, an numero eadem sint. Si enim numero vnum, omnia erunt eadem.

CAPVT III.



Vm autem philosophi scientia sit entis prout ens, vniuersaliter, & non secundū partē, ens verò multipliciter, & non secundum vnū modum dicitur, si æquiuocē, & nō secundum aliquid cōmune dicitur, non est sub vna sciētia. Talium enim nō est vnū genus. Quod si secundum aliquid cōmune, erit vtiq; sub vna scientia. Videtur autem prædicto modo dici, quemadmodū medicatiuū, & salubre. Etenim vtrūque horū multipliciter dicitur. Dicitur nanq; hoc modo vnumquodq; eorū, eò quòd hoc quidem ad medicandi scientiā quodam modo referatur, hoc verò ad sanitatē, hoc verò aliter, vnumquodq; verò ad idem. Medicatiuus nanq; sermo, & cultellus, dicitur, eò quòd ille quidē à medicandi sciētia, hic verò ei vtilis. Similiter & salubre: hoc enim, quia sanitatis significatiuū: hoc verò, quoniā factiuum. Idem autē modus, & de cæteris est. Eodem autem modo, & omne ens dicitur. Eo nanque, quod entis prout est, passio, aut habitus, aut dispositio, aut motus, aut aliquid huiuscemodi sit, dicitur ens vnumquodq; eorū. Cū autē omnis entis ad vnū quid, & cōmune reductio fiat, contrarietātū quoq; singulæ ad primas differentias, & cōtrarietates entis reductentur, siue multitudo, & vnū, siue similitudo, & dissimilitudo primæ sunt entis differētiæ, siue aliqua alia: sint autē hæ speculatione perceptæ. Nihil autem interest, ad ens, vel ad vnū, entis reductionē fieri. Etenim si nō idem, sed aliud sit, attamen conuertitur. Et ipsum enim vnū, quodam modo ens, & ipsum ens, vnū est. Cū autē vnus & eiusdē scientiæ sit cuncta cōtraria speculari, vnumquodq; autē horū secundum priuationē dicitur (licet de quibusdam, quorū aliquid intermediū est, quemadmodū iusti & iniusti, dubitaret quispiā quonam modo secundum priuationē dicantur) circa hæc omnia sanè priuatio ponenda nō rotius rationis, sed vltimæ speciei: vtpote si iustus est secundū habitum quendam legibus obtemperans, iniustus non erit omnino tota ratione priuatus. Circa verò obedientiā legum deficiens, aliquo pacto, & ob hoc ei priuatio inerit. Eodem autē modo & de aliis. Quemadmodum mathematicus circa abstracta speculatur (tolledo nanq; omnia sensibilia, ita speculatur: vtpote grauitatē & leuitatē, duritiem, & contrariū, item autem caliditatē, & frigiditatē, & cæteras sensibiles contrarietates) solum verò dimittit quantū & continuum, horū quidem ad vnū, horum verò ad duo, horum autē ad tria, & passiones eorū prout quāta, & continua sunt, nō prout aliquid aliud speculatur, & horū quidem situs adinuicē cōsiderat, & ea, quæ eis insunt, horū verò cōmensurationes, & incōmensurationes, horū autem rationes, attamen in vnā omnium, & eādē scientiā ponimus geometriā, eodem modo etiam circa ens se habet. Quæ enim ei, prout ens est, accidunt, & eius, prout ens, cōtrarietates, nō est alterius sciētia, quā philosophiæ speculari. Physicæ nanq; speculationē de eis, non prout entia, sed prout motu participāt, attribuere queat quispiam. Dialectica verò, & sophistica, de iis, quæ accidunt quidē entibus sunt, verū nō prout entia sunt, nec circa ipsum ens prout ens est. Vnde restat, philosophum esse circa prædicta, speculatiuū prout

entia sunt. Cū verò & omne ens secundum vnum quid, & cōmune dicatur multipliciter dictū, cōtraria quoq; eodem modo (ad primas nanq; cōtrarietates, & differētiās entis reducuntur) huiuscemodi verò possibile sit sub vna sciētia esse, soluetur profectō dubitatio à principio dicta. Dico autē in qua dubitatur, quonā modo multorū & genere differentium vna quædam sciētia erit. Cū autē mathematicus propriè specialiter cōmunibus vtatur, horum quoq; principia speculari, primæ philosophiæ profectō erit. Quòd enim ab æqualibus, demptis æqualibus, æqualia sunt, quæ restant, cōmune quidem in omnibus quātis est. Mathematica verò accipiens, circa quandam suæ materiæ partē speculatur, vt circa lineas, aut angulos, aut numeros, aut aliquid cæterorum quantorū: non tamē prout entia, sed prout vnumquodq; horum ad vnū, vel duo, vel tria continuū est. Philosophia verò, de particularibus quidem, prout vnicuiq; horū aliquid accidit, nō considerat: circa verò ens prout ens, vnumquodq; horū speculatur. Eodem autē modo circa etiā naturalem scientiā se habet, quo mathematica. Physica nanq;, accidētia, & principia entiu, prout mouentur, & nō prout entia sunt, speculatur. Primā verò sciētia, horum diximus esse, prout ipsa subiecta entia sunt, & nō prout aliquid aliud. Propter quod & illā, & mathematicā scientiā, sapiētia partes esse ponēdū est.

CAPVT IIII.

St autem aliquod in entibus principiū, circa quod dicere falsum nō erit, sed necesse est semper contrariū facere: dico autem verum dicere: vtpote, quod non cōtingit idem secundū vnum, & idem tempus esse, & nō esse: & cætera eodem atq; hæc, opposita. Et de his talibus, simpliciter quidē demonstratio nō est, ad aliquē autem est. Non est enim ex certiore principio syllogismum ipsius eiusdem facere, quod esse oporteret, si simpliciter demonstrare esset. Ad illum verò, qui dicit locutiones oppositas, accipiendū est ab eo, qui monstrat hoc falsum esse, aliquid tale, quod idem erit quidē ei, quod nō contingit secundum vnū, & idem tempus idem esse, & nō esse, non autem appareat idē esse. Sic enim solummodo demonstratur ad eum, qui dicat oppositas locutiones de eodem verificari. Qui autem sermonē inuicem cōmunicaturi sunt, oportet vt aliquatenus inuicem intelligant: hoc enim non factō, quomodo erit eis inuicē sermonis cōmunicatio? Oportet igitur nominū vnūquodq; notū esse, & aliquid significare, nec multa, sed vnū. Quòd si plura significet, manifestare ad quod eorū nomē fert. Qui igitur dicit esse hoc, & non esse hoc ipsum, quod omnino esse dicit nō dicit: quare id, quod nomen significat, id ipsum nō significare dicit, hoc autē impossibile est. Vnde si quidē significat aliquid, hoc scilicet esse hoc, impossibile est contradictionē de eodem verificari. Item, si nomen aliquid significat, & hoc verificatur, oportet hoc necessariō esse. Quod verò necessariō est, nō contingit tunc non esse. Oppositas ergo non est possibile locutiones de eodem verificari. Item, si nihil magis affirmatio, quā negatio verificatur: qui dicit hominem, vel non hominem, nihil magis verum dicit. Attamen videri potest, quòd si hominem, non equum esse dicat, aut magis,

10

20

30

40

50

60

gis, aut nō minus verum dicere, quā si nō hominem. Vnde etiā si eundem dicit equum esse, verum dicit: oppositas enim similiter erit veras esse. Accidit igitur eundem, & hominem, & equum esse, aut cæterorum animaliu aliquid. Harum sanè nulla est simpliciter demonstratio, verū ad eū, qui hæc ponit, demonstratio est. Facile autem & ipsum Heraclitum quispiam hoc modo interrogās, concedere cogeret, nunquā possibile esse oppositas locutiones de eodem verificari. Hunc verò, cū se ipsum quidnam diceret, nō intelligeret, hanc opinionē habuit. Simpliciter autem si hoc, quod ab eo dicitur, verū est, nec hoc ipsum verū erit, scilicet (inquam) quod contingit idem secundū vnum & idē tempus esse: quēadmodum enim & ipsis diuisis nihil magis affirmatio, quā negatio verificatur, eodem modo simul vtroq;, ac cōplexo, ac si vna quædam affirmatio esset, nihil magis negatio, quā totū tanquam in affirmatione positū verificabitur. Item, si nihil est verè asserere, id etiam ipsum falsum erit dicere, assertionē nullam verā esse. Quòd si aliquid sit, soluetur profectō, quod ab illis dicitur, qui ad huiuscemodi instant, & qui totaliter ipsum disputare perimunt. Simile autē dictis est, & quod à Protagora dictum est: & ille nanq; omnium rerum mensuram hominē aiebat esse, nihil aliud dicens, nisi quod id, quod vnicuiq; apparet, hoc etiam indubitato esse. Hoc autē posito, idem accidit esse & nō esse, & malum & bonū esse, & cætera, quæ secundū oppositas locutiones dicuntur. Propterea quòd plerunq; his quidem hoc apparet, istis verò contrarium esse bonum: mensurā autem esse, quod vnicuiq; appareat.

CAPVT V.

Oluetur autē hæc dubitatio, viso vnde huius opinionis principiū venit. Videtur etenim quibusdā quidem, ex physicorum opinione sumpsisse principium: quibusdam verò ex eo, quòd nō omnes eadem de eisdem cognoscāt, sed quibusdam hoc apparere delectabile, quibusdam contrariū. Nihil enim ex non ente fieri, omne verò ex ente, ferè omnium physicorum est dogma. Cū igitur nō albū ex perfectè albo fiat, & minimè ex nō albo: nunc verò factum nō album, si fieret ex nō ente albo, quod fit, non album fieret profectō ex nō ente secundū illos, si non erat idem album & non album. Non est autem difficile hanc dubitationē soluere. Dictum est enim in naturalibus, quomodo ex nō ente, & quomodo ex ente fiant, quæ fiunt. At similiter vtriusq; opinionibus, ac phantasiis eorū, qui sibi ex aduerso addubitāt, attendere, stolidum est. Manifestū est enim, quòd alteros eorū necesse falsum dicere. Hoc etiā ex illis patet, quæ secundum sensum fiunt: nunquā enim idem quibusdam dulce, quibusdam contrariū apparet, nō corruptis, & lætis alteris organo sensus, & iudicatio prædictorum saporum. Hoc autem ita se habente, alteros quidem putandum mensurā esse, alteros verò minimè. Similiter autem, & de bono, & malo, & turpi, & aliis huiuscemodi dico. Nam nō ponere esse, nisi ea, quæ apparēt, nihil differt ab iis, qui digritum visui supponentes, ex vno duo apparere faciunt, ac duo esse putant, propterea quòd tot apparent, & rursus vnum: illis nanq;, qui visum nō mouent, vnum apparet, quod vnū est. Simpliciter au-

tem inconueniens est ex eo, quòd præsentia videntur mutabilia, & nunquā in eisdem permanentia, ex hoc de veritate iudicare. Oportet etenim ex eis, quæ semper similiter se habent, nullamq; mutationem faciunt, veritatē venari. Talia verò sunt, quæ per Mundum: hæc enim nō quandoq; quidem talia, rursus autem alia apparēt, verū semper eadem, nullius mutationis participātia. Præterea, si motus, & aliquid motum est, omne verò ex aliquo in aliquo mouetur, oportet igitur quod mouetur, esse in eo, ex quo mouetur, & non esse in eo, & ad hoc moueri, ac esse in eo, aut contradictionē non verificari secundum eos. At si secundum quantū præsentia fluunt, & mouentur, & hoc aliquis ponat, quāuis verum nō sit, cur secundum quale non manent? Videntur autem haud minimè ea, quæ secundum contradictiones sunt, de eodem prædicare, ex eo, quod putant quantū in corporibus nō manere, propterea quòd idem & quatuor cubitorū est, & non est: substantia verò, secundū quale. Hoc enim determinatæ naturæ: quantum verò, indeterminatæ est. Item, cur cū hunc cibum præcipiat medicus, sumunt? quid nanque magis hoc, panis quā non panis sit? Quare nihil differt comedere, vel non comedere? Nunc verò tanquā verum dicente circa id ipsum, & hoc cibo existente, qui præceptus fuit, sumunt illum. At nō oportebat, cū nulla natura in sensibilibus firmiter maneat, sed omnes semper fluant, ac moueātur. Item, si semper quidē alteremur, & nunquā iidem permaneamus, quid mirū si nunquā nobis eadem apparent, quēadmodum etiā ægrotis? Etenim his eò quòd nō similiter dispositus habitus eorū sit, vt cū sani erant, nō ea apparent similia, quæ secundū sensum: cū ipsa quidem sensibilia nullam mutationē propter hoc participēt, diuersas tamē ægrotis, & nō eadē sensationes faciūt. Eodem igitur modo fortasse necesse est se habere, si dicta mutatio sit. Quòd si nō mutamur, sed iidē permaneamus, sit aliquid profectō permanens. Ad eos igitur, qui ex oratione prædictas dubitationes habent, nō est facile dissoluere, si nihil ponāt, nec huius orationē querant. Hoc enim modo, omnis oratio, omnisq; demonstratio fit. Si enim nihil ponūt, ipsum disputare, & omnino orationē perimūt: quare ad eos quidē nō est sermo. Ad illos verò, qui hęsitant, facile est ex iam traditis dubitationibus obuiare, & ea dissoluere quæ faciūt in eis dubitationē: vt ex prædictis patet. Quare manifestum est ex his, quòd nō est possibile locutiones oppositas de eodem, vno & eodē tēpore verificari: nec ipsa contraria, cū omnis cōtrarietas secundū priuationē dicitur. Hoc autē patebit, resoluētibus ad principiū rationes cōtrariorū. Similiter nec mediōrū quicquā, possibile est, de vno & eodē prædicari. Si enim album sit aliquid subiectū, dicentes illud, nec nigrū, nec albū, falsum dicemus: accidet enim illud album esse, & nō esse alterū enim cōplexorū, de eo verificabitur: hoc autem est, albi cōtradiçtio. Neq; igitur secundū Heraclitū dicentibus, vera dicere possibile est: neq; secundum Anaxagoram. Aliter accidet, contraria de eodem prædicari. Cū enim in omni re, dicat omnis rei partem esse, nō magis dicit esse dulce, quā amarum, aut quamcunque cæterarum contrarietātū, si omnia quidem non solum in omni potentia

10

20

30

40

50

60

Veritas ex quibus.

Sensibilia omnia semper permutari.

potentia, verum etiam actu, & seiunctim insunt. Similiter autem nec omnes locutiones falsas, nec veras possibile est esse, tum propter alias multas difficultates, quæ ob hanc positionem euenirent, tum etiam, quoniam si cunctæ falsæ sint, nec cum hoc ipsum aliquis dicet, verum dicet. Si autem veræ, cum omnes falsas dicet, non falsum dicet.

CAPVT VI.



Mnis autem scientia, circa vnumquodque eorum, quæ sub ea scibilia sunt, principia quædam, & causas quærit: vt medicatiua, & exercitatiua, ac singulæ effectiuarum, vel mathematicarum. Harum etenim vnaquæque; circa quoddam circumscriptum genus, tanquam existens & ens, non tamen prout ens est, tractat. Sed hæc alia quædam scientia præter illas scientias est. Dictarum verò scientiarum vnaquæque; accipiens aliquo modo ipsum quid est in vnoquoque; genere, cætera vel debilius, vel exactius conatur ostendere. Accipiunt autem ipsum quid est, quædam per sensum, quædam supponetes. Vnde ex hac inductione patet, substantiæ, & ipsius quid est, demonstrationem non esse. Cum autem sit aliqua de natura scientia, patet quod & à practica, & ab effectiua diuersa erit. Effectiuæ nanque, in faciente, non in eo, quod fit, motus principium est: & hoc, aut ars quædam, aut alia vis est. Similiter & practica, non in eo quod agitur, sed magis in agentibus motus est: physica verò scientia, circa ea, quæ in se ipsis habet motus, principium est. Quod itaque; neque; practica, neque; effectiuam, sed speculatiuam esse naturalem scientiam necesse sit, ex his patet: in vno nanque; horum genus, eam cadere necesse est. Cum verò vniciuique; scientiarum necesse sit aliquo modo ipsum quid est scire, & hoc vt principio vti, oportet non latere quoniam modo definiendum physico sit, quove modo substantiæ ratio sumenda sit: vtrum vt simum, an magis vt cõcauum. Horum enim simi quidem ratio vnâ cum materia rei dicitur, cõcaui verò absque; materia: simitas nanque; in naso fit, & ideo ratio quoque eius cum eo dicitur. Simum enim est nasus cõcauus. Manifestum est igitur, etiã carnis, & oculi, cæterarumque; partium rationem cum materia reddendam esse. Cum autem quædam sit entis scientia prout ens, & separabile est, considerandum est vtrum eandem, cum physica ponendum sit, an magis aliam. Physica sanè circa ea est, quæ motus principium in se ipsis habet. Mathematica verò, speculatiua quid est, & hæc quædam circa manentia, non tamè separabilia. Circa separabile igitur ens, & immobile, alia præter has ambas, scientia est: si aliqua quidem talis substantia est, dico autem separabilis, & immobilis, quod tentabimus ostendere: & si qua talis in entibus natura sit, illhic profectò diuinitas erit, & hoc erit primū, & principale principium. Patet igitur tria genera speculatiuarum scientiarum, physicam, mathematicam, theologiam. Optimū igitur speculatiuarum quidem scientiarum genus, harum sanè ipsarum ea, quæ vltimò dicta est: circa nanque; honorabilissimū entium est. Vnaquæque; verò melior, aut deterior dicitur, secundum propriū scibile. Dubitauerit autem quispiã, vtrum entis, prout ens est, scientiam vniuersaliter ponere oportet, an non. Mathematicarum etenim vnaquæque; circa vnū quoddam determinatū genus est: vniuersalis verò,

Practica scientia. Physica.

Mathematica.

Diuinitas. Speculatiuarum scientiarum genera tria.

communis de omnibus est. Si itaque naturales substantiæ, primæ sint entium, ipsa quoque naturalis scientia, prima scientiarum erit. Quod si alia natura, atque substantia separabilis, & immobilis est, necesse est vt scientia quoque eius alia sit, & naturali prior, & vniuersalis prior.

CAPVT VII.



Vm autem simpliciter ens pluribus esse modis dicitur, quorum vnus est, qui secundum accidens dicitur esse, primò de ente hoc pacto considerandum est. Quod igitur nulla scientiarum, quæ traditæ sunt, circa accidens versetur, patet. Nec enim ars ædificatoria, quidnam illis, qui vsuri sunt domo, accidit, considerat: vtputa si anxie, vel è contrario habitabunt: neque; textura, neque; futura. Quod verò proprium sibi ipsi est, solum vnaquæque; istarum scientiarum considerat. Hoc autem finis proprius est: neque quatenus musicum & grammaticum: nec quod is, qui musicus est, factus grammaticus simul ambo erit, cum prius non esset. Quod autem cum non semper esset, est, hoc fiebat: quare simul musicus, & grammaticus fiebat. Hoc autem nulla earum, quæ certæ scientiæ sunt, quærit, præter sophisticam: hæc enim sola, circa accidens versatur. Quare non malè Plato ait, cum dixit, sophisticam circa non ens immorari. Quod autem nec sit possibile ri-

10

20

30

40

50

60

Sophisticè circa accidens versata.

Accidens. Scientia.

Fortuna.

verò inordinatæ, & infinitæ causæ sunt. Ipsum verò alicuius gratia, in eis est, quæ à natura, aut à mente fiunt. Fortuna verò est, cum aliquid horum secundum accidens fiat. Quemadmodum enim & ens quoddam per se, quoddam secundum accidens est, ita & causa. Fortuna verò, secundum accidens causa est in eis, quæ secundum electionem alicuius gratia fiunt. Quare circa idem, fortuna & mens: electio nanque; absente mente non est. Causæ verò, quibus ea fiunt, quæ à fortuna sunt indeterminatæ sunt: quare humanæ cogitationi incertæ sunt: & causa per accidens est, simpliciter verò nullius. Bona verò fortuna & mala dicitur, cum bonum aliquod, aut malum euenit: fors fortuna verò, & infortunium, circa magnitudines horum. Cum autem nihil secundum accidens prius iis sit, quæ secundum se sunt, nec igitur causæ. Si itaque; fortuna, aut casus cæli causa est, prior, mens & natura causa erit.

CAPVT VIII.



St autem hoc quidem, actu solum: illud verò, potentia: hoc autem, potentia & actu: hoc quidem, ens: illud verò, quantum: hoc autem, cæterorum aliquid. Non autem motus præter res: mutatur enim semper secundum entis prædicationes. Comune autem nihil in his, in vlla prædicatione. Vnumquodque; verò dupliciter omnibus inest, vel hoc. Nam hoc vt forma, hoc verò vt priuatio: ac secundum qualitatem, hoc album, illud nigrum: secundum quantitatem, hoc perfectum, illud imperfectum: Eodem modo & secundum latitudinem: nam hoc sursum, illud deorsum, aut leue aut graue. Quare motus, & mutationis tot sunt species, quot entis. Cum autem vnumquodque; genus in actum & potentiam diuidatur, actum eius, quod potentia est, prout tale est, dico esse motum. Quod autem vera dicimus, hinc constat: cum enim ædificabile prout tale, ipsum dicimus esse actu quatenus ædificatur, & hoc est ædificatio: similiter eruditio, curatio, volutatio, ambulatio, saltatio, senescentia, ac incrementa. Accidit autem moueri, cum actus ipse fuerit, & neque; prius, neque; posterius: actus autem eius, quod est potentia, cum actu ens agat, non prout ipsum, sed prout mobile, motus est. Dico autem prout, sic: nam æs potentia est statua, non tamen actus æris prout æs, motus est. Non enim idem est æri esse, & alicui potentia. Quod si idem esset simpliciter, ac secundum rationem, esset profectò æris actus, motus quidam: at non est idem, quod & in contrariis patet. Si quidem posse sanari, posseque; ægrotare non est idem. Alioqui & sanari & ægrotare idem foret. Subiectum verò, quod sanabile, aut ægrotabile est, siue humor, siue sanguis, vnum, idemque; est. Cum non sit igitur idem, sicut nec color, ac visibile idem est, constat motum esse actum rei possibilis, possibilis est. Quod igitur ipse est, & quod prout tunc contingit moueri, cum actus ipse sit, & quod nec antè nec post, manifestum est. Nam contingit, vnumquodque; aliquando quidem operari, aliquando minimè: velut ædificabile, prout ædificabile: & ædificabilis, prout ædificabilis, actus, ædifi-

Motus.

40

50

60

catio est. Aut enim hoc, ædificatio in ædificabili actus, aut domus. At vbi domus sit, non vltra ædificabile erit. Aedificatio verò eius est, quod ædificabile est. Necesse itaque; ædificationem, actum esse. Aedificatio verò, motus quidam est. Eademque; in cæteris motibus ratio est. Quod verò hæc sint rectè dicta, ex his quoque; constat, quæ alii de ipso referunt: tum ex eo, quod non facile est ipsum aliter definire. Nec enim licebit cuiquam in alio genere eum collocare. Et patet ex iis etiam, quæ alii protulerunt. Quidam enim alteritatem, inæqualitatem, & ipsum non ens, quorum nullum necesse est moueri. At neque; mutatio hæc, neque ex his potius, quam ex oppositis est. Causa verò, propter quam in his motum statuerunt, ea est, quod indefinito quiddam videtur esse motus: aliter verò coordinationis principia, vt pote priuatiua, indefinita sunt. Nam nec quod quid, nec tale, nec aliorum prædicamentorum vllum, ipsum est. Quod verò motus indefinitus esse videatur, ea est causa, quod neque inter ea, quæ sunt potentia entia, nec quæ secundum actum, ponere ipsum est. Nec enim quod potest quantum esse, moueri necessarium est, nec actu quantum. At motus, actus quidam esse videtur, quantum imperfectus: causa verò est, quod imperfectum est possibile, cuius actus est. Quam ob rem difficile ipsum comprehendere, quidnam sit. Nã aut in priuationem necessariò reponetur, aut in potentiam, aut in actum simplicem. Horum autem nullum, videtur contingere posse. Superest igitur quod dictum est, esse & actum, & non actum, qui dictus est: qui & si difficilis cognitu sit, tamen contigit esse. Simul & illud perspicuum est, motum esse in moto: actus enim eius est à motiuo. Neque alius est motui actus: oportet enim vtriusque; actum esse. Nam motiuum est, eò quod possit: mouens verò eò quod operetur. Verum actiuum, est ipsius mobilis. Eodem itaque modo vnus vtriusque; actus, quemadmodum eadem diuinitas ad duo vnus, & ad vnum duorum, ascensus quoque, ac descensus: at esse, non est vnum. Ita etiam in mouente, & in moto.

CAPVT IX.



Infinitum verò est, aut quod impossibile est pertransire, eò quod non sit aptum permeari: quemadmodum vox inuisibilis: aut quod transitum habet inconsummabilem, aut quod vix, aut quod natura aptum est habere, nequaquam tamen transitum, aut finem habet. Item, secundum oppositionem, aut ablationem, aut ambo. Separatum sanè ipsum quicquam esse impossibile est. Nam si nec magnitudo, nec multitudo est, sed infinitum substantia eius est, & non accidens, indiuisibile erit. Si quidem diuisibile, aut multitudo est, quod si est indiuisibile, non est infinitum, nisi quemadmodum vox inuisibilis est. Verum nec sic aiunt, nec nos sic quærimus, sed tanquam impermeabile. Præterea, quoniam modo continget esse per se ipsum infinitum, si nec numerus, nec magnitudo sit, quorum infinitum passio est? Præterea, si secundum accidens, non esset sanè verum elementum.

Quid sit infinitum.

Infinitum indiuisibile.

tum, prout infinitū passio est, sicuti nec inuisibilis locationis, tametī vox inuisibilis est. Quod autem infinitum non potest esse actū, patet: erit nanq; quæq; pars eius infinita, quæ accipitur. Nā infinito esse, atq; infinitum, idē si quidem infinitum substantia, & nō de subiecto sit. Aut igitur indiuisibile, aut per infinita diuisibile, si partibile est. Verū multa infinita, idem esse impossibile est. Quemadmodū enim aeris aer pars, ita & infinitum infiniti, si substantia, & principiū sit. Im-
 10 partibile igitur, & indiuisibile est. Verū hoc impossibile, actu esse ens infinitum. Necessariū enim quantū esse: secundū accidens igitur existit. At hoc modo dictū est, non posse principiū esse, verū id potius, cui accedit, numerum, vel par esse. Sed hæc fortasse inquisitio, vniuersalis est. Quod verò in sensibilibus nō est, hinc constat: nam si est corporis ratio hoc, esse superficie definitū, non sanē fuerit infinitū corpus, nec intelligibile, nec sensibile. Cæterū nec numerus
 20 ita est, tanquam separatus, atq; infinitus: quippe cum numerus, aut quod habeat numerū, numerabile sit. Quod si physicè potius cōtemplemur, ex his patet: neq; enim cōpositum, neq; simplex poterit esse. Compositū nanq; non erit corpus, si finita quidē sunt multitudine elementa. Oportet nanq; contraria æquari, nec esse vnū eorum infinitum. Nam etsi quantumuis inferior sit alte-
 30 rius corporis virtus, corrūpetur finitum ab infinito: nec possibile est vnūquodq; esse infinitū, si corpus quidem est, quod vndecunq; habet dimensionem: infinitū verò, quod infinite distat: quare infinitum corpus vndecunq; infinitū erit. Nec verò vnū & simplex, contingit infinitū esse corpus: nec (vt quidā aiunt) præter elementa, vnde hæc generant. Tale nanq; corpus præter elementa, nō est. Nam cuncta ex quibus sunt, in ea etiā resoluuntur. Hoc verò nō videtur, præter simplicia corpora. Neq; ignis, neq; aliud vllum
 40 elementorū: etenim absq; eo, quod aliquod horum infinitū, impossibile est, vniuersum, & si finitum sit, aut esse, aut fieri aliquod eorū vnum, vt Heraclitus dicit, omnia quandoq; ignē fieri. Eadem ratio & de vno est: quod faciūt præter elementa physici. Omne enim ex contrario in contrariū, velut ex calido in frigidū transit. Itē, corpus sensibile alicubi est, idēmq; partis ac totius locus, velut terræ: quare si vniuersum sit, aut immobile erit, aut semper pelletur. Hoc verò
 50 impossibile est. Quid enim deorsum potius, quā sursum, aut vsquā? velut si gleba sit, quod mouebitur, aut vbi manebit? Locus enim congeni corporis illius, infinitus est: cōtinebit igitur totum locū, at quomodo? Quæ igitur māsio, motūsq; eius? An vbiq; manebit? Non mouebitur ergo. An vbiq; mouebitur? Non ergo stabit. Quod si vniuersum dissimile sit, loca quoq; dissimilia erunt. Ac primū quidem non vnum vniuersū corpus, nisi tactū. Deinde aut finita erunt hæc, aut infinita specie. Finita quidem, impossi-
 60 bile: nam quædā infinita erunt, quædā minimē, si totū infinitum sit, velut ignis, aut aqua. At hoc erit cōtrariis corruptio. Quod si infinita, ac simplicia, loca quoq; infinita, & elementa infinita

Infinitum
in sensibili-
bus nō est.

erunt. Quod si est impossibile, locaq; finita sint, totum itē necessariò finitū erit. Et omnino impossibile infinitum esse corpus & locum corporibus: si omne quidem corpus sensibile, aut grauitatem habet, aut leuitatem. Aut enim ad medium, aut sursum mouebitur. Verū impossibile, infinitū aut totum, aut medium, aut quodcūque passum esse. Quo enim modo diuides, aut quo pacto infiniti hoc quidē sursum fuerit, hoc
 10 verò deorsum, aut extremū, aut medium? Omne item corpus sensibile. In loco verò species, sex: in corpore verò infinito, hæc esse nō possunt. Et simpliciter, si impossibile est locum infinitum esse, corpus quoq; impossibile est. Quod enim in loco est, id alicubi est. Hoc verò aut sursum, aut deorsum, aut aliquid cæterorum significat, quorū vnumquodq; terminus quidam est. Infinitum verò non idem in magnitudine, motu, & tempore, tanquā vna quædam natura, sed ipsū posteriore secundum prius dicitur: velut motus, secundum magnitudinem, super quam fit motus, aut alteratio, aut augmētatio: tempus verò propter motum.

CAPVT X.

Mutatur verò, quod permutatur, Mutatio.
 hoc quidem secundū accidens, veluti cum dicimus, musicū ambulare: illud
 30 verò, eò quod eius quippiā mutetur, simpliciter dicitur mutari: vt quæ secundū partem dicitur. Sanatur nanq; corpus, quoniā oculus. Est præterea, quod per se primum mouetur, & hoc est per se mobile. Est item de mouente quoq; eodē modo. Mouet nanq; quoddam per
 40 accidens, quoddā secundum partem, quoddā per se. Est rursus aliquid, quod primò mouet: & est aliquid, quod mouetur. Item tempus, in quo: ac præterea, ex quo: demū, & ad quod. Species verò, passionēsq; ac locus, ad quæ mouentur mota, ea immota sunt: veluti scientia, & calor. Est verò motus, nō caliditas, sed quales factio. Mutatio autem non per accidens, haudquaquā in omnibus est, sed in contrariis, ac mediis, atq; etiā in contradictione. Cuius rei fides in inductione est. Mutatur autem, quod mutatur, aut ex subiecto in subiectū, aut ex non subiecto in non subiectum, aut ex subiecto in non subiectum, aut ex non subiecto in subiectū. Aio autem subiectum, quod affirmatione explanatur. Quare necesse est, tres mutationes esse. Illa enim, quæ ex non subiecto in non subiectum, non est mutatio: nec enim contraria, neq; nonradictio est, quia neq; oppositio. Mutatio igitur ex nō subiecto in subiectum secundū contradictionem, generatio est: quæ quidem simpliciter, simplex, quæ verò cuiusdam, quædā: at quæ de subiecto in non subiectum, corruptio: quæ simpliciter, simplex: quæ
 50 cuiusdam, quædā. Si itaq; non ens multifariā dicitur, & nec quod secundū compositionē, aut diuisionem dicitur, moueri contingit, nec item quod secundū potentiam, quod oppositū est ei quidem, quod simpliciter est (non album enim, aut non bonū, contingit nihilò minùs secundū accidens moueri. Esse nanq; homo potest, non album)

Mutatio.

Mouens.

Subiectum.

album) quod verò simpliciter nō hoc, id nequam. Nam impossibile est, non ens moueri. Si igitur hoc, & generationē motum esse: fit enim non ens. Nam etsi maximè secundū accidēs fit, attamen verū est dicere de eo, quod simpliciter fit, quod est non ens. Eodē modo igitur & quiescere. Hæc itaq; omnia accidunt absurda, si quicquid mouetur, in loco est: non ens verò in loco non est: esset enim vsquam. Nec corruptio igitur motus. Siquidem motui motus aut quies cō-
 10 trarius est: corruptio verò generationi est contraria. At cum omnis motus, mutatio quædam sit, mutationes verò tres, quæ dictæ sunt, harum verò, quæ secundū generationem & corruptionem minimè sit motus (sunt autem illæ secundum cōtradictionē) necesse ex subiecto in subiectum mutationem solā, motum esse. Subiecta verò, aut contraria, aut media: nam & priuatio contrariū esse ponatur, quandoquidem & affirmatio declaratur, velut nudū, cæcum, & nigrum.
 20 Si igitur prædicamenta, substantia, qualitate, loco, facere, pati, ad aliquid, & quātitate diuidantur, tres esse motus necesse est, qualis, quanti, & loci: secundum verò substantiam, minimè, propterea quod substantiæ nihil contrarium est, nec eius quod ad aliquid. Etenim altero mutato, verificatur alterum nullatenus mutātū: quare secundum accidens, horū motus erit. Nec præterea agentis aut patientis, neque omnino moti, ac mouentis: cum nō sit motionis motus, nec generationis generatio, nec deniq; mutationis mutatio. Bifariā enim cōtingit motionis motum esse. Nam aut tanquā subiecti: vt homo mouetur, quia ex albo in nigrū mouetur. Quare sic etiam motus, aut calefit, aut frigeat, aut loco, trāsfertur, aut crescit. Id verò impossibile est, cum motus nō sit aliquod subiectorum. Aut eò, quod aliud quoddā subiectum, ex mutatione in aliam speciem mutetur: vt homo ex morbo in sanitatem. At nec hoc possibile, præterquā per accidens (omnis nanq; motus in aliud ex alio muta-
 40 tio est: & generatio item, ac corruptio eodē modo: veruntamen quæ ex oppositis sic, aut sic, nō sunt motus) alioqui simul ex sanitate in morbū mutatur, atq; ex ea ipsa mutatione in aliā. Constat itaq;, quod cum ægrotauerit, in quantum mutatus erit: cōtinget enim quiescere. Ac præterea nō semper in quācunq;, & illa quoque ex aliquo in aliud quiddam erit. Quare opposita erit cōualescentia. Verū ex accidenti, vt ex remi-
 50 niscentia in obliuionē mutatur, quia id, cui inest, quādoq; in scientiā, quādoq; in sanitatē mutatur. In infinitū præterea procedet, si mutationis mutatio, & generationis generatio fuerit. Necesse igitur & priorē fore, si posterior fuerit: vt si simplex aliquando fiebat generatio, illud quoq;, quod fiebat, simpliciter fiebat, quare nondū erat quod simpliciter fiebat, sed quod fit aliquid, aut quod iam fiebat. Si igitur hoc etiā aliquando fiebat, cur nondū erat, quod tunc fiebat? cum verò in infinitis non sit aliquid primum, non erit primum: quā ob rem neq; consequens erit. Nec fieri igitur nec moueri, nec mutari quicquam, possibile est. Eiusdem præterea mo-

tus contrarius, atque quies, generatioq;, & corruptio. Quare quod fit, cum factum fuerit, quod fit, tunc corrumpitur. Nec enim statim, cum fiat, nec potest. Nam esse opus est, quod corrumpitur. Item necesse materiam subesse ei, quod fit, & mutatur: quæ sanē erit velut alterabile quiddam, aut corpus, aut anima, ita quiddam etiam eius, quod fit, aut motus, aut generatio: & aliquid itē ad hoc mouetur. Nam opus est aliquid huius hoc in hoc, quod motus nō est, esse motū. Quomam igitur modo? Non erit doctrina doctrinæ: quare neque generatio generationis. Cum verò neq; substantiæ, nec ad aliquid, neque faciendi, ac patiendi, superest secundum quale, & quantū, & vbi, motum duntaxat esse: quandoquidem in horum singulis, contrarietas est. Quale autem dico, non quod in substantia (si quidem differentia, quale est) verū passiuū quale, quo dicitur res aut pati, aut impossibile esse. Immobile autem est, & quod omnino impossibile est moueri, & quod in multo tēpore vix mouetur, aut quod tardē incipit: & quod natum quidem est moueri, non possit autem, quando natum est, & vbi, & quomodo: quod sanē inter immobilia solum, voco quiescere: contraria enim quies motui. Quare priuatio erit susceptiui.

CAPVT XI.

Simul secundum locum esse dicuntur, quæ in vno loco primo sunt. Et separata, quæ in diuerso. Tangi autē, quorum extrema sunt simul. Medium, in quod natū est prius venire, quod mutatur, quā ad quod vltimū mutatur, secundum naturā continuè mutatum. Contrarium secundum locum, quod secundum rectitudinem plurimum distat. Consequens, est cuius principium sequentis, aut solo situ, aut specie, aut aliquo quodā modo definito: atque illius, cuius est consequens, nihil est medium eorum, quæ in eodem genere sunt: velut linea lineæ, aut vnitas vnitatis, aut domus ipsius domus: aliud verò medium esse, nihil prohibet. Consequens nanque, alicuius consequēs, ac quoddam posterius est. Non enim vnum, cōsequens duorum: neq; nouilunium, consequens secundæ. Attiguum verò, quod consequens tangit. Cæterū cum omnis mutatio in oppositis sit, hæc verò contraria, ac contradictio, contradictionis verò nihil medium est, constat quod medium in contrariis est. Continuum sanē, quoddam attiguum, aut tangens est. Dicitur verò continuum cum idem fiunt, atq; vnus, vtriusq; termini, quibus tangunt, & se continent. Quare patet in his esse continuum, ex quibus vnum quiddam natum est secundum contactum fieri: quod consequens, primum sit, constat. Consequens nanque non tangit: hoc verò consequēs est, & si continuum est, tangit. Quod si tangit, nondum continuum est. In quibus verò non est tactus, in his non est cohærentia. Quare nō est punctum idem vnitati. Nam illorum est tactio, harum verò minimè: sed consequenter, & illorum quidem est aliquid intermedium, harum verò minimè.

ARISTOTELIS STAGIRITAE Metaphysicorum Liber Duodecimus.

CAPVT I.



Speculatio nobis de substantia est, siquidē substantiarū principia & causā queruntur. Et enim siue vt totū aliquid vniuersum est, substantia, prima pars est: siue ex cōsequenti, hoc quoq; modo primum est substantia, deinde quale, postea quantū. At simul (vt ita dicā) nec entia sunt ista simpliciter, verū qualitates, & motus: quēadmodum, non album, & non rectū. Dicimus nanq; hęc quoque esse, veluti est, non album. Præterea, cæterorum nullū separabile est. At hoc idem, re ipsa testantur antiquiores: quippe qui principia, elementa, & causas substantiæ quærebant. Recentiores verò vniuersalia magis ponunt esse substantias. Genera nanq; vniuersalia sunt, quæ asserunt magis principia, atq; substantias esse, propterea quòd logicè quærun: antiquiores verò, singularia (vt ignem, & terram) non autem corpus cōmune.

CAPVT II.



Verū substantiæ tres sunt: vna sensibilis, cuius quædam sempiterna, quædam corruptibilis, quā omnes concedunt, veluti plantæ, & animalia. Sempiterna verò (cuius elementa, siue vnū, siue multa sint, accipere necesse est) alia immobilis, quā aliqui separabilem aiunt esse, quidam in duo diuidentes, quidam in vnā ponentes naturam tam species, quam mathematica, quidam ex his mathematica solū. Illæ itaq; philosophiæ naturalis: cum motu nanq; sunt. Ista autē alterius est, si nullum eis cōmune principium est. Sensibilis verò substantia, mutabilis est. Si itaq; ex oppositis, aut mediis mutatio sit, oppositis verò non omnibus (album nō ex voce, verū ex cōtrario) necesse est aliquid subesse, quod in contrarietatem mutetur: non enim contraria transmutantur. Præterea, hoc quidem permanet, cōtrarium verò non permanet. Est igitur aliquid tertium præter contraria, ipsa materia. Si itaq; transmutationes sunt quatuor, aut secundū ipsum quid, aut secundū quale, aut quantū, aut vbi: ac generatio simplex, & corruptio, quæ secundū quod quid sit, augmentatio & diminutio, quæ secundū quantum, alteratio, quæ secundū passionem, latio verò, quæ secundū locum, profectō in contrarietates in vnoquoque mutationes sunt. Necesse est igitur mutari materiam, quæ ambo possit. Cum autem duplex sit ens, omne mutatur ex

potentia ente in actu ens, vt ex potentia albo, in actu album. Eodem autem modo & de augmentatione, & diminutione. Quare non solum per accidens, ex non ente fieri contingit, sed etiam ex ente omnia fiūt, verū potentia quidē ente, actu verò ex non ente. Et hoc est Anaxagoræ vnum. Melius nanq; quàm cuncta simul, & quàm mixtura Empedoclis, ac Anaximandri: &, vt Democritus quoq; ait, simul omnia potentia erant, actu verò minimè, quare materiam tetigerunt. Cuncta verò quæcunq; mutātur, materiam habēt, sed diuersam: nam & ipsorū sempiternorum quæcunq; non sunt generabilia, sed latone mobilia, at tamen non generabilē, sed vnde, quo. Dubitare verò quispiam possit, ex quo non ente generatio fiat: tripliciter enim non ens dicitur. Si igitur quippiam est potentia (veruntamen non ex quocunq;) sed cum alterum ex altero. Nec id sufficit, quòd simul omnes res erāt, quia differunt materia. Cur enim infinita facta fuissent, & non vnum, cum intellectus vnus sit? quare si materia vna, illud actu fuisset factum, cuius materia potentia erat. Tres itaque causæ, & tria principia: duo quidem ipsa contrarietas, cuius hoc quidem ratio & species, hoc verò priuatio, tertium verò materia.

CAPVT III.



Rost hęc ostendendum est, quod neq; materia sit, neque species. Dico autē, extrema. Omne enim, quod transmutatur, aliquid est, & ab aliquo in aliquid quod transmutatur. Ab aliquo quidem, primo mouente: in quo verò, materia: in quod autem, speciem. In infinitum itaque procedet, si nō solum æs rotundum fiat, verū ipsum rotundum, aut æs: quare necesse est stare. Deinde quod aliquid est, quælibet substantia est, quæ ab vniuoco fit. Quædam enim naturā substantiæ sunt, quædam autē alia. Aut enim natura, aut arte, aut fortuna, aut casu fiunt: sed ars quidem, principium in alio: natura verò, principium in ipso. Homo nanque hominem generat. Cæteræ causæ, priuationes horum sunt. Substantiæ verò, tres: quædam materia, quæ quod quid est eo ipso, quod apparet. Quæcunq; enim tactu, nō coadherentia sunt, materia, & subiectum sunt: quædam verò natura, quod quid, & quidam habitus ad quē. Tertia item, quæ ex iis, quæ singularis est: vt Socrates, aut Callias. In quibus igitur quod quid non est præter compositam substantiam (vt domus forma, non nisi ab ipsa arte) nec est generatio, aut corruptio eorū, verū alio modo sunt, & non

& non sunt, tum domus, quæ absq; materia, tum sanitas, & omne, quod secundum artem est: sed si quidem sunt, in iis sunt, quæ natura fiunt. Propter quod non malè Plato dixit, quòd species eorum sunt, quæ natura sunt. Siquidem species sunt aliæ ab his: vt sunt ignis, caro, caput. Cuncta nanque materia sunt, & maximè eius substantiæ, quæ est vltima. Causæ itaque mouentes, tanquam antea ortæ existunt: quæ verò vt ratio, simul sunt. Cum enim sanus sit homo, tunc etiam sanitas est. Et forma æneæ spheræ, simul atque æneæ spheræ. Si autem aliquid posterius permanet, considerandum est. In quibusdam enim, nihil prohibet: veluti si anima tale sit non omnis, sed intellectus: omnem nanque fortassis impossibile est. Manifestum itaque est, quòd præter hęc non oportet ideas esse. Homo nanque hominem generat: singularis, aliquem. Similiter etiam in artibus. Medendi enim ars, ratio sanitatis est.

CAPVT IIII.

Verum eadem principia omnium.



Causæ verò, atque principia, quodam quidem modo alia aliorum sunt, quodam verò modo non: si quis vniuersaliter dicat, & secundum analogiam, omnium eadem. Dubitare nanque quispiam possit, verum alia, an eadem principia, & elementa substantiarū sunt, & eorum, quæ ad aliquid sunt: & eodem modo in quolibet prædicamento. At absurdum est, si omnium eadem sunt: ex eisdem enim erit ad aliquid, & substantia. Quid igitur hoc erit? præter enim substantiam, & alia, quæ prædicantur, nihil commune est. Prius autem elementum est, quàm ea, quorum est elementum. At verò nec substantia, eorum, quæ ad aliquid sunt, elementum est, nec aliquid horum, substantiæ. Item quo modo continget, omnium eadem esse elementa? Nullum enim elementorum idem potest esse ei, quod ex elementis componitur: veluti ipsi B A, ipsum B & ipsum A. Neque sanè vllum intellectualium, vt vnum, vel ens elementum est: hęc enim, vniciq; compositorum insunt. Nullum igitur eorum, neque substantia, nec ad aliquid erit. At necessarium est: non sunt ergo omnium eadem elementa. An (vt diximus) quodam modo quidem sunt, quodam modo verò non? veluti fortassis corporum sensibilibus, calidum tanquam species, & alio modo frigidū, vt priuatio. Materia verò, quod primò per se potentia hęc erat: substantiæ verò, tum hęc, tum ea ex iis, quorū hęc principia sunt. Aut si quid ex frigido, & calido sit vnum, vt caro, aut os, necesse profectō est aliud ab his esse illud, quod factum est. Horum itaq; eadē elementa, atq; principia sunt, alia verò aliorum. Omnium verò ita quidem dicere nō est, sed analogicè. Quemadmodum si quis dicat, quòd principia sunt tria, species, priuatio, & materia: verū vnūquodq; horum, circa vnūquodq; genus aliud est: vt in coloribus, albū, nigrum, superficies: lumen, tenebræ, aer: ex his verò dies, & nox. Cum verò illæ non solum, quæ insunt, causæ sint, verū etiā ex iis, quæ extrinsecā sunt illud quod mouet, patet

quòd aliud est principium, aliud elementum. Ambo verò, causæ sunt: & principium in hęc diuiditur. Quod autē vt mouens, vel sistens est, principium quoddam, & substantia est. Quare elementa quidem analogicè tria, causæ verò, atque principia quatuor: aliud verò in alio, & prima causa, vt mouens, in alio alia: sanitas, morbus, corpus, mouens, ars medendi: species inordinatio talis, lateres, mouens ædificatiua: & nimirū in hęc diuiditur principium. Cum autē mouēs, in naturalibus quidem homo, in iis verò, quæ à mente fiunt, ipsa species, vel contrarium sit, modo quodam tres profectō causæ erunt, alio verò modo quatuor. Sanitas nanque, quodam modo est ars medendi: & ædificatiua, species domus: & homo, hominē generat: præter hęc item cuncta mouens, tanquam omnium primum.

CAPVT V.



Vm autem quædam separabilia, quædam inseparabilia sunt, illa sunt substantiæ: propter quod hęc, omnium causæ sunt. Siquidē absq; substantiis passiones, & motus non sunt. Deinde hęc erunt, anima fortassis, & corpus, aut intellectus, appetitus, & corpus. Item alio modo, analogicè principia sunt eadem, vt actus, & potentia: verū hęc etiā in aliis alia, & alio modo sunt. In quibusdam enim, idem quandoq; actu, quādoq; potentia est: vt vinum, aut caro, aut homo (at hęc, in prædictas causas cadunt. Actus nanq; est species, si separabilis sit) item quod ex ambobus. Priuatio etiam, vt tenebræ, aut ægrotans. Potentia autem materia. Hoc nanq; est, quod ambo fieri potest. Aliter autem actu, potentiæque differunt, quorū non eadem materia est, quorum non eadem species, sed diuersa est: veluti hominis causa, elementa, ignis, & terra, & materia: & propria species, & si quid aliud extrinsecus est, vt pater: & præter hęc, Sol, & obliquus circulus, quæ nec materia, nec species, nec priuatio, nec eiusdem speciei sunt, verū mouentia. Præterea videre oportet, quòd quædam est vniuersaliter dicere, quædam minimè. Omnium itaque prima principia, quod actu, primum, & aliud, quod potentia. At illa, quæ vniuersalia dicimus, non sunt. Singulare nanq;, principium eorum est, quæ singularia sunt. Homo enim hominis vniuersalis, profectō nullus est: verū Peleus, Achillis: tui autem, pater. Et hoc quidem sit B: ipsius B A: & ipsum B, omnino ipsius B, A simpliciter: deinde species eæ, quæ substantiarum sunt: verū aliorum aliæ causæ, ac elementa, vt dictum est: veruntamen eorū, quæ non in eodem genere sunt, colorum, sonorum, substantiarum, quantitatis. cō quòd analogon: eorum quoq;, quæ in eadem specie, sunt diuersa, non specie, sed quoniam singularium aliud, & tua materia, & species, & quod mouit, & species, ac mea materia: vniuersali verò ratione, eadem. Quæstio igitur quænam principia, siue elementa substantiarum, ad aliquid, & qualitatum sint, & vtrum eadem an diuersa, patet, quòd cum multipliciter dicantur, vniuersaliusque sunt: at si diuidantur, non eadem, sed di-

Omnium causa & principia quæ.

uerfa, nisi quòd aliquò modo eadem. Analogicè nanque eadem : quia materia, species, priuatio, mouens. Ac illo modo substantiarù causæ, quasi omnium causæ sunt: quia peremptis, perimuntur. Præterea, quòd primùm, actu est: illo verò modo, alia primà, quæcunque coneraria, quæ nec ut genera, neq; multipliciter dicuntur, itè & materia. Quæ itaque sensibilibus principia sunt, & quot, quòve modo eadem, & diuersa, dictum est.

CAPVT VI.

Tres substantia.



Vm verò tres sint substantiæ, duæ quidem naturales, alia autem immobilis, de hac est dicendum, quòd necesse est perpetuam aliquã, & immobilem substantiam esse. Etenim substantiæ primæ entium sunt : & si cunctæ corruptibiles, omnia corruptibilia sunt. At impossibile est, aut generari motum, aut corrumpi : nam semper erat. Neq; tempus : cum nò sit possibile, prius, & posterius esse, tempore non existente. Et motus sanè ita continuus est, sicuti & tempus. Aut enim idem, aut quædam ipsius motus passio est. Motus verò nò est continuus, præter hunc qui secundum locum, & hunc, qui circularis est. At verò si motuum, aut effectiuù est, non autem operans aliquid, nò est motus. Possibile nanq; est non operari, quòd potentiam habeat. Nulla igitur utilitas erit, ne quidem si perpetuas substantias faciamus, quemadmodum qui faciunt species, nisi aliquod principium insit, quòd mutare possit. Nò igitur sufficiat illa quidè, nec alia substantia præter species. Nam si non operabitur, motus non erit. Nec itè si operabitur quidem. Substantia verò eius potentia fit : nò enim erit perpetuus motus. Quòd enim potentia est, contingit non esse. Oportet igitur esse tale principium, cuius substantia actus sit. Item has oportet esse substantias, absq; materia : sempiternas enim esse oportet, si aliquid quidem æternum est. actu igitur sunt. Atqui diuini est : nam omne quidem agens posse quoq; videtur, potens verò non omne, agere : quare potentia erit prior. Verùm si hoc ita sit, nihil entiu erit. Contingit enim posse quidem esse, nòdum verò esse. At si ut theologi, qui ex nocte cuncta generant : siue, ut physici dicunt, omnes res simul erant, idem impossibile erit. Quo nanq; modo mouebuntur, si nulla erit actu causa? Non enim ipsa materia se ipsam mouebit, verù opifex virtus: neq; menstrua, neq; terra, verùm semina, atque humanum semen. Propter quòd quidam faciunt semper actum, veluti Leucippus, & Plato, eum semper esse motum dicant : cur verò, vel quem non aiunt : nec cur sic, nec causam. Nihil enim susq; deq; mouetur, sed oportet ut semper aliquid præexistat : sicuti nunc, natura quidem hoc modo : vi etiam aut ab intellectu, aut ab aliquo alio, hoc modo : deinde quisnã primus sit: differt enim quàm maximè. At neque Platoni possibile est dicere id, quòd quandoque putat principium esse, quòd se ipsum mouet : posterior enim pariter cælo est anima, ut ait. Arbitrari itaq; potentiam actu priorem, quòdam modo quidem bene est, quòdam modo verò mini-

mè. Dictum autem est, quo modo. Quòd autem actus sit prior, Anaxagoras testatur. Intellectus nanq; actu est : & Empedocles amicitia & contentionem ponens : & qui semper esse motum aiunt, ut Leucippus. Quare non erat tempore infinito chaos, aut nos, verùm semper eadem circuitione, aut aliter, si actus quidem prior potentia. Si verò semper idem circuitione, oportet ut aliquid semper similiter operando permaneat. Quòd si futura est generatio, & corruptio, aliud operans aliter & aliter esse oportet. Necesse igitur est hoc quidem modo, illud secundum se operari, hoc verò secundum aliud. Aut igitur secundum diuersum, aut secundum primum. Necesse autem est ut secundum hoc : hoc nanq; rursus, & sibi, & illi causa est. Dignius ergo est, quòd primum est : hoc nanque, ut semper similiter se habeat, causa erat : ut verò aliter, aliud : ut autem semper, aliter, ambo scilicet. Patet igitur, quòd motus quoq; ita se habent. Cur igitur alia querere oportet principia?

CAPVT VII.



Vm verò & ita contingat (& si nò sic, ex nocte, & simul omnibus, & ex non nte erunt) hæc profectò soluentur: & aliquid, quòd semper incessabili motu mouetur : hic verò, circularis est. Et hoc non solùm ratione, verùm etiam opere patet. Quare æternum est profectò primum cælum : estque aliquid, quòd mouet. Cum verò id, quòd mouetur, & mouet, medium sit, est etiam aliquid, quòd nò motum mouet, quòd æternum, substantia, & actus est. Hoc autem modo, concupiscibile, & intelligibile mouet, non motum. Horum autem prima eadem sunt. Desyderabile nanque, quòd apparet bonum. Primùm verò voluntate affectabile, quòd est bonum. Magis verò appetimus, quia videtur, quàm videatur quia appetimus. Principium verò, intellectio: ac intellectus, ab intelligibili mouetur. Intelligibile verò, alter ordo est, qui per se ipsum est : & huius, substantia prima, atq; huiusce, quæ simplex & secundum actum est. Est autem vnum, & simplex, non idem. Si quidem vñ, significat mensuram : simplex verò, quo modo se habeat ipsum. At verò bonum quoq;, & quòd per se eligibile est, in eodè ordine sunt : & semper, primum est optimum, aut analogum. Quòd verò cuius gratia in immobilibus sit, ipsa diuisio manifestat. Est enim id, cuius gratia alicui eorum, quorum hoc quidem est, hoc verò nò est, Mouet itaque, ut quòd amatur : quòd mouetur autem, cætera mouet. At si quid mouetur, contingit etiam aliter se habere. Quare si latio prima etiã actus est, quo mouetur, hoc modo sanè contingit aliter se habere secundum locum, quãuis non secundum substantiam. Cum autem aliquid sit mouens, ipsum immobile existens, actu ens, hoc nullo modo contingit aliter se habere. Latio nanq; prima mutationum est : huius autem quæ circularis est : hanc autem illud mouet. Ex Principiù necessitate itaque, est ens : & prout necessitas, necessarium bene est. Et sic principium necessarium : nanq; multisariti toties dicitur, quoddam vi, quia præter inclinacionem;

tionem : quoddã sine quo non bene esset: quoddam quòd non aliter cõtingit se habere, sed simpliciter est, à tali ergo principio, tum cælum, tum natura dependet. Degentia verò (qualis nobis pauco tempore) optima illi est : siquidè ita semper illud est. Nobis autem profectò id impossibile est : quoniam & delectatio, actus huius est. Et ob hoc vigilatio, sensus, intellectio, maximè delectabile est : spes autè, ac memoria, propter hæc. Ipsa verò intellectio secundum se, eius est, quòd secundum se optimum est : & quæ maximè est, eius quòd maximè est. Se ipsum verò intellectus intelligit assumptione intelligibilis. Intelligibilis nanq; fit attingens & intelligens, ita ut idem intellectus, & intelligibile sit. Susceptiuum enim intelligibilis, & substantiæ, intellectus est : operatur autem, habens. Quare istud magis, quàm illud, est id diuinum, quòd intellectus videtur habere : & speculatio optimum, & maximè delectabile est. Si igitur ita bene se habet. Deus semper, ut nos aliquãdo, admirabile est. Quòd si magis, adhuc admirabilius est. At ita se habet. Cæterum vita quoq; profectò inexistit. Siquidem intellectus operatio, vita est : ille verò, est actus : actus verò per se, illius vita optima, & perpetua est. Dicimus itaque Deum, sempiternum, optimumq; viuens esse. Quare vita, & æuum continuum, & æternum Deo inest. Hoc enim est Deus. Quicunque verò (ut Pythagorici, & Speusippus putant) optimum, & pulcherrimùm non esse in principio, eò quòd plantarum quoque, ac animalium principia, causæ quidem sunt : bonum verò, & perfectum in iis esse, quæ ex his sunt, non rectè putant. Sperma nanque ex aliis prioribus perfectis est : neq; sperma primum est, sed quòd perfectum est : veluti hominem dicere quispiam possit priorem spermate esse, non illum, qui eo generatur, sed aliù, ex quo ipsum sperma est. Quòd itaque est quædam æterna, immobilisq; substantia, & à sensibilibus separata, constat ex dictis. Ostensum autem est, quòd nec vllam magnitudinem possibile est hanc substantiã habere, verùm impartibilis, indiuisibilisque est. Nam infinito tempore mouet, nihil verò finitum infinitã potentiam habet. Cum verò omnis magnitudo aut infinita, aut finita sit, finitã quidem propter hoc non haberet magnitudinem : infinitam verò, quoniam omnino nulla est infinita magnitudo. At verò & quoniam quid imparsibile & immutabile est : omnes nanque reliqui motus, posteriores eo sunt, qui secundum locum est. Et quidem hæc, propter quid hoc se habeant modo, dilucida sunt.

CAPVT VIII.



trum autem vna sit ponèda talis substantia, an plures, & quot, non oportet nos latere, sed meminisse quoq; aliorum sententias, quòd de pluralitate, nihil quòd dictu egregium sit, dixerunt. De ideis nanq; opinio nullam accommodatam consyderationem habet. Numeros nanq; dicunt ideas, qui dicunt ideas esse : de numeris verò quandoque ut de infinitis aiunt, quandoq; tanquam vsq;

ad denariu determinatis: qua verò de causa tanta numerorum pluralitas sit, nihil cum diligetia demonstratiua dicitur. Nobis verò ex præsuppositis, atq; determinatis dicendum est. Principiù enim, ac primum entiu, tum per se, tum per accidens, immobile est : mouens autem, primo, sempiterno, & vno motu. Cum verò quòd mouetur, necesse sit ab aliquo moueri (primùmq; mouens immobile per se esse) ac motu æterno ab æterno moueri, & vno, ab vno, videmusq; præter simplicem lationem totius, quam dicimus primã substantiam, & immobilem mouere, cæteras etiam lationes, quæ errantium sunt, sempiternas esse, (sempiternum nanq;, & irrequiescibile, circulare corpus est : monstratũ autè est de his in Physicis) necesse est harum quoq; lationum vnamquæque, à per se immobili, & æterna substantia moueri. Nam & stellarum natura, perpetua substantia quædam existens : & quòd mouet, perpetuum, & prius est moto: & quòd prius substantia est, substantia sit necesse est. Constat itaq;, necesse esse, tot substantias esse natura perpetuas, & per se immobiles, ac absq; magnitudine, ob causam prius dictam. Quòd igitur substantiæ sunt, & harum quænam prima, quæve secunda, secundum eum ordinem, quem & lationes syderum habet, patet. Pluralitatè verò lationum, ex peculiarissima philosophia mathematicarum scientiarum, videlicet ex astrologia, consyderandum est : hæc enim de substantia sensibili; quidem, at sempiterna speculatur: cæteræ verò de nulla quidem substantia, veluti quæ circa numeros, atq; quæ circa geometriam. Et quidem quòd plures sint eorum quæ feruntur, lationes, manifestum etiam est iis, qui parũ attigerunt : pluribus enim, quàm vna, errantium astrorum vnumquodque fertur. Quòd verò hæc sint, nunc quidè nos ea, quæ quidam mathematicorum aiunt, intelligendi gratia dicimus, & ut aliquam determinatã, mente pluralitatem percipiamus. Déinceps quædam quidem nos ipsos querere decet, quædam autem à querentibus sciscitari, si quid præter ea, quæ nunc dicta sunt, iis videatur, qui circa hæc versantur: diligere quidem vtrosq;, adhærere verò certioribus. Eudoxus igitur Solis & Lunæ vtriusque lationem in tribus posuit sphæris esse : quarũ primam quidem eam esse, quæ non errantium stellarum. Secundam verò, secundum id, quòd per medium zodiacum. Tertiã porrò secundum eũ, qui in latitudine zodiaci obliquatur : in maiori autem latitudine obliquari eum, secundũ quem Luna fertur, quàm secundum quem Sol. Errantium verò stellarũ vnusquisq; in quatuor sphæris : quarum primam quidem, & secundam, eandem illis esse. Etenim quæ non errantium est, eã illam esse, quæ omnes fert. At eam, quæ sub ipsa ordinata est, ac quæ secundum zodiacum lationem habet, cõmunem omnibus esse. Tertiã verò omnium polos in eo, quòd per medium zodiacum esse. Quartã autem lationem, secundum eum, qui obliquatus ad medium eius est. Esse verò tertiæ sphære polos aliarũ quidem proprios, Veneris autem, & Mercurii, eosdem. At Calippus, situm quidem sphærarum eundem Eudoxo

ponebat, hoc est distantiarum ordinem: pluralitatem etiã stellæ quidem Iouis, ac Saturni, eandem illi attribuebat. Soli verò, & Lunæ duas adhuc putabat sphæras addendas esse, si quis eorû, quæ sensibilibus apparent, causas assignare debeat. Cæteris verò errantiû, vniciq; vnam, Necessesse verò esse, si debet omnes simul positæ, quæ apparerent, reddere, secundû vnamquaq; errantiû alteras sphæras, vna pauciores esse, quæ reuoluât, & ad idem positione, semper primam eius atri sphæram, quod inferius ordinatû est, constituât: hoc enim modo solû contingit erratium latitudinem omnia facere. Cùm igitur in quibus ipsa quidem feruntur sphæris, hæc quidem octo, hæc verò viginti quinq; sint, harum sanè illas solas non oportet, reuolui, in quibus fertur, quod infimè ordinatum est: quæ quidem duarum primarum sphæras reuoluunt, sex erunt: quæ verò posteriorum quatuor, sedecim: cunctorum verò numerus, tum earum, quæ ferunt, tum quæ reuoluunt eas, quinquaginta quinq;. Quod si Lunæ & Soli non addat aliquis, quos diximus, motus, omnes sphære erunt septem & quadraginta. Pluralitas itaq; sphærarû tanta sit. Quare substantias quoque & principia tum immobilia, tum sensibilia, tot rationabiliter arbitrandû est esse: quod enim necessariû est, relinquatur potentioribus dicendum. Quod si nullâ latitudinem possibile est esse, quæ non ordinetur ad latitudinẽ stellæ, omnem ite naturam, omnemq; substantiã impassibilem, & per se, arbitrari oportet optimum fortitâ finem esse, nulla profectò præter has, alia natura erit, sed hunc necesse est numerû substantiarum esse. Si etenim aliæ sunt, vtique, mouebunt, cùm latitudinis finis sint. Sed esse alias latitudines præter dictas, impossibile est: hoc autẽ ex iis, quæ feruntur, rationabile est accipere. Si enim omne, quod fert, eius gratia, quod fertur, suapte natura est, omnîsq; latio alicuius, quod fertur, est, nulla latio sui gratia erit profectò, nec alterius latitudinis, verum stellarû causa. Si nanq; latio latitudinis causa erit, illam quoq; oportebit aliarum gratia esse. Quare cùm non sit processus in infinitum, finis omnis latitudinis erit diuinorû corporû aliquod, quæ in cælo feruntur. Quod autẽ cælum sit vnû, manifestum est: si enim plures essent cæli, vt homines, principiu vnus cuiusq; erit specie vnus, numero multa. At quæcunq; multa numero, materiam habent: vna etenim & eadem multorum ratio est, veluti hominis. Socrates verò, vnus. Ipsum verò quid erat esse primû, non habet materiam, cùm actus sit. Vnum ergo tû ratione, tum numero, primû mouens immobile ens est: id etiam igitur, quod semper, continuôq; mouetur: vnum ergo tantû cælum est. Tradita autem sunt quædam à maioribus nostris, & admodum antiquis, ac in fabulæ figura posterioribus relicta, quod hi dii sint, vniuersamq; naturam diuinum cõtineat. Cætera verò fabulosè ad multitudinis persuasionem, & ad legum, ac eius, quod cõferat opportunitatem, iam illata sunt. Homini formes nanq; ac aliorû animalium nonnullis similes eos dicunt, ac alia cõsequencia, & similia iis, quæ dicta sunt: quorû si quis ipsum solum primû sepa-

Sphærarû numerus.

Omnis latitudinis finis.

rando accipiat, quod deos arbitrabantur primas substantias esse, diuinè profectò dictum putabit, & (vt verisimile est) sapius quaq; arte, & philosophia, quoad possibile fuit, inuenta, corruptaq; rursus, has illorum opiniones quasi quasdam reliquas, nunc vsq; saluatas esse. Paterna itaq;, ac priorum opinio, in tantum nobis manifesta sit.

CAPVT IX.



A verò, quæ circa mentẽ sunt, quasdam dubitationes habet. Videtur enim eorum, quæ apparent, quid diuinissimû esse. Quo verò modo se habens talis erit, difficultates quasdam habet. Siue enim nihil intelligat, sed ita se habeat, vt dormiens, quidnã præcellens erit? Siue intelligat, huius verò aliud sit principale (non enim id, quod est eius substantia, intellectio erit, sed potentia) profectò non erit optima substantia. Si quidem eò quod intelligit, ei honorabilitas inest. Præterea, siue mens, siue intellectio eius substantia sit, quid intelligit? Aut enim ipsa se ipsam, aut aliquid aliud. Quod si aliud, aut idẽ semper, aut aliud. Vtrum autem differat aliquid, an nihil intelligere bonum, vel quodcunq;? An verò de quibusdam ipsam etiam & cogitare absurdum est? Manifestum itaq; est, quod illud intelligit, quod diuinissimû, honorabilissimûq; est. Neq; mutatur in deterius: nanque mutatio fieret, ac motus, quod huiusmodi iã esset. Primò igitur si nõ est intellectio, sed potentia, rationale est, laboriosam ei continuationẽ intelligendi esse: deinde dilucidû, quod aliquid aliud honorabilius esset, quàm mens, id scilicet, quod intelligitur. Et intelligere profectò, ac intellectio, & quod pessimum intelligenti, inerit: quare fugiendû hoc sit. Etenim quædam melius est nõ videre, quàm videre: alioqui non fuerit, quod optimû, intellectio. Se ipsam ergo intelligit, si est quidẽ, quod optimum est: & est intellectio, intellectiois intellectio. At videtur semper alterius esse, tû scientia, tum sensus, & opinio, ac mens: sin verò ipsius, præter necessitatem. Si aliud præterea intelligere, aliud intelligi sit, secundum quod horû inest ei bene esse, quandoquidẽ non est idem intellectiois esse, & intellectio. An in quibusdam scientia est ipsa res? in effectiuis quidem absq; materia, substantia, & ipsum quid erat esse: in speculatiuis verò, ratio, res, & intellectio. Cû igitur nõ sit diuersum ab eo, quod intelligitur, & intellectus, quæcunq; nõ habent materiã, idẽ erunt, ac intellectio, vna eius quod intelligitur. Itẽ restat dubitatio, vtrû compositû sit, quod intelligitur. Mutaretur etenim in partibus totius. An omne nõ habes materiã indiuisibile est? quæadmodû humanus intellectus: an cõpositorû, se in aliquo tẽpore habet. Nam nõ bene esse habet in hoc, aut in hoc: verum in toto quoddam, quod optimû est, aliud ab eò existẽs. Si autẽ ipsa sui ipsius intellectio, per totû æternum se habet.

CAPVT X.



Erserutandum autem etiam hoc, quod bonû, vniuersam modo natura vniuersi habeat ipsum bonum, & ipsum optimû: vtrum ratione separatum quiddã, & ipsum an per se, debeat an ipso

an ipso ordine, an vtroq; modo, quemadmodum exercitus: etenim bene esse eius, in ordine, & dux ipse est, ac magis ipse: non enim ipse propter ordinem, verum ordo propter ipsum est. Cuncta autem coordinata quodam modo sunt, verum non similiter & natantia, & volatilia, & plantæ: nec ita se habent, vt sit vllum alteri ad alterum, sed sunt ad quippiam: ad vnum namque coordinata sunt omnia. Verum quæadmodum in domo liberis quidẽ minimè licet quodcunq; facere, sed ea omnia, aut plurima, quæ ordinata sunt, mancipiis verò, & bestiis parû, quod ad commune conferat, sed vt plurimum quodcunq; contingit (tale nanq; principium cuiusque eorum, natura est) dico autem pariformiter, quod necesse est omnia in discrimen venire: & alia ita sunt, quibus omnia comunicat ad vniuersum complendum. Quæcunq; verò impossibilia, siue absurda aliter dicentibus accidunt, quæve dicunt gratiosius dicentes, ac in quibus minimè dubitationes sunt, nõ decet nos latere: omnes nanque ex contrariis omnia faciunt. At non rectè id omnia, neq; id ex contrariis. Quibus autem contraria insunt, quonam modo ex contrariis erunt, nõ dicunt: quandoquidẽ contraria impassibilia sunt ab se inuicem. A nobis autem rationi consentaneæ hoc soluitur, cùm aliquid tertium sit. Quidam verò alterum contrarium materia faciunt, quemadmodû qui inæquale æquali, aut vni multa. Soluitur autem etiã hoc eodem modo: nam materia vna nulli contrarium est. Item cuncta participabunt malo, præter ipsum vnum: alterum nanq; elementorum, ipsum malum est. At alii, neq; principia, bonum & malum, quæquàm in omnibus maximè ipsum principium ipsum bonû sit. Quidam autem hoc quidem rectè, quod principium: quo verò modo ipsum bonum principium sit, vtrum vt finis, an vt mouens, an vt species, non dicunt. Empedocles quoque absurdè amicitiam facit bonum, cùm hæc principium sit, & vt mouens (si quidem congregat) & vt materia, nam misti pars est. At si etiam eidem accidat, & vt materiæ, principio esse, & vt mouenti, ipsum tamen esse non idem est. Secundum quod igitur horum, amicitia est? Inconueniens item est, contentionem incorruptibilem esse, cùm hæc ipsa mali natura sit. Anaxagoras autem bonum ponit principium, vt mo-

Ad vnum omnia coordinata esse.

Principiû.

uens. Mens enim mouet: verum alicuius gratia mouet. Quare alterû nisi sit, vt nos dicimus: ars enim medendi, quodam modo sanitas est. Inconueniens etiam est, quod non fecerit aliquid bono, mentique contrarium. Porro nulli eorum, qui ponunt contraria, vtuntur cõtrariis, si quem inquirere nõ pigeat: & cur quædam corruptibilia, quædam incorruptibilia nemo dicit. Omnia namque entia, ex eisde principiis faciunt. Præterea, quidã ex non ente faciunt entia: quidã vt hoc non cogantur, vnû cuncta faciunt. Cur itẽ semper generatio erit, quidque generationis causa sit, dicit nemo. At tum illis, qui duo principia faciunt, aliud principalius principiu necesse est esse: tum illis, qui species: quia aliud principium est. Cur enim participauit, aut participat? Et aliis quidem necesse est, sapientiæ, ac nobilissimæ scientiæ aliquid contrarium ponere esse, nobis verò minimè. Nihil enim est primo contrariû: quandoquidem cuncta contraria materiam habent, & potentia hæc sunt. Contraria verò ignorantia, ad contrarium: primo autem nihil contrarium est. Præterea, si non erunt alia præter sensibilia, non erit principium, ordo, generatio, ipsa cælestia, sed semper principii principium, vt theologis, physicisque cunctis. Si autem erunt species aut numeri, nullius causæ erunt. Si verò, non saltem ipsius motus: quo nanque item modo, ex non habentibus magnitudinem, magnitudo, cõtinuûq; erit? Numerus nanque non faciet continuum, neque vt mouens, neque vt species. Cæterum nihil contrariorû erit ipsum & factiuum, & motiuum: alioqui contingere sanè possit nõ esse. Verumenimvero & facere posterius, quàm potentia est. Entia ergo non erunt sempiterna: at tamen sunt. Interimendum igitur aliquid horum est: hoc autem aliquo pacto dictum est. Item quomodo numeri sunt vnum, aut anima, & corpus, & omnino species, & res, nemo aliquid dicit, nec dicere possit, nisi (vt nos) dicat, quod, vt mouens faciat. Qui verò dicunt mathematicum numerum primum, & ita semper aliam attingam substantiam, ac alia cuiusque principia, inconspirantem vniuersi substantiam faciunt (nihil enim altera alteri confert, siue sit, siue non sit) & principia multa: at entia nolunt malè gubernari. Non est bonum pluralitas principiorum: vnus ergo princeps.

Y y 5

ARISTOTELIS STAGIRITAE Metaphysicorum Liber Decimustertius.

CAPVT I.



DE sensibilibus itaque substantia, quænam sit, dictum est: in traditione quidem naturalium, de materia, posterius vero de actu. Cùm autem hæc consideratio sit, vtrum præter sensibiles substantias aliqua sit immobilis, & æterna, necne, & si sit, quænam sit: quæ ab aliis dicuntur, proximo speculandum est, vt tum si quid non rectè dicant, non sumus eiusdem conscii, tum si quod nobis & illis commune dogma sit, hoc separatim non contra nos grauius feramus. Sufficiens enim erit, si quis quædam melius dicat, quædam non deterius. Duæ autem de his opiniones sunt. Quidam etenim ipsa mathematica substantias esse aiunt, vt numeros, lineas, & quæ his eiusdem generis sunt. Et rursus, ideas. Cùm autem quidam ideas, numerosq; mathematicos duo genera faciant, quidam vnam amborum naturam, quidam autem alii mathematicas tantum substantias esse dicant: primum quidem de mathematicis considerandum est, nullam aliam eis addendo naturam, veluti vtrum ideae sint necne, & vtrum principia, substantiaque entium, an non: verum tantum, vt de mathematicis, vtrum sint, an non sint: & si sint, quonam modo sit. Deinde postea seorsum de ipsis ideis simpliciter, & aliquantulum legis gratia: diuulgata nanque plurima sunt, etiam in exterioribus rationibus. Præterea, ad illam considerationem oportet maiorem sermonis partem attendere, cùm de his considerationibus, vtrum substantia, principiaque entium, numeri, ac ideae sint: post enim ideas, hæc tertia consideratio restat. Necesse autem, si mathematica sunt, aut in sensibilibus ea esse, quemadmodum aliqui dicunt, aut à sensibilibus separata: & hoc etiam modo quidam aiunt: aut si neutro modo sunt, aut alio modo sunt. Quare dubitatio nobis non de ipso esse erit, verum de modo.

CAPVT II.



ET quidem quod sensibilibus ea esse impossibile est, quodque simul fictitia ratio est, dictum sanè in dubitationibus est, quod simul duo solida esse impossibile est. Item quod eiusdem rationis est, cæteras quoque potentias & naturas

in sensibilibus esse, ac nullam separatam: hæc itaque prius dicta sunt. Verum ad hæc etiam constat, quod impossibile esset quodcunque corpus diuidi. Diuideretur enim secundum superficiem, & hæc secundum lineam, & ista secundum punctum. Quare si punctum impossibile est diuidere, etiam lineam: quod si hanc, cætera quoque. Quid igitur differt aut has esse tales naturas, aut non esse quidem in eis tales naturas? Idem nanque accidet: diuisis enim sensibilibus, diuidentur, aut nec ipsæ sensibiles. At nec separatas esse tales naturas possibile est. Nam si erunt præter sensibilia solida separata ab his diuersa, prioraque sensibilibus, patet quod etiam præter superficies, alias necesse est esse superficies separatas, puncta quoque, & lineas: quandoquidem eadem ratio est. Quod si hæc rursus præter mathematici solida superficies, lineas, & puncta, alia separata: siquidem incomposita, priora compositis sunt. Et si sensibilibus priora sunt corpora non sensibilia, eadem ratione superficiebus etiam, quæ in solidis immobilibus sunt, priores sunt eæ, quæ per se ipsas existunt. Quare alia sunt hæc, tum superficies, tum lineæ, ab iis, quæ simul cum separatis solidis sunt: hæc nanque simul cum mathematicis solidis, illæ verò eis priores sunt. Rursus illarum superficierum lineæ erunt, quibus priores alias oportebit eadem ratione lineas, punctaque esse: & eorum, quæ in prioribus lineis, alia puncta priora, quibus non erunt amplius alia priora. At absurda sanè coaceruatio fit. Accidit nanque solida quidem, vnica præter sensibilia esse: superficies verò triplices, præter sensibiles, illæ scilicet præter sensibiles, quæ in mathematicis sunt solidis, quæque præter eas, quæ in his sunt: lineæ autem quadruplices, puncta autem quincupla. Quare circa qualia horum, mathematica scientia erunt? non enim circa superficies, lineas, & puncta, quæ in immobili solido sunt: quandoquidem super scientia circa priora est. Eadem ratio de numeris quoque: præter enim quælibet puncta, alia vnitates erunt: ac præter quælibet entia sensibilia, deinde præter intelligibilia, quare numerorum mathematicorum infinita genera erunt. Item, quonam modo quæ in dubitationibus enumerauimus, soluere possunt? Etenim ea, circa quæ Aristologia est, simili modo præter sensibilia sunt, ac circa quæ Geometria. Esse verò cælum, & partes eius, quonam modo possibile est, aut aliud quodcunque motum habens? Similiter autem perspectiua, & har

& harmoniaæ obiecta? Erit nanque vox, & visus præter sensibilia, & particularia. Quare patet quod alii sensus etiam, aliaque sensibilia sunt. Cur enim magis illa, quam ista? Quod si hæc sunt, animalia quoque, erunt, si quidem & sensus. Item, quædam à mathematicis vniuersaliter præter has substantias scribuntur: erit igitur hæc quoque alia quædam substantia separata, ac media inter ideas, ac media, quæ nec numerus, nec puncta, nec magnitudo, nec tempus sit. Quod si hoc impossibile est, constat quoque, illa impossibile esse à sensibilibus separata. Et omnino contrarium, tum verò, tum ei, quod existimari solitum est, accidit. Si quis ita esse mathematica ponat, vt quædam naturas separatas, necesse profectò est propterea quidem, quod ita se habeant, priores sensibilibus magnitudinibus esse: secundum autem veritatem, posteriores. Si quidem imperfecta magnitudo, generatione prior, substantia posterior sit, vt inanimatum animato. Item, quo, & quando magnitudines mathematicæ vnum erunt, quæ quidem interdum animæ, aut parti animæ, aut allicui, quæ particeps est rationis, insunt: quod si non, multa erunt, ac dissoluètur. Illis verò (cùm diuisibiles, quantæque sint) quidnam causæ est, vt vnum sint, coniunctæque, maneant? Item ipsæ etiam generationes hoc manifestant: quandoquidem quod primum est, ad longitudinem, deinde ad latitudinem, & tandem ad profunditatem fit, ac finem nactum est. Si itaque substantia prius, quod generatione posterius est, corpus profectò tum superficie, tum longitudine prius erit: & hac ratione profectum magis, atque totum, quia fit animatum. Linea verò, siue superficies, quonam modo animata erit? Supra nanque nostros sensus hæc certè postulatio erit. Itè, corpus quidem, substantia quædam sit, quippe quod iam perfectionem quodam modo habet; lineæ verò quonam modo substantia erunt? Nec enim vt species, & forma quædam, veluti si anima sit, quod tale est: nec vt materia, veluti corpus. Nihil enim ex lineis, neque ex superficiebus, neque punctis videtur consistere posse. At qui si qua materialis substantia esset, hoc pati posse profectò videretur. Ratione itaque prior sit. Non tamen omnia quæcunque ratione priora, substantia quoque priora sunt. Substantia nanque priora, quæcunque separata, excedunt essentia. Ratione verò iis, quorum rationes ex rationibus: hæc autem non sunt simul. Si enim passiones non sint præter substantias, veluti quidam motum, vel album, homine albo secundum rationem albedo prior est, non secundum substantiam. Non enim potest separata esse, verum semper vnà cum toto est: dico autem, totum hominem album. Quare manifestum est, neque prius esse, quod ex ablatione est, neque posterius, quod ex appositione est: ex appositione nanque, ipsa albedine, albus homo dicitur. Quod igitur nec substantia sint magis, quam corpora, nec essentia sensibilibus priora sint, verum sola ratione, nec vsquam esse separata possibile esse, fatis dictum est. Cùm verò nec in sensibilibus ea esse eotingat, manifestum est, quod aut omnino non

sunt, aut modo quodam sunt, & ob hoc non simpliciter sunt. Multipliciter nanque ipsum esse dicimus.

CAPVT III.



Quemadmodum enim vniuersalia in mathematicis non sunt de separatis Mathematicis præter magnitudines, numerosq; verum de his, quamquam non quatenus non sensibilia, vt magnitudinem habeant, aut diuisibilia parabilia, sint, patet quod etiam de magnitudinibus sensibilibus, rationes, & demonstrationes sunt, verum non prout sensibiles, sed prout tales sunt. Quæ admodum enim prout mota solum multæ rationes sunt, absque eo, quod quid sit vnumquodque eorum, ac eis accidentium consideretur, & non est necesse propterea idem aliquid motum à sensibilibus separatim esse, vel in eis aliquam naturam segregatam esse: ita de motis etiam erunt rationes, atque scientiæ, non tamen quatenus mota, verum quatenus corpora tantum, & rursus prout superficies tantum, & prout longitudines tantum, & quatenus diuisibilia & quatenus indiuisibilia situm habentia, & prout indiuisibilia tantum. Quare cùm simpliciter verum sit dicere, non solum separabilia, sed & non separabilia esse veluti mota, & mathematica: quia (etiam qualia dicunt) verum est simpliciter dicere, & talia esse: & quemadmodum cæteras scientias simpliciter verum est dicere huius esse, non eius, quod ei accidat: veluti albi (si salubre album sit) verum prout salubre est, ac illius, cuius vnaquæque est, si salubris salubre, si verò hominis prout homo est: ita & geometriam. Non si accidit sensibilia esse quorum est, non est autem eorum, prout sensibilia sunt, non erunt sensibilibus mathematicæ scientiæ: non profectò propter hæc aliorum separatorum erunt. Multa vero per se rebus accidunt, prout vnumquodque talium est: quoniam & quatenus femininum animal, & quatenus masculinum, propriæ sunt passiones, etsi non est quicquam femininum; neque masculinum separatorum animalium. Quare etiam prout longitudines solum, & prout superficies, & quantum de prioribus ratione, ac simplicioribus, tanto magis id certitudinem habet. Hoc autem simplex est, quare absque magnitudine magis, quam cum magnitudine, & maxime absque motu. Quod si habet motum, primum maxime: siquidem hic simplicissimus est, & huius qui regularis est. Eadem ratio de harmonica, & perspectiua est: neutra nanque prout visus, vel prout vox, speculatur, verum prout lineæ, & numeri. Adhæc, propriæ illorum passiones sunt: mechanica quoque similiter. Quare si quis ab accidentibus separet, ac de eis aliquid, quatenus talia sunt, consideret, minime propter hoc mentietur: quemadmodum nec cùm in terra describat, ac eam, quæ pedalis non est, pedalem dicat. Non enim in propositionibus falsitas inest. Optimè verò ita vnumquodque profectò considerabit, si quis separans, ponat, quod non est separatim: quod arithmeticus, geometriq; facit. Vnum enim, & indiuisum

diuisum est homo, prout homo. Ille verò posuit vnum indiuisum, deinde speculatus est, si quid homini, prout indiuisus est, accidit. At geometra nec prout homo, nec prout indiuisus, verum prout solida, quæ certè (etiam tametsi nullibi erat indiuisus) inerant ei: patet quòd etiam absque his, contingit ei posse inesse. Quare propter hoc non malè geometræ dicunt, & de entibus differunt, & entia sunt. Duplex enim est ens, hoc quidem actu, hoc verò materia. Cùm autem bonum, & pulchrum differant (siquidem illud semper in operatione, pulchrum verò etiam in immobiliibus est) qui dicunt mathematicas scientias nihil de bono vel pulchro dicere, falsum dicunt. Dicunt etenim, & maximè ostendunt. Nā et si non nominant, cùm tamen opera, & rationes ostendunt, nonne dicunt de eis? Pulchri nanque maximè species sunt, ordo, commensuratio, & definitum, quæ maximè ostendunt mathematicæ scientiæ. Et cùm hæc multorum causæ esse appareant (dico autem veluti ordo, & definitum) patet quòd etiam similem causam, quæ ut bonum causa est, quodam modo dicant. Magis autem apertè in aliis dicemus. De mathematicis igitur, & quòd entia sunt, & quomodo entia, & quoque modo priora, & quomodo non priora, tot dicta sint.

CAPVT IIIII.

DE ideis autem, primò ipsam, quæ de idea est, opinionem considerandum, ad numerorum naturam nihil conseruati habentem, sed quemadmodum opinati sunt à principio, qui primi ideas esse dixerunt. Accidit verò de ideis opinio illis, qui dixerunt propterea, quòd de veritate adhæserant Heracliti rationibus, tanquam omnia sensibilia semper fluant. Quare si qua cuiuspiam scientiæ, prudentiæque erit, oportet alias quædam naturas permanentes esse, præter sensibiles: non enim fluentium esse scientiam. Cùm verò Socrates circa morales virtutes vacaret, & de his vniuersaliter definire primus quæreret (naturalia enim parumper Democritus tetigerat solum, & aliquatenus calidum & frigidum definierat. Pythagorici etiam prius de quibusdam paucis, quorum rationes ad numeros reducebant, veluti quid est tempus, aut iustum, aut nuptiæ) ille sanè rationabiliter quærebat ipsum quid est: syllogizare enim quærebat. Syllogismorum verò principium, est ipsum quid est. Nondum enim tunc erat vis dialectica, unde & possent absque eo ipso quid est, contraria considerare, vtrum contrariorum eadem scientia esset. Duo nanque sunt, quæ Socrati iure proprio attribuat quispiam, inductiuas orationes, & definitionem vniuersalis. Hæc enim ambo circa principium scientiæ sunt. At Socrates quidem vniuersalia non ponebat separata, nec definitiones: quidam verò separarunt, ac talia, entium ideas appellarunt. Quare ferè accidebat eis eadem ratione, omnium, quæ vniuersaliter dicuntur, ideas esse. At simile est, sicuti si quis numerare

volens, cùm quidem pauciora existant, arbitretur non posse: cùm verò plura faciat, numeret. Plures etenim (vt ita dicam) species sunt, quàm sensibilia particularia: de quibus cùm causas quærent, ex his ad illas processerunt. Nam & secundum vnumquodque eiusdem nominis sunt, & præter substantias: cæterorum quoque in multis est vnum, & in his, & sempiternis. Cæterum quibus modis ostenditur, quòd species sunt, secundum nullum horum apparet. E quibusdam nanque non est necesse fieri syllogismum, de quibusdam verò, etiam quorum non putant, horum species fiunt. Secundum nanque rationes, quæ ex scientiis, species erunt omnium, quorum scientiæ sunt: secundum verò vnum in multis, etiam negationum: & secundum quod intelligimus aliquid eius, quod corruptum est, etiam corruptibilium: siquidem horum aliqua conceptio est. Insuper quædam rationum, eorum etiam, quæ ad aliquid sunt (quippe cùm exactissimæ sint) ideas faciunt, quorum non dicimus esse per se genus. Quædam etiam tertium hominem dicunt. Et simpliciter hæc de speciebus rationes, illa perimunt, quæ magis, quàm ipsas ideas esse volunt, qui species dicunt. Accidit enim non esse prius dualitatem, sed numerum, & eo, quod est aliquid, etiam id, quod per se est: & cuncta quæcunque cum quibusdam sequentur de ideis opiniones, aduersa facere principii. Item, secundum existimationem, secundum quam dicunt ideas esse, non solum substantiarum, verum etiam multorum aliorum species erunt: etenim vnus conceptus, non solum de substantiis, sed de non substantiis etiam est. Et scientiæ non solum substantiæ erunt: & alia id genus accidunt infinita. Secundum verò necessitatem & opiniones de eis, species participabiles sunt, necesse est substantiarum solum esse ideas. Non enim secundum accidens participatio earum est, sed eatenus vnaquaque participare est, quatenus dicitur non de subiecto. Dico autem, vt si quid ipso duplo participat, hoc etiam æternò participat, sed secundum accidens. Accidit enim duplo æternum esse, quare species, substantia erunt. Hæc autem hæc, & ibi substantiam significant. An aliquid erit dicere esse præter hæc, ipsum quid vnum in multis? et si eadem quidem species est idearum, & participantium, erit aliquid commune. Cur enim magis de corruptibilibus dualitatibus, & pluribus quidem, sed æternis, dualitas vnum, & idem sit, quàm de hac, & aliqua? Quòd si non est eadem species, æquioca erit profectò, & simile, ac si quis Calliam, & lignum homines appellarit, nullam inspiciens communicationem eorum. Si autem cætera quidem, communes videlicet rationes speciebus conuenire ponemus, veluti ad ipsum circulum figuram planam, & cæteras rationis partes, & quod ei, cuius est, apponatur, considerandum est, ne omnino vanum hoc sit. Cui nanque apponetur? medio, an plano, an cunctis? Omnia enim, quæ in substantia sunt, ideæ sunt, vt animal, & bipes. Item patet, quòd ipsum quoque necesse est quid esse, veluti planum.

planum naturam quædam, quæ omnibus speciebus vt genus inerit.

CAPVT V.

Quid species sensibilibus conferat.

Rotissimum verò quispiam dubitabit, quidnam species conferant, aut sempiternis sensibilibus, aut illis, quæ fiunt, & corrumpuntur: nec enim motus, nec alicuius transmutationis, eis ipsis causæ sunt. At nec ad scientiam aliorum profunt: nec enim horum illæ substantiæ sunt: in his etenim essent. Nec adesse: quippe cùm non insint participantibus. Ita etenim fortassis causæ putabuntur esse, vt album mistum albo. Sed ista ratio facile redargui potest, quam Anaxagoras prior, Eudoxus verò posterior dubitans, & alii quidam dixerunt: facile enim est multa, & impossibilia ad hanc opinionem congerere. At nec ex speciebus cætera sunt secundum vllum illorum modorum, qui dici solent. Dicere verò exemplaria, eas esse, & cætera eis participare, vana, & figmenta poetica est dicere. Quid enim est, quod agit, ad ideas inspiciens? Possibile enim est, & esse, & fieri quodcunque, etiam non ex imagine. Quare & existente Socrate, & non existente, fiet utique, quale Socrates est. Similiter etiam dilucidum, si Socrates sempiternus esset: & eiusdem erunt plura exemplaria: quare & species, vtputa hominis, animal, & bipes, simul autem & idealis homo. Item, non solum sensibilibus exemplaria species erunt, verum etiam ipsarum: vtputa genus specierum, quæ vt generis sunt: quare idem erit, exemplar, & imago. Item, videretur impossibile, esse separatam substantiam, & id, cuius substantia. Quam ob rem quomodo ideæ, cùm rerum substantiæ sint, separata erunt? In Phædone verò hoc modo dicitur, quòd tum ipse esse, tum ipse fieri, species causæ sunt. Attamen quæuis species existant, non fiunt, si non sit, qui moueat: & multa alia fiunt, vt domus, & annulus, quorum non dicunt species esse. Quare patet, cætera quoque, quorum aiunt ideas esse, posse & esse, & fieri propter tales causas, quales eorum sunt, quæ nunc dicta sunt, & non propter species. Sed de ideis quidem, & hoc modo, & per alias tamen magis dialecticas, tum certiores rationes, multa iam consideratis similia congregari possunt.

CAPVT VI.

Numerorum ratio.

Vm autem de his determinatum sit, decet rursus, quæ circa numeros illis accidunt, qui eos substantias separatas dicunt, ac entium causas primas speculari. Necesse verò est, si numerus quædam natura est, nec est alia quædam eius substantia, sed hoc ipsum, vt quidam aiunt, aut quoddam eius primum esse, quoddam consequens, quod sit secundum, quòdque specie diuersum, & hoc aut in vnitatibus confestim existit, & est quæcunque vnitas cuique vnitati incomparabilis: aut sunt confestim consequenter omnes, & quæcunque quibuscunque combinabiles, qualem aiunt

mathematicum numerum esse (in mathematico enim nulla vnitas alia ab alia differt) aut quædam combinabiles, quædam non: veluti si post vnum est prima dualitas, deinde trinitas, & sic alius numerus. Sunt autem vnitates in vnoquoque numero, veluti quæ in prima dualitate sunt, inuicem combinabiles, & quæ in prima trinitate sunt, inuicem: & ita in cæteris numeris. Quæ verò in ipsa dualitate, incomparabiles eis, quæ in ipsa trinitate sunt: & similiter de aliis consequentibus numeris. Ideo mathematicus quidem numeratur, post vnum duo, cum anteriori vno aliud vnum: & reliquis quidem similiter: iste verò post vnum, duo alia absque primo vno, & trinitas absque dualitate. Similiter autem & reliquus numerus. Aut igitur quendam numerorum esse oportet, qualis primus dictus est, quendam autem qualem mathematici dicunt, tertium verò qualis vltimò dictus est. Item, istos numeros aut separatos à rebus esse, aut non separatos, sed in ipsis sensibilibus: non autem ita vt prius considerabamus, sed vt ex numeris inexistentibus ipsis sensibilibus, aut quendam eorum esse, quendam non, aut omnes esse. Modi quidem, secundum quos contingit eos esse, hi sunt necessariò soli. At hi etiam, qui dicunt ipsum vnum principium, substantiam, ac elementum omnium esse, & ex hoc, & alio quodam numero esse, ferè singuli, horum aliquem modorum dixerunt, præterquam quod omnes vnitates incombinabiles sint, & rationaliter accidit: non enim contingit alium modum esse, præter eos, qui dicti sunt. Quidam itaque ambos numeros esse aiunt: illum quidem qui prius & posterius habet ideas: mathematicum verò, præter ideas, & sensibilia, ac ambos à sensibilibus separatos. Quidam mathematicum solum numerum esse primum entium, ac à sensibilibus separatum. Pythagorici quoque vnum ipsum mathematicum, verum non separatum, sed ex eo sensibiles substantias constare dicunt. Totum enim cælum ex numeris construunt, præter id, quod non ex monadicis: sed vnitates existimant habere magnitudinem. Quo autem modo primum vnum consistit magnitudinem habens, dubitare videntur. Alius autem quidam primum numerum, ipsum specierum vnum esse: alii verò ipsum mathematicum, hunc eundem esse. Simili modo etiam circa longitudines, & plana, & solida: quidam enim, alia esse mathematica, & alia, quæ post ideas. Eorum verò qui aliter dicunt, quidam mathematica, & mathematicè dicunt, quicunque ideas non faciunt numeros, nec esse ideas aiunt: quidam, mathematica, non mathematicè. Non enim secari omnem magnitudinem in magnitudines, neque quæcunque vnitates dualitatem esse. Monadicos autem numeros esse ponunt omnes, præter Pythagoricos, quicunque vnum, elementum, atque principium entium aiunt esse: illi enim habentia magnitudinem aiunt, vt prius dictum est. Quot igitur modis contingat de eis dici, quòdque omnes modi dicti sint, ex his manifestum est. Sunt autem

autem cuncta quidem impossibilia, magis verò fortassis altera alteris.

CAPVT VII.

Rimò itaq; consyderādum est, vtrum cōbinabiles sint vnitates, an incōbinabiles. Quòd si incōbinabiles, quonā modo, vt diuisimus, est enim quancunq; vnitati incōbinabile esse. Est autem eas, quæ in ipsa dualitate sunt, ad eas, quæ in ipsa trinitate: & sic eas, quæ in vnoquoq; numero primo sunt, incōbinabiles inuicē esse. Si omnes igitur vnitates cōbinabiles, & indifferentes sint, mathematicus numerus fit, & vnus solus: neque contingit ideas numeros esse. Qualis nanq; numerus, idealis homo, aut animal, aut aliqua alia specierum erit? Idea nanque vna vniuscuiusq;, veluti ipsius hominis vna, & ipsius animalis alia vna: hi verò similes, & indifferentes indefiniti. Quare nihil magis hæc trinitas ipse idealis homo erit, quàm quæcunque. Quòd si ideæ non sunt numeri, nec omnino possibile est eas esse: ex quibus nanque principiis ideæ erunt? Numerus enim ex vno, & dualitate indeterminata est: ac principia, & elementa ipsius numeri, dicuntur, neque ea contingit aut priora, aut posteriora numeris ordinare. Si verò vnitates incombinabiles sunt, & ita incombinabiles, vt quæcunq; cuiusq;, nec mathematicum hunc contingit esse numerum. Mathematicus nanque, ex indifferentibus est: & quæ de eo ostenduntur, tanquam in tali conueniunt, nec hunc esse specierum: non enim erit dualitas prima, ex vno, indeterminata dualitate. Deinde consequentes numeri, vt dicitur, dualitas, trinitas, quaternitas: simul etenim quæ sunt in prima dualitate vnitates, generantur: siue quem admodum qui prius dixit, ex inæquabilibus (factis nanque æqualibus fiebant) siue aliter. Deinde si altera vnitatis prior altera erit, dualitate etiam, quæ ex his fit, prior erit. Cùm enim aliquid sit, quoddā prius, quoddā posterius, & quod ex his, hoc quidem prius, illo verò posterius est. Item, cùm primum quidem ipsum vnū sit, deinde cæterorū aliquod vnum, secundum verò post illud, & rursus tertium, quod secundum est post secundum, tertium erit post primum, vnum. Quare priores profectò erunt vnitates, quàm numeri, qui eas complectuntur: veluti in dualitate erit tertia vnitatis antè, quàm tria sint: & in trinitate, quarta, & quinta antè, quàm hi numeri sint. At nemo eorum hoc modo dixit vnitates incombinabiles: verum secundum quidem principia eorum, ita esse rationabile est: secundum autem veritatē, impossibile est. Etenim vnitates priores, & posteriores esse rationabile est, si & quædam quidem prima vnitatis est, vnūq; primum: & dualitates similiter, si & prima quidem dualitas est: post nanque primum, rationabile, & necessarium est, secundum quiddam esse: & si secundum, tertium: & ita cætera consequenter. Simul verò vtrunque dicere, vnitatemque primam post vnam esse, atque secundam, & primam dualitatem, impossibile est. Hi verò vni-

tatem quidem & vnum primum faciunt, secundum verò, & tertium nequaquam: ac dualitatem primam, secundam verò, & tertiam minimè. Constat autem, quòd si omnes vnitates incombinabiles sunt, non contingit dualitatem ipsam esse, ac trinitatem, & sic cæteros numeros: siue nanq; sint vnitates indifferentes, siue differentes singulæ à singulis, necesse est numerum numerari per additionem: veluti binarium, ad vnum vno alio addito: ternarium quoque, alio vno ad duo appposito: & simili modo, quaternariū. Quare cùm ita sint, impossibile est numerorum esse generationem, quemadmodum ex dualitate, & vnitatis generant. Binarius nanque, pars ternarii fit: & hic, quaternarii. Eodem autem modo & in cōsequentibus accidit. At ex primo binario, indeterminatōque binario, fiebat quaternarius, duo binarii præter ipsum binariū. Quòd si non, pars erit ipse binarius: alter verò adhuc erit vnus binarius: & binarius erit ex ipso vno, & alio vno. Quòd si est, non est possibile alterū elementum esse indeterminatum binarium. Vnam enim vnitatem generant, sed nō determinatum binarium. Item præter ipsum ternarium, ipsumque binarium, quomodo erūt alii ternarii, & binarii? quōve modo ex prioribus & posterioribus vnitatibus componuntur? hæc enim omnia & fictitia sunt, & impossibile esset esse primum binarium, deinde ipsum ternarium. At necesse est, postquam vnum quidem, & indeterminatum binarius elementa erunt, quod si quæ accidunt, impossibilia sunt, hæc quoque principia impossibile est esse. Si itaque vnitates quæcunque à quibuscunque differant, hæc, & alia huiusmodi necessariò accidunt. Si autem quæ quidem in alio differentes sunt, quæ verò in eodem numero indifferentes inuicem solæ, non pauciora difficultatem ingerentia, hoc quoque modo accidunt, veluti in ipso denario, decem vnitates sunt. Componitur autem denarius, tum ex his, tum ex duobus quinariis. Cùm verò ipse denarius non sit quicunque numerus, nec ex quibuscunque quinariis componatur, sicuti nec vnitatibus, necesse est vnitates, quæ in hoc denario sunt, differre. Nam si non differant, nec quinarii different, ex quibus denarius est. Cùm verò differant, vnitates quoque different. Si igitur differant, vtrum non erunt quinarii alii, sed hi duo tantum, an erunt? Siue igitur non erunt, inconueniens est: siue erunt, qualis ex eis denarius erit? Non est enim in denario alius denarius, præter ipsum. At verò etiam necesse est, vt non ex quibusuis binariis quaternarius componatur. Indeterminatus nanque binarius (vt aiunt) determinatum accipiens binarium, duos binarios effecit: eo enim, quod cepit, binarii fuit efficiens. Item, quonam modo contingit, binarium præter duas vnitates, ac ternariū præter tres vnitates, aliquam esse naturam, siue certè alterum altero participabit? (quemadmodum albus homo præter album & hominem? his enim participat) siue cùm alterum quædam alterius differentia sit, quemadmodum homo præter animal, & bipes? Item quædam tactu, quædam

quædam missione, quædā positione sunt, vnum, quorum nihil vnitatibus, ex quibus binarius, atque ternarius fit, cōpetit: sed quemadmodum duo homines non sunt vnū quid præter vtrunq;, ita de vnitatibus quoque, necesse est. Et non quoniā indiuisibile idcirco different: etenim pūta quoque indiuisibilia sunt: verūtamen dualitas eorū nihil aliud est præter duo. At verò nec hoc latere decet, quòd accidit priores, posterioresque dualitates esse, similiter autem & alios numeros. Binarii enim, qui in quaternarios sunt, sint inuicē simul, sed ipsi iis, qui octonario insunt, priores sunt, & genuerunt (quemadmodum binarius ipsos) ipsi quaternario, qui in ipso octonario sunt. Quare si & primus binarius idea, hi quoque quædam ideæ erunt. Eadem ratio de vnitatibus etiam est: quæ enim in prima dualitate sunt, vnitates generant quatuor, quæ in quaternario sunt. Quare omnes vnitates ideæ fiunt, & componetur idea ex ideis. Quam ob re patet, quòd etiam illa, quorum hæc sunt ideæ, cōposita erunt: veluti si quis animalia dicat ex animalibus cōponi, horum ideæ sunt ex animalibus ideæ erūt. Et omnino facere vnitates, quomodo cunq; differentes, absurdum, & fictitium est. Dico autem fictitium, quod ad suppositionem coactum est. Nec enim secundum quantum, nec secundum quale, videmus differre vnitatem ab vnitatis: necesseque est aut æqualem, aut inæqualem esse omnem quidem numerum, sed præcipuè monadicum. Quare si nec maior, neque minor, æqualis: æqualia verò, & omnino indifferentia, eadē putamus esse in numeris. Quòd si nō ita sit, nec dualitates, quæ in hoc denario sunt, indifferentes erunt, cùm æquales sint. Quam enim causam dicitur esse, qui dicit indifferentes esse? Item, si omnis vnitatis, & vnitatis alia, duo faciunt, vnitatis, quæ ex ipso binario, & quæ ex ipso ternario erit binarius, & ex indifferentibus. Et vtrum ternario prior, an posterior? Magis nanque videtur necessarium priorem esse: hæc nanque vnitatum simul ternario, illa verò simul dualitati. Et nos quidem omnino putamus vnum & vnū, siue æqualia, siue inæqualia sint, duo esse, veluti bonum, & malum, & hominem & equum: qui verò ita dicunt, nec ipsas vnitates. Siue autem nō est maior numerus ipsius ternarii, quàm dualitatis, mirum est: siue est maior, constat quòd æqualis etiam dualitati inest: quare ipse indifferens ab ipsa dualitate. Verum non contingit, si primus aliquis numerus est, & secundus. Nec erunt ideæ numeri: hoc enim ipsum rectè aiunt, qui vnitates differentes debere esse arbitrantur. Si quidem erunt ideæ (vt prius dictum est) vna profectò erit species. Si verò vnitates indifferentes, qualitates quoque, ac ternarii indifferentes erunt: quare necesse est eis dicere, ita numerandum esse, vnum, duo, nō superaddito iam præexistenti. Nec enim generatio ex indeterminata dualitate erit, nec ideam esse contingit. Inerit nanque altera idea in altera, cunctaq; species, vnius partes. Quare secundum suppositionem quidem, rectè dicunt: simpliciter verò, nō rectè: multa nanque perimunt. Cùm autem hoc

ipsum habere quandam profectò dicant dubitationem, vtrum cùm numeremus, & dicamus vnū, duo, tria, assumentes numeramus, an secundum partes, an vtroque modo facimus: quapropter ridiculum est, hanc ad tantam substantiæ differentiam reducere.

CAPVT VIII.

Nec autem omnia probè se habet, de terminare quænam numeri, & vnitatis differentia est, si est: necesse autem est, aut secundum quantum, aut secundum quale differre. Neutrum autem horum videtur posse esse: verum prout numerus, secundum quantum. Si itaq; etiam vnitates quantitate differret, numerus quoque à numero differret, qui æqualis est, plenitudine vnitatum. Item, vtrum primæ maiores, an minores, & postea crescant, an è conuerso? hæc enim omnia absurda sunt. At verò nec secundum qualitatem differre contingit: nullā enim inesse passionem possibile est. Etenim numeris quoque, posterius aiunt inesse qualitatem, quàm quantitatem. Item, nec ab vno hoc ipsæ patientur, nec à dualitate. Hoc enim non est quale, illa verò quantum, quale. Nā vt entia multa sint, hæc naturā causa est. Si igitur aliter quoquo modo se habet, dicendū hoc maximè in principio est, & de differentia vnitatis determinandum maximè quidem & propter quid necesse est existere. Quòd si non, quam dicunt? Et quidem si ideæ numeri sunt, dilucidum est, quòd neutro modorum contingit, nec combinabiles cunctas vnitates esse, nec inuicem incombinabiles. At nec, vt alii quidam de numeris dicunt, rectè dicitur: sunt autem hi, quicunque ideæ quidem esse non putant, nec simpliciter, nec vt numeros quosdam existētes: mathematica verò esse, & numeros entium primos, ac eorum principium esse ipsum vnum. Absurdum nanque est, vnum quidem esse quid primum vnorum, vt illi aiunt: dualitatem verò non esse dualitatum, neque ternarium ternariorum: eiusdem enim rationis omnia sunt. Si igitur ita se habeant, quæ circa numerum sunt, & solum mathematicum quis esse ponat, ipsum vnum nō est principium. Necesse enim esset, vt tale vnum differret ab aliis vnitatibus. Quòd si hoc, dualitatem quoque primam à dualitatibus. Similiter autem cæteros quoque consequentes numeros. Si autem ipsum vnum est principium, necesse magis est, quæ circa numeros sunt, se habere (vt Plato aiebat) ac esse dualitatem primam, & ternarium: nec esse numeros ad se inuicem combinabiles. Si quis verò rursus hæc ponat, dictum est, quòd multa impossibilia accidunt. At necesse est aut hoc, aut illo modo se habere: quare si neutro modo, non est possibile numerum esse separatum. Constat autem ex his, quòd tertius modus pessimè dicitur, eundem videlicet esse mathematicum & specierum numerum. Necesse est enim in vnam opinionem duos errores conuenire. Nec enim mathematicum numerum contingit hoc modo esse, sed proprias suppositiones supponentem

Numeri & vnitatis differentia.

Vnum non esse principium numerorum.

ponentem necesse est prolixum esse, & insuper quæcunque accidunt eis, qui vt species numerū dicunt, hæc etiam necesse est dicere. Modus verò Pythagoricorū, partim pauciores habet difficultates, quàm prius dictæ sunt, partim alias proprias. Nam non separatim facere numerum, aufert multa impossibilia. Corpora verò ex numeris esse composita, & hunc numerum mathematicum esse, impossibile est: nec enim indiuiduas magnitudines dicere, verū est. Deinde quia hoc modo maximè se habent, vnitates verò nō habent magnitudinem: magnitudinem verò ex indiuisibilibus componi, quoniam modo possibile est? At verò numerus Arithmeticus, monadicus est: illi verò numerum entia dicunt. Speculationes enim adaptant corporibus, tanquam existentibus, ex ipsis numeris. Si igitur necesse quidem est horum aliquo dictorum modorum esse, numerus quidem aliquid per se entium est, nullo autem horum esse contingit, constat non esse aliquam talem numeri naturā, qualem asserunt, qui eum separatim faciunt. Item, vtrum vnaquæque vnitas ex magno & paruo adæquatis sit, aut hæc quidem è paruo illa verò ex magno? Si itaque sit, nec ex omnibus elementis vnumquodque est, nec vnitates sunt indifferentes: in hac quidem magnum, in hac verò paruum inest, suapte natura contrarium existens. Item, quæ in ipso ternario, quoniam modo sunt? Vna enim superflua est: sed propterea fortassis, ipsum in impari medium faciunt. Quod si vtraque vnitas ex ambobus est adæquatis, quoniam modo dualitas vna quædam existens natura, ex magno & paruo erit? aut quid ab vnitate differet? Item, vnitas prior dualitate: perempta nanque perimitur dualitas. Ideam igitur, Ideæ necesse est eam esse, cum prior idea sit, ac priorem factam fuisse: ex aliquo igitur. Indeterminata enim dualitas, dualitatis efficiens erat. Item, aut finitum, aut infinitum necesse est numerum esse: numerum enim separatim faciunt: quare non est possibile, non esse horum alterum. Et quid quod infinitum esse non contingit, patet. Infinitus enim, nec par, nec impar est. Generatio verò numerorum, aut imparis numeri, aut paris semper est. Cum enim vnum hoc non cadat in parem, impar efficitur. Cum verò hoc modo dualitas incidat in eū, qui ab vno duplicatur, sit quidem imparium alius, par. Item, si omnis idea alicuius est, numeri verò ideæ sunt, infinitus quoque numerus erit alicuius vel sensibilium, vel alicuius alterius idea: quamuis nec secundum positionem, neque secundum rationem contingit, ita tamen ordinat ideas. Quod si finitus, vsquequo? Hoc enim dici oportet, non solum, quod est, verum etiam propter quid est. At verò si numerus ad denarium vsque, vt quidam aiunt, primo quidem citò deficient species: puta si ternarius est homo idealis, quis numerus erit idealis equus? Etenim ad denarium vsque numerus est idealis, ideo necesse est quosdam eorum numerorum in eis esse. Hi enim, substantiæ, ideæque sunt. Attamen deficient, si species quidem animalis excedent. Simul autem constat, quod si hoc

modo ternarius idealis homo sit, & cæteri quoque ternarii, cum similes sint, qui in eisdem numeris sunt: quare infiniti homines erunt, aut vnusquisque idealis homo, si vnusquisque ternarius idea est? aut si non, saltem homines. Et si minor pars sit maioris, qui ex iis combinabilibus vnitatibus est, quæ in eodem sunt numero, si alicuius idea sit ipse quaternarius, veluti equi aut albi, homo erit pars equi, si homo dualitas sit. Absurdū item est denarii quidem ideam esse, vnderarii autem non, neque sequentium numerorum. Item, & sunt, & fiunt quædam, quorum species non sunt: vnde qua de causa non sunt illorum species? non sunt ergo species, causæ. Itē, inconueniens est, si numerus vsque ad denarium magis quid ens, & ipsius denarii species, tametsi huius quidem non sit generatio tanquam vnus, illius tamen sit. Tentant autem tanquā si is, qui ad denarium vsque est, perfectus numerus sit: generant porro, quæ sequuntur, veluti vacuū, proportionem abundas, cæteraque; huiuscemodi. Infra denarium, quædam quidem principiis attribunt, puta motum, stationem, bonum, malum. Alia verò numeris ideo vnum, impar est: si enim in ternario, quomodo quaternarius impar? Magnitudines item, & quæcunque; similia quousque; quanta? veluti prima linea indiuisibilis, deinde dualitas, deinde hæc etiam ad denarium vsque. Itē, si numerus separatus est, dubitauerit quispiam vtrum vnum prius, an ternarius, & binarius. Quatenus enim numerus compositus est, vnum est: quatenus verò vniuersale, & species, prior numerus est. Vnaquæque enim vnitatum, pars numeri, vt materia est: ille verò, vt species. Ac quodā quidem modo rectus prior acuto, quia & in ratione definiens positus est: quodam verò modo acutus, quia pars est, ac in hunc diuiditur. Tanquam igitur materia, acutus, elementum, & vnitas, prius: vt verò secundum speciem, & eā, quæ secundum rationem est, substantiā, rectus, ac totum, quod ex materia, & specie. Quod enimambo est, propinquius est specie, & ei, cuius ratio est, generatione verò posteriori. Quo igitur modo ipsum vnum, principium est? quia non est diuisibile, aiunt, sed indiuisibile, tum vniuersale, tum particulare, & elementum: verum alio modo, illud quidem secundum rationem, hoc verò secundum tempus. Vtro itaque modo ipsum vnum est principium? Vt enim dictum est, & rectus acutus, & iste illo prior esse videtur, & vterque vnus. Vtroque igitur modo, ipsum vnum faciunt principium. At impossibile: hoc enim vt species, & substantia, hoc verò vt pars, & materia. Est nanque quodam modo vnum, vtrumque secundum veritatem quidem potentia. Si quidem vnum quid est numerus, & non aceruus, sed aliud ex aliis (vt aiunt) vnitatibus, actu sanè non est vtraque vnitas. Causa verò erroris, qui accidit, quia simul ex mathematicis & vniuersalibus rationibus venabantur, ita vt ex illis quidem tanquam punctum posuerint ipsum vnum, & principium. Vnitas enim, punctum sine positione est. Quemadmodum igitur quidā ex minimo entia composuerunt, ita & isti. Quare vnitas efficitur

Principiū
quomodo
vnum.

numerorum materia, simulque dualitate prior. Rursusque posterior, tanquam dualitate existente toto quodā, & vno, & specie. Ex eo verò, quod vniuersale quærebant prædicatum vnum, & ita vt partem dixerunt: at simul hæc eidem inesse, impossibile est. Quod si ipsum vnum solum sine positione esse oportet (in nullo enim differt, nisi quod principium est, & dualitas quidem diuisibilis, vnitas verò non) similior erit profectò ipsi vnitas. Si autē vnitas, illud quoque; vnitati quàm dualitati, ea quoque; de re vtraque; vnitas prior dualitate erit. at non dicunt: generant sanè denariū primo. Item, si dualitas ipsa vnum quid est, ac ipsa trinitas, ambo dualitas: ex quo igitur hæc dualitas?

CAPVT IX.

Dabitur autem quispiam, quod cum tactus quidē in numeris minimè sit, consequentibus quidem iis, quarumcunque non est aliquid medium vnitatibus, veluti iis, quæ in dualitate, ternariove sunt, vtrum consequentes sint ipsi vni, an non: & vtrum dualitas prior est iis, quæ consequuntur, an quæcunque vnitatum. Simili modo hæc difficultates de posterioribus etiam numero, generibus, linea, plano, & corpore accidunt. Quidam enim ex magni & parui speciebus faciunt (veluti ex longo quidam, & breui) longitudines: ex lato verò, & stricto, plana: ex profundo autem, & humili, moles. Hæc autem magni & parui species sunt, principium verò, quod secundum ipsum vnum est. Alii ea, quæ eorū sunt, aliter posuerunt. At etiam in his infinita videntur impossibilia, & ficticia, & omnibus rationabilibus contraria: absoluta nanque ab inuicem accidet ea esse, si principia etiam non consequuntur, vt sit latum & strictum, longum & breue. At si hoc erit, planum erit, linea, & solidum planum. Anguli item, & figuræ, & huiusmodi, quoniam modo assignantur? Idemque; accidit, quod eis, quæ circa numerum. Hæc nanque; magnitudinis sunt passionis, non ex his magnitudo, quemadmodum nec ex recto & curuo longitudo, nec ex læui & aspero solida. His autē omnibus comune, quod in speciebus, quæ sunt vt generis, dubitare accidit, cū quis vniuersalia ponat: verū animal ipsum, an animal, an alterū ab ipso animali. Hoc nanque; si sit non separatum, nullam dubitationē faciet. Si verò sit, quemadmodū qui hæc dicunt, separatū ab vno & numeris, nō est facile soluere. Si non facile, dicere oportet, quod impossibile est. Cum enim vnum quis in dualitate intelligat, & omnino in numero, vtrum ipsum quid, an aliud intelligit? Quidam itaque ex tali materia magnitudines generant, quidam ex puncto (punctum autem eis non vnum, sed quale vnum esse videtur) & altera materia qualis est multitudo, sed non multitudine, de quibus nihil minus eadem accidit dubitare. Nam si materia vna est, idem linea, planum, & solidum sunt: ex eisdem enim vnum, & idem erit. Quod si materiæ plures, & altera quidem linea, altera plani, altera solidi, aut sequantur inuicem, aut non: quare hoc etiā modo

eadem accident. Planū etenim, aut non habebit lineā, aut linea erit. Item, quo quidē modo contingit ex vno & multitudine numerū esse, nihil dicere conantur, quomocunque; autem dicant, eadem difficultates accidunt, quæ illis quoque, qui ex vno, & indeterminata dualitate dicebāt. Quidā nanque; ex eo, quod vniuersaliter prædicatur, & nulla multitudine numerum generat: quidam ex aliqua multitudine, prima tamen: dualitate nanque; primā multitudinē esse. Quare (vt ita dicam) nihil differunt, sed eadem dubitationes sequuntur, siue mistio sit, aut positio, aut temperamentum, aut generatio, & quæcunque; alia similia. Maximè autem aliquis inquirat, si vna sit quæque; vnitas, ex quonā est: nō enim erit vnaquæque ipsum vnum. Necesse autē est, aut ex ipso vno, & multitudine esse, aut ex parte multitudinis. Atqui multitudinē dicere vnitate esse, impossibile est, cum indiuisibilis sit. Quod autē ex parte sit, alias habet multas difficultates: vnamquæque; enim partium, aut indiuisibilem, aut multitudinem necesse est esse, ac vnitatem diuisibilem, & ipsum vnum, ac multitudinem, non esse elementum: quando quidē vnaquæque; vnitas nō est multitudine, ac vno. Item, qui hoc dicit, nihil aliud, quàm alium numerum facit: multitudo nanque; indiuisibilium numerus est. Item, querendum etiam ab eis, qui sic dicunt, vtrum numerus infinitus, an finitus sit: erat nanque; vt apparet, multitudo quoque; finita, ex qua & vno sunt vnitates finitæ: aliudque; est ipsa multitudo, multitudinēque infinita: qualis itaque; multitudo, & vnum, est elementum? Similiter autē de puncto quoque; aliquis quæreret, ac elemento, ex quo faciunt magnitudines. Non enim vnum solum punctū hoc est: ex quo nanque; vnumquodque; aliorū punctorū, non enim ex quadam dimensione, ipsōque; puncto. At verò nec partes diuisibiles esse cōtingit partes dimensionis, quemadmodum multitudinis, ex quibus vnitates: numerus nanque; ex indiuisibilibus componitur, magnitudines verò minimè. Hæc itaque omnia, cæteraque; similia manifestant, quod impossibile sit numerum, ac magnitudines separatas esse. Præterea, quod ipsi primi de numeris discordant, signū est, ipsas res, cum non sint veræ, ipsis præbere confusionem. Quidam enim, qui mathematica tantum faciunt præter sensibilia, cum viderent difficultatem, atque fictionem circa species, destiterunt à numero idealis, ac mathematicum fecerunt. Quidam verò, cum species simul, & numeros facere velent, neque; viderent quoniam modo si quis hæc principia ponat, mathematicus numerus præter idealem esset, eundem idealem, ac mathematicū numerum fecerunt ratione. Quia autem opere sublatus est mathematicus, proprias profectò, & non mathematicas suppositiones dicunt. Qui verò primus species, & numeros esse posuit, species, & mathematica esse, rationabiliter separauit: quare accidit omnes secundum quid rectè dicere, omnino verò non rectè. Ac ipsi etiam fatentur non eadem, sed contraria dicentes. Causa verò est, quod suppositiones, atque principia falsa sunt. Difficile autem est (vt ait Epicharmus)

Vtrum numerus infinitus, an finitus.

Ex suppositio-
nibus falsis
difficile bene
dicere.

ex non bene præsuppositis, benedicere. Cum pri-
mum enim aliquid dicitur, confestim apparet nõ
bene dictum. Sed de numeris quidem sufficiant,
quæ dubitata, & quæ determinata sunt: cuiusq;
nanq; persuasum est, magis ei ex pluribus persua-
sum fuerit: ut autem illi persuadeatur, cui nõ est
persuasum, nihil magis. De primis verò princi-
piis, primisq; causis, & elementis, quæcunq; qui-
dem dicunt, qui de sola sensibili substantia deter-
minant, quædam in naturalibus dicta sunt, quæ-
dam non sunt præsentis scientiæ. Quæcunq; ve-
rò aiunt, qui dicunt præter sensibiles esse alias
substantias, consequens est dictis speculari. Cum
igitur quidam ideas, ac numeros tales esse dicant,
elementaq; eorum, elementa, principiãq; entium
esse, considerandum de his, quid, & quonam mo-
do dicunt. Verum qui numeros tantum, & hos
mathematicos faciunt, posterius examinandi
sunt. Eorum autem, qui ponunt ideas, simul quis-
piam & modum profectò viderit, & dubitatione,
quæ de eis sit: simul nanq; vniuersales substantias
faciunt ideas, & rursus ut separatas, & singulãrũ:
hæc verò quod non contingant, dubitatum est
prius. Causa verò eis, qui vniuersales ideas di-
cunt, ut eas in idem coniungant, fuit, quia sensi-
bilibus non faciebant easdem substantias. Singu-
laria etenim, quæ in sensibilibus fluere putabãt,
nec aliquid horum manere, vniuersale autẽ præ-
ter hæc tum esse, tum aliud quid esse. Hoc autẽ,
(vt antea dicebamus) mouit quidem Socrates
propter definitiones, non tamen à singularibus
separauit: & hoc rectè intellexit, non separans.
Constat autem ex operibus: etenim absque vni-
uersalibus quidem non est accipere scientiam.
Separare autem, causa difficultatum, quæ circa
ideas accidunt, est. Quidam verò tanquam ne-
cessarium sit, si substantiæ quædam præter sensi-
biles, & fluentes erunt, separatas esse, (alias qui-
dem non habebant) eas sanè, quæ vniuersales di-
cuntur, attulerunt: ut ferè accidat, easdem natu-
ras vniuersales, ac particulares esse. At hæc ipsa
per se ipsam erit difficultas eorum, de quibus di-
ctum est.

CAPVT X.



Quid verò & iis, qui dicunt ideas, &
iis, qui non dicunt, aliquam dubitatio-
nem habet, quod & à principio in du-
bitationem dictum est prius, modò di-
camus. Nam si quis substantias nõ ponat esse se-
paratas, & hoc modo sicuti entium singularia di-
cuntur, perinet substantiam, quemadmodum dice-
re volumus. Quod si quis substantias separatas
ponat, quomodo principia earum, & elementa
ponet? Si singulare nanq;, & vniuersale, tot erunt

entia, quot elemẽta, neq; scibilia elementa. Sint
etenim syllabæ quidẽ, quæ in voce sunt, substan-
tiæ: elementa verò earum, elementa substantia-
rum: necesse autem est B A, & vnamquanq; syl-
labarum vnam esse, si non vniuersaliter quidem, &
specie eadẽ, sed vna numero vnaquæq;, & quod
quid, nec æquiocũ. Item, ipsum quod est vnum-
quodque, vnum ponunt: quod si syllabæ, ita illa
quoque, ex quibus sunt: non erunt igitur plura A
quàm vnum, nec aliorum elementorum vllum
secundum eandem ratione, secundum quam nec
aliarum syllabarum eadem altera & altera. At ve-
rò si hoc, præter elementa non erunt alia entia,
sed solum elementa: nec item erunt scibilia ele-
menta, cum non sint vniuersalia, scientia verò
vniuersalium sit. Constat verò ex demonstratio-
nibus, ac definitionibus: non enim fit syllogi-
smus, quod hic triangulus duobus rectis, nisi
quod omnis, duo recti: nec quod hic homo ani-
mal, nisi quod omnis homo animal. At verò si
principia vniuersalia sunt, aut etiam substantiæ,
quæ ex his sunt, vniuersales sunt, erit non sub-
stantia prior substantia. Vniuersale nanq; nõ est
substantia: elementum verò, & principium, vniuer-
sale est. Est autem elementum, & principium, prius
iis, quibus principium, & elementum est. Hæc ita-
que omnia rationabiliter accidunt, tum cum ex
elementis ideas faciunt, tum cum præter eas i-
deas, substantiasq;, quæ eandem speciem habet,
vnum quid separatum esse censent. Quod si ni-
hil prohibet, quemadmodum in vocis elementis
multa A, multaq; B esse, nihilq; præter multa i-
psa A, ipsaq; B esse, erunt ob hoc infinitæ similes
syllabæ. Quod autem omnis scientia vniuersa-
lium sit, quam ob rem necesse sit, tum entium prin-
cipia vniuersalia esse, tum nõ esse separatas sub-
stantias, hoc plus, quàm alia prædicta, maximè
dubitationem habet. At quodam quidem modo
verum, quod dicitur, est, quodam autem modo
non verum. Scientia nanque, sicut & ipsum sci-
entia du-
re, duplex est: quorum aliud potentia, aliud a-
ctus est. Potentia igitur, cum sit tanquam mate-
ria ipsius vniuersalis, ac indefinita, vniuersalis,
indefinitique est: actus verò determinatus, &
determinati, cum quod quid, huiusque alicuius
sit: verum per accidens videt visus colorem vni-
uersalem, eò quod hic color, quem videt, color
est: quod & grammaticus hoc A specularatur, al-
pha est. Nam si necesse est, principia vniuersalia
esse, necesse est, illa quoque ex his vniuersalia ef-
se, quemadmodum in demonstrationibus est:
quod quidem si ita est, nihil erit separatum, ne
substantia quidem. Sed constat, quod quodam
modo quidem scientia vniuersalis est, quodam
modo verò minimè.

ARIST

ARISTOTELIS STAGIRITAE Metaphysicorum Liber Decimusquartus.

CAPVT I.



D E hac itaq; substantia tot di-
cta sint. Omnes verò, quem-
admodum in Naturalibus, simi-
liter etiam circa immobiles
substantias, principia cõtra-
ria faciunt. Si autem nullis
principiis possit prius ali-
quid esse, impossibile erit profectò princi-
pium aliquid aliud existens, principium esse.
Veluti si quis dicat album esse principium, non
prout aliud, sed prout album, esse tamen de sub-
iecto, & aliquid aliud existens album esse, illud
sanè prius erit. At verò cuncta ex cõtrariis fiunt,
tanquam cuiusdam subiecti. Necesse ergo est, ma-
ximè hoc cõtrariis inesse. Semper igitur cuncta
contraria de subiecto sunt, & nullum est separa-
bile. Cæterum quemadmodum apparet, ratioque
testatur, nihil substantiæ contrariũ est: nullũ ergo
contrariorum omnium propriè principium est,
sed alterum. Quidam verò alterum contrariorum
materia faciunt. Quidam, vni scilicet equali in-
æquale, quasi hoc natura multitudinis sit. Qui-
dam, vni multitudinem. Generantur enim nu-
meri à quibusdam ex dualitate inæqualis, ma-
gno ac paruo, à quodam ex multitudine: ambo-
bus tamen ab substantia vnius. Etenim qui inæ-
quale & vnum dicit elementa, inæquale verò ex
magno & paruo dualitatem, tanquam vnum sint,
inæquale & magnum & paruum dicit, nec deter-
minat quod ratione, numero verò minimè. At
verò principia etiam, quæ elementa vocant, nõ
bene assignant. Cum autem quidam magnum &
paruum pariter cum vno hæc tria numerorum
elementa dicunt, duo quidem materiam, vnum
verò formam. Quidam verò multum & paucũ:
quia magnum & paruum magnitudini magis se-
cundum naturam peculiaria sunt. Alii autem,
quod magis vniuersale in his, excedens & exce-
sum. At nullum istorum aliquid differt (vt ita di-
cam) quo ad quædam, quæ accidunt, nisi ad logi-
cas tantum difficultates, à quibus cauent, pro-
pterea quod alii quoque logicas afferunt demon-
strationes. Eiusdẽ tamen rationis est excedens &
excessum: at non magnum & paruum, principia
esse, ac numerũ dualitate priorem ex elementis
ponere: ambo nanq; magis vniuersalia sunt. At
illud quidem dicunt, hoc verò minimè. Quidam
verò alterum, & aliud, ad vnum opponunt: alii
autem multitudinem & vnum. Si igitur entia (vt
volunt) ex cõtrariis sunt, vni verò, aut nihil con-
trarium, aut si est, multitudo est, & inæquale æ-

quali, & alterum eidem: etiam aliud, eidem. Ma-
ximè quidem qui vnũ opponunt multitudini, a-
liqua opinione nituntur: nec hi tamen sufficenter.
Vnum etenim erit paucum, quandoquidẽ multi-
tudo paucitati, multum verò paucis opponitur.
Vnum uerò, quod mensuram significet, manife-
stum est. Ac in cunctis est aliquid aliud suppositum,
veluti in harmonia, diesis: in magnitudine
digitus, aut pes, aut aliquid simile: & in rhythmis,
gradus, aut syllaba: similiter in grauitate, pondus
aliquod determinatũ est, ac eodem modo de om-
nibus: in qualitatibus, quale quid: in quantita-
tibus, quatum quid. Mensura enim indiuisibile,
quædam secundum speciem, quædam secundum sen-
sum, tanquam vnũ non sit aliqua per se substan-
tia. Et hoc rationabiliter: vnũ nanq; significat,
quod mensura cuiusdam multitudinis est: ac nume-
rus, multitudo mensurata, & multitudo mensu-
rarum. Quare rationabiliter vnum nõ est nume-
rus: neque enim mensura, mensuræ. Verum tam
mensura, quàm vnum, principium est. Oportet au-
tem vt mensura semper idem cum omnibus sit
veluti si equus mensura, equis: & si homo, homi-
nibus. Quod si homo, & equus, ac Deus, animal,
numerus quoq; eorum fortassis animalia erit. Si
autem homo, & albũ, ac ambulans, minimè qui-
dem horum numerus est, eò quod eidem, vnũq;
secundum numerũ omnia insunt: attamen nume-
rus horum, generum erit, aut alicuius alterius simi-
lis appellationis. Qui verò inæquale vt vnum
quid, dualitatem autem indeterminatam ex ma-
gno, paruoq; faciunt, vehementer longè tum ab
apparentibus, tum à possibilibus dicunt. Passio-
nes nanq; magis hæc, & accidentia, quàm subie-
cta numeris, & magnitudinibus sunt. Multum nan-
que, & paucum numeri, ac magnum & paruum ma-
gnitudinis, sicuti par & impar, læue & asperum,
rectum & curuum. Præterea, ad hunc quoque, er-
rorem, etiam necesse est magnum, & paruum, &
quæcunque similia, ab aliquo esse. Ad aliquid ve-
rò minimè prædicamentorum omnium, natura
quædam, aut substantia est: ac posterior tũ quali-
tum quanto, & quædam quanti passio, (vt dictũ
est) sed non materia, aut aliquid aliud, quàm om-
nino cõmune ad aliquid, partibusq; eius, & spe-
ciebus. Nihil enim est, nec magnum, nec paruum,
nec multum, nec paucũ, nec omnino ad aliquid,
quod non aliquid aliud existens, multum aut pau-
cum, aut magnum aut paruum, aut quod ad ali-
quid est. Quod autem ad aliquid, minimè aliqua
substantia, aut ens aliquod sit, signum est, quod e-
ius solum non est generatio, neq; corruptio, ne-
que motus, quemadmodum secundum quædam

augmentatio, & diminutio, secundum quale alte-
ratio, secundum locum latio, secundum substan-
tiam simplex generatio & corruptio. At secun-
dum ad aliquid minimè. Absq; enim quod mo-
ueatur, quandoq; maius, quandoq; minus, aut æ-
quale erit, alterum secundum quantum moto.
Necesse item est cuiusq; materiã esse, quod po-
tentia tale est: quare etiam substantiã est. Ad ali-
quid verò, neq; potentia, neq; actu substantia est.
Inconueniens itaq; est, imò possibile, substantiã
elementũ facere non substantiam, ac prius. Po-
steriora nanq; omnia prædicamenta sunt. Item,
elementa non prædicantur de iis, quorũ elemen-
ta sunt. Multum verò, & paucum, seorsum, & si-
mul, prædicatur de numero, ac longum, & bre-
ue, de linea, planũq; latũ & strictum est. Quod
si qua multitudo est, cuius semper ipsum paucum
fit, vt dualitas, (nam si eius multum fit, vnũ pro-
fectò paucum erit) & si multum simpliciter, ni-
mirum erit veluti denarius multum, & (si hoc pa-
cto non est) plus quàm dena millia. Quo igitur
modo ita ex paucis, multoq; numerus erit? Aut
enim ambo prædicari oportebat, aut neutrum:
nunc verò alterum tantum prædicatur.

CAPVT II.



Considerandum autè est simpliciter,
vtrum possibile sit, æterna ex elemen-
tis componi: materiam nanq; habe-
bunt. Omne nanque, quod ex elemen-
tis est, cõpositum est. Si itaq; necesse sit, ex quo
quid est (siue semper sit, siue factũ sit, ex eo fieri,
omne verò fiat ex eo, quod potètia est id, quod
fit, (nec enim ex impossibili factum fuisset, nec
esset) quod verò possibile est, cõtingit vt & quis
agat, & non, numerũ quoque, (& si quàm maxi-
mè semper sit) aut quodcunq; aliud materiã ha-
bens, contingat profectò non esse: haud secus &
quod vnum diem habet, & quod annos quotcun-
que: si verò sic, & tempus cum tantum sit, vt cu-
ius non est terminus, non erunt ergo æterna. Si-
quidem quod contingit non esse, nõ est æternũ,
quemadmodũ in aliis tractatum est. Quod si ve-
rum vniuersaliter est, quod nunc dicitur, nullam
substantiam æternã esse, si non sit actu, elementa
verò materia substantiã sint, nullius profectò æ-
ternæ substantiã elementa erunt, ex quibus in-
existentibus fit. Sunt autem quidam, qui duali-
tatem quidem indeterminatam vnã cum vno fa-
ciunt elementũ: inæquale verò haud ab re sper-
nunt, propter impossibilia, quæ accidunt, à qui-
bus tot solum de difficultatibus ademptæ sunt,
quotcunq; necesse est illis accidere, qui inæqua-
le, & ad aliquid faciunt elementum. Quotcunq;
verò præter hanc opinionem sunt, has illis quo-
que necesse est accidere, siue idealem numerum,
siue mathematicum ex eis faciant. Multæ igitur
causæ sunt, quare in has causas lapsi sunt: maxi-
mè verò ea, quæ ob antiquitatem dubitatio est.
Videbatur nanque eis omnia entia fore vnum,
scilicet ipsum ens: nisi quis soluat, consentaneè
etiam Parmenidis rationi incedat oportet: nun-
quàm enim hoc, vllò modo, esse nõ ens. Verũ
necesse esse ostendere, quod non ens sit. Hoc nan-

que modo ex ente, & aliquo alio entia fore, si
multa sunt: profectò in primis quidè si ens mul-
tipliciter dicatur, quoddam enim, quia substan-
tiam significat, quoddam quia quale, quoddam
quia quantum: & reliqua quoque prædicamèta.
Quale igitur vnum omnia entia erunt, si non
erit non ens? vtrum substantiã, an passiones, &
alia quoque similiter, an cuncta? & erit vnũ hoc,
& tale, & tantum, & alia quæcunque vnum quid
significant? At inconueniens est, imò verò impos-
sibile, vnã aliquam naturam factam causam, &
huius entis, & eiusdem entis sit quoddam hoc,
quoddam tale, quoddam tantum, quoddam verò
vbi. Deinde ex quali non ente, ac ente entia?
Multipliciter enim, & quod nõ ens, sicuti etiam
ens. Etenim quod non hominem significat, non
esse hoc: quod non rectum autem, non esse tale:
quod non tricubicum verò, non esse tantum. Ex
quali igitur ente, & non ente, multa entia erunt?
Vult itaque falsum, & hanc naturam non ens di-
cere, ex quo & ente multa entia, qua de re dice-
bat, quod oportebat aliquod falsum supponere:
quemadmodum geometræ pedalem esse, quæ nõ
sit pedalis. At impossibile est, hæc ita se habere.
Nec enim geometræ vllum supponunt falsum.
Non enim id in syllogismo, propositio est: neq;
entia fiunt ex ita non ente, neque corrumpun-
tur: verũ quoniam non ens, quod secundum ca-
sus dicitur, æquè ac prædicamenta dicitur, præ-
ter hæc autem non ens dicitur, quod vt falsum,
ac id, quod secundum potentiam: ex hoc ge-
neratio est, ex non homine, potentia verò ho-
mine, homo: & ex non albo, potentia verò al-
bo, album. Similiter, siue vnum quid, siue mul-
ta fiant. Videtur autem quæstio, quomodo ens,
quod secundum substantias dicitur, multa sit,
cum profectò numeri, longitudines, & corpora,
ea sint, quæ generantur. Inconueniens itaq; est,
quo modo quidem ens, quod quid est, multa sit
quærere, non autem quo modo, aut qualia, aut
quanta. Non enim indeterminata dualitas, nec
magnum & parũ causa est, vt duo alba, aut mul-
ti colores, aut sapes, aut figuræ sint. Numeri
nanque, hæc etiam erunt, ac vnitates. At verò si
hæc considerassent, vidissent profectò, quid etiã
in eis causæ est: eadem enim & proportionalis
causa est. Ipsa enim transcensio, causa: & id, quod
quærebant, enti & vni oppositum, ex quo & his
entia facerent, causa fuit, vt ad aliquid, & inæqua-
le supponerent, quod neq; contrarium, neq; ne-
gatio illorum est, sed vna natura entium, quem-
admodum quid, & quale. Oportebat igitur hoc
etiam quærere, quoniam modo ad aliquid multa
esset, & non vnum. Nunc verò quo quidem mo-
do multæ vnitates præter primum vnum, quæ-
ritur quo modo verò multa inæqualia, minimè.
Quauis vtuntur, & dicunt magnum, paruum,
multum, paucum, ex quibus numeri: longum,
breue, ex quibus longitudo: latum, strictum, ex
quibus planum: profundum, humile, ex quibus
moles: etiam adhuc plures species eius dicunt,
quod ad aliquid est. Quid igitur his causæ est, vt
multa sint? Necesse itaque est (quemadmodum
dicimus) vniciq; supponere potentia ens. Nam
& ille,

& ille, qui hæc dixerat, hoc quoq; demonstra-
uit, quod aliquid potètia sit ens, hocq; substantia:
nõ ens autem per se ipsum, videlicet quia ad ali-
quid. Ac si diceret, tale quod neq; potentia est
vnum, aut ens, neq; vnus, aut entis negatio est,
verũ vnum quid entium est. At multò magis,
(vt dictum est) si quæsiuisset, quoniam modo en-
tia multa sunt, non quæ in eodem prædicamen-
to, quo modo multæ substantiã, aut multa qua-
lia quærendo, verũ quo modo multa entia.
Quædam nanque substantiã, quædam passiones,
quædam ad aliquid sunt. In aliis igitur prædica-
mentis habet aliam etiam quandam considera-
tionem, quoniam modo multa sint. Etenim pro-
pterea quod non sunt separabilia, eò quod subie-
ctum multa fit, & est, qualia quoq; multa sunt, &
quanta: & quauis oportet vniciq; generi ali-
quam esse materiam, separabilem tamen à sub-
stantiis impossibile est. In iis autem, quæ quod
quid sunt, habet quandam rationem quomodo
multa ipsum, quid sunt, si nõ quid erunt, & quod
quid, & quædam talis natura. Hæc verè dubita-
tio illhinc magis est, quomodo multæ actu sub-
stantiã, & non vna. At verò si non idem sit hoc
& quantum, non dicitur quomodo, & cur entia
multa sunt, sed quo modo, & quare multa quan-
ta. Omnis nanque numerus quantum quid signi-
ficat. Et vnitas non est nisi mensura: quia ea est,
quæ secundum quantum indiuisibilis est. Si igitur
quantum, & quod quid est, alterum, non dicitur
tur, quod quid est, ex quo, neq; quomodo multa.
Si autem idem, multas sustinet contradictiones,
qui hæc dicit. Suggestere autem quispiam de nu-
meris etiam considerationem possit, vndenam
fit accipienda fides, quod sint. Apud eum nanq;
qui ponit ideas, præbent quandam entibus cau-
sam. Siquidem vnusquisque numerorum idea
quædam est, idea sanè cæteris vt sint, quomodo-
cunque causa est. Sit enim hoc eis suppositum.
Illi verò, qui hoc quidem modo non putet, pro-
pterea quod videat difficultates, quæ circa ideas
existunt, ita vt propter hæc, eas non faciat nume-
ros, faciat verò numerum mathematicum, vnde
credendum est, quod talis numerus sit, ac quod
quicquam cæteris utilis? Nullius nanque, nec il-
le ait, qui dicit eum esse, verũ vt quandam i-
psam per se existentem naturam esse dicit, nec
apparet eum causam esse, quando quidem omnia
arithmetorum theoremata, etiam de sensibili-
bus (vt dictum est) erunt.

CAPVT III.




Vi igitur ponunt ideas esse, ac nume-
ros eas esse, dicere tentant, quomo-
do, & qua de causa sint, eò quod se-
cundum expositionem cuiusque vnũ
quid præter multa accipiunt vnumquodque. At
verò quoniam hæc neque necessaria, neq; possi-
bilia sunt, neq; numerum propter hæc esse asse-
rendum est. Pythagorici verò, eò quod multas
numerorum passiones sensibilibus inesse corpo-
ribus videbant, numeros quidem esse entia fece-
runt, non tamen separatos, verũ ex numeris

entia. Cur autem? quoniam numerorum passio-
nes in harmonia sunt, & in cælo, cæterisq; mul-
tis. Illis verò, qui mathematicum solum nume-
rum esse dicunt, nihil tale secundum suppositio-
nes dicere contingit, verũ quod non erunt de
eis scientiã, dicebatur. Nos autem dicimus esse,
quemadmodũ diximus prius. Et patet, quod ma-
thematica non sunt separata. Si enim separata
essent, non inessent corporibus passiones eorũ.
Pythagorici verò secundum tale, nullius culpa-
biles existunt. At secundum quod naturalia cor-
pora ex numeris faciunt ex non habentibus gra-
uitatem vel leuitatem, grauitatem & leuitatem
habentia, videntur de alio cælo, corporibus-
que aliis, non autem de sensibilibus, dicere.
Qui verò faciunt separatim, eò quod digni-
tates non sunt in sensibilibus quodque vera
sunt quæ dicuntur, & animæ adblandiuntur, & es-
se existimant, & separata esse, similiter quoque &
magnitudines mathematicas. At dilucidum est,
quod oratio quoque contraria, dicit contraria:
& quod iam dubitatum est, soluitur ab illis. hoc
pacto sciscitantibus, quam ob causam, si nullatenus
ea sensibilibus inest, passiones eorum in ipsis
sensibilibus sint? Sunt autè quidam, qui ex hoc,
quod termini, extremãq; sunt, punctum lineæ,
hæc superficiem, ista solidi, putant debere tales na-
turas ex necessitate esse. Oportet igitur & hanc
rationem cõsiderare, nõne nimium debilis sit.
Nec enim substantiã sunt extrema, imò omnia
hæc termini. Cũ & ambulationis, & omnino
motus aliquis terminus sit, isne igitur est quod
quid, & substantia quædam? At absurdum est. At
verò etsi sunt, sensibilia sanè omnia erunt: in his
nanque esse, ratio dixit. Cur igitur separata erũt?
Item, inquireret quispiam, qui non admodum fa-
cilis sit ad credendum, de omni quidem nume-
ro, & mathematicis, hoc ipsum, quod nihil cõsi-
ferant inuicem priora posterioribus. Nam & nu-
mero non existente, nihil minùs magnitudines
erunt illis, qui mathematica solum esse aiunt: &
his non existentibus, anima, & corpora sensibi-
lia. Ex iis verò, quæ apparent, non videtur natu-
ra inconnexa, quemadmodum vitiosa tragedia.
Qui verò ponunt ideas, hoc quidem eos fugit.
Ex materia nanque, & numero faciunt magnitu-
dines: ex binario quidem, longitudines: ex ter-
nario verò fortassis, plana. Ex quaternario, soli-
da, aut ex aliis numeris: nihil enim interest. Sed
vtrum hæc erunt ideas? aut quis modus earũ est,
quidve cõferunt entibus? Nihil profectò, quem-
admodum neque mathematica, nec istæ conse-
runt. At verò nec vllum theorema de eis est, nisi
si quis velit mathematica motum efficere: ac
propriam quædam opinionem facere. Non est au-
tè difficile, eos, qui quascunque suppositiones
sumunt, prolixum quippiam facere, atque con-
nectere: hi quidem hoc modo mathematica i-
deis annectentes peccant. Primi autem duos nu-
meros facientes, tum idealem, tum mathemati-
cum, nullo modo dixerunt, nec dicere habeant,
quomodo, vel ex quo mathematicus erit: faciunt
enim eum medium inter idealem, & sensibilem.
Si enim ex magno, & paruo, idem erit illi, qui


idearum est. Verum ex alio quodam magno, & paruo; magnitudines sanè facit. Si autem aliud quoddam dicet, plura elementa dicet. Et si principium vtriusque vnum quid est, commune quid in his, id vnum erit. At quærendum est, quomodo hæc multa vnum sint. Et simul secundum eum, aliter quam ex vno, & indeterminata dualitate, numerum fieri impossibile est. Hæc itaq; omnia irrationabilia sunt, ac ipsa sibi ipsis, & bene ratione vtentibus compugnant. Videtur in eis esse longus Simonidis sermo. Fit nanq; longus sermo, quemadmodum is, qui seruatorum est, cum nihil sanum dicant. Ipsa quoque elementa magnū, & paruum videntur conqueri, quod extrahuntur: non possint enim villo modo generare numerum, nisi eum, qui ab vno duplicatur. Inconueniens etiam est, imò impossibile, generatione quoq; eorum facere, cum perpetui sint. Vtrū autē Pythagorici faciant, an non faciant generationem, nihil dubitandum est. Manifeste nanque dicunt, quod vno constituto siue ex planis, siue ex colore, siue ex semine, si ex quibus egent dicere, confestim infinito propinquissimū trahebatur, terminabaturque à termino. Verum quoniam de Mundi factura, ac naturaliter hæc dicere volunt, decens erat aliquid eos de natura inuestigare, à præsentī verò via discedere.

CAPVT IIII.

 Varimus nanque principia, quæ in immobilibus sunt. Quare talium numerorum generationem considerare oportet. Imparis itaque generationem non dicunt, quasi videlicet paris generatio sit. Parem verò, primò ex inæqualibus magno & paruo æquatis, quidem constituunt. Neesse itaque est, prius esse ipsis inæqualitatem, quam ipsum adæquari. Si autem semper adæquata fuissent, non fuissent inæqualia prius. Ipso enim semper, nihil est prius. Quare patet quod non contemplandi gratia faciunt generationem numerorū. Habet autem dubitationem, & à bene dubitante reprehensionem, quoniam modo ad bonum, atque pulchrum elementa, principiaq; se habent. Dubitationem quidem hanc, vtrum aliquod istorum tale sit, quale volumus ipsum ideale bonum, & optimum dicere, an non, sed posterius genita sint. A quibusdā enim recetioribus theologis concessum esse videtur, qui non aiunt, nisi quod entium natura procedente, bonum quoq; ac pulchrum apparet. Hoc verò faciunt veram veriti difficultatē, quæ accidit dicentibus, quemadmodum quidam ipsum vnum, principium. Difficultas autem est, non quoniam principio bonū tanquam insitum attribuerunt, verum propterea quod ipsum posuerunt principium, & principium ut elementum: numerum quoque ex vno. Poetæ verò antiqui similiter quomodo regnare, eò & principia esse aiunt. Non enim primos, veluti nos æm, & cælum, aut chaos, aut etiam oceanū, sed Iouem. At verò his quidē, eò quod mutant entium principes, talia dicere accidit: quia ii quidem eorum, qui misti fuerunt, nec omnia fabulose dicunt (vt Pherecydes, & alii quidam) pri-


um generans optimum ponunt, ac etiam Magi, & posteriorum quoq; sapientum, vt Empedocles, & Anaxagoras, cum hic quidem amicitia, ille verò intellectum principium fecerit, eorum verò, qui immobiles substantias esse dicunt, quidam ipsum vnum, ipsum bonum esse aiunt: substantiam tamen eius ipsum vnum maximè putabant esse. Dubitatio quidem hæc est, vtro modo dicendum est. Mirabile autē est, si primo, & perpetuo, ac sibi ipsi sufficientissimo, hoc ipsum primum, per se sufficientia, & salus, non sit tanquam bonū. Enimuero propter nihil aliud incorruptibile, vel sibi sufficiens est, nisi quoniam bene se habet. Quare dicere quidem principium tale esse, rationi consentaneum est verum esse: hoc verò esse, ipsum vnum. Aut si non hoc, elementum, & numerorum elementum esse impossibile est. Accidit enim multa difficultas, quam cum quidam fugerent, qui vnum quidem fatebantur primum principium esse, ac elementum ipsius tamen mathematici numeri abnegarunt. Cunctæ nanque vnitates re vera sunt aliquod bonum: & magna bonorum erit abundantia. Item, si species numeri, omnes species ipsum bonum aliquod. At verò cuiuscunque velit, ponat quis ideas esse: siquidem bonorum solum ideas, non erunt substantiæ. Quod si etiam substantiarum, cuncta animalia, & plantæ bona sunt, & etiā participantia. Hæc itaque inconuenientia accidunt. Et adhæc contrarium elementum (siue multitudine, inæquale, & magnum, & paruum sit) ipsum malum erit. Quare quidam fugiebat bonum vni copulare, tanquam neesse sit, cum generatio sit ex contrariis, naturā multitudinis malum esse, quidam inæquale, mali naturam dicunt. Accidit igitur omnia entia, præter vnum quod est ipsum vnum, malo participare, & numeros eò magis puro participare, quam magnitudines: & malum, locum esse boni, ac participare, & appetere corruptiuum. Contrarium nanq; corruptiuum contrarii est. At si, quemadmodū dicebamus, quod materia est id, quod potentia vnumquodque, veluti ipsius actu ignis, quod est potentia ignis, malum erit, ipsum potentia bonum. Hæc igitur omnia accidunt, quoddam quidem, quia omne principium faciunt elementum: quoddam, quia contraria principia: quoddam, quia ipsum vnum, principium: quoddam, quia numeros primas substantias, separabiles, ac species.

CAPVT V.

 Igitur tum non ponere bonum inter principia, tum ita ponere impossibile est, constat quod non rectè assignantur principia, neque primæ substantiæ. At etiam nec is rectè putat, qui vniuersi principia, animalium, plantarumque principia assimilat, quia ex indeterminatis, ac imperfectis semper perfectiora: & ideo etiā in primis ita se habere aiunt, vt nec ens aliquod sit ipsum vnum. Verum etiam hæc perfecta principia sunt, ex quibus hæc sunt. Homo enim hominem generat, nec sperma primum est. Absurdum item est, locum simul cum solidis mathematicis facere. Loc-

cus nanque singularium proprius: quare loco separabilia sunt. Mathematica verò, non sunt alicubi. At insuper dicere quidem, quod alicubi erunt, quid verò locus sit, non absurdum est. Decebat verò eos, qui entia dicebāt esse ex elementis, primāq; entium numeros, diuidere qualiter aliud ex alio fit: & ita dicere, quoniam modo numerus ex principis fit: vtrum mitione? At non est omne miscibile, quod & fit: alterum non erit separabile, vnum ipsum, nec altera natura, neq; volunt. At compositione, dicent, vt syllabam? Sed fitum neesse est esse: & qui intelligit, seorsum intelliget vnum, & multitudinem. Hoc igitur numerus erit, vnitatis, & multitudo, aut vnum, & inæquale. Et cum id, quod est ex aliquibus esse, est quidem, vt ex iis, quæ insunt: est verò vt non, vtrouam modo numerus est? Sic enim vt ex iis, quæ insunt, non sunt nisi ea, quorum generatio est. Sed tanquam à spermate erit? At non possibile ab indiuisibili aliquid abire. Verum fortassis tanquam vt ex contrario non permanente? At quæcunq; ita sunt, ex alio quoq; quodam permanente sunt. Cum autem vnum quidam quidem vt contrarium multitudini, quidam verò inæquali ponat, vno vt æquali vtens, tanquā ex contrariis erit numerus profectō. Est igitur quippiam aliud, ex quo permanente, & altero est, aut factus est. Præterea, cur cætera quidem, quæcunq; ex contrariis sunt, aut ea, quibus contraria sunt, corrumpuntur, numerus verò, & si ex omni sit, minimè? De hoc enim nihil dicitur, quanuis contrarium tam quod inest, quam quod non inest, corrumpat, vt contentio mitionem: at tamen non oportebat: non enim est illi contraria. Nihil autem determinatum est, qualiter numeri substantiarum, & existentia, causæ sunt: vtrum vt termini, veluti puncta magnitudinum, & vt Eurymus ordinabat, hæc numerus huius putat, hic quidem hominis, hic verò equi: quemadmodum illi, qui numeros ad figuras, triagulum, & quadratum reducunt, ita plantarū formas supputationum calculis assimilans. An quoniam ratio, & symphonia numerorum, similiter etiam homo, & aliorum vnumquodque? At passiones, qualiter sunt numeri, album, dulce, & calidum. Quodve numeri veri non sint substantia, neq; causæ formæ, patet. Substantia nanque ratio est, numerus verò materia: veluti carnis, aut ossis numerus substantia, sic tria ipsius ignis, terræ verò duo: & semper numerus quicunque fuerit, aliquorum est vel igneus, vel terrenus, vel monadicus: verum substantia tantum, ad tantum esse secundum mitionem: hoc sanè non est numerus, sed ratio mitionis numerorum corporaliū, aut quorumcunque. Nec igitur eo quod faciat, causa numerus est, nec omnino numerus monadicus, aut materia, aut ratio, & species rerum est, sed nec quidem vt id, quod cuius causa.

CAPVT VI.

 Vbitauerit autem aliquis, quidnam sit illud bene, quod à numeris, si misti in numero rationali, aut impari sit. Nunc etenim nihil salubrius, ter tria,

si melieratum sit mistum: sed magis proderit fortassis, si in nulla proportione sit, & aquosum, aut si in numero sit purum. Item rationes mitionum, in additione numerorū, non in numeris sunt: veluti tria ad duo, non ter duo: idem enim genus esse oportet in multiplicationibus. Quare ipso a mensuram oportet ordinem, in quo a b c. & ipso d e u m, in quo d e z. quare eodem omnia. Erunt igitur ipsius ignis b e g z, & aquæ numerus bis tria. Si autem neesse est omnia numero participare, neesse est multa eadem accidere, & numerum eundem huic, & alii esse. Vtrum igitur hoc est causa, & propter hoc res est, an id immanifestum? veluti est quidam Solis, ac rursus Lunæ lationum numerus, & vitæ vniuscuiusq; animalium. Quid igitur prohibet, quosdam eorum quadratos esse, quosdam cubos, & æquales, alios duplos? Nihil enim prohibet, sed neesse est in hos conuerti, si omnia numero participabant, & quæ differunt, contingebat sub eodem numero cadere. Quare si quibusdam idem accidens acciderit, eadē inuicem illa erunt, eadem habentia numeri speciem: puta, Sol, & Luna, eadem. Sed propter quid causæ eadem? Septem quidem vocales, septem autem chordæ, aut harmoniæ, septem verò pleiades, in septem autem quædam emittunt dentes, quædam verò non, septem etiam, qui ad Thebas. Vtrum igitur quoniam talis quidam numerus suapte natura aptus est, ideo aut illi fuerunt septem, aut pleiades septenarum stellarum est? an hi quidem propter portas, aut aliam quandam causam? Illam verò nos ita numeramus, vrsam autem duodecim, quidam autem plures: nam ξ ↓ ζ symphonias aiunt esse. Et quoniam illæ tres, hæc quoque tria: quod autem mille talia sint, nemo curat. Ipsi enim γ & ρ, esse possit vnum signū. Si autem quoniam duplum aliorum vnumquodque, aliud verò minimè, causa quidem est, quia cum tria loca sint, vnum in vnoquoque infertur ipsi, propterea tria tantum sunt, sed non quoniam consonantiæ tres: nam plures consonantiæ sunt, hic verò non amplius possunt. Similes verò hi quoque sunt antiquis Homericis, qui paruas similitudines vident, magnas verò non vident. Dicunt autem quidam, quod multa talia sunt, veluti ipsa mediæ, quædam nouem, quædam octo: & carmen, decem & septem his esse æquale numero. Ascendit autē in dextro quidem nouem syllabis, in sinistro verò octo: & quod æqualis distantia tam in literis ab α ad ω, quam in tibiis à grauissimo bombo ad acutissimam neten, cuius numerus æqualitas est omnimodæ cæli melodix. Videri autem non decet talia: nam nullus dubitaret neque dicere, nec inuenire in perpetuis, quoniam & in corruptibilibus, vtrum quæ in numeris naturæ laudatæ, & quæ his contraria, ac omnino quæ in mathematicis, vt quidam dicunt, & causas naturæ faciunt, videntur hoc modo considerantes fugere. Secundum nullum enim modum eorum, qui circa principia determinati sunt, vlla eorum causa est. Vt tamen manifestum faciūt, quod ipsum bene est, & quod de coordinatione ipsius boni est impar, rectum,

æquale, quæ quorundam numerorum sunt potentia, (simul nanque anni tempora, & talis numerus) & cætera, quæcunque colligunt, ex theorematibus mathematicis hanc potetiam omnia habent. Quare assimilantur casualibus accidentibus. Sunt enim accidentia quidem, sed conuenientia inuicem omnia: vnum autem, quod proportionale est. In vnaquaque enim entis prædicatione est, quod proportionale est: vt rectum in longitudine, ita in latitudine æquale, in numero vero fortassis impar, in colore autem album. Præterea, harmonicorum, atque similibium non sunt causa numeri, qui in speciebus sunt. Illi nan

que æquales, ab inuicem specie differunt: etenim ipsæ quoque vnitates: quare propter hæc, non sunt faciendæ species. Quæ igitur accidit hæc, & alia, etiam his plura si colligerentur, videtur id indicio esse multis malè affici circa generationem eorum, & nullo modo posse connecti, eò quod mathematica non sint à sensibilibus (vt quidam dicunt) separata, nec ipsa quidem sint principia.

METAPHYSICORVM
ARISTOTELIS,
FINIS.

PROLOGVS IN PRÆSENS
Theophrasti opus.



bellum hunc Andronicus, & Hermippus non agnoscunt. Nec enim prorsus de eo mentionem fecere, in librorum Theophrasti descriptione. At Nicolaus (is enim ex Suda creditur è Damascenorum vrbe philosophus Peripateticus, Herodi Iudæorum regi, Augustóq; Cæsari familiaris) in speculatione τῶν μετὰ τὰ φυσικὰ Aristotelis, eius meminit, Theophrastique asserit. Sunt autem pauca quædam in eo præuia, tractatus vniuersi, dubitationes.

THEOPHRASTI
ΤΩΝ ΜΕΤΑ ΤΑ ΦΥΣΙΚΑ
Opusculum.



VO pacto, ac quibus eam, quæ de primis est, speculationem determinare oportet? Etenim ea, quæ naturæ est, plurifida, vel (quemadmodum quidam aiunt) ordinata minus existit, mutationes subiens omnimodas. At quæ circa prima versatur, finita est, & circa eadem semper. Quam ob rem intelligibilibus quoque quæ sensui peruia non sunt, ipsam ponunt, vt pote motu, mutationeque priuatis. Atque in summa, honorabiliorem, maioremque eam esse existimant. Sit igitur

initium, vt rum consensum quendam, ac mutuatam veluti societatem cum naturalibus intelligibilia habeant, an nullam, sed tanquam seiuncta vtraq; ad omnem quidem substantiam quodam modo sese adiuent? Rationi profectò magis consentaneum existit, propinquitatem quandam inesse, & non peregrina fateri omnia, sed, verbi gratia, aliqua quidem esse priora, aliqua vero posteriora: nonnulla autem principia, quædam sub principiis collocata: quemadmodum & æterna, ad ea, quæ corruptioni obnoxia sunt, se habere videntur. Si igitur res ita habeat, quænam ipsorum, & in quibus, erit natura? Quippe si solis sint mathematicis intelligibilia, vt nonnulli aiunt, neque admodum insignis cum sensibilibus, neque prorsus idonea esse videbitur cognatio cuiusque: vt pote quæ profectò excogitata sunt. Esse autem videntur, nobis figuras, formalique,

másque, ac rationes accommodantibus. At hæc, per illa nullam nata sunt naturam. Si verò nõ fieri nequit, vt sic cum iis, quæ natura constant, conspirent, vt illis tanquam vitam, ac mouendi facultatem suggerant. Sed ne numerus quidem ipse hoc præstare posset, quem etiam primum, atque maximè principem quidam faciunt. Est autè alia quædam, quæ prior, ac præstantior est, substantia, de qua differere tentandum est, sitne vna aut numero, aut specie, aut genere. Erit igitur oppidò quàm rationabile, eam, quæ principii naturam sortita est, in paucis esse, si abundantibus insit, nisi & in primis, & eò quod primum est, collocata sit. Quænam ergo sit hæc, quisque plures ipsi quoquo modo demonstrare conandum est, siue proportione, siue similitudine alia. Forfitan autem potestate quandam, atque aliorum excessu, perinde atque Deus, accipi debet. Diuinum siquidem omnium principium existit, per quod & sunt, & permanent vniuersa. Hoc itaque modo assignare, fortè erit per facile: at vel clarius, vel ad suadendù aptius, difficile. Cum autem principium sit huiusmodi, quod cum sensibilibus affinitatem habeat, natura verò (vt simpliciter dicam) in motu persistat, quod & illi proprium existit, manifestum est ipsum constitui debere motus causam. At cum per se immobile habeatur, constat ipsum non esse causam, vt quæ à natura sunt, moueantur. Sed hoc alii cuidam meliori, ac priori relinquendum est potestati: qualis est illius ipsius, quod expetitur natura, à qua circularis, cõtinaua, & irrequieta latio provenit. Quapropter secundum hoc, haudquaquam motus esse principium resoluamus oportet: aut si sit, quod mouetur, mouebit. Sed hæcenus quidem veluti perfecta ratio, quæ omnium vnum facit principium, actum assignans, & substantiam, atque etiam quantitatem aliquam dicens, verum ad meliorem quandam, diuiniorémque attollens particulam. Sic enim assignare potius oportet, quàm id, quod sectionem, partiumque distractionem recipit, auferre. Nam eminentiore simul, atque vera magis fulcitur ratione, ita loquentium sententia. Quod autem consequens est de desiderio, qualenam sit, & quorum, iam fusiore indiget sermone: quippe cum multa sint ea, quæ in gyrum feruntur, & lationes quodam modo contrariorum, & vanum, & cuius gratia, incertum est. Etenim siue vnum est, quod mouet, non omnia idem principium mouere, erit absurdum. Siue secundum vnumquodque aliud, atq; diuersum, & principia quoque plura. Quam ob rem ipsorum concordia ad optimam tendentium expetitionem, nequaquam esse constabit. Quo autem ad sphaerarum pluralitatem, de causa, maiorem requirit sermonem. Nec enim iste Astrologorum est. Dubium etiam est, quo pacto cum naturali habitu prædita sint, non quietem, sed motum sectentur. Cur igitur simul per imitationem illud pari modo dicunt, & qui vnum, & qui numeros aiunt. Ipsi enim numeros, id vnum esse inquirunt. Iam desiderium, præsertim indeterminatæ rei, cum anima

existit: nisi quis similitudine, ac differentia, quæ mouentur, animata dicat: simul autem anima, & motus esse videtur. Siquidem vita inest habentibus, à qua appetitus quoque, qui circa vnumquodque est, tanquam per alia patiantur, animam tamen obtinent. Quod si igitur motus circularis causa prima sit, non erit vtique optimi: quippe cum is, qui animæ est, præstantior sit. Primus autem est vel maximè, qui cogitationis est: à qua appetentia quoque existit.

CAPVT II.



T hoc fortè quispiam interrogabit, quam ob causam, solum quæ circulo mouentur, desiderio afficiantur: eorum verò, quæ circa medium, nullum, quanquam & ipsa mobilia sunt? An quod imponens sit, aut pertransire nequeat id, quod primum est? At si propter imbecillitatem, hoc sanè erit absurdum. Robustius nanque ipsum quisquam existimauerit Ioue Homerico, qui ait Ipsa equidem à terra traherem, & poto quoque ab ipso.

Quare reliquum est, vt tanquam incomprehensibile quippiam, atque minimè compositum sit. Forfitan autem rogabit prius, quo modo se habeant? Vtrum cæline partes hæc sint, an non? Etsi partes, quo pacto partes? Nam nunc non secundum regiones modò, verum etiã secundum actionem, à nobilissimis quasi abiecta videntur. Siquidem circularis latio huiusmodi est. Cõtinet enim veluti per accidens ex ea, quæ in gyrum fit, latione, tum ad locum, tum inuicem fieri mutationes. Quod si & optimo melius esset aliquid, circulari motu à primo (nisi recipiendi vetaret impotentia) indigeret. Quandoquidem quod primum est, ac diuinissimū, quæ optima sunt, vult omnia. Id autè fortè excedès aliquid, & inuestigabile existit. Arbitratur sanè, qui hoc dicit, similia esse omnia, & in optimis tenuem aliquam esse, aut nullam habere differentiam. Sed fortè quispiam hoc addubitauerit, ad ipsum primum cælum referens, vt rum circularis motio de ipsius substantia sit, & si à quiete habitata, statim in corruptionem laberetur, an cupidine quadam, atque appetentia per accidens? Nisi illa vtique appetendi facultas ei congenita sit, nihilq; prohibeat alia quædam esse entia. Sed forfitan eum, qui talem appetitum detraxit, de ipsa latione ambigere continget, si sublata, cælum corrumpere. Atque hoc quidem, quasi ad alios sermones pertinere videtur. Verum hoc ipsum de hac, aut de his principiis, quispiam existimabit. Fortassis autem post alia protinus assignare, quæ ordine sequuntur principia, atque in eo, quod antecessit, subsistere non oportere, quispiam adfirmabit. Hoc enim est perfecti, sapientisq; viri: quo pacto Eurytū calculos quosdam disponentem aliquando Archytas prodidit facere, diceretq; hunc esse hominis, illum vero cuiusuis alius numerum. Nunc verò multi aliquatenus progressi quiescunt, quemadmodum qui & vnum, & indefinitam dualita-

tem ponunt. Numeros enim, planaq; & corpora cum creauerint, reliqua penè omittunt, pauxillum attingentes, & hoc tantum declarantes, quòd alia quidem ab indeterminata dualitate proficiscuntur, vt locus, inane, infinitum: alia verò à numeris, & vno, vt anima, & alia quòdã: tempus autè, simul & cælum, & alia quoq; complura negligunt, nec vllã postea de cælo, ac reliquis faciunt mentionem. Pari modo Speusippi discipuli, non autem aliorum vllus, præterquam Xenocrates, quippe qui omnia quodam modo, Mundo similiter accommodat, sensibilia, intelligibilia, mathematica, item & diuina. Conatur quoque Estiæus, vsque ad aliquid non (quemadmodum dictum est) de primis solùm differere.

Plato autem, dum ad principia redigit, alia quoque tangere videtur, ad ideas ea referens: istas verò ad numeros: ex his autem ad principia: deinde per generationem, vsque ad ea, quæ dicta sunt. Alii autem ad principia solùm. Nonnulli verò, & veritatem in his esse. Entia enim circa principia tantùm esse. At secus hinc atque in aliis accidit disciplinis. In illis enim quæ post principia sunt, robur maius obtinent, atque inter ea, quæ in illis sunt, scientiis, veluti perfectiora solent haberi. Fortè autem & hoc rationabiliter. Nam ibi principiorum, in reliquis verò à principiis quæstio est.

CAPVT III.



Ed fortè ambiget aliquis, quonã pacto, & qualia supponi principia oporteat, vtrumne informia, & veluti potentia solùm existètia, vt qui ignem, & terram principia faciebant, an formam adæpta, quasi maximè foret opus, vt finita essent, quemadmodum in Timæo inquit. Etenim ordo, atque finitio rebus perquam excellentibus maximè familiaria sunt. Videtur autem hoc in reliquis quoque, vt Grammatica, Musica, Mathematicisq;, ad hunc ferè modum se habere. Consequitur etiã quæ post principia sunt, item & quæ secundum artes, quæ quidem imitantur, similiter: & instrumenta, & alia secundum principia. Alii igitur omnium admodum formalia putant principia. Alii verò materialia tantùm: nonnulli vtrunque, & formalia admodum, & materialia, tanquam in ambobus perfectio contineatur: quippe qui ex contrariis substantiam omnem fieri dicant. Absolum autem & illis quoque videtur, si totum cælum, & singulæ eius partes, atque vniuersæ, ordine, ratione, formis, viribus, circuitionibus præditæ forent, ipsis verò principis tale inesset nihil: sed vt caro eorum, quæ temerè confusa sunt (optimus inquit Heraclitus) sese Mundus haberet. Atque secundum minima (vt ita dixerim) accipiunt perinde atq; in inanimis. Definita nanque singulorum natura est, vt ita dicam, quanuis temerè facta sint, principia verò indeterminata. Rursum id quoque haud facile in omnibus, & in animalibus, & plantis, atque in ipsa bulla, ad id, cuius gratia sunt, pariter reducere, singulâque rationes adhibere, nisi aliorum ordine, mutationesq; omnigenas,

ac varias eorum, quæ tum in aere, tum in terra gignuntur, formas fieri contingat: quorum maximum quoddam exemplum nonnulli faciunt ea, quæ circa anni tempora fiunt, in quibus animalium, plantarum, & fructuum (veluti producete ea Sole) generationes apparent. Atque hæc quidem hoc in loco contemplando, inuestigant exiguam libationem, quæ ordinis constitutionem ad quantitatem vsque repetit. Cur item magis fieri nequeat in deterius transiis.

In principiis autem vnde prima quoque cœpit oratio, de quiete meritò aliquis dubitauerit. Nam si ea, vt præstantius aliquid sit, in principiis collocabit: sin verò vt quædam segnitias, atque motus priuatio, minimè. Verùm si actionem esse fateatur, contrà, tanquam prior, ac honorabilior est existimanda: motus verò, in sensibilibus. Cùm autem hoc propter illud quiescat, fieri nequit, vt id, quod mouens est, semper moueat. Non enim fuerit periculum, quod primum est, neque rationis speciem habere, neq; alioqui fide dignum esse: sed maiorem quædam causam quærit. At quod mouet, ab eo, quod mouetur, diuersum non esse propter actionem, & passionem, quodam modo sensus acclamare videtur ceu possibile. Sed est, qui ad ipsam mentem, Deumq; referat. Absolum autem est aliud quoque dictum, illa non moueri, quæ eius, quod quiescit, appetitu ducuntur, siquidem ipsa alia sequeretur entia. Verum enimvero forsitan non sic accipi debet, vt ad id, quod impers est reducimus, sed vt quàm maximè sibi consonum, perfectumq; sit, veluti ciuitas, aut animal, aut quiduis aliud eorum, quæ in partes secari possunt: aut etiam omnino cælum, quod sanè aiunt esse perfectissimum. Cæterum aliquem & talia quoque sermonem postulant, quo pacto in materia, atque formam entium partitio fiat, sitnè alterum quidem ens, alterum verò non ens, potentia autem vnum, & ad actum reductum: aut vnum quidem, sed indeterminatum ens, eo, quo in artibus, modo. Generatio autem, quæ ipsorum quidem essentia, est secundum rationes formari: sed ita quidem ad id, quod præstantius est, fortè fieret transitio. Ipsum autem esse, per eam esse nihilò minùs verum fuerit. Non enim esset, ipsa non existente. At illud, neque hoc, neque quale, neque quantum: quippe quod formis indeterminatum est: potestate autem quadam, eas habet, sed hoc proportione ad artes omnino sumi debet, & si qua sit alia similitudo.

CAPVT IIII.



Rætereà illud quoque dubitationem (nisi curiosa quærendi diligentia sit) habere videtur, curnam ipsa natura, totaque vniuersi substantia in contrariis consistat, idque quod deterius est, æquales ferme cum optimo partes habeat, imò verò etiam longè numerosius sit? Quapropter in vniuersum dicere videtur Euripides, quòd nequeunt bona esse separata. Talis autem sermo parum abest quin dicat neque bona, neque similia esse omnia, atque quod de omnibus ipsum

ipsum esse dicimus. Porro nulla inuicem esse similia, vt quæ alba, & nigra sunt in se ipsis. Est etiam quod præter opinionem magis esse videtur, fieri non posse, vt quod est, absq; contrariis existat. Nonnulli verò adhuc magis inopinabili videntes, id, quòd neque est, neque fuit, neque futurum est, in vniuersi naturam adnumerant: sed hæc quidem est, veluti excedens quædam sapientia. At ens, quòd multis dicitur modis, manifestum. Etenim differentias, sensus speculatur, causasq; inquirat. Sed forsitan verius fuerit dicere, quòd eorum, quæ cogitatione excellentia sunt, quædam quidem simpliciter quærit, quædam verò dubitationem faciendo: quam tametsi transcendere non valet, lucem tamen aliquam in tenebris, plus aliquid indagare volentium, ostendit. Itaque ipsum scire, non sine differentia quadam erit. Etenim si inter se diuersa sint, differentia quædam inerit. Atque in vniuersalibus cùm sub eis plurima sint, discrimen inueniri est necesse, siue hæc vniuersalia genera sunt, siue species. Omnis autem scientia, ferè priorum est: substantia nanque, & quidditas, secundum vnumquodque proprium existit. Et quæ in speculationem veniunt secundum se, non per accidens, aliquid vtiq; de aliquo sunt. Omnino autem in pluribus idem cōspicere, aut vniuersaliter, communitèq;, aut secundum quodque, modo quodam proprie, esse essentia dicimus: vt numero, lineis, animalibus, plantis. Finis autem, ex ambobus, sunt etiam nonnulla vniuersalium, finis. In eo enim causa. At horum, id, quod in parte est, quatenus sectio in indiuidua fit, quemadmodum & in sectilibus. Nam ad hunc modum se habet ipsorum actio. Prætereà idem, substantia, numero, specie, genere, proportionèq; scimus, & si quæ, præter hæc, diuisiones habeantur. At vt plurimum per analogiam, tanquam plurimum eam recipientes: atq; aliqua quidè per nosmetipsos, aliqua verò per rem subiectam: nonnulla autem per vtrunque. Sed cùm multipliciter scire sit, quo pacto vnumquodque persequi decet? Nempe suus cuiusque modus, principium est, ac maximum: vt prima, & intelligibilia, & mobilia, & quæ sub natura sunt, atque ex iis ipsis, quæ in principio, quæq; sequuntur vsque ad animalia, plantas, & vltima animæ expertia. Nam in vnoquoq; genere, proprium est aliquid, quemadmodum & in mathematicis. Ipsa nanq; mathematica, quanuis vnius quodam modo sint generis, fortita sunt differentiam. Sunt autem diuisa sufficienter. At si quædam nota, eò quòd ignota sint (quemadmodum inquirunt nonnulli) proprius sanè inerit modus. Indiget autem quadam diuisione. Sed forsatis in quibus fieri potest, proportionem aliquid sciri magis proprium fuerit dicere, quàm per id, quòd ignotum est: quemadmodum si quis per inuisibile, inuisibile. Tentandum est igitur diuidere quot modi sint, & quoties ipsum cognoscere dicatur: ad hæc autem ipsa, principium. Atque primum, ipsum scire, definire, difficilius videbitur. Nam fieri nequit, vt vniuersale, communèque quippiam in his capiamus, quæ multis dicuntur modis. Atq;

tum quatenus, tum de quibus causas inuestigare partim sensibilibus & intelligibilibus ratione, deceat, aut dubium hoc, aut dicta non facile existit. Quippe cùm via in infinitum in vtriusq; aliena sit, perimatque sapientiam. Vtraque autè, quodam modo principium. Sed fortè hoc nostrum; hoc verò nostrum simpliciter: aut hoc quidem finis, hoc verò nostrum quoddam principium. Aliquatenus igitur per causam speculationi possumus principia, à sensibus incipientes. Sed cùm ad ipsa summa, primaque transimus (siue quòd causam non habemus, siue ob nostram imbecillitatem) sicuti desideratissima intueri, non amplius valemus.

CAPVT V.



Ortè autem veritati magis consonum illud existit, palpante, ac veluti attingente mente, fieri speculatione. Quam ob rem circa ipsa nulla contingit hallucinatio. At difficilis est circa id ipsum intellectus, atque fides. Cùm autem & alioqui magnum quippiam sit, & ad singulares tractationes necessarium, & potissimum maximas, facere conuenit definitionem, tum de natura ipsa, tum circa ea, quæ adhuc priora sunt. Siquidem qui de omnibus rationem quaritant, simul eum ratione scientiam tollunt, imò verius erit dicere, eos rationem petere eorum, quorum neque est, neque fuit, quicumque cælum ipsum æternū existimant: lationes autem, magnitudines, figuras, distantiasque, & alia, quorum Astrologia demonstrationem facit, & ipsa, quæ prima mouet, & cuius gratia, dicere omittunt. Quanam ita cuiusque natura, quis inuicem situs, quæ ipsius vniuersi substantia, ad alias quoque singulares species, ad cicures vsque animantes, plantaque descendendo. Itaque si quid coadiuuat Astrologus, in iis, quæ prima sunt in natura, non erit. Alia enim maximè propria sunt, ac priora. Quippe cùm modus (vt quidam putant) naturalis non sit, aut saltem non omnis. Atqui moueri simpliciter, naturæ, cæloque maximè peculiare existit: quare & substantia, cuiusque rei actio, & quod secundum vnumquodque, dum in opere est, atque motu, vt in animalibus, & plantis. Sin verò minùs, homonyma sunt, quanuis videlicet in reuolutione cælum sit secundum substantiam separatū, tamen & quietem agentis, homonymum esset. Nam veluti quadam vita est, circumlatio, vniuersi.

CAPVT VI.



Værendum est igitur, si in animalibus, aut cui cōpetit, vita non existente, in cælo quoque, atq; cælestibus, neque latio, neq; determinatus quidam modus inesset? Præsens autem dubitatio, ad eum, qui ab immobili est, motū, modo quodam pertinet. Quòd verò omnia alicuius sint gratia, & temere nihil, sed perinde ac definitio, haud facile existit, vt sæpe dicitur. Vnde enim incipere, & in quæ definire oportebat? Cæterum nonnulla sunt eorum, quæ ita habere non videntur

P E T R V S A L C Y O N I V S
F O E D E R I C O G O N Z A G A E
P R I N C I P I M A N T V A N O
S . P . D .



EX infinitis malis, & incommodis, quæ post Romani Imperij dignitatem labefactatam, & conuulsam dominatus, atque exterarum nationum arma in nostros Maiores inuexerunt, Fœderice princeps, hæc grauisima, meo quidem iudicio, existimanda sunt, quod non solum iidem illi Imperio, rerumque gestarum gloria, & domesticis ornamentis spoliati, verum etiam quod earum ipsarum nationum gesta admirari, & studia, vitam, instituta, mores denique omnes imitari coacti sunt. Ac præclare quidem nostris rationibus tum fuisset consultum, optimæque in præsentia nobiscum ageretur, si quæ ab illis accepissemus, vel mediocriter probari, vel cum laude aliqua retineri possent: nam & maiores nostri illis meritam, debitamque gratiam iustis honoribus iam persoluissent, & nos tantorum beneficiorum magnitudinem, memoriâque nominis illorum beneuolentia coleremus semper piterna. Quid enim veteres aut sapius cogitare, aut libetius facere solebāt, quàm acceptorum beneficiorum memores, gratosque se omni tempore ostendere, & de se bene meritos iis honoribus ornare, qui tum æquales, tum posteros omnes ad virtutem illorum omni ardore, & animi contentione æmulandam excitaret? Sed, ut alia silentio præteream, quæ execranda, & detestabilia eadem illæ nationes multa nobis tradiderunt, & locus hic postulat, & necesse est de instituto illo dicere, quod qui sapientia, ingenio, & literis præstantes apud illas habebantur, nos persequi voluerunt in scriptis Aristotelicis intelligendis, & veteri Peripateticorum disciplina percipienda. Cum enim docti illi homines trans Alpeis ex Aristotelis commentariis sententias quasdam selegissent, illasque summam in volumina retulissent, atque ex assidua earum ipsarum lectione multum se profecisse iactarent, nullam rationem facilius se inire posse existimarunt ad testimoniū sui profectus dandum, quàm si iudicii sui nos quoque socios habuisse viderentur. Ergo tum autoritate, & gratia, tum minis, & tumultu, tum etiā armis obtinuerunt, ut nos eandem sectam, institutūque teneremus in cognoscendis Peripateticæ disciplinæ præceptis ex lectione librorum, in quos eiusmodi sententiæ inculcatæ essent. At cum paulatim hæc discendi consuetudo intermitteretur, iidem illi, de quibus supra dicebā, docti homines, tanquam mali medici, qui ad curandos ægros adhibiti sæpenumero in locum aduersæ tantum rei, exitiabilem, ac mortiferā sufficiunt, instituerunt, ut de magna librorum Aristotelis copia, tres, quatuorve ad summum in scholis explanaretur, quasi reliqui omnes, vel minus vtilis, vel non multum necessarii ad ordinem rerum, & descriptionem tam excellentis doctrinæ cognoscendam existimari deberent. Quod quidem institutum, & consuetudo ita illustri gratia multis seculis recepta, ac retenta est, ut ad nostram usque memoriam ducta sit. Quocirca nullam vocem aut magnificentiore, aut veriore, aut præstantissimo pietissimoque philosopho magis dignam edi posse arbitramur, quàm eam, quæ ab omnibus hodie vsurpetur, philosophiam in libris non insisteret, sed in rebus naturæ, librosque superuacaneos esse: quæ tametsi aliquid veritatis prima specie continere videtur, nunquam tamen mihi persuaserim præstantem vllum Peripateticum esse posse sine omnibus ferè libris Peripateticis. Et hanc quidem causam esse putamus, cur nostræ ætatis homines fructu lectionis multorum Aristote-

dentur, sed alia quidem casu, alia verò necessitate quadam, ut in cælestibus, & plerisque eorum, quæ circa terram sunt. Cuius enim gratia sunt fluxus maris, ac reflexus? aut cuius exportiones, aut exiccationes, humectationesque, & omnino alius in aliud mutationes, corruptiones, generationes, aut quæ in ipsa terra fiunt alterationes, & eorum, quæ in aliud ex alio mutantur, mutationes, & id genus alia pleraque? In ipsis autem animalibus aliqua veluti vana existunt, ceu mammæ maribus, & fœminis emisio, (siquidem nihil confert) & nonnullis barbæ, aut omnino pilorum quibusdam in locis productio. Tum etiam cornuum magnitudines, ut ceruorum. Nonnullis quoque læsis, quod mobilia, quod in terram directa, quod ante oculos posita gestarent. Quodque aliqua vi fiant, aut præter naturam, quemadmodum ardeola coit, vitamque viuere mansuetiorem. Et alia non pauca quispiam deprehendat istiusmodi. Quod autem maximum est, maximèque apparet, circa educationes, generationesque animalium est, nullius enim gratia hæc sunt, sed casus, atque per necessitates alias. Oportebat enim, si alicuius quidem gratia sint, semper secundum idem, similique modo fieri. Atque etiam in plantis, & præsertim inanimatis prænitam quandam (ut formis, specie, ac potestatibus apparent) obtinent naturam. Hæc autem cuiusnam gratia sint, quæreret aliquis. Nam rationem non habere, id ipsum dubium est, idque in aliis prioribus, ac honorabilioribus, non ponentibus: quatenus & ratio quicquam, quod fidem dignum sit, habere videtur, quoniam hæc, ideas quasdam aut inter se differentes à casu, & vniuersi ratione, quæ in circulum fit, accipiunt. Quod si neque hoc propter aliquid, & ad id, quod optimum est, definitiones quasdam sumere non in omnibus simpliciter, ponere decet. Quandoquidem, quæ huiusmodi existunt, quandam continent dubitationem. Atque simpliciter dicimus, quæ & de vnoquoque. Simpliciter quidem, quando in omnibus naturam, quod optimum est expetere, & in quibus fieri potest, ordinem largiri, atque æternitatem videmus. Pari autem modo, in animalibus quoque similiter. Nam ubi quod melius est, fieri potest, ibi haudquaquam præferunt: veluti quod ante gulam, gurgur sit. Optimum siamque temperiem in medio cordis ventriculo inueniri, præstantius est: quippe cum modum honorabilissimum sit. Simili modo & quæ ad Mundum pertinent. Si quidè & appetitus haud secus. Quin illud quidem, quæ neque obediunt, neque quod bonum

est, admittunt, cur multa sint, imò verò multo plura, declarat. Paucum nanque aliquid, animatum est. At inanimatum, infinitum. Et ipsorum esse animatorum, breue, ac melius existit. In vniuersum autem, tum rarum, tum in paucis, bonum est. Multum verò numero quod malum existit. Nunquid si indeterminatio solum, & veluti materia species, ut quæ ipsius naturæ sunt, esse dicatur, stultissimum erit? Si etenim qui de tota differunt substantia, dicant (quemadmodum Speusippus, quod pretiosum est, rarum quippiam esse facit) hoc circa medii locum esse, illa verò summa, & vtrinque, entia profectò pulchrè erunt existentia.

C A P V T V I I .



Rato autem, & Pythagorei, logo imitari interuallo volunt omnia: quoniam quidam indeterminatæ dualitatis, & vniuersi, perinde quasi oppositionem faciant, in qua infinitum, inordinatumque, & omnis (ut ita dicam) formæ carentia per se existit. In summa autem, ut absque hac vniuersi natura sit, fieri nequit, sed veluti æquam sortiri portionem, aut aliud antecellere, aut contraria esse principia oportet. Quæ ob rem, nec Deum fatetur esse, qui adscribitur, indeterminatum agere posse omnia. Quinetiam si aliquatenus fieri potest, neque hoc fortassis prælegerit, quippe cum totam substantiam ex contrariis quidem, ac in contrariis existentem, perire contingeret. Videntur autem & in primis considerata pleraque, & ut accidit, sicuti quæ circa terræ mutationes dicta sunt. Neque enim quod melius est, neque cuius gratia, sed si consequi aliquid est necesse. Multa nanque tum in aere, tum in aliis, talia contingunt. Ex sensibilibus autem cælestia potissimum ordinem habere videntur, cæteris priora loco, nisi mathematica sint. Nam & si non totum, ac maior pars in his ordinem adseruat, nisi quis formas tales accipiat, quales Democritus indiuiduis supponit corpusculis. Sed de his quidem considerandum. Quod autem initio dictum est, & in ipsa natura, & in vniuersi substantia finitionem quandam eius, quod alicuius gratia existit, atque illius, qui ad melius est imperus, capere tentandum est. Nam in quibus entia sint, & quonam inter se modo sese habeant, hoc eius, quæ de vniuerso, speculationis exordium fuit.

M E T A P H Y S I C O R V M T H E O P H R A S T I F I N I S .

lis librorum careant, vt eius, quem ad Alexādrum de Mundo scripsit: in quo quidem Philosophus ille summus videtur mihi breuiter attigisse, quæ lōgiore præceptione in libris de naturali auscultatione, de cælo, de ortu, & interitu, de sublimibus, de transnaturalibus, postea tractauit, nec aliquid prætermisisse ex iis, quæ de Deo vel dicenda essent, vel ab eius doctrina expectari possent, qui reliqua obscuritate suæ naturæ latitantia inuestigaturus foret, & propria, cōpositaq; oratione, & artificio quodam admirabili, summāq; explanatione distincta, & suis, propriisque præceptis instructa relinquere cogitaret. Atq; hunc ipsum librū non multo post scriptum fuisse suspicor, quàm præstantissimus Philosophus à Philippo rege doctor Alexādro filio acciretur. Voluit enim vt prima incunabula institutionis tanti regis hæc essent, regniq; administrationē quasi ab hac lectione institueret: quem Philosophū ego multa post secula secutus, tibi nunc primū Eoederice principatum obtinēti, eundem ipsum librū Latinè expressum misi. Nam cum alii eximiū tuū animū, & voluntatē honestissimo quoq; officio incēsam, humanitatēq; & fidei plenā verissimis, iustissimisque laudibus ad cælum efferāt, & simul voluptatē declarare studeant, quam ex virtute, & liberalitate capiunt tua, ego nihil prius mihi faciendum putauī, quàm curare, vt nomen tuū cum præclarissimis veterū philosophorum monumentis coniunctū ad maiorē gloriā veterasceret, fama celebraretur, immortale esset, ornatissimisque posteritatis iudiciis, & maximis omnium seculorum laudibus honestaretur: quam quidē rem aliqua ex parte nunc agi posse existimaui, si illud ipsum cum hoc de Mundo libro coniunctū author essem vt celebraretur, & ab omnibus iis coleretur, qui ingenuis studiis, atq; optimis artibus delectantur. Sed tamen cum Latinū illū facerē, & propriā verborū vim, scientiarū grauitatē, concinnamq; & aptā elocutionis, numerorumq; circumscriptionē animaduertērem, & cætera, quæ ad cōmune Aristotelicæ dictionis genus pertinerēt, non negligere, ea suspicione sum perculsus, vt index authorē ementiretur: quoniā genus dicendi laxius esset, & liberius solutū profuere: quo in genere quia Peripateticis omnibus Theophrastus præstat, idcirco laudē rerū scriptarum illi ipsi potius deferendā esse coniciebā, quàm Aristoteli, cum omnino quæ hīc exponerentur Peripateticæ disciplinæ autoritatē vbiq; sustinerent, & nihil discreparent ab iis, quæ Aristoteles alibi suis in libris confirmasset, & vt Peripatetica ab omnibus recepta essent, & cū laude disputantiū hodie defenderētur, nisi tres ad summū loci, quorū vnus est, Mensum terræ aliter proponi, atq; secundo volumine de cælo tradetur. Alter originem Mundi Deo tribui, quod alienū ab illius Philosophia esse censuerunt veteres Peripatetici. Tertius flatum ē terra mentem ita mouere, vt eam prouidam rerum futurarū efficiat. quod quidem in Problematis docet ex atra bile fieri. Augebat suspicionem non parū Ammonius Hermeus non minus Platonice philosophiæ constans defensor, quàm Aristotelicæ egregius amplificator. Is enim in præfatione, quam explanationibus Categoriarum prætexuit, scriptum reliquit, Peripateticos instituisse quærere an opus, quod ex Aristotele susciperent enarrandum, pro legitimo tanti philosophi opere habendū esset, quoniam multi fuissent Aristoteles, ob eamq; rem incertum aliquādo esse, vtrū illius Aristotelis scripta essent, cui tantum honoris, & autoritatis tribuimus, an alterius: & eò quidem magis, quod Eudemus Rhodius, & Phania, Theophrastusq; Eressij Aristotelicæ disciplinæ quasi alumni æmulatione præceptoris libros eiusdem argumenti scripserint, cuius Aristoteles iam ante multos cōposuerat. Aliam quoq; affert causam, quosdam nomen Aristotelis inscripsisse libris alienis, quod intelligerent Ptolemæum Philadelphum studiosum librorū Aristotelis, nec sumptu parce-

re vlla in re, quæ opus esset ad suam illam præclarissimā Bibliothecā monimentis tanti philosophi locupletandā: idcirco multos ad eum attulisse codices falsi tituli. Hinc consuetudinē emanasse quærendi, Germaniæ, & legitimi essent libri, qui pro Aristotelicis circumferrentur, an tanquā suppositi ad alienam aggregarentur familiam, Præterea, extat opus de Mundo ab L. Apuleio conscriptum, in quod pleraq; author ille se trāstulisse fatetur ab Aristotele & Theophrasto, quæ tamen in hoc, quod pro Aristotelico habetur, Græcè tractantur. Sed cum viderē libros Rhetoricos, Epistolas, & reliqua omnia, quæ Aristoteles ad Alexandrum scribit, copiosius, & apertius scribi, quàm alia, quæ separatim ad aliquē non mittantur, & solere magna ex parte publicā opinionē sequi eorum, quæ nondū ille ex suæ philosophiæ decretis confirmasset, propterea iudicavi mentionem terræ aliter hīc proponi, & de fabricatione Mundi, spiritūq; ē terra exhalante, quo Pythia mente concitata oracula ederet, & reliqui eodē modo furentes futura vaticinarentur, diuersa ab iis exponi, quæ aliis libris, quos postea ediderit, statuātur. Quod si hæc parum valent ad probandū id, quod volumus, valebit saltem, id quod Christianorū sacerdotū decus, & lumen Philoponus Alexandrinus ait, consueuisse hunc diuinū Philosophū antè exponere, quæ cōmuniter pro veris haberentur, vt quæ postea separatim ipse demonstrat, si cum illis facerent, & consentirent, reciperentur: sin minus, repudiarentur. Idque ab eodē ipso factū in disputatione de Loco, & de Accretione. Huc accedit, quod Ammonii verba eiusmodi non sunt, vt ex illis perspicari possit qui Aristotelis, quæve Theophrasti libri sint. Quæ item ratio quadrabit si Apuleium quispiā dicat Aristotelē, & Theophrastū sequi in explicanda sententia de Mundo, cum ne ille quidē satis præfiniat, vtrius Philosophi, Aristotelisne, ad Theophrasti opus illud sit, à quo ferè omnia, quæ in suum cōtulit, mutuatur. Sed morositatem eius generis quæstionū Grammaticis relinquamus, cum alii etiā in manibus sint libri, quorū authores non satis certos habeamus, vt problemata, quæ sub Alexātri Aphrodisiæsis nomine diuulgata sunt, quæ tamen puto scribi ab Alexandro Tralliano medico, & inuentorum Platonis æmulo. Id, quod perspicere possumus tum ex dictione, quæ præfractior est, nec satis rotūda, tum ex sententiis, quibus simileis pleraq; affert in opere, quo morborū curationē docet, quibus corpora mēbratim cōsistentur. Quinetiā ille ipse Philoponus in expositione librorū de ortu, & interitu, prodidit plerosq; librū de indiuiduis lineis ad Theophrastū referre, qui tamen hodie pro Aristotelico vbiq; habetur. Verū in Apuleio illud me fateor demirari, quod cum iis tēporibus viueret, quibus Latina lingua natiua penè omnibus esset, & Bibliothecæ refertæ omnium librorū genere, qui antiquitatis memoriā continerent, tum in Italia, tum in prouinciis paterēt, tam perperā Græca lingua sit vsus, & Latinè tam corruptè, ne dicam inquinatè, locutus videatur. Dices fortasse, id de industria homo confectabatur, vt ab vsitato sermone, & verbis cōmunibus abstineret: quod quidē si diceremus esse corruptè, & inquinatè loqui, merum cauillum esset: atque si in quampiam iustam reprehensionem hoc in genere incurrat, in eam iudicio, non voluntate deceptū incurrere: dignum etiā venia, si quādo parum diligens sit Latinitatis obseruator, si plerunque ineptè verba pariat, si tanquā malus Stoicus non satis cōmodè imponat noua nouis rebus nomina, cum apertè profiteatur se doctorē in Latinis literis discendis habuisse neminem. At quæ vnquam tam certæ poterunt afferri rationes, quæ nos coarguant asserenteis hominem Aristotelicæ Philosophiæ decreta non tenuisse? Hoc sanè cum alibi plerunque declarauit, tum vbi multa huiusce libri capita Latinè reddit: nā vt alia cōplura tacitus prætereā loca, quæ vel cōmen-

titiis sensibus peruertit, vel oratione ab omni politiore elegantia abhorrenti expressit, Aristoteles verbo etiā Græco, quod est *πανήριστατον*, sine controuersia hoc significante, cælū summū, & maximè excelsum dixit, Apuleius immensum appinxit, perinde, ac ex Aristotelis disciplina sentire debeamus, cælum infinitæ magnitudinis esse. Quam sententiā idem ipse Philosophus primo libro de cælo cōfuta-uit, & longa disputatione falsam esse docuit. Reliquum est, Fœderice princeps, vt intelligas me in hoc præclaro cōmentario ad te mittendo, non maturiùs consilio meo, aut voluntati tuæ satisfecisse, propterea quòd codices tum formulis expressi, tū manu scripti, quos multos vel ex ipsa Græcia nuper allatos habuimus, ita multis mendis confusi, atq; inuersi circumferebātur, vt ad rectā, verāq; præstruendam lectionē nullum laborem, nullāq; diligentiam sufficere experti fuissimus, nisi Andreas Naugerius quosdā certissimæ fidei, summāq; vetustatis mihi ex Bessarionea Bibliotheca prompsisset. Est enim vir ille nobilitate, & humanitate, & virtute clarissimus, & mira ingenii, ac iudicii laude præditus, & disciplina exquisitarum literarū eruditissimaru: quarum virtutū gloria adductus Senatus Venetus hominē & Bibliothecæ præfecit, quam omni librorū genere instructissimā Bessario ei donarat, & honorem rerū suarum conscribendarum amplissimū decreuit. Qua quidem in re ita præclare versatur, vt iam animo cernamus illū plerisq; veterum hanc scribendi laudem aut erepturū, aut certè facturū, vt eam communem cum illis habere possimus. Itaq; gaudere tu etiam debes mirum in modū Princeps clarissime, quòd cum aliorū maiorū tuorū laudes, tū maxima præstantissimi, ac Fortissimi Imperatoris Frāncisci patris tui gesta scriptis huius excellentis Historici ornari, ac celebrari videbis. Fuerunt enim eiusmodi, vt existimē nullum in Italia locum esse, quē ille victoriis suis nō illustrarit, & vestigia eximiæ suæ virtutis impreserit ad memoriā Italiæ sempiternā. Ergo legentur illius honores, imperia, exercitus, prouinciæ, victoriæ, triumphus, trophæa cum Italici nominis perpetua gloria, atq; ita legētur, vt speremus, vel potius prospiciamus, te ad illorum omnium decus tuendū non aliter fore paratū, atq; eum decet, qui hunc nataliū splendorē habeat, & in tanta gloria augenda vel se ipsum vincat. Enimvero adulescens es illustri ingenio, indultria, gratia: ad labores item belli impiger, ad pericula fortis, ad vsum, & disciplinā peritus, ac consilia prudens: singulari etiam felicitate auitum, paternūq; principatum adeptus es, in eoque gerēdo summa fortuna frueris, propterea quòd non solum domesticā amplitudinē, & claritatem sustines, maiorēque grauitatē, gratiam, constantiam, & liberalitatē assequeris, verū etiam Italiæ dignitatē defendis, exterorum regum societate confirmas, gratiam, & amicitiam populorū omnium Christianorum auges. Quocirca virtutes illas Imperatorias maioribus quasi theatris propositas, & penè populareis, castris locum capere, exercitū instruere, expugnare vrbeis, aciem hostium profligare videris coniunxisse cum præclaris illis virtutū officiis, quæ possint domi principē admirandum facere, & præsentis temporis iudicio magnum, & expectatione reliqui temporis omni laude excellentem. Ac huiusce quidem animi, & consilii tute fructum capis immortalem, cum videas ab regibus & populis Christianis ea tibi non petenti delata esse, quæ multis petentibus denegata fuerint, & agnoscas auitam omnium tuorū gloriā in te clariùs enitescere: quandoquidem intelligis te facile posse illorum nomen, eximiāque laudes aut illustrioribus, aut certè ornatioribus iudiciis comprobata ad infinitam posteritatem propagare. Quod sentire, prudentiæ tuæ est: facere, fortitudinis: sentire, & facere, perfectæ etiam, cumulatæque tuæ virtutis.

Vale.

IN

IN LIBRVM DE
MUNDO, AD ALEXANDRVM EISA-
GOGE PER SIMONEM GRYNÆVM.

ὕποψιν Græci vocant, cum fusa partibus res, lateq; patens, in angustum redigitur, ac sub conspectū vnū omnis datur: quod fit, cum singulorum tractatione missa, capita tantum recensemus: rem in omnibus disciplinis scis quā necessariam. Neque enim singula nosse sat est, nisi quo modo, & qua necessitate inter se cohærent, ac totum illud quonam pacto efficiunt, videmus: quomodo in omni disputatione animus festinat, fines rei propositæ comprehendere, totāque rationibus suis circumscribere volens. Sic enim natura fit, vt cum omnia videris, videre cupias vniuersa: quasi tum tandem singula rectè cernantur, cum cernitur suo quidque in loco. Præterea vt in animante refulsa membra vim nullam habent, sic in cogitatis rebus, extra totius comparationem cōsideratæ partes, nihil sanè magnificum ad notitiam solidiorem afferunt. Itaque sunt exempla disciplinarum omnium multa. Geographi regiones primum singulas memorabilibus rebus omnibus, mox vniuersas præcipuis tantum insulis sub conspectum dant. Istic patriam quisque suam, hic & patriæ in terra, Mundoque situm videt: tum quæ gentes, quā cohæreant, quā late, & quā maximè in partem habitetur. Atque adeò sine totius consideratione percipi nihil potest, vt orbis terræ etiam per singula descriptio, nisi cæli situ coniuncto, inutilis fuerit. Ergo totam & terræ & cæli faciē coniunxerunt, vt quod præcipuum in ea re fuit, & quò festinabat animus, cuiusque in Mundo loci situs perfectè teneretur. Ac tum tandem terrarū comparatio inita fuit, vbi quem in vniuerso quæque haberent locum, constitisset. Eiusdem rationis hic libellus est, *ὑπόψιν* scilicet naturæ rerum. Inuabat, arbitrator, postquam rimatus omnes Naturæ angulos scrupulo-

siore disputatione fuisset, ac de metallis, plantis, animalibus, elementis, & impressionibus, quas vocant, sublimioribus, cælo item, terræque differuisset, emens si laboris, itinerisque summam inire, & peregrinationem totam sub oculos ponere, quo suo iam quidque in loco cerneretur, ac reputatio quædam totius animo relinqueretur, vt posita Mundi medio, firmatāq; pōdere suo tellus, velut sinu genus omne animantium foueret: vt circumfusa maria, & rebus omnibus infusus aer Mundi spiritus, immensus inter cælum, terramque spatiis, campum nubibus, ventis, tonitruis, fulminibus, huiusque generis rebus præbens, agitur: vt æther incorruptibili natura, Mundo corruptibili velut corpori cohærens, non solum motu, sed vitacita discurrentum per se globorum & facium, animet, vegetetque omnia. Libelli igitur dispositio sic habet: Est principio exordium, in quo philosophiæ, cui Mundi considerationē omnem debemus, laus continetur: ab animi *τῶν φιλοσοφοῦντων* celsitudine, præclarisque conatibus, & vera in hominum genus beneficentia, sumpta. Hinc propositio est, quatenus nūc quidem de omni Natura sit tractandum, & nuncupatio, hortatione ad philosophandum, & Alexandri laudibus missa. Post sequitur ipsum iam institutum, rerum Natura omnium nomenclatura, & recensio perpetua: nihil è tanta diuersitate, Mundoque rerum, quā æstimationem tacitam legentum animis relinquens. Atque hæc hæc hactenus altera libelli totius pars est. Pars altera, mundi machinam, quamq; maximam, & vix vlla cogitatione humana concipiendum opus, opificis comparatione, in angustum iam redigit, & ab illius maiestate minurum redgit: docens, cum tale sit, tantūq; nulla prorsus illius occupatione in summis æque, & infimis rebus, vniuersum administrari.

A A

LIBER DE MVNDO, AD ALEXANDRVM REGEM MACEDONIAE, EX ARISTOTELE IN LATINVM

A PETRO ALCYONIO VER-
SVS, CONTRA L. APVLEII
INTERPRETATIONEM.



DILOSOPHIA
sepenumero, Ale-
xander, visa est
mihi res quæda
sacra, & planè di-
uina, potissimùm
in iis, quibus illa
sola ad res contem-
plandas elata cogno-
scere studuit, quæ
in illis verè ha-

berentur. Cùmque alii propter sublimitatem, & magnitudinem ab eadem ipsa re procul recederet, illa eiusmodi negotiū nihil reformidauit, nec se ipsam rerum honestissimarū intelligentia indignam censuit: imò earum ipsarum disciplinam sibi ipsi cognitam, & in primis naturæ suæ consentaneam existimauit. Nam cùm minùs corpori liceret in caelestem emigrare sedem, & relicta terra ipsum cælum inspicere, quod omnium dementes Aloidæ facere cogitarunt, animus post mentem beneficio Philosophiæ ducem sibi assumptam, per omnia transiit, peregrinæque profectus est: cùmque in viam quandam, ex qua nullam lassitudinem sensurus foret, ingressus esset, quæ locorum interuallo plurimùm inter se discreta essent, cogitatione vna compræhendit. Ac paruo quidem, vt arbitror, negotio ea, quibus cum Naturæ cognatione tenebatur, nouit, & diuina mentis acie percipit, mortalibusque prælagiuit. Qua in re consultū omnibus voluit, quoad iisdem ipsis integrū erat partem earum rerum liberius capere, quas pretiosas ipsa possideret. Ad misericordiam igitur inducere abiecti, demissique animi eorum, qui aut certi loci naturā, aut vnius vrbs situm, aut fluminis magnitudinem, aut montis amoenitatem accuratè nobis describant. Quod nonnullos fecisse constat, memoriæ prodenteis tum Ossam, tum Nysam, tum specum Coryceum, & quamuis aliam rem nominatim, cùm rerum leuissimarum admiratione obstupescit videantur, & nomine explicationis rei parua sibi plurimum sumant, & arrogant. Quod quidem propterea iisdem vsu venit, quòd ad res omnino potiores contemplandas nunquam se conuerterint, Mundi, inquam, & eorum, quæ in Mundo maxima sunt. Nam si, vt res ferebat, hæc obseruassent, nihil omnino studii in reliquis admirandis posuissent: imò hac ipsa omnia leuia fuissent visa, & ad illorum præstantiam nulla penitus laude digna. Itaque nos etiam ipsi hæc omnia

scriptura persequemur, & quātum facultas tulerit, de iisdem ipsis vt de rebus diuinis, & planè sacris, disputabimus, id est de natura, de positione, de motu rei cuiusque. Nam te vt ducem omnium longè præstantissimum decet, maximarum rerum commentarios euoluere, & præsidio philosophiæ munitum nihil, quod tenue sit, animo versare, sed eiusdem philosophiæ muneribus egregios duntaxat honestare.



Mundus igitur, est coagmentatio ex cælo, terra, & reliquis rebus, quarum natura illis continetur. Sed aliter etiam nominari, exprimi que potest: Mundus, est rerum omnium ordo, ornatque descriptio, quæ tum à Diis, tum per Deos custodiat. Media eiusdem Mundi pars, cùm immota, & fixa quiescat, terræ vitæ dætricis possessio facta est: quæ quidem hominibus, & cuiusque animalium generis matrem se præbet. Infima pars vniuersa, & vsquequaque finita circumscribitur. Summa, quæ eadem Deorum domicilium patet, cælum est appellatum: quod quidem diuinorum corporum habetur plenum, quæ sidera appellare cōsueuimus. Idem quoque sempiterno incitatum motu, vna in orbem circunuectione cum his omnibus absque intermissione replicatur. Cùm autem vniuersum cælum, & Mundus forma sit globosa, & perenni, perpetuæque motione conuertatur, vt demonstraui, duo signa necessariò sunt, quæ omni motu carent, quæque è diuerso inter se constituta solida, & cōcreta quiescunt, globumque sustinent, velut ille qui in torno versatur: atque circum eadem signa vniuersus conuertitur Mundus. Itaque in orbem is circumscribitur, illaque vertices dicuntur: per quos si conceperimus directam lineam, quem nonnulli Axin vocant, dimetiens Mundi erit linea, quæ terrā tenebit mediam, vertices autem extrema. Sed cùm duo hi vertices nullo motu cieantur, alter conspicuus semper, & illustri super caput est, qui item ad septentriones Arcticus nominatur, alter Antarcticus, qui perpetuis terræ tenebris offusus ad Austrum spectat. Naturam cæli, & siderum *ἀστὴρα* appellamus, non quia etiam si multo igni constet, possit *ἀστέρας*, hoc est ardere, vt nonnulli memoriæ prodiderunt, qui certè magno errore ducti rem talem commenti sunt, quæ plurimùm ab igni secreta sit, ac libera, verum quod in orbem agitata videatur *ἀστέρας*, id est perpetuo cursu rapi, cùm & elementum à quatuor reliquis diuersum habeatur, & nullam fati malignitatē subeat, resque diuina planè sit. Itaque siderum, quæ comp

cōpræhenduntur, alia fixa cum vniuerso torquentur cælo in iisdem recepta locis, quorū orbis medius est, qui signifer vocatur, quique obliquus, per partes tamen in duodecim signorum loca distribuitur per Solsticialem, Brumalemque circulum ambitur. Alia cùm vaga sint, profectò nec ad motum eadem celeritate, qua superiora, nec inter se similè agendum apta sunt, sed pro diuersitate orbium diuersum, vt aliud eorum propius, aliud excelcius, & sublimius exstat. Multitudinem quidem eorū, quæ fixa, ab omnique erratione libera sunt, nulla indagine cōsequi possumus: quanquàm simplici totius cæli imagine motus conficiant suos, sed vaga, & errantia cùm summatim ad septem reducuntur, totidem assignantur orbibus, ita proximo ordine dispositis, vt altior semper humilioris magnitudinem excedat, & septem illa inter se contenta, omnia à globo, cui inerrantia adhærent, omnino compræhenduntur. At orbis, in quo versatur Phænon, qui etiam Saturnus dicitur, suo situ ei semper cōiungitur. Infra autem hunc Iouis, siue stella fertur, quæ Phaethon vocatur. Huic verò proximum inferiorem orbem tenet Pyroëis, quæ stella Herculis, & Martis appellatur. Infra hanc Scilbon, quod numen Mercurii quidā vocant, cùm non desint qui Apollinis dicant. Hoc excipit Phosphoros, quam partim stellā Veneris, partim Iunonis nominant. Deinde Solis, citima Lunæ, quæ vsque in terram procumbit. Aethere tum diuina corpora, tum conuersionis constantia, & ordo continetur. Post aetheream, eandemque diuinam naturam, quam rato niti ordine probauimus, & neque commutari, neque affici posse, succedit natura, quæ si vniuersitatem spectes, afficitur, & mutatur, & vt rem complectar vniuersam, mortalis est, ipsiusque fati vim sentit. Atque huius ipsius prima habetur natura ea, quæ tenuis, ac flammulenta est, quæque ab ætheria natura propter eius magnitudinem & in motu celeritatem fomites adipiscitur. In ea autem parte, quæ multo igni tenetur, & nullo ordine cohiberi dicitur, fulgures prosiliunt, flammæ in morem iaculi euibrantur, & quæ trabes, & foueæ, crinitæ dici solent, tum affixæ, tum plerunque restinctæ visuntur. Deinde aer suffunditur, qui quidem suapte natura multa caligine, & gelu afficitur, & ob motum splendorem simul, & ardorem contrahens magis splendescit, & tepescit. In hoc nimirum cùm facultate præditus sit patibili, & omnem in partem mutabili nubes conuertitur, imbres, niues, pruina decidunt. Flatus ventorum, & vorticum, atque etiam tonitrua, fulgura, delapsus fulminum, & immensæ caliginis conglabationes sunt. Post hanc aeris naturam terra, & mare fixum quieuit. Terra vario stirpiū, & animalium genere abundat, fontibusque & fluuiis scatet, aliis quidem per terram sese volutantibus, aliis verò in mare prorumpentibus. Varietate item prædita est, quam infinita colorum genera, montesque in celsissima iuga elati, & syluæ materia, quæ altis radicibus nititur, densæ induxerunt, & vrbes amplificauerunt, quas homo animalium omnium longè sapientissimus in insulis, & continenti exædificauit. Frequens hominum sermo orbem terræ in insulas, & continentem diuidit: nec satis compertum habet vniuersum orbem vnā planè insulam esse, quæ ma-

ri circumdetur, cui Atlantici nomen indiderunt. Verisimile autem est, multas quoque alias federe insulas, quæ longè contrariis obuersæ fretis, sitæ sint: alia quidem illa ipsa maiores, sed alia minores, quæ certè omnes, ea vna excepta, nobis minimè visæ sunt. Quod enim nostri maris insulis, si cum his maribus comparetur, euenit, idem quoque orbi terræ, quem incolimus, si ad mare Atlanticum respicias, euenire affirmamus. Multæ etiam alia, præ vniuerso mari enumerantur insulæ. Quædam enim magnæ sunt, quæ vastis circumfundantur maribus. Vniuersa autem humoris vis, & natura per quosdam terræ specus exstās, cùm quasi per formationem extulisset loca ea, quæ habitari dicimus, post spirabilem præcipuè naturā constat: postquam media maximè parte Mundi, terra vniuersa in infimo fixa, & compressa tum immota, tum incōcussa, stabilisque constitit. Et hoc quidem omne id est, quod in Mundo infimum vocamus. Cùm autem hæc quinq; elementa in totidem tractibus ad speciem rotundæ figuræ locentur, & semper maius capax minoris sit, terra aquæ, aqua aeris, aer ignis, ignis ætheris, vniuersum constituit Mundum: atque summam quidem partem, Deorum domicilium iudicant: infimam, animalium, quæ quotidiano ortu prodeant. Ac humens quidem huius pars ea est, quam fluuios, aquarum scaturigines, & maria vocare cōsueuimus: aridam, quam tellurem, continentem, & insulas nominamus. Insulæ alia amplæ patent, qualem vniuersum terrarum orbem diximus: alia etiam multæ vastis circumfusæ maribus sitæ sunt: alia parua, quæ cùm interno mari sparsæ sint, nobis ex omni numero exstant. In his, quæ memoria dignæ sint, ponuntur, Sicilia, Sardinia, Corsica, Creta, Euboea, Cyprus, Lesbos: alia minores, quarum alia Sporades, aliæ Cyclades, alia diuersis vocantur nominibus. Mare, quod extra habitabilem, & cultam terram patet, Atlanticum vocatur: & qui nos circumfluit, Oceanus, quique ad Occidentem angusto admodū ore per columnas Herculis effusus in internum mare, quasi in portum, irrumpit: paulum verò in larum exspatiens refunditur, vastus sinus mutuis complexibus iungens: & alibi per angustas fauces sese patefacit, alibi se iterum latius effundit. Principio igitur fama celebratur, ipsum à Columnis Herculis nauigantibus bipertitò sinuari dextrorsum, in Syrtes, quarum alteram magnam, alteram paruam dicunt: sinistrorsum non ita sese in sinum colligans tria maria constituit, Sardinium, Gallicum, Adriaticum, & post hæc Siculum, obliquum tamen: inde Creticum, cui parte alia iungitur Aegyptium, & Pamphylum, & Syriacum, alia Aegæum, & Myrtoon. Pontus tamen his ipsis opponitur in multas diffusus parteis, cuius quidem intimi recessus Mæotis vocantur: sed pars, quæ ad Hellepontum exterior fertur, in Propontida coit. Ad ortum item Solis Oceanus influens Indico, Persicūque sinu patefacto, & mari rubro proximo complexo sese aperit. In alterum verò cornu cùm per angustas, & proceras ceruices porrigatur, Hyrcano, Caspiūque terminato iterum latè expanditur. Id autem, quod ultra hoc est, altum supra Mæotida paludem occupat locum. Dein modicè ultra Scythas, & Galliam, terram lambit eam,

quæ ad sinum Gallicum, & columnas Herculis exposita est, extra quas Oceanus ipse terras alluit: in quo quidem duæ amplissimæ insulæ cognomento Britannicæ sedent, Albion, & Ierna, quæ omnino superiorum magnitudinem excedunt, & vltra Galliam iacent: quibus quidem minores sunt, Taprobane vltra Indos orbi terrarum obuersa, & Phæbol: ita enim appellatur, in sinu Arabico sita. Item non pauca, quæuis parua circum Britannicas, & Hispaniam sunt, quæ orbem hunc terræ ambiunt, quam insulam iam diximus, cuius quidem latitudo parte continentis maxima paulò minus quadraginta milibus stadiorum patet, vt memoriam prodiderit, qui de situ orbis accuratè scripserunt. Longitudo autem colligit circiter septuaginta millia stadiorū ad summū. Diuiditur in Europam, Asiam, Africam. Europa ea intelligitur, cuius fines per ambitū constituentur Herculis columnæ, atque ponti recessus, & mare Hyrcanum, per quod terra angusta in Pontum procurrat: nonnulli post eandem terram angustam Tanain fluuium statuerunt. Asia ab eadem terra angusta, & mari Hyrcano ad alterā angustam terram pertinet, quæ media inter sinum Arabicum, & internum mare iacet: contineturque ab eodem mari, & Oceano circum alluente. Non desunt qui à Tanai ad ostia Nili fines Asiæ proferant. Africa ab angusta Arabiæ terra vsq; ad columnas Herculis protenditur: quidam à Nilo principium sumendum censent: & Aegypti partem, quæ Nili ostiis circumflua est, quidam iuris Asiæ, quidam Africæ faciunt, & alii eam pro insignibus habent insulis, alii semper finitimis contribuunt locis. Terræ, marisque natura, & situs, quem orbem, terræ appellare consueuimus, ita propositus sit. Nunc scriptura persequemur quæ in eo memoratu dignæ existant, quæque opera ei adscribantur, qua institutione necessaria summam exponantur. Ex eodem igitur terrarum orbe duo halituum genera assidue in summam aera efferuntur, quæ quidem tenuibus constant partibus, & omnino in aspectum non veniunt, nisi quid eiusmodi ad Orientem habeatur. Talis enim generis halitus cum per fluuios, & aquarum scatebras euehantur, conspici possunt. Quæ ex terra respirat, sicca, & fumida est: quæ ex humore, huda, ac euaporosa. Ex hac concretæ redduntur nebulæ, rores, & gelu genera, nubes, imbres, aut nimbi, niues, grandines: ex sicca venti, & diuersa tempestatum genera, tonitrua, fulgurationes, accensi turbines, fulmina, & cetera, quæ cum hisce cognatione iunguntur. Nebula euaporosus quidam halitus est, vnde nulla mittatur aqua: quæ, inquam, nebula crassior aere constat, sed nube rarior, concreuit vel è raritate, quæ nubi initium dat, vel è reliqua eius parte. Aduersa illi statuitur serenitas, quæ quidem nihil aliud est, quam aer: omnes tum nebulæ, tum nubes expers. Ros, est humor è sudo, serenoque cælo, qui concretionem suam tenui deferatur. Gelu, aqua vniuersa ex puro, serenoque cælo densata. Pruina, ros concretus. Roripruina, ros dimidia parte congelatus. Nubes, euaporosa crassitudo, quæ contorta Imbris producendi vim habet. Imber gignitur ex cōpresso nubis amplioris. Differentis toridem discrepat, quot attritus nubis, & cōfrictus: nam si leuis sit, tenuis admodum spargit guttas: sin vehemens, ple-

niores. Hæc humoris genera imbres vocantur, nimbo quidem maiores, ita tamen, vt assidue per terram delatæ contortiones adsint. Nix oritur per nubium coactarum percussum, quæ quidem à mutatione in aquam facta eliduntur. Spumofam, albamque niuis naturam elisus facit: gelatus autem inclusi humoris, qui nondum effluerit, aut raruerit, frigus inducit. Eadem nix si vehemens, & conferta decidat, niphætos dicitur. Grando gignitur per niuem decidentem cōuersam, quæ pondus ex obstructu in velociorem delapsam ceperit. Pro magnitudine autem percussionum, quæ edantur, tum maiores, tum violentiores deturbantur. Et hæc quidem res ex humenti aspiratione suapte natura decidere apta sunt, sed ex sicca ita à frigore impulsæ, vt fluere possit, ventus erumpit. Et certè is nihil aliud est, quam aer multus, & confertus, qui fluat. Atque ille simul spiritus etiam dicitur. Spiritus item natura animata, & fecunda nominatur, quæ in animalibus & stirpibus per omnia meat, de qua vt nunc verba faciamus, nulla præscribit necessitas. Ventos appellamus spiritus, qui in aere flant. Auras halitus, qui ex humore deferantur. Venti, qui ex huda terra spirant, Apogei dicuntur: qui ex sinibus, Encolpiæ. Qui ex fluuiis, & paludibus afflant, proportionem illis ipsis respondent. Qui autem per nubem disruptam oriuntur, & in se ipsos crassitudinem dissipant, procellæ vocantur, vt Exhydriæ, qui cum aqua post illam repente disrupta inferuntur. Ab Oriente qui continentes afflant, Vulturii vocantur: Aquilones ab Septentrionibus, Fauonii ab occasu, Austri à meridie. Ex vulturis Cæcia dicitur, qui quidem ab solstitiali ortu loco spirat, Subsolanus ab æquinoctialis, Vulturii ab hyberni. Ex obuersis Fauoniis à solstitiali occasu Caurus mittitur, quem nonnulli Olympian, nonnulli Iapyga nominant. Fauonius ab æquinoctiali, Africus ab hyberno. Ex Aquilonum genere, qui Cæcian cōsequitur, Aquilo dicitur. Septentrionarius, qui à vertice dein per meridiem spirat. Thracia, qui post Caurum: eundem nonnulli Cæcian vocant. Ex Austrorum genere Auster vocatur, qui quidem ex occulto nobis vertice illatus cum Septentrionario quasi colluctatur. Euronotus medius est inter Vulturium, & austrum: qui verò altera ex parte locum medium tenet inter Liba, & Noton, id est Africum, & Austrum, aliis pro Libanoto, aliis pro Libophœnice est. Ventorum etiam alii recta spirant, quales sentiuntur, qui è directo ante flant: alii per flexus mittuntur, qualis Cæcia: alii hyeme vigent, vt Austri: alii æstate, vt Etesia, qui commistione tenentur eorum, qui tum à septentrionibus ingruunt, tum Fauonii habentur. Orinthiæ verni quidem sunt, sed Aquilonii genere. De vehementibus flatibus Cætagis est spiritus, qui supernè decumbat, & quidem repente. Thyella, hoc est tempestat violentus est spiritus, qui repentino allidat motu. Lælaps, & Strobilus, qui de infima in summam vertitur partem. Anaphyema terræ quoque spiritus est in excelsum sublatus per vaporem, qui vel ex alto, vel ex loco, qui discesserit, erumpit. At cum circumactus magnopere torquetur, tum pro terrestri turbine accenso habetur. Qui autem spiritus in nube densa, & huda tortus, & foras per se cohærentis nubium ob-

obfrictus disseuerit, sonitum magnū, & crepitum edit, quem tonitru dicunt, veluti aqua spiritus vehementer agitata, qui in nube perfringenda igneuerit, & coruscant, fulgur dicitur. Quod quidem tamen ante tonitru emicat, tamen post illud editur: quoniam id, quod auditur, ab eo, quod cernitur, suapte natura præuerti aptum est, cum alterum vel è longinquo aspiciatur, alterum postquam auribus ad motum est, præsertim cum id ipsum omnia celeritate præster sua. Designo autem id, quod valde igneum est, cum id, quod magnopere stabile est, tardius in istu ad aures peruenit. Res igitur coruscans igni concepto per vim vsq; ad terram decurrens fulmen vocatur. Quod si dimidia parte ignescat, & aliàs vehemens, & confertum demittatur, turbo accensus dicitur: si omnino igni calet, vortex. Atque horum quoduis in terram decumbens Scepton nominatur. Fulmina, quæ similitudine, formæque ardenti sunt, Psoloenta dicuntur: quæ celeriter transeunt, Argete: Helicia, quæ specie linearum deferuntur: Scepta, quæcunque ad quippiam allidunt. Eorum, quæ ex aere nobis obuersantur, vt strictim hæc attingantur, alia apparent, alia substant. Ad alterum genus pertinent Arqus, Virgæ, & reliqua id genus: ad alterum fulgores, stellæ, quæ aut transcurrunt, aut crines passos habent, & quæ his ipsis similia sunt. Arqus, est imago scæi vel Solis, vel Lunæ in nube, quæ huda, & caua sit, & quæ ad visionem perpetuò extenta, quasi in speculo aspiciatur per orbis complexum. Virga, est recta Arqus species. Corona item, species est splendoris, qui collucens ex sidere emicet. Differt ab Arquo, quod is aduerso Sole, & Luna apparet, illa quod nullum non sidus redimat. Fulgor autem vniuersi ignis accensio est in aere. Fulgorum alii in iaculi morem euibrantur, alii certo loco fixi permanent. Iaculatio, est ignis ortus, cum ex confictu in aere incitetur, & imaginem longitudinis ob velocitatem reddat. Firmitas, est oblonga, absque impulsu intentio, & quasi sideris fluor: quod si altera parte latior explicetur, Crinita vocatur. Fulgores alii sæpenumero diu quiescunt, alii continuò restinguuntur. Multa quoque alia imaginum genera licet aspiciere, faces, trabes, dolia, foueas, quæ omnia id genus appellationis fortiuntur ex eiusmodi rerum similitudine. Atque eorum alia ad Occidentem, alia ad Orientem, alia ad vtranque regionem spectantur, raro ad Septentriones, & Austrum, omnia tamen minus consistunt. Nihil enim tale firmum semper apparuisse literarū monumentis testatum habemus. Quæ ad aerem pertinent hæc sunt.

Continet etiam terra in se ipsa multos fontes vt aquæ, ita spiritus, & ignis: quorum alii sub terra conditi minus videntur, cum non pauci respirent, & flatus edant, vt in Lipara, Aetna, & Aëoli insulis: qui item fontes in morem annuum sæpe fluunt, & vel ignescens eiiciunt ferrum: nonnulli etiam sub terra iis proximi, ex quibus aqua scaturit, illos calfaciunt: & nunc tepidæ aquarū scatebræ erumpunt, nunc feruentissimæ, nunc modicè temperatæ: atque etiam per multa spirituum genera plerisque in locis terræ ostia patefacta sunt, quorum quidem spirituum alii aduentanteis furore instigant, alii in ediam tolerare faciunt, alii vaticinari, vt in Del-

phis, & in Lebadia: alii ex toto conficiunt, & perdunt, vt in Phrygia. Accidit item sæpenumero, vt cognatus flatus modicè temperatus in abditos terræ meatus impulsus, & de propriis laribus dimotus multa quassat loca. Nec minus frequenter magna copia extrinsecus coactus in terræ cauernis quasi implicitus, & exitu prohibitus, violenter terram concussit, vt erumperet: quo in tempore id euenit: quod motum terræ appellare consueuimus. Itaque alii in obliquum quatientes mucronatis angulis, Epiclinter vocantur: alii sursum, & deorsum succutientes rectis angulis, quos Braffas appellant. Qui verò in cauis confidunt partibus, Chasmata dicuntur: qui hiatus aperiunt, & terram discedunt, Rheætæ nominantur. Horum quidam halitus etiā emittunt, quidam saxa, quidam lutum, quidam non ante visos indicant fontes, quidam vna agitatione labefactant, & subuertunt: tales dicuntur Ostæ. Quidam vibrant in vtranque partem inclinatione facta, & id, quod tremit quassatu, dirigunt. Tales Palmatiæ nominantur. Consternatio, quæ affertur, similis est tremoris. Terræ motus aliquando in mugitus conuertuntur, quotiescunque terram quatunt cum sono. Plerunque etiam terra sine motu mugit, cum spiritus ad motum eiendum satis non est: implicitus autem in ea non sine violento impetu frangitur. Spiritus item subeuntes in vnum corpus simul coalescunt opera humoris in terra abditi. Quædam in mari proportionem cum illis ipsis consentiunt, vt hiatus, aut discessiones, & proluuies, quæ modò inundationem reuocant, modò effundunt. Quod in Helice, & Bura factum dicitur. Plerunque etiam in mari ignis sufflat, fontes primùm scaturiunt, fluuii erumpunt, arbores nascuntur. Vorticæ aquarum ad proportionem flatus accommodantur: quorum alii medio in mari, alii in Euripis, alii in fretis aguntur. Multi etiam æstus, & aquarum inundationes, & decessiones fieri dicuntur ad Lunæ cursum stas temporibus. Atq; vt in summa rem proponam, operum similitudines non sine ratione excitantur, elementis inter se cōcretis in aere, terra, & mari. Ac per partes quidem ortus efficitur, & interitus inuehitur, cum vniuersitas nec natiua, nec mortalis sit.

Atqui non defuerunt qui mirantur, quo modo si Mundus ex principiis contrariis compactus, & coagmentatus est, siccis, humidis, frigidis, calidis, iam pridem in interitum delapsus non sit. Perinde, ac si qui mirarentur, qua ratione ciuitas incolumi statu permaneat, quæ tamen cōstituta sit ex diuersis hominum generibus, egentium & diuitum, iuuenum & senum, imbecillium & valentium, improborum & proborum. Sed ignorat hoc maxima admiratione dignum in ciuili cōcordia, quippe cum hac in re ex multis vnus, ex dissimilibus similis efficitur status, vbi omnium rerum natura, & fortuna adest. Ac fortè quidem Natura ad contraria miro fertur desiderio, atque concentum ex his facit, non vt ex similibus, vt cum marem fœminæ coniunxit, certè tum non vtriusque sexus prolem ad cognatam naturæ prolem aggregauit: imò non per contrarias res, sed per similes primam instituit coniunctionem. Ars item ad imitationem Naturæ sese componens hoc idem videtur præstare. Nam in pictura cum naturæ coloris albi, nigri, lutei, rubri con-

funduntur, tabellæ propolis exemplaribus similes redduntur. In musica cum soni acuti, graues, stabiles, breues diuersis in vocibus miscentur, vnus perficitur concentus. Grammaticæ cum ex literis partim vocalibus, partim mutis concretionem quandam effecisset, ab iisdem vniuersam deduxit artem. Atque hoc idem est, quod etiam apud Heraclitum reperitur, qui obscuri cognomen meruit: Si inter se, inquit, crispa & recta, vtile & inutile, consonum & absonum cõiunxeris, ex vniuersis vnum, ex vno vniuersa prodibunt. Ita rerum omnium constitutionem, cæli, inquam, & terræ, vniuersique Mundi concretionem principiorum maximè contrariorum vno exornauit, atque instruxit concentu. Vis enim quædam per omnia dimanans, & transiens siccitatem humori, calorem frigori, leue graui commistum, & rectum rotundo, terramque omnem, mare, æthera, Solem, Lunam, & vniuersum exornauit cælum, cum Mundum fabricata esset ex diuersis, & nullo pacto immistilibus, aere, terra, igni, aqua, & imagine vna, quæ globos comprehendit. Atque etiam maximè contrarias naturas in eo ad mutuam coegit conuenientiam: & per hæc salutem peperit vniuerso: Cuius quidem causa est, elementorum consensio, & quasi mutua conspiratio. Huius autem æqua partitio, & quædam planè facultas, qua nihil aliud alio præstat. Graua enim æqualem habent renisum leuium, & calida aliorum, quando Natura exemplo maiorum doceat æquabilitatem ad conseruandam concordiam mirabiliter esse accommodatam. Concordia verò est omnium parentis, atque adeò pulcherrimi Mundi. Et quænam, quæso, natura præstantior hac fuerit: si partem dederis, illius nimirum pars erit. Id autem quod pulchrum est, totum illius cognomine est, atque id, quod dispositum, & constans habetur, ab ipso Mundo ornari dicitur. Quid item singulare vnquam poterit æquari cælesti ordini, & volubilitati? cum sidera, & Sol, & Luna conuertantur exactissima norma de alio in aliud seculum. Quæ enim vnquam talis erit certa constantia, qualè pulchra tempora, eademque rerum omnium procreantia seruant? certo ordine æstatem, hyemem, nocteis, dièsque in exitum mensis, & anni reuocantia. Quinetiam ipse ille Mundus amplitudine est summus, motu incitatissimus, splendore fulgentissimus, nec vetustescens, nec occidens vnquam. Idem genera animalium aquatiliū, pedestrium, & volucrum distinxit, & sui ipsius conuersionibus viuendi tempora præscripsit. Huius quidem beneficio vniuersa animalia tum spirant, tum animantur. Huius est, quod rerum nouitates admirationem parientes ratio, certoque ordine perficiantur. Cum verò cuiusque generis venti agitent, & cælitus flumina decidant, & rapidæ tempestates effundantur, ac propterea hudum exprimatur, igneum emicet, ac diffletur, nimirum Mundus vniuersum ipsum inter sese consentire facit, & rectè omnia constituit. Terra multiplici factorum genere virens, & scatebris aquarum affluens, & vestigiis animalium pressa certis temporibus omnia procreando, alendo, & suscipiendo, & infinita rerum genera, & opera producendo, Naturam nihil vetustescētem æquè custodit, quanquam terræ motionibus cõcutiatur,

& profluue obruatur, & per partes exuratur. Constata enim hæc omnia ab honesta re, & bona emanantia, salutem ei præstare sempiternam: atque cum eadem ipsa terra concutitur, spiritus illapsi excurrunt, per dirupta, & hiantia loca exhalantes, vt paulò antè memorauimus. Pluuuis item aquis munda facta, quicquid pestilens est, eluitur. Auris etiam afflata, partes, quæ abditiores sunt, quæque supra eam exstant, puriores euadunt, & integriores. Atqui flammæ etiam id, quod multo gelu coactum est, plenum reddunt. Gelu autem genera flammæ remittunt, & per partes alia gignuntur, alia virent, alia occidunt. Et rerum quidem ortus ipsos adstringunt occasus, occasus autem ortus leuiores efficiunt: vna verò ex omnibus parta salus propagatur, cum res illæ aduerso, eodèque mutuo conatu conflictentur, & modò superantes, modò superatæ vniuersum in omnium seculorum posteritatem ab interitu vindicent. Reliquum est, vt summam differamus de causa, quæ omnia continet, eadem disputandi ratione seruata, quam in aliis secuti sumus. Nam quasi flagitium esset in disputatione rerum Mundi, non accurata quidem, sed tanquam disciplina per formulam tradita, præterire id, quod summum in Mundo habetur. Itaque vetus fama est, & quidem hæreditaria mortalium omnium, vniuersa à Deo, & per Deum nobis esse constituta. Nec verò vlla natura per se sufficit orbata salute, quam ille ferat. Quapropter veteres nonnulli adducti sunt, vt dicerent hæc omnia Deorum esse plena, id est quæ oculis obuersionantur, quæ fama, & auditione accipiuntur, quæ denique omni alio sensu comprehenduntur, cum verba eiusmodi accommodent, quæ diuinæ quidem potestati conueniant, sed ab illius natura longè aliena sint. Deus enim sine dubio seruator omnium est, & parens eorum, quæ in Mundo conficiantur: non quod labores sustineat, quales animal, quod quidem in opere versatur, & deinde labore deficit: sed quod viribus vtatur indefectis, quarum beneficio assequitur, quæ procul etiam amandata videantur. Itaque ipse ille Deus summam, & principem adeptus est sedem, atque ob eam rem sublimis appellationem meruit, residetque, vt poeta ait, summo in vertice vniuersi cæli. Proximum corpus virtute eiusdem in primis fruitur: deinde id, quod consequitur: eademque dispositionis ratio in omnibus vsque ad nostra loca seruat. Quocirca terra, & quæ in terra habentur, cum maximè distent à diuinæ utilitatis gratia, infirma, & nulla conciliatione, aut societate coniuncta sunt: imò verò multis in perturbationibus versari videntur. Sed tamen quatenus diuinum numen ad omnia transire aptum est, & nostra æquè succedunt: quæ autem supra nos continentur pro ratione propinquitatis, aut longinquitatis illius maiorem, aut minorem capiunt utilitatem. Itaque rectius est iudicare, quod etiam conueniens, & Deo maximè decorum intelligitur, in cælo virtutè esse constitutam, & plurimum remotis, vt vno verbo afferre, quàm penetrare, & eò frequenter accedere, vbi nec honestè, nec liberaliter ipsa per se conficeret, quæ apud nos essent. Hoc etiam minus conuenit hominum duci, vt vilissimo cuique negotio confic

conficiendo præsit, exercitus, inquam, Imperatori, vel ciuitatis principi, vel patrifamilias, cum oportuerit stragulum illigare, & alio fordidore fungi munere. Quod etiam in locis, quæ Imperio magni Persarum regis parent, non vilissimū aliquod mancipium fecerit: sed proponatur augusta, vt referunt, species Cambysæ, vel Xerxæ, vel Darei, quæ ad summam venerandæ maiestatis amplitudinem ornata sit. Nam fama celebrantur illi vel in Susis, vel in Ecbananis commorari nemini visi, admirandam quandam regiam incolentes, quæ quidem auro sit illustris, & electro, ac ebore fulgeat: nec desint fores multæ, & continuæ: vestibula item magno passuum numero inter se disiuncta, valuis æneis, magnisque parietibus firmantur. Atque hunc apparatus extrā ornatiorem reddunt primores homines, magna florentes existimatione: quorum alii ipsum regem stipant, vt satellites, & ministri: alii septorum custodes, ianitores, & exploratores dicuntur, ita vt rex ipse dominus, & Deus appellatus omnia videat, omnia audiat. Præter hos alii constituuntur Quæsttores, vel Diribitores potius, Præfecti bellorum, ac venationum, & qui præfunt accipiendis muneribus, quique reliqua curant negotia, vt vsus postulat. Vniuersum autem Imperium Asiæ, ab Occidente Helleponto, ab Oriente Indis terminatum, gerendum susceperunt duces, præfides, reges, serui magni regis, qui à pedibus de die sunt, exploratores, nuntii, excubatores, specularum custodes. Talis est Mundus, potissimum quotiescunque è speculis vicissim ignem alii aliis efferunt ex vltimis Imperii finibus vsque ad Sus, & Egbatana, vt eodem die rex omnia, quæ in Asia gerantur, cognoscat. Ac propterea existimare debemus, magni regis præstantiam, ad omnia continentis Dei maiestatem tantò minus perfectam esse, quantò illa est, si conferatur cum imbecillo, & nequissimo homine. Quapropter si nihil ad decus eius pertineret se Xerxen videri, & omnia præstare, & quæcunque voluerit conficere, rebûsque gerendis præesse, multò magis illiberale hoc ipsi Deo fuerit: imò grauius, & decentius existimabimus, ipsum constitutum esse summo in loco, & virtutem eius per vniuersum orbem diffundi, Solem & Lunam versare, & cælum totum conuertere, authorémque esse salutis rerum, quæ terra contineantur. Nihil enim opus est illi excoGITATIS machinationibus, & aliorum ministerio, quod tamen nostri ordinis principibus euenit: qui quidem propter imbecillitatem virium, multorum desiderant auxilia. Imò verò id ipsum maximè diuinum erat, vt commodè, simplicique motu multiplicia rerum genera perficeret. Nō secus, quàm magnorum operum artifices, qui vnus instrumenti impulsu multa, variæque opera dissoluunt. Ita etiam qui chordis ductis rerum imagines diuersas ante oculos ponit, postquam vnâ duxerint chordam, faciunt vt & ceruices animalis, & manus, & humeri, & oculi moueantur: interdum etiam vniuersi corporis partes apta moderatione idem præstant. Nec aliter natura diuina de simplici quodam rei primæ motu virtutem proximis largitur, atque de iis iterum ad remotiora, quoad per vniuersum transeat. Aliud enim ab alio motum, & hoc rursus aliud videtur agitare cum Mundo. Et cum o-

mnia suo quodque apparatu instructum opere fungantur, non vna, eademque via ad id parer omnibus, sed diuersa, & aliquando contraria. Atqui cum prima admodum eiendum quasi remissio præstaretur, velut si ex vase simul aut pilam, aut tesseram, aut conum, aut cylindrum eieceris, nimirum quoduis eorum pro forma, qua conditum est, mouebitur: aut sanè si pariter aquatile animal, aut terrestre, aut volucre, ex sinu effuderis, certè perspicuum omnibus erit, natatili saltando in suum contendere locum: terrestre suos mores, & leges serpendo sequi: aerium ex terra sublatum volatu præpes abire, cum princeps causa cuique generi propriam, & suam reddat felicitatem. Eadem vel in Mundo probatur ratio. Cum enim simplex vniuersi cæli conuersio die atque nocte terminetur, diuersæ omnium rerum traiectiones conficiuntur. Et quanuis vnus globi complexu contineantur, alia tamen celerius, alia tardius mouentur pro magnitudine interuallorum, & sui cuiusque habitus. Luna enim mensæ accretionem suscipiens, & diminutionem, ad defectum perpetuens proprium lustrat orbem: Sol anno vertente. Phosphoros, id est Lucifer, & qui Mercurius dicitur, pari Solis tempore cursus conficiunt suos: illorum spatio Pyroëis duplo maiore: huius ipsius Iupiter sexuplo: inferioris autem Saturnus summus duplo semis. Sed cum vnus fiat concentus ex omnibus, quæ in cælo concinunt, & concurrunt, ex vno constituitur, & in vnum desinit. Vniuersum autem rectè κόσμος, hoc est ornatum, non ἀνοσιγλας, hoc est ornatus defectum appellaueris. Et quemadmodum in canentium conuentibus, cum præcentor auspicatur, conuentus omnis concinit virorum, & foeminarum diuersis vocibus, acutis, & grauibus, quæ suauem vnum, & modulatum pariant sonum: ita de Deo, qui vniuersi procurationem habet, sentiendum est. Sidera enim, & vniuersum cælum perpetuo motu conuertitur ab eo, qui princeps omnium suo nomine appellatur ex motu, quem instituit. Verum Sol omnia cernens duos ingressus persequitur, altero diei, & noctis tempora præstituens ortu, & occasu, altero quatuor anni tempora reuocans: vltro quidem septentrionalis proficiscens, sed retrò australis. Imbres pro tempore oriuntur, & venti, & rores concresecunt, atque etiam opera conficiuntur in partibus omnibus Mundum continentibus ob principem generationis causam. Hæc sequuntur fluuiorum eruptiones, maris tumores, arborum pullulationes, fructuum maturitates, animalium semina, nutritio omnium, actio, vigor, & diminutio, cum & suis cuiusque habitus, & præparatio ad id, vt diximus, adiumentum afferat maximum. Itaque cum omnium author, & dux, qui quidem sola ratione cernitur, signum dederit naturæ, quæ inter cælum, & terram defertur, vniuersa tum in orbibus, tum in finibus suis motu cietur perpetuo, nunc sese occultans, nunc sese aperiens infinitis rerum generibus detectis, & iterum obtectis, quæ quidem ab vno emanarunt principio. Quod factum non dissimile est iis, quæ belli tempore accidere solent. Vt enim classicum quis cecinerit, militum alius, percepto sono, scutum capit, alius thorace vestitur, alius ocreis, vel galea, vel amplo balteo se munit, alius equo aptat fræna,

alius currum conscendit, alius signū ex tessera dat. Iam verò qui turmæ præest, confestim ad eam se confert, qui instruendo ordini, munus obit suum. Eques ad cornu procedit, leuis armaturæ miles ad finem contendit locum. Omnia in vnus legati potestatem sunt, quæ tamen ex præscripto Imperatoris, penes quem summa rei est, administrantur. Eodem sanè modo de vniuerso cogitandum est: nam eam omnia ab vna vi dirigantur, quæ cuique præcipua sunt, & propria conficiuntur: atque eadem ipsa vis nec apparet, nec sui viuendi copiam facit, quod quidem nec illam, quin agat, impedit, nec assensionem nostram ab ea ipsa re cohibet. Anima enim, cuius beneficio viuimus, & vrbes, & domos possidemus, quanquam sub aspectum non cadat, officiis tamen sese aspiciendam præbet, cum omnia vitæ ornamenta ab ea excogitata, & disposita sint, & mirabiliter contineantur. Terræ arationes, & sationes, artis commenta, seruandarum legum ratio, Reipublicæ decora, populi gesta, longinqua bella, pax. Hæc de Deo etiam cogitanda sunt: qui quidem viribus accerrimus est, specie eximius, vita immortalis, virtute præstantissimus. Quare cum vniuersæ mortali naturæ minis cernatur, ex ipsis nimirum operibus satis perspicitur. Nam omnes aeris, terræ, aquæ res, Dei opera dicere poteris: Dei, inquam, qui Mundum continet, ex quo, vt Naturæ interpres Empedocles cecinit,

Omnia, quæ fuerant, quæ sunt, quæque ipsa sequentur,

Plantarū genus, atque hominū generosa propago, Atque feræ, volucres, pisces in fluctibus alti.

Videtur etiam optimè, quanquam parua sit res, Mundus comparari posse cum lapillis, qui umbilici dicuntur in fornibus: hi enim medii collocati, si vtriusque partis dispositionem consideres, quodam quasi concentu, & ordine omnem fornibus faciem seruant immotam. Fertur etiā statuarius Phidias cum in arce Athenarum simulacrum Palladis dicaturus esset in medio clypeo suā ipsius faciem effinxisse, & tam exacto, abstrusoque artificio in statuam inclusisse, & conformasse, vt si quis eam eradere, tolleréque voluisset, vniuersum statuæ habitum necessariò peruersurus, & labefacturus esset.

Hac eadem ratione Deus in Mundo est, cum rerum omnium concentum contineat, earumque ipsarum salutem præstet, sed non medius est, vbi terra, & turbidus iste locus, verum summus præest, & purus in puro consistit loco, quem ritè οὐρανόν, hoc est, cælum appellamus: οὐρανόν, inquam, quod supra οὐρα, id est montes existat. Olympon, quia totus splendeat, & omnis nubis, ac inordinatæ motionis expers sit: nō tamen apud nos per tempestates, & ventorum vim eiusmodi habetur, id, quod etiam de re superiore Poeta Homerus inquit,

Apparet Diuūm numen, sedesque quietæ,

Quas neque concutiunt venti, nec nubila nimbis

Aspergunt, neque nix acri concreta pruina

Gana cadens violat, semperque innubilis æther

Integit, & largo diffuso lumine ridet.

Adstipulantur etiam viuentes omnes, quippe qui Deo summum attribuunt locum. Omnes enim deprecaturi ad cælum manus tollimus. Rectè etiam hæc ipsa ratione illud pronuntiatum est,

Iuppiter obtinuit cælum altis nubibus exstans.

Propterea quæ præstantissima etiam sensibus obseruantur, eundem tenent locum, Sidera, Sol, & Luna. Cælestia enim sola perpetuum, suūque seruantia ordinē magno ornatu disposita sunt, & nunquam variantur: cuius quidem naturæ terrena expertia agnoscuntur, quādoquidem hæc omnia cum faciliè mutantur, magnopere variantur, & afficiuntur.

Nam violenti motus non pauca terræ loca interruperunt, discederéque fecerunt. Imbrium etiam vis repentè effusa profluiem egit. Fluctuum cursus, & recursus plerunque continentem mare, & mare continentem reddiderunt. Tempestates, & vortices aliquādo vrbes totas euerterunt. Exustiones, & flammæ aliæ cælitus antè delapsæ, vt aiunt Phaethontis tempore, ad occidentem Solem regiones totas combusserunt: aliæ ab occidente ex ipsa terra eruperunt, vt in Aetna, fornacibus diruptis, quæ per terram more magni lapidis deuolutæ sunt. Quo in periculo pium genus hominum, quod egregiè diuinum coluit numen, magnos suæ pietatis fructus percepit. Nam ab impetu illæsi relictis sunt, quoniam parentes senectute affectos humeris gestassent suis, illósque incolumis præstitissent. Cum autem præter illos tanquam ignis flumen laboretur, diuisum est, & rem vnā huc, alteram illuc conuertit, atque iuuenes vnā cum parentibus illæsos, tutósque præstitit. Ad summam, quod in nauis gubernator, in curru auriga, in choro præcentor, in ciuitate lex, in exercitu Imperator, hoc idem in Mundo est Deus: nisi quòd illis ipsis principatus laboriosus, perturbatus, & anxius est, Deo autem expers omnis mœstitiæ, laboris, nullamque corpori afferens imbecillitatem. Nam cum in re immobili collocetur, omnia quòd vult mouet, arbitratūque suo in diuersis rerum generibus, & naturis versat, vt in ciuitate lex, quæ quidem cum in animis hominum, qui eam seruant, sit immobilis, omnem Rempublicā temperat, & moderatur: eamque seruaturi magistratus in suggestus prodeunt, legum conditores suā conscendunt tribunalia, concionatores, & consiliiarii in accommodatum veniunt confessum. Alius in Prytaneum contendit, vt victus quotidiani copias accipiat, alius ad iudices, vt se defendat, alius in vincula conicitur, vt pereat. Epula quoque dantur statis temporibus, & annui celebrantur conuentus, Diis sacra obeuntur, cultus in Heroas, & inferiæ Manibus dantur.

Atque cum alia ab aliis vel ex vnus iussu, vel ex cōstanti libertate obeantur, quæ rectè instituta sunt, conseruantur:

Vrbes simul suffitibus totæ scatent,

Simulque cantu personant, & luctibus.

Ita existimandum de magna vrbe: de Mundo hoc loquor. Deus enim lex est æquabiliter in nos fusā, nec correctionem, nec transpositionem vllam recipiens, præstantior, & firmior iis omnibus, vt existimo, quæ in tabulis descriptæ contineantur. Cum autem extra omnem motum, & quidem rectè, ducis fungatur officio, totus cæli ac terræ moderator in opere est, qui etiam in naturas omnes per sua semina, quæ in stirpes, & animalia communiter, & separatim effundit, partitus est. Vites enim, & palmæ, persæ, dulces ficus, & oleæ, vt poeta ait: &

illa omnino, quæ tametsi steriles viuunt, alios tamen ex se præbent vsus, plantani, pini, buxi, &

Quales alnus, populus, & bene odora cupressus. Item quæ autūno suaueis ferunt fructus, cum aliis agrè seruari possint,

Punica, tū pyrus, & malus pulcherrima fructu.

Animalium alia fera, alia cicura sunt, alia in aere, alia in terra, alia in aqua pascentia gignuntur, & virent, & occidunt diuinis parentia decretis: nam serptile quodque per terram paschitur, vt ait Heraclitus. Cum autem sit vnus, multis signatur nominibus, quippe qui nomina fortitur ex ipsis operibus, quibus maximè viget. Vocant ipsum Ζῆνα, hoc est, viuificum, & Δία, hoc est, Iouem, alternis vtentes nominibus, vt vel eum designemus, per quem viuamus. Saturni, temporisque appellatio eidem ipsi redditur, quòd ex seculo sine carente in aliud regat. Præses fulgurum, tonitruum, sereni, sudique cæli, ætheris, fulminum, imbrium, fructuū, vrbium, diei natalis, valli, concordiæ, patriæ, societatis, amicitia, hospitalitatis, militia, tropæorum, expiationis, astutæ infectionis, placationis, lepōris, partim ab iis vocatur, partim ab eorum ipsorum communiōne, quod etiam poetæ canunt. Rectè quoque dicitur salutis, & libertatis author: & vt generatim rem proponam, cælestis, & terrenus vniuersæ naturæ, ac fortunæ cognominis est: quippe cum author sit rerum omnium. Quapropter quæ in carmine apud Orpheum sunt, admodum scitè referuntur. Nec verò putauerim aliud necessitatè dici debere, quàm hunc ipsum, immobilem, inquam, statum. Himar-

menen vocant, id est fatum, ab εἶπειν, hoc est, contere, & procedere sine impedimento. Pepromenen à περιεγραπώδῃ, id est, circūscribi omnia: & quia nihil in rerum natura sit, quod in infinitum excurrat. Mœran, id est, parcā, à μεμεγιάδῃ hoc est partitam esse. Nemefin, à facta vnicuique dianemefi, id est, distributione. Adrastian, quia causa sit immutabilis secundum naturam. Aesan dicunt, vt αἰὲς ὄσαν, hoc est, semper statum obtinentem suum. Parca item pensa in hoc nent: siquidem tres enumerantur pro ratione temporum partitæ. Pensi enim fufus modò perfectus, modò perficiendus est, modò versatur. Dispositæ sunt per tempora, vt præterito vna adscribatur, quæ Atropos dicitur, quoniam præterita omnia incommutabilia sunt. Futuro Lachesis: omnia enim naturali terminantur exitu. Instanti Clothò, quippe quæ conficiat, & sua cuique neat. Filum autem rectè, & ordine ducitur. Hæc omnia nihil aliud sunt, nisi Deus, vt apud Platonem est diuinitus scriptum. Itaque Deus, vt veteri fama celebratur, cum principium, finem, & media rerum omnium teneat, rectè penetrat, secundum naturam ingreditur. Ad illum ipsi omnes adiuncta est Vltio, quæ diuinæ legis præuaricatoris vindicat: cuius sanè qui beatus, & felix futurus est iam inde à primis vitæ rudimentis particeps fuit.

LIBRIDE M V N D O:

FINIS.

A. A. 5

IN MECHANICA EISAGOGE, PER ANGELVM POLITIANVM.



MECHANICAE quidem, vt Heron, papusque declarant, altera pars rationalis est, quae numerorum, mensurarum, siderum, naturaeque rationibus perficitur: altera χειρουργική, cui vel maxime artes, illae, aedificatoria, materiae, pictoriaeque adminiculantur. Huius autem partes manganaria, per quam pondera immania, minima vi tolluntur in altum: μηχανοποιητική, quae facile aquas antliis extrahit: δργανοποιητική, quae bellis accommoda instrumenta fabricatur, arietes, testudines, turres ambulatorias, helopolis, sambucas, exostras, tollenones, & quaecumque Graeco vocabulo πολιορκητικά vocantur, tormentorumque varia genera, quae libris Athenaei, Bitonis, Heronis, Pappi, Philonis, Apollodorique continentur, vt Latinos omiserim. Mox & quae δαυματοργική, cuius exempla sunt hydraulica organa, quaeque per se ventorum flatu resonant, & quod vas δμαιομέτρον vocabant: & quod voces auium variarum exprimit: & quod indidem verum mox dilutum vinum, mox aquam ca-

lidam, mox frigidam, copiosam, tenuemque vicissim funditur: & siphones extinguendis incendiis, & medicinales cucurbitulae sine ministerio cutem praehendentes, & pilae sponte saltantes, & lucerna suas ipsa producens stupas, & animal, quod a structore, dum se catur in mesa, bibit interim, crepitumque suo quodam, & voce sitientis repraesentat imaginem: milleque alia id genus, quae breuitatis studio praeterimus. Haec igitur vt in capita quaedam conferantur, aut ponderibus vitur, & spiritu, quorum praeponderatio mouet, aequilibrium sistit, sicuti etiam Timaeus definit: aut neruis, & funiculis animatos quasi tractus, ac motus imitatur: aut circa illa, quae subnatent aquis: aut item circa aquarum vertitur horologia: quorum quidem generum primum docet in Pneumaticis Heron, alterum idem in Automatis & Lygiis, quartum rursus in Hydriis, tertium vero in Ochumenis Archimedeae. Est in eadem Mechanicae serie, quae centrobarica pars dicitur, ex qua reliquae pendere dicuntur, & sphaeropoeia: qualis illa Archimedeae, Claudiani laudat versibus. Suppeditat eadem architecturae quoque scanforias, tractiles, & spirituales machinas.

ARISTO

ARISTOTELIS STAGIRITAE QUAESTIONES Mechanicæ,

Nicolao Leonicensi Interprete.




MIRACULO sunt ea quidem, quae Naturam contingunt, quorum ignoratur causa: illa vero, quae praeter Naturam, quaecumque ad hominum utilitatem arte fiunt. In multis enim Natura ei, quod nobis vsui esse potest, contrarium facit. Natura etenim eundem semper habet modum, & simpliciter: vtile autem multifariam commutatur. Quando igitur quippiam praeter Naturam oportuerit facere, difficultate sua haesitationem praestat, arteque indiget. Quam ob rem eam artis partem, quae huiusmodi succurrit difficultatibus, mechanicam appellamus. Quemadmodum enim Antipho scribit poeta, sic se res habet. Arte enim superamus ea, a quibus Natura vincimur. Huiusmodi autem sunt, in quibus & minorra superant maiora, & quaecumque momentum paruum habent, magna mouent pondera: & omnia ferè illa, quae mechanica nuncupamus problemata. Sunt autem haec neque naturalibus omnino quaestionibus eadem, neque seiugata valde: verum mathematicarum contemplationum, naturaliumque communia.

De numero autem eorum, quae hoc in genere dubitantur, illa esse dicitur, quae circa vectem fiunt. Absurdum enim esse videtur, magnam moueri pondus ab exigua virtute, cum pluri praesertim pondere. Quod enim sine vecte quispiam mouere non potest, id ipsum ponderis citius mouet vectis ad illud pondus adiungens. Omnium autem huiusmodi causae principium habet circulus. Istud vero ratione contingit: ex admirabili etenim mirandum accidere quippiam, non est absurdum. Maxime autem est admirandum, simul contraria fieri. Circulus vero ex huiusmodi est constitutus. Statim enim ex commoto effectus est, & manente, quorum natura ad se inuicem est contraria. Quam ob rem isthaec cernentes minus admirari conuenit contingentes in illo contrarietates. In primis enim lineae illi, quae circuli orbem amplectitur, nullam habenti latitudinem, contraria quodammodo inesse apparent, concauum scilicet, & curuum. Haec autem eo a se inuicem distant modo, quo magnum & paruum. Illo-

rum etenim medium est aequale: horum vero rectum. Quapropter cum ad se inuicem commutantur, illa quidem prius aequalia fieri necesse est, quam extremorum vtrumlibet: lineam vero, rectam, quando ex curua concaua, aut ex huiusmodi rursus curua fit, & circularis. Vnum quidem igitur isthuc absurdum inest circulo. Alterum autem, quod simul contrariis mouetur motionibus: simul enim ad anteriorem mouetur locum, & ad posteriorem. Et ea, quae circulum describit, linea, eodem se habet modo. Ex quo enim incipit loco illius extremum, ad eundem rursus redit: illa enim continuo commota, extremum rursus efficitur primum. Quam ob rem manifestum quod inde mutatum est: quapropter (vt dictum est prius) non est inconueniens ipsum miraculorum omnium esse principium. Ea igitur, quae circa libram fiunt, ad circulum referuntur: quae vero circa vectem, ad ipsam libram: alia autem ferè omnia, quae circa mechanicas sunt motiones, ad vectem. Praeterea etiam, quonia vnica existente, quae ex centro est, linea, nullum aliud alii, quae in illa sunt punctorum aequa velocitate feratur, sed citius semper quod a manente termino est remotius, pleraque miraculorum accidunt in circuli motionibus: de quibus in iis, quae posthac adducentur, quaestionibus erit manifestum.

Quoniam autem secundum contrarias simul motiones mouetur circulus, & alterum quidem diametri extremum, vbi A, in antem mouetur: alterum vero, vbi B, ad retro, efficiunt nonnulli vt ab vnica motione multi contrariò simul moueantur circuli: quemadmodum sunt illi, quos in locis proponunt sacris, aeneos, & ferreos fabricantes orbiculos.




Si enim A B circulum alter contigerit circulus, in quo C D: mota circuli, in quo A B, diametro in antem, mouebitur C D ad retro, diametro circuli vbi est A, circa idem mota. In contrarium igitur mouebitur circulus, vbi C D, ad illum vbi A B. Et rursus ipse contiguum, vbi E F, in contrarium sibi ipsi mouebit, propter eandem causam. Eodem etiam modo si plures

Circulum simul duobus contrariis moueri motibus.

plures fuerint, idem facient vno solo commoto. Hanc igitur in circulo existentem animaduertentes naturam architecti, instrumentum fabricant celantes principium, vt machinæ solum manifestum sit illud, quod admirationem præstat, causa verò lateat.


In primis igitur, quæ accidunt circa libram, dubitare faciunt, quàmnam ob causam exactiores minoribus maiores sunt libræ. Huius autem rei principium est, quam ob rem in ipso circulo quæ plus à centro distat linea, eadem vi commota citius ferquàm illa, quæ minus distat. Citius enim bifariam dicitur. Siue enim in minori tempore æqualem pertransit locum, citius fecisse dicimus: seu in æquali maiorem. Maior autem in æquali tempore maiorem describit circulum. Qui enim extrâ est, maior eo qui intus est. Horum autem causa, quoniam duas fertur lationes ea, quæ circulum describit, linea: quandoquidem igitur in proportione fertur aliqua id, quod fertur, super rectâ ferri necesse: & hæc diameter efficitur figuræ, quam faciunt illæ, quæ in huiusmodi proportione coaptantur, lineæ. Sit enim proportio, secundum quam latû fertur, quam habet A B ad A C: & A quidem fertur versus B, A B verò subterferatur versus M C. latum autem sit A quidem ad D. vbi autem est A B, versus E.




Quoniam igitur lationis erat proportio, quam A B habet ad A C, necesse est, & A D ad A E hanc habere proportionem. Simile igitur est proportione partium quadrilaterum maiori: quam ob rem & eadem illorum est diameter: & A erit ad F. Eodem etiam ostendetur modo vbicunque latio deprehendatur. Semper enim supra diametrum erit. Manifestum igitur, quod id, quod secundum diametrum duabus fertur lationibus, necessariò secundum laterum proportionem fertur. Si enim secundum aliâ quam diametrum, non feretur secundum diametrum. Si autem in nulla feratur proportione secundum duas lationes nullo in tempore, rectam esse lationem est impossibile. Sit enim recta. Posita igitur hac pro diametro & circum repletis lateribus, illud quod fertur, secundum laterum proportionem ferri necesse est. hoc enim demonstratum est prius. Non igitur rectam efficiet id, quod secundum nullam proportionem in nullo fertur tempore. Si autem secundum quampiam feratur proportio, & in tempore quoquam, hoc necesse est tempus rectam esse lationem, per ea, quæ retrò sunt dicta. Quam ob rem circulare est id, quod secundum nullam proportionem nullo in tempore duas fertur lationes.

Quod quidem igitur ea, quæ circulum describit, duas simul fertur lationes, manifestum est cum est istis, tum quia secundum rectam lata, ad perpendiculari peruenit, vt sit rursus ipsa à cetro perpendiculari.

Sit circulus A B C D: extremum autem, vbi est B, feratur ad ipsum D. peruenit sanè aliquando ad ipsum C. Siquidem igitur in proportione fertur, quam habet B C, E C: fertur utique secundum diametrum, vbi B C. Nunc autem quoniam in nulla proportione, in circumferentia certè fertur vbi B E C.



Si autem duobus ab eadè potentia latis, hoc quidem plus repellatur, illud verò minus, rationi consentaneum est tardiùs moueri id, quod plus repellitur, eo quod repellitur minus: quod videtur accidere maiori & minori illarum, quæ ex centro circulos describunt. Quoniam enim proprius est manenti, eius quæ minor est, extremum, quàm id, quod est maioris, veluti retractum in contrariù ad medium, tardiùs fertur minoris extremum. Omni quidem igitur circulum describenti isthuc accidit: ferturque eam, quæ secundum naturam est, latione secundum circumferentiam: illam verò, quæ præter naturam, in transversum, & secundum centrum: maiorem autem semper eam, quæ præter naturam est, ipsa minor fertur. quia enim centro est vicinior: quod retrahit, vincitur magis. Quod autem magis, quod præter naturam est, mouetur ipsa minor, quàm maior illarum, quæ ex centro circulos describunt, ex



illis est manifestum. Sit circulus, vbi B C D E: & alter in hoc minor, vbi M N O P, circa idem centrum A. & proiciantur diametri in magno quidem, in quibus C D E B. in minori verò ipsæ M O, N P. & altera parte longius quadratum suppleatur D K R C. si quidem A B circulum describens, ad id perueniet unde est egressa, manifestum est quod ad ipsam fertur A B. Similiter etiâ A M ad ipsam A M perueniet. Tardiùs autem fertur A M, quàm A B, quemadmodum dictum est: quia maior fit repulsio, & magis retrahitur A M. Ducatur igitur ipsa A L F. & ab ipso L perpendiculari ad ipsam A B, ipsa L Q in minore circulo. Et rursus ab L ducatur iuxta A B, L S, & S T, ad ipsam A B perpendiculari, & ipsa F X. Ipsa igitur vbi sunt S T, & L Q, æquales: ipsa ergo B T minor est, quàm M Q, æquales enim rectæ lineæ in æqualibus coniectæ circulis perpendicularares diametro, minorem diametri refecant sectionem in maioribus circulis. Est autem ipsa S T æqualis ipsi L Q.

In quanto


In quanto autem tempore ipsa A L ipsam M L lata est, in tanto temporis spatio in maiori circulo maiorem, quàm sit B S, latum erit extremum ipsius B A.

Latio quidem igitur secundum naturam æqualis: ea autem, quæ præter naturam est minor, videlicet B T, quàm M Q. Oportet autem proportionabiliter esse, sicut quod est secundum naturam, ad id, quod est secundum naturam: ita quod est præter naturam, ad id, quod est præter naturam.

Maiorem igitur circumferentiam pertransiuit, quàm sit ipsa S B. Necesse autem est ipsam F B in hoc tempore pertransisse. Hic enim erit quando proportionabiliter vtrinque accidit quod est præter naturam, ad id, quod est secundum naturam. Si igitur maius est, quod est secundum naturam in maiori: & quod est præter naturam, magis utique hic coincidet vno modo: ita quod B sit latû per ipsam B F in tanto tempore, in quo M punctum per ipsam M L. Hic enim secundum naturam quidem signo B fit X F. Est enim ab ipso F perpendiculari. Præter naturam verò ad ipsam X B. Est autem quemadmodum F X ad X B, sic L Q ad M Q. Manifestum autem, si coniunguntur ab ipsa B M ad F L.

Si autem minor aut maior quàm sit F B, erit illa quàm latum est B, non similiter erit, neque proportionabile in vtriusque quod est secundum naturam, ad id, quod est præter naturam. Quam igitur ob causam ab eadem potètia celerius fertur id, quod plus à centro distat, punctum, ex iis, quæ dicta sunt, est manifestum.

cessè est deorsum ferri id quod plus est, donec ascendat, quæ bifariam libram diuidit, ad ipsum perpendiculum, cum onus incumbat ad libræ partem sursum raptam.




Sit libra recta, vbi B C, spatium autem A D. Hoc igitur deorsum proiecto perpendiculari erit, vbi A D M. Si igitur in ipso B ponatur onus, B quidem erit vbi E, C autem vbi H. quam ob rem ea, quæ bifariam libram secant, primò quidè erit D M ipsius perpendiculari: incumbente autem onere erit D G. quare libræ ipsius, vbi E H, quod extra perpendiculari est A M, vbi est P Q, maius est dimidio. Si igitur amoueat onus ab ipso E, necesse est deorsum ferri H. minus enim est E. Siquidem igitur sursum habuerit spatium, rursus propter hoc ascendit libra. Si autem deorsum fuerit id quod substat, contrarium facit. Plus enim dimidio fit libræ, quæ deorsum est pars quàm quod perpendiculari fecerit: quapropter non ascendit. Eleuata enim pars leuior est.

Quæstiones.

VR autem maiores libræ exactiores sunt minoribus, palâ est ex iis. Spatium enim fit centrum: id nanque manet. quod autem libræ vtrinque est, exeuntes à centro. Ab eodem igitur pondere citius moueri necesse est extremum libræ, quo plus à sparto discesserit. Et nonnulla quidem in paruis libris imposita non manifesta sensui sunt pondera: in magnis autem manifesta. Nihil enim prohibet minorem moueri magnitudinem, quàm vt visioni sit manifesta. In magna autem libra idem pondus visibile efficit magnitudo. Quædam verò manifesta quidem sunt in vtrisque, sed multò magis in maioribus, quoniam multò maior inclinationis fit magnitudo ab eodem pondere in maioribus. Quam ob rem machinantur ii, qui purpuram vendunt, vt pendendo defraudent, tum ad medium spatium non ponentes, tum plumbum in alteram libræ partem infundentes, aut ligni, quod ad radicem vergebat, in eam, quam de ferri volunt partem constituentes: aut si nodû habuerit. ligni enim grauior illa est pars, in qua est radix. nodus verò radix quædam est.


Cur siquidem sursum fuerit spatium, quando deorsum lato pondere quispiam id amouet, rursus ascendit libra: si autem deorsum constitutum fuerit, non ascendit, sed manet? An quia sursum quidem sparto existente, plus libræ extra perpendiculari sit: spatium enim est perpendiculari: quare ne



Sit libra recta vbi N G: perpendiculari autem K L M. Bifariam igitur secatur K G. Imposito autem onere in ipso N, erit quidem N vbi O, ipsum autem G vbi R, K L autem vbi L P. Quare maius est K O, quàm L R, ipso P K L. Et ablato igitur onere, necesse est manere. incumbit enim ceu onus excessus medietatis eius vbi est F.

Cur exiguæ vires (quemadmodum à principio dictum est) vecte, magna mouent pondera, vectis insuper


Hoc vsq; ad id, Per ea quæ retrò dicta sunt, ideo a sterico si gnau.




insuper onus accipientes? cum facilius sit, minorem mouere grauitatem: minor autem est sine vectis. an quonia ipse vectis est in causa libra existens, spartum inferne habens, in inæqualia diuisa. hypomochlion enim est spartum: ambo nanque stant vt centrum. Quoniam autem ab æquali pondere celerius mouetur maior earum, quæ à cetro sunt: duo verò pōdera, quod mouet, & quod mouetur: quod igitur motum pondus ad mouens, longitudo patitur ad longitudinem. semper autem quantò ab hypomochlio distabit magis, tantò facilius mouebit. Causa autem est, quæ retrò commemorata est: quoniam quæ plus à centro distat, maiorem describit circulum: quare ab eadem potetia plus separabitur mouens illud, quod plus ab hypomochlio distabit. Sit vectis vbi A B, pondus vbi C, quod mouet autem, vbi D. hypomochlion vbi E. quod autem vbi est D, mouens, vbi F. motum autem vbi C. pondus, vbi G.

Cur ii, qui in nauis medio sunt remiges, maximè nauem mouent? an quia remus vectis est, hypomochlion autem fit scalmus? stat enim ille: pondus verò mare est, quod propellit remus: vectem autem mouens ipse est remex. Semper autem plus mouet ponderis, quantò magis ab hypomochlio distabit quicumque id mouet. maior enim ita fit, quæ ex centro. Scalmus autem hypomochlion existens, centrum est. In medio autem nauis plurimum remi intus est: illa enim parte latissima est nauis: quare maior vtrinque remi pars vtrorunque nauis parietum intrinsecus est. Mouetur autem nauis, quoniam appellente ad mare remo, extremum illius, quidd intus est, in antè promouetur: nauem verò scalmo alligatam simul promoueri contingit, quod remi extremum. Vbi enim plurimum maris diuidit remus, eò maximè propelli necesse est. Plurimum autem diuidit, vbi pars plurima remi à scalmo est. Et eam ob causam remiges, qui in media sunt nauis, mouent illam maximè. Maxima enim remi pars à scalmo in nauis medio intus est.


Cur paruum existens gubernaculum, & in extremo nauigio tantas habet vires, vt ab exiguo temone: & ab hominis vnus viribus alioqui modicè vtentis, magnæ nauigiorum moueantur moles? an quoniam gubernaculum vectis est, onus autem mare, gubernator verò mouens est? Non autem secundum latitudinè, veluti remus, mare accipit gubernaculum: nō enim in antè nauigium mouet, sed ipsum commotum mare accipiens inclinatur obliquè. Quoniam enim pondus est mare, contrario innixum modo nauem inclinatur. Hypomochlion enim




in cōtrarium versatur: mare verò anteriùs, & illud exteriùs: illud autem sequitur nauis, quoniam illi est alligata. Et remus quidem secundum latitudinem onus propellens, & ab eodem repulsus, in rectum propellit: gubernaculum autem vt obliquum iacet, hincinde in obliquum motionem facit. In extremo autem, & non in medio iacet, quoniam mouenti facillimum est ab extremo motum mouere. Prima enim pars celerrimè fertur: & quonia quemadmodum in iis, quæ feruntur, in fine deficit latio, sic ipsius continui in fine imbecillissima est latio. Imbecillissima autem ad expellendum est facilis. Propter hæc igitur in puppi gubernaculum ponitur: nec minus, quoniam parua ibi motione facta, multò maius interuallum fit in vltimo. Quia æqualis angulus semper maiorem spectat: tantòque magis, quantò maiores fuerint illæ, quæ continent. Ex iis etiam manifestum est, quam ob causam magis in cōtrarium procedit nauigium, quàm remi ipsius palmula: eadè enim magnitudo iisdem mota viribus, in aere plus, quàm in aqua progreditur.



Sit enim A B remus, C verò scalmus. A autem in nauigio sit remi principium, B verò in mari palmula. Si igitur A vbi D translatum est, non erit B vbi E. æqualis enim B E ipsi A D. æquale igitur translatum erit, sed erat minus. erit igitur vbi est F. minor enim B F ipsa A D. quare ipsa G F, ipsa D G.



Similes enim sunt trianguli. Stans autem erit medium, vbi est C. In contrarium enim ipsi quod in mari est, extremo videlicet B procedit, vbi extremum in nauigio est A. Non procederet autem vbi est D, nisi commoueretur nauigium, & eò transferretur, vbi remi est principium. Id ipsum etiam facit gubernaculum, nisi quod (vt dictum est retrò) nihil nauigio ad id, quod in ante est confert, sed solum puppi in obliquum pellit, vbiunque fuerit. in contrarium enim eo modo vergit prora. Vbi igitur applicatum est gubernaculum, id oportet rei motæ ceu quoddam intelligere medium: & quem admodum scalmus remo.



v i.

Puppis Puppis


v i i.

v i i i.

Medium autem procedit secundum quod gubernaculum transfertur. Siquidem introrsus agit, & puppis eò transfertur: prora verò ad contrarium vergit. In eodem enim existente prora, totum transfertur nauigium. Cur quantò antenna sublimior fuerit, iisdem velis, & vento eodem celerius feruntur nauigia? An quia malus quiddè fit vectis, hypomochlion verò mali sedes, in qua collocatur: pondus autem, quod moueri debet, ipsum nauigium: moues verò is, qui vela tendit, spiritus? Si igitur quantò remotius fuerit hypomochlion, facilius eadem potentia, & citius idem mouet pondus, altiùs certè sublata antenna velum à mali sede, quæ hypomochlion est, remotius faciens, id efficiet.

Cur quando ex puppi nauigare voluerint, non flante ex puppi vento, veli quidem partem, quæ ad gubernatorem vergit, cōstringunt: illam verò, quæ proram versus est, pedem faciètes relaxat? An quia retrahere quidem multo existente vento gubernaculum non potest: paucum autem potest, quem cōstringunt? Propellit quidem igitur ipse ventus: in puppi verò illum constituit gubernaculum retrahens, & mare compellens: simul & nauis ipsi cum vento contendunt: in contrariam enim se reclinat partem.

Cur ex figurarum genere quæcunque rotundæ sunt & circumscriptæ, facilius mouentur? Trifariam autem circumscriptæ rotari contingit. Aut enim secundum absidem centro simul moto, quemadmodum plaustrum vertitur rota: aut circa manens centrum: veluti trochleæ stante centro, aut in pavimento manente centro, sicut figuli rota conuertitur: an celerrima quidem huiusmodi sunt, quoniam parua sui parte planum contingunt, veluti circulus secundum punctum, & quoniam non offendant. A terra enim semotus est angulus. Præterea etiam cui obuiam fuit corpori, id rursum secundum pusillum tangunt. Si autem rectilineum esset, rectitudine sua multum plani contingeret. Ad hæc, quod nutat pondus, eò motor mouet. Cum igitur ad rectum super plano circuli fuerit diameter, planum secundum punctum contingente circulo æquale vtrinque pondus determinat diameter. Cum autem mouetur, plus illico, ad quod mouetur, ceu inde nutans, ab impellente facilius in ante mouetur. Quod enim vnūquodque vergit, mouetur ex facili.



Siquidem difficulter ad contrariū nutus sui mouetur modum. Præterea nonnulli autumant quod circuli linea in perpeti versatur motu, quemadmodum manetia propter contrarium nixum manet: sicut maioribus contingit circulis ad minores. Celerrimè enim ab æquali mouentur potentia maiores circuli, mouentque onera, quoniam circuli maioris angulus ad minoris angulum, circuli nutum ha-

bet quendam: & sicut diameter ad diametrum, ita maior circulus ad minorem. infiniti autem sunt minores. Si autem ad alterum nutum habet circulus, similiter est bene mobilis. Et aliam sanè habet inclinationem circulus, & ea, quæ à circulo mouentur, licet planitiem abside non contingat, sed aut iuxta planitiem, aut veluti trochleæ. Etenim hoc se habentes modo facillimè mouentur, & one ra commouent. An non quia parua sui portione cum tangit, tum offendet circulus, sed aliam ob causam? ea autem est, quæ dicta est priùs, quod circulus scilicet ex duabus effectus est lationibus: quam ob rem illarum alteram pro nutu semper habet, & veluti continuè motum illum mouent quicumque mouent, quando secundum circumferentiam illum mouerint: latam enim ipsam mouent. Eam quidem igitur, quæ in obliquum est, motionem, ipsum impellit mouens: secundum verò illam, quæ super diametrum est, se ipsum mouet circulus.

Cur ea, quæ per maiores circulos tolluntur, & trahuntur, facilius, & citius moueri contingit, veluti maioribus trochleis, quàm minoribus, & scythalis similiter? An quoniam quantò maior fuerit illa, quæ à centro est, in æquali tempore maius mouetur spatium? Quam ob rem æquali inexistente onere, idem faciet: quemadmodum diximus, maiores libras minoribus exactiores esse. Spartum enim in illis centrum est: libra autem vtrinque partes, quæ ex centro sunt, existunt.

Cur facilius quando sine pondere est, mouetur libra, quàm cum pondus habet? Similique modo rota, & huiusmodi quippiã, quod grauius quidem est, maius autem minore & leuiore? An quia nō solum in cōtrarium, quod graue est, sed in obliquum etiam difficulter mouetur? In contrarium enim ei, ad quod vergit onus, mouere difficile est: quod autem vergit, est facile: in obliquum autem haud quam vergit.

Cur super scythalas facilius portantur onera, quàm super currus, cum tamen ii magnas habeant rotas, illæ verò pusillas? An quoniam in scythalis nulla est offensatio, in curribus autem axis est, ad quem offendant. Desuper enim illum premunt, & à lateribus. Quod autem est in scythalis, ad isthæc duo mouetur, & inferne substrato spatio, & onere superimposito. In verisque enim iis reuoluitur locus circuli, & motus impellitur.

Cur longius feruntur missilia funda, quàm manu missa, cum alioqui projector manu magis pondus compræhendat, quàm cum illud suspendit? Præterea sic quidem duo mouet pondera, fundæ videlicet, & missilis: illo autem modo solum missile. An quia in funda quidem commotum missile funditor proicit? Fundam enim circulo, subinde rotans, id iaculatur: ex manu autem, à quiete est initium: omnia autem cum in motu sunt, quàm cum quiescunt, facilius mouentur. An & eam ob causam est, sed nec minus etiam, quia in fundæ vsu manus quidem fit centrum: funda verò, quod à centro exit? Quantò autem productius fuerit id, quod à centro est, tantò citius mouetur. Iactus autè, qui manu fit, fundæ respectu breuis est.

XIII. Cur circa idem iugum maiores collopes facilius, quam minores mouentur: & item fuculæ, quæ graciliores sunt, ab eadem vi, quam crassiores? An quia fucula quidem & iugum, centrum est: prominentes autem longitudines, eæ quæ sunt à centro? Celerius autem, & plus mouentur, quæ maiorum sunt circulorum, ab eadem vi, quam quæ minorum. Ab eadem enim vi plus transfertur id extremum, quod longius à centro distat. Quam ob rem ad iugum quidem instrumenta faciunt collopas, qui bus facilius versant: in gracilibus autem fuculis plus fit id, quod extra lignum est. Hoc autem id efficiuntur, quod à centro exit.


XIIII. Cur eiusdem magnitudinis lignum facilius genu frangitur, si quisquam æquè diductis manibus extrema compræhendens fregerit, quam si iuxta genu: & si terræ illud applicans pede superimposito, manu longè diducta confrigerit, quam propè? An quia ibi quidem genu centrū est, hinc verò ipse pes. Quantò autem remotius à centro fuerit, facilius mouetur quodcunque. Moueri autem quod frangitur, necesse est.

XV. Cur eæ, quæ circa litora appellantur, crocæ, rotunda sunt figura, cum alioqui à principio ex magnis sint lapidibus, ostreifve? An quia ea, quæ plus recedunt à medio in motionibus, feruntur celerius? Medium enim fit centrū: interuallum verò ea, quæ à centro. Semper autem maior ab æquali motione maiorem describit circulum. Quod autem maius in æquali pertransit tempore, celerius fertur. Quæ autem celerius ex æquali feruntur spatio, vehementius impetunt. Quæ autem magis impetunt, impetuntur & magis: quam ob rem ea, quæ plus à medio distant, confringi necesse est: id autem cum patientur, rotunda fieri est necessarium. Crocis autem propter maris motum, quoniam simul cū illo agitantur, in perpeti esse accidit motione, eoque versatas modo semper offensare. Id autem ipsis maxime extremis contingere partibus est necesse.

XVI. Cur quantò longiora sunt ligna, tantò imbecilliora fiunt: & si tollantur, inflectuntur magis: tamen si quod breue quidem est, ceu bicubitum, fuerit tenue: quod verò cubitorum centum, crassum? An quia & vectis, & onus, & hypomochlion, in leuando ipsa fit ligni proceritas? Prior nanque illius pars ceu hypomochlion fit: quod verò in extremo est, pondus. Quam ob rem quantò extensius fuerit id, quod ab hypomochlio est, tantò inflecti necesse est magis. Quò enim plus ab hypomochlio distat, eò magis incuruari necesse est. Necesse igitur extrema vectis eleuantur. Si igitur flexilis fuerit vectis, ipsum inflecti magis cum extollitur necesse est: quod longis accidit lignis: in breuibus autem quod vltimum est, quiescenti hypomochlio deprope fit.

XVII. Cur à paruo existente cuneo, magna scinduntur pondera, & corporum moles, validaque fit impressio? An quia cuneus duo sunt vectes, sibi inuicem contrarii? Vterque autem & pondus habet, & hypomochlion, quod diuellit, & comprimit. Plagæ quin etiam ipsius latio pondus, quod percutit, & mouet, magnum facit: & quoniam motum mouet, ipsa celeritate valentius fit. Paruo autem existente vecte, magnæ illum consequuntur vires: quam ob rem ultra magnitudinis decentiam latet mouens.


Sit cuneus vbi A B C. quod verò cuneo scinditur, D E F G. vectis igitur fit ipsa A B, pondus verò ipsius B inferior pars, hypomochlion autem D G. huic autem contrarius vectis B C. Percussa igitur A C, utroque illorum vitur vecte. Scindit enim ipsum B.



XVIII. Cur si quisquam trochleas componens duas in tignis duobus ad se inuicem iunctis contrario ad trochleas modo circulo funem circunduxerit, cuius alterum quidem caput tignorū appendatur alteri, alterum verò trochleis sit innixum, & à funis initio trahere cæperit, magna trahit pondera, licet imbecillium fuerit virium? An quia idem pondus à minori potentia si mouetur, vecte medio transfertur magis, quam à manu? Trochlea autem idem vecti facit. Quam ob rem si vna facilius trahet, & ab vnico tractu multò grauius trahet, quam facere possit manus, id ipsum duæ trochleæ plus quam in dupla velocitate leuabunt. Minus enim altera trahit, quam si ipsa per se ipsam traheret, quòdo circa alteram iniectus fuerit funis: illa nanque minus etiam pondus effecit. Parique modo si ad plures iniectus fuerit funis in paucis trochleis, multa fit differètia: quam ob rem à prima pondere quatuor minas trahente, ab vltima trahi multò minus. Et in re ædificatoria facilius magna mouentur pondera: traducunt enim ab vna trochlea ad aliam, & rursum ab illa ad fuculas & vectes. Hoc autem idem est, ac si multas facerent trochleas.

XIX. Cur si quis super lignum magnam imponat securim, desuperque illi magnum adiciat pondus, ligni quippiam, quod curandum sit, non diuidit: si verò securim extollens, percutiat, illud scindit, cum alioqui multò minus habeat ponderis id, quod percutit, quam id, quod superiacet, & premit? An quia omnia cum motu fiunt: & graue ipsum, grauitatis magis assumit motum dum mouetur, quam dum quiescit. Incumbens igitur connatam graui motionem non mouetur, motum verò & secundum hanc mouetur, & secundum eam, quæ est percutientis. Præterea, securis ipsa efficitur cuneus. Paruus autem existens cuneus magna diuidit, cum ex duobus sit vectibus contrario ad sese inuicem modo constitutis.

Cur statera, qua carnes ponderantur, paruo appendiculo magna trutinat onera, cum alioqui tota dimidiata existat libra? vbi enim onus imponitur, solum suspenditur lanx: in altera verò parte sola est statera. An quia simul libræ & vectem ipsam contingit esse stateram? Libram quidem, vbi spartorum quodcunque stateræ sit centrum: in altera enim parte lancè, in altera autem pro lance æquipondii appendiculum habet,




habet, quod libræ incumbit, ceu si quis alteram apponeret lancem, & illi pondus imponeret. Manifestum enim quòd tantundè trahit ponderis ei, quod in altera iacet lance. Quemadmodum autem si vna libra multæ sint libræ, sic talia insunt sparta multa in eiusmodi libra: quorum vnusquisque quod intrinsecus est ad appendiculum, statera est dimidium: & omnino isthuc libra est, vnam quidè habens lancem, in qua pondus appèditur: alteram verò vbi in statera æquipondium. Quam ob rem appendiculum ad alteram sui partem est statera. Huiusmodi autem existens multæ sunt libræ: totq; quot fuerint sparta. Semper autem quod lanci propinquius est spartum, appensioq; oneri, maius trahit pondus: quoniam fit quidem omnis statera inuersus vectis: hypomochlion nanq; vnumquodq; spartū supernè existens: pondus verò id, quod lanci inest. Quantò autem productior vectis fuerit longitudo ab ipso hypomochlio, tantò ibi quidem facilius mouet: hic autem æquilibrium facit, pondusque stateræ trutinat, quod ad æquipondii vergit appendiculum.

XI. Cur medici facilius dentes extrahunt dentiforcipis onere adiecto, quam si sola vrantur manu? An quia ex manu magis, quam ex dentiforcepe lubricus elabitur dēs? An ferro id potius accidit, quam digitis, quoniam vndique dentem non cōpræhendunt: quod mollis digitorum facit caro: adhæret enim, & complectitur magis. An quia dentiforceps duo sunt contrarii vectes, vnicum habentes hypomochlion, eius scilicet instrumenti connexionem? Hoc igitur ad extractionem vtuntur organo, vt facilius moueant. Sit dentiforcipis alterum quidem extremum vbi est A, alterum autem, quod extrahit, B: vectis autè vbi A D F: alter verò vectis vbi B C E: hypomochliō autem C G D: connexio verò vbi G: dens autem pondus. Vtroque igitur B & F simul compræhentes mouent: quando autem commotus fuerit, facilius manu trahitur, quam in strumento.




XII. Cur nuces absque ictu facile confringunt instrumentis, quæ ad eum fiunt vsus. Multum enim auferitur virium, motionis scilicet, & violentiæ. Præterea, duro & graui comprimens instrumento citius confringet, quam ligneo, & leui. An quia sic vtrinque à duobus comprimitur vectibus ipsa nux: à vecte autem facile diuelluntur onera? Id enim instrumentum ex duobus componitur vectibus, idem habentibus hypomochlion, connexionem videlicet ipsam, vbi est A. Quemadmodum igitur fuere diductæ secundum extrema motis C D, ipsæ F E: sic à parua facilius potètia conducuntur. Quod igitur cū percussione fecisset pondus, id valentiores illa E C & F D vectes efficiunt. Elevatione enim in contrarium elati, & comprimètes, frangunt vbi est K. Hanc etiam ob causam quantò vicinior fuerit K ipsum A, confringitur celerius. Quantò enim ab hypomochlio plus distat vectis, facilius & plus mouet ab eodem potentia. Est igitur A quidem hypomochlion: ipsa autè D A F vectis: & itè ipsa C A E.



Et quantò hunc quidè acutiorè feceris, illum verò obtusum magis: hæc quidè tardior erit, illa verò celerior. Hæc quidè igitur magis cōtrariæ fiunt, quoniam obtusior fit angulus: illæ verò ad idem magis, quoniam lineæ coarctantur. Ipsum enim A ferè ad B B

Quantò igitur ipsum K vicinior fuerit angulo ipsius A, tantò vicinior fit cōnexioni, vbi est A. Hoc autem est hypomochliō. Ab eadè igitur potètia applicate. FE plus extolli necesse est. Quam ob re quoniam ex contrario est eleuatio, necesse est magis comprimi: quod autem comprimitur magis, citius frangitur.

Cur si duo extrema in rhombo pūcta duabus ferantur lationibus, haudquaquam æquale vtrunque eorum pertransit rectam, sed multò plus alterum? Idem autem est sermo, cur quod super latus fertur, minus pertransit, quam ipsum latus. Illud enim diametrum minorem, hoc verò maius latus. Et hoc quidem vnica, illud verò duabus fertur lationibus: Feratur enim ex ipsa A B, A quidè ad ipsum B, B verò ad ipsum D eadem celeritate. Feratur autem & ipsa A B in ipsa A C iuxta C D eadè celeritate cū illis. Necesse igitur est A quidem in ipsa A D diametro ferri, B verò in ipsa B C, & vtranque simul pertransisse, & ipsam A B ipsum latus A C: latū enim fit ipsum A ipsam A E, A B autè ipsam A F, & proiecta sit F G iuxta ipsum A B, & ab ipso E similiter repleatur. Simile igitur fit quod repletū est, ipsi toti: æqualis igitur A F ipsi A E. Ipsa autè A B ipsam A F lata erit: in diametro igitur erit secundum diametrum K. Et semper necesse est ipsum ferri secundum diametrum: & simul A B latus pertransit latus A C, & ipsum A diametrum pertransit A D. Similiter etiam demonstrabitur & ipsum B in ipsa B C diametro latum: æqualis enim est ipsa B E ipsi B C. Repleto igitur ab ipso G quod intus est, toti est simile: & ipsum B in ipsa diametro erit secundum laterū connexionem. Et simul latus pertransit latus, & B ipsum B C diametrum. Simul igitur A multò plus ipsa A B pertransit, & ipsum latus minus latus eadè lata celeritate: & ipsum latus maiore quam B pertransiuit vnà latū latione. Quantò enim acutior fuerit rhombus, diameter quidè minor fit, A C autè maior: latus verò ipsius B C minus. Absurdum est enim (vt dictum est) id, quod duabus fertur lationibus, aliquando ferri tardius illo, quod fertur vnica: & vtrisque positus æquali velocitate punctis, alterum pertransire maiorem. Causa autè est, quoniam ei, quod ab obtuso fertur angulo, ambæ ferè cōtrariæ fiunt lationes, & illa secundum quam ipsum fertur, & illa secundū quam ipsum à latere defertur. Ei autè, quod ab acuto fertur, accidit vt ad idè feratur. Coadiuuat enim quæ ipsius est lateris, illam quæ est super diametrum. Et quantò hunc quidè acutiorè feceris, illum verò obtusum magis: hæc quidè tardior erit, illa verò celerior. Hæc quidè igitur magis cōtrariæ fiunt, quoniam obtusior fit angulus: illæ verò ad idem magis, quoniam lineæ coarctantur. Ipsum enim A ferè ad B B




XIII.

idem fertur secundum ambas lationes. Coadiuuatur igitur altera: & quanto sanè acutior fuerit angulus, tantò magis ipsum A ad contrariū. Ipsum enim ad B fertur. Latus autè defert ipsum ad D. Et quanto sanè obtusior fuerit angulus, magis cōtrariæ sūt lationes. Rectior enim efficitur linea. Si autè omnino recta fieret, penitus vtiq; essent cōtrariæ. Latus verò secundū vnicam latum lationem, à nullo præpeditur. Rationabiliter igitur maiorem pertransit.

XXIII.

Dubitatur, quā ob causam maior circulus æqualem minori circulo conuoluitur lineā, quādo circa idē centrum fuerint positi: seorsum autè reuoluti, quemadmodū alterius magnitudo ad magnitudinē se habet alterius, sic & illorū ad se inuicē sūt lineæ. Præterea, vno etiā & eodē vtriusq; existēte centro, aliquando quidē tanta fit linea, quā conuoluntur, quantam minor per se conuoluitur circulus, quandoq; verò quantā maior. Quod quidē igitur maiorem conuoluitur maior, manifestum est. Angulus enim sensu videtur esse cuiusq; circumferentia propriæ diametri, maioris circuli maior, minoris minor: quam ob rem eandē habebūt proportionē secundum sensum ad se lineæ, secundum quas fuerint conuoluti. Verumenimvero quod etiam æqualem conuoluntur, quando circa idē fuerint positi centrum, manifestum est: & sic fiunt aliquādo quidem æquales lineæ, secundum quam maior conuoluitur circulus, aliquando verò secundū quam minor. Sit enim circu-




lus maior quidē vbi DFC., minor verò vbi EGB, vtriusq; autē cētrū A. Et quā quidē per se magnus conuoluitur, sit vbi FI: quā verò per se minor, vbi GK, æqualis AF. Si igitur minorem mouero, idē mouens centrum, vbi A, maior autem sit annexus: quando igitur AB fuerit recta ad ipsam GK, simul & AC sit recta ad ipsam FI: quā ob rem æqualē semper translata erit, ipsam quidē GK, vbi est GB circumferentia: ipsam verò FL, quæ est vbi FC. Si autem quarta pars æqualem conuoluitur, manifestum est quod totus circulus toti circulo æqualem conuoluetur. Quare quando BG linea ad ipsum peruenerit K, & ipsa FC circumferētia erit in ipsa CL, & vniuersus erit conuolutus circulus. Similīq; modo si magnum mouero, illi paruū. annexens, eodē existēte centro: simul cum AC ipsa AB perpendicularū & recta erit: hæc quidē ad ipsam FI, illa verò ad GM. Quam ob rē quando hæc quidem æqualem ipsi GM pertransierit, illa verò ipsi FI, & rursus facta fuerit recta ipsa FA ad ipsam FL, & ipsa AC rursus recta, velut à principio erāt in ipsi MI. Hoc autē neq; aliqua intercedente mora maioris ad minorē, vt scilicet per aliquod temporis spatium staret in eodē puncto, neq; transiliēte minore aliquod punctū maiorem quidem æqualem minori pertransire, hūc autē maiori, absurdū est. Præterea,

vnicā etiam semper existente mōtione, centrū motum interdum quidē magnam, nonnunquam verò minorem conuerti, admirandum est. Idē enim celeritate eadem latum æqualē natū hoc est pertransire: eadem autē celeritate vtroq; modo æqualem licet mouere. Principium autē sumendum est circa istorum causam, quod eadem potentia & æqualis hanc quidem tardiū mouet magnitudinem, illā verò celerius. Si enim fuerit quippiā, quod à se ipso moueri natū non sit, si simul & illud mouerit, quod natū est moueri, tardiū mouebitur quā si ipsum per se moueretur. Et si quidem natum fuerit moueri, non simul autem moueatur, similiter se habebit. Et impossibile certē est, plus moueri, quā mouens: non enim suam ipsius mouetur mōtionē. Sit igitur circulus maior vbi A, minor autē vbi B: si minor maiorem impellet non reuolutum ex se, manifestū est quod tantū ipsius rectæ maior pertransit, quantum est impulsus. Tantum autem est impulsus, quantum paruus est motus: æqualem igitur ipsius rectæ pertransierunt. Necessē igitur est si reuolutus minor maiorem impellet, reuolui simul cum impulsione: tantum autē, quantum minor reuolutus est, si nihil ipse sui ipsius mōtione mouetur. Quomodo enim, & quantū mouit, tātum motū esse necesse est, quod mouetur ab illo. Sed profectò paruus circulus tantum se ipsum circulariter mouit, quātum est pedalis quātitas (tantum enim sit id, quod motus est) & magnus igitur tātum motus erit. Similīq; modo si magnus paruū mouebit, motus erit paruus quemadmodum maior. Per se autē motus illorū vtrūlibet, siue celeriter, seu tardē eadē velocitate, statim quantum maior natus est circumferri lineam: quod difficultatē facit, quod non similiter faciunt quando fuerint cōnexi. Hoc autem est, si alter ab altero moueatur, non quam natus est, neq; peculiarē mōtionem. Nihil enim refert circumponere, & annexere, aut coniungere vtrūlibet alteri. Similiter enim quando hic quidē mouet, ille verò mouetur ab isto: quantū vtiq; mouerit alter, tantū alter mouebitur. Quandoquidē igitur adiacēs mouerit, aut propensus, non semper conuoluitur: quando verò circa idem positi fuerint cētrum, alterum ab altero semper conuolui necesse est. Sed nihilò minùs non suam ipsius mōtionē mouetur alter, sed veluti nullam haberet mōtionem: & si habuerit, illa autem nō vtatur, tantundē accidit. Quandoquidē igitur magnus mouerit sibi alligatū paruū, paruus mouetur quantum ille: quando autem paruus, rursus magnus quātum iste: separatus autē vterq; se ipsum mouet. Quod autē eodē existēte centro, & mouente eadē velocitate, accidit inæqualē illos pertransire lineam, paralogismo sophisticē vtitur is, qui dubitat. Idem enim ambobus est centrum, verum per accidens, velut musicum & album. Esse enim vtriusque circuli centrum non eodem vtitur. Quandoquidem igitur mouens fuerit paruus, vt illius centrum & principium: quando verò magnus, vt illius. Non igitur idem simpliciter mouet, sed est quo modo.


XXVI.

Cur lectulorum spondas secundum duplam faciunt proportionem, hanc quidem sex pedum, vel paulò ampliorem, illam verò trium? Curve non secundum diametrum illos restibus extendunt? An tantos quidem magnitudine faciunt, vt corporibus sint


sint proportionem habētes? fiunt enim sic secundū



spōdas dupli, longitudine quidem cubitorū quatuor, latitudine verò duorū. Extendunt autem illos non secundum diametrum, sed opposito, vt & ligna minùs distrahātur. Celerrimè enim scinduntur secundum naturam diuisa, & eodē modo distenta laborant maximè. Ampliùs, quoniā opus est vt restes pondus ferre possint, si certē pondere imposito minùs laborabūt, si trāsuerim, quā si obliquè, extendātur. Præter ea hoc etiam modo minus absumitur restium. Sit enim lectulus AFGK, & bifariam diuidatur ipsa FG secundum B: æqualia certē foramina sunt in ipsa FB, & in ipsa BA: latera enim



sunt æqualia: nam totum FG duplum est. Extēdunt autē, vt descriptū est, ab ipso A ad ipsum B: ita vbi d, ita vbi h, postea vbi e, & eodē semper modo, donec ad angulum peruenerint alium. Duo enim anguli restis habent capita. Aequales autē sunt restes secundū curuaturas, videlicet AB & BC, ipsi CD & DH: & aliæ simili se habent modo, quoniā eadē demonstratio: ipsa enim AB æqualis est ipsi HE: æqualia enim sunt latera spatii BGM, & foramina equè distant. Ipsa autem BG æqualis est ipsi MA. Angulus enim B æqualis est angulo G. In æqualibus enim hic quidē intus, ille verò extrā: & B quidē est semirectus. Est enim FB æqualis ipsi FA. Et angulus vbi F, rectus est: B autem angulus æqualis ei, vbi est G: quoniam quadratū altera parte longius, duplum est: & ad medium est curuatura: quā ob rē AD ipsi EG



est equalis huic: verò ipsa HM, Similīque modo demonstratur aliæ, quoniā æquales sunt duæ, quæ secundum curuaturas sunt, duabus. Quare manifestū est quod tot sunt restes in lectulo, quot sunt quatuor, sicut AB. Quanta autē foraminum est multitudo in ipso FG latere, & in eius dimidio FB est medietas. Quā ob rem in dimidiato lectulo tantæ restium magnitudines erunt, quantū est AB: multitudo verò tot, quot in BG sunt foramina. Hoc autem nihil refert dicere, quā quot sunt in ipsi AF & BF simul

XXVII.

sumptis. Si autem secundum diametrum extendantur restes, quemadmodū se habet in lectulo ABCD: dimidia nō tot sunt, quot amborum latera FAFG, æqualia autem quot in ipsi FB, FA, sunt foramina. Maiores autem sunt ipsæ AF, BF, diæ existētes, quā AB. Quare restis in tantum maior, quantum ambo latera diametro sunt maiora.

Cur difficilīus est longa ligna ab extremo super humeros ferre, quā secundum medium, æquali existente pondere? An quia vibrato ligno ipsum extremum

XXVI.

prohibet ferre, vibratione magis retrahens lationem. An quoniam licet nihil inflectatur, neq; multam habeat longitudinē difficilīus tamen ad ferendum est ab extremo, quoniā facilius ex medio eleuatur, quā ab extremo, & ideo sic ferre est facilius. Causa autē, quoniā secundum medium quidē eleuato ligno semper sese inuicē suspendunt extrema, & altera pars alterā bene subleuat. Mediū enim veluti centrum fit, vbi habet is, qui eleuat, aut fert. Extremorum igitur vtrūq; deorsum vergens, sursum suspenditur. Quod si ab extremo eleuetur, aut feratur, non sanè facit: sed vniuersum pondus ad vnū vergit mediū quo eleuatur, aut fertur. Sit mediū vbi A, extrema B, C.

Eleuato igitur aut portato secundum A, ipsum quidem B deorsum nutans, sursum eleuat C: ipsum autem C deorsum nutans, B sursum eleuat: ambo autem sursum eleuata hoc faciunt.

Cur si valde procerum fuerit idē pondus, difficilīus super humeros gestatur, etiam si medium quispian illud ferat, quā si breuius sit? Quod enim dudum dictum est, causa non est: sed vibratio nunc est causa. Quando enim productius fuerit, vibrantur extrema: quam ob rem contingit portatē difficilīus gestare. Vibrationis autem causa est, quoniā ab eadem mōtione magis transferuntur extrema, quantò procerius fuerit lignum. Humerus quidem sit centrum vbi A manet enim is: ipsæ autē AB, AC,

quæ sunt ex centro: quantò autem maius fuerit id, quod ex centro est, siue AB, seu AC, plus transfertur spatii. Demonstratum autem est hoc prius.

Cur iuxta puteos celonia faciunt eo, quo visuntur, modo? Ligno enim plumbi adiungunt pondus, cum alioqui vas ipsum & plenum, & vacuum pondus habeat. An quoniam duobus temporibus hauriendi diuiso opere, (intingere enim oportet, & id

quæ sunt ex centro: quantò autem maius fuerit id, quod ex centro est, siue AB, seu AC, plus transfertur spatii. Demonstratum autem est hoc prius.

Cur iuxta puteos celonia faciunt eo, quo visuntur, modo? Ligno enim plumbi adiungunt pondus, cum alioqui vas ipsum & plenum, & vacuum pondus habeat. An quoniam duobus temporibus hauriendi diuiso opere, (intingere enim oportet, & id

XXVI.

XXVII.

XXVIII.

IN ARISTOTELIS LIBRVM DE INSECABILIBVS LINEIS COMMENTARIVS,

Iacobo Scheckio Interprete.




VM Parmenides ens vnum, & excepto ente reliquorum nihil esse, vt quæ non entia ritè appellari possint, disputando assereret, eò videtur in hac sententia perstitisse, ne si ens multa conce-

deret existere, ipsum quoque non ens, in rerum naturam induceret. Ita enim ait, omnia, quæ sunt, quoad esse dicuntur, vnum sunt, cum in ea ratione, qua ens dicuntur, conueniant: multa verò essent, & non ens vnum, siquidem aliud quiddam, quàm ens, de his prædicaretur: atqui ab ente aliud, diuersumque; nihil est, excepto non ente. Ipsum igitur non ens existere oportet, si præter ens aliud quiddam esse dicatur. Quam ob rem ens cum ratio eius sit vna, ita de cæteris prædicabitur, vt causa ipsius omnia vnū quiddam (ens scilicet) existimentur, cum excluso ente nihil neque esse, neque cogitari possit. Pròinde quò vacuum in rerum naturam ne induceretur, quod re vera non est ens, multitudinem, ac numerositatem rerum inficiari maluerūt. Quò enim entia discernentur vacuum à physiologis, præsertim verò Pythagoricis, inducebatur antiquitus. Atque istius quidem hominis opinioni cum Platonici, Xenocraticique assenti essent incogitanter admodum, his argumentis fidem dederunt, illis verò, qui sectione indefinēti, ac infinita partitione eius quod est, atque vnum reputatur, multa esse demonstrant, adeoque planum facere videntur, simpliciter vnum non esse, quod ens appellatur, si secari illud, ac diuidi queat, quemadmodum Parmenides, ac Zenon sunt arbitrati, vt in Platonis Parmenide videre est, his, inquam, Plato, & Xenocrates contradicentes impartibiles quasdam magnitudines confinxerunt, quibus vt essentiæ ratio propriè tribueretur ita eum essentia impartibilis vnitas coniuncta foret, minime verò diuisionem, cum essent ἀτομα, admitterēt. Aristoteles certè cum multis alijs in libris hanc opinionem refellit, quòd scilicet insecabiles nullæ sunt magnitudines, sed diuidi omnes sine exceptione posse, vt in tertio φυσικῶν libro, cum inquit, nō difficile admodum esse lineas insecabiles refutare: tū verò, atque in primis in libro, quem de generatione corruptionem memoriæ prodidit, ex professo illi opinioni contradicens, suam hac de re omnem opinionem exposuit, qua statuere videtur quilibet magnitudinem diuidi ad infinitum vsque posse: infinitum verò illud cuiusmodi sit, in Physicis ostendit, cum potentia, non actu, infinitum hoc asserit: etenim diuisio talis si finiri possit aliquando, eam consistere aliquando, ac cessare oportebit, nec quicquam, quod propterea diuidi possit superesse. In hac quidem præfenti tractatione peculiari quadam & singulari disputatione de hisce rebus differit, in primis more dialectico aduersariorum argumenta proponens. Nam cum ad alia vtilis dialectica sit: tū verò aptissima est, qua differens in vtranque partē, quod magis verisimile existat indagare queat. Suntne igitur, inquit, lineæ insecabiles, aut magnitudines quæpiam? quarum sunt quædam duplicem habentes protensionem, vt superficies: quædam tribus patent interuallis, vt corporeæ magnitudines. Nam superioribus duabus dimensionibus tertia hæc spifitudinem addit: in summa magnitudo quæritur, an sit aliqua insecabilis quemadmodū opinantur quidam. Hac proposita quæstione primò argumenta in medium affert, quibus insecabiles quantitates tueri quidam conantur, quorum illud primum est. Similiter in rebus vt paucitas cum paruitate, ita multitudo cum granditate deprehenditur: quapropter si in paruo sectiones infinite (quemadmodum Aristoteles inquit) admittuntur, futurum est, vt res ea pauca, paruâque; dici nequeat, sed potius multa, magna-que appelletur. Quomodo enim paucum illud dici queat, cum infinitis partibus disceptū, disse&sum-que sit? Aut quæ parua res erit, quæ infinitas sectiones suscipere possit? Quocirca pauca, paruâque, aut nulla erunt, sed magna omnia, & multa, aut quatuor hæc erunt eadem: aut si verum esse neutrum existimandum sit, magnitudines impartibiles esse necesse fuerit, quæ appellationem hanc sortiantur, paruitatis scilicet, paucitatisque, vt quæ in exiliora se ipsis diuelli amplius nequeant, & in se ipsis plures diuisiones admittere. Dicunt etiam aliter, quòd si infinitas sectiones magnum pariter, & paruum pati sint idonea, nec magnum plures, pauciores verò paruum ac minores partes obtinebit, qua differre magnum & paruum inter se dicemus. Necesse igitur impertem magnitudinem existere, cuius respectu magnum plures habeat eiusmodi, paruum verò pauciores possideat, nec multitudine æquales cum his, quæ in magno includuntur. Et illud quidem ab absurdo ductum est argumentum. Attamen quòd si ideæ quædā sunt, quemadmodū is, qui hæc asserere

furfum trahere) cōtinget demittere quidē vacuum faciliter, trahere verò plenum difficulter. Commo dum igitur est paulò tardiùs illud demittere, cum multò leuius effectū sustollatur pōdus: id autē facit in extremo celonio adiun&ū plūbū, aut lapis. Demittendi quidē maius sit pōdus, quàm si solūmodo vacuū oporteret dimittere: cū verò plenu fuerit sursum id rapit plūbū, aut quicquid illi pōderis inerit. Quā ob rē faciliora hoc modo ambo sunt, quā illo.

Cur quādo super ligno, aut huiusmodi quopiam duo portauerint homines æquale pōdus, nō similiter preantur, si ad vnum non declinet pōdus, sed magis quātò vicinius fuerit gestātibus? An quoniā vectis quidem lignum efficitur: pondus verò hypo mochlion: qui autem propior est pōderi ex iis, qui illud gestant, id quod mouetur: alter verò portantium, quod mouet? Quantò igitur plus distat à pondere, tantò facilius mouet, & alterum premit magis inferius, veluti contranitante pōdere imposito quod hypomochlion factum est. Si autē in medio inerit pondus, nihilò magis alter alteri fit pondus, aut mouet: sed eodem modo alteri alter fit pondus.

Cur surgētes omnes, femori crus ad acutū cōstituentes angulū, & thoraci similiter femur, surgunt: quod si nō, haudquaquā surgere poterūt? an quia id, quod æquale est, quietis vbi que est causa: rectus autē angulus æqualitatis est, stationemque; facit: quā ob rē ad similes fertur angulos ipsi terræ circūferētia: nō enim quod ad rectū est ipsi pavimento? An quoniā surgēs sit rectus, stantē verò necesse est perpēdiculū esse ad terrā? Si quidē igitur ad rectum debet esse,



hoc autē est caput secundū pedes habere, & fieri oportet cum surgit. Quādoquidē igitur fuerit sedēs, secundū parallelū pedes habet & caput, & nō in vna æquali. Caput sit A, thorax A B, femur B C, crura C D. Ad rectum autē sit & thorax, vbi A B, ipsi femori, & cruri femur sic sedēte: quā ob rem eo se habentē modo surgere est impossibile: necesse autē est crus reclinare, pedesque constituere sub capite. Hoc autem erit, si C D fiet vbi C F, & simul surgere continget, & in eadem æquali habere caput & pedes. Ipsa autem C F acutum facit angulum ad ipsam B C.

Cur facilius mouetur cōmotū, quàm manēs: veluti currus citiùs cōmotos agitāt, quàm moueri incipiētēs? An quia difficillimum est pōdus mouere, quod in cōtrariū mouētur. Aufert enim quiddā ex motoris potentia, licet multò sit velocior. Necesse nāq; est, tardiore esse impulsione illius, quod repel litur. Secundo autem loco, si quieuerit: resistit enim ipsum quiescens. Quod autē mouetur, ad id ipsum, ad quod impellitur, impellenti simile facit, ceu si quispiam mouentis potentiam, & celeritatem auget. Quod enim ab illo pateretur, utique ipsum facit ex se commotum.

Cur ea, quæ proiciuntur, cessant à latione? An quia impellens desinit potentia, vel propter retractionē, vel propter rei proiectæ inclinationē, quan

do ea valentior fuerit, quàm proiicientis vires? aut isthæc ambigere principiu relinquētes absurdū est.

Cur quippiam non peculiare sibi fertur lationē, impulsione alioqui non consequente? An videlicet quoniam primum id efficit, vt alterum impellat: illudq; rursus vt alterū. Cessat autē quando non potest amplius facere primū impellēs id quod fertur, vt impellat, & quando ipsius lati grauitas nutu suo declinat magis, quàm impellētis in antē sit potētia.

Cur neq; parua valde, neq; magna longē proiici queūt, si mēsuracionē quandā illa habere oportet ad id, quod proiicit? An quia necesse est, quod proiicitur, & impellitur, cōtraniti ei, vnde impellitur. Quod autem magnitudine sua nihil cedit, aut imbecillitate nihil contranitur, non efficit projectionē, neq; impulsione. Quod enim multò impellētis excedit vires, haudquaquā cedit: quod verò multò est imbecillius, nihil contranitur. An quia tātū fertur id, quod fertur, quantū aeris mouerit ad profundū: quod autem nō mouetur, neq; mouebit quippiā. Accidit autē illis ambo isthæc habere. Valde enim magnū, & valde paruū, ceu nō mota existūt alterū nāq; nihil mouet, alterū verò nihil mouetur.

Cur ea, quæ in vorticosis feruntur aquis, ad medium tandem aguntur omnia? An quia magnitudinem habet quodcunque fertur: quam ob rem illius extrema in duobus sunt circulis, hoc quidem minori, illo verò maiori: quare maior distrahit, quoniam celerius fertur, & transuersum impellit illud ad minorem. Quoniam autem id, quod fertur, latitudinem habet, & iste rursus idem efficit, & ad interiorem propellit, donec ad medium perueniat. An quia quod fertur, simili se habet modo ad omnes circulos propter medium? Medium enim in vnoquoque circulo æqualiter distat. An quia quorum quidē circumactæ aquæ latio non superior propter magnitudinem, sed grauitate sua circuli celeritatē excellunt, ea necesse est relinqui, & tardiùs ferri. Tardiùs autē minor circulus fertur. Non idē enim in tempore æquali magnus cum paruo reuoluitur circulus, quando circa idem fuerint medium. Quā ob rem in minori circulo relinqui est necesse, donec ad medium perueniant. Quorumcunque, autem superior à principio fuerit latio, ea finiens idem efficit. Oportet enim hunc quidem statim, alterum verò celeritate superare grauitatem: quam ob rem ad interiorem semper circulum relinquetur quodcunque. Necesse enim est quod non superatur, aut in exteriori, aut in interiori moueri. In illo autem, in quo est, impossibile est ferri, quod nō superatur: adhuc verò minus in exteriori. Celerior enim exterioris circuli est latio. Restat igitur, vt id, quod non superatur, ad interiorem trāsferatur. Semper autem vnumquodque proficit, vt non superetur. Quoniā verò peruenire ad medium, finem quidem efficit vt quippiā moueatur, stat autem solūmodo ipsum centrum, ad hoc sanè omnia cōgregari, necesse est:

MECHANICARVM QVAESTIONVM ARISTOTELIS FINIS

xxxiii. xxxiiii. xxxv.

conatur, sentit, & non hominis aut bouis solùm, sed lineæ etiam, ac superficiæ, ac corporis erunt ideæ, necesse est, cum lineæ quædam sit idea, eam priorē reliquis numero differentibus lineis existere, quæ nomen, ac definitionem vniuocam obtinet, pro eo vt isti etiam, qui ideas astruunt, non inficiantur. At enim partes toto priores existimantur, quocirca & hæc lineæ idea secabilis reputari debet, & si quidem non in partes infinitas, in numero certè finitas diuidi necesse erit, quod nec isti negare in animum inducent. Priores igitur huiusce lineæ partes fuerint, quæ idea statuitur, quàm sit ipsa lineæ, cuius partes esse dicuntur. Enimuero diuidi eam posse cum sit lineæ, omnes consentiunt philosophi, cum quantitas omnis sit secabilis: Erunt igitur huius lineæ partes priores, quàm ipsa tota sit: at prima hæc lineæ, & nõ ex aliis enata, cum idea sit, dicitur. Mirari verò posset fortasse quispiam, quid rationi huic authoritatis ex eo accedat, si primam lineam, quæ idea dicitur reliquarum, in partes non infinitas, sed finitas diuidi posse contendunt. An quòd conuenientius, multòq; aptius hoc dici videtur, si in partes finitas quantitatem secari concedant? Protinus enim ex his partibus finitis magis appositi continuam lineam architectari videbuntur. Nam is, qui in partes infinitas lineam diuidi posse ad stipulabitur, eadem ratione ex infinitis etiam componi eandem affirmabit. Principia autè finita rerum omnium potius videntur constituenda, cum infinitorum neque scientia sit vlla, neque apta coagmentatio. Aut dicendum fortasse hoc modo est, hæc Aristotelis verba aduersus ideas instituta, quibus eas generatim refelleret, vt si quantitatum ideæ sint, eas instar linearum diuidi posse, ita quæ ex his coalescunt figuræ, scilicet τὸ ἀπὸ τῶν γωνιῶν & ἀπὸ τῶν ἰσῶν, nata ἐκ τῶν ἀποτογραμμῶν, & omnino fore vt superficies quælibet, corpusque quodcunque secari posse videatur. Plato autem insecabiles, & ἀπαθῆς ponit ideas. Licet autem aliter etiam respondere, Platonicos cum ideas harum rerū statuūt eos voluisse eo ipso quòd nominaret ideas nõ secabiles, sed indiuiduas quantitates quasdam constituere, vt τὸ ἀποτογραμμῶν posita idea, necesse illi non esset & hanc admittere, quòd diuidi apta esset, eoque factò immobilitas huius, ἢ τὸ ἀπαθῆς, id est, patiendi carentia tolleretur, quemadmodum de ideis omnibus sentiunt: quòq; magis primam hanc lineam insecabilem repræsentarent, hoc argumento vfos arbitrandum, & si hoc modo alterum argumentū intelligatur, nõ omnino pessimum videbitur. Tertium est, si corpora quædam sunt elementa: elementis verò prius nihil, partes autem toto priores, insecabilia sanè erunt elementa, vt ignis, & reliqua, propterea ne prius aliquid ipsius elementis statuatur: nam si diuidi possent, partes priores elementorum, quàm ipsa tota elementa, videri possent. Ex quo sequitur illud, vt non modo res intelligibiles, quemadmodum Deus, & intelligentia sint indiuiduæ substantiæ, sed in rebus etiam corporeis, & sensibilibus quiddam sit, quòd diuidi nequeat, vt elementum, vt ἀποτοτρίγωνον, & ἀποτέλει γωνιον. Et quorsum hæc, dicat fortasse aliquis, quid ad præsens pertinebunt, quòd isti probare moliuntur, magnitudines non infinita, sed finita sectione diuidi posse. Quare dicatur illud, & cuius gratia

hoc argumento vtantur, mox planū faciat. Isti quidem non modò ideas indiuiduam, insecabilemque posuerunt, sed elementa quoque vt ignem, & reliqua, vel potius τὸ ἀποτοτρίγωνον, & ἀποτέλει γωνιον, & ex eo cõuincere volere non modo non omne corpus infinita partitione dissecari, sed simpliciter quædam corpora insecabilia. Elementa enim cum sint corpora, non diuidi posse, quòd non primis his corporibus priora constituantur quædam, scilicet partes toto priores: syllogismus autem demonstratiuus videtur. Principiorum non sunt principia, vt partes totius: elementa sunt principia, quare eorum alia non erunt principia, vt partes totius, quare in partes non diuidi poterunt vllas. Maior per hypothesein ita sumi queat cum disiunctione. Hæc corpora diuidi possunt, aut non diuidi: si diuidi possunt, ergo partes toto priores, & ita primis erit prius aliquid: elementa autem prima sunt, diuidi igitur in partes non possunt, insecabilia igitur. Syllogismus est in tertio modo hypothetικῶν, qui sublato altero, statuit alterum. Quartum, Zenonis est, cum inquit, fieri nõ posse, vt tempore finito infinita quispiam attingat cum mouetur: vt hora vna si quis stadium transeat, quòd si stadium secari in partes infinitas possit, attinget, qui stadium pertransit tempore finito, puncta infinita. Aliter quoque hanc diuisionem infinitam destruere conatur: Prius, inquit, necesse est, quàm totum trãseas spatium, dimidium perambulare. Prius verò quàm hoc dimidium absoluas, huius rursus dimidium permeabis antea, & iterū huius, ita vt diuisio hæc in dimidia nunquam desinat. Pròinde cum infinita pertransit, tempore finito, quòd super lineam mouetur, & celerius tempore æquali plus spatii conficiat. Pernicius enim quòd mouetur (vt in Physicis expositum est) æquali tempore maius interuallum, minori tempore æquale, & interdum maius absoluit: motus animi, qui velocissimus est, quamlibet diuisionem percipiens numerabit. Nam hoc modo moueri dici solet, futurū me hercle est, vt finito tempore infinita enumerer. At si impossibile hoc sit, erit profectò lineæ insecabilis quædam. Aliud argumentum à mathematicis ductum est. Etenim si detur symmetras, id est, commensurabiles esse lineas, necesse fuerit insecabilem quandam lineam existere. Symmetras enim lineæ dicuntur, quæ lineæ eadè mensurantur. Quæcunque igitur symmetras, hæc mensuram talem capiunt omnes. Erit itaque longitudo quæpiam, quam mensurabuntur omnes, quam insecabilem esse necesse est: si quidem ea secari possit, partes hæc mensuram admittent respectu totius. Nam partes symmetras sunt toti, habebunt igitur partes & totum mensuram communem ex definitione symmetri, & rursus hæc ipsa mēsurā diuidetur, & simili ratione alia vestigabitur mensura, & huius iterum alia: quæ progressio nunquam cessatura est. Quo fiet, vt nõ vna mēsurā omnium symmetrarū linearum dari queat. Erunt enim hoc modo infinitæ mensuræ, sed symmetras omnes habere vnā mēsurā constat. Stabitur igitur in vna aliqua prima, quæ insecabilis erit, & cuius multiplicatione omnes symmetras compositæ erunt. Idem quoque, inquit, accidit in superficiebus, non modò in lineis, ex quibus describuntur figuræ. Omnes figuræ etenim huiusce-

libr. 6. phys.
Argumentū à celeritate & tarditate motus.
Numerare est moueri, moueri euenit per infinita, ergo tempore finito numerare infinita contingit falsum experientia probat.

modi ex rationalibus vt vocant, lineis progenerantur. Sunt autem rationales, siue, vt Græci vocant, ῥητὰ, ad quas rectè si comparentur, innumerabiles, vel symmetras, vel asymmetras nominantur, ad se ipsas: vicissim verò vel symmetras sunt, vel non sunt, vel potentia solùm symmetras. Omnes autem figuræ ab eiusmodi lineis productæ symmetras existunt, quam ob causam & hæc communi quadam superficie mensurabuntur, & similis ratio in his erit, quæ in lineis ponitur esse, & eodem modo mensura indiuidua, vt non solùm oporteat lineam insecabilem, sed superficiem quoque eiusmodi existere. Quòd verò omnia non omnibus symmetras sint, ea diuisio ostendit, quæ est in binomiis: vt in 10. Eucl. pro. 42. ostenditur dilucidè, quo in loco inquit geometra, binomium vno duntaxat puncto in nomina diuidi: quæ quomodo intelligi debeant, mox explicabimus. Inquiunt autem, si quæ mensura secundum certam lineam & definitam diuisa sit, neque ῥητὴν, neque ἀλογον fore, quemadmodum sit apotome ex binomiis sumpta. Secundum se ipsas enim nullam habituras eiusmodi naturam: ad alias enim comparatas fore & dici consueuisse ῥητὰς, ἢ ἀλόγους. In primis verò declarandum hoc loco est, quid ῥητὸν, quid ἀλογον, quid συμμετρον, quæ uerè ἀνιμάται, deinde argumenti vim demonstrabimus. Symmetras quantitates dicuntur, quæ quantitate eadem mensurantur, siue quæ proportionem obtinent inter se collatas, sicuti numerus ad numerum, vt 16. ad 24. communis enim mensura quaternarius est. Asymmetras verò nominantur, quarum nulla communis mensura cõstat, & in numeris quidem ἀσυμμετρον nullo modo secundum latitudinem, quemadmodum in superficiebus depræhenditur. Nam tamen si nullus eos numerus communis mensuret, vnitas tamen aliquoties repetita vtrosque mensurabit: quo fit vt eiusmodi numeri cum reliquis omnibus respectu vnitatis dici queant συμμετρον. Primi autem Pythagorici in magnitudine rationem, & modum τῶν ἀσυμμετρῶν repererunt, ob diuisionem, quæ in his ad infinitum vsque pergit. Lineæ verò rectæ symmetras dicuntur longitudine simul & potentia: vel potentia solùm, non autem longitudine. Si quidem longitudine commensurari queant, potentia quoque symmetras esse necesse est: vicissim autem & è regione non oportet. Res autem meliùs isthoc exemplo liquebit. Esto lineæ sex vnitate designata, altera quatuor, erunt sanè duæ illæ symmetras secundum longitudinem. Metitur enim mensura communis, binarius scilicet numerus, vel lineæ, quæ duas vnitates in se continent. Illæ etiam lineæ efficere magnitudines ac superficies possunt, ac potentia in se ipsis superficies commensurabiles includunt. Senarius enim in se reductus efficit 36. quaternarius verò in se ipsum 16. procreat. Atqui 36. & 16. symmetras esse constat, adeoque quaternario mensurari. Quæ verò potentia commensurantur, non protinus longitudine etiam commensurabiles existunt, quam rationem diameter, & costa eiusdem quadrati dilucidè ostendunt. Esto igitur secundum nouenarium descriptum quadratum, quòd sanè diametrum obtinebit, vt quadratum ex ea descriptum duplam habeat proportionem ad quadratum, cuius est diameter, siue ad

lateris quadratum: quocirca quadrata quidem symmetra habebuntur. Nam duplum ad dimidium duplum esse nemo inficiabitur. Lineas verò ipsas latus scilicet ad diametrum incommensurabiles longitudine esse necesse fuerit, quanquam potestate sint symmetras. Possunt enim hæc lineæ in se ipsas ductæ symmetra quadrata producere, quorum vnū ad alterum se proportionem dupla habeat. Si verò quispiam contentiosius asserens, dicat eas lineas non potentia duntaxat, sed longitudine etiam symmetras, is absurditatem hanc vitare nõ quibit, quin imparem numerum, 9. scilicet æqualem statuat pari, 8. scilicet. Nam nemo nescius est, partem dimidiatam 16. esse 8. Porro ex latere in se ducto, vt antea diximus, quadratum alterum subduplum maioris creabatur. Minus itaque quadratum hoc, dimidium maioris quadrati fortietur, 8. scilicet: minus verò quadratum nouenario censebatur numero 8. igitur, & 9. pro eodem, & æquales haberi debent, quòd magna absurditate laborare cernis. Quòd si diametri quadratum à costa, quæ diametro commensurabilis sit, generari dicatur, vt si latus sit ternarius, diametros autem quaternarius, hoc etenim modo lineæ commensurabuntur etiam longitudine, efficietur quòd à diametro producit tetragonum sedecim: erit me hercle is numerus & duplus ad octo, & rursus ad nouem duplus. Nam quadratum lateris nouenarius est, quo duplo maior superficies quadrati ex diametro producta geometricis demonstrationibus ostenditur: rursusque fit vt par numerus æqualis impari necessariò statuatur, quòd vt absurdum, ita impossibile esse videtur. Porro autem proposita vna quapiam lineæ, qualiscunque ea sit, ad quam reliquæ si comparentur, vel symmetras inueniantur longitudine, & potentia, aut potentia solùm, vel asymmetras, eiusmodi lineæ à Geometricis ῥητὰ appellatur, quasi signum propositum quoddam dicas, & confessum. Nam quæ confessa, & definita sunt, ῥητὰ vocare solemus, vt cum dicimus ἐπὶ ῥητῆς συμφωνίας, id est, constitutis & descriptis concentibus. Illud tamen nomen ceu suum quoddam vsurpant Geometras. Quæcunque igitur proposita lineæ fuerit, hæc ῥητὰ dici consuevit: & quæ illi symmetras existunt, siue longitudine, siue potentia, siue vtroque modo, ῥητὰ appellantur. Quæ verò ad eam sunt asymmetri, ἀλογον, inquit, Geometres vocentur, & quòd à proposita rationali describitur quadratum rationale, vel, vt Græci, ῥητὸν: quæ verò illi quadrato commensurantur alia quadrata respectu eiusdem ῥητὰ dici solent: asymmetra verò illi ἀλογον nominant. Symmetron igitur, & asymmetron, in magnitudine natura existit, ῥητὸν verò, & ἀλογον positione, vt exempli gratia, propositæ cuiusdam lineæ hæc statuamus esse ῥητὴν, vt symmetron: illam verò ἀλογον, vt asymmetron: & rursus hanc ῥητὴν respectu alterius ἀλογον esse, & ἀλογον respectu alterius ῥητὴν pronunciamus. Inquit autè Geometres, lineæ ex duobus nominibus composita, siue ex duabus rationalibus, siue confessis, secundum vnicum tantummodo punctum diuidi potest in sua nomina. Eiusmodi itaque ῥητὰ potentia tantum sunt symmetras, cuiusmodi lineæ communem mensuram, qua vtræque mensurentur, non habent, cum tantum hoc assequantur, quæ longitudine

quoque symmetræ existunt, non solum potentia. Quocirca non quælibet cuiuslibet commensuratur, sed hæc quidem oblatæ cuiuslibet & longitudine, & potentia symmetros cernitur, alteri fortasse potentia solum symmetros existit, ut in sectionibus binomiorum accidere consuevit, & comparatione literis ad diametrum. Eiusmodi enim lineæ cum longitudine sint asymmetræ, quadrata tamen earum symmetra esse constat, quas lineas Euclides *ῥητὰς* appellat. Quædam verò ad quasdam collatæ, neque longitudine, neque potentia symmetræ sunt, quas vocat *ἀλόγους*. Cum itaque ex duobus nominibus composita linea vno tantum signo, aut puncto diuidi queat, ita ut ambæ *ῥητὰς* dici possint, & potentia symmetræ: quolibet autem puncto alio secari nequeat, ut *ῥητὰς* partes istius lineæ dicantur, sequi videtur, binomium eiusmodi ex infecabilibus compositum, eiusque vnam duntaxat diuisionem existere, qua lineæ efficiuntur duæ mensuræ eorum quadratorum, quæ ex ipsis producuntur, quæ ipsa quoque symmetra existunt, quorum mensuræ etiã sunt infecabiles, ut modò ostendimus. Etenim si diuidatur mensura secundum lineam certam & definitam, ea neque *ῥητὰς*, neque *ἀλόγους* erit, si ipsam per se contempleris. Dicuntur enim mensuræ, ac lineæ hoc modo, nominationesque; tales obtinent respectu aliarum. Concludunt verò ex his, atque inferunt ita, cum linea composita ex duobus nominibus in vno solum puncto diuidi queat, quo lineæ efficiantur *ῥητὰς*, & potentia commensurable, alio verò puncto nullo diuidi possit, sequitur ut binomium ex impertibus compositum sit lineis. Argumentum hoc planè sophisticum est. Non enim si linea in rationes aliquas, aut proportiones diuidi apta non sit, propterea simpliciter etiam indiuidua reputari debet, aut infecabilem esse necesse est omni ex parte. Hæc sunt, quæ philosophus de aduersariorum sententia exposuit, cui contradicere, & quãtum fieri potest, eadem refutare argumenta nititur. Primum omnium inquit, id, quod infinitas sectiones admittit, non eo modo magnum, paruūque dici debere, quo isti putant. Dicimus verò, & pronuntiamus locum, & magnitudinem, & quæcunque de genere continuorū sunt parua, in nonnullis etiam paucitatis nomen usurpamus, ut his, quibus hoc nomen propriè quadret, quando scilicet determinatam quantitatem continuam ostendere lubet, ut in tempore & paruum, & paucum temporis dicere consueuimus, ut paucum tempus duas horas, aut tres arbitantes: non verò, inquit, excludimur propter paruitatem à diuisione continui. Potentia enim, qua diuidi quantitas quælibet continua potest, etiam illi paruo inerit. Prætereà, si compositæ lineæ, quatenus lineæ existunt, in puncto diuidi posse dicantur, quanquam paruum esse prædicetur de infecabilibus quod statim obiciunt, nihilò minus puncta tamen huic infinita insunt, potentia: quod necesse est, ut ipsi quoque fateantur, cum lineæ omni puncta inesse concedunt. Hæc verò atomos linea, sit linea: qua igitur ratione linea existit, ea non minus habebit puncta potentia infinita, quam quælibet aliarum, quæ compositæ dicuntur. Quod si punctis prædita sit, secundum quamlibet etiam proportionem eam diuidere licet, quemadmodum quælibet non infecabilis diuidi po-

test. Adhæc, constat magnum ex paruis quibusdam componi: ut autem ex his quibusdam videtur, atoma, & impertia parua nominari debent: vel, ut alteris huius sectæ hominibus arridet, paruum dicitur, quod sectiones subit definitas. At quæso ab illis, quid tandem magnum erit, si magnum aliquod in pauca quædam infecabilia diuidi accidat, totum autem quodlibet magni instar diuiditur, qualecunque tandem totum istud appelletur. Ad partes enim suas comparatum magnum dicitur. Melius autem dici videtur magnum esse, quod infinitarum sectionum sit capax: paruum verò, quod finita diuisione consumatur. Infinita autem eiusmodi impertia infecabilia erunt parua, aliquando etiã non protinus in hæc atoma parua, sed parua, quæ diuidi rursus poterunt numero quidem illa finita disseccabitur, quarum partium quælibet pro natura eorum, quæ parua dicuntur, rursus secabitur in partes finitas. Nam paruum definitum ita est, quod secaretur in partes finitas. Rursus verò partes huius parui in alias, rursus hæc in alias. Necesse enim illud est: si quidem si in minima infinita magnum totum secari necesse sit, parua autem per hypothesein semper diuidentur, quoniam definita sunt mediante diuisione, & hoc modo etiam necesse fuerit diuisionem infinitam non definire. Manifestum igitur est, rationem parui, magni; in eo non constare, quod paruum definitas obtineat partes, magnū verò indefinitas subeat diuisiones, ita ut propè illi, qui hoc pacto definiunt, minimum illud & infecabile abiicere, repudiareque; videantur, cum ne paruum quidē hoc ausint appellare. Si quidem, quemadmodum ostendimus, paruum omne secabile existat: paruo enim minus quiddam esse semper poterit, etiam si paruum finitis sectionibus diuidi concedatur, nihilò minus paruo si minus semper capiatur, diuisio nunquam cessabit. At verò si quis propterea quod in numeris, quod paucū dicitur, finitam diuisionem obtineat, eo modo definiendam quoque; in lineis paruitatem existimet per-ridiculè is arbitrabitur. In numeris enim ex infecabilibus vnitatebus coagmetatio fit, atque in his principium quoddam est, & paucitas: definita verò super stadio, definito tempore quippiam, super infinitis, infinitaque attingens res ut moueatur necesse fuerit: & prætereà si quod celerius mouetur tempore æquali maius spatium cōficit quam tardius, motio verò animi celerrima, perniciosissimaque est, quæ aliud tamen nihil sit, quam numeratio: numerabit igitur tempore finito, infinita. Zenon id, quod potentia est, in id, quod actu dicitur, transmutans, absurda hæc cōclufit. Hoc sophisma Philosophus ita dissoluit, inquiens: Non finito tempore, infinitas partes stadii, id quod super eo fertur, contingit, sed fertur quoque; tempore infinito. Nam quò pacto stadium, eodem tempore quoque; infinitum dicitur, atque finitum: & quemadmodum tempus finitum est ob extrema quibus clauditur, ita longitudo quoque stadii, & quemadmodum tempus diuisionis gratia infinitum appellari consuevit, ita magnitudo etiam infinita dicitur ob diuisionem. Zenon ita paralogismo vsus, aliter finitatem temporis, aliter stadii accepisse videtur. Tēpus enim, quod est ab ortu Solis vsque; ad occasum, cum quemadmodum longitudo, secabile sit, in partes infinitas, finitum sumit esse pro-

pter terminos, non verò ad modum simile stadium quoque extremis finitum cōstituitur. Pròinde etiã inquit philosophus, numerare non est ita singulas percurrere partes magnitudinis percensendo, si forte quis putet animum quodlibet infinitarum partium attingere: qui enim posset fieri ut tantillo tempore actu infinita attingeret? Motio enim animi nõ ita continua est, neque in subiecto aliquo cōtinuo, quemadmodum quod loco cietur: & tamen si concedatur animum moueri modo quodam, tum motus is numeratio non esset, cum sit enumeratio nõ continua, sed quiete etiam quadam intercedente progrediatur. Sed admodum ridiculum est, cum rationem soluere quamquam non possis, se imbecillitati ingenii mancipare, & infirmitate animorum incitatos, in grauios errores immergi. Quod verò dicitur de symmetris lineis: ternarium enim, nisi quis dualitatem forte dixerit, vel vnitatem, non appellamus numeros, sed principia numerorum, hanc imparium, illam verò parium. Numerus etiã quilibet finitas habet diuisiones, in magnitudine verò res non ita habet. Nam eam partiri in partes infinitas possumus, quemadmodum numerum infinita accumulatione augere, vnde in numeris paucitas est definita, multitudo infinita, in magnitudine vastitas determinata. Nam cuiusque rei certa & definita magnitudo est, neque maius corpus cælo esse possit, paruitas autem indefinita. Et hæc quidem philosophi sunt responsa aduersus primum epicherema. Alterum argumentum fuit, quod sumebatur ratione idearum. Eas enim cum magnitudines quasdam esse dicunt, indiuiduas fecerunt, quò principiis istis, & primis prius nihil statueretur, partes harum scilicet. Inquit igitur eos, qui inter ideas collocant infecabiles lineas, exiliorē non minus astruunt, inanimatam sententiam afferunt proposita, quam nos refellere conamur: nam eo ipso, quo confirmare propositum nituntur, ea demoliri ipsa, & tollere è medio videntur. Nam ratione hac consistere ideæ non possunt. Vocat autem *ἐλαττορ ἀξίωμα* Aristoteles, quod incredibilis alicui videatur: putatur enim verius infecabiles quasdam magnitudines, quam ideas esse. Velle igitur in credibiliore sententia, quod verisimilius est astruere, perquam absurdum videtur, & eò quidē magis, cum per ea, quæ aliquo modo probabilia existunt, id, quod impendit incredibile videatur, refellere nos existimemus. Certè his quoque concessis, ideas tolli necesse est, quoniam quidem cum ideæ magnitudines quædam sint, diuidi posse necessarium fuerit easdem. Quam ob causam neque immobiles erunt, neque *ἀπαθῆς*, quemadmodum idearum authores statuunt. Contra argumentum tertium instat philosophus, quod ita habet: Elementa magnitudines quasdam esse: eas verò, si disseccari possint, tum principiorum fore principia alia, nempe partes elementorum, totis elementis: atque horum opinionem hoc modo refutat Aristoteles, inquiens leuiculum esse corporeorum elementorum infecabilia quædam statuere. Tamen si verò nonnulli hoc modo declarare videantur moliri, conarique, id tamen, quod à principio est propositum non probare sed petere videntur. Multò enim magis, quod id petere videntur quod probandum esset, videntur propterea cōfirmare magnitudinē quam-

libet, ac corpus secabile existere vastitatis ratione, distentionisque respectu. Quomodo autem quod à principio est, petere videntur? Quoniam illo quæsito proposito an corpus quodlibet secari queat, an verò quoddam sit infecabile, isti homines quasi confessum sit, confestim ad elementa confugiunt, dicentes, ecce tibi elementa sunt corpora, & ea indiuidua, quare & aliæ quædam magnitudines esse possunt. Quæ cum ita defendunt, nihil consecuti videntur aliud esse, quam ea corpora, quæ ipsi vocant atoma, suo ipsorum argumento secabilia demonstrant, cum ad probationem ea assumant, quæ sine controuersia diuidua ostendi possint ab istis, quibus corporibus secabilibus demonstratis, eadem ratio in reliquis etiam haberi videatur infinita sectionis in magnitudine. Nullo autem negotio infecabilitas elementorum refellit, nec ratione, sed sensu duntaxat fides quærenda. Sensum enim deserere, & eo relicto rationem quærere, ut absurdum, ita perquam ridiculum apparet. Qua perueritate plerique capti, & viri, & eius, quod deceret, nullam rationem perceperunt: ut Parmenides quoque, qui ens vnum assererat, & Zenon, qui motū negabat, & complures alii sunt hallucinati. Quartum epicherema Zenonis est, quo ipse vsus est motū respiciēs. Si, inquit, diuidi stadiū in partes infinitas queat, moneat eas communi quadam mensura vniversas dimetri nos posse, admodum sophisticū videtur, nec hypotheses, quæ in geometria statuuntur, illud mehercle admittunt: neque enim uero supponit ad huc modum, neque cōmodum etiã est ut illud cōcedat. Adhæc cōtraria videntur, omnē lineam symmetrā fieri, deinde statuere quarūlibet nõ fieri, sed esse mēsurabiliū linearū mēsuram. Quocirca ridicula admodum sunt, quæ sentiunt, & quibus demonstrationes cōficere se putāt. Nam his neque litigiosam, neque sophisticā rationē effugiunt. Etenim propter infirmitatē probationum minimè potest oratio illorū hominū, vel absurda, quæ cōtrā proferuntur, vel redargutiones, cōtradictionesque; euitare. Mathematici sanè linearū, quæ cōmēsurantur, cōmunē statuūt esse mēsurā, sed eā nõ indiuiduam cōcedūt, sed eiusmodi quāpiā, quæ & ipsa possit alteri cuiuspiam cōmēsurabilis existere, accepta alia communi quadam ambarū mēsurā. Etenim nouē cum triginta sex mēsuret, vnūque; & octoginta, priorē quidem secundū quaternariū, alterū secundū nouenariū, nihil impedit quò minus 9. & cū 21. cōmēsuretur, cum ternariis vtrorūque; cōmunis existat mēsurā, illius quidē secundū ternariū, huius verò secundū septenariū. Linea verò quælibet ad quasdam cōmēsurabilis, ad alias verò quasdam asymmetros reputatur, quapropter nõ verè dicitur, quaslibet quibuslibet commensurabiles esse, aut omnes mēsurā cōmuni inter se cōparari, cum hæc ad hunc modum symmetræ, aliæ sint ad modum aliū cōmēsurabiles. Ex his itaque constat, has rationes valere nihil, nec cōcludi ex his indiuiduas esse lineas. Porro autē ex his, quæ à mathematicis dicuntur, demonstranturque; liquere euidentissimè poterit, quas ipsorum rationes, nisi probabilioribus nos opponamus, pugnemusque; argumētis, refellere nõ debemus. Si enim linea sit infecabilis, & recta, nimirū illi definitio vtriusque; quadrabit & lineæ, & recte: definitio autē impartibile vtriusque; cōuenire nequit, cum propterea quòd ea neque; mediū quo-

rundā esse queat, tū quod neq; ipsa in se mediū possideat. Nā linea infecibilis quomodo tādē cur longitudo, & sine latitudine, cum ipsa infecabilis existēs, intra superficiem dari nequeat. Quemadmodū enim punctum in medio duarum linearum potentia est, cum vna & continua linea adhuc existunt duæ illæ potētia, cum verò actu diuisa in puncto fuerit, tum punctum actu secundum diuisionem cōstituitur: ita quoque linea duas continens superficies, cum actu superficies dissecta fuerit, & duæ superficies actu constitutæ sint, linea sanè actu existēs, actu diuisionem factam monstrabit: ea verò cum posita sit atomos, & dimensionis expers, quo pacto medium fuerit inter superficies duas, quæ ratione latitudinis diuiduntur. Neceffe itaque fuerit cum superficies in partes duas cadat, eam dissectionem propter lineam accidere, atque isto modo ratione infecabilis etiam lineæ dissecabitur superficies: aut si respectu atomæ lineæ superficies non diuidi possit, sequitur etiam vt superficies duæ ne coniungi quidē secundum illam possint: quod tamen cum primis lineæ naturam non obscurè indicat, neque proinde diuisionem sustinebit ipsa etiam cum sit atomos, quæ conditioni linearum ambo repugnant. Definitio quoque huic non quadrabit, si indiuidua recta linea statuatur. Recta enim est, cuius medium extremis adiunctum æquabiliter est. Præterea secuturum est lineas omnes esse symmetras. Quæ enim ratio differentia assignabitur, hanc infecabilem vnam mensurare, alteram verò non posse mensurare? Cū enim impartibilis existat omnibus ceu mensura, ex æquo accommodabitur, siue actu, siue potentia solum commensurabiles sint. Tertio, cum ex datis tribus lineis triangulus cōflari queat, etiam ex tribus atomis triangulus componetur: in quolibet verò æquilatere cathetus ducta in mediam cadit, ac in partes duas dissecat. Sed fieri hoc non possit, si impartibilis foret linea: intermediam enim lineam indiuidua non admittit. Quarto, linea eiusmodi atomos addita alteri compositam maiorem non efficiet: nam infecabilia accumulata mollem non attollunt, nec granditatem efficiunt. Quinto, ex impartilibus duobus continuum nullum procreatur, quoniam continua linea plura semper duobus infecabilibus obtinet. Futurum autem esset, vt præter infecabilem hanc, nulla etiam reliquarum penitus linea continua existeret: quod falsum cum sit, neceffe etiam fuerit, indiuiduam lineam nullam statuere. Sexto, linea omnis aut finita, aut infinita est: atomos certè, vt sit finita oportet: quare & fines possidebit. Finis autem nullus, quàm ipsa met sibi fuerit, quod absurdum est: aut fines si obtineat, diuidi poterit. Aliud enim finis, & id, cuius finis dicitur. Aut profectò linea diceretur esse quædam, neque finita, neque infinita. Septimo, non qualibet in linea punctum erit: nam in ea, quæ diuisionem respuit, nullum inerit. Quod si in indiuidua linea nullum insit punctum, in nulla profectò aliarum punctum designari queat: nam reliquæ ex his componuntur. Octauo, aut nihil inter puncta duo, aut omnino lineam interuenire oportet. In linea verò qualibet plura vno puncta designari possunt: quare inter puncta duo atomos linea poni non poterit. Impartibilitas enim soli puncto vndiquaq;

propria videtur. Nonò, quadratum omne partibile, ex lineolis verò eiusmodi quadratum impartibile conficietur: quod perquam absurdum deprehenditur, cum quadratum vt superficies & secundum latitudinem, & longitudinem protendatur: quapropter diuidi poterit, sed quod à quatuor impartibus lineolis circumscribitur, quo pacto tandem partitionem sustinebit? quare lineas etiam posse diuidi in hoc quadrato constat. Decimo. Finis, ac terminus lineæ est punctum: quod terminatur autem, linea ipsa est: punctum quidem eò quod finis impartibilis existit. Quare lineam, cum finis ipsa non sit, sed cui finis accidit, partibilem esse neceffe est. Quod si lineam finem lineæ alterius contendat quispiam, deprehendetur linea quæpiam maior altera ratione, ac respectu puncti: siquidem linea & hæc infecabilis pro termino constituitur. Linea verò quælibet, altera quacunque si maior dicatur, secundum lineam maior dicitur: si verò insit illi quoque indiuiduæ, (quæ vt terminus alterius lineæ posita est) punctum, quo terminatur (nam continuarum linearum terminus idem est) sequitur vt finis, ac terminus totius lineæ, non sit impartibilis. Nam secundum hypothesein hæc infecabilis terminus alterius, rursus ipsa etiam puncto terminari asseritur. Quod me hercle tantum abest, vt cum ratione consentiat, vt nihil magis ab ea videatur abhorrere. Omnino autem his concessis, punctum à linea nihil differre videbitur: nam excepto nomine, peculiare linea eiusmodi à puncti natura nihil obtinebit. Vndecimo, Mox secuturum est vt & superficies, & corpus quoddam infecabile concedatur: quoniam altero concessio, protinus reliquum dari oportet: quoniam alterum respectu alterius diuisionis capax dicitur, vt corpus respectu superficiei, & superficies ratione lineæ: corpus autem, cum tres habeat dimensiones, secabile omne existere neceffe fuerit: quare lineam quamlibet partibilem esse oportet. Duodecimo, Si linea, & tempus quoddam impartibile est, sed quæ in tempore infecabilia statuuntur, sunt instantia, & nunc ipsa, quare tempus etiam ex instantibus constabitur: sed tempus ex instantibus non componitur: alioqui enim sibi mutuò coaptata essent. Sed non possunt vlllo modo cohærescere, cum non consistant, quare nec puncta sibi continua dici possunt: quam ob causam composita impartibilia magnitudinem nullam efficient, quoniam congesta hæc maiorem locum non occupabunt. Linea quidem lineæ addita placentiam maiorem non efficiet, quotcunque numero tandem congereris: ita quoque res habebit, si puncta infinita congeras, amplius spatium hæc non occupabunt, cum ne locus quidem vllus secundum se punctis attribuat, quocirca magnitudo continua nulla ex impartibus attolletur, nec puncta conficient lineam, neque instantia tempus constituent. Decimotertio, Si linea sit ex punctis, vt quidam dicunt, punctum puncto cohærescere neceffe fuerit: sed punctum cum infecabile sit, connecti cum alio nequit. Quod enim connectitur cum altero, aut vt totum cum toto, aut vt pars cum parte coniungitur, aut vt parte aliqua cum toto cohæret. Sed partem linea non habet: quare eodem modo non cohærent, & apta puncta sunt inter sese. Quod

Quod si totum toti alteri puncto cōnexum stauas, vnum planè, & infecabile fuerit quod ex vtrisque componetur. Decimoquarto. Quo pacto efficiuntur altera recta, altera circularis linea. Nam neque quo ad coaptationem, neque quo ad puncta differentia vlla erit inter rectam & circularem. Impartibile enim si attingat impartibile, totum cum toto coniungi neceffe est, an potius minimè atoma cohære inter sese posse dicendum est? Constat autem, lineas specie differre hæc inter se, coaptationis verò nulla differentia: quare ex impartibilium connexionem linea nulla constabit: alioqui eandem rectam, & circularem fateri adigeremur. Sequitur igitur, vt ex atomis compositio nulla existat. Decimoquinto. Si verum esset, quod isti asserunt, tum resolui omnia in puncta neceffe foret. Nam corpora in superficies, hæc verò in lineas, quæ porro distraherentur, ac discerperentur in puncta: quare merito rerū omnium elementa statuentur puncta esse. Ex his itaque oppidò quàm conspicuum est, lineam neque ex punctis componi, adhæc lineam nullam impartibilem existere, quin potius infinita sectione diuidi quamlibet posse. Punctum sanè cum finis sit

lineæ, est minimum quiddam, linea verò minima nulla est, sed data quacunque, minor designari potest semper diuidua. Quemadmodum itaque quod in ædificio minimum est, nec quicquam illi, quod ad rationem structuræ pertineat, adfert, pars ipsius nullo modo dicitur: ita similiter in reliquis etiam res habebit. Quid enim, queso te, ad spheram adicit, seu albo, seu atro colore depicta sit? quid statua auctior erit, siue à dextra, siue sinistra oppidi partem locatam dixeris? ita nec quod minimum est lineæ vllum mouentum attulerit, punctum scilicet. Nam id substantiæ lineæ prorsus addit nihil. Quam ob rem quod minimum quiddam appellatur, ea appellatio lineæ non quadrabit: in ipsa verò id, quod punctum, & terminus nuncupatur, rectè minimum appellari poterit, nihil scilicet lineæ adferens. Ex quo sequitur, lineam indiuiduam nullam existere.

FINIS LIBRI DE
LINEIS INSECA-
BILIBVS.

COELIVS

Argumētum
à tempore.

Argumētum
à loco.

COELIVS CALCAGNI- NVS LECTORI S.



Vam operosum sit de coloribus agere, & quam sinuosa sit ea materia, quæ colores pertractat, nemo profectò intelligit, nisi qui se priuatim in illa exercuerit. Tanta enim est colorum multitudo, tã multiplex coagmentatio, tam lubrici transitus, vt non aliunde Arcesilas commodiùs suam illam ἀκαταληκίαν probauerit. Cicero varietatem propriè in coloribus nasci, hinc in alienum migrare existimauit. Certè non alibi Natura copiosius, aut maiore lasciuiâ opes suas commendauit. Metalla, gemmas, marmora, flores, astra, omnia denique, quæ progenuit, suis etiam coloribus distinxit: vt venia debeatur, si quis in tam numerosa rerum sylua caligaue- rit. Vergilius Marcellus solas colorum nuncupationes ex floribus pollicitus, cum rem cominus fuisset aggressus, cognouit multò esse facilius rem tam operosam polliceri, quàm præstare. Difficultate itaque victus, in causa ampliùs pronuntia- uit. Quare præclara omnia ingenia hortamur, vt assiduè in tam eximia Naturæ spectatione versentur, Quò enim res est difficilior, hòc erit gloriosius, rei difficul- tatem peruicisse. Quod verò ad hunc libellum pertinet, eum arbitramur, ex duo- bus, quos Aristotelem scripsisse testatur Laertius, in vnum coaluisse. Sanè phrasis, & obscuritas, quasi sepia atramentum, multis locis aspersum, non multùm abest à vernacula Aristotelis consuetudine: id, quod fortè mihi videri potuit, qui veluti in procinctu hanc operam transegi, vnus tantùm exemplaris præsidio adiutus: vt gratiam vltro sim habiturus, si quis in hanc caliginè, quam vel culpa ingenii, vel necessitate coactus, parum extersi, faces aliquando inuexerit. Bene vale.

ARIST

ARISTOTELIS STAGIRITAE DE COLORIBVS LIBER,

Cœlio Calcagnino Interprete.



FX coloribus hi-
simplices sunt,
quicunque ele-
mentorum natu-
ram consequun-
tur, ignis puta,
aeris, aquæ, ter-
ræ. Nam aer, &
aqua sнопте in-
genio alba sunt:
ignis contra, &
Sol flauo colore
censentur: terra rursus natura sua alba est: intinctio-
nis autem causa sese multicolorem ostendit. Id con-
fessum facit cinis. Adusto enim humido tincturæ
opifice, albus redditur cinis: sed non planè albus,
quòd fumo scilicet intingatur, qui niger existit. Ob
id & lixiuuii flauu efficitur, eò scilicet, quòd flam-
meum est, & nigrum, in aquam colorem inuehente.
Atqui niger color consequitur elementa, quoties
inuicem commutantur. Reliqui autem, medii scili-
cet colores, ex iis facile intelligi possunt, reciproca
admissione superueniente. Lucis autem deliquio fit
obscuritas. Tribus præterea modis niger color no-
bis occurrit: vel cum planè quod videtur, sua natu-
ra nigrum est: vel cum ab iis, quæ visibilia sunt, nulla
omnino lux ad visum defertur. Quod enim non vi-
detur, cum locus ambiens videatur, speciem præbet
nigri. Occurrunt & alia omnia huiusmodi nigra, à
quibus & rara, & exigua lux resilit: ob id & nigra
apparent vrabra. Eodem modo aqua nigrescit, ex-
asperata, & fluctibus percita, cum scilicet mare in-
horruerit: lacescita enim, & incitata superficie, pau-
cis in eam radiis incidentibus, luce iam diuisa, ac
dissipata, vmbrosum ipsum nigrum se offert. Nu-
bes etiam, cum egregiè densa est, eadem ratione ni-
gra existimatur. Ob hæc & cum iis aqua & aer, non
penetrante omnino luce, nigra itidem videntur,
cum profunditatem habeant, ob id quòd rari admo-
dum replodantur radii: siquidem lucem, quæ in ipsis
est, intercurrentes particula, omnes nigra viden-
tur, obscuritatis gratia. Quòd autem obscuritas nõ
sit color, sed lucis priuatio, haud sanè difficile est
ex aliis multis cognoscere: tñ ex eo præcipuè, quòd
non est intelligi, quanta, aut quali forma obscuritas
sub sensum cadat, ceu solent reliqua visibilia. Quòd
autem lux ignis color sit, ex hoc persuasum esse po-
test, quòd nullus alius præter hunc ignis color in-
uenitur: & ob id solus hic per se visibilis existit, cum
cætera visibilia euadunt huius beneficio. Illud verò

dignum animaduersione, nonnulla esse ab igne di-
uersa, quæque ignis naturam non habeant, & ea ta-
men lucem reddere. Et si igitur ignis color lux sit,
non tamè ignis solius color est. Nulli quippe alteri
possumus ignis aspectum ferre acceptum, nisi luci:
sicuti & omnium aliorum corporum, quæ corporu
imaginem præ se ferunt. Tunc verò nigrum colorè
effici vsui venit, cum aer, & aqua igne adusta sunt:
propter quod & omnia adusta nigrescunt: sicut ligna,
& carbones extincto iam igne. Eodem modo ni-
grescit fumus exhalans è laterculo fictili, cum infi-
tum laterculo humidum secernitur, & aduritur. Ea-
dem ratio reddit fumum, qui à pinguibus, adiposif-
que provenit, nigerrimum, oleo puta, pice, ræda:
quod hæc maximè adurantur, continuasque partes
faciant. Nigra quoq; illa fiunt, per quæ aqua effluit,
cum primò irrigatis, ac perplutis humidum exicca-
tur: quod in tectoriis parietu est animaduerti. Pari-
pacto & aquatici lapides musco contacti primùm,
mox arescentes atrum colorem contrahunt. Ex co-
loribus igitur tot sunt, ac tales, qui simplices vocan-
tur. At reliqui ex horum fiunt temperamèto, prout
maior, minorve fuerit admistio. Atque ita multas,
variasque reddunt colorum species, secundum plus
& minus, id est, prout intensiores, remissioresve fue-
rint admistiones: quale est puniceum, & purpureu.
Dicti autem temperamenti exemplum sit album &
nigrum, quæ commista imaginem præbent medii
illius, quod φαιον Græci, nos pullum, siue fuscum
appellare possumus. Pròinde & nigrum, & vmbro-
sum luci permistum, puniceum ostendit. Si enim
nigrum ei admisceatur, quæ à Sole, vel ab igne ema-
nat luci, puniceum semper reddi intuemur: & nigra
omnia simul ac incensa sunt, in puniceum abeunt
colorem. Nam & fumidæ flammæ, & carbones, do-
nec accensi sunt, puniceu colorem habent. Ac pur-
pureum illud, floridū, atq; illustre euadit, si id me-
diocri albo, vmbrosoq; , tenues, & iam fracti Solis
radii contemperent. Pròinde in ortiua & occidua
parte aer purpureu colorè induit, tunc cum Sol vel
occidit, vel emergit: quòd eo tēpore infirmi admo-
dum atq; imbecilles radii, obscuru aerè præcellat.
Quin & mare purpureu sese offert, cum sublatis flu-
ctus secundū impulsu, inclinationemq; maris in-
umbrantur: infirmi enim Solis radii ad maris subsi-
dentiã coniecti, purpureu colorè oculis obiciunt.
Idè hoc euenire in auiu pennis animaduertitur: ex-
tensè enim, atq; explicatè certo modo ad lucè, pur-
pureu colorè reddunt. Quòd si minor lux affulserit,
in σφραγιδι, id est, obscuru abit, què & Græci σφραγιδι
id

id est, opacum appellant. Quod si liberaliter nigro primæ notæ cōditum fuerit, puniceū euadit. Quod si floridum, & coruscās fuerit, in flammeum transmutatur. Nam quod dicimus, secundū mutuū temperamentū, colorū diuersitatē effici: ita accipiendum est, ceu si dicamus, ex subiecto, & aspectū nostro proposito colore, mitionem fieri. Nec tamen ob id parē omnium generationē fieri putādum est: est enim proprium colorum munus, non simpliciter, sed ad aliquam mistorū rationē habere. Habent siquidem ad quempiam commistorum respectum: quemadmodū simplicia, quatenus simplicia sunt, inuicem, atq; inter se respectum habēt. Neq; enim clarum, & perspectum est, eodem in omnibus utendum esse apparatu. Cū enim de purpurei, vel puniceī temperamēto verba facimus, necesse est ex iis permistis, & diuersum colorē facientibus, persimilem generationē enarrare, nec tamē eandem speciē & apparentiā tribuere. Quapropter assumēdum, ac prospiciendum est temperamentum ex eo, qui præcessit, apparatu: sicuti cū color *δινωτός*, id est, vinosus efficitur, si splēdor aereus puro, ac minimē diluto nigro, eodemq; coruscanti contēperetur: quales botryorum acini, quorum planē color cœnopus, id est, vinosus agnoscitur, cū maturefcunt. Nam deinde nigrescentes puniceum habent, quem postmodum in purpureum commutāt. Dignum autem est obseruatione, omnes colorum differentias ad eū modum fieri, quem subscripsimus. Ex motu enim & transitu coloris in colorem dum commiscetur, differentiæ variantur, & similitudinem accipiunt secundum id, quod se offert aspectui: atq; ita in vnoquoq; commitionem exæquant, ex multis vnū colorum cōcentum reddentes, ita vt nullus cernatur, cernantur tamē omnes, per partes confusas, ac permistas. Ex qua quidem concretionē, & conuersione, vna species, vnūq; prospectus euadit, qui colorum multitudinē in vnam imaginē coalescētī fidem facit. Oportet autem hæc omnia in disquisitionem vocare, non vt pictores vocāt, hos colores simul atterentes, sed ex iis, quæ dicta sunt, rationem habentes refractorum radorū, qui ad inuicem iaciuntur, & collimant: sic enim quispiam possit ex præscripto Naturæ colorū temperamēta spectare. Ad veritatē autē, certāq; similitudines depræhendēdas, oportet habere cognitās, ac perspectas procreationes, & colorum ipsorum natales. Atqui horum causam optimate dicimus lucē Solis, lucem ignis, aerem prætereā, & aquam. Nam hæc plus aut minus temperata, omnes, vt ita dicam, colores perficiunt. Eadē indagine & aliorum colorum, qui radiis permiscētur, imaginem & similitudinem explorari oportet: quandoquidē & carbones & fumus & ærugo & sulphur & pennæ auium temperatæ, hæc quidem cum radiis Solis, hæc verò cum splendore ignis, multas ac varias faciunt colorum commutationes. Sunt & quæ à concoctione, ac maturitate consideranda sunt: qualia quæ fiunt in plantis, in fructibus, in capillis, & pennis auium, & cæteris alijs huiusmodi. At illud neminē latere debet, multiformem, & infinitam illam colorum multitudinē quot modis fieri contingat. Eius rei hanc causam obseruauimus, quod à luce & umbris, inæquales, & sine ratione confiant temperaturæ. Nam lux, & um-

bræ, secundum plus & minus, varias inuehunt differentias: vt primò secundum se ipsas, mox admistæ coloribus, colorum commutationes efficiāt: vel in eo quod commista, & multitudine, & facultatibus differunt: vel quod non habeant easdem rationes, proportionēsq;. Siquidem & ipsum purpureum secundum se ipsum multas habet differentias: sic & puniceum, & album, & aliorum vnumquodq;. Item secundum maius & minus, item secundum mutuam inter se admitionem, eorūque synceritatem. Facit prætereā differentiam prout luminosum, ac nitidum mistum ipsum fuerit: aut ex contrario squalidū, ac sine lumine. Nihil enim est aliud *τὸ εὐκλόον*, id est, nitidum, ac refulgens, nisi luminis quædam collectio, & dēstitas. Species verò auri emergit, cū xanthum, id est, flauum, & solare bene cōdermatum enitescit. Ob id colla columbarum, & pluuiarum stillæ, colore visuntur aureo tunc, cū lux repercutitur. Sunt etiam quædam, quæ læuigata attritu, & arcana quadam facultate, alios, atque alios induunt colores: sicut argentum perfrictum, & aurum, & æs, & ferrum. Quædam etiam lapidum genera, differentes faciunt colores, ceu qui nigri existētes albas inducūt lineas. Eius rei causa est, quod istorū omniū cōstitutio ab ipsis incunabulis ex paruis aded, densisq; ac nigris constat particulis. Ab ipsa autē, quæ fit, dum primū generatur tinctura, cōtingit aliam coloris speciēmittere. Hic autē color ab his attritus, ac decedens, non ampliùs auream speciē, aut æream, aut omnino alium quempiam habet colorem, sed planē niger est, quod pori, ac meatus illi perumpantur, ac scindantur inter perfricandum, dum atteruntur, per quos tinctura penetravit. Contingit & hanc ipsam diuersitatē colorum Natura fieri. Primogenio enim colore nondum nobis cognito, cū tinctura in attritu conuclatur, ac dissipetur, euēnit vt ipsum, qui ipsis inest, colorē perspiciamus. Quapropter & omnia se offerunt nigra, dum perfricantur, prout horum quodlibet æquabile est, ac læuigatum: sicut in lapide, qui *βάσανος* à Græcis, à nostris cotricula dicitur, qui insitum in ipso colorem, nigrum videlicet, abiicit: assumit autem rursus ingenitum ab ipsa vsque origine colorem, perspicuum illud, quod in tinctura est, ex contactu, & continuatione. Cæterū & quæ igni aduruntur, aut dissoluuntur, aut liquefiunt, plures mutantur colores: quorum fumus tenuis, & aereus, horum & colores vmbrosi: sicut cū fumus exhalat à sulphure, & æruginosis æramētis, & ab iis, quæcunque densa sunt, & læuigata: vt argentum. At in cæteris, quæcūq; illa sunt, quæ vmbrosos colores habent, eadē læuorē participant: sicuti aqua, nebula, & auium pennæ: quippe hæc propter fulgures, radiōsve illabentes, & læuorem, aliter aliās temperatos, differentes colores inuehunt: sicuti & obscuritas varios colores inferre solet. At nos nullū colorē purū spectamus, qualis planē est: sed omnes permistos, atq; alijs confusos. Nam etsi nulli aliorū colorum miscētur, fulgoribus lucis, & umbris tamen confunduntur, & à se diuersa, neque prorsus qualia sunt, apparent. Ob id quæ in vmbra spectātur, quæq; in luce, quæque in Sole, quæq; in intenso, aut molli fulgore, & secundum varias inclinationes hoc, aut illo modo se habentia, secundum alias differentias, diuersa

diuersa apparent. Fulgores etiam qui ab igne, Luna, lychnisq; proueniunt, quod hæc illave lux in vnoquoque variet, diuersos colores imprimunt. Adde etiam, cū varia ad inuicem facta est colorum permistio, ob mutuū illam inter se respectum, atque responsū, vario modo colorātur. Lux enim quando illapsa, ex nonnullis colorem mutuatur, & nunc puniceī, nunc herbaceī fit coloris: & cū temperamentum in alium quēpiam colorem incidit, & ab eo rursus contemperatur, aliam quoque quampiam coloris moderationem, permitionēmq; admittit. Et dum hoc patitur, continuē quidem id patitur, sed ita, vt sensum fugiat. Interdum etiam ad sensum vsque peruenit, tunc scilicet, cū ex multis coloribus confusis, vnus aliquis longē alios exuperans, sensum ipsum facit, & cōciēt. Quare & per aquam res aquea specie plurimū apparent: & quæ in speculis similes habentia colores, colore speculorum apparent. Id quod & circa aerem putandum est euēnire. Ex tribus itaque mistos colores omnes constare certum est: ex luce primū, & ex iis, per quæ lux apparet, ceu ex aqua, & aere: tertio ex subiectis coloribus, à quibus lucem reflecti, ac reperiuntur contingit. Atqui album, & diaphanes, quod nos perspicuum dicimus, quoties quidem rarum est, colore maximē aereo se ostendit. Quod si in iis est, quæ densa sunt, in omnibus iis quædam occurrit obscuritas, ceu caligo, sicuti in aqua, & vitro, aere etiam, cū densior est. Radiis enim ob densitatem, & crassitudinem vndequeque deficientibus, non possumus, quæ in ipsis penitiora sunt, perspicere. Aer quidem propè inspectus, nullum videtur colorem habere: nā propter raritatem à fulgore peruincitur, ab eo diuisus, ac secretus. Est enim fulgor densior, & per aerem perspicuus: qui in profundo perspectus, ex proximo colore videtur cyaneo, raritatis gratia. Quæ enim parte lux deficit, eadē aer caligine disinctus, coloris cyanei repræsentatur. Densatus autem in morem aquæ, albissimum omnium colorem contrahit. Omnia verò, quæ intinguntur, ab iis, quæ intingunt, colorem mutuuntur. Multa autem floribus, multa terra nascentibus, multa radicibus intinguntur: quin & corticibus, lignis, & folijs, & seminibus: multa etiam terra, multa spuma, multa & sutorio atramento, quam Græci *μελαίνισαν* vocant: nonnulla etiam, quæ animalium liquore intinguntur, sicuti purpureus color purpura, quæ inter murices censetur. His adde, quædam vino, quædam fumo, quædam calce, quædam mari colorem trahere: ceu marinorum capillamenta. Hæc enim omnia mari rufescunt, & in vniuersum omnia, quæcunque proprios, ac vernaculos colores habent. Semper enim cū hi omnes colores vi humidi, & calidi simul coeunt in eorum quæ intinguntur meatu, exarescentes deinde ab illis colores assumunt. Ob id sæpe colores florum eluuntur, ex poris, seu meatibus effluentes. Multas etiam faciunt ipsæ constipationes, & in intinctione differentias: multas etiam commitiones, & affectus intinctorum, quæ *ωάθη* dicuntur: sicuti & de crasi, id est, conuersione, superius dictum est. Imbuuntur etiam quædam nigro colore vellera, neq; tamen similiter colore hoc nitescunt. Causa est, quod vellerū meatu, ingredientibus colorum meatibus intinguntur, pilorum au-

tem interualla tincturam nullam recipiant. At quæ alba sunt, atque inuicem coloribus obnoxia, omnia splendidiore flores videri faciunt: ex aduerso autē nigra, vmbrosos, & obscuros videri faciunt. Ob id color ille, qui *εὐπυριος* dicitur, ex nigris magis, quam albis efflorescit: sic enim purior, & magis eximius apparet flos ipsis permistis: quod fit ob ipsius nigri fulgorem. Secundum enim hoc idem interiectum meatuum interuallum, ob exiguitatem, & tenuitatem non videtur, sicuti neque stannum æri admistum, neque aliorum huiusmodi aliud quicquam; colores verò eorum, quæ intinguntur, transmutantur ob eas, quas diximus, causas. Quod autem capilli, & pennæ, & flores, & fructus, & plantæ omnes vnā cū maturitate varias induūt mutationes, ex multis perspicuum est. Sunt & nonnulla singulis plantarum, colorum principia, & qualia illa sint, & ex quibus mutationes suscipiāt, & quas ob causas talia patiantur, & si quas alias dubitationes contingat illa consequi, de his omnibus ex ea, quam instituimus, indagine considerādum est nobis. In omnibus autem plantis principium colorum est, qui herbaceus dicitur. Nam germina, & folia, & fructus, vel semina gignuntur in ipsis auspicijs herbacei: id, quod etiam animaduerti potest ex aquis compluentibus. Vbi enim plusculum temporis consistit aqua, rursus exarescēs, colore fit herbaceo. Ratione autem euēnit, & hunc primū in omnibus ex terra nascentibus colorem consistere: siquidē omnes aquæ vetustescentes, à principio sanē virides fiunt, Solis radiis admistæ: mox autem nigrescunt: rursus viridi permistæ, coloris fiunt herbacei. Nam humidum, vt præfatum sumus, sponte naturæ suæ vetustescens, & exarescēs, nigrescit: sicut in cisternis, seu aquarum conceptaculis tectoria: ex iis enim, quæcūq; sunt sub aqua, hæc omnia atri coloris efficiuntur: quod dum exarescunt, humidum exhalet, & in aerem dissipetur: quicquid autem exhaustum Soli exponitur, in herbaceum colorem abit, ea causa, quod flauum nigro permiscetur. Hoc idem, humido magis, ac largiùs nigrescente, herbacei fit coloris: eōq; copiosiùs saturatur, & viridē colorem concipit propè ad porri exemplum. Quod etiam est in causa, vt in omnibus rami germina ætate confecta multò nigrioris coloris visantur, quàm quæ noua sunt, & adhuc pubescentia: flauiores enim hi sunt, quod nondum in ipsis humidum nigrescat. Horum enim cū fit tardius incrementum, insidiātque diutiùs humiditas, quoniam humidum ipsum exhalans vehementer nigrescit, ex eo viridē fit, & porracei coloris, vt pote nigro, eoque syncero permistum. At in iis omnibus, in quibus humidum nō permiscetur, Solis radiis, albus color incolumis manet: nisi forte humidum diuturnitate temporis, & exaresfactione priùs nigrum euaserit. Hæc ratio est, cur plantarum omnium partes, quæ à terra extāt, ab initio virides sunt: quæ autem terræ proximæ, aut certè sub terra, quales sunt caules, seu scapi, & radices, albæ sunt: sic & germina, quæ terræ viciniora sunt. Quod si in ambitu terra amoueat, pastinōq; refodiatur, omnes quidem primò, vt dictum est, herbaceum colorem, quasi à libero cælo scenerantur, tum ob humorem, qui per germina in eas partes effluit, eamque coloris naturam imprimat, tum quod celeriter

riter idem humor in fructuum incrementum absumatur. Cum verò non amplius augentur, & incrementum, ob id, quod calidum iam non queat peruenire alimèto affluente, sed vice versa potius ab humido calor absumatur, & fructus omnes maturentur, concocta humiditate, quæ in ipsis fructibus est, à Solis & aeris calore, sic fructus assumunt à plantis colorem, sicuti quæ intinguntur à floribus: propter id paulatim colorantur, eorumque illi maximè, qui ad Solem, ac teporem expositi sunt: quare & eorum colores vnà cum tempore, ac tempestiuitate permuant. Cum enim primò sint omnes herbacei coloris, ad maturitatem deinde prouecti, variat in eum, qui eorum naturæ consentaneus est color. Nam & albi, & nigri, & phæi, id est, obscuri, flauis etiam, & nigricantis coloris, quin & umbratici efficiuntur, & propemodum omnia suscipiunt colorum discrimina. Quoniam autem plurimi colores fiunt pluribus inuicem admistis, ita vt vnus fiat ex omnibus cinus, illud quoque liquet, in plantis opus esse eadem fieri temperamenta. Nam propter earum humorem perfluentem, & per se ipsas corruatum, omnes suscipiunt colorum facultates, & hoc circa fructuum maturationes: & à sole & ab aeris calore excocto, omnes pro ingenio suæ naturæ consistunt colores, hi quidem ocyus, illi verò tardiùs: velut contingit circa tincturam purpuræ, cum illam atterunt, atque exprimunt, omnem ex ea humiditatem eliquant, eliciuntque, quàm deinde effusam in cortinis percoquant: & primò quidem nullus omnino certus color in tinctura perspicitur. Eius rei causa est, quod vnusquisque ipsorum colorum, dum humor magis, ac magis excoquitur, imò verò & illi ipsi, qui in cortinis permisti sunt, colores, multas paulatim, ac varias suscipiunt differentias: nam & nigrum, & album, & ἄσπερον, id est, obscurum, & aerium, denique omnes reddunt, qui vnà excocti sunt. Propter temperamentum ergo nondum per se constitutum, nullus ex aliis coloribus certus est, atque perspicuus. Atqui hoc idem quoque euenit in fructibus. In multis enim quia non omnes simul fiunt colorum maturitates, seu concoctiones, sed alii priùs, alii posterius consistunt colores, idcirco ex alio in alium mutationes fiunt: sicut in botryis, & phœnicibus, id est, palmulis: isti enim aliquando primò puniceo apparent. Nigro autem in se ipso consistente, cum in colorem vini transmutant, ac demum fiunt cyanei, siue cærulei, cum iam puniceus multa, ac pura nigredine permiscetur: qui enim posterius succedunt colores, cum exuperant, pristinos colores immutat. Quod in nigris fructibus præcipue manifestum est. Nam eorum plerique ferme, vt superius diximus, ab initio quidem ex herbaceo colore immigrantes, sensim in puniceum transeunt, fiuntque rufi: sed festinè rursus transmigrant ex rufo, & puro nigro, quod in huiusmodi insitum est. Declarant & hoc vites, & vellera, & folia: omnium enim huiusmodi colores nigri, quod plurimus insit in ipsis huiusmodi color. Nam & illud quoque confessum est, quod ob id fructus nigri & vtrunque colorum participat: horum enim omnium succus vinosus est. Colores autem, qui sunt in ipsis natalibus nigri, successu temporis puniceo fiunt: siquidem paucitatem alimenti citò mitescunt, & maturitatem accipiunt: ac fructus ob multitudinem humoris, vnà cum

& omnino vbi cōtingit vel mediocri aquarū profluuium fieri, locis præfertim opacis, omnia hæc, inquam, ex eo, qui herbaceus primū fuit, in puniceum colorem transeunt, pauimentūque illud ita coloratur, ac si sanguis recens in id perfluxerit, secundum rationem loci, secundum quam herbaceus color maturitatem, concoctionemque suscipiat: demum & hic idem niger admodum fit, & cæruleus: quod in fructibus contingit. Quod verò posterioribus coloribus aduenientibus, priores exuperantur, & cedant, & color fructuum transmutetur, vel ex iis facile est cognoscere. Nam & mali puniceus fructus, & rosarum folia, ab initio quidē alba sunt: demum succo iam vetustescente, ex maturitate pallescunt, & rursus commutant colorem in purpureū, ac puniceum: & hæc quoque plures in se ipsis colores habent, sicut & in papauere liquor, in olea amurca: siquidem hæc primū fit alba, ceu mali puniceus fructus: cum autem in albere desierit, rursus in puniceum colorem transmigrat: denique multo nigro permixtus in cæruleum abit. Ob eam causam & papaueris folia, hæc quidem in superiori parte sunt puniceo coloris, quod in ipsis concoctio, & maturitas ocyus fiat: hæc autem ab ipsis initiis nigra, hoc in eis colore iam exuperate, sicuti & in fructu: nam postremò fit niger. In quibuscunque autem plantis vnus est, & singularis color, albus scilicet, vel niger, puniceus, vel purpureus, horum omnium fructus permanent, eandem semper coloris naturam seruantes, cum semel ex herbaceo in alium colorem migrauerint. Atqui flores in nonnullis fructibus concolores esse cōtingit, sicut in malo puniceo videmus, in qua fructus æquè ac flos puniceo coloris est. In nonnullis autem permultum inter se differunt colore: sicut in lauro, atque hēdera: vtriusque enim flos xanthus, id est, flauus est, fructus verò niger. Puniceus autem est & fructus mali, quam *μηλαρα* vocant: huius enim flos albus, non sine admistione purpuræ: at eius fructus est flauus. Rursus papaueris puniceus quidē flos est, at fructus hic quidem niger, ille autem albus, prout insiti illis succi aliis atque aliis temporibus ad maturitatem peruenierint. Quod facile ex multis cognosci potest: etenim alii, atque alii fructus, vt dictum est, multas differentias capiunt vnà cum maturitate, & in colore, & in odore, & in succo. Hęc enim causa est, cur varii, ac differentes odores, & succi, & in floribus, & in fructibus deprehendantur. Amplius hoc magis elucescit ipsis in floribus: in iis enim ipsis eiusdem sæpe folii pars nigra, pars punicea: quorundam etiam pars hæc alba, illa purpurea. Neque hoc minus in iride planum est: multas enim habet & huius flos in se ipso varietates, prout eius etiā variæ sunt concoctionis differentiæ: sicut & botryorum, cum eos etiam mitescere cōtingit: ob id & florum omnium fastigia plurimū concoquantur, & mitescunt.

Hęc autem initio multò minus coloris habent: propemodum enim quorundam quasi aduritur humidum priùs, quàm ad iustam, & propriam concoctionem perueniat. Pròinde quorundam florum colores permanent, fructus autem concocti transmutantur. Florum enim colores propter paucitatem alimenti citò mitescunt, & maturitatem accipiunt: ac fructus ob multitudinem humoris, vnà cum

cum maturitate in omnes transmutantur suæ naturæ consentaneos colores. Id, quod clarum, & illustre est, prout antea dictum est, in tinctoriis floribus. (flores nunc appello optimam, atque ardentissimam purpuræ partem.) Quum enim à principio tinctores *ἀμαρτίδας*, hoc est, sanguinarias purpuras, ex quibus pretiosus ille liquor tingendis vestibus natus elicitur, summittunt, eas orphnias, id est, obscuras, & nigras, & aerei coloris fieri videmus. Quum verò flos abundè concoctus fuerit, bene floridum illud purpureum, & splendidū efficitur. Pròinde necesse est, florum colores ex æquo, & colores fructuum in varios habitus se commutare: & hos quidem colores, qui secundum naturam sunt, exuperare, hos autem deliquium pati, prout horum, aut illorum perfecta, aut imperfecta fit concoctio. Verè itaque colligimus, flores, fructusque differre. Cæterum multi plurimarum arborum flores postremò xanthi, id est, flauis fiunt. Deficiente enim alimento, ad id perueniunt, vt exarescant priùs, quàm cōmutent colorem in eum, qui eorum naturæ proprius, & vernaculus est. Ob id & quidam fructus defluentes, ac decidui colore xanthi, id est, flauis efficiuntur, ea causa, quod horum concoctio, ac digestio primū ab alimento destituatur. Eodem prætereà modo sese habet frumentū, & reliqua, quæ ex terra producuntur: nam hæc demum flavescent. Humidum enim illis innatum non vltra nigrescens, quoniam citò exarescit, coloris immutationem efficit. Nigrum enim viridi confusum, vt antea diximus, herbaceum euadit. Quum verò nigrū semper exolescat, fiatque imbecillius, rursus colorem paulatim transmutat in viride: postremò verò flauum efficitur. Eadem ratione *ἀπλου*, id est, raphani sylvestris folia, & portulacæ, & aliorum quorundam ad maturitatem perducta, puniceo coloris fiunt: præter nonnulla ex his, quæ citò arefcunt, eademque in flauum colorem abeunt. Cuius rei causa est, quod ante concoctionem alimento destituuntur. Est igitur admodum rationi consentaneum, plantarum, & humi nascentium multas differentias incidere. Sed non in his tantum: nam & pili, & pinnae, & coria equorum, bouum, auium, & aliorum omnium animalium, modò alba, modò fusca, modò rufa, nigra etiam aliquando, eandem ob causam fieri contingit. Alba quidem, quum adhuc humidum ex maturitate proprium ac domesticum habens colorem, arefactum. Nigra verò ex contrario, quando in ipso ortu superuacaneus color humidus: sicuti in aliis omnibus iam antiquatur, & tempore confectus, ob humoris copiam nigrescit. Cunctorum enim huiusmodi & cutis, & corium nigredinem accipit. Fusca autē, & rufa, & flaua, aliisque coloribus prædita, quotquot ad ariditatem perueniunt, priùs quàm humidum in ipsis absolutè, & ex assè in nigrum colorem commutetur. In quibus autem hæc præter ordinem, & inconditè eueniunt, eorum etiam huiusmodi colores euariant. Propterea in vniuersum videmus & coria, & corpora mutuis vicibus ita se consequi, vt colore respondeant. Nam & homi-

num ruforum *τριχόματα λευκόπυρρα*, hoc est, pili, alborufi sunt, id est, albo rufos; cōmittis, nigrorum autem nigri: & particulatim quicquid in corpore album efflorescit, ibidem ex natura loci omnes albi pili suffruticant: sicuti in animalibus, quæ varia sunt, eodem modo pili omnes, omnesque pinnae coria consequuntur: & hæc secundum partem, hæc secundum corpus tantum eueniunt. Sed & ad eundem modum sese habet vngula, chela, rostra, & cornua. Nam hæc omnia in nigris nigra, in albis alba spectantur. Cuius rei causa est, quod in his omnibus alimentū per corium in exteriorem ambitum profluit. Quod autē hæc vera, & legitima causa sit, haud sanè difficile est ex multis perspicere. Siquidem puerorum omnium capita, dum parui sunt, rufa existunt ab initio: quod, euenit ob paucitatem alimenti. Quod idem ex eo probatur, quod ob eandem causam imbecilles, rarique sunt capilli. Quia etiā breues puerulis omnibus ab initio gignuntur, procedente autem ætate nigrescunt tunc, quum capilli rursus colorem trahunt ex multitudine defluentis alimenti. Quod eodem modo contingit circa pubem & barbam, quando primū incipiunt pubescere, & barbam emittere: quarum vtraque in ipsis exordiis citò rufescit ob paucitatem humiditatis, quæ & in pube exarescit: quum autem eūdem in locum copiosius alimentum demanare cœperit, rursus nigrescunt. Sunt & pili, qui in corpore rufi plurimum temporis manent, ob inopiam alimenti: quoniam secundum tempus, quo augentur, & hos similiter contingit nigrescere, sicut hoc idem euenit tam pilis pubis, quàm capitis. Hoc autem ex eo liquet, quod quæcunq; longiores habent pilos, vt plurimū ea parte, quæ corpori proxima est, nigriores habent: qua parte autem in fastigium exurgunt, flavescunt magis: quales ouium, equorum, & hominum. Illa enim pilorum pars alimenti paucitatem in eam defluentis, citò exarescit. Eodem modo & nigrarū auium pinnae, quæ corpori viciniore sunt, cæteris omnibus sunt nigriores: at quæ in summo, flauiores. Ad eundem modum se habent & quæ circa collum, & omnino quæcunq; parcius habent alimentum. Quod hinc facile patet, quod omnia sub perfectionis tēpus, quumque iam propè absoluta sunt, pilos transmutant, & rufa efficiuntur: quoniam alimento rursus deficiente, celeriter siccescunt: denique alba priùs fiunt, quàm humor nigrescat, insito in ipsis alimèto iam excocto. Sed hoc maximè omnium in iumentis manifestum est: omnium enim pili albi fiunt. Nam quum partes nō possint ex æquo alimentum attrahere, ob caloris imbecillitatem, humidum citò exarescens fit album. Eademque causa partes temporibus finitimæ omnium maximè canescunt: & in vniuersum, circa loca infirma, & laborantia hoc euenit. Prætereà & circa hæc loca in primis in hunc colorem fit mutatio, quum propriam naturam immutauerint. Nam & lepus iam factus est candidus: aliquando etiam niger visus est: & ceruus, & vrsus, & cum istis æquè coturnix, & perdix, & hirundo. Quando enim à primis natalibus hu-

iufmodi infirma gignuntur, ob inopiam alimen-
ti intempestiue, ac præproperè maturefcentia,
alba fiunt. Sic & pueri quidam protinus capita
habent albicantia, & cilia, & supercilia, quod cæ-
teris appetente senio contingit: idq; indubitato
propter infirmitatem, paucitatemq; alimenti.
Hoc enim, hoc illud est, quod canitiem inuehit.
Próinde animalia alba pleraque omnia infir-
miora sunt, quàm nigra. Nam hæc ante, quàm
absolutum incrementum capeffant, propter par-
citatem, tenuitatemq; alimenti iam matura, al-
ba efficiuntur, eo more, quo solent fructus, quot-
quot laborare, & ægrotare contigerit: hi enim
multum ante tempus ob imbecillitatem matu-
rescunt. Quæcunque autem fiunt alba, multum
à cæteris differunt: sicut equi, & canes. Huiusmo-
di autem omnia transmutant eum, qui secundum
naturam est, coloré, in album. Quod non aliunde,
quàm ab inopia alimenti, prouenit. Humidum
enim in huiusmodi nõ vetustescens, sed absump-
tum ab augmento, atrum efficitur. Plurima enim
sunt ex iis & humida, & infrugifera, ratione bo-
ni nutrimenti: ob id non commutant pilos in
colorem album. Quod ex eo perspectum est,
quoniam nigra antè, quàm canescant, rufa euadunt,
alimento in illis deficiente, & plus nimio
iam excocto: quæ demum postea exalbescunt.
Sed enim nonnulli suspicantur nigra omnia fie-
ri, ea causa, quòd eorum alimentum à calido adu-
ratur, sicuti sanguinem, & aliorum vnumquodq;
Qua in re falluntur. Quædam enim animalia
protinus & ab ipsis vsque incunabulis nigra na-
scuntur: sicut canes, capellæ, boves, & in vniuer-
sum omnia, quorum pili, & coria à primis vsq;
initiiis alimentum habent. Procedente autem
ætate, minus nigrum colorem defendunt. Quod
non sic decebat: siquidem omnium tales esse pi-
los in ipso ætatis vigore par fuit tunc, quum in
ipsis etiam plurimum calor viget: atque ita om-
nia potius à principio canescere. Multo enim
imbecillior ab initio omnium calor est, quàm
eo tempore, quo eorum pili incipiunt inalbescere.
Perspicuum & hoc est in iis, quæ alba sunt:
ex iis enim quædam protinus sunt colore can-
didissimo, quæcunq; scilicet eorum plurimum
habent à principio alimentum, neque insitus il-
li humor ante tempus exarescit: quæ progressu
deinde ætatis *farbæ*, id est, flaua euadunt, parcio-
re scilicet alimento postmodum in iis defluen-
te. Quæ autem in ipsis quidem crepundiis flaua
fiunt, postquam ad ætatis summum vigorem per-

uenerunt, candidissima: sicut & auium colores
rursus transmutantur, alimento in ipsis deficien-
te. Et id sanè patet: omnia enim hæc circa collum
etiam flauescunt, & omnino omnia, quæ in ipsis
rarescunt, alimento in ipsis deficiente. Sed & hoc
quoque planum est. Sicut enim rufum in album
commutatur, & nigrum rursus in rufum, eodem
pacto & album in flauum. Contingit autem &
hoc in plantis. Nonnullæ enim ex posteriore
concoctione iterum recurrunt in priorem. Et
hoc præcipuè in malo punica compertum est,
& hoc ipsum ab initio: acini enim fiunt puni-
cei: item & folia, ob paucitatem concocti ele-
menti: posterius autem rursus in herbaceum co-
lorem transmutantur, multo alimento defluen-
te, quum concoctio non potest eodem modo
peruincere, postremo, alimento iam concocto,
rursus fit color puniceus. Vt autè in vniuersum
dicamus & de aliorum pilis & pennis, omnia
commutationes accipiunt: hæc quidem (vt di-
ctum est) alimento in ipsis deficiente, hæc au-
tem ex aduerso redundante, propter quod alia
aliis temporibus ætatis candidissimos, aut niger-
rimos habent pilos. Siquidem & coruorum pen-
næ postremo in colorem flauum transmutan-
tur, quum scilicet ab alimento destituuntur. Ex
pilis autem nullus neque puniceum, neque pur-
pureum, neque prasinum, seu viridem, neq; om-
nino alium huiusmodi colorem habent: quoniã
omnes huiusmodi colores fiunt, admisto ipsis
Solis splendore. Pilis autem etiamnum hu-
midis in carnis colore mutationes contin-
gunt, & ipsi nullam admisionem capiunt. Id au-
tem manifestum est: ex pennis enim, quæ gene-
rantur à principio, nulla eo modo fit, quo pili
fiunt. Sed auium quæcunque variæ sunt, omnes
(vt ita dicam) nigræ spectantur: sicut pavo, &
columba, & hirundo. Posterius autem tales om-
nes varietates assumunt, quum ipsarum conco-
ctio iam extra corpus fit, tum in pennis, tum in
vaginis. Quare euenit, sicut & ipsis plantis, ho-
rum scilicet concoctionem extra corpus fieri.
siquidem & reliqua animalium, tam aquatilia,
quàm reptilia, conchylia etiam, omnifarias ca-
piunt colorum formas tunc, quum multa in ipsis
fit concoctio. Et ex iis quidem, quæ dicta sunt,
possit quispiam colorum speculationem agno-
scere.

ARIST.

LIBRI DE COLORI-
BUS FINIS.

ARISTOTELIS STAGIRITAE PHYSIOGNOMICON,

Liber incerto Interprete.



Q uod animæ sequuntur cor-
pora, & ipsæ secū-
dum se ipsas
non sunt impaf-
sibiles à moti-
bus corporis, id
manifestum fit
valde in ebrie-
tatibus, & ægri-
tudinibus: mul-
tum nanq; ani-
mæ mutata videntur à passionibus corporis.
Et econtrario quòd corpus compatitur passio-
nibus animæ, manifestum circa amores, & timo-
res, & tristitias, & delectationes. Amplius autem
& in iis, quæ natura fiunt, magis utique aliquis
conspiciet, quòd corpus & anima ita se habent
connaturalia, vt fiant causæ plurimarum passio-
num ad inuicem. Nunquam enim animal factum
vel generatum est tale, quod formam haberet
alterius animalis, animam verò alterius: sed sem-
per eiusdem corpus, & animam. Quare necessa-
rium est consequi tali corpori, talem formam.
Amplius autem & scientes circa vnumquodq;
animalium ex forma possunt considerare: equi-
tes equos, & venatores canes. Si autem hæc ve-
ra fuerit, semper autem hæc vera sunt, erit sanè
ars quæpiam physiognomiæ. Priores itaq; phy-
siognomones, iuxta tres modos adgressi sunt
hanc disciplinam, quisque iuxta vnum. Alii qui-
dem ex generibus animalium physiognomizant,
ponentes secundum vnumquodque genus figu-
ram quandam animalis & speciei animam. Alii
autem in talibus corpori similem habenti cor-
pus & animam similem putabant. Alii autè qui-
dam hoc quidem faciebant, non ex omnibus au-
tem animalibus experiebantur, sed distinguebāt
ex ipso genere hominum secundum gentes, quæ-
cunque differunt secundum vsus, & mores: vt
Aegyptii, & Thraces, & Scythæ. Similiter ele-
ctionem signorum faciebāt. Quidam autem ex
moribus à parentibus, quales mores dispositio-
nem sequantur. Sequitur autem vnicuique mos,
iracundo, timido, coeunti, & in vnaquaque alia-
rum passionum. Est autem secundum omnes mo-
dos hos physiognomizare. Et adhuc secundum
alios, & electionem signorum dissimiliter fieri.
Hi quidem igitur iuxta mores solum physiogno-
mizant: primum quidè quòd quidam non iidè
cùm sint, mores, qui sunt in facie, eosdem ha-
bent, vt fortis, & inuerecundus eosdem habent,
animabus, vel intellectibus multum separan-

*Leuissio leuissio lib. 2. &
causis nō mirabilis cap. 29.
hinc esse argumentum.*

tur. Secundò autem, quòd secundum quædam
tempora, mores non eosdem, sed aliorum habent:
tristibus enim existentibus, quandoque contin-
git diem delectabiliter ducere, & morem acci-
pere, qui est hilaris: & econtrario hilarem con-
tristari, vt mos, qui erat in facie, permutetur.
Adhuc cum his, de paucis utique semper appa-
rentibus coniecturam quis accipiat. Qui autem
ex feris physiognomizant, non rectè electionem
signorum faciunt: non enim est utique dicere
percurrentem formam vniuscuiusque anima-
lium, quod quicumque vni similis huic corpore
erit, & anima similis erit. Primum enim, vt sim-
pliciter dicam, nullus utique videbit hominem
ita similem bestia, sed assimilantem in aliquo.
Adhuc autem cum his, animalia quædam pau-
ca quædam propria habent signa, multa verò com-
munia. Quare si quis similis fuerit non secun-
dum proprium, sed secundum commune aliquid,
quo pacto magis iste leoni, quàm ceruo similior
dicetur. Merito enim propria signa proprium
quid significare, communia autem commune.
Communia ergo signa nihil utique manifesta-
bunt physiognomizanti. Si autem aliquis prop-
ria vniuscuiusque ferarum elegerit, non utiq;
habebit assignare cuius sunt hæc signa. Merito
enim proprii, proprium. Nihil autem proprium
animalium physiognomizantium, in anima
habebit utique aliquis accipere: neque enim
fortem solum leonum, sed alia multa: neque ti-
midum lepus, sed & alia infinita. Si ergo neque
communia eligenti manifestum aliquid fit, neq;
secundum propria, non utique erit vnumquod-
que animalium aspicere, sed ex hominibus ele-
ctionem facere oportet patientibus eandè pas-
sionem: vt si fortis inspiciat aliquis signa, fortia
animalium in vnum accipientem oportet per-
scrutari, quæ passiones his quidè omnibus in-
sunt, aliorum autem animalium nulli accidant.
Si enim ita quis elegerit, quòd eadem sunt signa
fortitudinis, prædictis animalibus non solum
fortitudinis communem inesse passionem eo-
rum, quæ sunt in intellectu, sed & alia quædam,
sic utique dubitabit, vtrum fortitudinis, aut al-
terius signa sint. Sed oportet ex pluribus eligi
animalibus, & non habentibus vllam passionem
communem manifestam, cuius utique signa re-
spicias. Quæcunque itaque signorum mansua
sunt, aliquid mansuum signant. Quæ autem ad-
ueniunt, atque discedunt, & deficiunt, quomodo
utique signum verum erit non manentis in ani-
ma. Siquidem enim mansuum adueniens, & de-
ficiens signum quis suscipiet: contingeret utiq;

ipsum quidem verum esse, non tamen conueniens, si non perpetuo sequatur rem. Quæcunq; autem passiones factæ in anima non in aliquo permutant signa, quæ sunt in corpore, quibus vtitur physiognomon, non erunt huiusmodi cognitiones arti: vt quæ sunt circa oppositiones, & scientias, medicum, aut citharædum non contingit cognoscere. Nam addiscens aliquam disciplinam, nullum mutat signorum, quibus vtitur physiognomon. Oportet ergo determinare circa qualia quædam est physiognomoniam, quoniam non circa omnia, & ex quibus singula signa accipiuntur; deinde consequenter de manifestissimis circa vnumquodque manifestare. Physiognomoniam ergo est, sicut & nomen ipsius dicit, de naturalibus passionibus, quæ sunt in anima, & accidentibus, quæcunque adueniunt, & mutant signa physiognomonizata. Qualia autem hæc sunt, posterius declarabitur. Nunc autem dicam ex quibus generibus signa accipiuntur, & sint omnia. Ex motibus enim physiognomonizant, & ex figuris, & coloribus, & ex moribus apparentibus in facie, & ex leuitate, & ex voce, & ex carne, & ex partibus, & ex figura totius corporis. Vniuersaliter quidem huiusmodi sunt, quæ dicunt physiognomones de omnibus generibus, signa. Si quidem igitur immanifestus, aut non designatiuus foret talis transitus, sufficiebant prædicta. Nunc autem fortasse melius est vnumquodque de singulis, quæcunque manifesta de physiognomonizatis certius explanare, enumerantem cuiusmodi signa referantur ad singula, quæcunque scilicet ex prædictis manifesta non fuerint.

De Coloribus.

COLORES ergo significant, acuti quidem calidum & sanguineum: albi cum rubore, bonam indolentiam: quando in leui corpore accidit hic color.

De Pilis.

PILI autem moles quidem, timidum: duri autem, fortem. Hoc autem signum sumptum est ex omnibus animalibus. Timidissimum enim est ceruus, lepus, ouis, & pilum mollissimum habent: fortissimum autem, leo, aper, & pilum durissimum habent. Est autem & in auibus hoc idem videre. Vniuersaliter enim quæcunq; quidem habent duram pennam, fortes: quæcunque autem mollem, timidi. Et particulariter est hoc quidem videre in coturnicibus, & in gallis: similiter autem & in generibus hominum hoc idem accidit. Quicumque enim apud Septentrionem habitant, fortes sunt, & durorum pilorum. Qui autem apud Meridiem, timidi, & mollem pilum habent. Pilositas autem, quæ est circa ventrem, loquacitatem significat. hoc autem refertur ad genus auium. Proprium enim auis est eorum, quæ sunt circa corpus, pilositas, quæ circa ventrem est: eorum autem, quæ sunt circa intellectum, loquacitas.

De Carne.

CARO autem, dura quidem, & habitus boni, insensibilem significat: mollis autem & ingeniosum, & instabilem, nisi in forti corpore, & habenti extremitates fortes hoc accidit.

De Motu.

MOTVS autem tardi quidem, mollem intellectum: acuti verò, calidum.

De Voce.

IN voce autem, grauis quidem, & intensa, fortem: acuta autem, & remissa, timidum.

Regula physiognomiae.

FIGURAE autem & passiones, quæ apparent in facie, secundum similitudines accipiuntur passionis: quando enim dum patitur, aliquid fit, vt si hoc habet, quando aliquis irascitur, irascibile signum eiusdem generis. Mas autem femina maior est, & fortior, & extrema corporis fortiora, & crassiora, & habitus melioris, & potentiora secundum omnes virtutes.

Modi physiognomiae.

SIGNIS autem, quæ sunt in partibus corporis, fortiora sunt ea, quæ accipiuntur manifesta in moribus: & secundum motus, & figuras. Omnino autem, vni quidem signorum credere stultum est. Quando autem plura conueniunt, quæ sunt in vno, magis vtique conueniet, vt quis accipiat vera esse signa. Est autem alius etiam modus, secundum quem aliquis physiognomonizet. Nullus tamen aggressus est. Vt si necesse sit iracundum, & tristem, & paruum, secundum morem inuidum esse, & si non sint inuidi signa: ex illis autem prioribus contingat vtique physiognomoni & inuidum inuenire. Maximè quidem quando talis proprius modus fuerit philosophantis. Posse enim quibusdam existentibus necessarium esse, proprium putamus philosophiæ. Quod contrarium est huic quandoque, iuxta passiones physiognomizare & mala.

De Voce.

SECUNDVM passionem intendens quispian, acutam putarit duplicem ob causam iracundi vocem ponendam esse. Indignatus enim, & iratus, distendere consuevit vocem, & acutè loquitur: qui autem remissus stat, remittit vocem, & grauitè loquitur. Rursus autem animalium, fortia quidem grauis vocis sunt, timida autem acutæ vocis. Leo quidem, & taurus, & canis labialis, & gallorum, qui sunt boni animi, grauitè vociferantur. Ceruus autem, & lepus acutæ vocis sunt. Sed fortè & in his melius est, non eò quòd ipsorum vox est acuta, & grauis, fortem aut timidum ponere: sed arbitrandum est, fortè quidem fortis, remissam autem, & imbecillum, timidi. Est autem potissimum, quando signa non sunt confessa, sed subcontrariantia, nihil ponere, nisi sint discrepantium inter se, alia credibilia aliis. Et maximè quidem in speciem, sed non in tota genera referre decet: similia enim sunt quæsito. Non enim totum genus hominum physiognomonizamus, sed quadam sunt in genere.

Signa fortis corporis.

PILI duri, figura corporis erecta, ossa, & costæ, & extrema corporis fortia, & magna, & venter amplus, & contractus ad se, armi lati, & distantes, nec valde colligati, nec omnino dissoluti, collum forte, non vehementer carnosum, pectus caruosum, & latum, coxa contracta, pectus deorsum

deorsum contractus, oculus charopus, nec valde expansus, nec omnino clausus, squallidior color in corpore, acuta frons, recta, non magna: gena, neque leuis, neque omnino rugosa.

Signa timidi.

PILI molles, corpore inclinatus, non erectus, quæ sunt sub umbilico sursum tracta, circa faciem subcroceus, oculi imbecilles, & mobiles, & extrema corporis imbecilla, & crura parua, manus longæ, & subtiles: lumbi autè parui, & imbecilles, figura contenta in motibus: non vehemens, sed supinus, & stupefactibilis: mos, qui est in facie, mobilis, sollicitus.

Ingeniosi signa.

CARO humidior, & mollior, non boni habitus, neque valde pinguis: quæ sunt circa musculos scapularum, & collum, macriora, & quæ sunt circa faciem, incolligata: quæ sunt circa musculos scapularum, & inferiora, remissa: bene soluta, quæ sunt circa costas, & secundum dorsum non carnosus: corpus album misto rubore, & purum: cutis subtilis: pili non valde duri, nec valde nigri: oculus charopus, humidus.

Insensati signa.

QUAE sunt circa collum & crura, carnosæ, complexa, & colligata: cotyle rotunda: musculi scapularum, sursum expansi: frons magna, circularis, carnosæ: oculus croceus: crura circa talum grossa, carnosæ, rotunda: mandibule magnæ, carnosæ, lumbi carnosæ, crura longa, collum grossum, facies carnosæ, sublonga satis: motus autem & figuram & morem, qui apparet in facie, secundum similitudines accipit.

Inuerecundi signa.

OCVLIVS apertus, & splendidus, palpebræ sanguinæ, & crassæ, & parum curuus, musculi scapularum sursum eleuati, figura non recta, sed parum prona. In motibus autem acutus, rubeus corpore, color sanguineus, facies rotunda, pectus sursum tractum.

Moderati signa.

IN motibus tardus, & loquens tardè: vox tarda, spiritus mitis, oculus hilaris, non splendidus, niger, neque valde apertus, neque omnino clausus, palpebrizans tardè. Oculorum enim, qui celeriter palpebrizant, hi quidem timidum, hi verò calidum signant.

Animosi signa.

FRONS bene magna, & carnosæ, & læuis, quæ sunt circa oculos videntur humiliora, & facies somnolentior, neque intense aspiciens, neque remissè: in motibus tardus erit, & remissus figura, & more, qui est in facie, non præceps, sed videtur bonus.

Inanimosi signa.

RUGOSA facies, & macri oculi contracti, simul autem & contracta oculorum duo significant, hoc quidem molle, & femininum, aliud verò demissum pauidum: in figura humilis, & motibus remissus.

Signa cinedi.

OCVLIVS contractus, genu flexibilis, inclinatio capitis ad dextram, motus manuum super-

ni, & dissoluti, & ambulationes duplices. Hæc quidem circumclinantis, alia verò tenentis lumbos, & oculorum circumspectiones, qualis vtiq; fuerit Dionysius sophista.

Signa auari.

FACIE remissus, nigri coloris, macer, quæ sunt circa faciem quasi abrasa: facies rugosa, non carnosus, recti crinis, & nigri.

Signa iracundi.

RECTVS corpore, figura bene latus, animosus, subrufus, scapulae distantes, & magnæ, & latæ, extrema magna, & fortia, læuis & circa pectus, & circa bubones, barbatus probè, capillorum ambitus floridus, deorsum tendens.

Signa mansueti.

FORTIS specie, bene carnosus, caro humida, multa, bonæ magnitudinis, & commensuratus, figura curuus, curvus capillorum sursum vultus.

Eorum, qui sunt aliorum reprehenses.

OCVLI sunt rugosi, somnolenta facies de more videtur: quæ circa faciem sunt, & oculos, pingua.

Pusillanimi.

PARVORVM membrorum, & paruorum articularum, macer, & paruorum oculorum, & parua faciei, qualis fuerit Leucadius Corinthius.

Ludi amantes.

IVSTO breuiorem cubitum habent, gaudent victoria.

Amatores contumeliarum.

QUIBUSCVNQUE est superius labium eleuatum, & specie prona sunt, & rubicundi.

Misericordes.

MISERICORDES sunt, quicumque sunt albi coloris, & puri, & habent oculos quasi pingues, & nares deorsum distantes, & semper plorant. Idem etiam amatores sunt mulierum, & gignitores feminarum, & circa mores interrogabundi, & semper memores, & ingeniosi, callidi: horum autem signa dicta sunt. Misericors, est sapiens, & timidus, & moderatus. Immisericors, & inspiens, & inuerecundus.

Signa voracis.

VORACES sunt hi, quibus id, quod est ab umbilico ad pectus, maius est: aut quod inde est vsque ad collum.

Signa luxuriosi.

QUI est albi coloris, & pilosus, rectis capillis, & crassis, & nigris, & tempora pilosa, oculus pinguis, & lasciuus.

Somnolenti signa.

AMATORES autem somni sunt, qui habent superiora maiora: calidi, habentes carnem boni habitus, eleganti specie, hirsuti circa ventrem.

Signa memoris.

QUI habent superiora maiora, scita & carnosæ magis.

De signis particulariter.

Videtur autem mihi anima & corpus compatia ad inuicem, & animæ habitus alteratus si-

mul alterat corporis forma, & iterum forma corporis alterata simul alterat animæ habitum. Quando enim animæ est tristari & lætari, manifestum est quod tristes obscure faciei sunt, gaudentes autem hilaris. Siquidem igitur anima dissoluta, formam, quæ est in corpore adhuc existere contigerit, sanè & ita anima, & corpus compatible forent, quanuis conferentes adinuicè non forent. Nunc autè manifestum, quod utrunque sese consequitur, Maximè id ex hoc manifestum fiat: Mania videtur esse circa animam, & medicinis purgantes corpus, & diætis vtentes in ipsis, permutant animam à mania. Curationibus autem corporis, simul & corporis forma soluitur, & anima à mania permutatur. Quoniã igitur vtraque soluitur, palàm sit quoniam conferunt ad inuicem. Manifestum insuper est, quod virtutibus animæ, similes corporis formæ sunt: quare erunt omnia similia in animalibus, eiusdè cuiuspiam declaratiua. Multa autem animalia sunt, & quæ operantur, hæc quidem propriæ passionis vniuscuiusque sexus animalium sunt, aliæ verò cõmunes, in propriis igitur operibus animæ, propriæ passionis secundum corpus, in communibus autem cõmunes. Communes quidem sunt, iniuria, & quæ est circa Venerea excelsus: laceratarum, & vilium, communis est iniuria: porcorum, & asinorũ, habitus qui est circa Venerea masticando coeunt. Propriũ autè est, in canibus quidè cõtumeliosum: in asinis autè non triste. Quomodo igitur cõmune quidè & propriũ conuenit distingui, dictum est. Opus autem est multa consuetudine, si quis debet esse sufficiens ad dicendum singula de his. Quoniam enim ea, quæ videntur in corporibus, dicuntur referri ad similitudinem, quæ sunt ab animalibus, & ab actibus: & differentia quidem aliã à caliditate, & frigiditate fiunt. Sunt enim horum quædam apparentium in corporibus parua differentia vtentia, & eodem nomine appellata: vt pallores, qui fiunt à rumoribus, & qui à laboribus: hi enim eodem nomine vtuntur, & differentia parua habet inter se: parua autè differentia existente, nõ facile est cognoscere: sed ex consuetudine formæ, apparentem quidem assumere conuenientiam oportet. Est autem optimus modus, & cõmississimus, qui est ab apparente conuenientia, & contingit ita eo modo vtentem multa cognoscere: & non solum vniuersaliter vtile est, sed ad electionem signorum singularium. Electorum enim quodque decere oportet tale, vt quod eligitur vult. Amplius autem secundum electionem signorũ, & syllogismo, quo vti opus est, vbicunque contingat, adiungentes cõuenientibus conuenientia: vt si inuerecundus erit, & paruiloquus, & fur vtiq; erit, & illiberalis: & fur quidem cõsequens inuerecundiam, & paruiloquũ, illiberalis. In talibus igitur quibusque oportet hoc modo secundum conuenientiam fieri methodum. Nunc autem primũ tentabo genera animalium distinguere, & quæ ipsorum conuenienter permutari, vt sint fortia, & timida, & iusta, & iniusta. Distinguendum autem animalium genus in duas formas, in masculinam & in femininã,

adiungentem passionis conuenientes vnicuique formæ. Sunt enim similia. Et quæ conamur nutrire, ferarum mansuetæ magis, & molliores secundum animas fœminæ maribus sunt, minùs autem fortes, verum nutrimenta, & assuetudinè manuum recipientes magis. Quare existentes tales, erunt alicubi minùs iracundæ maribus. Manifestum autem id ex nobis alicui est: quoniam cum ira vincimur, difficulter prudentes, & maximè fortes sumus ad nihilum veniendũ. Ferimur autem ad violentiam inferendam, & patrandum ad quodcunque ira impulerit. Videntur autem nihil magis malefica fieri fœminea masculis, & proteruiora, & minùs defensiva. Fœminæ igitur, & quæ circa nos nutriuntur, valde manifesta sunt. Quæ verò sunt circa syluã, omnes consistunt pastores, & venatores, quod talia sunt, qualia sint dicta. At verò & hoc manifestum est, quod singularium in vnoquoque generis, fœmina mare minoris capitũ, & angustioris faciei, & subtilioris colli sit: & pectora imbecilliora habeant, & minorum laterum sunt, fœmora autem magis carnosam maribus, genua mollia, & crura subtilia habent. Pedes verò pulchriores, & formam totius corporis molliorẽ, quàm fortiorem. Minùs neruosa autem sunt, & molliora, prædita humidioribus carnibus. Masculina autem his omnibus contraria habentia, natura sunt fortiore, & iustiore genere: fœmina autem est timidior, & iniustior natura. His ita se habentibus, videtur leo omnium perfectissimum in assumendo maris formam.

De Leone mare.

LEO enim habet os magnum, faciem autè quadratam, non valde osseam, superiorem mandibulam non eminentem, sed æqualiter pendentem deorsum: nasum autè magis crassum, quàm subtilem, oculos charopos, concauos, non valde rotundos, neque valde protensos: magnitudinè verò moderatam, supercilium magnum: frontè quadratam ex medio subcauam: ad supercilia autem, & nasum sub fronte velut nubes superstat: supra frontem, iuxta nasum, habet pilos inclinatos: caput moderatum, collum bonæ longitudinis, grossum, innodatum, crinibus flauis, nõ planis, neque valde crispis: quæ sunt circa iuncturam spatularum spatiosa magis, quàm coniuncta: scapulas fortes, & pectus iuuenile: & metafrenon latum, robustis lateribus fultum: femora non carnosam, nec coxas, crura fortia, & neruosa, gressum iuuenilem, & totum corpus articulatam, & neruosum, neque valde humidum, neque durum: ambulat autem tardè, magnificè incedens, & mouens se in spatulis cum ambulat. Talis est secundum ea, quæ sunt circa corpus. Quæ autem circa animam, datiuum & liberale, magnanimum, & amans victoriæ, & mansuetum, iniustum, & amans eorum, cum quibus versetur.

De Pardali fœmina.

PARDALIS autem, fortibus esse visis, fœminæ formæ magis est, nisi secundum crura: his autem operatur, & aliquod opus fortitudinis facit. Habet faciem parua, os magnum, oculos

los paruos, albos concauos, eosdem autem superficiales: frontem longam, aures rotundas magis, quàm planas, collum longum valde, pectus expers laterum, & longum dorsum: femora carnosam, & coxas: quæ verò sunt circa ilia, & ventrem, læuia magis. Color autem varius, & totum non articulatam, & absque mensura est. Forma corporis talis est. In his autem, quæ secundum animam, pusillum est, & fraudulentum, & omnino dicere, dolosum. Animalium igitur, quæ videntur fortia, conuenientia assumpta animalia, masculinæ formæ, & fœmininæ dicta sunt. Alia autem qualia sint, facile est vtiq; pertransire. Quæcunque autem ad physiognomonizandum inspicere conueniet ab animalibus, in electione signorum dicetur. Electio autem signorum, quæ est secundum homines, sic accipitur.

De pedibus.

QUIBUSCVNQUE pedes bene nati, & magni, articulati, & neruosi, fortes sunt: secundum ea, quæ sunt in anima, reducentur ad masculinũ genus. Quicunq; autem pedes paruos, strictos, inarticulatos habent, delectabiliores autem visu, quàm fortiores, molles sunt: secundum ea, quæ sunt in anima, referuntur ad fœmininũ genus: quibus pedum digiti curui, inuerecundi, & quibus vngues curui, referuntur ad aues curuorum vnguium: quibus pedum digiti coniuncti sunt, stercorosi, referuntur ad ortygas strictorum pedum in lacubus degentes.

De talis pedum.

Quibuscunque ea, quæ circa talos sunt, neruosa, & articulata, fortes secundum animam, referuntur ad masculinũ genus. Quicunque autem sunt talis carnosam, & inarticulati, molles secundum animam, referuntur ad fœmininũ genus.

De Cruribus.

Quicunque crura habent articulata, & neruosa, & robusta, fortes secundum animam referuntur ad masculinũ genus: quicunque crura subtilia, neruosa habent, luxuriosi referuntur ad aues: quicunque crura superflua habent, & sunt parum dirupta, odibiles, & inuerecundi, referuntur ad apparentem decentiam: qui sunt secundum genua plani, cinædi, referuntur ad apparentem conuenientiam.

De Coxis.

Qui habent coxas osseas, & neruosas, fortes sunt, referuntur ad masculinũ genus: qui habent coxas ossulentas, & superfluas, molles sunt, & referuntur ad fœmininũ genus.

De Pectine.

Quicunque pectem osseum, acutum habent, sunt fortes: qui carnosum, & pinguem habent, molles: qui autem habent modicam carnem, siccam, desiccata, mali moris sunt: referuntur ad simias.

De Lumbis.

Quicunque autem bene lumbosi sunt, amatores ferarum: referuntur ad canes, & leones. Videbit vtiq; aliquis & canes valde venaticos lumbosos esse.

De Ventre.

Quibus ea, quæ sunt circa ventrem, pingua, bene fortes, referuntur ad masculinũ: quicunque autem non pingues, molles, referuntur ad indecentiam.

De Spina, vel Dorso.

Qui spinam magnam, & bene fortem habet, fortes sunt anima: referuntur ad masculinũ. Qui autem spinam strictam, & imbecillum habent, molles, referuntur ad fœmininũ genus.

De Costis.

Quicunque autem robustis lateribus, fortes sunt secundum animam: referuntur ad masculinũ genus: qui autem non bene constati, molles sunt secundum animam, referuntur ad fœmininũ genus: quicunque ex lateribus circumducti, sunt sicut inflati, loquaces, & stultiloqui, referuntur ad boues, vel ranas.

De Umbilico.

Quicunque autem maius habent quod ab umbilico est vsque ad extremum pectoris eo, quod est ab extremitate pectoris vsque ad collum, voraces, & insensibiles. Voraces quidem, quoniam ventrem magnum habent, quo appetunt cibum. Insensibiles autem, quia angustum locum habent sensus, atque in arctum redactum, ab eo, qui recipit cibum, ita vt sensus grauentur propter repletiones ciborum, aut indigentiam.

De Pectore.

Quicunque autem pectus magnum habent, & articulatam, fortes sunt secundum animam: referuntur ad masculinũ genus.

De Metafreno.

Quicunque autem metafrenon habent magnum, & bene carnosum, & articulatam, fortes sunt secundum animam: referuntur ad masculinũ. Quicunque autem imbecille, & non carnosum, & inarticulatam, molles sunt secundum animam: referuntur ad fœmininũ.

Ad idem.

Quibuscunque autem metafrenon curuum est valde, musculisq; ad pectus coacti, mali moris sunt: referuntur ad apparentem conuenientiam, quia pereunt antrorsum, conuenientia videri. Quicunque autem metafrenon eminentem habet, gloriosi, & non intelligetes: referuntur ad equos. Quoniam autem neque curuum vehementer oportet esse, neque cõcauum metafrenon, quærendum bene nati.

De Epomide.

Quibuscunque ceruix articulis eminentibus, & scapulæ, fortes sunt secundum animam: referuntur ad masculinũ: quibus ceruix imbecillis, & inarticulata, molles sunt secundum animam: referuntur ad fœmininũ. Hæc dico, quæ dixi de pedibus, & coxis.

De Scapulis.

Quibuscunque autem scapulæ bene solute sunt, liberales sunt secundum animam: referuntur ad apparentem, quia conuenit apparenti formæ liberalitas: quibus verò difficulter solubiles, conuulsæ, illiberales: referuntur ad apparentem conuenientiam.

De his, quæ sunt circa clauem colli.

Quibuscunque autem ea, quæ sunt circa clauem colli, bene solubilia, sensibiles: nam bene solubilibus existentibus quæ sunt circa clauem facile motum sensuum recipiunt, quibus verò quæ circa clauem sunt, conclusa sunt, insensibiles: difficulter enim solubilibus existentibus his, quæ circa clauem, impotentes sunt recipere motum sensuum,

De Collo.

Qui collum grossum habent, fortes sunt secundum animam: referuntur ad masculinum. qui autem habent subtile, imbecilles sunt: referuntur ad feminas. Quibuscunque; collum grossum, & carnosum, iracundi: referuntur ad iracundos tauros. Quibuscunque autem est bene magnum, non valde grossum, magnanimi: referuntur ad leones. Quibus est longum, subtile, timidi sunt: referuntur ad ceruos. Quibus autem breue valde, dolosi, & insidiatores: referuntur ad lupos.

De Labijs.

Quibus sunt labia subtilia, & in extremitatibus laxa, ita vt superius labium ad inferius protendatur ad coniunctionem labiorum, magnanimi sunt: referuntur ad leones. Videbit vtique aliquis hic & in magnis & fortibus canibus, quibus labia subtilia, dura circa dentes caninos, supereminetes, qui ita habent, ignobiles: referuntur ad sues. Qui autem grossa labia habent, & superius inferiori propendens, fatui: referuntur ad asinos. Quicunque autem superius labium & gingiuas præminentia habent, amatores sunt contumeliarum: referuntur ad canes.

De Naso.

Quicunque autem nasum extremum grossum habent, rathymi sunt, id est, facilem animam habent ad concupiscendum: referuntur ad boues. Qui autem nasum in extremitate grossum habent, insensibiles sunt: referuntur ad sues. Qui nasum extremum acutum habent, difficulter irascibiles sunt: referuntur ad canes. Qui nasum habent rotundum, & obtusum, magnanimi: referuntur ad leones. Qui verò nasum extremum subtilem habent, auiculares. Qui habent à fronte mox euruum, inuerecundi sunt: referuntur ad coruos. Quicunque autem aquilum habent, articulatum à fronte, magnanimi: referuntur ad aquilam. Quicunque nasum concauum habent, & frontem rotundam, & rursus eminens rotundum, luxuriosi: referuntur ad gallos. Qui verò simum, luxuriosi: referuntur ad ceruos. Quibuscunque nares sunt apertæ, iracundi: referuntur ad passionem, quæ fit in ira.

De Facie.

Quicunque faciem carnosam habent, rathymi, id est, facile concupiscibiles sunt: referuntur ad boues. Qui autem faciem macilentam habent, solliciti. Qui autem carnosam, timidi: referuntur ad facies asino, & ceruo similes. Qui valde paruam habent, pusillanimitas: referuntur ad catum, & ad simiam. Quibus facies magna, tardi: referuntur ad asinos, & boues. Qui verò neque paruam, neque magnam, oportet esse medios: habitus vtique horum medius erit conueniens. Quibus autem facies videtur paruifica, illiberales sunt: referuntur ad apparentiam.

De Oculis.

Quibus autem ab oculis tanquam vesiculæ dependent, amatores vini sunt: referuntur ad passionem. Quibus vehementer cadunt, quæ ante oculos apparent, vt vesiculæ, amatores somni: referuntur ad passionem, item ex somno surgentibus dependent quæ sunt in oculis. Quicunque oculos paruos habent, pusillanimitas: referuntur ad apparentiam, & simiam. Quicunque verò habent oculos magnos, referuntur ad boues. Igitur bene natum oportet neque magnos, neque paruos habere oculos. Qui verò concauos habent, malefici: reducuntur ad simiam. Quicunque habent oculos eminentes, fatui: referuntur ad apparentiam, & asinos. Quoniam autem neque eminentium oculorum, neque concauorum oportet esse, medius vtique habitus præstabit. Quibuscunque autem oculi sunt parum concaui, magnanimi: reducuntur ad leones. Quibus verò plus, mansueti: referuntur ad boues.

De Fronte.

Quicunque frontem paruam habent, indisciplinabiles: referuntur ad sues. Qui autem magnam valde, tardi: referuntur ad boues. Qui rotundam habent, insensati: referuntur ad asinos. Qui autem minus planam habent, sagaces: referuntur ad canes. Quicunque quadratam, & moderatam frontem habent, magnanimi: referuntur ad leones. Quicunque autem collectam habent, adulatores: referuntur ad passionem, quæ fit. Id in canibus videbit quispiam, qui cum blandiuntur, contractam habent frontem. Quicunque autem nebulosum, audaces: referuntur ad taurum, & leonem. Quando autem nebulosus habitus, audaciam significat, tranquillitas autem adulationem, medius habitus vtique horum bene decenter se habet. Quicunque tristem habent frontem, mæsti: referuntur ad passionem, quoniam mæsti tristem habent faciem. Qui autem demissam, lamentabundi sunt: referuntur ad passionem, quia lugentes demissæ sunt frontis.

De Capite.

Quicunque autem habent magnum caput, sensati: referuntur ad canes. Qui verò paruum, insensati: referuntur ad asinos. Qui habent capita pineata, inuerecundi: referuntur ad habentes vngues ceruos.

De auribus

De auribus.

Quicunque; aures paruas habent, simiales sunt. Quicunque autem magnas, asinini. Videbit vtique aliquis & canum optimos moderatas aures habere.

De coloribus.

Qui valde nigri sunt, timidi: referuntur ad Aegyptios, & Aethiopes: valde autem albi, timidi sunt: referuntur ad mulieres. Color autem, qui confert ad fortitudinem, medium horum oportet esse. Flauus, magni animi sunt: referuntur ad leones. Ruber, valde astuti: referuntur ad vulpes. Pallidi, colore turbati, timidi sunt: referuntur ad passionem, quæ fit ex timore. Qui autem sunt mellei coloris, sunt frigidi: frigida autem mobilia difficulter: mobilibus autem difficulter existentibus iis, quæ iuxta sunt corpus, erunt vtique tardi. Quibus color ruber est, acuti sunt, quoniam omnia, quæ sunt secundum corpus, à motu calefacta erubescunt. Quibus color flammeus est, maniaci: quia ea, quæ sunt in corpore vehementer calefacta, flammeum colorem habent. Qui autem sunt extremè calefacti, maniaci vtique sunt. Quibus autem est flammeus color circa pectus, difficilis iræ sunt: referuntur ad passionem. Iratis nanque superaccenduntur ea, quæ sunt circa pectus. Quibus autem circa collum & tempora venæ distensæ sunt, difficilis iræ referuntur ad passionem, quia iratis hæc accidunt. Quibus facies supererubescens est, verecundi sunt: referuntur ad passionem, quia verecundatis supererubescit facies. Quibus genæ supererubescunt, amatores sunt vini: referuntur ad passionem, quia ebriis supererubescunt genæ. Quibus autem oculi supererubescunt, extra se feruntur ob iram: referuntur ad passionem, quia qui ab ira efferuntur, erubescunt oculis. Quibus autem oculi valde nigri, timidi: niger enim color valde, videtur timiditatem significare. Qui autem non sunt valde nigri, sed declinant ad flauum colorem, boni animi sunt. Quibus autem oculi glauci, aut albi, timidi sunt: visus est albus color timiditatem significare. Qui autem non sunt glauci, sed charopi, boni animi sunt: referuntur ad leones, & aquilas. Quibus autem vino colore similes sunt, stolidi sunt: referuntur ad capras. Quibus ignei sunt, inuerecundi: referuntur ad canes. Qui autem oculos discoloratos habent, & turbatos, timidi: referuntur ad passionem: quia qui timuerint, pallidi fiunt colore non æqualiter. Quicunque oculos lucentes habent, luxuriosi: referuntur ad coruos & gallos.

De pilositate tibiæ, & aliarum partium.

Qui tibiæ pilosas habent, Venerei sunt: referuntur ad hircos. Qui autem ea, quæ sunt circa pectus, & ventrem, valde pilosa habent, nunquam in eisdem perseuerant: referuntur ad aues: quia ex pectus & ventrem valde pilosa habent. Qui pectora habent valde nuda, vel non pilosa, inuerecundi sunt: referuntur ad mulieres. Quoniam igitur non oportet valde pilosa esse, neque nuda, medius habitus est optimus. Quicunque

umeros pilosos habent, nunquam in eisdem perseuerant: referuntur ad aues. Qui dorsum habent pilosum valde, inuerecundi sunt, referuntur ad bestias. Quicunque autem collum retrò pilosum habent, liberales sunt: referuntur ad leones. Qui autem mentum habent acutum, boni animi: referuntur ad canes. Quicunque habent supercilia coniuncta, tristes sunt: referuntur ad similitudines passionis. Qui supercilia diuisa habent ante nasum, & extensa vsque ad tempora, fatui sunt: referuntur ad porcos. Qui erectos pilos habent in capite, timidi: referuntur ad passionem: quia timentibus eriguntur. Qui capillos multum crispas habent, timidi: referuntur ad Aethiops. Quoniam igitur rigentes, & vehementer crispas timiditatem ferunt, qui in extremitate sunt crispas, ad bonum animum referuntur, referuntur autem & ad leonem. Qui id frontis, quod est ante caput, eleuatum habent, liberales sunt: referuntur ad leones. Qui in capite adnatos habent capillos ad frontem iuxta nasum, sunt liberales: referuntur ad decentem apparentiam.

De gesticulatione manuum.

De manus, & cubiti, & brachii motu, eadem referuntur. Qui humeris rectis, tensis insultant, galeangones: referuntur ad equos. Qui scapulis mouentur curui, sunt elati: referuntur ad leones. Qui pedibus inuersis ambulantes, & cruribus, foeminini: referuntur ad mulieres. Qui verò corporibus circumtorquentes se, & fricantes, adulatores sunt: referuntur ad passionem. Inclinati autem ad dextram in ambulando, cinædi sunt: referuntur ad apparentem decentiam. Quicunque oculos habent bene mobiles, acuti, rapaces: referuntur ad accipitres. Qui palpebrizant, timidi: quia in oculis prima mouentur. Qui oculos frequenti tempore mouentes, tincturam albuginis in oculo velut immotam habent, intellectuui. Si enim in quopiam intellectu vehementer fiat, in ea stat & visus.

De voce.

Qui voce admodum magna vociferantur grauitate, iniuriosi, referuntur ad asinos. Quicunque autem vocant à graui incipientes, & finiunt in acutum, iracundi, & lugentes: referuntur ad boues, & ad decentiam vocis. Quicunque autem vocibus acutis, mollibus, ac ruptis loquuntur, cinædi: referuntur ad mulieres, & ad decentiam. Quicunque grauitate vocant, magnum, ac perplexum: reducuntur ad fortes canes, & decentiam. Quicunque molliter sine contentione vocant, mansueti: referuntur ad oues. Quicunque vocant acutè, & fortiter, iracundi: referuntur ad capras.

De paruis corpore, & magnis.

Parui valde, acuti sunt: motu enim sanguinis paruū locum continente, motiones quoque valde velociter accedunt ad sapere. Qui autem sunt valde magni, tardi. Motu enim sanguinis magnum locum continente, motus tardè accedunt.

dunt ad sapere. Quicumq; autem paruorum fic-
cis carnibus vtuntur, aut & coloribus, aut quæ
per caliditatem corporibus superfluunt, nihil
perficiunt. Existente enim in motu paruo, & ve-
loci propter igneum, nunquam secundum idem
est sapere: sed aliud in alio prius, quam excedens
perficiat. Quicumque magnorum humidis carni-
bus vtentes, aut coloribus, qui propter frigidita-
tem innascuntur, nihil perficiunt: existente enim
motu in magno loco & tardo per frigiditatem 10
non permittit aliquid accedere ad sapere. Qui-
cunque autem paruorum humidis carnibus vtun-
tur, & coloribus propter frigiditatem, fiunt per-
fectiui. Existente enim motu in paruo, difficul-
ter mobile complexionis commensurationem
præbuit primùm perficere, Quicumque magno-
rum duris carnibus vtuntur, & coloribus per ca-
liditatem, fiunt perfectiui, & sensitiui: existente
enim latiore in loco magna, & tarda propter fri-
giditatem, nihil conduceret accedens ad sapere. 20
qui verò magni duris carnibus vtuntur, & colo-
ribus propter caliditatem, fiunt perfectiui, & sen-
sitiui: magnitudinis enim superabundantiam, &
carnium, & coloris caliditas acquisiuit: quare
commensuratum esse ad perficiendum. Exceden-
tia igitur corporum magnitudinibus, aut parui-
tudinibus deficientia, quomodo perfecta sunt, &
quomodo imperfecta, dictum est. Media autem
natura horum ad sensus optima & perfectissi-
ma, quibus vtique supponitur inesse. Motus e- 30
nim non multi existentes, facilius ad mentem
accedunt, nec etiam paulatim existentes proce-

dunt: quare perfectissimã & ad perficiendum qua-
fuerint proposita, & ad sentiendum oportet mo-
deratam esse magnitudinem.

De commensuratis, & incommensuratis.

INCOMMENSURATI, astuti, vel dolo si,
referuntur ad passionem, & ad foeminã. Si enim
qui incommensurati sunt, astuti sunt: commen-
surati vtique erunt simul & iusti, & fortes. Rela-
tionem autem commensurationis ad corporum
bonam motionem, & bonam natiuitatem redu-
cere oportet, sed non ad formam maris, sicut in
principio dictum est. Bene se habet autem & o-
mnia signa, quæcunque prædicta sunt, referre ad
apparentem conuenientiam, & in masculum &
foeminam. Hæc enim perfectissima diuisione di-
uisa sunt, & demonstratum est quod masculus est
foemina iustior, & fortior, & vniuersaliter dice-
re, melior. In omni autem electione signorum,
alia aliis signis magis declarant manifestè subie-
ctum. Manifestissima autem, quæ in principalibus
locis fiunt. Principalissimus autem locus
est, qui est circa oculos, & frontem, & caput, &
faciem. Secundus autem, qui est circa pectus, &
scapulas. Consequenter circa crura, & pedes: qui
autem circa ventrem, minimus. Omnino autem,
vt sic dicam, ista loca manifestissima signa præ-
bent, in quibus & sapientiæ plurimæ decor ap-
paret.

LIBRI ARISTOTELIS DE PHY-
SIOGNOMIA, FINIS.

ARIST

ARISTOTELIS
STAGIRITAE
de Mirabilibus Auscultationibus Liber.

Bovisum vo-
cat Plinius.



NPæoniæ mon-
te Hæseno, qui
Pænicam Me-
dicamq; regio-
nem terminat,
feram quandã,
alibi Bolinthũ,
à Pæonibus ve- 20
rò Monepon vo-
catam, inueniri
tradunt: quæ o-
mni quidẽ natu-
ra ad bouis similitudinẽ accedat proximè, disse-
rat verò magnitudine, & robore, ac iuba insu-
per. Est enim ea à ceruice illi velut equo admo-
dum promissa, æq; vertice ad vsq; oculos depen-
dens. Cornua autem non quemadmodũ bobus,
sed adunca in se inflexa, mucronibus deorsum 30
versus aures porrectis, magnitudine tam ampla,
vt singula plus semisextario capiant, colore ma-
ximè atro, & relucente pèrinde, ac rasa, decorti-
catãque. Tergus distentum, locum octo accuban-
tium occupat. Percussa fugit, nec nisi cursu dela-
sata subsistit. Carnem habet gustu gratissimam.
Calcibus sese tuetur, & alui proluuie, quam ad
passuum etiam quatuor spatium proiicit, (nam
ea egerendi forma frequenter vtitur) feruentem
adeò, vt canum, qua pertingat, pilos absumat. 40
Verùm concitata: tantum belluæ, non etiã quie-
scentis stercorea eam vim habent. Imminẽte par-
tu, simul pluribus collectis, enituntur adultiores,
inque circulum egerunt, ac se quasi vallo cir-
cundant & muniunt: largam enim quandam
eius fimi copiam hoc genus animantis reiicere
solet.

In Arabia aiunt, camelos non inire matres su-
as, sed etiam si quis cogat, non patiuntur. Porrò
curatorem admissario aliquando destitutum, o-
pertam matrem submisisse pullo, qui etsi coitũ
(vt videtur) absoluit, paulò tamen post eum ho-
minem, morsibus necauit.

Cuculos in Helice inquit generaturos, non
nidificare, sed in palumbium, aut turturum nidis
parere, sed & nec incubare, nec excludere, neq;
nutrire. Verùm natum iam pullum (singulos e-
nim edit tantum) nutritumque, reliquos suos
coalumnos è nido deturbare: quippe qui ad tan-
tum roboris, pulchritudinisque excreseat, vt &
reliquis facile sit superior, & nutricem quoque
in sese conuertat, quæ specie eius exultans in
iiciendis suis offert opem.

Capræ Creticæ, sagittis percussæ, quærunt, vt

adparet, Dictamum, isthic proueniens, culus pa-
sui tela è corpore eiiciunt.

Cervos Achaicos, aiunt cornua amissuros, lo-
ca difficilia, & quã inueniri nequeant; petere,
propterea quod armis destituti, tueri se nequeant,
tum ob dolorem, quem ex auulforum cornuum
vestigiis sentiunt, vbi & enatam gerentes hæde-
ram plurimos visos esse.

In Armenia venenum quoddam nasci aiunt,
quod pardalium vocant; id venatores lanæ il-
litum, vbi visus est pardus, abiiciunt. Qui si
ex eo degustauerit, humana excrementa reme-
dio quærunt. Quocirca venatores vasculo im-
posita, ex arbore suspendunt, vt assultatione fre-
quenti, fracta viribus, lassatãque bestia domari
queat.

In Aegypto aiunt, crocodilis hiantibus, tro-
chilos aues, dentes expurgare, carunculis, quæ in
rostris hærent, exesis, atque hoc velut gratum of-
ficium cum voluptate admittere, nec vllò pacto
nocere.

In Cephalenia non bibunt capræ diebus sin-
gulis, vt videtur, pro reliquorum quadrupedum
more, sed ad flantem auram conuertæ, hiantes-
que, hausto vento reficiuntur.

In Syria, inquit inter syluestres equos, vnũ
præire armento, vbi si iunior aliquis equam ini-
turus cõscenderit, ducenti indignari, & hunc tan-
tisper, dum comprehendat, persequi, defixoque
morsu verenda euellere.

Testudines aiunt, quando serpentem degluti-
uerunt, mox origanum insuper vorare, id nisi
promptum statim inueniant, interire. Multosq;
ruri agentes cum id experiri vellent captata op-
portunitate, origanum euulsam quærenti præri-
puisse, eoque animans in ipsorum conspectu su-
bito interiisse.

Viueris aiunt genitalia esse, reliquis anima-
libus plurimùm absimilia, quod ipsis quomodo-
cunque affectis sint instar ossium firma, durãq;
Singulari stranguria laborantibus remedium, si
rasa, tritãque exhibeantur.

Picum martiũ, arbores scandere ferunt, quem-
admodum ascalaphum, tam resupinum, quam
pronum, depasciq; vermiculos, quos adeò vesti-
gat auidè, vt totos stipites tundendo perforat.

Pelecanos aiunt, conchas fluuiatiles vorare,
multitudinẽq; ingestam mox vomere, ac eo,
quod esui est, vesci, cæterum à testa abstinere.

Circa Cyllenen Arcadiæ, merulas candidas gi-
gni tradunt, quod alibi nusquam contingat,
vocẽque varias sonare. Luna lucente progrædi,
int

interdium verò quantolibet studio aduigiletur, depræhendi non posse.

A quibusdam fertur, mel Anthinum, vt vocât, circa Melum Cnidumque nasci, odore quidem suauis, sed ne utiquam durabile id erithacam fieri.

Circa Cappadociam aiunt locis quibusdam mel la citra fauos comportari, olei instar crassa.

Stephan. & hunc locum citat. In Trapezunti vrbe, ea quæ in Ponto sita est, mel ferunt è buxis produci graueolentissimum, quòd fauos quidem mentis loco moueat, ægros verò, perculsôsque eiusmodi stupore sanet.

In Lydia aiunt ex arboribus mella copiosa colligi, vnde pastillos absque cera indigentæ conficiunt, duritia tanta, vt nisi vehementiore attritu nihil demi inde possit.

Fit & in Thracia mel non pèrinde solidum, sed arenosum. Cæterum mella omnia concreta eandem crassitiem seruant, diuersam ab aqua, & liquidis reliquis. Reliqua enim omnia concreta non nihil siccescunt, attenuanturque.

Chalcidica herba, & amygdala ad mella conficienda vsus præbent maximum. Tum etiam augere foetum vehementer dicuntur.

Apes aiunt ex vnguentis inebriari, neque odorem ferre posse. Itaque redolentes vnguenta à cæteris vapulare.

Illyrios ferunt, quos Taulantios vocant, ex mellis vina reddere. Fauos enim aqua superfusa expriment, ac simul ahenis ad mediam vsque partem incoctam, primum fistilibus infundunt, iam tum dulcissimam: dehinc vasis ligneis referunt in multa tempora, donec per omnia vini sapore contrahat, cætera potus dulcis, & syncerus. Ea verò industria, in Græcia aliquando paratum ferunt, vt à vino vetere nihil differret. Verum missionè déinceps perquisitâ explorari non potuisse.

Circa Thesaliam tantam serpentum copiam generari memorant, vt à ciconiis nisi tollantur, inhabitabilis, desertatque; reddatur regio: quocirca & has venerant incolæ, & lege, ne quis noceat, cauetur, homicidii poena transgressori constituta.

Videntur la miniatim cõstruere, non fudere, quod alii solent. Eodem pacto Lacedæmonem ferunt, serpenti bus adeò refertam quondam, vt ob annonæ penuriam, his vice alimentorum vterentur Lacones: vnde & à Pythia *ὄφιοέπρις* vocatos.

In Cypro insula Metas aiunt ferrum deuorare. Aiunt & Chalybas, in iuxta sita parua insula aurum comportatum construere peculiari præ aliis omnibus studio: quocirca in metallis, vt videtur, effossum secant.

Fertur ex Sufis in Mediam iter facientibus statione altera, immensam scorpionum multitudinem generari. Quocirca transiens aliquando isthac Perfarum res triduo ibidè hæsit, suisque omnibus scorpionum venationem imperauit, præmio iis, qui captorum numero excelleret, proposito.

In Cyrene aiunt non vnum tantum muscarum genus reperiri, sed plura, formisque, & colore distincta. latifrontes enim alias velut mustelas, alias viperis similes esse, quas & echidnas vocant.

In Sicilia ferunt aquæ vorticem esse, in quemmersæ aues, reliquæve animantia suffocata, vitæ restituantur.

In Scythis, quos Gelonas vocant, Tarandus re-

peritur haud frequens, colorem mutat pro loco, in quibus extiterit, varietate, & pròinde ratio capitur. Nam & arborum, & locorum, & in vniuersum omnium, quibus adpropinquarit, colorem reddit. Et, quod admiratione cum primis dignum est, habitus non solum corpori tam varius, quod etiam cum Chamæleonte illi commune est, sed etiam villo datur. Magnitudo ei, quæ boui, caput ceruino simile.

10 Ferunt in Abydo quendam mente destitutum, in theatrum progressum vacuum, multosque dies illuc diligenter, tamquam in eo essent histriones, applausisse, acclamasseque; admirabundè: cæterum mente recepta dixit suauius se nunquam, atque eo tempore, vixisse.

Tarenti aiunt cauponem noctu quidem insanuisse, interdium verò vina vendidisse: sed & clauiculam domus suæ in zona ita conseruasse, vt quamlibet multis surripere conantibus nunquam tamen amiserit.

20 In Lipara insula, aiunt quidam terram reperiri, quasi ollam obruas, quicquid iniicias lixetur.

In Media Pisticine, regione Persidis, ignes quidam iugiter æstuant, illi quidem modicè, hi autem vehementer, flamma pura, lucentisque efflagrantes, locis utique planis, non accliuibus. Quam ob rem & rex Perfarum isthic coquinas extruxit. Conspicui sunt hi quidem diu, noctuque, alii verò in Pamphylia noctu tantum.

30 Aiunt circa Aritaniam, iuxta colles Apolloniatis petram esse, in qua latens ignis non appareat quidem, sed superinfuso oleo exardescat.

Ferunt ex columnis Herculis incendia, alia quidem iugi flamma, omni tempore flagrare, alia autem noctu tantum, vt Periplus scribit: similem & in Lipara, conspicuum quidem ignem, lucentemque; sed noctu tantum. Aiunt & in Pithecusis insulis æstuarium esse, ignea quidem vi, feruentisque supra modum ardore, nec tamen flammam mittere. Porro alterum in Lipara inquit Xenophanes, interdum, annis sexdecim prorsus extingui, decimosextimo rursus redire.

40 Ferunt circa Lydiam ignes emergere immensos, diebusque septem ardere. Cum primis verò admiratione dignum est, quod circa Sicilia craterem inquirunt, ignium emicantium latitudinè stadia quadraginta patere, altitudine autem vix ad tria vsque tolli.

50 In Thracia aiunt lapidem, quem spinum vocant, dissectum ardere, compositumque rursus, quemadmodum & Smarillum aqua perfusum accendi, vtrinque non absimilem Maritham quoque ostendere.

Circa Philippos in Macedonia, ferunt metallam inueniri, quorum ramenta crescunt dissecta, aurumque manifestò producant.

Aiunt & in Cypro, circa Tyrriam quæ vocât, ferrum natura æquè miranda prouenire. Quod in minuta frusta concisum feritur, deinde aqua perfusum augetur, surgitque vt colligi queat.

60 In Mylo insula ferunt, effossum terræ cavernas, alia succrescente humo rursus compleri.

Circa Pæoniam dicunt, crebris imbris terra liquefacta, aurum, quod apyrum vocât, inueniri.

In

In Pæonia ferunt, adeò fertile auro solū esse, vt plurimis pondus minam excedens repertum sit. Ex eo regi exhibent glebas duas, quarum altera duas, altera tres libras appendat, atque eas aiunt mensuræ principali apponi, primumque exiis cibum degustari.

Aiunt & in Bætris, Ozum fluuium glebulas auri plurimas ferre, similiter & in Theodoronte, circa litora ebullire aurum, & aluco quoque deferri.

10 In Pieria Macedonia fertur aurum non signatum, in quatuor terræ hiatus defossum esse à regibus præscis, ex quorum vno auri lamina palmi magnitudine excreuerit.

Fertur autem peculiaris quædam generatio esse ferri Chalybici Mysinique, vt quod ex sabulo fluuiorum comportatum, alii simpliciter lotum in fornace excoqui, alii illam etiam ex lotura frequentiore subsidentem hypostasim iniici, simulque igni purgari tradunt, adiecto Pyrimacho lapide, qui isthic plurimus reperitur. Hoc genus ferri, aliis est multò nitidius, & nisi vnus tantum ignibus, vnique fornace purgetur, argento simile redditur. Solum hoc est impermissum, cæterum minimè prouenit copiosè.

Aiunt & apud Indos, æs adeò splendidum, purum, syncerumque reperiri, vt colore, & specie, nequaquam ab auro discerni queat: vnde & inter Darii pocula cados quosdam esse, qui nisi olfactus iudicio ab auro distare non cognoscantur.

30 Stannum ferunt Celticum, multò, quam plumbum, citius liquefieri: argumento est, quod etiam in aquis soluatur, & colore inficiat quæcunque attingit.

Sed & ex frigoribus liquefcit, calore scilicet ex congelatione intrinsecus ob mollitiem incluso & coacto.

In Pantheo olea est, quam Callistephanum vocant, omnia folia, reliquis oliuis contraria forma producat. Quippe quæ supinam, non pronam partem habeat viridiorem, ramos mittit quemadmodum myrtus, vnde & sumpta plantula Hercules Olympiis oleam plantauit, athletis coronas suppeditantem. Distat ab Ilisso fluuiostadiis sexaginta, muro circumiecto munita. Ac ne quis tangat, grandi poena cauetur. Hinc & Elei decerptum surculum, in Olympio campo plantarunt, vt victores inde coronis donarentur.

50 In metallis Lydiae circa Pergamum, quæ quondam extruxerat Cræsus, accidit, vt cum bello orto opifices in ea confugissent, obstructo ab hostibus exitu, suffocati sint, verum longo post temporum intervallo, apertis rursus, repurgatisque metallis, inuentæ sunt amphoræ, aliæque id genus vasa, quæ ad manuarios vsus adhibuerant, repleta humore quodam, & in lapides indurata, & iuxta etiam ossa humana.

Lacus Ascanii aquas ferunt adeò nitrosas esse, vt vestibis in hunc intinctis alia lotionem nulla sit opus, diffuere verò, si quis diutius paulò immerferit.

60 Fretum inter Siciliam & Italiam vnà cum Luna intumescit & subsidet. Porro in prato iuxta viam quæ Syracusas ducit, fons est, neque amplius,

neque aqua larga scaturiens, ad quem cum turba numerosa confluxisset, auctus subito præbuit aquarum abundè liberalem copiam.

Est & fons in Palice Sicilia, amplitudine decacini. Aquas ad sex cubitorum altitudinem eicit, vt inundaturus planitiem omnem videatur, verum eodem loco diffuens consistit, porrò iuriurando hic sacer haberi solet. Quæ enim cunque libet, tabellæ inscribunt, inque fontem abiiciunt, ea si verò iureiurando confirmetur, natans in superficie tabula testabitur: sin secus, velut pondere depressa eripitur ex oculis, igneque corripitur periurus. Quocirca fidei iuramentum caput Sacerdos, qui iuxta numinis vindicta sacrum, execrandumque si peierarit asportet.

Demonesus Carthaginiensium insula à Demonefo primo cultore nomen traxit, vbi ceruleum metallum reperitur, & chrysocolla ad auri venas pulcherrima, oculisque medicandis cum primis utilis, Sed & æs natans ibidem est, stagno passibus duobus in mare porrecto, vnde conflata statua sunt, in Sicyone vetusto Apollinis templo, inque Pheneo, orichalcei appellantur, inscriptione eiusmodi insignitæ, Hercules Amphitryonides Heli capta constituit. Eadem duce femina, cuius parentem necarat Augiam occupauit. Fosfores metalli huius visu redduntur acutissimo, & si palpebris fortè careant, tunc nascuntur. Quapropter simul æs, cineremque phrygium oculis medicandis adhibent.

Eodem loco spelunca est, quam Claphyrâ vocant, in qua columnæ ex guttis destillantibus excreuerunt, id quod apparet, quæ ex imo pauimentum tolluntur, vbi spatium etiam angustissimum, res fuisse, Ex aquilarum paribus alternis haliaetus & aquila nascuntur, quoad par eiusdem generis coniugabile nascatur. Ex haliaetis fulica, ex his accipitres, vulturisque generantur. Verum vultures non diuersum genus, sed grandes rursus vultures gignunt, eosque steriles: indicio est, quod vulturis magni natus nemini mortalium visus sit.

Stupenda vis apud Indos plumbi cõspecta est: liquefactum enim si aquæ frigida infundatur, exilire traditur.

Aes Mossonæ cum splendidiore cadore eminere ferunt, non adiecto stanno, sed terra quadam isthic nascete simul incoctum. Atque eius adtèperaturæ primū inuentorem celata arte neminè docuisse, & pròinde priorum temporum æramenta iis in locis posterioribus longè præstantiora depræhensa.

50 Aiunt in Ponto auium quoddam genus reperiri, quæ non egerant, sineque sensu doloris non deplumentur solum, sed obelisco etiam suffigantur. Verum ex ignis admoti calore sensum cieri.

Apes solstitia denuntiare videntur, suo ad labores egressu, quod & melitopolis certo argumento est, quippe quæ tum quietem agant. Videntur & cicadæ post solstitia demum canere.

Echinum à cibo abstinere ad annum vsque, euo lutum tradunt.

Stellionem cum exuuias more serpentum reicit, mox conuersum deuorare aiunt: obseruari enim à medicis solitum, ob vsus, quem in epilepsia curatione præclarum habent.

Vrsæ

Vrsæ adipem aiunt hyeme, quo tempore somno indulgent, frigore concretam excrescere, supræque vasa, quibus reposita fuerit, tolli.

In Cyrene ranas mutas, & sine voce aiunt esse, & in Macedonia Ematheolicis suis solidas vngulas esse.

In Cappadocia ferunt mulas fœcundas esse, & in Creta alnos fructum ferre.

Circa Babylonem aiunt quidam in cauernis aquosis pisciculos latere: verum arefacto flumine ad areas pastum prodire, alarum subsidio, caudæq; motu, cæterum fugere persequentes, caputq; humo mersum, reliquo corpore tegere, quod multi insequendo, irritandq;, explorarunt, caput habent ranæ marinæ simile, reliquum corpus gobio, branchias verò piscibus aliis.

Heracleæ piscium genus aiunt esse, intra terræ cauernulas defossum, maximè circa flumina, locaque humidiora. Verum arefcentibus iis locis, primùm contrahi aiunt, mox inualefcente siccitate, humorem in sylvas vsque persequi, donec eo quoq; destituantur. Itaq; latibulis vel mediocriter vdis ferarum instar hærere, immotæque, defixæque, cæterum si ante superuenientes aquas effodiantur, moueri.

In Paphlagonia pisces altè in terram defossos aiunt, virtute præstantes, etiam si nec aquæ in proximo appareant, neque illabantur flumina, sed sola, nudaque terra patiantur.

Cervos in Epiro dextrum cornu abiicientes aiunt defodere, rebus multis vtile.

Phocam aiunt captum vomere coagulatum, efficax epilepticis pharmacum.

Ligam ferunt caudam studiose contegere, cum ad alios vsus, tum maximè sphragidis conficiendis idoneam.

Fertur circa Italiam, in Cyrceo monte lethale venenum nasci, tanta vi, vt sumptum mox pilis corpus totum nudet, ac soluat adeò membra cuncta, vt velut liquefcentia cadauerum speciem miserabilem tota superficie præbeant. Hoc ferunt Pemestium, Gaiumque, Cleonymo, Spartiatæ insidiatos esse, verum depræhensos, exanimatôsque à Tarquiniis supplicio affectos.

In Diomedæa insula maris Adriatici, ferunt templum quoddam & admirandum, & religione sacrum, ab aibus in circulum obsideri, magnitudine vastis rostris, & prælongis, & turridis. Qui Græcis quidem accedentibus quietem agant, cæterum Barbaris, qui accolunt, venientibus, subuolant, ac pedibus, rostrisque capita eorum lacerant, inflatisque multis vulneribus interimant. Fabulantur has quondam ex sociis Diomedis extitisse, circaque eam insulam facto naufragio, ducem amississe ab Aeneo gentium illarum rege dolo necatum.

In Ombricis insulis aiunt pecora annis singulis ternos partus edere, terramque multiplicem ferentibus frugem reddere. Sed & mulieres fœcundas vehementer, vt quæ rarò vnos, sed plerunque geminos, aut ternos enitantur.

In Electridis insulis maris Adriatici sinu duæ statuae recumbentes videntur, ad formam priscam elaboratæ, stannea altera, altera verò ærea, Dæ-

dali opus, vt existimatur, monumentumq; reru iis temporibus gestarum, quibus ipse Minoa ex Sicilia, Cretaque fugiens, ad hæc loca appulit. Insulæ ab Eridano præterlabente effusæ traduntur. Præterea & lacus iuxta flumen est, aqua calida feruens, tum odorem adeò exhalans fœtidum, vt & armentis aquandis inutilis sit, & aues etiam superuolantes necet. In hunc & Phaethonta fulmine ictum delapsum fabulantur incolæ. Ambitus est in circulum haud minor ducentorum stadiorum. Tum populi arbores in eo frequentes. Vnde (quod vocamus) electrum distillat, gummi simile, eò quòd ad instar lapidis indurescat. Collectum autem ab incolis in Græciam deportatur. In has ergo insulas deuenisse Dædalum, occupasseque ferunt, & imaginem in vna suam, in altera Icarum filii constituisse. Verum soluentibus iam Græcis, Argôsque exidentibus, Dædali statuam velut fuga sibi cõsulentem, in Icarum insulam miraculose abiisse.

In Aetna Sicilia monte est, vt inquit, spelunca, quam circa florum omnigena copia crescit omni tempore, tum violis immesum quoddam spatium obtegitur. Quæ finitima loca adeò fragrantia sua replent, vt occupati hac suauitate odoris venatici canes, lepores vestigare nequeant. Ac sub eodem hiatu obscurum quoddam antrum latet, quò Proserpinam rapuisse Pluto fertur: triticumq; reperitur nec domestico, quo vtantur, neque alii importato simile, sed peculari proprietate insigne: quo argumento contendunt illhic primùm omnium triticum conspectum esse: & proinde Cererem etiam sibi, vt apud se natam, vendicant.

In Creta lupos, vrsos, vipersas, aliasque id genus noxias feras nullas nasci dicunt Iouis beneficium, qui isthic natus perhibetur.

Extra columnas Herculis aiunt in mari à Carthaginensibus insulam fertilem, desertamque inuentam, vt quæ tam sylvarum copia, quam fluminibus nauigationi idoneis abundet, cum reliquis fructibus floreat vehementer, distans à continente plurium dierum itinere: in qua cum Carthaginenses quidam ob soli fertilitatem connubia agitare, ac habitare cœpissent, ferunt præsidet, ne quis deinceps insulam ingrederetur, pœna capitis interdixisse, incolæque, eiecisse, ne coitione (si habitare isthic pergerent) facta, insulæ principatum consequerentur, Carthaginenses ea felicitatis parte priuarent.

Ex Italia ferunt viam adusque Celtas Gallos, & Celtiberos protendi, Heracleam vocant, in qua & Græci, & indigenæ transeuntes, ab incolis obseruatur, ne quid iis malè fortè accidat, quippe quòd pœnas ii pendunt, damnumque lege faciunt, in quorum finibus datum fuerit.

Apud Celtas venenum reperiri tradunt, quod Xenicum ipsi appellant, tanta celeritate insiciens, necansque, vt venatores Celtæ cum ceruum iaculo tincto percusserint, festinatò adcurrant, carnemque vulneratam excutant, ne veneno promeante animal putrefiat, alimentòq; inutilis caro reddatur. Verum inuentum esse huic antipharmacum corticem quercinam, aut, vt volunt

volunt alii, folium quod *κοκάνιον* ab ipsis appellatur, inde nimirum quòd obseruatione cõpertum sit, coruam ex gustato veneno malè affectum herbam eam adiuisse, moxq; vt glutiuisset, doloribus liberatum esse.

In Iberia aiunt combustis aliquando à pastoribus syluis, calètéq; ex ignibus terra, manifestum argētum defluxisse. Cumq; postmodum terræ motus superuenisset eruptis hiaticibus magnam copiam argenti simul collectam, atq; inde etiã Mafsiliensibus prouentus non vulgares obtigisse.

In Gymnasiis insulis, quæ ad Iberiam sitæ sunt, post septem illas maximas, aiunt oleum non ex oliuis, sed è terebintho magna copia reddi, ad vsus omnes accommodatū. Porro ipsos Iberos in mulieres adeò pronos, vt pro vno fœmineo corpore, quatuor aut quinque mascula cum mercatoribus cõmutent. Quocirca Carthaginensibus militantes stipendia in fœminarum coemptione tantum impendunt, quum possidere isthic argentum non liceat. Hinc orta, receptaq; lege, quòd Hercules aliquando bellum Hispaniæ intulisset, diuitiis incolarum inuitatus.

In finibus Mafsiliensium circa Ligysticam, lacus esse fertur, qui ebulliens, effususq; piscium multitudinè immesam, veriq; fidè superantè eiiciat. Cæterum flantibus Etesis tantum puluerè conicitari, vt coaceruata in lacum humo sicca, superficiem obtegit, inq; formam redigat areæ: vnde indigenis licet perusa siccitate in triuuis quotcumque libitum est pisces citra negotium eximere.

Quidam Ligystorum adeò dextrè, solertèq; fundam agitare ferunt, vt conspectis aibus singulas ictibus singulis destinent, tanquam certi momento omnes casuras.

Peculiare autem est huic genti, quòd mulieres opus facientes, parietum, lotòq; infante, ad sarculum mox, fofionemq; redeunt, ac alia obeunt munia puerperis minimè vsitata.

Admiratione & hoc apud Ligystos dignum est, quòd fluiuis quidam fertur cursu in sublime attolli, adeò vt ex opposito stantes nequeant conspici.

In Hetruria ferunt insulam esse, quam Thaliã hodie vocant, in qua ærifodina est, vnde æs eruitur, omne scilicet illud, ex quo isthic ærea vasa constantur, deficere autem, nec reddere quicquã aliquandiu, cæterum temporum procurfu, non æs, vt antè, sed ferrum prouenire, id nepe quo etiamnum vtuntur, Popanium incolæ vocant.

In Hetruria urbem ferunt, quam Cenareã vocant, supra modum munitam esse: quippe cuius medium tumulus occupat ad triginta stadiorum altitudinem surgens, & omnigena materie, & aquis abundans. Vnde metuens sibi à tyrannide populus, seruos manumissos summæ rerum in annum præficit, quo euoluto alios eiusdem sortis surrogat.

In Cuma circa oram Italiæ ferunt thalamum subterraneum Sibyllæ fatidicæ esse, eius scilicet, quæ ætate quamlibet prouecta virginitatem seruasse impollutam traditur. Erythræa fuit hæc, se à quibusdam Italiæ incolis Cumana, ab aliis verò Melachræna nuncupatur. Locum huic à

Leucadiis occupatū aiunt. Porro circa Cumam fluiuum esse inquit (Ceres ab ipsis appellatur) in quem iam, quæcunque fuerint enascantur, ac postmodum in lapidem indurescant.

Alcisthene Sybaritæ vestem tradunt, tanta magnificentiâ confectam esse, vt cum in Lacinia Iunonis panegyri, ad quam tota confluere solet Italia, proposuisset spectandam, omnium oculos à reliquis in se conuerterit. Hanc aiunt Carthaginensibus emptam à Dionysio seniore tum regnante, centum viginti talentorum pretio, purpurea erat tota, amplitudine quindécim cubitorum animalculis intertextis distincta, supernè quidem Susis, infernè verò Persicis. In medio autem Iupiter, Iuno, Themis, Minerua, Apollo, Venus elucebant, ad latera Antisthenes, vtrunq; autem Sibaris.

Circa Iapygiam promontorium, vbi inter Hercules Gigantèsq; depugnatū fabulæ testatur, fontem esse tradunt, qui cruore defluens ea parte mare innauigabile reddat fœtoris grauitate. Ferunt & passim etiamnum in Italia Herculis monumenta extare, iuxta vias, quas ille transiit, & circa Iapygiæ Podosiam vestigia eius apparere, quæ nequeas pedibus calcare.

Sed & in eadem insula lapis inuenitur plaustrali magnitudine, quem Hercules sublatum transtulisse fertur, digito vno mobilis.

In Orchomenia Bœotiæ vrbe vulpeculam visam tradunt, quæ cum canem persequentem fugiens ad subterraneum meatum decurrisset, simul ingressus ille, latransque sonitum edidit, perinde vt in patenti campo resonantem. Vnde venatores numinis aliquid residere isthic arbitrati, aditu erupto ingressi sunt ipsi quoque, illuc escentèq; per hiatus, ceu fenestras, lumine, oculis etiam reliqua subiecta sunt, quæ regressi magistratibus exposuerunt.

In Sardinia insula estructuras ferunt esse antiquorum, vetusto Græcorum more compositas, & cum alia plura eximia, tum Tholos rhythmis innumeris exornatos, existimantur ab Iolao Iphiclis filio omnes extructæ, qui Thesphradibus Herculis nepotibus assumptis ad ea loca traiecit occupaturus, quippe qui ob cognationem Herculis, cui tum totus parebat Occidens, ea iure aliquo ad se pertinere arbitratur.

Ichniusa primùm appellata est, à vestigiis, vt videtur, humani similitudine, felicem olim rebus omnibus, & fertilem maximè fuisse perhibent. Aristeum enim, quem agri colendi peritissimū fuisse scriptores rerum testantur, præfuisse primum tradunt, antea à multis, magnisque aibus occupatæ. Verum hodie non est ea fertilitate amplius, quod Carthaginenses rerum potiti, omnes fructus alimento idoneos extirparunt, capitisque pœna cauerunt, ne quis incola rursus ferere fruges tentaret.

In Lipara insula Aeolica sepulcrum aiunt esse, circa quod cum etiã alia prodigiosa eueniãt, tum id, quòd ea loca securè, tutòque nemini accedere liceat, vno ore perhibent. Sonitum enim tympanorum, cymbalorumq;, & risum cum strepitu, plausuque manuum audiri manifesto. Cæterum

terum cum primis monstruose id quoque circa antrum accidit, quod antelucano quidam ebrius fomno isthic oppressus triduum totum cubavit, quæritusque à familiaribus quarto demum die repertus est: qui mortuum rati ad proprium monumentum extulerunt, dumque iuxta iam pro more celebrarent, ex improvise surrexit, quæque obtingissent exposuit. Quæ & si ad fabulâ propius, quam veri fidem accedere videantur, non potui tamen de locis his scribens, tacitus præterire.

Circa Cumam Italiæ lacum esse ferunt, quem Aornon vocant, forma circulari, profunditatèq; immensa, tumulis vnde quaque septum, trium ad minus stadiorum altitudine. Cùmque cætera nihil habeat magnoperè admiratione dignum, mirandum tamen hoc fortasse, quod circumpositis vnde quaque & superincumbentibus densissimis arboribus non cernas vllum in lacu natans folium, qua puritate sui admirationem merito ciet.

Circa Epîrum autem isthinc non ita procul distantem calidas aquas passim scaturire ferunt, vnde locus Pyriphlegeton appellatur. Cæterum autem nullam isthac transuolare vanè asseritur, cùm cygnos eo loci haud paucos agere comper tum sit.

Circa Italiam Syrenes insulæ sunt, in summo freti vertice eius, nempe quod situm est ad portum in mare locum inter alluentes sinus, qui & Cumam cingit, & Possidoniam diuidit. Vbi ab accolis studiosè muneribus, sacrificiisque coluntur, & sacra quoque ipsarum ædes monstratur. Porro nomina recensentes Parthenopen ynam, altera Leucosiam, tertiam Ligiam vocat.

Iuxta Mentoricen & Istram mons fertur esse, quem Delphium vocat, fastigio altissimo, quod conscendentes qui ad Adriam habitant, pontum, ac media interualla, quæque in illis geruntur, contueri possunt, quod mercatum confluentis passim mercatores, Pontici Thalia, Chia, ac Lesbiana vina, Adriatici verò Corcyrenses amphoras coemunt.

Ferunt & Istrum ex Hercynia sylua profluentem diuidi, partimque in Pontum, partim verò in Adriam decurrere: cuius rei argumentum nō hoc tempore primū, sed à priscis vsque seculis extat. Aras enim eo loci ab Iasone positas ostendunt. Ferunt & insuper hoc indicio esse, quod ea loca innavigabilia sint, quando Iasone iuxta Cyaneas ingressum, exitum verò è ponto fuisse per Istrum compertū est. Et quod simul memoratur, præternavigare Planctas, ut appellant, insulas, nisi isthinc soluisse, non potuisse, cæterum in Agialia ad mare Tyrrenum, cùm alia monumenta Aristeorum, tum id, quod ad Calculos vocant, monstratur. Nam ad litus calculos inuenire perhibent coloris varii, tum scilicet ex destillationibus liquorum, quibus vnguebantur, coloratos. Tales enim nec ante, nec post ea tempora inuentos. Sedenim & alia sunt non obscura iudicia, non fuisse transitum illis, pro Symplegadas testant, scilicet, id poeta eius loci indigena. Nam, cùm periculi magnitudinem exprimere contenderet, declarat hæc loca navigationi mi-

nimè peruia extitisse:

Ἀλλὰ θὲ δὲ μὲ, πινυκὰ τε νεῶν, καὶ σὺ μάλιστα ποτῶν
Κύμαθ' ἀλὸς φονέεισι προστ' ἀλοοῖο βυελλας.

Circa igitur Cyaneas non videtur ignis emitti, sed iuxta fretum, quo Sicilia ab Italia distinguitur, ab utraque parte euaporario, tum quod insula continuè ipsa flagrat, tum quod flammæ Aetnæ sæpe totam regionem permeant.

In Tarento solent interdum parentari Atridis, Aeacidis, Tydidisque, & Laertiadis, Agamemnoniadis autem, seorsimque die constituta alia sacrificia agere, quibus mulieribus immolata tangere lege interdicitur. Est & templum apud ipsos Achillis. Ferunt hunc locum olim Ionibus obtinentibus Plion vocatum esse. Verum postquam à Tarentinis inhabitari cœptus est, Heracliam. Cæterum iam inde remotius à primis incolis Sigium appellatum.

Apud Sybaritas aiunt Philocteten coli, qui ex Troia profugus inhabitauit, quæ vocantur mollia Crotoniatis, distantia à Troia, ut ferunt, centum viginti stadiis, ac Herculis arcus in Apollinis Haliî templo consecrauit, quos per vim à Crotoniatis in Apollonium translatos ferunt. Aiunt iis in locis mortuum esse auxilia ferentè Rhodiis, qui cum Tlepolemo ad ea loca delati, contra incolas depugnant.

Circa Italiam, quam Calabriam vocant, iuxta Metapontum aiunt Mineræ Græcæ templum extare, inque eo Epei, qui & nomen imposuit, instrumenta reposita, quæ ad Equi Duriani fabricam comparat: Mineruam enim in somnis visam hæc ut opera consecraret, flagitasse, cùmque exitus difficultate impediretur, loca implicitum enavigare non potuisse. Vnde Mineræ Græcæ hodie sanum appellatur.

Ferunt & circa Daunia locum templum esse Mineræ Achaicæ, in quo secures aræ, armæque cùm Diomedis, tum sociorū eius collocata sint. Aiunt & isthic canes esse, qui venientes Græcos iniuria nulla impetant, sed tanquam familiarissimis blandiuntur. Porro omnes Daunii, accolèq; tam viri, quàm foemina atratis tantum vestibus vtuntur, ea nimirum de causa, quod Troianæ mulieres dum captivæ ad ea loca essent traductæ, metuentes ne grauem seruitutem sub mulieribus Græcis experirentur, (nam tum ea loca inhabitabant) naues incenderunt, tum ut iugum feruile effugerent, tum ut viros, manendi necessitate imposita, detinerent. Vnde rectè à Poeta dictum est: Pepla trahentes, profundisque sinibus, illas videre, ut apparet, isthic licet.

In Peucetinis Dianæ templum est, in quo locatum est celebre illud areum fertū inscriptione hac insignitum, Diomedes Dianæ. Id fabulantur ab eo collo ceruino applicitum accreuisse, itaque deinceps hoc pacto inuentum ab Agatocle Siculorum rege, in Iouis templum locatum.

In Peloro Siciliae promontorio tanta copia prouenit crocus, ut à quibusdam etiam inquilinis Græcis flos cuiusmodi sit haud internoscatur: curribus magnis hunc comportant, quibus libitum est. Tum verò strata ex eo, scenasque construunt.

Polycr

Polycritus rerum Sicularum scriptor loco mediterraneo stagnum esse ait ambitu suo scutum nihil excedens, aqua resplendente quidem, sed turbulentiore nonnihil, in quem, si quis lauandi gratia ingrediatur, in latum extendi. Quod si iteret, amplius dilatari, adeo ut amplificatum spatium quinquaginta etiam viros capiat. Verum ad eam iam mensuram diffusum ex imo intumescere, corporaque lauantium in sublime rapta foras in pavementum sternere, ac mox ad veteris angustiae spatium contrahi. Atque id non solum humanis corporibus, sed quadrupedibus etiam ingressis vsu venire perhibent.

In Carthaginensium ditone ferunt montem Comium cum omnigena rerum materia, tum in primis variegatis floribus refertum esse. Vnde contigua loca suaueolentia participantibus viatoribus respirationem gratissimam reddunt. Iuxta autem fontem oleo fluentem esse, ac odore, cedri guttis non absimili. Verum, ut inquiunt, tantum imperitos naturæ eius oportet accedere, quibus adeo copiosè scaturit oleum, ut hauriri etiam queat. Iuxta eum fontem sponte natam petram ferunt iuxta magnitudine, ex qua ferunt caloribus æstiuis, ignis flammam exilire, hyeme autem aquæ voraginem effundi. Sic & duos coruos ad Iouis templum assiduos extitisse, neque aliò vsquam euolasse tradunt.

Fertur & circa Scythas, Medosque Thraciæ fluiuium, quem Pontum vocant, lapides deferre ardetes, contraria omnino natura prunis ligneis, quippe qui agitati, sufflatique restinguantur, aquis autem resperfi exardescant, resplendeantque. Cæterum vltis, quemadmodum bitumini, adeo grauis fætor est, ut reptilia penitus omnia è locis iis abigat.

Esse aiunt apud illos locum quendam non exiguum, ad minus stadiorū viginti amplitudine, ubi hordeum prouenit, quod nulli animantium generi, nisi homini tantum, sit esui. Nam equi, bouesque ab eo abstinent, tum etiam canes, & fues vitant, ut ne excrementa quidem hominum hordeo vescentium degustent, quippe quæ ipsis vorata certum interitum adferant.

In Scotusis Thessaliæ fontilicium esse aiunt, vnde aqua defluens vulnera, conuulsionisque cùm hominum, tum iumentorum sanat, lignaque iniecta, si fissa, non etiam confracta, fuerint, glutinat, & coniungit.

Circa Thraciâ quæ supra Amphipolim sita est, rem monstruosam, & mirabilem iam antè ignaris videri tradunt. Egredientes enim pueri ex pagis, agrisque finitimis ope accipitrum aucupantur, locum eum opportunum nacti, accipitres nomine appellatos aduocant, qui statim ad vocem auditam parèt, prædamque agentes in vepres iuxta irruunt, ubi fistibus ligneis aues percipiunt pueri, & apprehendunt. Quinetiam, quod magis fortassis mirere, accipitres compræhensas à se aues aucupibus deiiciunt. Vicissim tamen partem prædæ aliquam ipsis pueri impartiuntur.

Porro mirandum & hoc, quod circa Venetias euenire narratur. Cùm enim regionem innumerabiles graculorum myriades frequenter infestent sementem iactam, ex agris depascentes, ferunt Venetos sub aduentum horum ad confinia loca omnis

generis frugū semina, velut diuim donaria proicere, quibus degustatis graculi velut hostium incursum superuenturo subsistunt.

In Chalcidæ Thraciæ vrbe iuxta Olynthū aiunt locum esse, quem Cantharolethron vocant, paulò area maiorem, quem reliqua quidem animantia ingrediuntur illæsa: cancri verò nequaquam, quippe qui ingressi oberrantes in eo fame exanimantur.

Apud Cyclopos Thracenses fons est aqua conspectui quidem lymphida, aliisque similis, verum hauustus ab animante subito necat.

Aiunt & in Bisaltorum regione bina iecinora in captis leporibus ostendi, locumque iugeri magnitudine esse, in quem animantia ingressa pereunt.

Est & templum isthic Dionysii ornatum, magnitudinèque eximium, in quo dum festa solennia, sacrificiaque celebrantur, si fertilitatem eius anni polliceatur Deus, fulgorem ignis emicare ingentè, ac circa templum agentibus conspicuum fieri. Cæterum sterilitatem venturam denūtiari, si tenebræ, quemadmodum & reliquis noctibus, locum occupent.

In Elide ædificium est (ut ferunt) stadiis distans octo ab vrbe, in quo collocantur tres Dionysio lebetes vacuæ, vocatisque peregrinis, quibus scrutari hæc libeat, ianuarum claustra sigillis obsignant, quæ deinde referant. Porro ingressi lebetes vino plenas cernunt, pavimento parietibus omnibus integris, & illæsis, ut artis dolosæ suspicio facile obesse videatur. Aiunt & apud eos ipsos miluos esse, qui carnes quidem in foro rapiant, cæterum inuolatas non tangunt.

In Coronæ Bæotiæ vrbe talpæ nec viuere, nec terram fodere possunt, magna alioqui copia per totam Bæotiam redundante.

In Colubris Arcadiæ ferunt fontem esse, in quo mures terrestres natæ, vitamque degere soleant, atque idem etiam in Lampaco contingere.

In Cranone Thessaliæ vrbe duos esse tantum coruos ferunt, qui se ipsos quidem aliò transferunt. Cæterum alios totidem ex se natos relinquunt.

In Apollonia, quæ iuxta regionem Atlanticam sita est, nasci aiunt bitumen, picemque instar aquarum è terra subsilientium, solo eo, quod atra magis, densiorque proueniat, Macedonicæ absimilem. Nec procul isthinc ferunt accolæ ignem iugiter ardere, loco minimè amplo, ut qui pentaclini spatium complectatur, vnde odor sulphuris, aluminisque redditur, crescitque & circa hunc herba altissima, & quod magis mirere, arbores excelsæ non plus quatuor passibus isthinc distantes. Flagrat autem continuè circa Lyciam, & Megaram Peloponnesi vrben.

Ferunt & in Illyriis iumenta & bis in annos singulos, & pleraque geminos, multa ternos, & quaternos parere, nonnulla etiam quinos, aut plures simul progignere, lacteque diurno tres semisextarios implere. Tum gallinas non semel tantum, sed bis, terte in dies singulos oua edere. Feruntur boves esse maximi.

Itaque igni collatum nihil differre. Atque hoc arcanum tempore non exiguo cerni: ignem enim æstate tota emitti, aquam verò omni tempore.

De Siculo freto cùm alii complures scribant, tum hic stupendam in eo rem euenire inquit.

DD

Tyrreni enim maris æstum strepitu ingenti vtrinque, cum Sicilia, tum Italia oram, quam Regyum vocant, ferire, delatumque ex mari vasto in angustias postremo concludi, atque ibi fluctum sublimem tolli, sonitu magno, spatioque altissimo, ut procul distantibus conspicua sit hæc aquarum ebullitio, utputa alba, & spumosa, nec similis maris in incremento. Hæc ut incredibiliter narrantur, ita cõtucri oculis nemo sustinet. Interdum enim diffusi rursus ex collisione mutua æstus adeo profundum, ac horribilem aspectum necessariò intuentibus præbent, ut nonnulli præ timorè animi imponentes, velut offusa oculis tenebra concidant. Postquam verò ad alterutram partem fluctus allisi, sublatique ad litus superum, denuò in subiectum mare deuoluuntur, tum magno rugitu, cum vorticibus & immensis, & crebris ex imo fundo ebullit, inque gyrum eleuatur, & omnigenos etiam colores reddit. Interdum enim ater, nonnunquam cæruleus, frequenter purpureus apparet, Cæterùm cursum, ac immensitatem fluxus, refluxusque ne reptilia quidem vel audire, vel videre sustinent, quocirca ad radices montium iuxta confugiunt. Tempestate autem desinente, in sublime efferuntur voragine, specie relucente varia, turbinibusque, ac motibus ventorum, aut ingentium serpentum spiris non absimiles.

Aiunt Atheniensibus templum Cereris Eleusina extruentibus, porrectam è petris columnam æreâ inuentam, cui inscriptum erat, Deropes hoc sepulcrum, quam alii Musæi uxorem, alii vero Triptolemi matrem fuisse perhibent.

Iuxta Aeolias insulas, ut vocant, vnam ferunt palmis arboribus abundantem, nomen ex eo traxisse ut Phænicusa appellaretur. Itaque falsò Calisthenes asserit à Phœnicibus Syriam litoralem incolentibus, arbori nomen hoc inditum. Verùm à Græcis aiunt quiddam phœnices appellatos, quod primimaria nauigantes, quocumque appellerent, omnes necarent. Sed & Peræborum lingua φοινίξαι trucidare significat.

Circa Hypatam vrbe dicitur columna vetus repta esse insignita inscriptione literis vetustis composita. Quas Acarnanes: cum ea cuius esset explorare cuperent, Athenas miserunt quosdam allaturos, qui dum per Bœotiam iter faciunt, casu, missionis causam aduenis quibusdam detegunt, à quibus Thebas ad Ismeniù, quod vocant, adducuntur, eò quòd isthic monumentum literis similibus conscriptum cerneretur, sed & rhythmos etiam, donariis, in sculptos literis non absimilibus, quas à peritis earum edocti, legendo propositam inscriptionem assecuti sunt, his scilicet carminibus compositam.

Ἡρακλῆς τε μὲν τε κούρη Περσεφάσση
 Ἰνδορυνῆας ἀγέλην ἑλάων, ἢ Ἐρῦθειαν ἀγῶν
 Τὰς δὲ, ἰδαμάσση πωθῶ Πασσιφάσση θεία, δειλέμοι
 τέκνω
 Ἰσθμῶδ' εὐρύθοντι δάμαρνον.
 Ἐμφορῆς ἐρύθη δὴ τοῦ ἑδοκα πῆδου,
 Μναμοσσωφίλας φηγῶ ὑπὸ σκιερά.

Hoc epigrammate patet, eum locum Erythum appellatum, quod isthic boues, non ex Erythia duxerit. Neque enim vsquam vel iuxta Libyam vel Hispaniam, nomen Erythia extare ferunt.

In Utica Libyæ nasci simum fossile aiunt trium

passuum profunditate, aspectu album, & minimè firmum, sed simile viscolissimo glutino, qui in Solem prolatus adeo indurefcit, ut nihil à pario lapide differat, quo cum animacula macula poliuntur.

Primos Phœnices ferunt, cum Tarlessum nauigassent, tantam argenti vim oleo, aliisque nauticis sordibus commutatam esse, ut nec capere naues, nec ferre possent, quocirca coactos sub discessum, cum cætera, quibus utebantur, tum anchoras etiam ex argento conflare.

Phœnices aiunt, qui Gadiram inhabitant, dum ultra columnas Herculis nauigarent, vento Subsolano impulsos ad regiones quasdam applicuisse, vltimè, algæque plenas, quæ æstibus maris rigantur, exundationibus verò prorsus obruuntur aquis. Thunno rum copiam isthic innumerabile inueniri tradunt, magnitudine, densitateque incredibili, quos salfos vasis impositos Carthaginem deportant, vnde soli non euehuntur, sed ob singularem bonitatem planè absumuntur.

In pedalia Cariæ vrbe Ioui sacrificiù peragitur, quo aiunt capram missam (quod admiratione dignum) stadiis septuaginta ex Pedaso per turbam frequentem, quæ spectare solet, progredi, neque interbari, aut à via declinare, quòdque reliquis gentibus magis stupendum est, cornua heminas quatuor capere.

In Illyriis, qui Aridiei vocantur, iuxta Auri-tarum confinia montem magnum, & in propinquo vallem esse inquit, vnde aqua profilit copiosa, non equidem omni tempore, sed vere tantum, quam interdum vasi insulam feruant, noctu sub dio conuertunt. Quod dum ita fit sex diebus, vltimo congelatur, ac sal omnium præstantissimum efficitur. Studiosè hoc ob pecorum copiam potissimum facere obseruant. Neque enim ad eos sal importatur, tum quod à mari longius habitant, & à cõmerciis sunt alieniores. Qui tamen ob pecora cum primis opus habet, interitura, nisi bis in singulos annos eo reficiantur.

In Argo genus locustæ ferunt esse (Scorpiomachum vocant) quod viso scorpione statim pugna accingitur, ipso vicissim se opponente. Itaque vnde quaque, circuncurrens stridore assultat, cõtra aculeum ille eodem loco velut in gyrum actus, vbiq; obtendit, donec auidius fortè ac nimis eductum totum amittat. Quocirca aduolàs bestiola velut exarmatum iam deuorat. Scorpionum ictibus, hæc statim comesta, medetur.

Vespas ferunt in Naxo, si serpente gustato, quorum caro pergrata est illis, aculeum infixerint alicui, tantos dolores excitare, ut tolerabiliores videantur ictus serpentum.

Scythicum venenum, quo sagittæ inficiuntur, ex vipera parari aiunt. Obseruant enim Scythæ parientes, & captas mox diebus aliquot liquefaciunt: cumque satis computruisse videntur, infundunt ollula humanum sanguinem, quam in sterquilinio defossam cooperiunt. Ac vbi putridus iam is quoque apparet, liquorem supernatantem aquosum, miscet cruore viperæ, præfensque, & lethale hoc pacto venenum reddant.

In Curio Cypri vrbe, serpentum quoddam genus esse vim habens Aspidi Aegyptio non absimilem,

lem, nisi quòd hyeme morsus huius sunt inefficaces, siue ob aliam quampiam causam, siue quòd ad motum languidum ex frigore redditur, & postremo prorsus collabatur nisi calore reficiatur.

In Ceo aiunt genus esse acherdi, cuius spina, qui vulnerantur, intereunt.

In Mysia verò vrsorum quoddam genus album esse aiunt, quod inter venandum canes flatu infectos putrefacit, eodemque modo & reliquarum ferarum carnem esui inutile reddit. Verùm vbi iam instant canes, & venatores, phlegmate vtrorumque faciem conspuunt, quod pertinaciter hærens suffocat & excæcat.

In Arabia genus est hyænarum serpentum, id cum prospexerit feram tam forte gluten, ut corpus mouere nequeant.

In Syria animal esse aiunt, quod leonicidum vocant: eo enim ingesto leones exanimantur. Volentes non tangunt, sed fugiunt. Verùm venatores ut farinam candidam decoctam animalibus reliquis aspergunt, quæ gustata subito necant, vrinam leonibus grauant.

Feruntur & vultures ex vnguentorum odore exanimari, si qui vel vnguantur ipsi, vel vncta vorent, & scarabeis ex rosarum odore itidem euenire.

Et in Sicilia, & in Italia aiunt felium morsum lethalem, nec ut apud nos & leuem, & imbecillum, & muscarum genus, quod morsu necet, ad quæ deuolarit.

In Mesopotamia Syriæ, & in Istrunte aiunt serpentes quosdam exiguos nasci, qui indigenas non

lædant, aduenas verò vehementer infestent.

Circa verò Euphratem maximè id accidere inquit, vbi plurimi circa fluminis litora conspiciuntur, qui in partem vtranque deuolui solent, ut cum vespere ceterius litus occupent, illucescente luce vltra flumen videantur, ac Syros quidem non lædunt, sed Græcis minimè parcunt.

In Thessalia ferunt sacrum serpentem non solum morsu, sed etiam contactu reliquos omnes perdere. Quocirca cum apparet, aut vox tantum auditur (quod raro contingit) serpentes, ac viperæ, tum reliquæ etiam feræ omnes diffugiunt. Magnitudine est non perinde vasta, sed moderata. Aiunt, in Teno vrbe ipsa à muliere è medio sublatam in hunc modum: Primum circulum descripsit femina, quem incantationibus habitis vnà cù filio ingressa, ac vocem bestię imitata est, qua recinente, accedenteque obdormiscere cœpit, magisque iam adpropinquante, somno abstinere non potuit: quocirca filius matrem pulsauit (ita præcipiente ipsa) minatus, si obdormiret, vtrique certum imminere interitum, verùm si perimeret, ac bestiam abducere posset, saluos fore. Itaque circulum ingressus serpens statim exanimatus est.

FINIS MIRABILIVM
 AVSCVLATIONVM
 ARISTOTELIS.

aliàs δηόπιος.

ARISTOTELIS STAGIRITAE DE PLANTIS Liber Primus.



VITA & in animalibus, & in plantis esse depræhensibile est. In animalibus quidem patens, & manifesta: in plantis vero, occultior, nec adeo evidēs. Ad huiusmodi igitur confirmationem, multam inquisitionem præcessisse, est necesse. Neque enim constat, habeantne plantæ animam, appetendique facultatem, doloris item, & voluptatis, & rerum discretionis. Anaxagoras itaque, & Empedocles desiderio eas duci aiunt: sentire item, ac tristitia, voluptatēque affici affirmant. Et Anaxagoras quidem, animalia ipsas esse, & voluptate, ac dolore moueri docuit, è foliorum scilicet defluuio, & ex incremento istud colligens. Empedocles verò sexū his admistum esse arbitratus est. Eodem modo Plato quoque, appetitu solum illas duci, ob vehementem scilicet facultatis altricis necessitatē affirmabat. Quod si cōstet, eas voluptate, ac dolore affici, tum sentire quoque rationi erit consentaneum: & vbi hoc constiterit, tum appetitu quoque duci: siquidem somno reficiuntur, & vigiliis excitantur, rationi consentaneū erit. Ad eundem modum si quæramus an spiritum ducant, & sexuum mistionem habeant, an contra sit: multam super hoc ambiguitatem, & quæstionem prolixam excitabimus. Verum talia omisisse, neque singulorum inquisitioni, quæ operæpretiū habeant nullum, instituisse, rectius fuerit. Sunt autem qui animas habere plantas affirmarunt, quia scilicet gignere eas conspexissent, alique, & incrementum suscipere: item virescere, quæ iuuentus quædam ipsarū sit, rursusque senio dissolui: & quod nullum inanimatorum isthæc cum plantis habeat communia. Prorinde vbi eiusmodi quædam plantis adesse animaduertissent, appetitu quoque duci eas existimarunt. Nos autem quæ manifesta sunt, primum, deinde quæ latentia, persequamur. Dicimus itaque, si quid alatur, idem quoque appetitu duci: & voluptate afficitur, per saturationem: dolore autem, per famem. Et absque sensu affectiones illæ non sunt. Paradoxus igitur est, quanuis non adeo temere erret, eius intentio, qui plantis sensum, appetitūque tribuendum esse, ita existimauit. Anaxagoras, Democritus, & Empedocles mentem quoque, & cognitionem eis inesse affirmarunt. At nos talia tanquam falsa repudiantes, sano insistamus sermone. Affirmamus igitur

quod neque appetitum plantæ habeant, nec sensum. Appetitus enim non aliunde, quam è sensu est. Neque igitur sensum in his depræhendimus, neque partem quæ sentiat, nec eius similitudinem, & neque speciem definitam, nec quidpiam ad hanc consequens, neque motum localem, neque viam ad sensibile aliquid. Et neque signum quodpiam, quo iudicari possit, sensum iis inesse, ut signa habentur, quibus ali sciuntur, & incrementum omnino accipere depræhenduntur. Neque verò ita à nobis hoc confirmaretur, nisi altricem, autricemque facultatem partes animæ esse cognitum foret. Prorinde cum talem quandam huius animæ partem continere planta depræhendatur, necessario fit ut animam quoque habere eam statuamus. At cum sensu careat, sensibile ipsam non esse, nequaquam non est admittendum. Sensus enim illustrandæ vitæ causa est: vis altrix vero, auctoris rei viuentis est causa. Hæc differentiæ hoc in loco procedunt, quod intelligi nequeat ut in eodem, inter vitam, eiusque priuationem medium inueniatur aliquid. Sed dicat quispiam, quod cum planta animata sit, animal quoque eandem esse. id quod nos nequaquam affirmamus. Etenim difficile est plantæ functionem attribuere, reddere vitæ functioni, quæ in animali habetur. Quod enim plantis vitam ita inesse negat, est id ipsum quod non sentiunt. Sunt autem animalia quoque nonnulla cognitione carentia. Quia verò Natura vitam animalis per mortem corrumpens, suo in genere eandem rursus per generationem conseruat, prorsus cōsentaneum rationi non est, ut inter animatum, inanimatumque medium aliud quoddam constituamus. Scimus autem quod conchilia animalia sint cognitione carentia: quapropter plantæ sunt & animalia. Solus ergo sensus causa est, per quam hæc animalia dicantur. Nam genera speciebus suis nomina dant, & definitiones: species verò suis indiuiduis, nomina: debetque genus ex vna, & communi causa, quæ sit in multis, esse, non ex multis. Cæterum ratio causæ, per quam genus adstruitur, non cuius est manifesta. Rursus autem, sunt animalia, quæ sexu feminæ carent, alia itidem, quæ non generant, alia rursus motum nullum habentia. Sunt præterea diuersorum colorum alia, quemadmodum alia, quæ parum sibi dissimilè edunt: alia rursus è terra crescunt, aut arboribus. Quod igitur in animalis vita principium est? quodnam aliud, præter nobile istud animal, quod cælum, Solem, stellas & planetas circuit? Quæ extra scilicet hanc ambiguitatem sunt, & sunt impatibilia: nam sensus, cognoscentium passio est. Sciendum est autem quod plantæ motum ex sese non habent: sunt enim terræ, affixæ. Ipsa verò terra

immo

immota est. Ratiocinandum itaque fuerit, vnde nam huic vita accedat, ut & ipsas faciamus sensum habere. Neque enim rem communem aliquam habent hæc. Dicimus ergo, quod animalium vitæ communis causa, sensus est. Is discretionem facit inter vitam, mortemque medium. Cælum autem, quia functionem habet nobiliorem multo, dignioremque nostra, procul ab hisce disitum est. Est itaque necesse, ut perfectum animal, & diminutum, commune aliquid habeat: & is est vitæ scopus. Prorinde vbi hæc abfuerit, ab eiusmodi nominibus quisque recedat oportet, quia medium non est: sed vita medium est. Quod enim est inanimatum, id animam non habet, neque ex ipsius partibus habet aliquam. Planta verò ex eorum numero non habetur, quæ carent anima: nam in ipsa portio quædam animæ habetur. Animal tamen non est, quia sensum non habet. Prodit autem de vita ad non vitam paulatim, ut singula quoque. Possimus autem alio quoque modo dicere quod animata sit planta, neque dicamus inanimatam esse: & si quid animam habeat, sensum tamē habere non dicimus. Nam res, quæ alitur, absque anima non est, & animal omne animam habet, sed planta imperfecta res est. Rursus animal membra habet definita: planta, indefinita: & materiam habet plantæ propriam motui, qui inest ipsi. Rursusque dicere possumus, plantas animam habere: nam ea est, quæ motus in ipsis efficit. At desiderium, & qui loco fit motus, absque sensu non sunt. Sic alimentum trahere, à principio naturali est, & id ipsum commune animalis, ac plantæ est. Neque cum attractione cibi, sensus villo modo iunctus sit, necesse est. Nam quæ alitur vniuersa, duabus alimentis qualitibus solum habent opus, caliditate, frigiditateque, & prorinde alimentum humido indigent, ac sicco. At caliditas, frigiditasque in cibis reperiuntur siccis, ac humidis. Et neutra ex hisce naturis à pari suo seiungitur. Idcirco enim primum alimentum cōtinuum alenti est factum, vsque ad ipsam corruptionis horam, debentque eò uti anima, ac planta tali, quale est ipsorum vtrunque. Perscrutemur itaque istud quoque, quod in oratione nostra præcessit, de plantæ appetitu, & de eius motu, animamque propria, & si quid ab ea in spiritum resoluatur. Anaxagoras enim, illas spiritum habere affirmavit, & quoniam modo? Siquidem inuenimus animalia non pauca spiritum non habentia. Præterea, exactè depræhendimus, neque dormire plantas, neque vigilare. Vigilia enim non aliunde, quam ex effectu sensus est: somnus autem, eiusdem est debilitas: nec inuenitur aliquid horum in rebus hisce, quæ dum horis omnibus iuxta dispositionem eandem alantur, in natura tamen sua nihil sentiant. Et dum alitur animal, ascendit vapor ab alimento ad caput, indeque prorsus dormire ipsum contingit. Vbi verò absumptus fuerit, qui ad cerebrum ascēderat, vapor, redit vigilia. Porro in quibusdam animalibus vapor hic multus, quæ tamen parum dormiunt, ut in camelo contingit, & ceruo, & consimilibus, præ cerebri scilicet siccitate, & meatuum angustia. Et somnus, motus statio est: hæc autem, rei motæ est quies. Quod autem maxime, propriissimèque in hac scientia inquirendum est, id Empedocles dixit, an scilicet in plantis sexus femininus, masculinusque reperiantur, aut an species ex hisce

duobus sexibus commista. Dicimus itaque quod masculus cum gignit, in aliud gignit: femina verò, cum gignit, gignit ab alio, suntque ambo separati à se inuicem. Cum itaque in plantis reperiatur quod vna quæque species masculum genus habeat, & foemellum, & omnino quod masculum est, asperius est, ac durius, rigidiusque: foemellum, debilius, & foecidius. Quærendam rursus est, inueniantur hæc duo genera simul commista in plantis esse, ut Empedocles dicit. Id quod ego sanè ita habere non arbitror. Nam quæ res permiscetur, primum simplices in sese esse debent, ut scilicet per se sit masculus, & per se foemina: deinde commisceantur. Et commistio non erit, nisi per propriam generationem. Inuenta igitur fuit in plantis ante mistionem suam, mistio, quæ efficiens quoque, & patiens causa in vna hora esse debebat. Verum non inuenitur masculinitas, foemininitasque in vlla planta cōiunctæ, & si hoc ita esset, tum planta animali esset perfectior. At quo pacto id esse queat, quando animal non indiget in generatione sua, re quapiam extrinseca? At planta hæc temporibus anni indiget: nam Sole opus habet, & temperamento, & vere plurimum: & multo etiam magis hisce indiget, quo tempore foras pullulat. Est autem initium quoque plantarum alimentum è terra quoddam, & rursus aliud fructuum generationis à Sole est. Sed & Anaxagoras dixit quod earum humiditas à terra est. Idcirco ad Lechinium aiebat quod terra mater esset plantarum, Sol pater. Cæterum masculi in plantis sexus, & foemelli alio quodam modo imaginari debemus, veluti quod plantæ semen in prægnatione simile sit animalium, quæ in commistione maris & foeminae consistit. Et sicut in ovo vis est, dum pullus gignitur, vnde alimentum quoque eius est vsque ad ipsam complementi horam, & exitum ab ea, quædo foemella pullum vna in hora exponit: sic & plantæ semen habet. Rursus ait Empedocles, quod plantæ, licet pullos non generent, quia res, quæ nascitur, non nisi ex natura seminis nascitur, & quod sit quod remanet ex eo in principio, cibis radicis, & nascens mouet se statim. Sic itaque in mixione masculorum, & foeminarum plantarum existimare debemus, sicut & animalium, quia plantarum mistio quoque in dispositione quadam est. Sed in animali quoniam sexus miscetur, vires quoque, sexuum, quæ prius erant separata, commiscetur: produiturque ex ambobus illis res vna quædam: id quod in plantis non fit. Non enim vbi genera, eorumque facultates fuerint commista, postmodum separatim habentur. Si igitur Natura masculum cum foemina miscuit, rectè processit: quia non inuenimus functionem in plantis aliquam præter fructuum generationem, neque animal separatim est à foemella, nisi quibus horis non congregitur. Et hoc fit ob multas eius actiones, scientiasque. Sunt autem qui putent plantas completas esse, & integras, vitamque ipsarum, duarum facultatum gratia esse, quæ insunt ipsis, ob alimentum scilicet idoneum, & longitudinem suæ durationis, temporis item, quo frondet, fructumque edit ipsarum vita, conuertiturque: ad illas earum iuuentus, neque fit in eis superfluum aliquid. Planta somno non indiget ob multas causas, quia in terram posita est, eique alligata, nec motum in sese, nec terminum finitum in suis partibus habet, & neque sensum, nec motum

in sese, nec terminum finitū in suis partibus habet, & neque sensum, nec motum habet voluntarium, nec animam perfectam, sed portionem partis animæ habet magis. Et planta propter plantam creata non est, sed propter animal. Et si dixeris quod planta cibo vili indiget, ac malo, & si tali indigeat, multum tamen stabili & continuo, & nec facile dissolubili. Et si ita constar quod planta præstantius quiddam supra animal habeat, necesse est ut res inanimatæ rebus animatis sint nobiliores. Sed animalis opus nobilius est, ac melius, quam opera plantæ vniuersa. Et alioqui in animali reperimus virtutes omnes, quæ sunt in plantis, & multas insuper alias, non autem vicissim. Rursus ait Empedocles quod plantæ generationem habent in Mundo, diminuto tamen, & non suis modis perfecto, absolutoque, & quod eo completo animal non generabitur. Qui sermo aptus non est, quando Mundus totus est, ac sempiternus, & animalia generare cessauit nunquam, ac plantas, & omnis generis species alias. In omni autem plantarum specie calor est, & humor naturalis, qui vbi absumptus fuerit, valetudinem incurrunt plantæ, & senescunt, intereuntque, & marcescunt. Hanc alii corruptionem dicunt, alii non. Quædam arbores succum habent, ut resinam, & gummi, & myrrham, & thus, & thymiam. Aliæ nodos habent, & venas, ac ventrem, & lignum, & corticem, & medullam intra se. Quædam ut plurimum è cortice sunt. Aliarum fructus sub cortice est, inter ipsum scilicet, & lignum. Et partes arborum aliæ sunt simpliciter, ut humor, qui in ipsis inuenitur, & nodi, & venæ. Aliæ ex hisce compositæ sunt partes, ut rami, & virgæ, & folia. Hæc verò omnia non in plantis omnibus reperiuntur. Nam aliæ & has partes habent, & alias, velut radices, virgas, folia, ramos, flores, germina, & corticem eum, qui fructus circumdat. Et ut in animali membra sunt partium similia, ita & in plantis. Et quæuis plantæ partes compositæ, coagmentatæve membris animalium similes sunt. Et cortex plantæ, iuxta suæ naturæ modum cuti animalis est similis. Et radix, ori animalis similis est. Nodi quoque illius, neruorum, qui sunt in animali, similitudinem habent. Eodem modo quæ in ipso sunt partes cæteræ. Et diuiduntur harum partium nonnullæ in partes quodam modo dissimilares, aliæ in similes partes, veluti scilicet in luto, quod vno modo per terram tantum diuiditur, modo alio per elementa. Sic pulmo, & caro diuiduntur primo, & sunt eorum partes caro, ac pulmo, & alio modo per elementa diuiduntur. Eodem modo plantarum radices diuisionem accipiunt. Verum in aliam manum non diuiditur manus, nec in radicem aliam radix, nec folia in folia alia. In his itaque radicibus, & foliis, compositio est. Fructuum quoque alii ex partibus paucis compositi sunt, alii ex multis, ut oliuæ: illæ enim corticem habent, & carnem, & testam, ac semen. & fructuum alii tria velamenta habent. Semina verò omnia è duobus corticibus sunt. Et partes plantarum sunt, quas diximus. Cæterum summa præsentis orationis intentio est, determinare has plantarum partes, & velamenta, earumque differentias, id quod admodum est difficile. In primis verò ipsarum essentiam definire, & coloré, & durationis tempus, impressionis item, quæ illis accidere solent.

Præterea, quod non habent plantæ morés animæ, nec affectum animalis affectui similem. Quod si iuxta proportionem, animalis partes cum plantæ partibus proposuerimus, extendetur oratio hæc, & fortasse neque percurrere singula licebit, ut insignioribus vniuersas suis differentiis plantarum partes recenseamus. Quia pars rei cuiusque de genere eius proprio, deique substantia ipsius propria est. Et quando generabitur plantæ species, remanebit in propria sua dispositione, nisi longa infirmitate, quæpiam ex eadem dispositione sua exciderit. Et floribus, & fructibus, & foliis plantarum alia toto anno sunt, alia verò non sunt, nec remanent, ut cortex, & corpus à re abiiciente ipsum ob aliquam causam decidens. Hæc in planta non remanent, quia multoties ab ipsa decidunt partes multæ non finitæ, ut pili hominis, & vngues, sed pro illis nascuntur partes aliæ, vel eo ipso in loco, è quo exciderunt, vel in alio extra illum. Et iam palam est, quod partes plantæ non sunt definitæ, sicutne partes necne, sed indefinitæ solum sunt. Nobis verò absurdum videtur affirmare, res quaspiam, cum quibus crescit animal, & completur, non esse ipsius partes, sed esse ceu folia sunt, & eiusmodi, quæ in plantis habentur alia: quanquam definitæ non sint tales animalis partes, & si paulatim decidant, ut cornua ceruis solent, & comæ animalibus quibusdam, & pili aliis, quæ sese per hyemem cauernis occultant, & sub terram cadunt, licet, inquam, passionem talem habeant similem foliis deciduis. Loquendum itaque nobis de iis rebus est, quas primum tradidimus, & exordienda enumeratio partium est plantarum, quæ propriæ sint, & quæ communes. Item earundem differentiarum. Dicimus igitur, quod in plantarum partibus magna diuersitas inest, in multitudine & paucitate, magnitudine & paruitate, in fortitudine debilitatæque. Id autem fit, quia humor, qui in magnis arboribus est, in quibusdam est ut lac, ut in ficibus, in quibusdam similis est pici liquidæ, velut humor, qui in vite est: in aliis est originalis, ut in origano, & in plâta, quam opigaida dicunt. Item planta est, quæ partes siccas habet, alia quæ humidas. Rursus alia est, partes habens discretas, & nec similes, nec æquales. Aliæ rursus partes similes ad inuicem habent, inæquales autem: quædam æquales habent partes, dissimiles autem. & neque locus in his est definitus. Differentia verò plantarum in suis partibus cognoscuntur pulchritudine, ut & figurarum ipsarum tum è colore, tum è raritate ac spissitudine, asperitate ac læuitate, tum aliis omnibus, quæ ipsis accidunt, differentiis, in æqualitate scilicet, & augmento naturali, in decremento, in magnitudine ac paruitate. Et alia non est vnius modi, sed differentias multas habet, quemadmodum prædiximus. Et plantarum aliæ super foliis fructus producant suos, quædam sub foliis. Et aliarum fructus à stipite suo suspensus est, aliarum è radice, velut arbores Aegypti, quas dicunt margaritas. Item aliarum fructus in medio sunt earum, quarundam verò fructus, & folia, & nodi indiscreta sunt. Et quarundam folia ad inuicem similia sunt, quarundam non sunt. Et aliæ ramos habent æquales, aliæ tales non habent. Sunt etiam, quas partes nominabimus in plantis omnibus, quæ auctorem scilicet accipiunt, & appositionem, veluti radix est, & virgæ, & stipites, & rami: & hæc

hæc membrorum in animalibus similitudinem habent, partes cæteras omnes continentium. Et radix quidem plantæ media est inter plantam, & alimentum: & vocamus eam non radicem solum, sed & vitæ causam, quod vitam plantis adducat. Et stipites plantæ est, quæ sola è terra nascitur, & staturæ hominis est similis. Surculi sunt, qui è radice arboris pululant, rami verò qui supra surculos nascuntur: nec reperiuntur in omnibus plantis hæc. Plantarum rursus habentium ramos, aliæ sunt perpetuæ, aliæ non sunt, sed in singulos annos durant. Item plantæ sunt nec ramos habentes, nec folia, ut fungi & tubera. Et rami, qui in arboribus nascuntur, ut & cortices, & ligna, & medullæ non aliunde, quam ex humore arborum nascuntur. Vocant medullam arboris, alii matricem, alii viscera, quidam verò cor. Hæc autem, ut & venæ, & caro totius arboris è quatuor elementis sunt. Partes quoque sæpe reperiuntur ad folia gignenda, & flores, idoneæ: sic virgæ breues quædam sunt, ad foliorum procreationem aptæ, velut in salicibus. Quædam præter flores, fructus quoque in arboribus, & quæcumque alia è semine nascuntur, quæque ipsa ambiunt. Plantarum item aliæ arbores sunt, aliæ inter arbores & herbas mediæ, & frutices dicuntur: aliæ herbæ sunt, aliæ holera. Et plantæ ferè omnes sub hæc nomina cadunt. Sunt item arbores, quæ è sua radice stipitem habent, & nascuntur ex eo rami multi, ut oleæ, & ficis: aliæ non habent. Sunt & plantæ inter arbores & herbas minutas mediæ, quæ frutices dicuntur, in radicibus suis multos ramos habentes, ut quæ dicuntur virgulta, & rubus. Holera sunt, quæ multos stipites habent ex vna radice, & ramos multos, ut ruta, & caulis, & eiusmodi. Sicut & herbæ, quæ stipitem è radice sua non habent, sed folia mox producant. Quædam omni anno nascuntur, & arescunt, ut triticum, & similia. Neque possumus hæc omnia nouisse, nisi per similitudines, & exempla, ac descriptiones. Quædam herbæ in duo extrema declinant, ut holus, quod regium dicitur. Aliæ sunt, quæ eadem, herbæ dicuntur, & holera. Aliæ per initia, dum nascuntur, spicarum formam videtur habere, postmodum in arbores euadunt, velut benteli Arabice, & quod helioscopion dicitur. Myrtus quoque, & malus, ac pyrus, & eiusmodi reliquæ arbores sub hoc genere continentur, è quibus multæ superflua sunt stipites è radicibus earum nati, eoque determinare illas operæpretium est, ut exemplum præstent, & ratiocinationem. Neque enim omnium definitiones sunt perscrutandæ. Plantarum quoque alia domestica est, alia hortensis, & alia syluestris. Ad quem modum verò pyros, & alias eiusmodi plantarum species, syluestres appellare consueuimus, quia culturam nullam acceperunt. Rursus plantarum aliæ fructum faciunt, aliæ non faciunt, veluti salices, & nonnulla quercuum species. Quædam oleum faciunt, quædam non: & aliæ folia producant: aliæ non: & aliarum folia decidere solent, aliarum non solent. Et de diuersitate plantarum in magnitudine & paruitate, in pulchritudine & deformitate, bonitate fructuum ac malitia, multa dicere licet. Item arbores syluestres magis fructificant, quam hortenses: sed hortensium fructus meliores sunt, quam syluestrium. Et aliæ plantarum in locis siccis nascuntur, quædam in mari, in fluminibus aliæ, quædam in mari rubro. Item

nonnullæ in locis quibusdam magne fiunt, in locis aliis parua. Et aliæ in fluminum ripis nascuntur, aliæ in stagnis. Et quæ in locis siccis nascuntur, aliæ nascuntur in motibus, aliæ in planitie: & aliæ in locis aridissimis viuunt, ut in regione Aethyopum, & illhic melius proueniunt, quam alibi. Et quædam in locis altis viuunt, quædam contra. Et quædam in locis humidis viuunt, quædam in aridis, aliæ in vtrisque, ut salix. Plantæ igitur magnam diuersitatem habent pro locorum differentiis: quapropter horum quoque differentia sunt inspicandæ. Plantarum item dem aliæ terræ ita affixæ sunt, ut separari ab ea nollint, aliæ in meliora loca transferri possunt. Eodem modo fructuum alii meliores sunt in vno loco, quam in alio. Et quarundam plantarum folia aspera sunt, quarundam læuia. Et aliarum folia sunt parua, aliarum scissa, ut vitis, & ficuum. Aliarum multas fissuras habent, ut pinus folia. Quædam totæ cortex sunt, ut medianus: quædam nodos habent, velut cannæ: quædam spinas, ut ramus. Quædam multos ramos habent, ut morus syluestris, quædam hæc non habent. Et aliæ multas differentias habent alias, sicut ex quibus prodeunt surculi, & ex aliis non: id, quod non aliunde, quam è differentia radicum prouenit. Quædam vnam tantum radicem habent, ut squilla, hæc è solo nascitur, & rare procedit, quia in inferiis dilatando sese, & progressa magis Sole discernitur. Cum enim accesserit, auget illam Sol. Idemque surculos ex infernis elicit. Succorum quoque, qui in fructibus sunt, alii potabiles sunt, velut vuarum succus, & malorum granatorum, & multorum aliorum. Quarundam non sunt potabiles. Et aliorum vinctuosissimi sunt, ut oliuæ succus, & nucis & pinei: quidam non sunt. Aliorum item dulces mellei, ut dactylorum, & ficuum. Alii calidi, & acuti, ut origani, & synapis. Alii amari, ut absinthii, & centaurii. Quidam fructuum compositi ex carne sunt, & osse, & grano, ut pruna. Alii è carne & grano, ut cucumeres. Quidam ex humore, & granis, ut mala granata. Et alii corticem foris habent, carnem intus, ut poma, pyra. Quidam carnem foris, os intus. Sunt quoque alii, quibus statim semen fit cum tegumento, quo operiuntur, ut dactyli, & amygdala. Quidam non tales sunt. Et fructus alii edendo sunt, & per accidens non edendo sunt. Et alii fructus nobis non sunt edendo, aliis verò sunt, velut hyoscyamus, & helleborus, quæ hominibus sunt venena, coturnicibus verò alimentum. Item fructuum alii in siliquis sunt, veluti fabæ granata, alii in tegumentis, & veluti telis, ut triticum visitur, & cæteri, alii in carne, ut dactylorum fructus: quidam velut in casis multis, & tela, ac testis, ut sunt nucis. Et quidam citò maturescunt, ut mora, cerasa: alii tardè, ut fructus agrestes aut omnes, aut plerique. Et aliæ plantarum citò producant folia, ac fructus, aliæ tardè. Et earum quædam hyemem consequuntur prius, quam maturescant. Colores præterea & fructuum, & florum, & quæ illis innascuntur operimentorum, admodum diuersi sunt. Et plantæ quædam totæ, sunt atiores, quædam ad nigredinem vergunt, aliæ ad albedinem, ad rubedinem aliæ, ob calorem adurentem, eum qui partibus terreis commistus est, aerem. Item figuræ fructuum, si fuerint syluestres, differentes habent positiones. Neque enim omnes sunt angulares, neque linea recta omnes sunt.

ARISTOTELIS STAGIRITAE DE PLANTIS Liber Secundus.



ARBOR tres vires habet, primam è genere terræ, alteram ex aquæ genere, tertiam ex ignis genere. A terra enim fixio plantæ est, ab aqua coagulatio, ab igne fixationis vnio. Videmus multa ex his, in ficilibus quoque. Sunt enim in illis tria, lutum, quod est tanquam cæmentum fictilis: deinde aqua, qua vniuntur fictilia: postremum ignis, qui partes illius congregat, donec per ipsa absoluat eus generatio. Manifestatio itaque totius illorum coniunctionis, ab igne est. Nam raritas inest fictilibus secundum suas partes: & cum vserit illas ignis, finitur humoris materia, & conglutinantur limi partes, prouenitque siccitas in loco humidi: & propter victoriam sequitur in omni animali, & planta, ac metallo, digestio. Est enim digestio, quando humor, & calor proprium terminum consequuntur. Id autem in digestionem lapidis & metallorum manifestum est, in animali vero, & planta non ita. Nam eorum partes non ita in vnum compactæ sunt, vt in lapidibus: & quia ab his profluuium quoddam prodit. E metallis, ac lapidibus non exit profluuium quodpiam, neque sudor, quia partes earum non sunt raræ, idcirco nihil ab ipsis exit, vt ab animali, & planta excrementa quædam exeunt. Neque alius quispian; præterquam à raritate, fit exitus. In quo enim raritas non est, ab eo nihil prorsus exit. Idcirco solidum est, in quod augeri quidpiam non potest. Quod enim potest augeri, loco indiget, in quo dilatetur, finiatque. Lapidem autem, & testæ, ac talia, vniufmodi semper sunt, & neque augentur, neque extenduntur. Rursus, plantæ secundo modo inest motus, & attractio, quæ vis est è terra humorem attrahens: & est in attractione motus, qui ad locum tendit, finitur quodam modo digestio. Idcirco vt plurimum herbæ minutæ in vna hora diei vnus generantur. Id in animali non fit. Materia enim in animalibus per se, & separata est: neque est digestio, nisi in vsu maxime & hæc fit. At plantæ materia illi vicina est: & idcirco celerior est huius generatio. Nascitur autem, & crescit, quod subtile in ea est, citius, quam quod spissum. Spissum enim multiugis indiget viribus, tum propter diuersitatem suæ figuræ, tum ob distantiam inter se partium ipsius. Vnde velocior quo-

que est plantæ generatio, propter tenuitatem alterius ad alterum, & celerior profectio. Partes plantarum vt plurimum raræ sunt, quia calor humorem ad extrema plantæ trahit, spargiturque; nutriens materia per omnes ipsarum partes: quod autem superest, effunditur. Quemadmodum autem in balneis calor humorem trahit, & in vaporem conuertit, qui eleuatus quado superfluis fuerit, in guttas vertitur. Sic in animalibus quoque, ac plantis, superfluitates ab infernis ad superna ascendunt, & è supernis ad inferna descendunt. Eodem quoque modo fluuuii, qui sub terra sunt, è montibus generantur. Horum enim materia sunt pluuiæ: & vbi auctæ fuerint aquæ, & intus in angustias redactæ, fit ex eis vapor copiosus, qui propter compressionem intus factam, terram scindit, quo modo fontes, ac flumina apparent, quæ prius non apparerant, sed occultebantur. Verum causas generationis fontium, ac fluuuorum, in libro nostro de sublimibus exposuimus, quo loco ostendimus, quod & terræ motus sæpenumero fontes ostendit, & flumina, quæ prius non apparuerant, scissa scilicet terra per vapores. Sæpe quoque fontes, ac flumina coniuncta fuisse depræhendimus, facto terræ motu. Sed istud plantæ non contingit, quia aer per raritatem partium eius est. Eiusdem quoque signum est, quod terræ motus in locis arenosis non fit, sed in densis, ac duris, qualia sunt aquarum loca, & montium. Siquidem in talibus locis terræ motus contingunt, quod aqua sit solida, vt & lapides quoque: aeris autem calidi natura sit ob suam leuitatem ascendere: cum ergo eius partes coierint, inualuerintque, impellunt locum, vnde vapor mox violenter erumpit. Quod si locus rarus fuisset, non ita prorupisset vapor, sed vt in arena fit, è qua ipsa quoque vapor egreditur, sed paulatim, eaq; propter terræ motus nullus tum editur. Id igitur in nullis corporibus, quæ solida sunt, fieri solet, scilicet vt aer paulatim exeat. Sed congregatus per suas partes, terram ipsam proscindere annixus valet: quæ sanè terræ motus in corporibus solidis, causa est. In partibus itaque plantæ, & animalis, terræ motus non fit, in aliis omnibus fit, & multoties, sic in fictilibus, & in nitro, & metallis reliquis. Sed in quo corpore multa raritas fuerit, ascendere consuevit vapor: subleuat enim ipsum aer. Multoties id videmus, dum aurum in aquam proiicimus, aut aliud quippiam graue, quod fun-

Arborum præterea aromaticarum, aliarum radix aromatica est, aliarum cortex, quarundam flos, quarundam lignum, aliarum vero partes omnes sunt aromaticæ, vt balsami. Arbores rursus aliæ è semine nascuntur, aliæ ex sese ipsis. Et aliæ è radice euelluntur, & transplantantur aliæ è stipite, aliæ è ramis, vel è semine. Quædam per se paulatim extenduntur, quædam in terra. Quædam plantantur in arboribus, vt quæ inferuntur. Est autem insitio melior similitum in similia. Est & alia quoque proportio, per quam optimè committuntur dissimilia, velut mali cum pyris: in similibus, velut ficus cum ficu, & vitis in vitem, & amygdalus cum amygdalo. Est & alia insitio in generibus diuersis, velut artemisiæ in artemisiâ syluestrem, & oleæ satiuæ in syluestreni oleam, & mori in arbores multas. Item arborum syluestrium in hortenses. Et nulla planta semen producit simile semini, à quo est orta. Quædam enim melius faciunt semen, quædam peius. Et è quibusdam malis feminibus, arbores bonæ proueniunt, vt ex amygdalis amaris, & malis granatis acidis. Quarundam arborum semen, cum fuerint debiles, deficit, velut pini & palmæ. Et non prouenit facile è semine malo arbor bona, nec è bono semine mala arbor. Verum in animali multoties contingit, vt è malo bonum nascatur, & contra quoque. Arbor præterea dum corticem habet duram admodum, sterilis fit, & si scindatur radix eius, & fissuræ illius immitatur lapis, iterum fiet fertilis. In palmis quoque si folia, vel foliorum puluis, vel palmæ masculinæ cortex foliis foemellæ palmæ apponantur, vt cohæreant, citò maturescent eius fructus, casusque; eorum prohibebitur. Discerniturque masculus à foemella, quia prius pullulant eius folia, suntque; minora, quam illius: itidem è fragrantia discernuntur. Alicubi verò ex aliquo horum, vel ex omnibus istud contingit. Quod si fortè ex odore masculi abduxerit quippiam ventus ad foemellam, sic quoque maturescent ipsius fructus, quemadmodum cum folia masculi ex illa fuerint suspensa. Ficus quoque syluestres per terram expansæ, ficibus hortensibus conferunt. Eodem modo balauistiæ oleis conducunt, quando vnà plantantur. Rursus plantarum nonnullæ in aliam speciem transmutantur, veluti nux dum senuerit. Sic dicunt quod calamentum in mentham vertatur, & tragium item abscissum, & iuxta mare plantatum, si symbrium fiat. Triticum quoque, & linum transmutari in aliam speciem aiunt. Beleninum verò, quod perniciosum est, in Persia natum, in Aegyptum transplantatum, & Palæstinam, fit edendo, Amygdala quoque, & mala granata, suam malitiam per culturam amittunt. Et mala granata stercore porcino radicibus iniecto, & aqua dulci frigida rigata, meliora redduntur. Sed

amygdali clauis confixa, gummi per multum tempus stillantes, meliores redduntur. Multaque; syluestres plantæ per hoc artificium hortenses fiunt. Locus verò, & cultura terræ huic rei conferunt plurimum, & maxime anni tempus, quo quæ plantantur, magis indigent. E plantis plures in vere plantantur, in hyeme pauca, & autumno, paucissimæ æstate post ortum Caniculæ. Nam in paucis locis eiusmodi plantatio fit, & nusquam, nisi Romæ, & per rarò eo tempore. In Aegypto non fit plantatio nisi per annum semel. Arborum aliæ è radicibus suis folia producunt, aliæ è gemis, aut è ligno suo, quædam prope terram, quædam longè, quædam in medio. Et aliæ semel in anno fructum ferunt, aliæ sæpius, sed non maturescunt fructus earum, & crudi manent. Quædam multum sunt fertiles, & multo tempore, vt ficus: quædam altero quoque anno fructum ferunt, altero reficiuntur, velut oleæ, licet multos ramos producant, quibus velantur. Quædam per iuuentam fertiliores sunt, quam per senectam, aliæ contra, vt amygdali, pyri, populi. Differentia quoque syluestrium plantarum, & hortensium, per masculos discernitur, & foemellas, vbi quæque; ipsarum per proprietatè, quæ eis inest, cognita fuerit. Nam masculus spissior est, ac durior, plurimis ramis abundans, minus humectus, celerior in maturatione, habetque; folia differentia, & furculos. Foemella verò omnia hæc minus habet. Oportet igitur, vbi hæc cognouerimus, rursus coniecturam facere, quo pacto cognoscamus genera per se, & arbores itidem. Et eodem modo in herbis, quo pacto accipienda sint, quæ dixerunt de hisce antiqui: quomodo inspectis eorum libris, quos scripsere, perscrutari queamus medullam harum rerum inquisitione compendiosa. Id est, vt consideremus herbas oleares, & herbas, quæ solum semen habent, & quæ auxilium præstant, & medicinales, & mortiferas plantas. Eodem modo arbores vnà cum herbis. Sed & ad cognoscendas causas ipsarum generationem inquirere debemus, & quare nonnullæ in quibusdam locis nascantur, in quibusdam non. Item plantationes earum, & radices, & succorum differentias, atque odorum, & lactis, & gummi bonitatem & malitiam cuiusque; ac durationem, quam ob causam aliarum fructus durent, aliarum non. Item cur quarundam fructus citò, quarundam tardè. Et inquirendæ plantarum proprietates, & radicum maxime, vt quo pacto aliarum fructus molles fiunt, aliarum nequaquam. Et quo pacto quidam Venerè prouocent, quidam somnium, alii etiam interficiant, & multas differentias alias. Item quo modo aliarum fructus lac emittunt, aliarum non emittunt.

FINIS LIBRI PRIMI.

A R I

dum petit statim. Et rursus si lignum proiciatur rarum, aut paruum, supernat, neque petit fundum. Vnde non propter folia fundum non petit, quod sæpe fundum petere solet lignum, nec propter gravitatem: sed quia aliud solidum est, ac densum, aliud rarum. Quod itaque rarum est, profus fundum petere non solet. Hebenus verò, & quæ illi sunt vicina, fundum petunt, quia in illis pauca est raritas, neque aer in illis est, qui ea attollere possit. Merguntur autem, fundumque petunt, quia partes eorum multum densæ sunt, & solidæ. Sed oleum omne, & folia omnia supernatant aquæ, id quod ostendimus iam. Nouimus enim humorem illis inesse, & calorem: & quod humoris consuetudo est aquæ partibus adhærescere: calor autem humidum ascendere facit, quod quidem partes consequitur. Et aquæ mos est, ut omnia ad suam superficiem eleuet. Aeris superficies mos est, ut ipsum ascendere faciat. Ipsius verò superficiem aqua non conscendit, quia tota ipsius superficies cum aeris superficie est vna. Idcirco oleum quoque supra aquam ascendit. Sunt & lapides, qui aquæ supernatant, ut pumex, & similes, propter inanitatem scilicet, quæ in eis maior est, quam ipsarum partes. Vnde aeris locus, maior est loco corporis terræ. Aquæ enim natura est supra terram ascendere, ut aeris supra aquam. Aeris itaque in lapide in clusi natura, super aquam ascendit, ut aeri toti iungatur. Vnumquodque enim suum attrahit simile, sequiturque partis natura totum, cum quo iungitur. Si ergo saxum aliquod leue sit, mergitur eius medietas in aquam, altera supernabit, quod maior sit, qui ipso continetur, aer, quam lapidis pars reliqua. Eapropter arbores omnes talibus lapidibus sunt grauioribus. Qui in aqua sunt lapides, è forti vndarum collisione fiunt. Nam primum spuma fit, mox coagulatur hæc in molem lactis vntuoso non absimilem. Dum verò vnda arenæ alliditur, congregat arena hanc veluti vntuositatem spumæ, & desiccatur illam maris siccitas cum multa falsedine, quo modo partes arenæ coguntur, temporèque procedente lapides fiunt. Significatio verò, quod mare per sese arenam faciat, ea est, quod terræ omnes gustu dulces non sunt. Cum igitur in ea steterit aqua, prohibebitur aer ne ipsam alteret. Cæterum diutius immorante loco eidem, aqua, cum hanc sibi simile efficere aer non possit: excellent enim in ipsa terræ partes, quæ falsæ sunt: necesse est plus exalfecta paulatim, ambo lutum efficiant natiuum. Id ipsum in dulcibus fluuiis fieri non potest, quia in illis siccitas terræ obtinuit, & aut conuertit aquam in suam speciem, vel vicinam illi hanc reddit, & alteratione vtrunque suscipit. Duriorem quoque efficiens terræ durities, pro facultate scilicet propriæ fixationis, aquæ essentiam lutum in partes exiguas diuidit. Quapropter terra mari vicina, arenosa est. Sic campi dum non habent quod à Sole eos operiat, & ab aqua dulci procul absunt. Siccat enim Sol dulcis humiditatis partes, remanetque quod de genere terræ est, & quia Sol in eo loco non tecto perseueravit, separantur luti partes, & inde arena fit. Huius rei signum est, quod cum in eiusmodi loco in profun-

dum foderimus, inuenimus lutum natiuum, & eris is, arenæ radix: nec arena fiet, nisi per accidens. Contingit autem istud, quia motus Solis illhic moretur diutius, & ab aquis dulcibus longa distantia est. Eodem modo de falsedine aquarum maris est intelligendum. Radix enim aquarum omnium dulcis est, nec accidit eis falsedo aliter, quam modo prædicto. Et signum sensatum hoc est, quod terra sub aqua, aqua verò super terra necessariò, & naturaliter est. Indèque propius aquæ contigit ut elementum sit, quam terræ. Arbitrati verò sunt quidam quod commune omnium elementum sit, quæ plurima est aqua: est autem plurimum, aqua maris. Quare aquarum quoque omnium elementum id esse existimatum fuit. Porro aqua per naturam super terram eminent, & tenuior ea est: ac per istud ostendimus quod aqua dulcis omnino leuior sit, quam falsa. Accipiamus itaque duo vasa æqualia, ponamusque in illis aquam dulcem & falsam, postea sumpto ouo in aquam dulcem ponamus, & submergetur illico: postmodum in aquam falsam ponatur, & supernabit. Ascendet ergo super partes aquæ falsæ, quia non ita disiunctæ sunt, ut aquæ dulcis partes. Hæ enim ob tenuitatem, pondus istud sustinere non poterunt: illæ verò ob crassitiam, possunt. Eaque propter fundum non petit, quod illi fuerit iniectum. Sic naturaliter in mari mortuo non mergitur animal, neque gignitur, quia vincit in eo siccitas: ut neque in alia, quæcunque formæ terræ propior est. Patet inde, quod aqua crassior sub tenuiore est: nam crassa è genere terræ est, tenuis autem, & rara de genere aeris. Et ideo aqua dulcis aquis omnibus supereminet: est enim à terra cæteris omnibus remotior. Iam igitur sciimus, quod aqua, quæ à terra remotissima est, naturalis est, & quod dulcis maritimam excedit. Naturalem itaque illam esse hoc signo certum est, ac necessarium. Nascitur autem sal in lacunis quoque, quibus aqua dulcis falsa fit. Superat autem terræ falsedo, illam falsedinem. In illa enim aer inclusus remanet, in hac non ita: & idcirco non omnino est istud terræ corpus, dulcedine aliqua modis omnibus participans. Licet ex aqua hoc genus sit, quæ è terra tanquam sudor exit. Eodem modo cognoscere debemus, quod herbæ, earumque species non aliunde, quam è compositione sunt, non è materia simplici, sed ut falsedo ex aqua maris, & substantia arenæ est. Vapores enim ascendentes, cum fuerint coagulati, amplecti possunt causam herbarum substantiæ. Excidit enim aer eò, & locum rore madefacit, proueniensque ex eo, virtute stellarum scilicet, illorum feminum species. Sed materia necessaria, aqua est, quanuis differentia sit in aquæ genere. Quod enim ascendit, aliud quam aqua dulcis non est. Salsa autem granior est, nec vnà cum dulci ascendit. Quod autem ascendit, id tenuius ex aqua est: quod cum attractum ab aere fuerit, attenuatur, magisque ascendit. Et inde fontes fiunt, ac flumina in montibus, & per longa spatia decurrunt. Et signum huiusce est pituita, & sanguis ad cerebrum ascendens. Ut enim ex alim

alimento vnà cum vaporibus ascendit quippiam, ita in aquis omnibus. Etenim falsa aqua non nihil vnà cum eo ascendit, quod calor in aeris naturam siccarit, qui supra aquam dulcem omnem æ falsam, exquisitè est. Cuius rei exemplum in balneis sæpenumero deprehendimus. Nam cum aquam dulcè oppresserit calor, attenuabuntur partes eius, ascenditque vapor, qui in fundo balnei erat, & recedunt densæ partes falsedinis: neque enim ex aeris sunt genere, ut sequantur vaporem, qui vnus post alium sursum pergit. Cum itaque multi accesserint, absorbet eos tectum. Inde coguntur, spissanturque, & redit deorsum guttatim stillans aqua dulcis. Sic in omnibus balneis falsis, aqua dulcis est. In aqua itaque falsa nascentes herbæ, non debent esse plenæ, ob siccitatem. Etenim planta duobus indiget, materia scilicet, & loco naturæ suæ conuenienti. Cum itaque hæc ambo adfuerint, prouenit planta. Vbi verò deprehenderimus materiam à temperamento esse remotissimam, inanis est, nam impedimento est, ut sit locus non temperatus. Ita ferè non inuenitur planta in niue. Licet in ea visa sit, nonnunquam prouenisse, ut & animalia quædam, præcipue lumbrici: hi enim in niue gignuntur, & flomus, & herbæ amaræ omnes. Sed nix non exit progressum hunc, nisi alia quoque causa illi iuncta sit. Et hoc est, quia nix descendit nonnunquam fumo similis, & cogelat ventus illam, adstringitque aer. Est tamen raritas inter partes eius: retinetur enim in ipsa aeris aliqua pars calida, manetque de ea putrida aqua. Cum igitur aer inclusus, fuerit multæ amplitudinis, affueritque Sol, erumpit aer in niue comprehensus, apparebitque humiditas putrida, quæ cum calore Solis coagulabitur: ad quem modum herbæ quædam nascuntur. Quod si locus fuerit opertus, non fiet in eo plantæ, aut sine foliis fiet: recessit enim inde terræ temperies, quæ eiusdem cum illa generis est. Inde fit ut flores, & folia in herbis minutis mistim reperiantur in locis temperatis, aere, & aqua. In aliis quæ talia non sunt, veluti in plantis, quæ per niuem nascuntur, rari sunt flores, & folia. Eodem modo in locis multum falsis, ac siccis, ferè non apparent plantæ, quia eiusmodi loca à temperamento longè absunt. Minuitur enim terra, à qua longè absunt humor, & calor, quæ aqua dulcis sunt propria. Fit autem quandoque terra dulcis mortua, & tum non nascuntur mox in ea plantæ: sed in calidis locis, vbi dulcis aqua est, & calor multus, prouenit concoctio è partibus duabus, tum ex loci dispositione, tum ex aere in eo existente. Concoctio verò aeris, è calore Solis est, qui calor in eo loco est. Inde montes quoque humores attrahunt, & adiuvat illos aeris caliditas, acceleratque concoctio. Et idcirco plantæ ut plurimum in montibus nascuntur. In arenis, ut antè diximus, falsedo vincit, remanetque inter arenæ partes, raritates ad inuicem similes. Sol igitur virtutem non habet, ut continuationem substantiæ in istis efficiat, idcirco in arenis ferè non fiunt plantæ: quod si fiant, tum non iuxta species proprias, ac differentes, sed ad inuicem similes fiunt. Quæ verò per superficiem aquæ nascuntur plantæ,

non aliunde, quam è crassitie aquæ fiunt. Nam dum calor aquam attigerit, quæ carsum non habet, quò moqueatur, prouenit super ea quiddam nubi simile, parumque aeris continet, & putrescit humor ille, attrahitque ipsum calorem qui per superficiem aquæ est expansus. Hinc planta fit, radicem verò non habet: nam in duris terræ partibus fixæ sunt radices. Neque folia habet: nam à temperie multum abest: & neque partes ipsius inter se coherenti. Hæc planta ad similitudinem foliorum nascitur. Quæ verò è terra nascuntur plantæ, quia terræ partes compactæ sunt, ipsarum quoque partes necessariò sunt tales. Quæ itaque in terra concreverunt plantæ, è putrefactione in humido loco & halituofo facta nascuntur. Nam putredines aerem occupant. Et dum pluuia frequentes fiunt, ac venti, Sol apparere illas facit, & ad siccitatem, coagulationemque cogit: & terræ siccitas radices earum facit, inde plantæ fiunt, ac fungi, & tubera, ac similia. Hæc autem omnia in locis proportionem calidis fiunt. Nam calor aquam in interioribus terræ concoquit, detinetque illum Sol. Firmiter vapor, contingitque inde in plantam alteratio. Eodem modo in locis calidis omnibus ut plurimum, absoluitur plantæ artificium. Loca frigida verò simile quandoque faciunt, tamen per contrarium faciunt. Nam aer frigidus calorem deorsum comprimit, cogitque ipsius partes, & locus elixationem patitur cum humiditate, quæ in eo præsens est. Absumpto deinde, desiccatoque, humore superfluo, finditur locus, & prodit ex eo planta. In dulcibus autem, locis, in quibus non admodum separatur aqua: cum aer terræ inclusus fuerit exiccatus, humiditasque aquæ concreuerit, aërque in interioribus aquæ manserit, prodeunt plantæ, ut nenuphar Medicum, & species herbarum minutarum, quæ eodem modo nascuntur, aliæ multæ: verum non sunt erectæ, quia radices earum per terræ superficiem tantummodo hærent. In locis quoque quibus aqua calida currit, multoties plantæ nascuntur, quia aquæ caliditas vapores, attrahit recentes in terra: frigida verò humoris aquei natura subtrahit, coagulaturque aer in eo humore: & vbi concoctus fuerit aeris calor, rursus in eo planta fit, sed non nisi per longum tempus. Herbæ verò pusillæ, quæ in aquis sulphureis apparent, tum fiunt, cum venti vehementer flauerint, contrariòque, flatus fecerint, excitatusque fuerit, qui in eis est, aer, & calefactus locus sit, excitatusque inde ignis fuerit, postmodum nascatur quod in fundo est auripigmentum, quod è fæce aeris descendit, attrahiturque ignis cum putredine: id enim auripigmentum est. Tum enim ex eo planta fit, & non habent multa folia hæc, ut antè quoque diximus, quia temperies ab his abest procul: quæ verò fert, alumna arbor est, & in locis calidis nascitur, ac læuibus, & altis, maximè verò in climate tertio, & quarto. Item quæ vicinum quiddam alimento edit arbor, ea nascitur in locis excelis, ac frigidis. Idcirco frequentes sunt species in locis eiusmodi, ob humorum attractionem, & temperiem è calore Solis, ac diebus vernis nascentem. Ita quoque luctum natiuum plantas pingues statim producit:

cit: nam constrictio humoris eius in locis dulcibus fit, ut prædiximus. Planta itidem, quæ in solidis lapidibus nascitur, longo tempore contingit. Qui enim in illis comprehensus aer est, ascendere nititur: dum autem viam non inuenit, ob lapidis fortitudinem, reddi; sequæ ipsum aer calefacit, & humorem, qui in lapidibus est reliquum, trahit sursum, exitque vapor cum humore illo, cum partium lapidis minimarum resolutione. Etenim frequens mos lapidibus est, ut eos Sol iuuat per suam concoctionem. Et ad hunc modum ex illis planta fit, quæ non ascendit, si non propinqua terræ, vel humori fuerit. Nam plantæ substantia terra indiget, & aqua, atque aere. Consideretur itaque planta, & si prope Solem fuerit, nascetur celeriter: si verò ad occasum Sol sit, tardabitur. Et planta cum in ea excellat aqua, retinebit aerem, nec permittet eum ascendere: & ita non nutrietur planta. Eodem modo quando siccitas obtinuerit, vertetur calor naturalis ad extrema, & vias obturat, per quas aquæ meatus erant: & inde non nutritur planta. In vniuersum autem quævis planta quatuor quibusdam indiget, semine terminato, loco conueniente, aqua moderata, aere consimili. Cum itaque omnia hæc perfecta fuerint, nascitur planta, & crescit: quod si abscesserint, imbecillior, pro abscessu scilicet, planta fit. Item quæ in altis montibus prouenit planta, si fuerit species, perfectior erit, & aptior ad medicinam. Fructus autem ad digerendum durior, ut plurimum non alit. Loca verò à Sole remoto, non sunt multarum plantarum productiua. Similiter dum Sol longitudinem diei motu suo addit, & humorem vicerit, vim habet planta producendi fructus, & folia. Quid autem de plantis statuendum, quæ in locis aquosis nascuntur? In his dum aqua quieuerit, fit veluti fax, nec est vis in aere, ut aquæ partes attenuet. Detinebitur enim in terræ interioribus aer, prohibetque aquæ crassitiem ascendere. Quod si ventus ingruat in locum illum, & constringatur terra, reprimatque se aer inclusus, & coagulet ventus humorem illum: prouenient ex ea humiditate plantæ non multum in figura & forma differentes, ob perseverantiam scilicet, & crassitudinem aquæ, & Solis calorem è supernis incumbentem. Rursus de plantis, quæ in locis humidis sunt, & quarum superficies in superficie terræ apparet virescens, id dico, quod in locis illis exigua sit raritas. Cum itaque Sol incidens illius humiditatem mouerit, locumque motu suo excalefecerit, calore itidem in interiora terræ compresso. Id quod non accidit, in quibus locis planta non habet unde crescat: humorque sua expansione fit diffusus, tum fumus fit super terra, veluti tela virescens: & inde planta gignitur nõ habens folia, è genere scilicet plantarum, quæ per superficiem aquarum visuntur. Est autem maior quàm illa, quia propior terræ est, licet ascendere, & extendi non possit. Sæpe quoque in plantis planta alia nascitur, non eiusdem speciei, & similitudinis absque radice. Id ita fieri solet, dum planta spinarum plurimum in pingui aqua mouerit se. Aperiuntur enim partes eius tum, hauritque Sol ipsius putredines, & concoctionem præstat ei, & natura

sua in locum putridum auxiliū suppeditat cum calore temperato: & inde ita crescit planta, ut videntur super totam extendi videantur. Hoc proprium plantis est multas spinas habentibus. Sic itaque linocostis gigni solet, & quæ huic similes sunt cæteræ. Herbarum autem omnes, & quicquid super terra crescit, & in terra, ex aliquo quinque istorum prouenit, & sunt, semen, aquæ humor, locus idoneus, aer, & plantatio. Et hæc quinque, veluti radices plantarum sunt. Triplex itidem arborum fecunditas est. Aut enim fructus producit ante folia, vel vnà cum foliis, vel post folia. Est quoque planta, quæ radicem non habet, aut folia. Et est quæ stipitem habet sine fructu, & folio, ut chryfocomos, aut chryfitis. Sed quæ fructum ante folia producit, multam habent vntuositatem. Cum itaque digesserit eam calor, qui naturalis plantæ est, accelerat eius maturatio, roboraturque, ac deferuescit in ramis plantæ: prohibetque humorem, ne ex eo ascendat: & inde procedunt fructus, ac folia. In plantis autem, quæ citius folia producit quid statuendum est? effectus humorum multi erunt. Cum itaque Solis calor aquæ partes dispergere cœperit, sursum trahit Sol illius humoris partes, & tardatur maturatio: quia fructus concoctio non aliunde, quàm è coagulatione est, & præcedunt folia, fructus, copiosi humoris appositione. Multoties verò accidit ei vntuositas, vbi humor, qui in planta est, concoctionem acceperit, ascenderitque ab ea vapor densus, quem aer cum Sole trahat. Tum enim ex humore illo pinguedo, & fructus, & folia prodeunt eadem expositione. Prisci autem sapientes folia omnia fructus esse asserbant. Sciendum igitur est, quod dum humor tantus est, ut non maturescat, nec coaguletur propter aeris explicationem, & tractionis studium à Sole, tum humor, in quem non perfecta digestio est, in folia alteratur, quæ aliam intentionem præter humoris attractionem non habent, & ut operimentum fructibus sint à Solis vehementia. Non igitur ita necesse est ut folia sint, quemadmodum fructus. Humor enim ascendens, & alteratus, is folia est, ut diximus. Eodem modo in oliuius iudicium est, quæ sæpe fructu suo priuantur. Cum enim Natura digestionem absoluerit, ascendit primò præ tenuitate id, quod non maturerit: & est humor ille, folia, digestio verò flos est. Cum autem maturerit altero anno, fructus nascuntur, & ad finem exhibet materia secundum locum, qui in eis est. Spinæ verò eodem modo è genere plantæ sunt, non tamen eiusdem naturæ. Aio itaque quod in planta raritas est, & in principio naturæ eius decoctio est, & ascendit humor frigidus, & cum ea parua discretio raritatem illam, persuadens: facit itaque Sol illam coagulari, & inde spinæ fiunt. Et idcirco earum forma pyramidalis est: incipiens enim earum basis à gracili, in crassitudinem procedit. Id autem fit, quia aer paulatim per plantam extensus, partes eius auget cum extensione materiarum. Eodem modo omnis arbor, vel planta fit, cuius caput fuerit pyramidale. Color autem virescens, res cõmunissima in arboribus esse debet. Videmus enim, quod quemadmodum communis est albedo

intus,

intus ita viriditas foris: & id est, quia materia vtuntur propinquiore, ac magis concocta. Oportet ergo ut sit viriditas in plantis omnibus, quia materiarum attrahunt, & lignum arboris rarificant, breuèque calor digestionem facit, remanetque humor illhic quispiam, foris apparens: & id est viriditas in plantis, nisi maior inlit digestio. Debet autem media esse in foliis & in lignis potestate. Viriditas autem nõ corrumpitur, si humor in illa sit, qui de genere terræ est. Ex ambobus igitur hisce color viridis fit. Huius signum est, quod cortices arboris, quum aruerint, denigrantur: intus autem albi sunt. In arboribus itaque inter duos colores, viridis color fit per ipsarum superficiem. Figurarum autem plantæ tres modi sunt. Quædam enim sursum prodeunt, quædam deorsum, quædam inter hæc modo medio. Quæ igitur sursum tendunt, causam habent, quia natura ipsarum in medullis apparet, trahitque calorem, & comprimit in sese aera, qui iter raritatis ipsius est. In pyramidem verò exeunt, sicut ignis in materia propria in pyramidem tolli, & leuari solet: quæ autem deorsum tendunt, earum meatus coguntur. Cum enim digesta materia fuerit, inspissatur aquæ materia, in qua plantæ medulla est. Indèque subtile sursum procedit, vertiturque humor ad partes illas deorsum: mouet enim ipsum grauitas eius. Quæ verò inter has mediæ sunt plantæ, ita habent: attenuatur humor, quia temperie natura digestionem vicina est, & sunt meatus medi, tenditque materia & sursum, & deorsum. Est autem prima digestio sub planta, secunda in medulla, quæ à terra exit, est & in media planta. Postmodum diuisio fit, quæ à secunda, non prima digestionem fit. Tertia verò digestio in animali est, quæ sanè non aliunde, quàm ob diuersitatem membrorum, & distantiam naturarum inter se fieri solet. Sed plantæ vicinæ adinuicem sunt, & ideo in locis multis abundant. Ut plurimum verò plantarum materia deorsum tendit. Figuræ itaque plantarum in quantitate, & natura seminum sunt. Flores autem plantarum, & fructus, in aquis sunt, & materiis. Positus itaque est motus primus in omnibus animalibus, & maturatio quoque, neque recedunt inde animalia omnia. Sed in planta prima digestio est, deinde maturatio iuxta nutrimentum ipsorum. Quælibet itaque arbor ascendit semper, donec compleatur. Causa verò est, quia cuiuslibet animalis longitudini, latitudini suæ propinqua est. In planta verò longè abest, quia radix eius, ignis scilicet, & aqua in ascensum festinant, ut planta fabricetur. Diuersitas verò plantæ in ramis est, de superflua raritate. Cum enim compressi humores fuerint, calefit natura, & in digestionem festinat, & inde rami formantur, & apparent folia, ut prædiximus. Arborum autem folia cadere solent ob fluxibilitatem velocis raritatis. Cum enim digesta aqua fuerit cum materia, in pyramidem tollitur, postmodum gracilia fiunt. Et quando apparuerit materia per digestionem absoluta, tum obturantur penitus extrema meatus superius, unde cum folia materia non habeant, siccantur, & decidunt. Quod si contra, quàm diximus, contingat, non cadit planta in foliorum suorum priuationem. Cum autem plan-

tam frigus vicerit, calefacit eam inclusa illi calliditas, & manifestatio frigoris foris fit per ipsius extrema: inde folia glauca fiunt, neque cadunt, ut in oleis, ac myrtis, similibusque. Sed cum habuerint arbores, vel plantæ virtutem vehementer attrahentem, fructus quoque vnà editur. Id quod fit, quia Natura concoctione per successionem crebra vititur, & per vnquamque concoctionem fructum multum producit. Et ideo quædam plantæ sæpe in anno fructificant. Planta verò, quæ veluti natura aquæ est, vix fructificat, propter dominium humiditatis suæ, & meatus amplitudinem, fluxibilitatemque radicem. Cum autem calor incaluerit, acceleratur eius digestio, & attenuatur humor, coagulatque. Et istud inuenitur in herbis minutis omnibus, & in quibusdam holeribus. Color autem venetus in terris vehementer calidis fieri consuevit: & est in talibus exiguis fructus ex humore, quod meatus angusti sint. Dum itaque Natura concoctionem molitur, non habentem humorem, qui materiarum sufficiat, scient tum meatus angusti. Vertitur itaque digestio, continentemque eam calor facit, ut videtur tum inter albedinem & nigredinem color medius. Et cum istud hoc pacto fiat, tum lignum in nigredinem properat, & quicquid colori veneto fuerit vicinum. Istud videre licet ab hebeno, & vlmò. Eaque propter in aqua hebenus mergitur, quia partes eius compactæ sunt, & meatus angusti, nec illos aer ingreditur. Quod verò è lignis albis mergitur, propter angustiam meatus erit, & humorem superfluum, qui ipsos obturat, ut non exeat aer. Flos è subtili materia tantum est, cum digestio incipit, & ideo fructum in plantis præcedit, ut ostendimus. Indidem causam quoque docuimus, ob quam plantæ folia prius producant, quàm fructus: qui verò in planta stridentes meatus habente, color fit, sub caruleo est: & quando partes eius comprimuntur, in albedinem declinat: cum fuerit mediocritas, glaucus erit. Quod autem plantæ quædam flores non habeant, ut plurimum fit ob diuersitatem suarum partium, & subtilitatem ipsarum, asperitatemque, & crassitiem. Flores autem non habent ficus, palma, & similes. Planta verò, quæ crassos habet cortices, pro extensione humoris, & caloris impulsione extenditur: & hoc in primo est, & palma. Sed planta, quæ lac emittit, in medio ipsum habet. Et est calor subditus fortis, manetque illhic vntuositas. Cum itaque calor ille concoctionem incœperit, vertetur vntuositas in humorem proprium, & coagulat ipsum parua coagulatione: & dum locus calefit, humor vntuosus, lacti similis, leuatque vapor ab humore trahente lac istud ad extrema, retinetque humor calorem apparentem, & ita lac istud cogitur. Natura enim caloris est, ut lac coagulet. Quæcunque verò lac sit, multam coagulationem accipit, cum frigus in arbore apparuerit. Coactum enim mox è proprio loco exit, & inde gummi nascitur. Gummi verò calidum stillando procedit. Vbi igitur aerem contigerit, coagulatur. Et defluit in loco temperato, & aquæ simile est. Aliud verò funditur, & coagulatur, quo modo lapides, & cõchæ. Quæ verò guttatim manat, in forma sua

sua manens tale fit, qualis est, quam propolida dicunt: quod autem alteratur ut lapis, id valde frigidum apparet, facitque calor ipsum tale. Cum autem per frigidam constitutionem manuerit, in lapidem abit. Arborum quædam hyeme alterantur, & quandoque virides sunt, quandoque glaucæ. Et non corrumpuntur nec earum folia, nec fructus. Nam arbores, quibus hoc accidit, supra colorem crassum habent, in radicibus humorem tenuem. Vnde in progressu anni retinet humor illum colorem propter aeris frigiditatem. Et quando accerserit calor ad frigus, impellit calor humiditatem foras vna cum colore, quo arboris superficie tinxerat. Dum verò rursus frigiditas & siccitas ad actionem vertuntur, & humor calorem detinet, tum color glaucus apparet. Fructus verò amarus fit, dum calor, & humor, non sunt in digestionem completi. Nam frigus & siccitas perfectionem prohibent, vertuntur ita fructus in amaritudinem. Huius signum est, quod amarum in ignem missum dulcescit. Arbores autem, quæ in aqua acida nascuntur, fructum dulcem faciunt: quia acor trahit cum calore Solis id, quod propriæ qualitatis est: & hoc frigus est, & siccitas. Inde humores exigui quidam dulces intus remanent, calefitque; arboris venter, quando super eo Sol perseverauerit. Hoc modo succus, qui in fructu est, adstringens parumper fit. Et quando plus digestus fuerit, dissoluetur paulatim acor, donec absumatur, & dulcedo appareat. Erit itaque fructus dulcis, folia autem eius, & extrema, acida. Cum autem perfecta magis fuerit maturitas, erit amarus fructus: & hoc est propter abundantem calorem cum humore pauco. Absolvitur namque humor, facitque fructus calorem ascendere, eritque amarus fructus tum. Fiunt autem & nuclei pyramidis forma, propter attractionem caloris, & abun-

dantem frigiditatem, humiditatemque; intus sitam, quæ è genere sunt aquæ acidæ. Manet enim humor in medio, inspissaturque medium, & gracilia fiunt extrema. Arbores autem, quæ in terris temperatis stant, maturationem accelerant ante dies vernaes. Nam dum calor prope temperiem fuerit, & humor manifestus, aërque clarus, nec egeat fructus multo calore in digestionem, accelerabit tum eius maturationem, & ante dies vernaes provenit. In omnibus itaque arboribus, cum primum plantatæ fuerint, excellit amaritudo, vel sapor adstringens. Causa est quod humor, dum per extrema illarum fuerit, loca, quæ in medio arborum sunt, digerit, è quibus materia quoque fructuum est: vnde liccitas procedit, & humorem consequitur, fitque digestio acida, vel amara ita pruina, vel adstringente sapore. Causa est, quia cum calore, & humore digestio est, & cum humor, vel siccitas calorem vicerit, erit inde fructus initio non bene digestus. Idcirco generatio fructuum, in principio absque dulcedine est. Myrobalanorum verò arborum fructus cum initio apparuerint, dulces sunt: communiter autem adstringente sapore sunt. Causa verò est, quod arbor ipsorum raras habet ramos. In hora concoctionis autem cum meatus ampli fuerint, sequitur calor humorem, & maturat fructum, & in principio dulces sunt. Postmodum consequenter per raritatem meatus suos arbor contrahit, vincitque frigiditas & siccitas calorem, & humorem: vnde fructus in adstringentem saporem alteratur: vincitque; Sol rursus cum calore, per attractionem superflua siccitatis in illo semine, quod in superficie arborum est, vincitque; frigus siccitatem, & erit fructus vehementer adstringentis saporis. Inde rursus sursum ascendit naturalis calor, iuuatque; ipsum Solis calor foris, vincitque; calor & siccitas, & fructus amari fiunt.

Par Letres patentes du Roy, est permis à Jehan Frellon Imprimeur & Libraire à Lyon, d'imprimer & vendre les Oeuures d'Aristote, de nouveau reueues, & avec grand' diligence corrigées: & defendu à tous Libraires Imprimeurs, de non Imprimer, vendre ne distribuer aultres que celles que ledict Frellon aura Imprimées: sur les peines contenues es dictes Letres, deuant le terme de cinq ans à aduenir, à compter du iour quelles auront esté acheuées d'imprimer. Donné à Lyon le xxii. d'Aoust, 1548.

Par le Roy, en son Conseil.

Le Picard.

L V G D V N I,
Excudebat Ioannes Frellonius,
Anno à Christo nato,
M. D. XLIX.

FINIS OMNIUM OPERUM
ARISTOTELIS
STAGIRITAE.